Ipse Vltor erit.

EVANGELION quod inscribitur Secundum Ioannem, Centum Quinquagintaquatuor Homilijs explicatum:

PER IOANNEM BRENTIVM.

VSVS HVIVS EVANGElij, *Ioannis 20.*

Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro: hæc autem scripta sunt, ut CREDATIS, quòd IESVS est CHRISTVS ille FILIVS DEI, & ut CREDENTES, VITAM habeatis per NOMEN eius.

FRANCOFORTI.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA Petri Brubachij, Anno Domini M. D. LIIII. mense Septembri.

Ex libris Bern. Bernhart.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI, DOMINO HERMANNO ARCHIepiſcopo Colonienſi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, Principi Electori, Duci Vueſtualiæ & Angariæ, Adminiſtratori Eccleſiæ Paderborn. &c. Domino ſuo Clementiſsimo, Ioannes Brentius.

ON ADEO IGNARUS SUM, Reuerendiſsime, idemq; Illuſtriſsime Princeps, uel meæ tenuitatis, uel Apoſtolicæ maieſtatis: ut cum ſuſciperem Euangeliſtam Ioannem, homilijs explicandum, non intellexerim, in quantas incurrerem difficultates. Sed poſtquam cum animo meo conſideraui, non ſolum quod officium, & quis cultus tribuendus ſit Chriſto filio Dei, uerumetiam qua is beneuolentia uel ſaltem gratæ mentis ſignificationem agnoſcat, & quàm amanter Eccleſia eius faueat ijs, qui, quoquo modo poſſunt, ſtudium ipſi ſuum probare cupiunt: putaui inſtitutis meis non alienum eſſe, meam in hanc rem operam conferre. Non enim dicendum mihi fuit in Ceramico, aut Lyceo, in quo auditoribus uel uana & futilia hominum facta, uel noua opinionum commenta lenocinio uerborum commendari ſolent: ſed in Schola Chriſti, quæ ut non requirit uenuſtatem ſermonis, aut ἐποχὴν λόγου, ut Paulus loquitur, ſed amat ſimplicem & apertam ueritatem, ita, pro ingenio ſummi præceptoris noſtri Ieſu Chriſti, piam bene de ſe merendi uoluntatem, ſi non aliter fert facultas, gratam acceptamq; habet. Quare hoc mihi ſumpſi, ut Euangelion, quod inſcribitur ſecundum Ioannem, qualicunque interpretatione explanarem, ut & officio fungerer, & meam obſeruantiam erga Chriſtum filium Dei ac Eccleſiam eius teſtificarer. Ioannes autem Apoſtolus duplici præcipuè nomine dignus eſt, cuius honeſtiſſimam ſemper mentionem in Eccleſia faciamus. Primùm, quòd obſcurum non ſit, eum primas amoris apud Chriſtum filium Dei habuiſſe: & quanquam Petrus etiam ipſe amore Chriſti inſignis eſt, tamen cum Ioannes tam publico quàm priuato affectu coniunctus fuerit cum Ieſu Chriſto, Petrum quidem φιλόχριστον, Ioannem autem ſuo quodam iure φιλιησοῦν dicemus. Deinde, quòd ſuſceperit Euangelion Chriſti, non ſolum ſuam ætatem uiua uoce, uerumetiam poſteritatem, adeoq; uniuerſam omnium ſeculorum Eccleſiam ſcripto docendum. Magna his temporibus de doctrina ueræ religionis controuerſia orta eſt, magna etiam multorum expectatio eſt, fore ut pia Synodo hæc controuerſia aliquando diuina clementia dirimatur: quod certè, quis publicæ tranquillitatis & diuinæ gloriæ amans non expeteret, non optaret? Sed ut dicam quod res eſt, ſi hoc ſcriptum Euangeliſtæ Ioannis diligenter cognoſceremus, & expenderemus, non eſſet nobis ſententia alterius cuiuſdam Synodi

ad ſedandam hanc controuerſiam expectanda. Continet enim eam ſententiam, quam de uero autore perpetuæ noſtræ ſalutis omnes Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli, quæ eſt maxima & clariſsima omnium Synodus, uerè legitimè in Spiritu ſancto, ut iſti loquuntur, congregata pronunciârunt. Docet, Patriarchas ſpem ſuam in ſolo Chriſto filio Dei diuinitùs promiſſo collocaſſe. Docet, Moſen & Prophetas proponere nobis ſolum Chriſtum redemptorem & ſeruatorem humani generis. Docet, ſolum Ieſum, quem uocârunt Nazarenum, eſſe hunc Chriſtum, filium Dei, de quo Prophetæ ſunt concionati. Docet non contingere ulli hominum æternam uel iuſtitiam coram Deo, uel ſalutem in cœleſti regno, niſi propter ſolum hunc Ieſum Chriſtum, fide acceptum. Hanc doctrinam, ſi ea obſeruantia, qua nobis diuinitùs commendata eſt, amplecteremur, haud difficulter ad concordiam tantum religionis diſsidium adduci poſſet. Equidem non ignoro, multas & magnas, etiam in alijs rebus Eccleſiaſticis contentiones eſſe: ſed hic fons eſt, hoc caput eſt, hoc maximè rem continet. Si hic uera eſſet reconciliatio, nihil penè reliqui uideretur, quod publicæ tranquillitati moram afferret. Quare, cum ſcriptum Euangeliſtæ Ioannis exponat hanc doctrinam clariſsimè, & ſine ullis inuolucris, tanto acceptius nobis eſſe debet, quanto maiorem uſum eius Spiritus ipſe ſanctus eſſe uoluit. Solent his temporibus à Monarchis Chriſtiani orbis grauiſsimæ deliberationes de capiendis armis pro communi ſalute aduerſus Turcicam tyrannidem introduci. Ac debent quidem Principes hoc officium Reipublicæ, debent hoc Eccleſiæ Chriſti, debent & priuati quique ſuam, quam poſſunt, operam in hanc rem conferrre. Non enim fictis lachrymis deplorandum eſt, quòd Mahumetica impietas, & Turcica crudelitas, non ſolum graſſentur hoc tempore in eas Europæ regiones, quæ hactenus nomen Chriſti publicè agnouerunt: uerumetiam oppreſſerint iam à multis annis Syros, Aegyptios, & plurimas alias gentes, quæ olim Ioannem ipſum Euangeliſtam, noſtrum concionatorem audiuerunt, & Euangelion, quod ab ipſo literis mandatum eſt, tanti fecerunt, ut ipſum in ſuam quæque linguam tranſtulerint, ac ſummi theſauri loco habuerint. Quis igitur pia mente præditus, non excitaretur ad extinguendam & delendam Mahumeticam barbariem, ut doctrina Ioannis, imò IESU CHRISTI Seruatoris noſtri, publicè in tot Gentibus diuina clementia reſtitueretur? Sed maius nobis, & periculoſius bellum gerendum eſt. Non enim in Turcam tantum incurrendum, non Conſtantinopolis tantum, aut Alexandria obſidenda: ſed cum Satana pugnandum, cum peccato luctandum, cum morte & inferno certamen ineundum eſt. In hoc bello, qui ſuccubuerit, perpetuò perit: qui uicerit, ſempiterna fruitur tranquillitate. Inſtruit autem nos contra hæc Ioannes ſcripto ſuo, & porrigit nobis arma, ut poſſimus, autore Chriſto, certiſsimam victoriam reportare. Non enim miracula tantum à Chriſto edita, ſed maximè omnium conciones eius tanta ſuauitate conſcripſit, ut fieri non poſſit, quin ſi quis ueræ pietatis ſtudioſus fuerit, ijs ex animo delectetur, & maximo in Chriſtum amore inflammetur. Ioannes Baptiſta alicubi ait, Amicum ſponſi gaudio gaudere propter uocem ſponſi. Atqui uox ſponſi Chriſti nuſquam magis perſpicuè & copioſius extat, quàm in hoc Euange-

liſta,

lista. Quare qui est huius sponsi amicus, teneri non potest, quin uel auditu uel lectione harum concionum tanta lætitia exultet, ut iam non in terris, sed in cœlis ipsis positus esse uideatur. Historiam uocant lucem ueritatis, & magistram uitæ: at quæ historia uitam nostram rectius erudit, & cœlestem ueritatem magis illustrat, quàm quæ de rebus gestis ac dictis Iesu Christi seruatoris nostri à Ioanne descripta est? Quod si nosse cupias, non tantum, quid, antequam nati sumus, acciderit, cum filius Dei uulgaret Euangelion suum in terris, uerumetiam quid futurum sit, cum filius Dei iterum in maiestate sua rediturus est, & quæ sit extremi illius iudicij, quod de omnibus hominibus fiet, sententia, Ioannes erit huius rei aptissimus, & maximè idoneus doctor. Sententia enim extremi iudicij non pronunciabitur secundum leges uel Romanas, uel Atticas, uel Spartanas, uel etiam Mosaicas: sed secundum Apostolicam illam doctrinam, quam Ioannes tam uiua uoce tradidit, quàm monumentis literarum mandauit. Quare, cum maxima sit huius Apostolici scripti autoritas & utilitas: & agnoscam, etiam mihi, minimo quidem omnium, publico tamen Ecclesiæ ministro, has partes impositas esse, ut pro mea uirili gloriæ Christi ac regno eius seruiam: conatus sum hoc scriptum Homilijs non eruditis quidem, sed, ut confido, pijs, Ecclesiastico more explicare. Volui autem, Reuerendissime & Illustrissime Princeps, hoc quicquid est mei laboris, tuæ dignitati consecrare, & faustissimo nominis tui auspicio in lucem dare. Etsi enim amplitudo & excellentia maiestatis tuæ initiò me deterrebat: tamen in tanta ueræ Ecclesiæ de tua pietate congratulatione, nec potui, nec debui me cohibere, quin in publica omnium piorum lætitia, etiam meam erga tuam Celsitudinem, obseruantiam testarer. Dici enim non potest, quàm incredibili gaudio uera Ecclesia Christi tuum illud eximium & singulare, ac tanto heroe dignum erga piam doctrinam Euangelij Christi studium prosequatur. Non hoc præcipuè agit syncera Ecclesia filij Dei, ut habeat, qui ipsam armis tueatur. Satis munita est cœlesti præsidio: sed fauet gloriæ Christi, gratulatur æternæ Principum saluti, gratatur diuinæ benignitati: ideoq; non potest non ex animo gaudere, quòd clementissimus Deus, his præsertim difficilimis temporibus, te in altissimo dignitatis gradu collocatum tanta beneuolentia complectatur, ut proposuerit te uniuerso Christiano orbi insigne ac memorabile pietatis exemplum. Multa sunt, fateor, & magna pericula, quæ intenduntur ijs, qui suscipiunt ueram confessionem nominis Christi, & ardent studio propagandæ piæ doctrinæ in Ecclesia Dei: sed plura & maiora sunt præmia, quibus pericula illa diuinitùs compensantur. Gaudete, inquit, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Et: Qui me honorificauerit, glorificabo & ego ipsum. Etsi enim multi sunt aduersarij in terris, unus tamen est custos & conseruator in cœlis, qui sedet ad dextram Dei, & dominatur in medio inimicorum suorum: ac ut alias Ioannes noster ait, Maior est, qui in nobis est, quàm qui in mundo. Vetus & usitatum est, pharisaicum genus pugnare cum pia doctrina, & ad opprimendam eam munire se humana potentia. Vetus autem & usitatum etiam hoc est, filium Dei admirabilem ex hostibus suis uictoriam reportare. Sed ineptus ego, qui de hac re coram tua amplitudine concionem instituam, cum perspicua extent argumenta, quòd animi tui celsitudo non solum aduersus humana pericula, uerumetiam aduersus por-

tas inferi Verbo Dei ita confirmata sit, ut nullis aduersis rebus frangi ac deiici queat: nec dubitem, quin, qua es fide, maximæ curæ sis Domino Deo nostro, & ueræ eius Ecclesiæ: quæ etsi in his terris abiectissima uidetur, ea tamen est, propter quam Deus orbem condidit, propter quam filius Dei de cœlo descendit, & passus est se cruci affigi. Precor igitur Deum patrem per filium eius Iesum Christum, ut tuam sublimitatem instaurandæ pietati, & iuuandæ Ecclesiæ quàm diutissimè incolumem seruet.

Bene ac fœliciter uale Reuerendissime, ac tam dignitate quàm pietate illustrissime Princeps. Ex Hala Sueuorum, die XXVIII. Iulij,

Anno salutis M. D. XXXXV.

IN EVAN-

IN EVANGELION IOANNIS HOMILIAE. CAPVT PRIMVM. HOMILIA PRIMA.

VPERVACANEVM puto, Fratres in Christo amicissimi, ut in ea re, quam affero, commẽdanda, multum operæ ponam: & quasi præstantiæ eius diffisus, accurata uerborum diligẽtia, accipiendã uobis obtrudam. Excellentia enim eius & tanta est, & omnib. pñs tam probè perspecta, ut nõ dubitem, quin quamprimũ edixero nomẽ eius, summa sitis alacritate accepturi. Affero autem, ne diu uos suspensos teneam, Euangelion Domini nostri Iesu Christi, quod inscribitur secundum Ioannem. Hoc certè est afferre cœlestem thesaurum. Tametsi enim extant aliorum quoque scripta de Euangelio Christi, quibus & sua debetur obseruantia: tamen Ioannes tanto longius alios superat, quanto illustrius tam personæ, quàm regni Christi maiestatem, scripto suo cognoscendam proposuit. Quàm specioſi, inquit Esaias, sunt pedes adnunciantiũ pacem, adnunciantium bona? Cum igitur Ioannes obtineat inter hos nuncios præcipuum locũ, & afferat nobis cœlestia bona, agite amicissimi, excipiamus eum magna animi promptitudine ac fide, ut Euangelion eius fiat nobis potentia Dei ad perpetuam salutem. Sed priusquam ad rem ipsam aggrediamur, operæprecium uidetur, ut aliqua de Ioanne huius Euangeliñ, quod explicandum suscepimus, scriptore dicamus, non tam hoc nomine, quòd Ioannes optimè sit de Ecclesia meritus, ut honestissimam mentionem eius faciamus, quàm ut cognoscamus, quanta fide scriptum eius dignum sit, & quanta obseruantia à nobis suscipi debeat. Non pendet quidem uerbum Dei ab humana autoritate: sed ut spiritus probandi sunt, an ex Deo sint, ita hi qui diuinas res testificantur, debent suam quandam autoritatem habere, qua ueritas testimoniñ ipsorum confirmetur. Euangelion autem, quod Ioannes literis mandauit, publicum est testimonium eius, de Iesu, quòd sit uerus Christus, ille filius Dei: & quòd omnis qui credit in ipsum, consequatur uitam per nomen eius. Videamus igitur autoritatem Ioannis, ut & autoritas testimoniñ eius de Iesu Christo cõstet. Pluris, inquiunt, est oculatus testis unus, cꝫ auriti decem. Multo enim certiora sunt ea quę oculis conspicimus, cꝫ quę fama, quę plerũcꝫ solet esse mẽdax, percipiuntur. Itacꝫ fit, ut longè maior fides habeatur ñs qui referunt à se uisa, perspectacꝫ, quàm ñs qui narrant ab alñs audita. Ioannes autem quę de Iesù Christo scripsit, & testificatus est, suis ipsius oculis uidit & perspexit; ac non minima eorũ quę gesta sunt, pars ipse

Euangelij secundum Ioannem excellentia.

Ioannis 20.

Ioannes quæ uidit, testificatus est.

Ioannis 19. fuit. Qui uidit, inquiens, testimoniũ perhibuit, & uerum est testimonium eius: & ille scit, quòd uera dicit, ut & uos credatis. Ac iterum: Ioannis 21. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de ijs, et scripsit hęc, & scimus quòd uerum est testimoniũ eius. Et rursus: Quod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerũt, de sermone uitæ, & uita manifestata est, & uidimus, etiam testamur & adnunciamus uobis. Etenim hic Ioannes, de quo nunc loquimur, coæuus fuit Domini nostri Iesu Christi, frater Iacobi Apostoli, illius uidelicet, qui Herodis gladio occisus est, natus in Galilæa, patre Zebedęo: & matre, ut nonnulli sentiunt, Salome. Cum autem parens eius exerceret piscaturam, factus est & ipse piscator. Quod cum audis, noli retrocedere, ac de uilitate opificij, testimoniũ hominis ęstimare. Sic uisum est Christo Domino nostro, ut diligeret, quæ erãt ignobilia in mundo, & contẽpta, quo pudefaceret sapientes, & ut nõ gloriaretur ulla caro coram ipso. Porrò, Ioannes non ita exercuit piscaturam, ut neglecto pietatis studio, tantum ea quæ uẽtris sunt, sectaretur. Non enim ex eorum catalogo fuit, qui uiuunt ut edant: sed eorum qui edunt, ut piè ac uerè uiuãt. Nam cum Baptista, qui & ipse dictus est Ioannes, fungeretur suo docendi Euangelij & baptisandi munere, priusq; Christus reuelatus esset, ibi tum noster Ioannes, postq; cognouit Baptistam diuina uocatione docere, tam studiosus pietatis fuit, ut non expectatis uel Pontificũ, uel Principum decretis de Baptistæ doctrina, continuò factus sit discipulus eius. Deinde, prędicatione & testimonio Baptistæ cognoscens Christum, uerũ seruatorem, incipientem & ipsum iam suo munere fungi, nihil prius duxit, quàm ut Christum, & conciones eius sectaretur. Etsi autem initiò Christum ita audijt, ut interim, suo tempore, ad piscaturam rediret, & parentem suum iuuaret (non enim uolu it pius uir ordinarium suum officium, citra legitimam uocationẽ derelinquere, & ignauam uitam ducere) tamen postquam à Christo uocaretur, ut iam nõ solum esset discipulus, sed etiam fieret Apostolus, maluit omnia sua, quàm Christũ relinquere. Ambulans, inquit Matthæus, Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedæo patre suo, sarcientes retia sua: & uocauit eos, uidelicet ut non tantũ discipuli ad tempus, sed & indiuidui comites essent, et Apostoli eius fierẽt. At illi protinus relicta naui & patre suo, secuti sunt eum. Ab hoc tempore, Ioannes fuit socius et comes omniũ itinerum, laborũ et periculorum Christi, audiuit cœlestes eius conciones sine ulla intermissione. Vidit coràm clarissima eius miracula: uidit illustrissimã transformationem in monte Thabor: uidit & passionem ac mortẽ eius. Vidit deinceps ipsum à mortuis resurrexisse. Audiuit conciones eius à resurrectione, contrectauit ipsum manibus suis, comedit & bibit unà cum ipso, ac certissimis argumentis cognouit ipsum uerè à mortuis resurrexisse.

Ioannes piscator.

rexisse. Vidit etiam ascẽsum eius in cœlum,& unà cum reliquis adfuit,cum missus est Spiritus sanctus de cœlo,in nomine Christi.Et hæc omnia,non ipse tantũ,sed & alij Euangelistæ scriptis suis de ipso testificantur.Quare,cum Ioannes nõ sit testis auritus, qui commemoret ab alijs audita,sed oculatus, qui recitet à se ipso uisa & perspecta, tanta est autoritas Euangelij eius, ut si angelus de cœlo aliud nobis prædicauerit,pro anathemate haberi debeat.Huc accedit, quòd Ioannes habeat autoritatis & ueritatis Euangelij sui testimonia è cœlo.Coop tatus enim in numerum duodecim Apostolorum,accepit à Christo illustre illud donum edendorũ miraculorum.Accersitis, inquit Mat thæus, duodecim discipulis suis,Iesus dedit eis potestatem aduersus spiritus immundos, ut eijcerent eos,& sanarent quemuis morbum, & quemuis languorem. Quæ potestas,quid aliud fuit,quàm cœleste testimonium,quo confirmatum est, quòd qui conciones Ioannis audiret,uerbum ipsum Dei audiret? Sed omnium excellẽtissimum est, quòd Ioannes unà cum alijs Apostolis baptisatus sit cœlesti igni, & ornatus fuerit admirandis donis spiritus sancti, in die Pentecostes. Qua maiestate palàm declarauit Christus, Euangelion Apostolorũ (inter quorum præcipuos Ioannes numeratur) ut diuinitùs approbatum & commendatum,suscipiendum esse. Accipietis, inquit,uirtutem,posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos:& eritis mihi testes,non solum Hierosolymis,uerumetiam in uniuersa Iudæa,Samariaq;, denique usque ad extrema terræ. Nam ex hac uirtute & dono, Ioannes non tantum locutus est uarijs linguis: sed & de Christo prædicans, maxima edidit in nomine eius miracula. Postquam enim missus esset spiritus sanctus,ascẽdit Ioannes unà cum Petro,Hierosolymis in templum,& cum ad portam templi peruenissent, claudum ab utero matris,qui ad petẽdam eleemosynam in porta iacebat miserrimus,tam admirabiliter sanarunt,ut non tam uulgus,quàm etiam Pontifices obstupescerẽt. Et addit scriptura: Per manus Apostolorum edebantur signa & prodigia multa in populo. Ac mox: Conueniebat et multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam,afferens ægros,& uexatos à spiritibus immundis,qui sanabantur omnes.Iam & hoc diligenter in Ioanne obseruandum est, quòd non solum ipse accepit admiranda dona spiritus sancti,uerumetiam missus unà cum Petro ad Samaritanos, Euangelion Christi iam agnoscentes, impetrauit oratione sua propter Christum, ut admiranda dona spiritus sancti darentur etiam Samaritanis,per impositionem manuum eius. Quæso te,quid hæc aliud sunt,quàm cœlestia testimonia,quibus ueritas Euangelij Ioannis, de Iesu Christo, diuinitùs comprobata est? Cæterùm,postquam Apostoli necesse habuerunt ex mandato Christi,non Hierosolymis tantum et in finitimis regionibus,uerumetiam inter omnes gentes,Euãgelion Christi adnũciare, alijs aliò digressis, Ioannes profectus est in Asiam:et quanquã summam dabat operam,

Ioannis autoritas.

Actor. 3.

Actor. 4.

Actor. 8.

ut

ut frequentiſsimis quibuſcꝫ Aſiæ locis, Eccleſiam Chriſto per Euangelion congregaret: tamen Epheſi diutius cõmoratus eſſe dicitur, ut quo populoſior eſſet urbs, eo plures liceret Chriſto lucrifacere. Sunt autores fide digni, qui teſtantur Ioannem tãta autoritate docuiſſe Euangelion Chriſti in Epheſo, ut etiam reſuſcitatione mortuorũ cõfirmauerit. Alij addunt, bibiſſe eum uenenũ ſine periculo: & miſſum in dolium feruentis olei, illęſum exijſſe. Etſi autem ueriſimile eſt, Ioannẽ multo plura & maiora miracula edidiſſe, cꝫ ſcripta ſunt, cum Marcus teſtetur, Apoſtolos egreſſos ex urbe Hieroſolyma prædicaſſe ubicꝫ Euangelion Chriſti, Domino, inquiens, cooperante, & ſermonẽ confirmante per ſigna ſubſequentia: hęc tamen quæ de ueneno & feruenti oleo commemorauimus, tanti habeantur, quantę fidei ſunt hi autores, qui ea tradiderunt. Ioannes enim non eſt tam egens autoritate, ut neceſſe habeat eã mendicitate ex alienis, incertis, aut effictis miraculis conſequi. Sed extant de ipſo certa, diuina ac cœleſtia teſtimonia, quorum paulo antè mentionẽ fecimus, quibus Euangelio eius tãta acceſſit autoritas, ut qui ipſum contemnit, Chriſtum, filium Dei, ſeruatorẽ noſtrum contemnat. Porrò, quam autoritatẽ cõſecutus eſt Ioannes ex admirandis donis ſpiritus ſancti, eam ornauit etiã ipſe, & commendauit maxima uitæ ſuæ honeſtate. Nam et hoc in teſte fide digno quęritur, ut ſit uita ſua honeſtus. Sunt enim, qui quod dictione teſtimonij affirmãt, turpitudine uitæ ſuæ infirment. Ioannes aũt tam honeſtè ſe in uita ſua geſsit, ut multo uerius de ipſo, cꝫ de alio quopiã dici potuerit: Hic eſt qui quale habet uerbum, talem habet uitam. Non liberamus eum omni peccato, nec permittimus ei prærogatiuam aduerſus orationem Dominicam, quam à Chriſto didicit, & in qua neceſſe habuit cũ uniuerſa Eccleſia ingenuè & ex animo dicere: Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitorib. noſtris. Quod enim Paulus dixit, hoc et Ioãnes cõfiteri debuit: Noui, quòd nõ habitet in me, hoc eſt, in carne mea, bonũ. Et quãtus hic eſt error, quòd apud Matthęũ petit unà cum fratre Iacobo principẽ locũ apud Chriſtum in regno ſuo, quod corporale in his terris futurum ſomniabat? Extat & in Epiſtola ſua, manifeſta eius cõfeſsio: Si dixerimus, inquit, peccatũ non habemus, nos ipſos fallimus, & ueritas in nobis non eſt. Sed tamen tãta uitæ ſanctitate dominatus eſt peccato, per ſpiritũ ſanctũ, ut hominibus etiã à noſtra religione alienis ſummæ fuerit admirationi. Quid enim? Exiſtimas ne Chriſtum de cruce commendaturũ fuiſſe ipſi matrem ſuã, uirginem, tantũ uidelicet theſaurum, niſi antè reipſa excellentem uitæ eius honeſtatem cognouiſſet? Sunt autem duæ præcipuæ partes honeſtatis, quantum quidem ad hoc noſtrum inſtitutũ ſatis eſt. Altera eſt, ut publico tuo munere diligenter fungaris, & id conſtanter tuearis. Altera, ut priuatis officijs, quoſuis proximos pro tua uirili adiuues. Videamus igitur quomodo Ioannes ſeſe in utracꝫ parte honeſtatis geſſerit. Nõ recitabo iã, quanto ſpiritus ardore

Ioannis miracula.

Ioannis uita inter homines honeſtiſsima.

ὁ μὲν λόγος ἄνυμος, ὁ δὲ λόγῳ ἄπιστος

dore Euangelion Christi prædicauerit, et Ecclesiam docendo cõgregauerit: commemorabo unum tantum & alterum insigne factum eius, ex quibus facile conijci potest, quanta seueritate ueram Euangelij doctrinam defenderit, & quanta constantia falsam cõdemnauerit. Cerinthus quidam, uir impijssimus, docuit in Asia absurdissima, & à ueritate longè abhorrentia: idq; eo tempore, quo & Ioannes Euangelion Christi adnunciauit. Sic enim fieri solet, ut ubi paterfamiliâs semi nat bonum semen in agro suo, ibi inimicus spargat zizania inter triticum. Dogmata aũt Cerinthi hæc fermè fuerunt, quòd mundus non sit factus à primo, ut ipse loquebatur, Deo: sed ab alia quadam uirtute, à Deo ualde separata & distante: quòd Iesus non sit ex uirgine natus, sed filius Ioseph & Mariæ: quodq; Christus tunc primùm descẽderit in Iesum, cum baptizaretur: & quòd iterum recesserit ab ipso, cum pateretur & crucifigeretur. Nam Christum qui spiritalis sit, impassibilem perseuerasse, affirmabat. His dogmatis quid potest dici magis impium? Cum igitur hic Cerinthus uenisset aliquando Ephesi in balneas, & paulo pòst etiam Ioannes eò, lauandi gratia, cum amicis diuertisset: cõtinuò ut uidit impiũ Cerinthũ, exilijt è balneis, & ad amicos conuersus, Fugiamus mox, inquit, hic enim, ubi Cerinthus est, nemo lauari potest, sed potius sordidari, imò submergi & suffocari. Vides Ioannem tanto studio impiam doctrinam damnasse, ut ne lauare quidem cũ doctore impietatis uoluerit. Quo exemplo etiam nos admonemur, ut in tuenda uera doctrina, & abominanda falsa, non simus tepidi, sed potius ardeamus: ne, ut ille ait, incipiat nos Dominus ex ore suo euomere. Sed quanto magis detestatus est Ioannes impiam doctrinã, & fugit impietatis doctores, tanto maiori sollicitudine curauit, ut & pia doctrina promoueret, & peccatores pietate doctrinæ ad pœnitentiam inuitarentur: secutus nimirum Christi Domini sui exemplum, qui se uenisse testatus est, ut peccatores ad pœnitentiam uocaret. Non grauabor hic recensere, quod Ecclesiastici scriptores de iuuene, reuocato per Ioannem à latrocinio, literis mandarunt. Cum enim Ioannes ecclesiam Ephesо finitimam inuiseret, uidit ibi iuuenem quendam optimæ spei: quem quia iudicabat idoneum fore ministrum Ecclesiæ, commendauit eum magna grauitate Episcopo Ecclesiæ illius. Omnino enim sanctus uir hoc agebat, ut non solum præsenti ætati, sed etiam posteritati consuleretur. Episcopus igitur suscipiens curam iuuenis, docuit eum, omni qua potuit diligẽtia, ueram pietatẽ. Sed paulo pòst iuuenis ob eximiam eius indolem paulo indulgentius tractatus, uenit in adolescentum quorundã peruersè educatorũ consuetudinem: quorũ familiaritate ita deprauatus est, ut non solum abijceret studium pietatis, uerumetiam sectaretur tandem unà cum his, cum quib. subinde maiora scelera designare assueuerat, publicũ latrocinium. Interea Ioannes ad episcopum reuersus, repetijt depositũ. Sic enim uocabat iuuenẽ antea cõmendatum.

Irenæus lib. 3. capite 25

Eusebius lib. 3. cap. 23. Ecclesiast. hist.

Post-

Postquam igitur Episcopus cõmemorasset profusis lachrymis, quæ de iuuene acta essent: Ioannes grauiter ingemiscens, & de casu iuuenis tantæ spei uehementer dolens, teneri non potuit, quin mox uocato itineris duce, conscenso etiam equo, iuuenem in his montib. in quibus latrocinium cum æqualibus exercebat, inquireret. Quo inuento, & prę pudore fugitante: Quid fugis, inquit Ioannes, ô fili, patrem tuum? Quid fugis inermem senem? quid fugis eum qui tanta te carita te complectitur, ut si possibile esset, sua uita tuam redimeret? Noli animum despondere. Tu quidem propter scelera tua mortuus es: uiuit aũt adhuc Christus, in quo & tibi spes salutis relicta est. His uocibus iuuenis ex fuga retractus, restitit: ac initiò prorsus obmutescens, uultum in terram demittit: deinde proiectis armis, manũ, qua multas cædes designauerat, in sinum abscondit: mox ad genua senis prouolutus, quod uerbis non potuit, lachrymis ueniam petit. Itaq; Ioannes animaduertens eum uerè ex animo agnoscere peccatum suum, statim suscipiẽs cum ipso preces ad Dominũ, promittit ei remissionem peccati, propter Christum: ac deosculata etiam manu eius, qua homicidia perpetrauerat, iubet eum bono animo esse: & reductum eum, ac optimos quosq; pœnitentiæ fructus facientem, tanta beneuolentia complexus est, ut etiam Ecclesiæ ipsum prę ficeret. Hoc idcirco pluribus commemorare uolui, primùm, ut perspicuum esset, quòd Ioannes non solum doctrina, sed etiam exemplo comprobauerit, remissionem peccatorum non contingere propter merita nostrorum operũ, sed tantum propter Iesum Christum per fidem. Nisi enim hoc sensisset Ioannes, certè non tam citò suscepisset latronem in gratiam, sed iussisset eum ante omnia expiare peccata sua uigiliis, ieiuniis, chameuniis, flagellationibus, & aliis id genus operibus. Nunc Ioannes latroni peccatum suum agnoscenti nihil tale præscribit, sed continuò pollicetur ei remissionem peccatorum in Christo: hoc est, absoluit eum in nomine Christi ab omnibus peccatis, absq; ullis operum meritis. Hoc certè est Apostolico officio uerè defungi, ac Euãgelion Christi rectè administrare. Deinde libuit hoc recitare, ut manifestũ esset, cũ q; sollicita cura, cũ q; ardẽs studiũ Ioannis fuerit de salute proximi sui, quãtoq; amore prosecutus sit eos quos Christus diligere iussit. Nã quòd nonnulli scribunt, Ioannẽ in ultima senecta semper in ore habuisse illud, Filioli, diligite alterutrũ: nõ est ex epistola eius obscurũ, cũ q; diligẽter exhortatus sit Ecclesiã ad mutuam dilectionẽ: & nõ potuisset tam frequenter meminisse dilectionis, nisi ipse ea inflãmatus fuisset. Quare fieri nõ potuit, quin tãta uitæ Ioannis honestas inter homines, doctrinã eius plurimũ ornauerit, atq; cõmendauerit. At enim Ioãnes, in quis, nõ est passus martyriũ, ut uocãt, & nõ confirmauit ueritatẽ Euãgelij sanguine suo, quemadmodũ alij apostoli. Sed multo plura et maiora in tãta uitæ lõgitudine passus est, cũ q; si semel fuisset à tyrãno trucidatus. Peruenit. n. ętate sua usq; ad tẽpora Imperatoris Traiani. Itaq; uixit

Hieronymus in Epistolam ad Galatas.

uixit & docuit post ascensum Christi in cœlum, plusquam sexaginta annos. Quæso te, quas tanto tempore miserias non uidit? quas calamitates non est perpessus? Primùm enim post Pentecosten coniectus est Hierosolymis in carceres cũ alijs Apostolis, & necesse habuit quouis momento expectare carnificem. An non hoc uerum est martyrij genus? Deinde profectus in Asiam, docuit Euãgelion Christi, maximo semper uitæ suæ periculo, quod intendebatur ipsi nunc à Iudæis, nunc à Gẽtibus, nunc etiam à falsis fratribus & hæreticis. Quid, ꝙ sua quoꝙ ætate accidit, duce Tito, horribile illud excidiũ urbis Hierusalẽ, patrię, & metropolis totius Iudaicæ gentis. Quas non mortes libentius excepisset Ioannes, q̃ꝫ ꝙ necesse habuit adhuc superstes, tam calamitosum, tamq̃ miserabilẽ interitum patriæ suæ audire, & abiectionem cognationis suæ uidere? Huc accedit, ꝙ & Domitianus, monstrũ uerius q̃ꝫ homo, eiecerit ipsum, quemadmodũ Ecclesiastici scriptores testãtur, in exiliũ, ad Pathmon insulam, quam alias Posidonium uocant. Etsi autem Ioannes rediit postea, occiso Domitiano, ad suam Ephesum, tamen uiro Ecclesiæ tam amanti exilium multo grauius fuit morte ipsa. Itaq̃ alij semel passi sunt mortem: Ioannes autem toties mortẽ sustinuit, quoties grassati sunt, nunc Iudæi, nũc Ethnici, nunc etiam hæretici, in doctrinam Euangelij. Quanto autem tolerabilius est, mori semel q̃ꝫ semper? Nam, ꝙ quidam affirmant, Ioannem senio confectum descendisse uiuum in sepulchrum suum, & illic non mortuũ, sed dormientẽ, & adhuc spirantẽ quiescere: quodq̃ alij contrà sentiunt, eum abductum in Paradisum, ut cum Elia & Enoch in hunc mundum, cum Antichristo pugnaturus redeat: etiã maiores nostri, tanq̃ anile commentum refutarunt. Nihil quidem certius est, q̃ꝫ quòd Ioannes uerè adhuc in Christo Domino nostro uiuat. Qui enim credit in me, inquit Christus, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Manifestũ quoq̃ est, ꝙ Ioannes semper scripto suo pugnet cũ Antichristo & omnib. membris eius. Quid enim aptius, quid potentius ad refutandas hæreses, Euangelio Ioannis? Sed ea demũ stultissima deliratio est, Ioanni ea affingere, quæ imperitus quisq̃ pro sua superstitione somniauit. Sinamus igitur has ineptias ualere, & sentiamus simpliciter Ioannẽ trãquilla morte extinctum, in Christo Domino nostro fœliciter quiescere. Sic autẽ uisum est Christo, ut Ioannes non trucidaretur crudeliter à tyranno quopiã, sed ut tranquilla morte obdormisceret: quo significaretur Ecclesiæ, non eos tantũ ad Christum pertinere, qui propter nomẽ eius à tyrañis occiduntur: uerùm etiã illos, qui uulgari hominũ morte, in fide Christi extinguuntur. Etsi autem Ioãnes hoc beneficium diuinitùs cõsecutus est, ꝙ in bona senectute è uita excesserit, tamẽ tota uita eius, qua Euangelion Christi prædicauit, perpetua fuit, quemadmodum antea ostendimus, passio, crux, et martyrium. Quare quantum testimonium perhibuerunt alij, per sanguinem suum, Euangelio Christi: tantũ Ioannes perhibuit ei, per uarios casus, per tot discrimina rerũ. Hactenus exposuimus, quanta sit autoritas doctrinæ Ioannis, & quanta obseruantia excipienda sit. Videamus nunc

Scripta Ioannis.

de scriptis eius, quibus doctrinam suam mandauit,& in quibus eam posteritati reliquit.Extant autem nomine eius,initio Euangelion,quod inscribitur secundum Ioannem,deinde tres Epistolæ,postremò Apocalypsis. Ac de Apocalypsi quidem,& duabus posterioribus epistolis dubitatum est à maioribus,num sint Ioannis illius Apostoli & Euãgelistę,de quo nũc loquimur. Senserunt.n.nõnulli, alium Ioannẽ, qui cognomẽto dictus sit Theologus,autorẽ esse Apocalypseos:& alium Ioãnem cognomento Presbyterum, autorẽ esse duarum posteriorum epistolarum.De Euãgelio autem,& prima inter tres epistola,certissima extãt testimonia, iam inde ab Apostolorum temporibus Ecclesiæ tradita,quòd sint Ioannis illius Apostoli,qui fuit filius Zebedæi, & frater Iacobi. Etsi uerò Alogiani quidam, homines uerè ἄλογοι,negarũt Euangelion esse huius Ioannis, tamen somnia paucorum & obscurorum, & quod maximum est, impiorum hominũ,non sunt tanti momenti, ut queãt publica totius Ecclesiæ testimonia euertere. Quid enim? an quia pauci quidam intergentes à Satana excęcati,dixerunt, non esse Deũ, idcirco negabimus humanæ rationi patefactum, Deum esse? Sic nec paucorũ impietas, potest suam Euangelio Ioãnis aũtoritatem publico totius ueræ Ecclesiæ Christi consensu confirmatam derogare. Itaq; cum nullũ dubium relinquatur, quin Euangelion, quod explicare instituimus, sit Ioannis apostoli,& Euangelistæ, perstringamus nunc, quo consilio Ioannes hoc Euangelion scribendum susceperit.Nam cum pauci inter Apostolos mandarint conciones suas de Christo literis,magnas causas esse oportet, quæ Ioannem ad scribendum inuitauerint. Ac alĳ quidem sentiunt eũ scripsisse Euangelion in Patmo,ad quam insulam in exilium eiectus erat, ut Ecclesiam, quam tunc non licuit uiua uoce erudire,scriptis doceret.Optimũ certè consilium, & è spiritu sancto profectum. Sic enim Ioannes non tantum suis coæuis,sed etiam posteris consuluit. Alĳ tradunt eum suscepisse scriptionem Euãgelĳ,iam centenariũ,postq; redĳsset ab exilio in Ephesum: partim ut impias hæreses iam aduersus maiestatem Christi gliscẽtes,scripto suo refutaret, & posteris uerã Christi cognitionem relinqueret:partim,ut quædã ab alĳs tribus Euãgelistis(quorũ scripta publico suo testimonio approbauit)omissa & præterita suppleret. Quæ ut cunq; se habeant,certè Ioãnes ipse consilium suum scribendi perspicuè exponit: Hæc, inquiẽs, scripta sunt, ut credatis, q; Iesus est Christus ille filius Dei,& ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Quid de consilio Ioannis,aut plura aut certiora requiris? Scripsit Euãgelion suum, ut cognoscamus Iesum esse uerum illum Messiã, seu Christum, de quo Prophetæ tot annis antè uaticinati sunt,eumq; esse uerè filiũ Dei,adeoq; Deũ ipsum.Scripsit item,ut hac cognitione & fide consequamur in Christo iusticiam,uitã & fœlicitatem.Quod maius beneficiũ potuisset Ioannes in Ecclesiã conferre? & quę maior posset esse scripti utilitas? Sed ne hoc præterire libet, q; Ioannes non nisi indicto ieiunio,quemadmodum Ecclesiastici scriptores loquuntur & testantur,uoluerit officium scribendi suscipere. Non insti-

ἄλογοι carẽtes ratione.

Vbi, quando, & quo consilio Ioannes scripserit suũ Euangelion.

Suidas.
Ἰωάννης ἀπὸ τῆς εἰς πάτμῳ ἐξορίας ἐπανιὼν θεῷ, σωτάτῃ τὸ εὐαγγέλιον, ὧν ἐτῶν ϛ.

Ioannis 20.

tuit

tuit Ioannes ieiuniũ hypocriticum, quo expiarentur peccata, ſed uoluit ut Eccleſia conueniret ſobria, ad precandum Dominum Deũ noſtrum per Ieſum Chriſtum, quò ipſe ſpiritu ſuo opus ſuſcipiendum gubernet. Non ſenſit inediam & famem eſſe meritum diuinæ gratiæ, ſed preces Ecclesiæ requiſiuit,& orationem pro ſe ad Deum depopoſcit. Obſeruabile factum, quo agnoſcimus admirandam Ioannis pietatem. Ioannes enim, & Apoſtolus, & Chriſto tam dilectus,& tanto ſpiritu præditus,expetit aliorum longè ſe inferiorum preces. Quid ergo nos extremę ſortis homines, fratrũ in Chriſto preces faſtidimus? aut qua fronte aggredimur ad negocia,priuſquam pias ad Dominum preces adhibuerimus? Videmus autem reipſa, preces piorum pro Ioanne haudquaquam uanas fuiſſe. Euangeliõ enim eius,quod literis mandauit, non humana ſunt uerba, ſed cœleſtia tonitrua,quibus non ſolũ omnis impia doctrina aduerſus Chriſtum excogitata diſſĩcitur,uerumetiam maieſtas Chriſti toti orbi reuelatur. Hoc præſagĩſſe uidetur Chriſtus ipſe,cum aliàs uocat Ioannem, filium tonitrui, quaſi qui aduerſus impios errores nõ ſimpliciter loquatur, ſed horribiliter tonet. Iam,quemadmodũ tonitru non in uno tantum loco,ſed per uniuerſam regionem auditur:ita etſi Ioannes ſcripſit Euangelion ſuum Græca lingua, tamen hoc tonitru non in una tantum Græcia, ſed in Syria,in Ægypto,in India,in Perſia,in Æthiopia, inq; multis alĩs nationibus auditum eſt. Sunt enim ſcriptores, qui teſtantur Euangelion Ioannis,è Græca lingua in harũ gentium linguas translatum fuiſſe,ut non interim addam,de occidentalium regionum linguis, in quas etiã traductum eſt. Itaq; factum eſt, ut etſi Ioannes in Chriſto quieſcit, cõcionetur tamẽ ſcripto ſuo ſemper de Chriſto in toto orbe terrarum, uſque ad nouiſsimum huius ſeculi diem. Quid autem maiores noſtri de Euãgelio Ioannis iudicauerint, perſpicuè ſignificarunt, cum ex Ioanne fecerunt aquilam illam, quæ eſt imago Ezechielis uiſione. Sed fuerunt hactenus ſuperſtitioſi quidam homines, qui conſcripto initio Euangelĩj Ioãnis in chartulam,ſuſpenderunt illud ex collo,ac polliciti ſunt ſibi ea geſtatione fœlicitatem neſcio quam. Hæc eſt abominanda ſuperſtitio:& tamen,niſi me animus fallit, ducit originem ſuam à ueritate. Noſtri enim maiores commendarunt pleno ore Euangelion Ioannis, & dixerunt quòd hoc Euangelion afferat nobis ueram ſalutem & fœlicitatem. Hĩc,imperitus quiſpiam hypocrita excepit fortaſsis hanc uocẽ,&, ut hypocritæ ſolent, pro ſuo more abuſus eſt, ad geſtandum initiũ Euangelĩj Ioannis ex collo. Maiores autem noſtri non ſenſerunt Enangelion Ioannis afferre ſalutem,ſi ex collo geſtetur, ſed ſi uera & recta fide ſuſcipiatur. Quare, cum Euangelion Ioãnis tantę ſit autoritatis,ut tam cœleſti teſtimonio, quàm publico totius Eccleſiæ Chriſti conſenſu conſtet, ac ſit potentia Dei ad ſalutem omni credẽti, agite,amiciſsimi, excipiamus ipſum obuia fide, ut quod Ioannes ipſe dicit, credentes uitam habeamus, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Chryſoſtomus.

HOMILIA II.

SI MIHI, Fratres, in eo hominũ cœtu dicendum esset, qui tantæ sunt impietatis, ut Dominum Deum nostrum nec uenerentur, nec precẽtur, nulla mihi spes in incœpto permanendi relicta esset. Nunc uestra mihi pietas ita perspecta & explorata est, ut confidam, uos non solum publica et solenni precatione, uerumetiam priuatis orationibus, corã Domino Deo nostro, conatũ nostrũ adiuuare. Nam si Ioannes tantus Apostolus, non uoluit officium scribendi Euangelij̃ suscipere, nisi Ecclesia antè susciperet officium precandi, & cõmendaret Deo institutũ eius: quæ hæc esset impudentia, quæ temeritas, ꝙ ego infimæ inter ministros Ecclesiæ sortis, officiũ interpretandi Euangelij̃, nec optato antè cœlesti auxilio, nec precibus uestris adiutus, suscipere? Nõ mea autem tantum, sed multo magis uestra res agitur, fratres. In explicando enim Euangelio Ioannis, tantum uobis utilitatis & salutis accedet, quantũ Dominus clementer donauerit: Dominus aũt tantum donabit, quantũ uos pijs precibus uestris per Christum seruatorem nostrum, qui in hoc Euangelio illustratur, impetraueritis. Quare, sic statuite, uos uestræ ipsorũ saluti consulere, si meæ operæ precati fueritis fœlicem Dei benedictionẽ. Bene igitur uertat, aggrediamur ad institutũ, quando ita et Deo uisum, & officij̃ nostri est, ut uerbum Dei assiduè tractemus. IN principio, inquit, erat VERBVM, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Audimus, Ioannem loqui de VERBO, & subinde illud repetere: VERBVM, inquiens, erat in principio. Quod ergo, aut cuius erat illud VERBVM? Num hominis cuiuspiam? Sed ante condita secula, quo Verbum illud erat, nullus adhuc homo fuit. Num angeli alicuius? Sed & angeli ipsi creati sunt per hoc Verbum, quemadmodum postea sequitur. Itaqꝫ necesse est, hoc Verbum ante angelos fuisse. Reliquum igitur est, quòd Ioannes loquatur dẽ VERBO Domini Dei nostri, quod Deus ab ęterno locutus est, & ut scriptura ait, genuit. Nam hoc illud est Verbum, quod aliàs dicitur Vnigenitus filius Dei, per quem Deus pater omnia tam inuisibilia, quàm uisibilia condidit, & qui suo tempore assumpsit hominem ex Maria uirgine, Iesus Christus Dominus ac seruator noster. Quod ut rectius intelligamus, considerandũ est, ueram de Deo religionem & fidem in hoc consistere, ut credamus, quòd VNVS tantum sit Deus, seu VNA tantum diuina essentia. Audi Israel, inquit scriptura, Dominus Deus tuus, Dominus unus est. Et apud Esaiam: Ego sum, inquit, primus & nouissimus, & præter me non est Deus. In hac autem una & sola diuina essentia, tres sunt personæ, non οὐσίαι, hoc est, essentia. Vna enim tantum est diuina οὐσία, sed proprietatibus suis inter se distinctæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Baptisate, inquit Christus, in nomine Patris, & filij̃, & spiritus sancti. Itaque Pater, Deus æternus, hanc habet proprietatẽ, quòd à nullo sit genitus, unde & Ingenitum uocant. Filius autem, etiam ipse Deus æternus, hanc habet

Deus unus. Personæ tres.

habet proprietatẽ,quòd ſit genitus à Deo patre ſuo.Spiritus ſanctus uerò, & ipſe Deus æternus,hanc habet proprietatẽ,quòd procedat ueluti legatus quiſpiã,ab utroq;,patre uidelicet & filio. Cũ ergo Ioannes dicit: In principio erat VERBVM,nõ loquitur nec de Patre, nec de ſpiritu ſancto: ſed de Filio, qui eſt ſecunda perſona, in una diuina natura. Et uocat eum, VERBVM, non humano ſomnio, ſed diuino ſpiritu. Nam, cum rerum conditio deſcriberetur per Moſen, filius Dei uocatur Verbũ Dei. Sic enim ait ſcriptura:Dixit Deus, fiat lux,& facta eſt lux.Et mox: Dixit Deus,fiat firmamentum in medio aquarum, & factum eſt ita. Et in Pſalmo: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorum.Ac iterum:Ipſe dixit,& facta ſunt:mandauit, & creata ſunt. Conſtat autem,Deum omnia condidiſſe per filium ſuum. Omnia per ipſum, inquit Paulus,& in ipſo condita ſunt,& ipſe eſt ante omnia. Omnia conſiſtunt per ipſum.Et ad Hebræos:Per filium,quem poſuit hæredem omnium,per quem & ſecula fecit. Quare, cum ſpiritus ſanctus doceat aliàs mundum eſſe conditum per filium, aliàs per Verbum Dei, perſpicuè ſignificat, filium Dei, ſecundam in diuina natura uerè per ſe ſubſiſtentem perſonam,rectè uocari VERBVM Dei. Quid autem poſſet Ioannes utilius,ac ſaluti Eccleſiæ magis neceſſarium inſtituiſſe,quàm deſcribere VERBVM,ſeu filium Dei,Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & docere rectam ac ſyncerã in ipſum fidem? Nam,qui rectè de Chriſto ſentit,& uerè in ipſum credit, is omnem habet ſalutem & fœlicitatem, etiamſi morte obruatur: rurſus qui malè de ipſo ſentit, aut non uerè in ipſum credit, is totus eſt infœlix & damnatus,etiamſi aliquandiu omnium huius mundi rerum potiatur. Chriſtus enim is eſt,in quo complacitũ eſt Patri, quemadmodum Paulus ait, omnem plenitudinem inhabitare. Et iterum ait Paulus: In illo ſunt omens theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi. Ac mox: In illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter. Hucaccedit, quòd nemo poſsit Deum aut uidere aut cognoſcere, niſi in Chriſto & per Chriſtum. Nemo, inquit Ioannes, uidit Deum unquam,unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.Et aliàs: Nemo nouit Patrem niſi filius,& cuicunq; uoluerit filius reuelare. Quę igitur poſſet eſſe aut uera cognitio Dei,ubi Chriſtus non rectè cognoſcitur? aut quæ poſſet eſſe uera fœlicitas,ubi Chriſtus,tantus theſaurus,non rectè per fidem accipitur? Nouit & Satan quantum ſitum ſit in uera cognitione Chriſti, & recta fide in Chriſtum. Quare,cum ipſe ita abiectus ſit, ut nullam amplius conſequatur fœlicitatem,omnem mouet(ut dici ſolet)lapidẽ, quo aut Chriſtũ obſcuret,aut totum hominibus auferat. Itaq; nũc excitat tyrannos,qui crudeliter perſequantur Chriſtum,& credentes in ipſum,ut grauitate perſecutionis abſterreat homines à fide in Chriſtum: nũc excitat Epicureos,uerę pietatis contemptores & deriſores,ut horum exemplo pios à Chriſto abducat:nunc excitat hæreticos,qui prætextu diuinæ ſcripturæ falſa de Chriſto doceant, ut quos non poteſt nec crudelitate tyrannoum,nec exemplo impiorũ à Chriſto auellere, eos per impiam do-

Verbi uocabulum tribuitur filio Dei.

Coloſ. 1.

Coloſ. 1.

Coloſ. 2.

Satanæ ſeuicia contra Chriſtum.

ctrina m,pietatis prætextu propoſitam,à Chriſto in perniciem ſeducant. Nam quod ad perſonam Chriſti attinet, Chriſtus uerus eſt Deus, & uerus homo:quod ad officium eius attinet,paſſus eſt mortem propter peccata noſtra,& reſurrexit propter iuſtificationem noſtri. Satan igitur nihil intentatum reliquit. Alios enim ſubornauit,qui pugnarent cum diuinitate Chriſti,ac negarent ipſum uerum eſſe Deum, eiuſdem cum patre & ſpiritu ſancto eſſentiæ: alios ſubornauit, qui pugnarent cum humanitate eius, ac negarent ipſum uerum eſſe hominem: alios ſubornauit, qui pugnarent cum officio eius, et tribuerent remiſsionem peccatorū, non tantū morti Chriſti,ſed etiam meritis humanæ iuſticiæ. Breuiter, Satan potuit ſemper,& adhuc poteſt,multas myriades fictitiorum deorum, & omnem impiam doctrinam de diis & religione eorum, in hoc mūdo ferre:ſolum hūc Ieſum Chriſtum, & ſolum Euangelion eius nunquam potuit æquo animo ferre. Itaq; quaſcunq; machinas excogitare potuit, eas ad expugnandam & extinguendam ueram Chriſti cognitionem admouit,nec hoc incognitum fuit ſpiritui ſancto. Prædixit igitur ab initio orbis terrarum, Satanam in Chriſtum graſſaturum:ut moneret pios,ne ſęuitia Satanæ exterriti, aut Chriſtū non requirerent,aut à Chriſto deficerent. Ad ſerpentem enim,nomine Satanę,dicitur:Ipſum ſemen mulieris, qui eſt Chriſtus, conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. hoc eſt,Chriſtus omnem tuam potentiam & dominationem opprimet: tu autem uiciſsim ſæuies in ipſum,& membra eius,omnibus,quibus potes,aduerſis. In Pſalmo Chriſtus uocatur lapis ab ædificatoribus reprobatus.In Eſaia uocatur lapis offenſionis, & petra ſcandali. Simeon dicit eum poſitum eſſe in ſignum,cui contradicitur.Hoc ſpiritus ſanctus idcirco de Chriſto prædixit,ut præmoneret pios,quo cauerent, ne uel multitudine, uel potentia, uel ſapientia ſatellitum Satanæ & aduerſariorum Chriſti, à uera Chriſti cognitione & percipienda & retinenda abduci ſe ſinant. Quare,quanto magis ſæuit Satan aduerſus Chriſtum, tanto diligentius uera Chriſti doctrina cognoſcenda, & conſtantius tuenda eſt. Quid autem uerè de Chriſto ſentiendum & credendum ſit, hoc perſpicuè docet Ioannes in Euangelio ſuo. Reuertamur igitur ad inſtitutum noſtrum,& cum audiuerimus,de quo uerbo loquatur Ioannes,cum ait, In principio erat VERBVM(loquitur enim de VERBO Dei, de filio Dei, de diuina natura Ieſu Chriſti Domini noſtri)audiamus nunc, quid de illo VERBO concionetur. Natura autem fert, ut de re quadam exactè & ordine docturi, primùm omnium explicēt, quòd ſit,deinde quid ſit, poſtremò quid agat,aut quod ſit officium eius. In explicatione igitur VERBI Ioannes hunc naturalem ordinem obſeruat, & initiò concionatur de VERBO,quod non ſit res fictitia,aut cogitatio tranſiens:ſed res uera, per ſe(quanquam non à ſe)ſubſiſtens, & inæternum permanens. Verbum (inquiens)ERAT in principio: hoc eſt, erat ab æterno, antequam quicquam eſſet aut factum aut creatum. Filius enim Dei, quem diximus hoc loco uocari VERBVM,non tunc primùm cœpit eſſe, cum aſſumpſit hominem

Quòd ſit uerbum genitum à Deo patre in æternum.

hominem ex Maria uirgine, quemadmodum Cerinthus & Ebion blaſphemarũt. Aſſumpſit quidem ex Maria uirgine hominem, & cœpit tũc homo eſſe, ſed non cœpit eſſe filius Dei. Amen dico uobis, inquit, antequã Abraham naſceretur, ego ſum. Et apud Michæam: Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis. Deinde, filius Dei nec factus, nec creatus eſt, ante alias creaturas, ut fuerit aliquando, cum non eſſet, quemadmodũ Arriana impietas inſaniit. Ego, inquit, & Pater unum ſumus, unum uidelicet, non uoluntate tantum, quemadmodum credentes in Chriſto unum ſunt: nec potentia tantum, ſed etiam natura & eſſentia. Necq; enim poſſet eſſe uera uoluntatis & potentiæ unitas, niſi etiam eſſet naturæ ac eſſentiæ unitas. Et ad Hebræos: Filius eſt ſplendor gloriæ Dei, & effigies ſubſtantiæ eius. Deus autem ab æterno extitit, fulſit & ſplenduit. Quare neceſſe eſt, fulgorem & ſplendorem eius, qui eſt filius ipſius, ab æterno fuiſſe. Nunquid ergo filius Dei à ſe ipſo eſt, quia eſt ab æterno, nec factus, nec creatus? Nequaquam. Ab æterno quidem eſt, ſed genitus à Deo patre ſuo. Filius meus, inquit, es tu, ego hodie genui te. Cũ autem hic Deus ipſe loquatur, quid coram ipſo eſt HODIE, niſi ab æterno? Nam cũ coram Deo omnia præterita, præſentia & futura uix ſint unum unius horulæ punctum, perſpicuum eſt, æternitatem eſſe hodiernum eius diem, qui ex innumeris conſtat punctis. Non ſolum autem genitus, ſed etiam unigenitus filius uocatur. Vidimus, inquit Ioãnes, gloriam eius, gloriam tanquam unigeniti à Patre. Et iterum: Sic Deus dilexit mundũ, ut filium ſuum unigenitum daret. Porrò cum audimus, filium à Deo patre genitum eſſe, nihil hic carnale, nihil humana ratione comprehenſibile imaginandum eſt. Quod enim in hac fit genitura, cognoſci quidem poteſt è ſcriptura per fidem, quid genitum ſit, nimirum filius à Patre: ſed quo modo hic filius genitus ſit, hoc demum eſt in huius mundi tenebris inenarrabile. An non & ſplendor dicitur gigni à ſole, & tamẽ id fit ſine ullius mulieris aut obſtetricis ope: quanto magis Deus ipſe gignere potuit filium ſine ullo aduentitio auxilio? Abijciamus igitur carnales cogitationes, & credamus ſimpliciter uerbis Sancti ſpiritus, qui in Scriptura docet, filiũ Dei genitum eſſe à Deo patre ſuo in æternum. Nec neceſſe eſt, ut id in hoc mundo humana ratione comprehendamus: ſed neceſſe eſt ut credamus, tunc comprehenſuri, cũ hoc mortale induerit immortalitatẽ, & uiderimus eum facie ad faciem. Habes de VERBO quòd ſit, audiamus nũc quid ſit. Et VERBVM, inquit, erat apud Deũ. Vnus quidẽ tantum eſt Deus, una tantũ eſt diuina natura & eſſentia, quemadmodũ paulo antè dixi mus: ſed in hac una Dei natura, tres ſunt perſonæ, ſuis inter ſe proprietatibus diſtinctæ, Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Verbũ igitur, qui eſt filius Dei, non eſt ea perſona, quæ dicitur Pater: nec eſt ea perſona, quæ dicitur Spiritus ſanctus. ſed erat, inquit, AD Deũ: hoc eſt, Verbum eſt uerè natura ſubſiſtẽs, ſeu perſona diſtincta à Patre & Spiritu ſancto. Hic aũt obſerua mihi, quàm egregiè occurrat ſcriptura humanæ ſeu cogitationi, ſeu curioſitati. Nã, cũ humana ratio egreditur cogitatione ſua extra *Verbum quid ſit.*

hunc mundum, non reperit, nisi maximas tenebras, summã caliginem & obscuritatem, adeoq; prorsus nihil inuenit, quod animo cõcipere queat. Admiratur ergo uehementissimè, cum dicitur, filiũ Dei fuisse ante conditum mundum ab æterno, ubi tamen, & apud quem fuerit? nondũ erat cœlũ, nondum erat terra. Vbi ergo erat sedes filij Dei? ubi scabellum pedũ eius? Hic respondet Ioannes: Filius Dei erat apud Deum. Quid amplius quæris? quid amplius desideras? Quantum ad humanam quidem rationem attinet, tunc ante hunc mundũ conditum & extra eum, non cogitantur nisi tenebræ & caligo. Quantũ autem attinet ad Deum patrem & spiritum sanctum, certè non est, nisi lux longè omnium clarissima & splendidissima. Cum igitur dicitur, Filius erat apud Deum, quæso te, ubi & apud quem potuisset aut commodius, aut honoratius, aut illustrius esse? Erat enim apud Deum, uidelicet, Patrem & spiritum sanctum. Cœlum quidem, quod oculis patet, egregium & admirabile est ædificium: sed quid obsecro est ad Deum patrem & Spiritum sanctum? Profectò mille myriades cœlorum, non sunt tanti, ut possent ulla ratione cum immensa, imperscrutabili, & longè omniũ clarissima Patris & spiritus sancti maiestate æquari. Cum igitur filius Dei fuerit ante mundũ conditum, apud Deum patrem & spiritum sanctum, nõ est sentiendum ipsum fuisse in tenebris, sed in longè maiori & clariori luce ac maiestate, quàm si possibile fuisset, innumeros absq; hoc, cœlos & soles, in quibus habitaret, creatos esse. At enim dices: Ad maiestatẽ pertinet, ut latè domineris, & multos habeas seruos ac ministros. Quam igitur maiestatem habuit filius Dei ante mundum conditum, cum nondum creata erant cœlum & terra, in quibus dominaretur, nec creati erant angeli & homines, ministri ac serui Dei? Hic considera mihi, longè aliam esse rationem diuinæ, quàm humanæ maiestatis. Multitudo enim seruorum, etsi uidetur esse terreni regis maiestas, tamen si probè rem perspicias, magis est argumentũ humanæ imbecillitatis & indigentiæ, quàm potentiæ, & abundantis maiestatis. Nam, si terrenus rex uera maiestate præditus esset, tunc ad tuendum regnum suum, posset omnes uires è seipso petere, nec indigeret ministerio & adiũtorio seruorum: nunc, quia necesse habet aliunde uires petere, & seruorum auxilio uti, perspicuum argumentũ est imbecillitatis & impotentiæ personæ eius, & manifestè apparet, eum non esse uera maiestate præditum. Deus autem sibi ipsi sufficit, omnia à seipso petere potest, nec ullius alterius rei consilio uel auxilio indiget. Creauit quidẽ angelos, creauit homines, creauit cœlum & terram, non q; horũ opera & ministerium sibi necessaria essent: sed quia bonus & clemens est, creauit ea, ut essent res, quæ bonitate & clementia sua fruerentur: ex quibus etiã nihil maiestatis accessit Deo, sed potius à Deo aliquid maiestatis accessit ipsis. Quare, etsi nec angeli nec homines fuerunt ab æterno, tamen filius Dei, quia & ipse Deus est, quemadmodum mox sequitur, & erat apud Deum patrem, & spiritum sanctum, semper fuit in summa, & longè omnium excellentissima maiestate. Nam quod de imperij latitudine dicitur,

Regia maiestas inter homines non est uera maiestas.

tur, obsecro te, existimas ne cœlũ & terram tanti esse, ut habeant coram diuina maiestate quandam latitudinis speciem? Pueri ex Mathematis docẽtur, hanc terrã, si conferatur cœlo, uix puncti rationem habere. Quam igitur rationem haberẽt cœlum & terra, si conferantur tantæ, tamq; immensę & imperscrutabili Dei maiestati? Et quid obsecro latius, quid amplius, quid augustius ipsa Dei maiestate, quam nec cœlũ, nec cœli cœlorum capiunt, cogitari potest? Sentiendum igitur est, filiũ Dei satis latum habuisse imperiũ, cũ fuit in ęterna sua maiestate. Sed hæc mysteria magis admirari possumus, quàm explicare. Quare reuertemur ad nostrũ institutũ. Quid ergo dicemus? Num quia Verbum seu filius Dei est alia persona à Patre & spiritu sancto, nõ est uerus Deus? Absit hęc impietas. Sequitur enim: Et Deus erat Verbum. Filius Dei non solum erat apud Deum, alia persona à Patre & spiritu sancto, sed etiã erat Deus ipse: imò idcirco Deus est, quia est una è tribus personis, quę sunt in una diuina natura. Quid autem potest de diuina Christi Domini nostri natura manifestius dici? VERBVM, inquit, erat Deus. Quod si nullũ aliud præter hoc extaret testimoniũ in scriptura de diuina natura filij Dei, tamen hoc unum pręponderat omnibus humanis commentis. Nunc hoc tanto maioris est ponderis, quãto plura alia testimonia scripturę accedũt. Verbum enim, quod est filius Dei, non solum uocatur DEVS, sed etiam EST natura uerus ab ęterno Deus, consubtantialis Deo patri suo: quemadmodũ, si Deus proposito nostro faueat, paulo pòst in alia Homilia copiosè demonstrabimus. Cęterùm, ne quis putet eum sic esse patri consubstantialem, ut non esset distincta persona à Patre & spiritu sancto, repetit Ioannes, quod prius dixerat: Hoc, inquiens, erat in principio apud Deum. Nam quòd filius Dei uerus est Deus, non impedit, quo minus sit distincta persona à Patre & Spiritu sancto: quòd autem est distincta persona, non impedit, quo minus sit uerus Deus. Simul enim est & uerus Deus, & alia persona à Patre & spiritu sancto, ut uenerentur unum Deum, quemadmodum rectè habet Symbolum Athanasianum, In trinitate, & trinitatem in unitate, neq; confundentes personas, neq; substantiam separantes. Hanc sententiam de diuina natura & persona Christi filij Dei tradidit nobis sacra scriptura, tradiderunt & nobis è scriptura maiores nostri, quemadmodum publica eorum scripta testantur. Ac operæ preciũ est uidere, quanto labore, quantis periculis, quantis difficultatibus, quantis cruciatibus constiterit eos, ut ueram spiritus sancti sententiã, & doctrinam de Iesu Christo Domino nostro tuerẽtur, & Ecclesiæ post se prædicandam relinquerent. Nam, ut nihil interim dicam, quid Prophetis, de Christo prædicantibus acciderit, de qua re Stephanus ait: Quem Prophetarũ non sunt persecuti patres uestri, & occiderunt eos, qui prænunciabãt de aduentu iusti illius? Consideremus primùm, quanto furore Iudæi grassati sint in Christum ipsum, quòd ut uerè, ita & ingenuè prędicauerit se esse Deum. Quærebant eum, inquit Ioãnes, interficere, quia non solum soluisset Sabbatum, sed & patrem suum dixisset Deũ, æqua-

Terræ amplitudo.

De Christi diuina natura & persona.

lem

lem se faciens Deo. Et iterum: Lapidamus te, inquiunt, quòd cum homo sis, facis te ipsum Deũ. Ac rursus: Nos legẽ habemus, & secundũ legem nostrã debet mori, quia filium Dei se fecit. Itaq; cõstitit Christum ipsum sanguine & uita sua, ut hanc de diuina sua natura doctrinã Ecclesiæ suæ traderet. Deinde, quantũ persecutionis & crudelitatis sustinuerint tam à Iudæis, q̃ à gentibus hi, qui initio uulgati Euangelij post Pentecosten prędicauerunt, & confessi sunt, Iesum Christum esse uerum Deum & seruatorem nostrũ, manifestiũs est, q̃ ut hoc loco pluribus recitari debeat. Nam, ut non commemorem uincula, direptiones bonorum, proscriptiones & exilia, quot, obsecro, & Apostoli, & Apostolorum discipuli crudelissimè occisi & trucidati sunt, hoc tantũ nomine, q̃ publicè confiterentur omnes deos Gentiũ esse dæmonia, solum autẽ Iesum Christum esse uerum Deum, & seruatorem nostrũ? Et hęc passi sunt pij à Iudæis & gentibus, qui ex professo erant hostes Christi. Quantas autem tulerint afflictiones, ab ijs qui uolebant uideri cultores Christi, & tamẽ impia de Christo docebant, uix in pauca cõferri potest. Nam, ut uera doctrina & fides de diuina natura Christi in Ecclesia conseruaretur, necesse habuit hic noster Ioannes apostolus suscipere laborem scribendi sui Euangelij, quo palàm confirmaret, Christum uerum esse Deum. Secuti sunt postea multi sanctissimi & doctissimi uiri, qui propter improbitatẽ hæreticorũ coacti fuerunt, maximo omnium rerũ suarum periculo, diuinitatẽ Christi, tum uoce, tum scriptis publicè tueri. His deinde accessit conciliũ Nicænũ, in quo non solum sancti patres, uerumetiam pius Imperator Constantinus, summus ac præcipuus totius orbis Monarcha, nõ parũ sudauerunt, ut uera doctrina de diuinitate Christi, iuxta sacrã scripturam, ac sententiã spiritus sancti cõseruaretur. Post hoc concilium exorti sunt Ariani, maxima coram hoc mundo autoritate, multitudine & potẽtia, qui cum docebant Christum non esse uerũ ab æterno Deũ, multo crudelius tam in Asia, quàm in Africa persequãtur eos, qui rectè de diuina natura Christi sentiebant, q̃ quondam Iudęi & gentes persecuti fuerant. In quibus persecutionibus non uiri tantũ, non mulieres tantũ, sed & pueri ac puellę, uindicauerunt diuinã maiestatẽ Christi, perpetiendis exhæredationibus, carceribus, ungulis, exilijs, eculeis: nec uulgaribus tantũ, uerũ etiã recẽs excogitatis, ijsq; crudelissimis supplicorum ac mortis generibus. Ibi tũ audijsses, etiã pueros inter tormenta fortiter confitentes & clamãtes, Christianus sum, Christum, uerũ Deũ credo & adorabo. De qua re, quia copiosè scribũt Ecclesiasticæ historiæ, & nos ad huius concionis finẽ properamus, non erimus nunc prolixiores. Nam, q̃ maiores nostri tanto labore, ac etiã sanguine suo uerã doctrinã de diuina natura Christi aduersus impia dogmata defenderint, ac nobis etiã syncerã, & perspicuè explicatã post se reliquerint, idẽ planè est, quod Christus ait: Alij laborarauerũt, et uos in labores eorũ introijstis. Quare suscipiamus hãc doctrinam grato animo, & obsequamur uocationi Christi, ut & beneficijs eius fruamur, qui est unà cũ Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Ariani.

Videhistoriã Trip. & Victoris de persecutione Vandalorum.

Ioannis 4.

Homi-

HOMILIA III.

LAuda anima mea Dominũ, inquit Psalmus, laudabo Dominũ in uita mea, psallã Deo meo, quamdiu fuero. Quare, postquam Ioannes Euangelista susceperit describendam maiestatem Domini nostri Iesu Christi, & nos nunc in explicanda hac de scriptione toti uersamur, agite, amicissimi, declaremus officium nostrum, laudemus Dominum in uita nostra, illustremus pro uirili nostra gloriam nominis Christi, & dicamus paulo copiosus de diuina eius natura, ut uel ali quo modo, quanta sit maiestas eius, cognoscatur. Non eget ipse humanis laudibus, sed nos egemus cognitione eius. Hæc, inquit, est uita æterna, ut cognoscant te solum uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Fieri enim non potest, ut qui ignorat Iesum Christum filium Dei, habeat ueram æterni Domini Dei nostri noticiam: & periculosissimè ac extremè errat, qui sibi absq; uera Iesu Christi cognitione, iusticiam ac salutem pollicetur. Dicemus igitur quædam de diuinitate Christi, & patefaciemus, quantum quidem ipse nobis clementer donauerit, gloriam eius, ut splendore eius illustrati, cœlesti fœlicitate fruamur. Sed ne in expositione maiestatis filij Dei uideamur Patrẽ & Spiritũ sanctum honore diuinitatis excludere, sic de Iesu Christo filio Dei dicemus, ut etiã diuinitatem aliarum duarum personarum, Patris & Spiritus sancti, testimonijs sacræ scripturæ, quãtum ad nostrum propositum satis uidebitur, ostendamus. Etsi enim nihil certius est, quàm quòd una tantum sit diuina natura, seu unus tantum uerus ac æternus Deus. Audi (inquit) Israel, Dominus Deus uester, Deus VNVS est. Et iterum: Nunquid non ego Dominus, & nõ est ultrà Deus absq; me, Deus iustus & saluans, non est præter me: tamen nihil etiam certius, nihil firmius est, quàm quòd in hac una diuina natura sint tres distinctę substantię, quas nos personas uocamus. Magnæ autem insciti æ & impietatis accusant nos Iudæi & Saraceni, q̃ credamus & confiteamur tres personas in una diuina natura, ac uociferãtur, nos colere tres deos. Quod si diserte exponimus, nos unum tantum Deum colere, satis mirari non possunt, quomodo sibi hęc conueniant, q̃ affirmemus tres distinctas esse personas, & unũ tãtum Deum. Sed quid ad nos istorum uanissimorum & impijssimorum hominũ clamores & stupores? Cum enim sint à Deo propter impietatem abiecti, non est mirum, quòd nihil rerum diuinarum aut probè cognoscãt, aut rectè cognoscere queant. Nos non laboramus, ut hoc imperscrutabile mysterium humano captu intelligamus, sed ut quod spiritus sanctus in sacra scriptura tradit, obedienter credamus. Perquirendũ enim nobis est, quid de diuina natura credendum, non quomodo in hac quidem mortali uita, humana ratione comprehẽdendum sit. Manifestum autem est, q̃ sacra scriptura doceat, unam quidem tantũ esse diuinam naturam: sed in hac una natura proponat tres personas proprietatibus suis inter se distinctas, Patrem uidelicet, ac filium, & spiritum sanctum. Audiamus igitur testimonia scripturę, quibus hæ tres personæ in una diuina natura recensentur,

& adorandæ proponuntur. Apud Matthæũ capite tertio, in baptiſmo Chriſti, auditur uox è cœlis de Chriſto: Hic eſt filius meus dilectus. Habes hoc loco duas perſonas: Patrem, qui manifeſtatur uoce: & filium, ad quẽ fit uox Patris. Additur aũt & tertia perſona, Spiritus ſanctus. Is em̃ aperto cœlo deſcendit tanq̃ columba, & uenit ſuper Chriſtũ. In Euangelio Ioannis cap. v. dicit Chriſtus: Pater diligit filium, & omnia demõſtrat ei, quæ ipſe facit. Habes hic duas perſonas, patrem & filium. Sed & tertia perſona aliàs commemoratur apud Euangeliſtas, cũ faciunt mentionem peccati in ſpiritum ſanctum. In eodem Euãgelio cap. xiiij. Paracletus ille (inquit Chriſtus) qui eſt ſpiritus ſanctus, quẽ mittet Pater nomine meo, ille uos docebit omnia. Recenſentur & hoc loco tres perſonæ: Pater, qui mittit: Filius, qui loquitur, & cuius nomine mittitur: & Spiritus ſanctus, qui mittitur. Apud Matthæum cap. ult. Baptiſantes eos, inquit, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Quid de tribus perſonis poſſet magis perſpicuè dici? Reliquum igitur nunc eſt, ut oſtẽdamus unãquamq̃ harum triũ perſonarũ, eſſe natura ſua uerũ ac æternũ Deum, hoc eſt, unum tantum eſſe uerum & æternum Deum. Ac de Patre quidẽ, q̃ ſit uerus & æternus Deus, nulla nec eſt dubitatio, nec controuerſia. Hęc eſt uita ęterna (inquit Chriſtus) ut cognoſcãt te ſolum uerũ Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ. Et Paulus: Benedictus, inquit, Deus et pater Dñi noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt Pater miſericordiarum, & Deus omnis cõſolationis. Et in Actis Apoſtolicis, cap. iij. ait Petrus: Deus Abraham & Iſaac & Iacob, Deus patrum noſtrorũ glorificauit filiũ ſuum Ieſum, quem uos tradidiſtis. Sed quid opus eſt in re manifeſta, & ab omnibus qui modò non negant eſſe diuinam naturã, conceſſa, ſollicitè teſtimonia ſcripturæ commemorare? De filio autem Dei, qui eſt Ieſus Chriſtus Dñs noſter, q̃ ſit uerus ab ęterno Deus, & ὁμοούσιος, hoc eſt, coeſſentialis cum Deo patre ſuo, magnæ olim fuerunt & adhuc ſunt inter homines controuerſiæ. Satan enim uidit hunc eum eſſe, qui cõterat ipſi caput ſuũ, & ſeruet omnes credentes in eum, ad perpetuam uitã. Quare totus in hoc ſtudiũ incumbit, ut maieſtatem eius aut prorſus ab oculis hominũ abſcondat, aut obſcuret, quo Chriſtus uel ignoratus, uel corruptè ac uitioſe agnitus, nullã afferat hominibus ſalutem. Diligenter igitur conſideranda ſunt teſtimonia ſcripturæ, quibus uera & æterna diuinitas filij Dei probatur. Principiò, manifeſtum eſt, q̃ ſpiritus ſanctus in ſacra ſcriptura tribuat filio, ſeu Chriſto Dño noſtro nomen Dei. In Euangelio Ioannis cap. xx. ait Thomas ad Chriſtũ: Dominus meus & Deus meus. Et in Actis apoſtolicis cap. xx. Spiritus ſanctus, inquit Paulus, poſuit uos Epiſcopos ad regẽdã Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Vides perſpicuè Chriſtum uocari Deum. Ac iterũ, Paulus ad Romanos ſcribẽs: Ex quibus, inquit, eſt Chriſtus, quantũ ad carnem attinet, qui eſt in omnibus Deus benedictus in ſecula, Amen. Et in epiſtola ad Hebr. cap. i. ad filiũ dicit: Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui. Accedit his & Ioannes in prima epiſtola cap. v. Sumus, inquiens, in uero, in filio

Perſonæ tres.

Pater Deus.

Filius Deus.

filio eius Iesu Christo. Hic est uerus Deus, & uita æterna. Sed quid? Num hæc testimonia impijs ita satisfaciunt, ut & ipsi tribuant Christo honorem diuinitatis? Non est nobis nunc sermo de ijs impijs, qui aut uniuersam sacram scripturam damnãt, aut etsi agnoscunt autoritatem Propheticorum, non tamen agnoscunt autoritatem Apostolicorum scriptorũ, quales sunt Iudæi. Nec sermo nobis est de impijs Mahumetanis, qui abiectis Propheticis & Apostolicis scriptis, commenti sunt nouum genus religionis, aut potius impietatis: sed de his loquimur, qui dicunt se agnoscere Prophetica & Apostolica scripta, & tamen negant diuinitatẽ Christi. Hi sunt Ariomanitæ, autores quondam maximarum turbarum in Ecclesia. Quo hominum genere nullam unquam maiorẽ intulit cladem Ecclesiæ Christi. Ex his orti sunt Mahumetani, qui quàm graues sint non tantũ Ecclesię, uerumetiam toti orbi terrarum, manifestius est, q̃ quòd hoc loco commemorari debeat. Ariomanitę igitur tribuebant quidẽ & ipsi nomen Dei Christo, sed dicebant nuncupationem magis esse, quàm naturam & ueritatem Dei. Arius autor huius impietatis, in ea epistola, quam scribit ad Eusebium, dicit Christum extitisse πρὸ χρόνων & πρὸ αἰώνων, hoc est, ante tẽpora & ante secula. Et quidem addit de Christo, πλήρης θεὸς μονογενὴς, hoc est, plenus Deus unigenitus. Quid magis piè dici uidetur? Et tamen impius sycophanta hoc unum agit, ut tribuendo Christo nomen, auferat ab eo rem, naturam & ueritatem diuinitatis. Dicit Christum fuisse quidem ante secula, non autem ab æterno à Deo patre suo ex substantia seu essentia eius genitum, sed postquam aliquando non fuerit, creatum. Dicit eum nuncupari quidem Deum, sed non esse ab æterno uerum Deum, Patri suo coessentialem. Ostendimus igitur nunc, quòd Christo non tribuatur tantum nomen Dei, sed etiam res ipsa, hoc est, natura & ueritas diuinitatis. In Genesi capite tertio dicitur: Semen mulieris conteret caput tuum. Hæc est promissio de Christo, quòd sit oppressurus potentiam Satanæ. Nemo autem potest Satanam opprimere, nisi Deus. Necessariò igitur sequitur, quòd Christus non uocetur tantum Deus, sed etiam sit reipsa uerus Deus. Et in Genesi capite uigesimosecundo: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Est & hæc promissio de Christo, & intelligenda est de spirituali benedictione, quemadmodum interpretantur eam scripta Apostolica. Benedicere autem spiritualibus donis, est solius Dei opus. Cum igitur Christus afferat spiritualem benedictionem, manifestum est, quòd sit uerus Deus. In Psalmo octauo omnia subijciuntur Christo. Habere autem omnia subiecta, est diuina maiestate præditum esse. Adorabunt eum, inquit Psalmus septuagesimus primus, omnes reges, omnes gentes seruient ei. Sed quis orandus est spirituali adoratione, præter solum Deum? Quare cum Psalmus dicat Christum adorandum, palàm prædicat eum esse uerum Deum. Et rursum Psalmus centesimsunonus ait: Dixit Dominus Dño meo, sede à dextris meis. Sedere à dextris Dei, est æqualis esse cum Deo maiestatis. Deus autem non tribuit alteri, iuxta Esaiam, gloriam & maiestatem suam, & tamen tribuit eam Christo. Quare sequi-

Ariomanitæ.

Vide Epiphanium & Theodoritum.

tur, Christum uerum esse Deum, unius & eiusdem cum Patre suo essentiæ. Esaias dicit, Iustificabit ipse seruus meus iustus multos. Cum autem solus Deus iustificet, nihil aliud reliquũ est, quàm quòd Christus, qui iustificat, uerus sit Deus. Quid multis opus? Tota sacra scriptura eò tendit, id agit, ad eum exitum properat, ut tribuat Christo benedictionem, iustificationem, uiuificationem, salutem & redemptionem, quæ sunt solius Dei opera. Hæc etsi manifestè probant diuinitatem Christi, Satan tamen, qui est perpetuus hostis Christi, & organa Satanæ, homines impij & conscelerati nunquam non inueniunt quod eludant, quod cauillentur & calumnientur. Sicubi enim scriptura testatur, Christum ab omnibus gentibus adorandum, partim exponunt de ciuili adoratione, quali Monarchæ huius seculi adorari solent: partim affirmant adorandum quidem eum, ut plenum Deum, non tamen esse ipsum natura ab æterno Deum. Hic est Arianorum furor. Alij dicunt: Si ex adoratione probari posset diuinitas Christi, tunc & scabellum pedum Dei (sentiũt autem arcam seu propitiatorium sic dici) esset Deus. Scriptum enim est: Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est. Et quanquam in Hebræo textu non simpliciter dicatur, Adorate scabellum: sed, Adorate AD scabellum: sicut & aliàs, Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo: tamen cum est sermo de adoratione, Hebræus textus eadem utitur uerborum syntaxi, siue de adoratione, quæ exhibenda est soli uero Deo, siue de adoratione, quæ homini exhiberi solet, loquatur, quemadmodum perspicuè uides in priori libro προσκυνῶμεν capite uicesimonono. Dicit enim scriptura: Inclinauerunt se, & adorauerunt Dominum, & regem. Vbi iuxta grammaticam legendum esset, Incuruauerunt se Domino, & Regi: uel, Adorauerunt ad Dominum, & ad regem. Quare cõtendunt, ex adoratione non posse probari diuinitatem Christi. Deinde sicubi sacræ literæ tradunt Christum esse uiuificatorem iustificatorem, & redemptorem, nugantur isti impij Christũm hæc opera perficere, non ut autorem, sed ut seruum: non ut natura Deum, sed ut ministrum Dei. Nam scriptura uocat etiam Christum, seruum ac ministrum Dei: Ecce seruus meus (inquit Dominus per Esaiã) suscipiam eum, complacuit sibi in illo anima mea. Ac certum quidem est, quòd cum antè constiterit, Christum esse natura ab æterno uerum Deum, tunc constabit etiam, eum uiuificare & iustificare ut autorem, ac Deum ipsum. Si quis autem negauerit Christum esse natura Deum, & obijciantur ei testimonia de uiuificatione & iustificatione, uociferatur nondum sibi satisfactum, quippe cp & prædicatio Euangelij, & aqua baptismi, & Apostoli atcp Ecclesiastæ dicantur homines uiuificare & iustificare, & tamen nihil horum est natura Deus. Præterea cum recitatur, Christum hinc probari uerum esse Deum, quòd scriptura dicat, credendum esse in Christum: Omnis, inquit, qui credit in eum, non perit, sed habet æternam uitam: obijciunt illud è posteriori libro προσκυνῶμεν capite uicesimo: Credite in Domino Deo uestro, & securi eritis: credite Prophetis eius, & cuncta euenient prospera. Vbi iuxta Hebræum textum sic legi-

tur:

tur, Credite in Dominum Deũ ueſtrum, & firmi eritis: credite in Prophetas, & proſperè agetis. Qua cohortatione iubet rex Ioſaphat Iſraelitas non ſolũ in Deũ, ſed etiã in Prophetas credere. Et tamẽ ex hoc probari nõ poteſt, quòd Prophetæ ſint natura ueri dñi. Quomodo ergo ex ijs locis, quę concionãtur de habenda fide in Chriſtum, probari poteſt, Chriſtum eſſe uerum natura Deum? Hęc uidẽtur quidem imperitis habere quandam ſpeciem non omnino falſę ſapientiæ, & apparent humanę rationi à uero nõ abhorrere, præſertim cum teſtimonia ſacrę ſcripturę ab iſtis citentur: ſed ſunt uerè ignita, ac uenenata, & mortifera tela Satanę, qui hoc unum agit, ut maieſtatẽ Chriſti in terra obſcuret, aut prorſus è terra tollat. Quare accingamus nos gladio ſpiritus, quod eſt uerbũ Dei, & aſſumamus ſcutum fidei, ut poſsimus reſiſtere, & tã ignita ac peſtifera tela Satanę extinguere. Perquiramus igitur & inueſtigemus eui dẽtia & perſpicua teſtimonia, quibus Chriſtum eſſe uerum ac naturalẽ ab æterno Deum ita oſtendatur, ut nullus ſiue hominum ſiue diabolorum (ſi modò ſua ſacræ ſcripturæ autoritas inuiolata conſtiterit) quicquam, quod ueriſimile aut probabile uideatur, contradicere queat. Sed priuſquam id aggrediamur, initiò obſeruandum eſt, quòd ſcriptura noui teſtamenti ſit Apocalypſis, reuelatio & commentarius ueteris Teſtamẽti: et quòd in ueteri Teſtamento obſcurè traditur, hoc in Nouo perſpicuè explicetur. Dixit enim Moſes de Chriſto: Ipſũ audite. Chriſtus autem iuſsit nos audire Apoſtolos. Qui uos, inquiens, audit, me audit. Et teſtatur de Apoſtlis, quòd ſpiritus ſanctus ſit ducturus ipſos in omnem ueritatem. Vaticinatur etiam Eſaias de perſpicuitate doctrinæ Euangelij in nouo Teſtamento: Ibunt, inquiens, populi multi, & dicent, Venite aſcẽdamus ad montẽ Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Zion exibit lex, et Verbũ Domini de Hieruſalẽ. Et iterũ: Dabo omnes filios tuos doctos à Domino. Ac rurſus: Repleta eſt terra ſciẽtia Domini, ſicut aqua maris operiẽtis. Et Hieremias: Non docebit ultrà uir proximum ſuum, & uir fratrẽ ſuũ, dicẽs: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorũ uſque ad maximum, dicit Dominus. Hæc omnia intelligẽda ſunt de perſpicuitate doctrinæ Euangelij, quæ extat in libris noui Teſtamẽti. Nec fieri poteſt, ut ſcripta prophetica, clarè & apertè abſcę ſcriptis Apoſtolicis, ſeu noui Teſtamẽti intelligas. Chriſtus enim, quẽ Apoſtolica ſcripta explicãt, eſt interpres ueteris Teſtamẽti. Si credidiſſetis, inquit, Moſi, credidiſſetis utiq; mihi. de me enim ille ſcripſit. Et iterum: Neceſſe fuit impleri omnia quę ſcripta ſunt in lege Moſi & Prophetis & Pſalmis de me. Et aperuit mentem illorũ, ut intelligerẽt ſcripturas. Et ad Corinthios: Ad hunc uſque diem, inquit Paulus, cum legitur Moſes, uelamen cordibus illorum impoſitum eſt. At ubi cõuerſi fuerint ad Dominum, tolletur uelamẽ. Quare tum demum habebimus certa ac firma teſtimonia diuinitatis Chriſti, cum lucẽ Euangelij, ſeu ſcripturę Apoſtolicę inferimus in ſcripturam Propheticam, & alterã alterius ſplẽdore illuſtra-

Scriptura noui Teſtamenti.

tam,diligẽter intuemur.Deinde,hoc etiam obſeruãdum eſt, quòd ubicunq; Prophetica ſcriptura uocat Deum hoc nomine יהוה quod legunt quidem Adonai,ſonat autem iuxta literas & puncta,Iehoua, ibi intelligit uerum ab æterno Deum.Nam alia uocabula Dei apud Hebræos,ſolent etiã aliquoties creaturis tribui:hoc autem uocabulũ Iehoua, quod uocant Tetragrammaton, nõ tribuitur niſi ſoli uero & ęterno Deo,rerum omnium creatori & cõſeruatori. Quæ cum ita ſe habeãt, recitabimus nunc dicta Apoſtolicæ ſcripturæ,quæ allegatiõe & interpretatione dictorum propheticorum manifeſtè & euidẽter demõſtrant, Ieſum Chriſtum eſſe uerum & ęternum Deum Zebaoth.Lucas Euangeliſta, in ſecundo capite Euangelij ſui, ſcribit Simeonẽ Mariæ de Chriſto filio ſuo,ſic concionatũ eſſe:Ecce poſitus eſt hic in ruinam & reſurrectionẽ multorũ in Iſrael.Cum hac concione conuenit & illud, quod Petrus in priori ſua epiſtola capite ſecundo, de Chriſto ſcribit:Hic cœpit eſſe caput anguli,& lapis offenſionis,& petra ſcandali.Reuertamur ergo nũc ad prophetica ſcripta,& quæramus, num quiſpiã Prohetarũ ſcripſerit hæc,quæ Simeon & Petrus de Chriſto concionantur. Inuenimus autẽ in Eſaia,capite octauo ita ſcriptum:Dominũ (Iehoua) Zebaoth ipſum ſanctificate,& ipſe pauor ueſter,& ipſe terror ueſter,& erit uobis in ſanctificationem:in lapidem autem offenſionis,& petram ſcandali duabus domibus Iſrael.In hoc loco nullum eſt dubiũ, quin Eſaias loquatur de uero,omnipotenti & æterno Deo,quẽ uocat Iehoua Zebaoth, hoc eſt, Dominum exercituũ.Simeon autem & Petrus interpretantur hunc locum Eſaiæ de Chriſto.Quare perſpicuũ eſt,quòd Chriſtus,teſte Eſaia, & interpretib. Simeone ac Petro,ſit Iehoua Zebaoth, Dominus exercituũ,uerus ab æterno Deus.In Matthæo cap.xi. Chriſtus ipſe citat locum Malachiæ de Ioanne baptiſta: Hic eſt,inquiens,de quo ſcriptũ eſt: Ecce ego mitto angelum meum,ante faciem tuã, qui præparaturus eſt uiam tuã ante te.Idem ſcribit & Marcus initio Euangelij ſui.Nõ eſt autem obſcurum,quòd Ioannes baptiſta miſſus ſit ante faciem Chriſti, & præparauerit uiam ante Chriſtũ. Quare, quod ex propheta Malachia dicitur:Ante faciem TVAM, & uiam TVAM, ante TE, intelligendum eſt de Chriſto.Redeamus igitur ad libellum ipſum Malachiæ,& uideamus quis hęc uerba dicat,& quomodo dicantur.Sic autem legitur cap. iij.Ecce ego mittam angelum meum,& præparabit uiam ante faciẽ meam.Et ſtatim ueniet ad templum ſuũ dominator,quem uos quæritis & angelus Teſtamẽti,quẽ uos uultis.Ecce uenit,dicit Dominus (Iehoua) Zebaoth.Primùm habes hic manifeſtè, ꝙ Dominus uerus Deus hæc uerba loquatur.Deinde, quod in Euãgeliſtis ſcribitur, Ante faciẽ tuã, hoc in Propheta dicitur,Ante faciem MEAM. Quæ cum ſint uerba Domini Zebaoth,ueri Dei,& ab Euangeliſtis de Chriſto recitẽtur et exponantur,profectò manifeſtum eſt, quòd teſtentur Chriſtum eſſe uerum Deum,Dominum Zebaoth. Accedit huc, quòd etiã in hoc Malachiæ loco duæ perſonę in una diuina natura haud obſcurè ſignificẽtur.Nam

De Chriſti uera & perpetua diuinitate teſtimonia.

hæc

hæc uerba:Ecce ego mittam angelum meum,& præparabit uiã ante faciem meam:loquitur Chriſtus,uerus Deus ac Dominus Zebaoth.Sed ne exiſtimemus,ꝙ quemadmodum eſt eiuſdem eſſentiæ cũ patre, ita etiam ſit eadem cũ Patre perſona,additur:Statim ueniet ad templum ſuum dominator,quem uos quæritis,& angelus Teſtamẽti, quẽ uos uultis.Hæc ſunt dicta de perſona filij, qui aſſumpſit hominẽ, & confirmauit teſtamentum ſeu pactum,quod Deus cũ Abrahamo inierat.Quare concionatur in hoc loco Malachias duo maximè omniũ de Chriſto obſeruanda: Alterum,quòd Chriſtus ſit eſſentia ſua unus cũ patre Deus: alterum, quòd Chriſtus ſit alia à Deo patre perſona. Itaꝙ cũ pater & filius ſint duæ perſonæ,unus tamen eſt uerus Deus Dominus Zebaoth. Ioannes euangeliſta capite duodecimo,admirãs ſtupendã incredulitatem Iudæorũ,allegat illud Eſaiæ capite ſexto:Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua.Et addit:Hæc dixit Eſaias,quando uidit gloriam eius(uidelicet Ieſu Chriſti,de hoc enim manifeſtè ſit ſermo) & locutus eſt de eo.Quis autem ignorat Eſaiã eo loco dicere, ſe uidiſſe Dominum (Iehoua)ſedentẽ ſuper ſolium excelſum & eleuatum,ac audiuiſſe Seraphim clamantes,Sanctus,Sanctus,Sanctus dominus Deus Zebaoth? Cum igitur Euãgeliſta clarè teſtetur, Eſaiam uidiſſe eo loco gloriam & maieſtatem Chriſti,quis nunc dubitaret,non ſolum Euangeliſtam, ſed etiam Prophetam ſenſiſſe Chriſtum eſſe uerum ſanctum illum Deum, Dominum Zebaoth,cuius gloria plena ſit omnis terra, per Euãgelion ſuum? Idem Euangeliſta deſcribens capite decimonono confoſsionem lateris Chriſti,allegat propheticũ dictum,& ait:Facta ſunt hæc omnia, ut ſcriptura impleretur, Videbunt in quẽ trãsfixerunt.Hoc autem ſcriptum eſt in Zacharia capite duodecimo. Quem locũ, ſi diligenter perpendas,manifeſtè uidebis eũ dici de uero Domino Deo noſtro. Sic enim ait Propheta: In die illa proteget Dominus (Iehoua) habitatores Hieruſalem. Et erit qui offenderit ex illis in die illa, quaſi Dauid, & domus Dauid,quaſi Dei,ſicut angelus Domini in cõſpectu eius. Et erit in die illa quærã conterere omnes gentes, quæ ueniunt contra Hieruſalẽ: & effundam ſuper domum Dauid,& ſuper habitatores Hieruſalem,ſpiritum gratiæ & precum. ET ASPICIENT AD ME QVEM CONFIXERVNT. Perſpicuum eſt, quòd illa uerba, Quæram conterere omnes gentes, &, Effundam ſpiritum gratiæ & precum,loquatur uerus Deus Dominus Zebaoth.Quare perſpicuum etiam eſt, quòd idem Dominus Zebaoth loquatur hæc uerba, Aſpicient ad me quem confixerunt.Euangeliſta autẽ interpretatur ea de Chriſto,& dicit in Chriſto impleta eſſe.Non eſt igitur dubium,quin Chriſtus, teſte Zacharia,& interprete ſpiritu ſancto in Ioanne,ſit uerus Dominus Deus noſter.Sed audiamus etiam teſtimonia Pauli,qui eſt electum Dei organon,qui non accepit nec didicit Euãgelion ſuum ab homine, ſed per reuelationẽ Ieſu Chriſti.Is in priori epiſtola ad Corinthios,capite decimo, ſcribẽs, Neꝙ tentemus,inquit,Chriſtum,ſicut & quidam illorum

tentauerũt,& à ſerpentibus extincti ſunt. Hic dicit Paulus,quòd Iſraelitæ tentauerint Chriſtum in deſerto. Moſes autẽ dicit,quòd tentauerint Dominum(Iehoua)hoc eſt,uerum Deum: Cur,inquiens, tentatis Dominũ? Et in Numeris capite decimoquarto: Dominus ipſe ad Moſen ait: Tentauerunt me iam per decem uices. An non ex hoc manifeſtũ eſt, quòd Chriſtus,teſte Moſe,& interprete Paulo, ſit uerus ille Deus,qui populum Iſrael ex Ægypto eduxit,& tot miracula in deſerto edidit? Idem Paulus ad Epheſios capite quarto,de aſcẽſu Chriſti in cœlum ſcribens,allegat illud è Pſalmo ſexageſimoſeptimo: Cum aſcendiſſet in altum,captiuã duxit captiuitatem,& dedit dona hominibus. Non eſt autem obſcurũ,quòd Pſalmus loquatur hęc uerba de uero Domino Deo Iſrael. Etenim Dominus,inquiẽs,habitabit in finem. Currus Dei, decẽ millibus multiplex,millia lætantiũ,Dominus in eis, in Sinai, in ſancto. Quem in his uerſiculis Pſalmus dixit Dominum Deum, ad hunc mox uertit ſermonem ſuũ, obſtupeſcens & admirans inſignem eius uictoriam ac triumphum: Aſcendiſti,inquiens,in altum,cæpiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus. Cum igitur Paulus doceat hęc de Chriſto dicta eſſe,manifeſtum eſt,quòd Pſalmus,imò Dauid, imò Spiritus ſanctus ſentiat, pronunciet ac promulget, Chriſtum eſſe uerum Dominũ Deum noſtrum. Quid autẽ de uera diuinitate Chriſti apertius dici poteſt,quàm quod Paulus ad Romanos capite decimoquarto ſcribit? Omnes,inquiens,ſtatuemur apud tribunal Chriſti. Scriptũ eſt enim: Viuo ego,dicit Dominus, mihi ſeſe flectet omne genu, & omnis lingua cõfiteatur ei. Quæramus ergo,in quo Propheta hoc ſit ſcriptũ. Ecce autem in medium procedit Eſaias, Chriſto Domino noſtro nõ ſolum ſpiritu, ſed etiam carne(uocat enim Chriſtum patruelem ſuum)coniunctus. In hoc Propheta Deus ita loquitur capite quadrageſimoquinto: Nũquid non ego Dominus,& non eſt ultrà Deus abſq; me? Deus iuſtus & ſaluans nõ eſt præter me. Cõuertimini ad me,et ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus,& nõ eſt alius. In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſticiæ uerbum,& non reuertetur,quia mihi curuabitur omne genu,& iurabit omnis lingua. Hactenus recitaui uerba ex Eſaia. Nihil autẽ certius eſt, quàm q; uerus Deus hæc uerba loquatur. Vnde & diſertè ait: Nunquid non ego Dominus, & non eſt ultrà Deus abſq; me? Quare manifeſtè docet, Chriſtum eſſe uerum Deũ,& præter hunc non eſſe alium Deũ. Fingant,eludant, peruertãt impĩ uerba ſcripturæ, quoquo modo uelint ac poſſint: certè hic locus Pauli de diuinitate Chriſti ex Eſaia tã apertus,tam clarus eſt,ut ſi agnoſcis autoritatẽ Pauli (Quis autem eã tam cœleſtibus ac diuinis teſtimoniis approbatam non agnoſceret?) neceſſe habebis fateri,& Paulũ & Eſaiam tribuere Chriſto diuinam naturã & maieſtatem. Epiſtola ad Hebræos cõfert in capite primo angelos cum Chriſto,& ait: Cum inducit primogenitum in orbem terrarum,dicit,Adorent eum omnes angeli. Hic uerſiculus continetur in Pſalmo nonageſimoſexto. Et manifeſtũ eſt,quòd hic Pſalmus propo

nat

nat dñs,ut habet Hebræus textus, ſeu angelis Dei, adorandum uerum Deum Dominum(Iehoua)à cuius facie montes ſicut cæra fluunt,et cuius aſpectu cõmouetur omnis terra. Apoſtolus autem exponit hoc de Chriſto,& docet Pſalmum iubere omnes angelos adorare Chriſtum. Docet igitur,Chriſtum eſſe uerum illum Deum,qui,cũ uidet, commoueatur terra,& mõtes fluãt ſicut cæra. Deinde addit Apoſtolus: Ad angelos quidem dicit,Qui creat angelos ſuos ſpiritus,& miniſtros ſuos ignis flammam. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, uirga rectitudinis,uirga regni tui: dilexiſti iuſticiam,& odiſti iniquitatem,propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo læticię præ cõſortib. tuis. Hoc ſcriptum eſt in Pſalmo quadrageſimoquarto. Et cũ Apoſtolus teſtatur,ſpiritum ſanctũ ſic alloqui Chriſtum, perſpicuũ eſt, quòd ſentiat Chriſtum eſſe uerum Deũ,cuius thronus ſit perpetuò durabilis. Et ne quis poſsit hoc cauillari, addit ex Pſalmo centeſimo primo: Initiò tu Domine terram fundaſti, & opera manuũ tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt,tu autem permanes,& omnes ſicut ueſtimentum ueteraſcent. Nõ eſt autem dubiũ,quin Pſalmus loquatur de Domino uero Deo,quemadmodum ex tota Pſalmi ſerie manifeſtum eſt. Quare cum Apoſtolus referat hoc in Chriſtũ,et interpretetur de Chriſto,nihil manifeſtius eſt, quàm quòd doceat Chriſtũ eſſe uerũ ab ęterno Deũ,creatorem cœli & terræ. Poſſem & alia id genus teſtimonia in medio ponere, ſed puto ex his quæ recitauimus, ſatis perſpicuum & firmũ eſſe, quòd uera & perpetua diuinitas Domini noſtri Ieſu Chriſti,nõ ſit humana ſuperſtitione excogitata, ſed Propheticis ſcriptis,iuxta Apoſtolicã interpretationẽ, per ſpiritum ſanctum clariſsimè tradita. Nõ ignoro quidem,Apoſtolicam autoritatẽ nihil habere ponderis apud Rabinos ludęorum,et alios impios: ſed quid ad nos uaniſsimi illi nugatores,& homines prorſus cęcati? Moſes iuſsit nos audire Chriſtũ, Chriſtus iuſsit nos audire Apoſtolos ſuos. His certè ita credendũ eſt,ut ſi angelus è cœlo aliud nos doceret, anathema haberi debeat. Poſtęą autem diuinitas Ieſu Chriſti filij Dei manifeſtè comprobata eſt,nõ poſſunt impij ea teſtimonia eludere, quę è ſacra ſcriptura de adoratiõe,dominatione,uiuificatione,iuſtificatione & fide in Chriſtũ habẽda,colligi ſolent. Nam ſi Ieſus Chriſtus natura uerus eſt ab æterno Deus,quẽadmodũ antè demõſtrauimus, perſpicuũ eſt, ą non ſit tantum ciuiliter, ut politicus Monarcha, ſed ſpiritualiter,ut uerus Deus adorãdus:& ą uiuificet ac iuſtificet,nõ ut miniſter ac ſeruus Dei,niſi ſi cõſideres eum iuxta humanitatem, ſed ut autor ac Deus ipſe, quemadmodum & Petrus uocat eum diſertè AVTOREM uitæ: quodą credendum ſit in ipſum, non ut in Prophetam hominem tantum, ſed ut in Prohetam uerũ ac æternum Deum. Longior fortaſsis fui,quàm temporis ratio ferat: ſed quæſo te,quis ſermo de maieſtate Chriſti ſeruatoris noſtri nimis lõgus piis eſſe queat? Angeli laudant eum continuata & perenni uoce,& pigeret nos una & altera hora in laude nominis eius cõmorari? Etſi autẽ inſtituimus hanc concionem Actu. 3.

maximè omniũ ad demonſtrãdam ueram diuinitatem Chriſti filij Dei, qui eſt ſecunda perſona in diuina natura: tamen quemadmodum ſuprà de Patre quędam diximus, ita adñciemus etiam pauca de ſpiritu ſancto, qui eſt tertia perſona, ne in explicãda diuinitate Chriſti, uideamur ſpiritum ſanctum è maieſtate diuinitatis deñcere. Poſtquam igitur oſtendimus Chriſtum filium Dei, eſſe uerum ab æterno Deum, eiuſdem eſſentiæ cũ Patre: nõ erit nunc difficile oſtendere, ſpiritum ſanctum eiuſdem eſſe naturæ, eſſentiæ & maieſtatis cum Patre & filio: hoc eſt, aliam quidem eſſe perſonam ſpiritus ſancti, ſed unum tantum eſſe Deum. Nam Chriſtus ipſe aſſumit ſpiritum ſanctum in maieſtatis ſuæ æqualitatem, cum ait: Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Et apud Ioannẽ ait: Cum uenerit ille, qui eſt ſpiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem. Nõ loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit loquetur (hoc eſt, nullum dicet mendacium, ſed certiſsimã ueritatem) & quæ futura ſunt, adnunciabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & adnũciabit uobis. In hoc loco, cũ Chriſtus affirmet ſpiritũ ſanctum de ſuo accipere, manifeſtè tribuit ei maieſtatis ſuæ æqualitatẽ. In Actis apoſtolicis, cum Petrus dixiſſet ad Ananiam, Cur impleuit Satanas cor tuũ, ut mentireris ſpiritui ſancto? mox addit: Non es mentitus hominibus, ſed Deo: apertè uocãs ſpiritum ſanctum, Deum. Paulus in poſteriori epiſtola ad Corinthios, cap. xiij. ait: Gratia Domini Ieſu Chriſti, & caritas Dei, & communicatio ſpiritus ſancti ſit cum omnibus uobis. Hic coniungit Paulus ſpiritum cũ Deo patre & filio, ſignificans ſpiritum ſanctum eiuſdem cum ipſis maieſtatis eſſe. Similiter in priori epiſtola ad Corinthios, cap. xij. Diuiſiones donorum ſunt, idem ſpiritus: et diuiſiones miniſteriorum ſunt, ſed idẽ Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, ſed idem Deus, efficiẽs omnia in omnibus. Adiungitur & hoc loco ſpiritus cum Deo Patre & Domino filio, ut doceatur, unam et eandem eſſe naturam ac maieſtatem Patris, filij, & ſpiritus ſancti. Et in eadẽ epiſtola capite vi. Neſcitis quòd corpus ueſtrum templũ eſt habitantis in uobis ſpiritus ſancti? Mox autem ſequitur: Glorificate iã Deũ in corpore ueſtro. Vides, quòd quem antè uocauit ſpiritũ ſanctum, eum ſtatim uocat Deũ? Eſaias ait cap. vi. Et dixit Dominus ad me: Vade dic populo huic, aure audietis, & non intelligetis. Etſi autem Eſaias utitur hoc loco uulgari nomine Domini, & nõ illo Iehoua, quod ſoli Deo tribui ſolet: tamẽ manifeſtum eſt, quòd intelligat uerum Deum. Quod igitur Eſaias adſcribit uero Deo, hoc Paulus adſcribit ſpiritui ſãcto: Bene, inquiens, ſpiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiã prophetã ad Patres noſtros, dicẽs: Vade ad populũ iſtum, et dic, auribus audietis, et nõ intelligetis. Iaq; manifeſtè ſignificat, ſpiritũ ſanctum eſſe uerum Deum. Adhæc ſcriptura tribuit ſpiritui ſancto potentiam & autoritatẽ creãdi, uiuificandi & regenerandi: idq; nõ ut miniſtro Dei, ſed ut Deo ipſi, qui ſit æqualis naturæ & maieſtatis cũ Patre & filio, quemadmodum è teſtimonijs modò recitatis manifeſtũ eſt. De creatione dicitur in Pſalmo

Spiritus ſanctus eſt Deus.

centeſimo

centesimo tertio: Emitte spiritum tuū, & creabuntur. Et apud Matthæum cap. i. Inuenta est Maria habens de spiritu sancto. Dictū enim erat: Spiritus sāctus superueniet in te, et uirtus altissimi obumbrabit tibi. Et in Psalmo xxxij. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis uirtus eorū. De uiuificatiōe habes in epistola ad Rom. cap. viij. Si spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, habitat in uobis, uiuificabit & mortalia corpora uestra per inhabitantē spiritum eius in uobis. De regeneratione dicit Paulus ad Titum cap. iij. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis spiritus sancti, quem effudit in nos opulētè per Iesum Christum. Quare cum spiritus sanctus sit creator, uiuificator & regenerator, manifestū est, quòd sit uerus ab æterno Deus, procedens quidem à Patre & filio, unius autem cū ipsis essentiæ & maiestatis, ut etsi tres sunt distinctę personæ, unus tamē solus sit uerus & æternus Deus. Reliquū igitur est, ut adoremus & inuocemus obediēti fide Dominum Deum patrem nostrum, per Iesum Christum filium eius, in spiritu sancto, & summas ei gratias agamus, ꝙ patefecerit nobis immēsam suam clementiam, ac donauerit nobis filium suum, ut cōsequamur per ipsum ueram & æternam salutem, qui est, ut iam planum fecimus, unà cum Patre & spritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA IIII.

EGRESSI sumus superioribus diebus extra hunc mundum, ad contemplandam maiestatem filij Dei, & cognoscendam diuinam eius naturam. Etsi enim filius Dei habitat unà cum Patre & spiritu sancto, lucem inaccessam, datur tamen diuina liberalitate pijs, ut in hac uita tantam huius lucis scintillam per uerbum Dei uideant, ac per fidem apprehendant, quanta ad euadendas mortis tenebras, & ad cōsequendū ueræ uitæ splendorem sufficit. Reuertamur igitur nunc ad nos in hunc mundū, & cum antè ex Ioanne didicerimus, quid natura sua sit VERBVM, seu filius Dei, discamus modò, quid filius Dei faciat, quæ sit operatio, quod sit officium eius. Non licet autem nobis de uniuersa eius actione, & omni officio, quo semper ab æterno apud Patrem suum functus est, disserere. Quis enim posset tantum mysterium captu suo comprehendere & explicare? De duobus tantum officijs eius dicemus, quæ ipse uoluit esse manifesta & decantata. Alterum est, quòd filius Dei omnia condiderit: alterum, quòd homines, assumpto homine, à peccatis & morte liberauerit, quorū illud Creationē uocant, hoc Recreationem uocare libet. De officio igitur, & opere creationis, Ioannes ait: Omnia per ipsum facta sunt, et sine eo factum est nihil, quod factum est. Hic primùm omnium considerari debet, quòd Ioannes doceat, mūdum nō fuisse ab ęterno. Etsi enim sapientes huius seculi, cōmenti sunt rationes quasdam, quibus probare conantur mundū fuisse ab æterno: tamē hę non sunt tam firmæ, ut possint sentētiam spiritus sancti, & certitudi-

Christi officia.

Mundus non fuit ab æterno.

titudinem uerbi Dei, de creatione mundi euertere. Hi enim sapiẽtes existimãt, nihil certius esse, quàm quòd ex nihilo nihil fiat. Itaq; senserunt, mundũ semper fuisse. Ac siquidem de humanis & naturalibus uiribus sermo est, certè uerissimum est, ex nihilo nihil fieri posse. Si autẽ assurgamus ad contemplandam diuinam potẽtiam, ibi tam facilè est Deo ex nihilo aliquid, q̃ ex aliquo aliquid facere. Vocat ea, inquit Paulus, quæ non sunt, ut sint. Quare fugienda sunt nobis commẽta humanę rationis de æternitate mundi, tenẽdum autem est firma fide, quòd de cõdito & creato mundo spiritus sanctus in scriptura tradidit. Deinde cũ Ioannes ait, Omnia per ipsum facta sunt, significat VERBVM seu filium Dei nec factum nec creatum esse. Si enim omnia per ipsum facta sunt, quomodo

Coloßen. 1

ipse esset factus aut creatus? Omnia, inquit Paulus, per illum, & in illum creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia per illum cõsistunt. Nam q̃ Ioannes maluit dicere, Omnia per ipsum facta sunt, q̃, Ipse fecit omnia: non significat, omnia facta esse per filium Dei, tanquam per seruum aut uilem ministrum, sed distinguit tãtum personam filij à persona Patris. Etsi enim una est assentia diuina, alia tamen est persona Patris, alia filij. Vnde & additur: Sine ipso factum est nihil quod factum est. Nam quẽadmodũ cum Christus aliàs dicit ad Apostolos, Sine me nihil potestis facere: docet se esse autorem omnis fructus, quẽ Apostoli prædicatione Euangelij allaturi sint, ita & hoc loco docemur, non solũ omnia per filiũ Dei facta esse, sed etiam ipsum Dei filium omnia fecisse, & crasse. Omnia enim facta sunt per ipsum, ut filium, & secundã personam in diuina natura. Omnia autem fecit, ut uerus Deus. Cęterùm, quòd nulla hic fiat mentio spiritus sancti, non idcirco fit, quòd spiritus sanctus nihil negocij habeat cum creatione rerum, sed quòd Ioannes susceperat tãtum describendum hoc loco officium seu actionẽ filij. Et tamen, cũ dicitur, Deum esse omnium rerum cõnditorem, intelligitur etiam spiritus sanctus. Pater enim, & filius, & spiritus sanctus, unus est Deus. Et Pater creauit omnia uirtute uerbi seu filij sui, ac firmauit ea sanctificatiõe spiritus sui. Itaq; & tres personę ad rerũ creationẽ conueniunt, & tamen unus tãtũ est creator, quia unus tantum Deus. Sed audiamus nunc, quæ sint illa

Coloßen. 1.

OMNIA, quæ per ipsum facta sunt? De hac re Paulus ita scribit: Per illum creata sunt omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, uisibilia & in uisibilia, siue throni, siue dominatiões, siue principatus, siue potestates. Quare nomine omniũ, comprehenduntur primùm, uisibilia quæ sunt, cœlũ, terra, & omnia quæ in his sunt. In principio, inquit Moses, creauit Deus cœlum & terram. Et in Psalmo: Tu initiò Domine terrã fundasti, & opera manuũ tuarũ sunt cœli. Deinde intelliguntur inuisibilia.

Psalm. 101.

Psalm. 103.

Hebræor. 1.

Hi sunt angeli, de quib. Psalmus ait, Qui facis angelos tuos, spiritus, & ministros tuos ignem urẽtem. Ac certum quidem est, angelos nõ fuisse ab æterno, sed à Deo creatos esse. Sacrę autem literæ nõ definiunt perspicuè, quãdo creati sint. Alij enim sentiũt eos creatos ante cœlũ, alij cũ cœlo, alij secundo die, postq̃ cœlũ conditũ esset. Et uidetur unusquisq;

Angelorum creatio.

Hebræor. 1.

probabiles

probabiles ſententiæ ſuæ coniecturas habere. Sed utcunque hæc ſe habeant, manifeſtum eſt, angelos à Deo conditos eſſe, non quòd Deus indigeret auxilio angelorum ad conſeruandam ſuam maieſtatem: ſed ut eſſent ſpirituales creaturæ, quæ bonitate Dei fruerentur, & ut eſſent ſpirituales cuſtodes hominũ, præſertim piorum. Omnes enim, inquit Apoſtolus, ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui in miniſterium emittuntur, propter eos qui hæredes erunt ſaluti. Et, Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in omnibus uijs tuis. Porrò, cum de creatione ſermo eſt, non ſic intelligenda erit, q̃ Deus condiderit initiò omnia, pòſt autem diſceſſerit à rebus conditis, & ſinat eas pro ſuo arbitrio ferri: ſed q̃ quæ condidit, ea etiam adminiſtrat & cõſeruat. Non enim, ut faber ædificata domo diſcedit, ita & Deus à condito mundo abit: ſed qua uerbi ſui potentia initiò omnia creauit, eadem & nunc percurrit omnia, & efficax erit, dum hic mundus finiatur. Naturam aiunt eſſe communem rerum omnium parentem, & omnia continẽtem: quæſo autem te, quid natura aliud eſt, quàm uis & efficacia uerbi Dei, qua ut initiò omnia ſunt creata, ita deinceps continentur & conſeruãtur? Nam, quemadmodum ſphæra, ſi quis eam impulſu agitauerit & protruſerit, tantiſper mouetur, dum terminum ſuum attigerit: ita omnes res uerbo Dei concitatæ & impulſæ, pergunt ſemper eò ire, quò præſenti adhuc & efficaci uerbo ducuntur. Vide mihi uerbum ac mãdatum hominis cuiuſpiam, amandantis ſeruum ſuum, exempli gratia, ad Romam, aut urbem Hieruſalem. Hoc enim mandatum non ſolum tunc efficax eſt in ſeruo, cum excitat ipſum, ut accingat ſe itineri, & commouet in ipſo manus ac pedes, quo egrediatur domum: uerumetiam efficax eſt in ſeruo, cum eſt in itinere, ut & progrediatur, & confecto negocio reuertatur: quanto maior eſt potentia & efficacia uerbi Dei, ut ſentiamus non tantum omnia initiò per ipſum condita eſſe, ſed adhuc adminiſtrari & conſeruari, præſertim cum uerbum Dei non ita in auras euaneſcat, ut hominis uerbum, & Deus nunquam ſeparetur à uerbo ſuo, ut homo. Quare quòd ſol & luna adhuc luceant, hoc inde adeò eſt, quòd uerbum Dei, quo dictum eſt, Fiant luminaria in firmamento cœli, ut luceant & illuminent terram, adhuc ſonet in ſole & luna: quod q̃ nõdum ceſſauit hominum generatio, acceptum ferendum eſt non humanæ uirtuti aut induſtriæ, ſed uerbo Dei adhuc efficaci, quo dictum eſt, Creſcite, multiplicamini, & replete terrã. Itaq̃ Verbum, quo initiò omnia ſunt creata, omnia adhuc continet & conſeruat, cõſeruabitq̃ unumquodq̃ pro ſua conditione & ordinatione. Pater meus, inquit Chriſtus, uſq̃ modò operatur, & ego operor. Et Paulus: In ipſo uiuimus, mouemur, & ſumus. Ac iterum: Moderatur omnia uerbo potentiæ ſuæ. In Matthæo quoque dicitur: Non ne duo paſſerculi minuto aſſe ueneunt, & unus ex illis non cadet in terram ſine Patre ueſtro? Veſtri uerò etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Et in Pſalmo: Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fœnum, & herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Quid ergo nos, inquies, faciemus? ſi Deus

Baſilius: νόησον ῥῆμα θεοῦ διὰ τῆς πίστεως τρέχον, καὶ τότε αὐξάμεν καὶ μέχρι νῦν ἐνεργοῦν, καὶ εἰς τέλος διεξιὸν, ἕως ἂν ὁ κόσμος συμπληρωθῇ.

Et iterum: Νόησον ὅτι θεοῦ φωνὴ φύσεως ἐστὶ ποιητική.

Ac rurſus: Ὁ θεῖος λόγος, φύσις ἐστὶ τῶν γινομένων.

Creationis uſus.

si Deus adhuc omnia administrat & conseruat, quid opus est nostra opera & labore? Ociabimur ergo, & quia frustra uigilat, qui custodit ciuitatem, nisi Dominus custodierit eam: & uanus est labor eorum, qui ædificant domum, nisi Dominus ædificauerit eam, nec ædificabimus nec conseruabimus ædificia & ciuitatem? Hic considerandæ nobis sunt causæ creationis rerum. Deus enim condidit, & conseruat creaturas, non ut nos ociemur, & cessatione torpeamus, nec, quòd ipse indigeat earũ ope & auxilio: sed primùm, ut homines admoniti admirabili illo opificio mundi, & pulcherrimo rerum ordine, assurgerent in cognitionem Dei cõditoris, & discerent intelligere aliquo modo maiestatem Dei creatoris. Inuisibilia Dei, inquit Paulus, uidelicet æterna potentia eius, & diuinitas, cõspiciuntur ab opificio mundi, animaduersa ex operibus. Et iterum: Deus non sinebat seipsum esse expertem testimonij, dum beneficia conferret, de cœlo nobis dans pluuias ac tẽpora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Quare Deus non sustentat creaturas, ut nos ignauia torpeamus, sed ut per eas maiestatem eius agnoscere discamus. Deinde administrat & conseruat eas, ut nostrum quisq; suum in cooperatione officium faceremus. In Genesi, tulit Deus hominem, quem creauerat, & posuit eum in paradisum, ut operaretur & custodiret illum. Quid? an non Deus ipse conseruare potuit Paradisum, nisi homo esset custos? Potuit, sed uoluit habere cooperatorem. Nam quemadmodum Christus, qui est caput Ecclesiæ, semper conseruat spirituali potentia Ecclesiam suam, & tamẽ exigit, ut ministri suam operam ad conseruationem Ecclesiæ conferant (Sumus Dei συνεργοι, hoc est, cooperarij, inquit Paulus. Et, Ego plantaui, Apollo rigauit) ita etsi in administratione huius mundi Deus potenter omnia agit & conseruat, requirit tamen, ut homines sint cooperarij eius, quò incrementum suum accipiant. Creauit enim terram, creauit agrum, creauit granum frumenti, & adhuc conseruat ea, ac facit, ut frumentum crescat in agro, sed quomodo, aut qua cooperatione? Non indiget Deus opera agricolæ, sed agricola indiget Deo, & necesse habet suum facere officium, ad quod à Deo uocatus & ordinatus est, ut colat agrum, & ut spargat sementem. Potest enim Deus non tantum sine opera agricolæ, uerumetiã sine agro frumentum creare: sed sic uisum est ipsi, ut quod sine hominibus creauit, per officium & laborem hominum fortunet. Nam quòd Ioab cum Syris pugnaturus, ad fratrem ait, Confortare & agamus uiriliter pro populo nostro, & pro urbibus Dei nostri, Dominus autem quod in conspectu suo bonum est, faciet: idem nobis in omnibus negocijs usurpandum est, uidelicet, ut nos nostrum officium & uocationem, omni qua possumus diligentia & industria faciamus, reliqua autem Domino Deo nostro permittamus. Quare & si Deus adhuc omnia conseruat & administrat, tamen quia uocat nos Deus ad cooperationem, uocationi Dei omnino obsequendum erit. Sed est adhuc quiddam, inquies, quod in hac creationis cogitatione sollicitum me torquet. Nam, si Deus omnia per uerbum suum creauit, nunquid etiam creauit peccatum? Minimê omnium. Quecunq; n. Deus

Creationis causæ.

Roman. 1.

Actorum 14.

Homo Dei cooperarius.

2. Paral. 19

Peccatum unde sit.

creauit,

creauit,bona ſunt. Vidit Deus,inquit ſcriptura,cuncta quæ fecerat, & erãt ualde bona.Peccatum autẽ malũ eſt. Quomodo igitur poſſet peccatũ à Deo creatum eſſe? Huc accedit ꝙ Deus odio habet iniquitatem, & nõ ſolũ uetat peccare, ſed etiam punit peccatũ tam externis quàm æternis ſupplicijs. Quare nihil minus poteſt Deo tribui, quàm creatio peccati. Omne quod eſt in mũdo, inquit Ioãnes,ueluti concupiſcentia carnis,& concupiſcentia oculorũ,& faſtus uitæ, nõ eſt ex patre. Vnde ergo eſt? Sequitur:Sed eſt ex mũdo.Sunt autẽ duo huius mũdi principes,quantum quidem ad hoc noſtrum inſtitutum attinet. Alter eſt homo,ad quem dictũ eſt:Replete terram,& ſubijcite eam,& dominamini piſcibus maris,& uolatibus cœli,& uniuerſis animãtibus quæ mouentur ſuper terrã. Alter eſt Satan,qui expugnato homine, factus eſt princeps mundi. Hic ergo Satã, qui initiò unà cũ alijs angelis, bonus à Deo creatus eſt,nõ permanſit in ueritate,ſed defecit ab ea,& factus eſt autor peccati. Ille,inquit Chriſtus,homicidia erat ab initio, & in ueritate non ſtetit,quia ueritas in eo non eſt. Cũ loquitur mendaciũ, ex proprijs loquitur,quia mẽdax eſt,atq; mendacij pater. Et Ioannes in epiſtola ſua: Qui peccatũ,inquit,committit, ex diabolo eſt, quoniã ab initio diabolus peccat. Porrò, Satã nõ fuit cõtẽtus excogitatione peccati, ſed quod ipſe malè excogitauerat,malè in hominem transfudit:ac effecit,ut, ipſo autore,peccatum etiam ex uoluntate hominis oriatur. Per unũ, inquit Paulus,hominem peccatum intrauit in mundũ. Itaq; Deus, qui natura bonus eſt,nõ eſt autor peccati:ſed Satã,bonus quidẽ à bono Deo creatus,malus autẽ ſua ipſius iniquitate factus,excogitauit peccatum. Quis autẽ nunc propter autorem peccati, non abhorreret à peccato? Quid enim Satana fœdius, quid turpius, quid eo abominabilius eſt? Multa quidẽ ſunt,quę nos à deſignando peccato abſterrere debent: primùm, ꝙ peccatũ Deo diſpliceat,& Deus peccato iraſcatur:deinde quòd Deus puniat peccatũ uarijs ſupplicijs in hoc ſeculo. Adde quòd puniat etiã peccatũ æterno igni. Sed etiãſi nulla alia cauſa exiſteret,tamen autor peccati,qui eſt Satã, tam fœdus,tam turpis eſt, ut uel propter hũc ſolũ honeſtus animus peccatũ uitare deberet. Quæſo te,finge mihi prædonem quendã,qui ex latrocinio adhuc ſanguinolentas manus habeat, in uitare te ad epulas, ſplendidè quidem apparatas, hominũ autem cæde partas,an non tale conuiuiũ maximo tibi horrori eſſet? an nõ ſtatim te è medio proriperes? Nõ eſt autem horribilior prædo,quàm Satã,cuius fœditas,etſi nõ patet oculis corporalibus, patet tamẽ oculis ſpiritualibus.Et is inuitat te ad ſuas epulas, cũ ſollicitat ad peccatũ. Quid igitur nõ horres? quid nõ fugis? Profectò,etiamſi peccatũ Deo & hominibus futurũ eſſet ſemper ignotum,tamen tãta eſt,ex autore, turpitudo eius, ut omnes meritò fugere debeant. At enim,ſi Deus nõ creauit peccatũ, ſed intrauit in hũc mundũ per Satanã & hominẽ, cur Deus tolerat peccatũ in regno ſuo? cur non pellit peccatum è finibus imperij ſui? Tanta certè eſt potentia eius,ut poſſet peccatũ uno momẽto è medio tollere,

1. Ioannis 2. *Mundi principes duo.* Ioannis 8. 1. Ioannis 3. *Satanæ turpitudo.* *Peccatum cur Deus toleret.*

nec tolerabit perpetuò tyrānidem peccati. Erit enim aliquādo in regno Dei, & inter filios eius, finis peccati et mortis. Sed quòd interim tolerat peccatū, in causa est, summa bonitas eius. Primùm enim, si ante centum aut mille annos sustulisset peccatum è medio, cessasset generatio hominum, & fuisset finis huius mundi. Quomodo igitur nos & posteri nostri, qui nondum eramus, consecuti essemus salutē? Itaq; Deus tulit hactenus peccatū in mundo, ut perdurante mundo, nostræ, ac eorum qui nos sequentur, saluti consuleret. Deinde, etsi peccatū natura sua est pernicies, tamen Deus tam industrius est, ut possit eo ad illustrandā gloriā nominis sui, & ad benefaciendū uti. Et quemadmodum Paulus ait, Vbi exuberauit peccatū, ibi magis exuberauit gratia: ita quo pernicioſius est peccatū, eo illustrior fit bonitas Dei, quæ malicia peccati optimè uti potest. Vide mihi peccatū fratrum Ioseph. Hi enim peccabant horribiliter, non inuidia tantum, sed etiā meditato homicidio, quod in iudicio Dei à perpetrato nihil differt. Et tamen Deus hoc peccato optimè usus est, ac uertit illud, ut scriptura loquitur, in bonum, ut seruaret populos multos. Quid peccato Iudæ proditoris potest dici sceleratius? attamen Deus hac occasione usus, imposuit Christo filio suo crucē & mortem, ut nos perpetuò seruaremur. Peccabimus ergo plurimum, ut bonitas Dei ualde illustretur, dicet quispiam? Hoc autē quid aliud est, quàm, si quis dicat, Vulnerabo pedē aut manū meā, ut industria medici probetur. Quid furioſius fieri posset? Nam, ut maximè peritus & industrius sit medicus, quid si, dum tu temerè uulnerares te, aut nō esset domi, aut uocatus nollet ad te curandum accedere? Sic maxima quidem est industria Dei, qua pessimo peccato optimè uti potest: nos tamen non debemus Deum tentare, sed peccatum fugere, & opera iusticiæ facere. Qui
Rom. 6. enim mortui sumus peccato, quomodo posthac uiuemus in eodem? Et
Ephes. 2. opus Dei sumus, conditi in Christo Iesu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Sectemur igitur conditionem nostram: & quia Deus non solum omnia initiò creauit, uerumetiā omnia adhuc præsens conseruat & administrat, non dubitemus, quin nobis per unigenitū filium suū reconciliatus, respiciat ac tueatur nos in omnibus aduersis, & deducturus nos sit per mortē ad ueram & sempiternā uitam, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto, Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA V.

CVM duo præcipua sint officia Domini nostri Iesu Christi, quorum alterum est creatio, alterum recreatio seu humanę salutis restauratio: de priori illo satis suprà, quantum ad institutum nostrum attinet, disseruisse uidemur. Nunc igitur ad explicandum posterius, diuina fauente clementia, aggrediemur. Initiò enim Deus omnia per filium suum creauit ualde bona. Inter quæ creauit & hominem ad suam imaginem & similitudinē, ac ornauit eum pulcherrimis, adeóque diuinis donis. Fecit eum iustum, sapientem, immortalem,

mortaiem,& perpetuò fœlicem: ſed ecce, quem Deus tanta maieſtate excoluit, eum paulo pòſt Satan ita ſeduxit,ut primùm quidem abiecto ſpiritu ſancto Dei, plus fidei adhiberet mendaciis Satanæ, quàm ueritati Dei: deinde uiolaret mandatum Dei, ac conijceretur per inobedientiam in conditionem mortis,& perpetuæ damnationis. Nec id uni tantum Adamo accidit, ſed omnibus etiam poſteris eius, qui ablato per peccatum ſpiritu ſancto, facti ſunt mancipia Satanæ, & filij gehennæ. Quanquam autẽ Deus potuiſſet optimo iure hominem in ſua internecione relinquere, miſeratus tamẽ tantũ caſum,tantamq; calamitatẽ eius,cum antè creauerat omnia per filium ſuum bona,uoluit etiam hominem iam à bonitate & ſalute ſua lapſum, per eundem filium ſuum recreare,atque à peccato & morte redimere,& iuſticiæ ac uitę reſtituere. De hoc igitur officio filij Dei,Ioannes nunc ſcribit,& ait: In ipſo uita erat,& uita erat lux hominũ,& lux in tenebris lucet, & tenebræ eã non apprehenderunt. Sunt qui hoc loco per uitam intelligant generaliter conſeruationem omnium rerum. Horum ſententia nõ eſt damnanda. Nam quemadmodũ per filium Dei omnia ſunt creata, ita etiam per ipſum omnia conſeruãtur, ut ſuprà dictũ eſt. Alij per uitam intelligunt ſpecialiter uitam omnium animantiũ. Nec horum ſententia reijcienda eſt. Vt enim omnia animantia ſunt initiò per filiũ Dei uiuificata, ita & adhuc uiuificantur,& in uita iuxta ſuã cuiuſq; conditionẽ conſeruãtur. Omnia,inquit Pſalmus, à te expectant, ut des illis eſcã in tempore ſuo. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam,omnia implebũtur bonitate:auertente te faciem,turbabuntur. Auferes ſpiritum eorum,et deficiẽt, et in puluerem ſuũ reuertentur. Quare piè docent,qui dicunt, uerbũ ſeu filium Dei eſſe omniũ animantium uitã & conſeruationem. Sed quia Ioannes deſcribit nunc recreationem & redemptionẽ hominis,quæ per filiũ Dei facta eſt, idcirco hoc loco per uitam aptius intelligitur uiuificatio,liberatio & redemptio à peccatis & morte. Poſtquã enim homo factus eſt Deo inobediens,& defecit per peccatum à bono ſuo creatore, non eſt in homine aliud,quàm mors & internecio. Quocunq;,inquit,die comederis ex eo,morte morieris. Porrò mortis nomine primùm intelligemus,docendi gratia,peccatũ, nõ ſolum craſſum illud & externũ,quod hominum oculis patet, ſed quod uocant Originale. Homo enim deſtitutus ſpiritu ſancto, obnoxius eſt ſpiritui Satanæ, qui cum totũ hominem occupet, & in ſeruitutem ſuã abducat, excitat in ipſo ignorationem Dei,contemptum Dei,incredulitatem,& omnia genera uitiorũ. Hæc eſt impietatis lerna, & prima mors, quam ſemper caro & ſanguis ſecũ in hoc ſeculo circumfert,& quæ tenet omnes homines captiuos. Vocant autẽ eam ſpiritualẽ. Deinde mortis nomine continetur corporalis mors,quæ eſt illius prioris ſtipendiũ, & cum omnes homines ſint peccato obnoxij, ſunt & huic corporali morti obnoxij. Poſtremò mortis nomine continetur æterna mors & internecio,cuius ianua eſt mors corporalis. Et quia omnes homines neceſſe habent corporaliter

Humanæ ſalutis reſtauratio.

Mortis duo genera.

poraliter mori, neceſſe etiã habent per corporalẽ mortem ingredi propter peccatũ in æternam mortẽ & internecionem. Itaque homo factus Deo inobediens, nihil aliud ab ineunte ſua ætate ſecũ circumfert, præter mortem, hoc eſt peccatum & perpetuum interitũ. Quid hac miſeria calamitoſius? Ad hunc certè modum tam infantes noſtros, quàm nos ipſos iam adultos conſiderare debemus. Nam cũ infantes offerũtur Eccleſiæ & baptiſmo eius, non eſt ſentiendum, infantes eſſe innocentes, et nulla peccati macula ſordidos. Ac ſunt, qui cõſpectis infantibus, optare ſolent, ſe tanta innocentia præditos eſſe, quanta infantes præditos putant. Rectè quidẽ illi, ſi id de externis peccatis ſentiũt. Nam quantũ attinet ad humanũ iudicium, & externa atq; craſſa illa peccata, infantes dici poſſunt innocentes. Nõdum enim peccauerũt in humanas leges, nec deſignarunt furta aut adulteria: in iudicio autem Dei, & quantũ ad peccatũ originale, quod uerè damnat eos qui non renati ſunt in Chriſto, attinet, tantũ abeſt ut infantes ſint natura ſua innocentes, ut quod ſcriptura dicit, Omnis homo mendax, & iterũ, Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens, nõ minus de infantibus, quàm de maioribus natu intelligendũ ſit. Quare oblato infante ad baptiſmum, cogitandũ eſt, eum obrutũ eſſe triplici morte, ſpirituali uidelicet, corporali ac perpetua: & tanto diligẽtius eſt Domino piis precibus commẽdandus, ut inſeratur corpori Chriſti, quanto magis egens eſt ueræ ſalutis. Nõ ſolum autem de infantibus, ſed & de nobis ipſis ſic cogitandum eſt, nimirũ q; quantum ad naturã noſtram attinet, circumferamus nobiſcum in ſinu noſtro ſemper hanc triplicem mortem, qua nobis meritò tam in hoc quàm in uenturo ſeculo pereundũ eſſet. Quæ cogitationes idcirco ſuſcipiendæ ſunt, partim ut agnoſcamus naturalẽ noſtrã impietatem, & compeſcamus carnalem noſtrã arrogantiam, qua homo nunquam non affectat Deus ipſe eſſe, & ex ſe habere ſalutem: partim ut impellamur ad inquirendam ueram uitam, qua ex omni genere mortis ſeruemur.

Infantes non ſunt ſua natura innocentes.

Vbi ergo inueniemus uerã uitam? Audi quid Ioannes dicat, In IPSO eſt uita. Nam in homine non eſt niſi mors. In IPSO autem, hoc eſt, in VERBO, in filio Dei, in Ieſu Chriſto Domino noſtro, eſt uita. Et quæ, obſecro, eſt illa uita? Primùm eſt, iuſticia. Hæc quidem uita, quam nunc iuſticiam uocamus, etiã in lege eſt. Qui enim fecerit ea, inquit, uiuet in eis. &, Propoſui tibi uitam & bonum, elige ergo uitam, ut tu uiuas, & ſemen tuum. Sed nullus unquam hominum potuit hanc uitam ex lege conſequi. Omnes enim peccauerunt, & non potuerunt præ peccato legi Dei perfectè ſatisfacere. In Ieſu autem Chriſto ſic eſt iuſticia, ut non ipſe tantũ ſit uerè & perfectè iuſtus, ſed etiam is qui in ipſum credit, cõſequatur in eo uerã & perfectam iuſticiam, ac participet eam. Filius enim Dei, ut natura iuſtus eſt, quia uerus Deus: ita poſtquam hominem induit, fecit omnem iuſtitiã diuinæ legis, cui ſic ſatisfecit, ut ne apicem quidem aut iota uiolauerit. Qui peccatũ, inquit Eſaias, non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Qua iuſticia & obedientia tantũ beneficiũ

Vita in Chriſto.

Leuit. 13.

Deuter. 30.

hominibus

hominibus à Deo patre ſuo impetrauit, ut quotquot in ipſum credunt, reputẽtur propter ipſum corã Deo tam iuſti & ſancti, quàm ſi ſuis ipſorum operibus diuinæ legi ſatisfeciſſent. Quod legi, inquit Paulus, impoſsibile erat, propterea quòd non poterat fieri per carnem, hoc Deus præſtitit, miſſo proprio filio in ſimilitudine carnis peccati, & per peccatũ damnauit peccatũ in carne, ut iuſtificatio legis impleretur in nobis. Etſi autẽ pĩ nondũ ſentiunt reipſa hanc iuſticiã, quam habent in Chriſto per fidẽ (nos enim ſpiritu ex fide, ſpẽ iuſticiæ expectamus. Et, Nunc filĩ Dei ſumus, & nondũ apparuit quid futuri ſumus) tamen ea ſic noſtra propria eſt, ut & ipſa in iudicio Dei conſtare queamus: ac non ſolũ in futuro ſeculo in nobis reipſa reuelanda ſit, ſed etiã in hoc ſeculo excitet in nobis, autore ſpiritu ſancto, obedientiã, qua bonos fructus iuſticię, quantum in hac carne poſsibile eſt, proferamus, et mortificato affectu carnis in nouitate uitæ ambulemus. Deinde in filio Dei nõ ſolum eſt uita ſpiritualis, quæ uocatur iuſticia, ſed etiã uita corporalis. Nõ loquimur autẽ nunc de ea corporali uita, quã in hoc externo ſeculo uiuimus, quæ & ipſa nobis datur per filiũ Dei, propterea quòd omnia per ipſum facta ſunt: ſed loquimur de ea uita, quam homo conſequitur per reſurrectionẽ à morte. Nam quemadmodũ Chriſtus filius Dei reſurrexit à mortuis, nunquam amplius moriturus: ita quotquot in Chriſtum credũt, reſurgent per ipſum cũ corporibus ſuis, incorruptibiles & immortales. Quemadmodũ per Adam, inquit Paulus, omnes moriũtur, ita & per Chriſtũ omnes uiuificabuntur, unuſquiſq; in ſuo ordine: primitię Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti in aduentu eius. Reſurgẽt & impĩ, ſed alius eſt finis reſurrectionis impiorũ, alius reſurrectionis piorum. Veniet hora, inquit Chriſtus, in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient uocẽ filĩ Dei: & prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis. In hoc quidẽ externo ſeculo uita corporalis quæri & ſuſtentari ſolet cibo & potu, aliquoties quæritur etiam medicinis. Etſi autem debemus pro humana neceſsitate & Chriſtiana ſobrietate cibũ & potũ capere, ac licet ordinaria medicina uti, tamen nõ poſſumus perpetuò his rebus uitã corporis conſeruare. Dies annorum noſtrorum, inquit Pſalmus, ſunt ſeptuaginta anni, aut ad ſummum octoginta: è quibus quod optimũ eſt, moleſtia eſt & labor. Fuerũt & prophetæ, Elias ac Elizeus, qui mortuos reuocarunt ad hanc uitã: ſed qui ſic excitabantur, non conſequebantur hac excitatione perpetuã in hoc ſeculo uitam. In ſolo autem VERBO, in ſolo filio Dei Ieſu Chriſto Domino noſtro, uera eſt uita: quippe quòd in ipſo mortui conſequentur uitã corporis, non caducam, ſed perpetuam. Ego ſum, inquit, reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiãſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternũ. Poſtremò, in filio Dei non eſt tantum perpetua uita corporis, ſed etiã ſumma & ſempiterna fœlicitas. Hæc eſt, quam propriè uitam uocant, qua impĩ non uiuent, etſi reſurgent. Soli autem pĩ,

Galat. 4.

Ioannis 5.

Pſalm. 89.

Idem ſcribit Herodotus in Thalia.

ὑγιαίνοντα δ' ἕτερα ζωῆς πλήρωμα οὐδεμιᾷ μιχρότητος προσεῖναι.

Fœlicitas ſumma in Chriſto.

qui in Christū crediderunt, uiuent, impijs omnibus perpetuò morientibus, hoc est, infœliciſsimè uiuentibus. Quid enim uita continēter infœlix, aliud est, quàm perpetua mors? Ac alij quidē in alijs rebus cōstantē quærunt fœlicitatē: hic in diuitijs huius seculi, ille in maiestate dominationis, iste in uoluptate corporis. Nullus autē unquam potuit in his rebus durabilē inuenire fœlicitatem. Ea enim est in solo filio Dei, Domino nostro Iesu Christo. Quare nihil prius nobis agendum est, quàm ut filium Dei, uerę uitæ, hoc est, iusticiæ, resurrectionis, & perpetuæ ac cœlestis fœlicitatis autorē & possessorē rectè per fidem cognoscamus, quò & nos hanc uitam in ipso consequamur. Nam quòd filius Dei non retineat hanc uitam suæ tantum personæ, sed communicet eam cū omnibus hominibus, qui eam agnoscere et accipere uolūt, Ioannes perspicuè explicat, cū ait: Et uita erat lux hominū. Hic enim obserua mihi, Ioannem non dicere, Vita erat lux Iudęorum, sed hominū, ut complectatur simul Iudæos & Gentes, circumcisos & incircumcisos. Filius enim Dei, Iesus Christus, etsi iuxta promissiones Patriarchis dictas uenit in hunc mundū, & assumpsit hominem è sola Abrahæ posteritate, non tamen pertinet tantum ad Iudæos, sed etiam ad Gentes. Item contrà, non solū Gentes, sed & Iudęi, quamuis legem & iusticiam eius habentes, indiguerunt luce filij Dei. Omnes enim homines quocunq; nomine uocentur, sunt natura sua TENEBRAE. Non est nobis nūc sermo de externis tenebris in humano corpore. nō enim oēs homines sunt corporaliter cæci. Nec est nobis sermo de tenebris humanę rationis in rebus huius seculi. Non omnes homines sunt, iuxta humanā rationē, in humanis negocijs stulti. Alij in administranda repub. alij in administrāda re priuata sapiunt. Alij sapiētes sunt philosophi, alij sapientes opifices. Est & sua quædam humanæ rationis lux, quam πρόληψιν uocāt, de Deo. Noticia enim quædā de Deo, naturaliter est insita menti, uidelicet quòd sit Deus, & q; sit ęternus, potens, sapiens, iustus, seruās iustos, & puniens iniustos. Notū etiā est naturaliter humanę mēti discrimen honestorum & turpiū. Hęc lux, etsi per se illustris est, & magnifacienda, tamē collata ad filiū Dei, obscurisimę & crassisimę sunt tenebrę. Primùm enim naturalis lux humanæ rationis de Deo & diuinis rebus, iacet oppressa & obscurata peccato originali, ut etiāsi nonnullā habeat cognitionē Dei, tamē detinet hanc ueritatē, ut Paulus ait, *in iniusticia*. Deinde humana ratio prorsus est ignara Euangelij de Iesu Christo, nec potest naturalibus suis uiribus excogitare & assequi, quòd Deus sit propitius propter Christū filium suū, his qui credunt in ipsum. Itaq; quantū attinet ad cognoscēdam & consequēdam uerā & certā salutē, ibi oēs homines natura sua sunt cęcitas & tenebrę. Quid enim est obscurius & tenebricosius mēdacio ac peccato? Omnis autē homo mendax. &, Omnes peccauerunt. &, Gentes, inquit Paulus, ambulant in uanitate mentis suæ, dum mentē habēt obtenebratā, propter ignorantiā quę in illis est, et excęcationē cordis eorū, ac paulo pòst: Eratis quondā tenebræ. Vides, homi-

Homines sunt tenebræ.

Ephe. 4.

Ephe. 5.

nes

nes natura ſua dici tenebras. Et quanꝯ hoc cognomẽ hominũ non extaret diſertè in ſcriptura, res tamẽ ipſa palàm declarat, homines natura humanę ſuæ rationis eſſe tenebras. Nullus enim hominum poteſt natura aut ratione ſua uidere ac perſpicere, ut ambulet in perfecta legis obedientia, & legi uerè ſatisfaciat. Nullus item hominũ ratione ſua uidere poteſt, Deũ etiam nihil meritis eſſe clementẽ, propter Chriſtũ filiũ ſuum. Adhæc nullus hominũ natura ſua perſpicere poteſt, ut ambulet illæſus & ſaluus per mortẽ. Nam mors multo tenebricoſior ſpecus eſt, ꝯ ut homo queat per illum luce rationis ſuæ penetrare. Et ut breuiter dicã, nullus hominũ poteſt ſua induſtria euadere tenebras infœlicitatis, & ad claritudinẽ fœlicitatis peruenire. Quid igitur aliud reliquum eſt, ꝯ hominẽ eſſe ſummã caliginẽ, & craſsiſsimas tenebras? Solus aũt filius Dei, qui eſt uera uita, lux eſt hominum. Lucet enim omnibus his qui credũt in ipſum, ad perfectã iuſticiã, & plenã legis ſatisfactionem: propterea ꝙ clementer donet illis ſuã ipſius iuſticiam, quæ eſt perfecta & abſoluta: ac ornat quoque eos ſpiritu ſancto, ut faciãt opera iuſticiæ: quæ etſi per ſe non ſunt perfecta, nec placant iram Dei, tamẽ ſunt Deo grata propter Chriſtũ, qui ſuam illis perfectam iuſticiam donat. Deinde lucet ad conſpiciendas latebras animi Dei, & illuſtrat eas, ut cognoſcamus, ꝙ etſi lex nos maledicit, & pronũciat nos reos perpetuæ damnationis: tamen Deus complectatur nos ſummo fauore propter Chriſtũ, & uelit nos propter ipſum ſeruare. Deũ, inquit Ioãnes, nemo uidit unquã, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Præterea lucet per mortẽ ad uerã uitã, & fœlicitatẽ. Quid hac luce ſuauius? quid iucundius? Adhibeamus igitur ſtudiũ, ut hæc lux in nobis accendatur, & accenſa conſeruetur. Sed ubi, inquis, inueniam hanc lucem, aut quid faciam ut in me accendatur? Num conſcendam in cœlũ, aut peregrinabor trans mare, ut inueniam eam? Nõ neceſſe habes magnũ peregrinationis laborẽ ſuſcipere: ſed prope te lucet, in hac terra. Sequitur enim. Et lux in tenebris lucet. Quæ ſunt ergo hæ tenebræ? Ioãnes ſua quadã phraſi intelligit hoc loco per tenebras, hunc externũ mũdum, & homines qui in eo ſunt. Poſtꝯ enim homo peccauit, Satã factus eſt princeps huius mundi: & cum hic dicatur etiã princeps tenebrarũ, manifeſtum eſt, hunc mundũ rectè uocari Tenebras. Sunt & homines prꝯipua huius externi mundi pars, qui cũ ſint peccato excæcati, nec uideant ſua ratione uerã uitam & lucem, rectè & ipſi dicuntur Tenebræ, quemadmodum ſuprà oſtendimus. Quare cum Ioãnes dicit, lucẽ in tenebris lucere, ſentit filium Dei lucere, hoc eſt, reuelatũ eſſe, ac prædicari & illuſtrari in hac terra, in hoc mundo, inter homines huius ſeculi. Nõ eſt autem ſentiendum, ꝙ hꝯc lux tunc primùm incœperit lucere in hac terra, cum aſſumpſit hominẽ. Vidimus quidem tunc gloriam, tanquam unigeniti à patre: uidimus præſentẽ eius maieſtatem, cũ aſſumpto homine, illuſtraretur doctrina, miraculis, reſurrectione, aſcenſu in cœlũ, et diuulgatione Euangelij in totũ orbem terrarum: attamen luxit etiam ſuo quo-

Deuter. 30.

dammodo in terris, inter homines, anteq; assumpsit hominem. Nam quẽadmodũ, si accẽderis lucernã, non protenditur lux eius ad unã tantũ aeris partem, sed spargitur circunquaque, in longinquum etiam, ut omnia loca circũ circa illustrentur: ita postq; Deus in animo statuit emittere suo tempore filiũ suũ, ut fieret homo ex muliere, accẽsa est cœlestis lucerna, quæ non hoc tantũ tempore spargit lucem suam prędicatione reuelati Euangelij, inter huius seculi homines, sed incœpit lucere promissionibus et uaticinijs, iam inde ab initio huius mũdi. Filius enim Dei reuelatus est Adæ, & prædicatus in familia eius: Semẽ mulieris, inquit Dominus, conteret caput serpentis. Hoc est Euãgelion, quo filius Dei, qui est uera lux, manifestatus est in hoc mũdo, & luxit in tenebris, in familia Adæ, & inter posteros eius. Deinde hæc lux clarius reuelata est ea promissione quæ dicta est ad Abrahamũ, In semine tuo bñdicentur oẽs gentes terræ. Cũ aũt hæc promissio nõ constiterit in familia tantũ & posteritate Abrahæ, sed fama eius peruenerit etiã ad alias gentes, quid hoc aliud fuit, quàm lucẽ in tenebris lucere? Postea luxit eadẽ lux promissionibus ad Dauidem dictis, & per prophetas illustratis. Quæ promissiones nõ in Iudæa solũ publicè tractabantur, sed uulgebãtur etiã in exteras nationes, pręsertim ijs tẽporibus, quo Iudęi dispergebantur exilio Assyriaco & Babylonico in uarias totius orbis terrarũ regiones. Itaq; uerè dicitur, q̃ et ijs temporibus lux in tenebris luxerit. Sed maximè & clarissimè omniũ illuxit eo tẽpore, quo ueniens in hũc mundũ, assumpsit hominẽ, & prędicauit Euãgelion suũ, ac editis magnis & stupẽdis miraculis, expiauit peccata nostra morte sua: deinde resurgẽs è mortuis, & sedẽs ad dexterã Dei, uulgauit Euangelion suũ per Apostolos, in uniuersum mundum, inter omnes homines, siue Iudæos siue Gentes, siue circũcisos siue incircumcisos. Ite, inquit, in uniuersum mũdum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Et iterũ: Eritis mihi testes, non solũ Hierosolymis, uerumetiã in uniuersa Iudæa, Samariaq;, deniq; ad extrema terræ. Quod aũt Christus futurũ affirmat, hoc Paulus testatur sua etiam ætate impleri. Non dimoueamini, inquiens, à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatũ est apud uniuersam creaturam, quę sub cœlo est. Ac rursus: An non audierunt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorũ. Quæso te, quid hoc aliud est, quam lucem in tenebris lucere? Non est igitur opus, ut ad hanc lucem inuestigandã, in hoc splendidum et illustre cœlũ conscendas: sed inuenies eam in tenebris huius terræ, in hoc mundo, inter homines huius seculi. Nã quemadmodũ ab initio luxit in terra promissionibus, ita nũc lucet diuulgatione Euangelij inter omnes gentes: quæ, ut suprà dictũ est, tenebrarũ nomine ueniunt. Videamus autẽ, quomodo tenebræ, hoc est, Gẽtes, seu homines comparauerint sese ad hanc lucem excipiendã. Sequitur: Et tenebræ eam non apprehenderunt. Rem admirabilẽ. Lux luxit in tenebris, filius Dei reuelatus est Euãgelio suo hominibus in terra, ut discuteret cæcitatem eorũ, & adduceret eos ad

Coloß. 1.

Roman. 10.

cœlestem

cœleſtem ſplendorem: ſed ecce, tenebræ non apprehenderunt lucem. hoc eſt, homines ſemper faſtidierunt & abiecerunt lucẽ, & quod horribilius eſt, etiam cõdemnarunt & perſecuti ſunt eã. Etſi enim pauci quidam pij exceperunt hanc lucem gratiſsimo animo, et conſecuti ſunt per eam omnia cœleſtia bona: tamen tanta ſemper fuit et eſt multitudo impiorum & faſtidientium hanc lucem, ut prę maxima illorum turba, pij in nullo numero reponantur. Hæc lux lucebat in familia Adę: ſed tenebræ; hoc eſt, Cain & poſteri eius, qui ſoli uidebantur homines, & hęredes terrę, non apprehenderũt eam. Hęc lux lucebat in familia Abrahę, & inter Gentes: ſed nec Iudæi nec gentes apprehenderunt eam. De Iudæis Stephanus dicit: Quem prophetarũ non ſunt perſecuti patres ueſtri, & occiderunt eos qui prænunciabant de aduentu iuſti illius? De gentibus autem, quòd ſectatæ ſint idola, manifeſtius eſt, quàm ut nunc pluribus commemoretur. Hæc lux lucebat in Iudæa & Galilæa, quando Chriſtus ipſe, qui erat ille lux, prædicauit Euangelion. de quo & Eſaias ait: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnã, habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Sed hanc lucẽ tanto odio proſecuti ſunt, ut etiam Chriſtum ipſum crudeliſsimè occiderint. Hæc lux lucebat poſtea per diuulgationẽ Euangelij tam inter Iudæos, quàm inter Gentes, in toto orbe terrarum. Sed quid multa? Tenebræ non apprehenderunt eam. Nec Iudæi nec Gentes acceperunt filiũ Dei fide ſua, ſed tantũ impetum ad opprimendã lucem Euangelij fecerunt, perinde ac ſi incendium totius orbis reſtinguendum eſſet. Lucet & hoc tempore lux in tenebris. Sed ut tenebrę nec ſuperioribus ſeculis, ita nec nũc apprehendunt lucẽ. Quid enim dicam de Iudæis, de Turcis, de Saracenis, qui ex profeſſo ſunt hoſtes Chriſti? uide mihi, inter ipſos Chriſtianos, quot Euangelion contemnunt, quot etiam perſequuntur? Stat enim ſententia Ioannis, imò ſpiritus ſancti, Tenebræ eã non apprehendunt. Ecquid, obſecro, cauſæ eſt, quòd hic mundus, tenebræ, aut homines, tanto faſtidio abijciant filium Dei, qui tamẽ eſt uera lux & ſalus noſtra? Non eſt difficile cauſam huius rei intelligere. Primùm enim, filius Dei non eſt lux corporalis, ſed ſpiritualis & cœleſtis. Animalis autem homo (quales ſunt omnes gentes natura ſua) non percipit ea quæ ſunt ſpiritus. Deinde, Satan factus eſt propter peccatum, princeps huius mundi, & gerit irreconciliabile bellum aduerſus filiũ Dei. Quare totis uiribus, quantus quantus eſt, enititur, ut ſenſus hominum excæcentur, ne illuceſcat ipſis lumen Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei, quemadmodum Paulus ait. Cum autem inſtitutum Satanæ non ſit nobis ignotum, & nos clemẽtia Dei facti ſimus filij lucis, non offendamur craſsicie tenebrarũ, nec dimoueamur de agnitione filij Dei, impiorum multitudine & magnitudine: ſed pergamus conſtanti fide in hac luce ambulare, ut in ſplendorem perpetuæ fœlicitatis penetrare queamus, per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen. *1. Corinth. 2.*

Magna

HOMILIA VI.

MAGNA sunt, & præclara, ac planè cœlestia, quæ Euãgelista hactenus de filio Dei docuit. Nõ est autem contentus, maiestatem filij Dei simpliciter exponere, sed confert eum nunc cum præcipuis heroibus, qui post Patriarchas, quibus Christus promissus est, in populo Dei fuerunt. Etsi enim nullus unquam hominum fuit, aut erit, qui possit meritò cum Christo conferri, & qui idoneus sit, quemadmodũ rectè affirmat Baptista, ut soluat corrigiam calceamenti Christi: tamen, cum uera cognitio Christi sit nostra iusticia & salus, confert Euangelista Christum cum præstantissimis omnium Sanctorum: ut ex hac collatione maiestas Christi illustrior reddatur, & ut perspicuè intelligamus, quantum sit discrmen inter Christum & alios homines, quanta uis sanctitate & excellentia admirabiles. Fuerunt autem post Patriarchas duo magni heroes, qui in populo Dei tantam autoritatem habuerunt, ut unusquisque eorum à nonnullis habitus sit uerus ille Seruator & redemptor, qui Patriarchis promissus erat. Horum alter fuit Moses, alter Ioannes baptista. Quid ergo? dices: An non fuerunt & alij multo his illustriores heroes tam inter Iudæos quàm inter Gentes? Quid desideras in Dauide? Quid in Elia? Quid in Esaia? Inter Gentes autem, quot obsecro numerantur potentissimi Monarchæ, & sapientissimi Philosophi? Rectè dicis: Fateor multos præstantissimos fuisse heroes inter Gentes & Iudæos: sed qui fuerunt inter Gentes, hi etsi habuerũt sua quędam dona Dei, suáq; commendatione digni sunt, tamẽ potentia & sapientia eorũ non profuerunt ad alia, quàm ad commoditatẽ huius corporalis uitę, et ad negocia huius externi ac interituri seculi, nec attulerunt hominibus aliquam uerã, certam & firmam salutẽ. Huc accedit, quòd Gentes erant, ut Paulus ait, extranei à testamentis promissionis, spem nõ habentes, Deoq; carentes in mundo. Soli autẽ Israelitæ erant populus Dei. Non fecit taliter, inquit Psalmus, omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Ac iterũ: Tãtummodo uos cognoui, ex omnibus nationibus terrę. Quare etsi fuerũt excellentissimi heroes inter Gentes, tamen non habẽt locum inter eos, qui hominibus attulerunt uera & cœlestia beneficia. Inter Israelitas autẽ, Dauid & Prophetæ fuerunt quidẽ magni & excellentes uiri, non superarunt tamẽ autoritate sua Mosen: quippe quòd Dauid rex necesse habuit Mosen omnibus diebus uitæ suæ, pręceptorẽ suũ agnoscere. Describet, inquit, sibi Deuteronomiũ legis huius, in uolumine, & leget illud omnibus diebus uitæ suæ. Prophetæ autẽ fuerunt Mosi interpretes, nec instituerũt uel noua religionis sacramenta, uel nouã in populo Dei πολιτειαν: sed tantũ ea quæ per Mosen instituta erant, doctrina sua tuebantur. Soli uerò hi duo, Moses & Ioãnes baptista, instituerunt noua in populo Dei. Moses enim instituit ecclesiasticã & ciuilem politiã in Israel: Baptista instituit concionẽ Euãgelij & baptismũ. Ac tanta fuit autorias eorum,

Heroes Mõses & Baptista.

eorum, ut primùm Moſes, quia liberauit Iſraelem ex Ægypto, & per duxit eos ſaluos per mare rubrum, ac tulit eis diuinam legẽ, & dedit ipſis Manna in deſerto, habitus ſit uerus ſeruator. Sic enim Chriſtus ait: Eſt qui accuſat uos Moſes, in quo uos ſperatis. Deinde, quia uiderunt Ioannẽ baptiſtã maxima ſanctitate pollere, putauerunt & hunc eſſe uerũ ſeruatorem ac Meſsiam. De alijs uel regibus uel prophetis, nihil tale conſtanter creditũ fuit. Quare Euangeliſta producit nunc hos duos in mediũ, & opponit eis Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum, ut cognoſcamus, quòd non illi duo, ſed hic ſolus ſit uerus filius Dei, Seruator & Meſsias noſter. Ac poſtea quidẽ confert Euãgeliſta Moſen cum Chriſto, cũ ait: Lex per Moſen data eſt, gratia et ueritas per Ieſum Chriſtum exorta eſt. Nunc autẽ confert inter ſe Ioannem baptiſtam & Chriſtum, ſic inquiens: Erat homo miſſus à Deo, cui nomen Ioannes. Hic uenit ad teſtificandum, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederẽt per ipſum. Non erat ille lux illa, ſed miſſus erat, ut teſtaretur de luce. Dicet enim quiſpiam: Tu tribuis omnia Ieſu filio Mariæ, facis eum æternum Dei uerbum aut filiũ, rerum omnium creatorem, uitã & lucem hominum. Quid ergo ſentiendum eſt de Ioanne baptiſta? an non & is pro Meſsia habitus eſt? Cui autẽ adſcribitur honor Meſsiæ, huic certè adſcribenda quoq; erit ea maieſtas, quam tu hactenus tribuiſti Ieſu filio Mariæ? De hoc reſpõdet nunc Euangeliſta, cuius reſponſionis hæc eſt ſententia: Fateor, Baptiſtã fuiſſe inſignem uirum, & diuinitùs miſſum, non tamen fuit uerus ſeruator & Meſsias: magnus fuit, non tamẽ maximus: illuſtris fuit, non tamen lux ipſa: heros fuit, non tamen Deus ipſe: miſſus quidem à Deo, non tamẽ ut autor & magiſter, ſed ut miniſter ſalutis. Fuit, inquit, homo à Deo miſſus, cui nomen Ioãnes. Videamus igitur, quibus argumẽtis perſpicuũ fiat, q; Ioannes baptiſta fuerit à Deo miſſus. Nam cum plurimũ ſit ſitum in teſtimonio eius, quod perhibuit Ieſu filio Mariæ, uocatio eius debet eſſe probè cõfirmata. Ac primùm teſtatur archangelus Gabriel oraculo ſuo, q; uocatio Baptiſtę ſit diuina. Erit, inquiens, magnus coram Domino, & ſpiritu ſancto replebitur iam inde ab utero matris ſuæ. Deinde idẽ confirmat miraculũ obmuteſcẽtiæ, qua Zacharias pater Baptiſtæ punitus fuit, propterea quòd nõ adhibuerat fidem cœleſti oraculo. Accedit mox & aliud miraculũ, quòd etſi Zacharias pater Baptiſtę fuit ſenex, & uxor eius ſterilis ac prouectæ ętatis, diuina tamẽ clementia factũ eſt, ut Elizabeth è Zacharia, anus è ſene, Baptiſtã cõciperet. Eſt & hoc inter miracula ponendũ, quòd Baptiſta exultauerit prę gaudio in utero matris ſuę, poſtq; Maria iam Chriſto pręgnãs, ſalutaſſet Elizabethã: deinde cũ natus eſſet Baptiſta, lingua Zachariæ iterum ſic ſoluta eſt, ut ſtatim prorumperet in laudẽ Dei, & impleretur ſpiritu ſancto. Hæc certè tam conſpicua fuere miracula, ut omnes finitimi, qui fuerunt horũ miraculorum teſtes, confeſsi ſint, Baptiſtam diuinitùs miſſum eſſe. Quod autẽ in infantia eius inchoatũ erat, hoc poſtea ipſe, cũ adoleuiſſet, tantis uirtutibus, & tam admirabili uitæ ſuæ ſanctitate

" *Collatio*
" *Chriſti & Baptiſtæ.*

Ioannis Baptiſtæ uocatio diuina.

tate ita confirmauit, ut iam non tantum insignis quispiam uir, sed etiam Messias haberetur. Etsi uerò imperiti homines nimiũ tribuebãt Baptistæ (humanũ enim ingenium nunquam ferè mediocritatẽ seruare potest) hoc tamẽ satis luculẽtum est testimoniũ, ꝙ uocatio Baptistę fuerit diuina. Quæ cũ ita se habeant, uideamus nũc, in quẽ usum, & ad quod officium missus ac uocatus sit Baptista. Num missus erat ut ipse esset uerus Messias? Nihil minus. Nõ erat, inquit, ille lux uera, sed missus erat ad testificandũ, ut testaretur de luce, quò omnes crederent per ipsum. hoc est, Baptista uenit, non ut esset ipse Messias, sed ut esset testis & minister Messiæ, quò homines per testimoniũ & ministeriũ eius agnoscerent uerũ Messiam, & crederent in ipsum. Quid ad hęc dicemus? Num Christus tam egẽs autoritate fuit, ut necesse habuerit testimoniũ ab homine petere? De hac re nihil opus est, ut nos multa uerba faciamus, sed audiamus Christum ipsum, qui apud hunc Euangelistam cap. v. ita ait: Vos misistis ad Ioannem, & is testimoniũ reddidit ueritati. Ego autem non accipio testimonium ab homine, sed hæc dico, ut uos salui sitis. hoc est, Ioannes missus est, ut testimonium perhiberet de me, non quidem propter me, aut ꝙ ego aliena autoritate indigerẽ (habeo enim testimoniũ maius testimonio Ioannis. Opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiã ea, testificantur de me, ꝙ Pater miserit me) sed missus est, ut testimoniũ diceret de me, propter homines, ut excitati testimonio tam sancti uiri conciperent uerã fidẽ, & consequerentur salutẽ. Nec fuit alienum ab instituto Christi, ꝙ nõ dedignatus est uti testimonio hominis. Nã si propter nos assumpsit hominẽ, & non abhorruit nec à cruce nec à morte, quę sunt humanorũ peccatorum supplicia, quomodo abhorruisse à testimonio hominis, quod modò aliquid ad nostram salutẽ faceret? Cętera hìc ex hoc loco discendus est uerus usus Sanctorũ, ne de ipsis plus ꝯ par est sentiamus. Etsi enim Apostoli dicuntur aliàs Lux mũdi, & Ioannes, Lucerna ardens, adeoꝙ omnes in Christũ credentes uocantur Luminaria. Lucete, inquit, tanꝯ luminaria in mũdo. Et lux estis in Domino: tamẽ ex hoc loco interpretandũ est, ꝙ Sancti non sint uera lux, nec sit ipsis tribuẽda maiestas Messiæ, sed ꝙ tantũ sint indices & testes ueræ lucis, ac ministri & doctores ueri Messiæ. Nã, si de Baptista, quo tamen non est maior exortus inter natos mulierũ, scriptum est, Non erat ille lux, sed missus erat ut testaretur de luce, & ut omnes crederẽt per ipsum, hoc est, ut testimonio eius excicati, fidẽ Christo adhiberẽt: multo magis de alijs Sanctis sentiendũ est, ꝙ non sint uera lux, uec transferendũ sit in ipsos proprium officium & maiestas ueri Messię. Maiestas autem Messiæ est, ꝙ sit patronus noster corã Deo, ꝙ sit reconciliator noster, ꝙ sit seruator in morte, adeóꝙ adiutor in summis dolorum inferni necessitatibus. Nullus igitur Sanctorũ inuocandus est ut patronus, ut reconciliator, ut seruator & adiutor in morte: sed quicquid hoc est bonorũ, à solo Iesu uera luce & Messia expectandũ est. Habent quidẽ Sancti suam laudẽ, & faciẽda est mentio eorum in Ecclesia honestissimè, is autem

Baptistæ officium.

Sanctorum usus.

Philip. 2.

Ephe. 5.

autem honor qui ad solum Christum pertinet, non est ipsis tribuendus. Maiores nostri proposuerunt pueris suis imaginem quandã extremi iudicij, ac pinxerunt Christũ sedentem in iride, Mariam & Ioãnem baptistam astantes, Apostolos autem assidentes. Certè qui uerã Christianæ doctrinæ cognitionẽ habuerũt, nõ senserunt uel tam crassum fore spectaculum extremi iudicij, uel Mariã aut Ioãnem baptistam aut Apostolos esse patronos corã tribunali summi iudicis: sed significare uoluerũt, ꝙ is solus sit uerus iudex noster, qui natus est ex Maria, & de quo Baptista testatus est, Iesus Christus: quòd et iudiciũ pronunciabitur, nõ iuxta leges uel Mosaicas uel Romanas, sed iuxta Euangelion, quod Apostoli prædicauerunt, ut quicũqꝫ credidit, cõsequatur salutem: qui aũt nõ credidit, condẽnetur. Cum igitur in hoc Euãgelio, quod Apostoli adnunciarunt, Christus prædicetur patronus, recõciliator & seruator omniũ credentium in ipsum, manifestum est, eundẽ Christum esse & iudicem & patronum fidelium suorum, nec ullum aliũ patronum è sanctorũ numero adoptandũ esse. Porrò, postquã Euãgelista exposuit officiũ Ioannis baptistę, reuertitur ad descriptionẽ Christi: Erat, inquiens, lux illa, « lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundũ. «

Iudicij extremi pictura.

Hoc est: Ioannes baptista nõ est uera lux, sed Verbũ illud, quod est ęterni Dei æternus filius, per quem omnia condita sunt, & qui assumpto homine uenit in hunc mundum, uera est lux, quæ non sibi tantũ lucet, sed illuminat omnes homines in toto mundo. Quid hoc rei est, inquies? Si Christus illuminat omnes homines, cur tot sunt impij? cur tot scelerati? cur tot sempiterna internecione pereunt? Sunt, qui per hanc lucẽ Christi, intelligũt naturalẽ lumẽ humanę rationis, omnibus hominibus diuinitùs concessum: quo homines cognoscant illa, quorũ scientia perduceret eos ad fœlicitatẽ, si exequerẽtur. Etsi autẽ lumen naturalis rationis, diuinũ est donũ, & habet cognitionem quandã Dei: tamen natura sua prorsus ignorat Christũ seruatorẽ, et homo peccato originis ita fractus est, ut nec ea quæ ratione sua de Deo cognoscit, exequatur. Cũ Deum, inquit, cognouerint, non ut Deũ glorificauerunt. Quare Euãgelista nõ intelligit per hãc lucẽ, humanam rationem: quin potius cum dicit, Christum illuminare omnem hominẽ, ut non sentit omnes homines habere natura sua perfectam scientiã perueniendi ad fœlicitatem: ita nec sentit, omnes homines in toto orbe terrarũ fieri pios, & seruari, sed primùm reprehendit & dãnat eorum opinionẽ, qui sentiebant Christũ pertinere tantũ ad Iudæos, & ad eos qui susciperent Iudaismum. Etsi enim manifestæ erant promissiones in Prophetis, ꝙ Christus esset etiã gentium seruator: Iudæi tamen putabant, gentes non seruari per Christũ, nisi susciperent circumcisionem, & fierent Iudæi. Itaqꝫ, cum Petrus baptisasset Cornelium, & alios ex gentibus, reprehensus fuit ab his qui erant è circumcisione, ꝙ introijsset, ut ipsi loquebantur, ad uiros præputiũ habẽtes. Et postea: Nisi circumcidamini, inquiunt, secundũ morẽ Mosi, non potestis esse salui. Quare Ioannes reijcit nunc uanam opinionẽ Iudæorum, de suo Iudaismo, & docet Christũ illuminare omnem hominem: hoc est, non pertinere tantum ad Iudæos, sed etiã ad gentes. Ac idẽ hoc

Christus uera lux ad omnes homines pertinet.

dicto significatur, quòd aliàs in Marco scribitur: Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturę. Et Paulus: Prędicatū est, inquit, apud uniuersam creaturam, quæ sub cœlo est. Ac rursus: Nō est Iudęus, nec Gręcus, nō est seruus, nec liber, nō est masculus ac fœmina. Omnes ēm uos unus estis in Christo Iesu. Et iterū: Vbi nō est Græcus & Iudæus, circumcisio & præputiū, Barbarus, Scytha, seruus, liber, sed omnia in omnibus Christus. Cum aūt spiritus sāctus docet, Christū pertinere ad omnes homines, uidelicet nō ad Iudæos tantum seu circūcisos, sed etiā ad gētes, populum incircūcisum: intelligit, Christum pertinere non solū ad honestos homines, quales Iudæi propter legem Dei, & sacra eius sibi uidebātur, uerūetiā ad inhonestos & peccatores, quales incircūcisæ gentes à Iudæis reputabantur. Non ueni, inquit, ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitētiā. Et Paulus: Certus sermo, & dignus quē modis omnib. amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mūdū, ut peccatores saluos faceret. Itaq; Christus lucet omnibus hominib. & offert lucē salutis suæ tam honestis hominib. quàm inhonestis & sceleratis: nō ut hi perdurent in suis sceleribus, & illi abīciant uitæ suæ honestatē, sed ut ueram utriq; iusticiā in Christo per fidem consequantur: & illi honestè uiuere pergāt, hi autē scelera uitēt, ac opera iusticię faciant. Deinde cōsiderandū est, q; etsi Christus uera lux pertinet ad omnes homines, & illucescit omnib. hominibus, siue Iudęis siue gentib. siue honestis, siue inhonestis, in toto orbe terrarū: tn nō omnes recipiūt hāc lucē. Tenebræ, inquit, non apprehenderunt eam. Et mox: Mundus nō cognouit eū. Nam quemadmodū corporalis sol publicè omnib. lucet, et tamen non oēs accipiūt, nec fruuntur ea luce, nimirum alīs dormientibus, alīs obstruētib. feneſtras, alīs cęcis aut excęcatis: ita & Christus, quantū in ipso est, omnibus lucet: cum aūt alī contemnant eum impiè, alī persequantur ipsum crudeliter, non oēs capiunt fructū huius lucis. Quare, cū Euangelista dicit Christum illuminare omnem hominem uenientem in hunc mundū, non sentit, oēs impios homines fieri pios: sed docet, lucem Christi omnibus offerri, quam tamē non oēs accipiūt. Postremò, Christus eiuscemodi lux est, ut nullus hominū illustretur ad cō sequendam iusticiā coram Deo, ueram uitā et fœlicitatem, nisi per hanc lucē: & ubicunq; hæc lux non lucet, ibi non sunt nisi crassissimæ & perpetuæ tenebræ mortis ac inferni. Hoc certè cognitū necessariū est. Prudentes enim huius seculi existimant, unūquemq; in sua religione seruari, si modò credat Deū esse summam mentem, æternam, omnipotentē, creatricem & gubernatricem rerū omniū, remuneratricem pietatis, ultricē impietatis. Ac nihil referre putant, quo nomine illa mens appelletur, mundus, natura, Iupiter, aut alio quocūq; nomine: & haud obscurè significāt, se diuersas religiones, nō nisi diuersos ritus ueri Dei colēdi iudicare. De qua re extitit lex Cæsaris Maximini, qua permittitur, ut quo quisq; uelit ritu, Deū colat. Itaq; sentiunt, posse esse lucem iusticiæ & salutis absq; Christo: & Iudæos, Ethnicos, Christianos, Turcas et Saracenos salutem consequi, si modo in suæ quisq; religionis ritibus, unū Deū omnipotentem credat, & inculpatam uitam ducat. Hæc est magna impietas

Christi ueræ lucis non omnes fructum capiunt.

Extra Christum nulla salus.

Non in quauis religione salus.

Eusebius in Eccles. histo. lib. 9. cap. 9.

pietas,& extrema ueritatis ignorãtia. Etſi enim ad ſalutem neceſſarium eſt,ut cognoſcatur Deus omnipotẽs,remunerator pietatis,& ultor impietatis:quippe ꝙ hæc cognitio naturaliter ſit humanæ menti inſita, & percipiat̃ ex opificio mũdi,quemadmodũ Paulus docet: tamẽ niſi acceſſerit cognitio miſericordiæ Dei, p̃ Ieſum Chriſtũ, nihil aliud fieri ſolet, ꝗ̃ quòd cũ homines cognoſcant Deũ, non tamen glorificent ut Deum, quemadmodũ idẽ Paulus perſpicuè exponit. Non enim difficile eſt ingenioſo homini extra periculũ mortis & inferni, in rerũ fœlicitate ſpecioſas cogitationes de immẽſa Dei potentia,qua nihil nec maius ſit,nec melius,ſuſcipere: at ſi quis abſq̃ Chriſto obĳciatur tentationib.peccati,mortis & inferni, ibi certè fieri non poteſt, quin aut Deũ prorſus cõtemnat, aut ſentiat eũ eſſe longè omnium crudeliſſimũ, aut quærat ſibi alienos Deos.Nulla .n. eſt lux,nulla ſalus abſq̃ Chriſto:nec id ſolũ hoc tempore,quo poſt aduentũ Chriſti Euangelion prędicatum eſt in toto orbe terrarum,ſed etiam ante aduentũ Chriſti, uſq̃ ad initium mundi. Ac tunc quidem ea erat tẽporis ratio,ꝙ cognitio Chriſti non fuerit tam perſpicua,ꝗ̃ nunc eſt,reuelato Euangelio eius:neceſſaria tamẽ erat talis cognitio Chriſti, qualis erat diuinis promiſsionib. reuelata, uidelicet ꝙ Deus eſſet clemens propter ſemẽ mulieris, propter ſemen Abrahæ, propter filiũ Dauidis.Sic enim tunc de Chriſto prædicatum fuit. Non dubito, quin quondã ante aduentum Chriſti multi non ſolum inter Iudæos,ſed etiã gentes ſeruati ſint.Nullus autẽ eorum potuit ſeruari, cognitione illa naturali de Deo, quòd ſit ęternus, et rerũ omniũ gubernator:ſed neceſſariũ fuit cognoſcere & credere,quòd Deus ſit miſericors, propter eũ qui patriarchis diuinitùs promiſſus erat. Quòd ſi innumeri inter gentes non habuerunt ullã huius diuinę miſericordiæ cognitionem, ſed perierunt,nõ certè Deo, ſed ipſorum impietati imputãdũ eſt. Prædicatio enim miſericordiæ Dei per ſemen mulieris, aut Abrahæ & Dauidis, non in unum tantũ terræ angulum concluſa fuit: ſed uulgata eſt etiã inter gentes,partim per patriarchas,à quibus gentes ſuã originẽ duxerunt:partim per Iſraelitas,qui uariis exiliis diſperſi fuerũt in prę-cipuas terrę monarchias,& regiones.Non eſt aliud nomẽ,inquit Petrus, ſub cœlo datũ inter homines,in quo oporteat nos ſaluos fieri,prætereq̃ Ieſus Chriſtus. Hoc autem non eſt intelligendũ de illis tãtum hominibus,qui poſt aduentũ Chriſti in terrã, & reuelatũ eius Euangelion per Apoſtolos in orbem terrarũ,uitam agunt:ſed etiam de his qui fuerunt ab initio cõditi mundi.Per gratiã,inquit iterum Petrus, Dñi Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros,quemadmodũ & illi. Quare cum Euãgeliſta dicit,quòd Chriſtus illuminet oẽm hominẽ ueniẽtẽ in hũc mundũ: docet,Chriſtum talem eſſe lucem,ſine qua nullus hominũ unq̃ aut potuerit,aut poſsit ueram ſalutẽ conſequi: & omnes eos homines etiãſi fuerint ſapiẽtiſsimi & honeſtiſsimi,perpetuis tenebris interire,qui non fuerint hac luce illuminati.Habes quãta,et q̃ neceſſaria lux ſit Chriſtus.

Rom.1.

Euangelion de Chriſto uulgatum inter gentes etiam ante aduentum Chriſti.

Actо.15.

Videamus nunc hominum impietatem & cæcitatem,qua tantam lucem repulerunt.In mundo,inquit,erat,& mundus per ipſum factus eſt, « & mundus eum non cognouit.Nota eſt phraſis,in hoc præſertim Euã- «

Hominum ingratitudo.

gelista,qua mundus non solum pro cœlo & terra,sed maximè omnium pro hominibus accipitur. Obserua igitur mihi,quãta sit hominũ in hoc mundo impietas & ingratitudo. Filius Dei erat in mundo, nõ tantũ rerum omnium gubernatiõe,sed etiã assumptione hominis. Factus enim est homo,& egit humanã uitam inter homines. Nec uixit obscurè. Docuit enim publicè Euangelion suũ,edidit maxima miracula, quibus ueritatẽ Euangelij sui cõfirmauit. Morti traditus,resurrexit à mortuis, & cõprobauit uarijs argumentis se à mortuis uerè resurrexisse. Ascendit in cœlũ,ac misso spiritu sancto, diuulgauit Euangelion suum per Apostolos inter omnes gentes terræ,adhibitis interim in testimoniũ ueritatis multis ac magnis miraculis. Nihil certè defuit filio Dei,ad reuelationem & confirmationẽ maiestatis suæ. Ecce autem, in hoc tanto splẽdore,mundus non cognouit eũ,homines non receperunt eum. Quid hac seu stupiditate seu cæcitate horribilius? Etsi eñ cùm uniuersus mũdus, tum etiã terra & homines creati sunt per filiũ Dei: tamẽ cum uenisset in terrã,& ageret uitam inter homines,tãtũ abfuit ut homines cõcederẽt ei uel tãtillũ terræ,ubi pedem poneret,aut caput reclinaret, ut etiam de terra sustulerint eum in crucẽ:indignissimum iudicantes,qui in hac terra uiueret. Ac filius quidẽ Dei is est, qui & instituit monarchias in terra,& ordinauit imperia,atq; regna inter homines, ut cõstituta & cõseruata publica trãquillitate, uerbũ Dei in terra prædicari,et Christus per Euangelion suũ agnosci posset. Cum autem uenisset in regna huius seculi, & uulgaret in ipsis Euangelion suũ, reges & principes tanto furore grassati sunt in ipsum,ut maluerint ipsi perire, quàm eũ non perdere: tantum abest, ut tradidissent ei uel uillulam,in qua dominaretur. Non affectauit Christus regna huius seculi, sed obtulit hominibus, siue illis regibus,siue subiectis,uerã & perpetuam salutem, prędicatione Euangelij sui:& tamen ne sic quidẽ potuerunt eum æquo animo ferre. Quid indignius,quid iniquius,aut etiã magis impium? Sed hi,inquis, fuerũt impij & increduli Ethnici. Quid autẽ de Iudęis, qui sunt populus Dei, & quibus Christus fuit promissus? fortasis hi agnouerunt & tractauerunt eum pro sua dignitate. Audi ergo de Iudæis. In sua uenit, & sui eum non receperunt.

Iudæi populus Christi.

Iudæi dicuntur populus Christi, primùm quòd Christus patriarchis Iudæorũ promissus fuit: deinde, quòd Deus selegerit Iudæos ex omnibus gentibus,ut in hoc populo cõseruarẽtur promissiones de Christo. In hunc enim usum Iudæi liberati sunt tyrannide Ægyptiaca, data est eis terra Canaan, & instituta sunt inter ipsos sacra, ad quorũ cõseruationem ordinatę fuerunt decimæ frugum,& multa id genus alia,ut esset gens & politia, in qua promissiões de Christo ad patriarchas dictæ cõseruarentur,donec Christus ipse ueniret. Hic ergo ui de mihi admiranda & stupẽda. Cum Christus in suam regionem, quam Iudæis tradiderat,& ad suum populum,quẽ elegerat, uenisset,tanta fuit huius populi ingratitudo, ut non solum non exceperint Christum obedienter, sed etiam interfecerint ipsum crudelissimè. Leuitæ & Sacerdotes acceperunt beneficio Christi, multis annis, decimas, primitias, oblationes, & libamina: sed cum uenisset Christus, tantum abest ut fecerint

cerint eum horum bonorum participem, ut etiã in ſumma eius ſiti pota uerint eũ felle & aceto. Quid poteſt dici horribilius, aut ſceleratius? At enim dices: Quod ſiue gentes, ſiue Iudæi aduerſus Chriſtum commiſerunt, hoc ignoranter fecerunt. Si eũ cognouiſſent, inquit Paulus, haud quaquã Dominũ gloriæ crucifixiſſent. Nam homines huius ſeculi ſolẽt ſe libenter cõiungere cũ his qui maieſtate præditi ſunt. Quare ſi cognouiſſent, nõ tanto furore perſecuti eum fuiſſent. Rectè uerò dicis, ꝙ non cognouerint eum. Et hoc illud eſt, de quo ſpiritus ſanctus conqueritur. Potuiſſent aũt eũ cognoſcere, ſi uoluiſſent, & nõ tam impij fuiſſent. Reuelauit enim maieſtatẽ ſuã, non doctrina tantum, ſed & magnis miraculis, idꝙ tam inter Iudæos, ꝙ inter gentes: ac multis & firmiſsimis argumentis cõprobauit, ſe eum eſſe, quẽ Moſes iuſsit audire, & quem Prophetæ ſeruatorẽ promiſerunt. Sed ipſi hoc fecerunt, quod Chriſtus aliquot parabolis ſignificauit. Alij neglexerunt, et abierunt ad uillas ac negociationes ſuas. Alij tenuerunt tam ipſum, quàm miniſtros eius, & cõtumelijs affectos occiderunt. Quare nullã habent prorſus excuſationẽ ignorantiæ ſuæ, ſed perierunt merito ſuæ impietatis. Noſtra res hic agitur. Iudæi, gens Dei electa, uiderunt lucẽ magnam: ſed fuerunt ingrati, & repulerunt lucẽ. Abiecti igitur ſunt in perpetuas tenebras, & perierunt. Eadem lux etiã nobis nunc beneficio Dei lucet. Expergiſcamur igitur, & excipiamus eã grato animo, ut conſeruemus eam, & ut luceat nobis per peccata ad iuſticiã, per mortem ad uitam, per tenebras inferni ad cœleſtem ſplendorẽ, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA VII.

IN mundo erat, inquit Euangeliſta, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In ſua uenit, & ſui eũ non receperũt. Quid igitur? Nullus ne hominum, nec inter gentes, nec inter Iudæos cognouit & recepit Chriſtum? Dicemus ergo, Chriſtum fruſtra in hunc mundũ uenisſe? De hac re audiamus nunc Ioannẽ diſſerẽtem. Sic enim ait: Quotquot autem receperũt « eũ, dedit eis poteſtatem, ut filij Dei fierent (uidelicet) his qui credunt in « nomẽ eius. Hæc eſt una è præcipuis ſentẽtijs totius ſacræ ſcripturæ. Qua- « re diligẽtiſsimè cõſiderãda eſt. Ioãnes autẽ initiò ſignificat, ꝙ etſi maxima & præcipua hominũ pars tam inter Iudæos, ꝙ inter gentes, non agnouerũt, nec receperunt Chriſtũ, multi tamẽ in utraꝙ gẽte receperũt eũ obedienter. In Actis apoſtolicis, agnouerunt Chriſtum uno die circiter ter mille Iudæi: & ab eo die Eccleſia Chriſti mirũ in modũ in quauis natione congregata & aucta eſt. adeoꝙ cœptũ eſt impleri, quod ſpiritus ſanctus per Eſaiam de Eccleſia Chriſti uaticinatus eſt: Leua, inquiens, in circuitu oculos tuos, & uide, omnes iſti cõgregati ſunt, uenerũt tibi. ac mox: Ecce leuabo ad gentes manũ meã, & ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. & iterũ: Filij tui de longè uenient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc uidebis, & affluues, & mirabit & dilatabitur cor tuũ, quãdo conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentiũ uenerit tibi.

Quo interceſſore homines fiant filij Dei.

Etsi enim aliquoties nulla, aut exigua uidetur Ecclesia, qualis fuit Arianis quõdã, & nunc Turcis latissimè dominantib. qualis etiã est regnante Põtificia impietate: tñ Dñs Deus noster, cũ ad Eliã ait, Dereliqui mihi in Israel septẽ millia uirorũ, quorũ genua nõ sunt curuata ante Baal: haud obscurè significauit, se Ecclesiã suam mirabiliter cõseruare, & sua semper septẽ millia reliqua esse, quę etsi habitant in medio impię nationis, nõ tamẽ cõsentiunt in impietatẽ, nec adorant aut inuocant aliũ seruatorẽ, præter Iesum Christũ Dominũ nostrũ. Hæc non eò dicuntur, ꝙ liceat, reclamante corde, Christũ ore negare. Credendũ enim est corde, & ore confitendũ: sed ꝙ Christus, iuxta uaticinia spiritus sancti, suã semper habeat Ecclesiam, etiã in medio impiorũ, quæ ipsum agnoscat, & obedienter ueneretur. Manifestũ igitur est, Christum haudquaquã frustra in hunc mundũ uenisse. Deinde exponit Ioannes, quid beneficij contingat his qui cognoscunt & recipiunt Christũ. Hæc est necessaria expositio. Nam Iudæi spe sua expectarunt eiusmodi Messiam seu Christum, qui afferret populo externam fœlicitatem, ut sub uite quisque, & ficu sua securus habitaret, & qui faceret omnes subditos suos diuites ac principes in hac terra. Quæso autẽ te, quid magni attulisset Christus in hunc mundũ, si tantum externam & corporalem fœlicitatem attulisset, & creasset omnes subditos suos reges ac principes in hoc seculo? Quid prodesset homini uniuersa terra, & quicquid in ea est, si interim careret ueris cœlestib. ac perpetuis bonis? Hęc si defuerint, terrena bona nihil iuuãt. Si adfuerint, terrena bona iudicãtur prę his reiectamenta ac damna magis, ꝙ lucra. Quare Christus posthabitis corporalib. & terrenis bonis, attulit populo suo cœlestia, ac ea quæ uerè sunt, quòd audiũt, bona. Hæc omnia Ioannes breuissimo quidẽ cõpendio, sed quòd preciosissimi thesauri loco conseruandũ est, cõprehendit: Quotquot, inquiẽs, receperunt eũ, dedit eis ἐξουσίαν, hoc est, ius, potestatẽ, & prę rogatiuam, ut fiãt filij Dei: ac fecit cõpromissum, quòd adoptentur in filios Dei. Hoc est summũ & maximum omniũ beneficium. Etenim nec diuina lex, nec humana iusticia potuerunt unꝙ cuiquam hominũ hanc potestatẽ, aut ius, aut prærogatiuã seu dare, seu impetrare, ut fieret filius Dei. Diuina enim lex semp perdurat in sua seueritate, & exigit perfectã ac summã iusticiã. Quã nisi quis prę stiterit, nõ potest à lege impetrare, ut adoptetur in filiũ Dei: sed potius maledicit, et traditur Satanę, ut fiat Satanę filius. Maledictus, inquit, qui nõ permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Nullus aũt hominum satisfacit diuinæ legi, nec ullus est qui plenã & exactam iusticiam perficiat. Quare nec diuina lex, nec humana iusticia potestatẽ ulli hominũ faciunt, ut fiat filius Dei. Solus autẽ Iesus Christus impetrauit hoc ius, ac fecit cõpromissum omnib. recipiẽtib. ipsum, quòd etiãsi nõ satisfecerint diuinę legi, tñ fiãt propter ipsum filij Dei. Nihil debuit nobis Christus, ac potuisset pmittere, ut nobiscũ iuxta seueritatẽ legis ageretur. Nec nos ullũ ius aut potestatem habebamus, ut fieremus filij Dei. sed quemadmodũ arbiter quispiam cum non habet ex se iurisdictionẽ eius rei de qua litigatur, accipit iudicandi potestatem ex cõpromisso litigatorũ: ita et nobis nulla prorsus fuit potestas,

Ecclesiã Christus semper habet, etiam in medio impiorum.

Beneficia quæ Christum recipientibus contingant.

Ἐξουσίαν ἐγὼ, ἐ πιτροπὴν νόμ.

ut

ut fieremus filij & hęredes Dei. Sed Christus Dñs noster tanta nos beneuolentia cõplexus est, ut non simpliciter, sed facto cõpromisso, cõferat plenum ius filiorum Dei, ad eos qui recipiunt ipsum. Solus quidem Christus est naturalis Dei filius, à patre suo ab æterno genitus, quam etiam gloriã & maiestatẽ soli sibi retinet, nec dat eam alteri, quemadmodum apud Esaiã loquitur: ex ijs autem qui ipsum recipiunt, facit filios Dei adoptiuos. Inter adoptiuos autẽ & naturales liberos hoc est discrimẽ, q hi ex ipsa patris substãtia nati sunt: illi uerò ab extraneis personis assumpti. Sed in hoc cõueniũt, q adoptiui eiusdem iuris habentur, cuius sunt iustis nuptijs quæsiti, ut ex cõ tabulæ loquuntur. Quare etsi nõ cõpetit nobis hæc maiestas, q simus naturales filij Dei: tamen maximũ omniũ beneficium est, quòd efficimur per Christum filij Dei adoptiui. Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Idẽ spiritus testatur unà cũ spiritu nostro, quòd simus filij Dei. & iterũ: Prædestinauit nos, ut adoptaret in filios, per Iesum Christum. Videamus autẽ nunc, quale ius, & quale beneficium afferat adoptio his qui Christũ recipiunt. Etsi enim nullus sermo satis dignè hoc explicare potest, tñ quia huius rei cognitio, quãtũ in hac uita fieri potest, nobis necessaria est, pauca quædã, quæ possumus, pro mediocritate nostra perstringemus. Nam cũ Christus uerus & naturalis filius Dei impetrauerit, ut quotquot ipsum recipiũt, adoptẽtur in filios Dei: perspicuũ est, quòd suscipiat eos oẽs in fratres suos, ac faciat eos cohæredes suos. Narrabo, inquit, nomen tuũ fratribus meis, in medio Ecclesię laudabo te. & aliàs: Vade ad fratres meos. Hic uocat Christus eos qui receperunt ipsum, fratres suos, quod cognomẽ non tribuit ipsis ciuilitatis, sed ueritatis gratia. Non enim sic agnoscit eos fratres, quẽadmodũ aliquoties legitimi agnoscunt illegitimos, quibuscum nõ adeũt illi communẽ hæreditatem patris æqualiter: sed agnoscit eos tales fratres, quòd uelit oẽs habere paternæ ac cœlestis suæ hæreditatis participes. Audiamus igitur quæ sit hæreditas Dei, quã Christus filius Dei adijt, ut cognoscamus quantorũ bonorum sint participes hi, qui recipiunt Christũ. Principiò, nihil maius, nihil excellẽtius est, fauore et amore Dei. Quid enim potest ei deesse, quẽ Deus ipse suo fauore et amore complectitur? Deus autẽ pater non simpliciter fauet Christo, nec frigidè ipsum amat: sed fauet ut filio, & amat ut filiũ. Filius meus es tu, inquiẽs, hodie genui te. &: Hic est filius meus dilectus, in quo cõplacitum est mihi. Cũ igitur Christus omnes qui recipiunt ipsum, suscipiat in fratres & cohæredes suos, manifestũ est, quòd Deus non faueat, nec amet ipsos frigidè: sed cõplectatur illos eo fauore & amore, quo pater unigenitum filiũ suum complectitur. Quid amplius desiderare possẽt? Sufficit tibi, inquit cœlestis uox ad Paulũ, gratia mea. Tametsi eñ calamitates multę et magnę sunt, tamẽ si inueniãt gratiã in oculis Dei, & Deus fauet, ut pater filio, nihil tibi ad uerã salutẽ deesse potest. Quis ex uobis pater (inquit Christus) à quo si petierit filius panẽ, num lapidem dabit illi? aut si piscem, num pro pisce serpentẽ dabit illi? aut si peterit ouum, num porriget illi scorpium? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dare filijs uestris, quanto

Filij Dei adoptiui.

Hæreditas, quam Christus adijt, & nobis parauit.

Adoptio in filios.

magis pater ueſter cœleſtis dabit ſpiritum ſanctū poſcentibus ſe? Sunt aliquoties crudeliſsimi parentes inter homines, qui omnem humanum affectū ſic exuunt, ut etiã trucident liberos ſuos. Dñs aũt Deus noſter, non mutatur ut homo, ſed eundẽ ſemper affectū erga eos qui agnoſcũt Chriſtum, retinet. Nũquid poteſt, inquit Dñs, mater obliuiſci infantẽ ſuũ, ut nõ miſereat filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamẽ nõ obliuiſcar tui. Deinde Chriſtus, ut eſt reipſa, ita etiã iudicatur à Deo patre ſuo iuſtiſsimus ac ſanctiſsimus. Peccatum enim non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Quotquot autem recipiunt Chriſtũ, ſunt cohæredes eius, quia fiunt filij Dei, & fratres Chriſti. Quare etſi non ſunt ſua ipſorum iuſticia iuſti & ſancti, tamẽ iudicant à Deo propter Chriſtũ iuſti & ſancti. Hoc non tantũ cognoſcendum eſt, ſed etiam in uſum tranſferendũ, ut capiamus ex eo cœleſtem fructũ. Nam ſi quis accuſatur peccati in conſcientia coram iudicio Dei, & dãnatur propter peccatũ æterna morte, debet ſibi ob oculos ponere, ꝙ ſit adoptatus propter Chriſtũ in filiũ Dei, & ꝙ ſit cohæres Chriſti, ut quemadmodũ Chriſtus, ita & ipſe habeat hæreditatẽ iuſticiæ. Quod certè ſi ex fide in Chriſtũ fiat, tm̃ habet momenti, ut ſeruet credentem ad perpetuam fœlicitatẽ. Præterea Deus obiecit quidẽ Chriſtũ uarijs aduerſis, adeoq; cruci & morti, conſeruauit aũt eũ in omnibus calamitatibus, & liberauit eum omnibus aduerſis. Mors non potuit eũ retinere, ſed neceſſe habuit ipſum incolumẽ dimittere. Hæc eſt excellẽs pars cœleſtis hæreditatis. Chriſtus tamen non retinet eã ſolus, ſed quia hi qui recipiunt eum, ſunt filij Dei, & cohæredes Chriſti, participant parẽ: ut etiãſi maximis calamitatibus opprimãtur, nõ tamẽ pereant, ſed cõſeruentur perpetuò. Quid igit̃ horrent aduerſa? quid horrent mortẽ? Etſi nemo facilè in his ridere & cachinnari poteſt, tn̄ nõ eſt ita mœrendũ, ut deſpõdeamus animum. Multæ, inquit, tribulationes iuſtorũ: hoc eſt, credẽtium in Chriſtum, & ambulantiũ in uocatione Dei (hi enim ſoli reputantur iuſti) & de omnibus his liberat eos Dñs. & iterũ: Increpationem Dñi ne reprobes, quia ipſe uulnerat & medet̃, percutit & manus eius ſanabunt. In ſex tribulationibus liberabit te, & in ſeptima nõ tanget te malum. Deinde Deus excitauit Chriſtũ à mortuis, & ornauit à reſurrectione corpus eius tanta maieſtate, ut ſit immortale, incorruptibile, glorioſum, non afficiat̃ amplius ulla infirmitate, non cõcludatur loco, nõ impediatur cœlo, uel terra, uel mari, q̃ minus penetret quò uelit. Hãc portionẽ cœleſtis hereditatis an non exiſtimas preclarã eſſe maieſtatẽ? Chriſtus aũt nõ habet alios pro illegitimis fratribus, ut ſoli ſibi, excluſis alijs, tantã hæreditatem retineat: ſed uult, ut hi qui recipiunt ipſum, unà cum ipſo hanc hereditatẽ adeãt. Quare & hi excitabunt̃ à mortuis, & ornabũtur corpore ſuo his donis, quę in reſurrectione corpus Chriſti accepit. Quẽadmodũ geſtauimus, inquit, imaginẽ terreni, geſtabimus & imaginẽ cœleſtis. & iterum: Noſter municipatus in cœlis eſt, ex quo & ſeruatorẽ expectamus, Dñm Ieſum Chriſtũ, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo, ſecundũ efficaciã, qua poteſt etiã ſubijcere ſibi omnia. Poſtremò Deus extulit Chriſtũ filium ſuum, in regnũ cœli

Reſurrectio.

&

& terræ. Data, inqt, est mihi omnis pōtestas in cœlo et in terra. Qua hæ reditatis maiestate nihil potest excellentius & sublimius cogitari. Sed quos Deus agnoscit filios suos propter Christū, eos etiã facit tãti honoris participes. Cũ essemus, inquit Paulus, mortui per delicta, cōuiuificauit nos unà cũ Christo (per gratiã estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cũ eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Hæc certè maiestas multo sublimior est, q̄ quæ uel humana ratione cōprehendi, uel uerbis explicari queat. Magna fuit quondã maiestas regis Babylonici, magna fuit gloria Salomonis, & aliorū regum ac monarcharum in terris: sed omnes terrenæ maiestates sunt mera mendicitas, si cōferantur cũ ea gloria, quæ contingit ijs qui recipiunt Christum, & fiunt propter Christū filij Dei. Oculus, inquit, nō uidit, auris non audiuit, in cor hominis non ascenderūt, quę præparauit Deus diligentibus se. et Ioannes: Nunc, inquit, filij Dei sumus, & nondum apparuit quòd futuri sumus. Scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Quare omne studium nostrum in hoc ponendũ est, ut agnoscamus & recipiamus Christū, quo in filios Dei adoptati, præclaram illam & cœlestem hæreditatem participemus. Sed quomodo, inquies, recipitur Christus? Num recipitur, si quis suscipiat circumcisionem & Iudaismum? Fuerūt quidē nonnulli, qui etsi Christum confiteri uidebantur, tamen docebant, neminē posse salutem consequi, nisi circumcideretur secundum morem Mosi. Sed uicissim Paulus, electum Dei organon, docet: Si, inquiens, circumcidamini, Christus uobis nihil proderit. Non dānat Paulus circumcisionem per se, quæ suo tempore fuit cœleste sacramentū: sed damnat impiam opinionem, qua circumcisio, tanq̄ salutis meritū exigebatur. Num recipitur Christus uirtutibus moralibus? Habent quidē hæ uirtutes suam laudem & gloriã, non sunt autem apta & cōgruentia organa, quibus Christus recipitur. Nam, ut perspicuè dicamus quod res est: Christus recipitur tantū PER FIDEM. Sic enim Ioannes addit: His qui credūt in nomen eius. Credere autē in nomē Christi, est credere in Christum ipsum. Quid em̄ aliud est nomē Christi, q̄ Christus ipse? Nō est, inquit, aliud nomen sub cœlo datū inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri: hoc est, non est alius quispiã, qui nos seruet, præter Christū. Quid ergo est credere in Christum? An non et impij quidã dicunt, se in Christum credere: qui tñ magis suis operibus, quàm Christo fidūt? Credere igitur in Christū, nō est tantum nosse Christū, esse crucifixum, & mortuum, atq; à mortuis resurrexisse (hoc enim & dęmones nouerūt) nec est sētire, q̄ Christus partim expiauerit peccata, partim nos debeamus nostris meritis expiare (hoc enim est maiestatē Christi minuere) sed est oēm fiduciam suã in Iesu Christo ponere, q̄ is Iesus Christus, uerus Deus, et uerus homo, solus sit expiatio, redēptio & salus nostra. Porrò qui hoc modo recipit Christum per fidē, is, qualis qualis antea fuerit, siue Iudæus, siue Ethnicus, siue Græcus, siue barbarus, siue rex, siue seruus, siue honestus, siue inhonestus, siue iustus coram mūdo, siue peccator, acceptus est Deo, & adoptatur in filiū Dei, ac fit hæres quidem Dei, cohæres autem Christi.

Maiestas.

Esa. 64.

Christus quo modo recipiatur.

Actо. 15.

Circumcisionis sacramentum.

Credere in Christum.

Quot-

Quotquot enim, inquit, receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Non dicit, Iudæis tantum, non Ethnicis tantum: sed, Quotquot, siue Iudæi, siue Ethnici, siue honesti, siue inhonesti. Omnis enim, omnis inquã, qui credit in eum, non perit, sed habet uitã æternam. &, Euangelion potentia Dei est ad salutẽ OMNI credenti, Iudæo primùm, simul & Græco. &, Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudęi uel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Non potest autem inuocari, nisi ex fide in Iesum Christum. Quare, qualis qualis fueris, crede tantum in Christũ, & saluus eris. Quid autem ad hæc dicemus? An quemadmodum ad accipiendam salutem per fidẽ in Christum, nihil refert qualis antea fueris: ita etiã nihil refert, qualis postea ad retinendam salutem maneas, aut fias? Nihil quidem refert, quod ad politica et ciuilia uitę genera attinet. Circũcisus (inqt Paulus) aliquis uocatus est, ne accersat pręputiũ. In præputio aliquis uocatus est, ne circũcidat. Et mox: Seruus uocatus es, ne tibi sit curę, qn si potes liber fieri, potius utere. Etenim qui in Dño uocatus est seruus, libertus Domini est. Similiter & qui liber uocatus fuit, seruus est Christi. Plurimùm autẽ refert, qualis fias, & qualem uitam ducas, quòd ad fructus pœnitẽtiæ attinet. Postq̃ enim peccator adoptatus est in filium Dei propter Christum, per fidem, nõ licet ei deinceps peccato seruire: sed necesse habet in nouitate uitæ ambulare. Nam qui in Christũ credit, mortuus est peccato. Qui autẽ peccato mortuus est, quomodo posthac in eodem uiuet? Factus es filius Dei per fidẽ. Peccata autẽ sunt opera filiorũ Satanę. Quomodo ergo conueniret, ut in peccatis ambulares, & deiceres te à maiestate filiorũ Dei, ad tam fœdã turpitudinẽ filiorum Satanę? Eratis, inquit Paulus, quondã tenebræ, nunc autẽ lux in Domino, ut filij lucis ambulate. Nox progressa est, dies autẽ appropinquauit. Abiciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis, ut quam claritudinẽ diuina adoptione accepimus, gratitudine & honestate uitæ perpetuò conseruemus per Iesum Christũ Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA VIII.

MAGNA gloria, magna fœlicitas est filiorum Dei: & quo maior est, eo ardentiori studio & cupiditate homines ad consequendam eam flagrant. Non enim Iudæi tantum affectarunt esse filij Dei, uerumetiam aliæ gentes hoc maximè omnium egerunt, ut in deorum seu numerum seu consortium referrentur, & ueram ac perpetuam fœlicitatẽ consequerentur. Cum enim Deus initiò condiderit hominem ad imaginem & similitudinem suam, humana mens ardet desiderio fruendæ diuinæ maiestatis: nec contenta est possidere regnum terræ, in cœlo etiam dominari cupit. Sed cum uidet, sibi ob imbecillitatẽ suam, aliena auxilia ad hæc consequenda, necessaria esse: alius homo aliũ sibi autorem & parentem seligere solet, quo Deus fiat, aut filius Dei nascatur.

Adam

Adam ſeligebat ſibi pomũ arboris ſcientię boni & mali, ut fieret Deus. Alios parẽtes Iudęi, alios alię gentes ſibi fingebãt, quibus fierent dñi, aut filij Dei. Sed humana ratio magis cæca eſt, quàm ut uerũ parentem, ex quo ueri filij Dei naſcuntur, deprehendere queat. Quare cum Ioannes antè expoſuerit, quo interceſſore ac recõciliatore homines fiãt dñi aut filij Dei, nimirũ Ieſu Chriſto Domino noſtro: nunc exponit, quo autore & parente hi filij naſcantur: Qui nõ ex ſanguinibus, inquiens, nec ex uoluntate carnis, nec ex uolũtate uiri, ſed ex Deo nati ſunt. Dicamus au tẽ primùm de ſanguinibus. Nã ſanguines in ſcriptura aliàs ſignificant crudelitatem & ſcelera, quæ merentur pœnã ſanguinis, aut extremum ſuppliciũ. Hinc dicũtur uiri ſanguinum. &, Libera me de ſanguinibus. & Auferam ſanguines eius de ore eius. In hoc autem loco, circũſtantiæ rei, de qua fit ſermo (loquitur autem Euangeliſta de natiuitate filiorum Dei) indicant, ꝙ ſanguines intelligẽdam eſſe conſanguinitatem, ſeu propinquitatem & cõiunctionẽ ſanguinis, quæ eſt inter eos qui ſunt eiuſdem cognationis. In hac ſignificatione uideẽ & Eſaias hoc nomine uſus eſſe. Qui obturat, inquiẽs, aures, ne audiat ſanguines, in excelſis habitabit: hoc eſt, is iudex iuſtè facit, & fœlix erit, qui nõ reſpicit perſonã conſanguinei in iudicio, nec iniquè de cauſa pronunciat propter cõſanguinitatẽ. Cũ igitur Ioannes dicit, quòd filij Dei nõ naſcantur ex ſanguinibus, perſtringit Iudęos, qui gloriabãtur de cõſanguinitate Patriarcharũ, & refutat uanã ipſorũ arrogantiã, quam ex cognatione Abrahami cõceperant. Abraham enim fuit patriarcha ſanctiſsimus, & Deus promiſit ei, ꝙ uelit eſſe Deus ipſius, & ſeminis eius: Statuã, inquiens, pactũ meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Quare, cũ Iudæi eſſent ſemẽ, poſteri & conſanguinei Abrahæ, exiſtimabant ſe eo ipſo natos eſſe filios Dei, ꝙ ex Abrahamo nati eſſent. Patrẽ, inquiunt, Abrahã habemus: hoc eſt, Deus nobis eſt propitius, & ſumus filij Dei, propterea ꝙ ſimus filij Abrahę. Nõ enim erat Iudæis curæ, ut crederẽt in ſemẽ Abrahæ promiſſum, qui eſt Ieſus Chriſtus, & ut ſectarẽtur fidẽ ac pietatẽ Abrahæ. Vnum hoc prȩcipuè iactabant, quòd eſſent conſanguinei Abrahę, & ſperabãt ſe hoc ſolo nomine filios Dei factos eſſe. Sed Ioannes hanc uaniſsimam eorũ opinionem & arrogantiam perſpicuè damnat, cũ ait: Filij Dei nõ naſcuntur ex ſanguinibus. Nullus enim hominũ idcirco fit filius Dei, quòd ducat genus aut ſanguinẽ ſuũ ab Abrahamo. Nã filij Dei non naſcuntur humana aut carnali generatione. Promiſit quidem Deus, ſe eſſe Deum ſeminis aut poſteritatis Abrahæ, & qui inter poſteros Abrahæ adhibuit fidẽ promiſsionibus Abrahæ dictis, quemadmodũ & Abraham credidit, is & iuſtus reputatus eſt, & in filiũ Dei adoptatus eſt: hoc autem non eſt factum propter carnalem conſanguinitatem cum Abrahamo, ſed propter ſpiritualem promiſsionẽ Dei, cui is qui adoptatus eſt in filium Dei, fidem adhibuit. Etſi enim Abraham fuit patriarcha per fidem ſanctiſsimus, tamẽ quia natura ſua nõ fuit niſi caro & ſanguis, quotquot ex ipſo geniti ſunt, carnales & ipſi ſunt. Quod enim, ut Chriſtus ait, ex carne eſt, caro eſt. Et Paulus: Non

Filiorum Dei generatio.

Sanguines.

Pſalmus 50.

Zacha. 9.

Eſa. 33.

Abraami conſanguinitas.

omnes,

omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael: neq; quia ſunt ſemen Abrahæ, ſtatim omnes filij. Quare uaniſsima eſt fiducia Iudæorũ, qui ſentiũt filios Dei carnali generatione fieri, & Deum ideo eſſe patrẽ ipſorũ, quòd habeãt patrem Abrahamum. Non diſsimile eſt, quod hoc tẽpore Pontifices iactant, ſe eſſe uerã Eccleſiã Chriſti, propterea quòd ſint ſucceſſores Apoſtolorũ. Hac fiducia ita inflati ſunt, ut quicquid inſtituerint ac decreuerint, etiã alienum à uerbo Dei, obtrudant ſuis tanq; inſtitutum & decretũ ſpiritus ſancti obſeruandum. Exiſtimant enim, Eccleſiam Chriſti conſtare externa ſucceſsione: hoc eſt, filios Dei naſci ex ſanguinibus. Sed quemadmodum Iudæi nõ ſunt ideo filij Dei, q; ſint carnales filij Abrahę: ita Pontifices nõ ſunt ideo Eccleſia Chriſti, quòd ſint ſucceſſores Apoſtolorũ. Vera enim Eccleſia Chriſti eſt, quæ agnoſcit uerbũ Chriſti. Oues, inquit, meę uocem meã audiunt. Et ueri ſucceſſores Apoſtolorum ſunt, non ij qui in illis locis, in quibus Apoſtoli habitarunt, Epiſcopos agũt, ſed qui Euãgelion Apoſtolorum diligẽter & fideliter adnunciant. Ite, inquit Chriſtus, in mundũ uniuerſum, & prædicate Euãgelion omni creaturæ. Cũ igitur Pontifices perſequuntur Euangelion Chriſti, tantum abeſt ut ſint uel Eccleſia Chriſti, uel ueri Apoſtolorum ſucceſſores, ut potius Chriſtus, cũ ait, Cauete à pſeudoprophetis, iuſſerit uerã Eccleſiam eos fugere, ac uelut anathema deuitare. Deinde addit Ioannes, q; filij Dei nõ naſcuntur nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri. Sunt qui per carnem intelligant, mulierem ſeu uxorem: & per uirũ, maritũ: & ſentiunt Ioannem docere, quòd filij Dei nõ naſcantur humana generatione, per maritum & uxorẽ, quæ certè ſententia optima eſt. Hoc enim omnino docet Ioãnes, quòd homines nõ fiant filij Dei, carnali natiuitate. Sed quia idẽ antea nomine Sanguinũ cõtinet, & hoc loco nõ ſimpliciter dicitur, Ex carne & uiro, ſed ex uoluntate carnis & ex uoluntate uiri: apparet Ioannẽ his uerbis magis ad ſtudia hominũ q; ad naturalem homnium propagationem reſpicere. Voluntas enim eſt arbitriũ, inſtitutum, propoſitum & ſtudium animi. Caro autem nõ tantum mulier, ſed & quiuis homo dicitur. Et uir, uel pro eo, qui reliquis hominib. ſapientia, autoritate & potentia antecellit: uel iuxta phraſin Hebręæ linguæ, pro unoquoq; intelligitur. ut & illud, Corruet uir ſuper uirũ: hoc eſt, unuſquiſq;. Quare, cum Ioannes dicit, filios Dei non naſci ex uolũtate carnis, nec ex uolũtate uiri: hic eſt ſenſus, q; ut filij Dei non fiunt humana generatione, ita nec fiunt humana adoptione, aut humano ſtudio & arbitrio, uel uulgarium ſeu carnalium hominum, uel cuiuſq; alterius hominis, quantumcunq; ſapientia & potentia præſtantis. Quod ut magis perſpicuè explicemus, partiemur homines in tres ordines, quo & melius diuerſa eorum ſtudia intelligamus. Primus hominũ ordo eſt Iudęorum, illorum uidelicet, qui non tantum gloriabantur de cõſanguinitate Abrahami, ſed multo magis de ſtudio legis ſuę. Hi enim, poſtq; lex diuinitùs per Moſen lata fuit, ſentiebãt opera legis, quatenus ab homine fieri poſſent, tanti eſſe meriti, ut ijs autorib. & tanq; parentibus, fierent filij Dei. Itaq; ſacrificabant, lauabãtur, abſtinebant ſe à cibis prohibitis, obſeruabãt feſta, dabãt decimas, non induebant ueſtẽ

Pontifices num ſint Eccleſia.

Apoſtolorum ſucceſſores qui ſint.

Caro. Vir.

Legis ſtudium non generat filios Dei.

ex

ex lana & lino confectã, & quæ sunt alia Mosaicæ legis instituta. Faciebant autẽ omnia hæc opera, ut & expiarent peccata sua corã Deo, & cõ sequerentur meritis horũ operum ius filiorum Dei. Sed Ioannes refutat hanc impiam opinionẽ, & affirmat filios Dei non nasci ex uoluntate carnis. Iudæi sic affecti, sunt homines carnales, & sectantur uoluntate ac studio suo carnalẽ legis iusticiam. Voluntas autem carnis non generat filios Dei. Nec carnalis iusticia, est idoneus parens, quo filij Dei nascantur. Etsi enim lex Mosi sancta est, & exigit perfecta opera iusticiæ: tamẽ quia homo non implet eam, tantum abest ut possit ex ipso facere filium Dei, ut potius generet ipsum in seruitutem, & cõijciat eum in perpetuã maledictionem. Testamentum, inquit Paulus, à mõte Sinai, in seruituẽ generat. & iterũ: Quotquot sunt ex operib. legis, maledicti sunt. Quare quẽadmodũ Iudæi non sunt eo ipso filij Dei, quòd nati sint ex Abrahamo: ita nec fiunt filij Dei, quòd ponũt omnẽ uoluntatẽ & omne studium suum in facienda lege Mosi. In hoc autem ordine non carnales tãtũ Iudæi, sed omnes hypocritæ in Christianismo, omnes sacrificuli & monachi, omnes Saraceni & Mahumetani numerãdi sunt, qui sibi ex meritis sacrorum, quæ lex ipsorum instituit, pollicentur gratiã Dei, & confidunt se studio cærimoniarũ suarum filios Dei fieri. Frustra, inquit, colunt me, docẽtes doctrinas, prẽcepta hominũ. & iterum: Nemo uos seducat, qui suo arbitrio ambulat in humilitate & religione angelorũ, quẽ non uidit frustra inflatus sensu carnis suæ. ac mox: Quid tanq; uiuẽtes mũdo, decretis teneminí? (ne tetigeris, ne gustaueris, ne cõtrectaueris, quæ omnia ipso usu cõsumuntur) secundum præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidẽ habentia sapientiæ, in superstitione & humilitate, & non parcendo corpori, nec honorẽ ei habendo, quantum carni satis est. Cũ igitur Deus odio habeat & abominetur arbitrarias hominum religiões, & cultus ab humana ratione, sine uerbo Dei excogitatos, fieri non potest, ut ex ipsis nascantur filij Dei. Secundus hominum ordo est philosophorum, aut sapientum inter Ethnicos, qui ponebant omne studium suum in docendis & exercẽdis uirtutibus, ut uocant, moralibus, & pollicebantur sectatoribus suis propter has uirtutes summam beatitudinẽ ac fœlicitatem: quod certè nihil aliud erat, q; promittere ius filiorum Dei, & ut ipsi etiã loquebãtur, diuinitatem. Sed & horũ uanitatem reiecit Ioannes, cũ ait: Neq; ex uoluntate uiri. Etsi enim morales uirtutes in suo genere optimæ sunt, nec solum diligẽter cognoscendæ, uerumetiam magno studio sectãdæ: Quẽcũq; sunt uera, inquit Paulus, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quẽcunq; pura, quæcunq; accommoda, quæcũq; boni nominis, si qua uirtus, & si qua laus, hẽc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis in me, hẽc facite: tamẽ hẽ uirtutes nõ sunt perfecta coram Deo iusticia, propter peccatũ, quod homini propagatione inhæret. Non enim iustificatur in cõspectu Dei omnis caro uiuens. &: Natura sumus filij iræ. Quare uoluntas seu studiũ horum uirorum, non est idoneus parens, ex quo generẽtur filij Dei. In hunc ordinem referri debent ij, qui in Christianismo docent & urgent tantum bona opera Decalogi, et uociferantur tantum in

Esa. 29.
Coloss. 2.

Studium uirtutum moralium non generat filios Dei.

Philip. 4.

publica & ciuilia hominũ ſcelera. Ac ſeueriſsimè quidem exigenda ſunt opera Decalogi, quatenus Chriſtus & Apoſtoli Decalogum expoſuerunt, grauiſsimè etiã reprehendenda ſunt hominum ſcelera: ſed hac doctrina nondũ eſt abſoluta doctrina Chriſtianiſmi, nec ſola hæc doctrina poteſt generare filios Dei. Nam ſi multũ affert fructus, efficit homines tantũ ciuiliter honeſtos: & ad ſummũ, ducit eos in agnitionem peccati: &, ut Paulus ait, operatur irã, & occidit. Filij autem Dei non tãtum ſunt ciuiliter honeſti, ſed etiam coram Deo iuſti, ac uerè coram Deo uiuunt. Quare etſi hæc doctrina ad pœnitentiam in ſuo ordine neceſſaria eſt, tamen nõ poteſt ſua uirtute filios Dei generare: ſed niſi addatur doctrina Euãgelij de Ieſu Chriſto, non generat niſi ſeruos & mancipia Satanę. Tertius hominum ordo eſt, principum ac potentum inter Ethnicos, quorũ impiam opinionem de tribuenda hominibus diuinitate, apparet Ioannẽ, cum hæc deſcriberet, ſibi ob oculos poſuiſſe. Romani ẽm principes, in quorum regno ac ditione Ioannes erat, ſolebãt decretis & cęrimonijs ſuis homines de repub. benemeritos creare filios Dei, ſeu ut ipſi loquebãtur, referre inter diuos. Vnde & Tiberius ad Romanũ ſenatũ detuliſſe dicitur, ut & Chriſtum conſecrarent Deum. Ac extant apud ſcriptores, ritus & cęrimonię, quibus defuncti Imperatores conſecrabantur in diuos. Imago defuncto quàm ſimillima ponebat in ueſtibulo regiæ ſuper lectum eburneum. Circa lectum à lęua quidem Senatus, à dextra autem nobiles matronæ lugubribus ueſtibus ſedebãt, accedentibus interim medicis, & inſpectum uelut ægrũ deterius ſe habere ſubinde pronunciantibus. Deinde poſt ſeptẽ dies, ubi iam uiſus eſt obijſſe diem, deferebatur lectus in forũ, & cantatis illic hymnis & carminibus in defunctum, perferebatur lectus extra urbem in cãpum Martiũ, & ponebatur in tabernaculũ aridis fomitibus impletum. Quò poſtęa aromata & ſuffimenta omnis generis effuſa erant, adequitauerunt circa tabernaculum uniuerſi equeſtris ordinis, ſua quadam lege & motu: circumacti itẽ ſunt currus, inſeſsi purpuratis rectoribus. His peractis, ſuccendebatur tabernaculum, & ſimul cũ ſubiecto igni emittebatur è faſtigio tabernaculi aquila, quæ in cœlum credita eſt defuncti animam deferre. Hoc erat ſtudiũ, hi ritus & cærimoniæ, quibus Romani ſentiebãt ſe principes ſuos in deorum numerum referre, quos etiã poſtea ut deos colebant. Sed hanc ſtultiſsimã ſuperſtitionem damnat Ioannes, cum ait: Nec ex uoluntate uiri. Voluntas enim, et ſtudiũ, ac ritus & cærimoniæ horũ uirorum, quamuis potentiſsimorum, non poſſunt creare deos, aut generare filios Dei: ſed fiunt ex his diaboli (ut ita dicam) potius quàm dij. Nõ enim ſitũ eſt in hominis poteſtate, ut faciat deos, quos libet. Vide mihi humanam miſeriã & fragilitatem. Nullus eſt hominum qui ſibijpſi poteſt hanc corporalem uitã dare, aut antè datam conſeruare, ne ſuo tempore extinguatur. Vnum paruũ ulcus, unus hauſtus ueneni ſolet etiã robuſtiſsimum hominẽ non admodum longo interuallo temporis interficere. Quomodo igitur tam imbecillum animalculũ, quouis momẽto morti obnoxiũ, poſſet ſua uolũtate, ſuo arbitrio & ſtudio immortales deos facere, ac perpetuò fœlices Dei filios generare?

ἀποθέωσις Romanorum Imperatorum. Vide Tertullianum in Apologetico.

Herodianus in uita Antonini.

Studium potẽtißimorum nõ generat deos.

Quid

Quid autē nūc dicemus? Si filij Dei non naſcuntur nec ex ſanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uolūtate uiri, hoc eſt, nec ex humana patriarcharū natiuitate & cōſanguinitate ſeu adoptione, nec ex ſtudio carnalium Iudæorū, carnalem legis iuſticiam ſectantium, nec ex ſtudio uel ſapientiſsimorum uel potētiſsimorū in terris uirorum: unde ergo, aut ex quo, obſecro te, parente naſcuntur? Audi mihi Ioannē: Sed ex DEO, inquit ille, nati ſunt. Filij enim Dei non fiunt nec naturalibus, nec uoluntatibus hominū uiribus, ſed tm̄ fiunt ex DEO. Non eſt uolentis, nec currentis hominis, ſed miſerentis DEI. At hoc, inquies, etiam Iudæi & alij impij fatētur, q̄ nemo adoptetur in filiū Dei, niſi diuina potētia & miſericordia. Quid ergo eſt, q̄ Ioānes antea damnauit opinionem ipſorum: & cum ait, filios Dei naſci ex Deo, quid à ſententia eorū diuerſum affirmat? Hic nobis cōſiderandū eſt, q̄ impij uideantur aliquoties pijſsimè & rectiſsimè loqui, cum interim ſentiant impijſsimè. Deum, inquit Paulus, profitentur ſe ſcire, cæterùm factis negant. Tametſi enim iactant ſe ſentire, q̄ filij Dei naſcantur ex Deo, tamē detinent ueritatem in iniuſticia: non glorificant Deum, ut Deum, ſed mutant gloriā eius pro cordis ſui figmento. Faciunt enim tantum ſpectatorem ex Deo, & perſonarū reſpectorem. Iudęus imaginatur Deum proſpicere de cœlo ſuper filios hominum, ut ſi quem uideat natū è genere Abrahæ, ac circumciſum iuxta legem, & ſectantem alia legis opera, eum agnoſcat pro filio ſuo. Itaq; Iudæus ſentit Deum eſſe reſpectorem ſanguinis Abrahæ, & carnalis atque externæ iuſticiæ. Ethnicus imaginatur Deum reſpicere uel ciuiles uirtutes hominum, uel ſacra, & cærimonias, quas peragunt, & propter has ſuſcipere homines in numerum filiorum Dei. Turca et hypocrita in Chriſtianiſmo, ſentiunt Deum mirum in modum delectari excogitatiōnis ſuis ſacris & ritibus: ac ſi quem uiderit inter homines ſacra illa diligenter peragentem, eum eligere & adoptare in filium ſuum, ac reddere ipſum perpetuò beatum. Hoc autem non eſt Deū habere & agnoſcere pro parente filiorum ſuorum, ſed tātum ſpectatorem & iudicem. Sic enim de Deo ſentire, magis eſt dignitatem & maieſtatem parentis tribuere ſanguini, meritis operū, cærimonijs & ritibus, ab humana ratione excogitatis, quàm Domino Deo noſtro: imò ut rectius loquar, hoc planè eſt gloriam ueri Dei mutare in ſanguinem, merita operum, cærimonias & ritus humanos. Hęc eſt manifeſta & perſpicua idololatria, etſi impijs nihil minus uidetur. Quare faceſſat impiorum gloriatio de Deo. Noſtrum eſt ut obſeruemus, non quid impij iactent, ſed quid ſpiritus ſanctus per apoſtolum Chriſti Ioannem loquatur. Cum enim Ioannes dicat, filios Dei non naſci ex ſanguinib. nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, ſed ex Deo: opponit inter ſe ex diametro, ab altera quidem parte ſanguines, uoluntatem carnis & uiri, hoc eſt, merita uel generis carnalis, uel iuſticiæ ciuilium uirtutum & cærimoniarū: ab altera uerò parte DEVM. Quid autem aliud in Deo cum humanis meritis pugnat, quàm libera eius uoluntas, & clementia atque miſericordia eius? Vbi enim ſunt merita, ibi nullus relinquitur locus liberæ uoluntati, & miſericordiæ; ſed neceſſitas iuſticiæ exigit, ut debita merces perſoluatur.

Merita pugnāt cum libera Dei uoluntate.

Cum igitur Ioannes opponit Deum sanguinibus & uoluntati carnis ac uiri, hoc est, merito & arbitrio humano in generatione filiorū Dei, manifestè docet, quòd filij Dei non nascantur ex ullo merito, aut libero arbitrio hominis, sed tantum ex libero arbitrio & gratuita misericordia DOMINI Dei nostri. Ad Mosen enim dicitur: Miserebor, cuiuscunque misereor: & commiserabor, quemcunq; commiseror. Nam cum Deus prospicit de cœlo super filios hominum, ut uideat, si est intelligens aut requirēs Deū, inuenit omnes homines declinasse, simul inutiles factos esse, ac ne unum quidē, qui bonū perfectè faciat. Itaq; omnes homines sunt una magna turba, non tantum peccatorum, sed etiam filiorum Satanæ, qui omnes sunt obnoxij perpetuæ damnationi. Magnum quidē discrimen est huius turbæ, si inter se conferantur. Alius est circumcisus, alius incircumcisus: alius peragit sacra Leuitica, alius sacra Pontificia, alius sacra Mahumetica: alius ducit uitam honestā, alius inhonestam. Deus autē nō respicit personas, sed quia per unius hominis delictum propagatum est malum in omnes homines ad cōdemnationem, iudicantur etiam omnes homines, quacunque externa specie prēditi sunt, peccatores corā Deo. Posset igitur Deus pro summa sua iusticia omnes homines in peccato & damnatione relinquere, ac sua fœlicitate solus frui: sed hic uide mihi immensas & imperscrutabiles diuitias bonitatis & clemētiæ Dei. Etsi enim omnes homines obnoxij sunt perpetuæ damnationi, nec Deus in quoquam hominum quicquā meriti inuenit, quod fauore suo dignum sit, tamen ex hac turba seligit quosdam, quos adoptat in filios suos, & quos facit hæredes omniū cœlestium bonorum: in qua electione non respicit cuiusquam uel personam, uel meritū, uel dignitatē, sed eligit tantum, quos libet, libera sua uoluntate, & mera misericordia. Cui enim uult, inquit Paulus, miseretur: & quē uult, indurat. Atq; hoc illud est, quod Ioannes dicit: Filios Dei non ex sanguinibus, nec ex uoluntate carnis, nec ex uoluntate uiri, sed ex DEO nasci. Quid ergo? inquies. Si filij Dei non fiunt ex humanis meritis, sed tantū ex diuina misericordia, ociabimur nos, aut agemus nostra negocia, pro carnis libidine: & expectabimus interea tēporis, dum Deus apprehendat nos capillis, & seligat ex hac damnatorum turba, in numerum filiorum & hæredum suorū? Nihil certè minus nobis licet, quàm ut ociosam & ignauā ac impiam uitam ducamus. Hic enim cognoscēdum est, quomodo filij Dei nascantur ex Deo. Nam quemadmodum generatio filiorum Dei nō est humana, sed diuina: ita nec fit humano, sed diuino modo. Hoc autē Ioannes mox significat, cū addit: Et uerbū caro factū est. Deus enim unum tantum habet naturalem filium ab æterno genitum, Iesum Christum DOMINVM nostrum. Homines autem sunt natura filij iræ, hoc est, filij Satanæ. Cum igitur Deus statuisset ex misericordia suscipere homines in filios suos adoptiuos, promisit initiò, ac pòst suo tempore misit quoq; filium suum unigenitū in hanc terram, ut omnis qui crederet in ipsum, non maneret filius Satanæ, sed fieret propter Christum filius Dei. Itaque unigenitus filius Dei factus est filius hominis, ut homo propter ipsum fieret filius Dei. Non enim sentiendum est, quòd Deus

Electio Dei ex misericordia, non meritis.

adoptet

adoptet homines in filios ſuos, nulla prorſus re intercedente: ſed tradidit omnem poteſtatẽ unigenito filio ſuo, ac propoſuit eum interceſſorem, ut ex Euangelio eius cognoſcatur, & per fidem cõcipiatur. Quare Deus adoptaturus ex hominib. filios ſuos, reſpicit in uniuerſam hominum turbam, & in quocunq; homine, ſiue circũciſo, ſiue incircumciſo, ſiue Græco, ſiue Barbaro, ſiue nobili, ſiue ignobili, ſiue honeſto, ſiue inhoneſto, inuenit Chriſtum filiũ ſuum, per fidem ex Euangelio acceptũ, eum ſuſcipit in filium ſuum adoptiuũ, & agnoſcit ipſum fratrem Chriſti, atq; cohæredem eius. Renati, inquit Petrus, non ex ſemine mortali, ſed ex immortali, per uerbum uiuentis Dei, & manentis inæternum, quod per Euãgelion ad nos delatum eſt. In quocunque autem homine non inuenit Chriſtum per fidem acceptum, eum ita prorſus negligit, ut ſiue fuerit rex, ſiue pontifex, ſiue ſummus, ſiue infimus, ſiue operibus iuſtus, ſiue uirtutibus honeſtus, neceſſe habeat, niſi Chriſtũ uel denuò agnoſcat, perpetuò interire. Itaq; filij Dei naſcũtur è ſola Dei miſericordia, qua Chriſtus filius Dei nobis donat, et per Euãgelion reuelat, ut in ipſum credamus, & in filios Dei propter ipſum adoptemur. Nulla igit ratione permittitur nobis ut ociemur, & ignauiam ſectemur: ſed omni quo poſſumus (poſſumus autem per ſpiritum ſanctum) ſtudio contendendum eſt, ut Euangelion Chriſti diſcamus, & ex Euangelio Chriſtũ per fidem concipiamus, quo & ius filiorum Dei conſequamur: & conſequutum, honeſtate uitę ornemus atq; retineamus, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Electio filiorũ Dei fit per Chriſtũ filiũ.

HOMILIA IX.

DICTVRVS de incarnatione (ſic enim maioribus noſtris loqui uiſum eſt) DOMINI noſtri IESV CHRISTI, precor, ut ea uirtus Altiſsimi, quæ Mariæ uirgini, ad concipiendum filium Dei, obumbrauit, animum noſtrũ illuſtret: ut & de myſterio incarnationis rectè ſentiamus, & beneficijs eius fœliciter fruamur. Etſi enim hoc myſterium non eſt nobis propoſitũ, ut humano captu perſcrutemur, ſed ut fideliter credamus: tamen neceſsitas ſalutis noſtrę exigit, ut cognoſcamus, quid uerè de tanto myſterio credendum ſit. Commendat quidẽ & requirit ſpiritus ſanctus obedientem fidem, non approbat autem, nec agnoſcit ſtupidam imperitiam, & uecordem ignorationem earum rerum, quæ fide tenendæ ſunt. Malitia, inquit Paulus, pueri ſitis, ſenſibus uerò perfecti. Quare Dominus Deus noſter diligenter inuocandus eſt, ut mentẽ noſtram ſpiritu ſancto illuminet, quo eius fidei, quæ de incarnatione Chriſti filij Dei habenda eſt, ueram & rectam cognitionẽ capiamus, atq; retineamus. Ac antè quidem expoſuit Ioannes generationem filiorũ Dei, uidelicet quòd homines non naſcantur filij Dei ex hominum uel naturali procreatione, uel arbitraria uoluntate & ſtudio: ſed tãtum ex Deo, propter Chriſtum unigenitum filium Dei. Nunc autem exponit Ioannes, quomodo, aut qua ratione unigenitus filius Dei impetrauit ac effecit, ut homines adoptarentur à Deo in filios ſuos. dicit enim: Et Ver-

Incarnatio Chriſti.

» bum caro factū est. Quod est illud uerbū, inquis, & quæ caro illa? Hoc nimirum uerbū illud est, de quo hactenus à principio cōmemorauit Ioannes, ꝙ sit apud Deum: hoc est, persona subsistens in diuina natura, ꝙ sit lux & uita hominū, ꝙ dederit ἐξουσίαν filios Dei fieri, omnibus qui recipiunt ipsum, & credūt in nomē eius, unigenitus & æternus filius Dei.

Caruis nomen. Caro autē etsi aliquoties accipitur pro altera tantum externa & uisibili parte hominis, tamē frequenter usurpat in Scriptura pro toto homine. Benedicat, inquit Psalmus, omnis caro nomini sancto eius, in seculū, & in seculū seculi. & in Esaia: Veniet omnis caro, ut adoret corā facie mea, dicit Dominus. Sic & in hoc loco caro pro toto homine, anima uidelicet & corpore hominis intelligēda est. Quare cū Ioannes dicit, Verbū factum est caro, hanc habet sententiā: Vnigenitus filius Dei factus est homo. Maluit autē Ioannes carnem ꝙ hominem dicere, ut significaret filiū Dei, suscepto homine, suscepisse etiā omnes humanas imbecillitates (absq; tamen peccato) et fragilitates, quę carnis nomine significātur.

Hic ergo primùm omnium considera mihi, ꝙ uarijs conatibus Satan ad oppugnandam humanitatē filij Dei coortus sit. Nam quemadmodū Satan omnes adhibuit machinas ad labefactandā uerā diuinitatē Christi, ut suprà indicauimus: ita nullus modus est, quem nō tentauit Satan ad euertendam uerā Christi humanitatem. Hic enim Christus ille ipse est, quo cū Satan irreconciliabile bellum gerit, & quem prorsus toto animi desiderio extinctū cupit: quippe quem audierit ordinatum esse, ut conterat caput ipsius, destruat omnē potentiā eius. Itaq; non cessat ipse uicissim mordere, iuxta diuinū oracullum, calcaneum Christi, si quo modo fieri posset, ut cursum eius, si nō totum impediat, tamen remoretur. Quare oppugnata diuinitate, oppugnauit etiā humanitatē eius. Ac excitauit alios quidē, qui dicerent, filiū Dei non assumpsisse uerum hominem, sed phantasma seu spectrum: alios qui affirmarent, eū non assumpsisse totum hominem, sed tantum corpus, diuinitatem autē fuisse loco animæ: alios qui docerēt, eum non assumpsisse hominem in unam cum ipso personam. Fuerunt & alij qui senserunt, filium Dei ita assumpsisse hominē, ut duæ illæ distinctæ naturæ, diuina & humana, in unam tantum naturā commixtæ fuerint. Alij existimarunt, filium Dei nihil accepisse ex Maria uirgine, sed substātiā corporis sui de cœlo traduxisse. Alij etiam nugati sunt, filiū Dei non esse conceptum de spiritu sancto, nec Mariam mansisse uirginē, sed concepisse de Ioseph. Quis autem posset omnia Satanæ cōmenta & blasphemias enumerare, quibus conatus est ueram & sanctam humanitatē Christi uanam & impurā facere, ut & à nobis ueram salutem auferret? Nam si Christus non assumpsisset ueram humanam carnem, sed omni peccato liberam, fieri non posset, ut nostra caro à peccato liberaretur, & in cœlestem gloriam assumeretur. Hoc uidit Satan, hoc intellexit spiritus mēdax & homicida. Quare nihil nō excogitauit, quo ueritatē & sanctitatem humanitatis Christi nobis obscuraret ac sordidaret. Sed facessant blasphemiæ Satanæ, quæ iā antè à pijs & eruditis scriptoribus in Ecclesia, uerbo Domini diligenter refutatæ sunt. Sentiendum enim & credēdum est, iuxta perspicua testimonia sa-

Christi humanitas à Satana impugnata.

cræ

cræ ſcripturæ, quę eſt ipſa ſpiritus ſancti ſentẽtia, ꝙ filius Dei aſſumpſerit uerum, totũ et perfectum hominem, conceptum de ſpiritu ſancto, natum ex Maria uirgine, qui nobis per omnia, excepto peccato, ſimilis factus eſt. Non enim aſſumpſit, ut Apoſtolus ait, angelos, ſed ſemẽ Abrahæ. & Eſaias: Ecce, inquit, uirgo concipiet, & pariet filium. ac Paulus: Vbi uenit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum, factum ex muliere. Chriſtus enim Dominus noſter, ut perfectus eſt Deus, ita perfectus eſt homo: nõ tamẽ duo, ſed unus eſt Chriſtus. Vnus autẽ, ut rectè habet ſymbolum Athanaſij, nõ cõuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deo. Vnus omnino, nõ confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonę. Etſi aũt nulla eſt ſimilitudo, quæ poſsit unionẽ ſeu coniunctionẽ filij Dei & hominis ſufficienter explicare, tamen Eccleſiaſtici ſcriptores conati ſunt eam ſimilitudine ferri candẽtis utcunꝙ adumbrare. In ferro enim candenti cõueniunt duæ diuerſę naturæ, ferrum uidelicet, & ignis, in unam laminã: & quanꝙ propter coniunctionem altera natura cõmunicet cum altera ſuas proprietates, tamẽ altera non mutatur in alterã: ita in Chriſto ſunt duę diuerſę naturæ, diuinitas & humanitas: ac nõ mutatur quidẽ diuinitas in humanitatem, penetrat tamẽ ſicut ignis ferrũ, totam humanitatem, & confert ſua in commune, ſicut & uiciſsim accipit in commune ea quæ ſunt humanitatis. Itaꝙ, etſi natura diuinitatis nec patiẽ, nec moritur, tamẽ quia filius Dei aſſumpſit hominẽ, qui natura paſsioni & morti obnoxius eſt, in unam perſonam, rectè ac uerè dicitur, filiũ Dei pro nobis paſſum & mortuũ eſſe. Et quãquam maledictus ſit qui cõfidit in hominem, tamen quia homo, quem aſſumpſit filius Dei, cõiunctus eſt cum Deo in unam perſonam: ſumma pietas, imò ſumma ſalutis noſtrę neceſsitas eſt, ut cõfidamus in hominẽ Chriſtum, & adoremus eum, uerum ſeruatorẽ noſtrũ. Hæc omnia perſpicuè docet & cõfirmat Ioannes, cum ait, Verbum caro factum eſt. Sed ut ex ſcriptura manifeſtũ eſt, & obediẽti fide agnoſci debet, quòd filius Dei cõiunctus ſit cum homine in unam perſonam: ita in hoc ſeculo non poteſt ab humano captu perfectè comprehendi, quomodo hæc cõiunctio facta ſit, aut cõſtet. intelligemus autẽ rationem eius in futuro ſeculo, ſi nunc apprehendamus eam fide. Tunc, inquit Paulus, cognoſcam, quemadmodũ & cognitus ſum. & Ioannes: Si apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Quare reponemus exactã de tanto myſterio diſputationẽ in alterum ſeculũ. Videamus autem nunc, quẽ fructum, quam utilitatem, & quod beneficium afferat nobis huius imperſcrutabilis coniunctionis myſterium. De hoc enim nobis cogitãdum, de hoc diſputandum eſt. Et ut hoc aſſequamur, nullum ſtudiũ intermittendum eſt. Verbum, inquit, factum eſt caro, filius Dei factus eſt homo. Quæſo te, propter quam cauſam? & in quem finẽ? num ut filius Dei ſibĩpſi aliquod beneficium cõſequeretur? aut potius ut nobis aliquod beneficium afferret? Non opus eſt, ut nos ipſi nobis hic ſolicitudinem ſtruamus, quandoquidem Ioannes id paulo antè perſpicuè docuit: Quotquot, inquiens, receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quare manifeſtum eſt, quòd filius Dei factus ſit homo, ut ho-

Chriſti humanitas coniuncta cum diuinitate.

Incarnationis Chriſti beneficia.

mo fieret filius Dei, adeoq; Deus ipse. Quid enim filius Dei aliud est, q̃ Deus? Cum ergo dicitur, hominem fieri filium Dei, certè idē est, ac si diceretur, hominem fieri Deū. Ego dixi, inquit, dij estis, & filij Excelsi omnes. Proponitur autē hic nobis optima & certissima ratio, qua licet homini animū suum explere. Nam sitis cupiditatis nunq̃ expletur, nec satiatur his terrenis bonis. Quo enim homo plura cōsequutus est, eo maiora appetit: nec explet insatiabilis eius cupiditas, nisi Deus factus. Itaq; postquam parauit sibi dominationē in terra, nō contentus hac maiestate, ad diuinos honores aspirat, & Deus ipse esse affectat. Nebucadnezar summus erat in toto orbe terrarū monarcha, nondū tamen erat animus eius expletus: sed dicebat, In cœlū conscendam, super astra Dei exaltabo soliū meum, similis ero Altissimo. Alexander Magnus non contentus dominatione totius terræ, Deus etiā uideri uoluit, unde & se Iouis filium uocabat. Quid autē dicam de Romanis imperatoribus? Caligulæ non satis fuit habere imperium humani generis, sed etiam uēdicauit sibi diuinam maiestatem. Itaq; sæpe medius inter deorum simulacra consistens, adorandū se adeuntibus exhibuit, & templum numini suo ac sacerdotes & exquisitissimas hostias instituit. Domitianus nō contētus audire Imperator Romanus, quo epitheto nihil tunc inter homines erat augustius, uoluit etiā audire Dominus & Deus noster: sic em̃ ipse epistolas dictabat. Diocletianus non affectauit tantū, sed & præcepit diuinos honores Imperatoribus habēdos, ac obtrusit adeuntib. pedes suos adorādos & exosculandos, quod & Romani pontifices facere solēt. Sed hi, inquis, mōstra potius sunt, & portēta, q̃ homines: alij autē homines sunt modestiores. Fateor, modestiores sunt externa specie, sed idem est omniū hominū affectus, qui in animorum latebris absconditus, tunc prodit, cū suam occasionem nactus fuerit. Recedit quidem in animis tenuiorū et abiectiorum hominum ad interiora, & fingit se paucis iugeribus contentū esse: sed cum hæc consecutus est, statim adijcit oculū pluribus: & si datur ei progredi, non resistit in terra, sed in cœlū etiam uolat, ut Deus fiat. Nec est q̃ hæc cupiditas, qua animus tenetur cōsequēdæ diuinitatis, per se sit impia. Homo enim initiò creatus ad imaginē & similitudinē Dei, factus est, ut ita dicam, deus, nō quidem natura (unus enim solus Deus est natura) sed fœlicitate, & ut scriptura loquit̃, imagine Dei. Postq̃ autē peccauit, factus est ex Deo, ut ita dicā, Satan: non q̃ substantia hominis mutata sit in substantiā Satanæ, sed q̃ amissa diuina fœlicitate, particeps factus sit Satanicæ infœlicitatis. Natura uerò ipsa fert, ut q̃ bonum amiseris, iterum recuperare cupias: nec humana mens quiescere potest, donec quod perdidit bonū, recipiat. Cū igitur homo amiserit diuinā illam maiestatem, in qua initiò cōditus fuit, natura ipsa excitatur, ut eā iterum recuperet. Itaq; affectus consequendæ diuinitatis nō est per se impius, sed naturalis. Hoc autem longè omnium impijssimū est, quòd homines peccato excæcati, non arripiunt nec apprehendunt rectā, legitimam, & diuinitùs propositam rationem, qua amissa, diuinitas iterum uerè reparari potest. Non enim reparatur, si te alijs hominibus adorandū proponas, si numini tuo templa & sacerdotia instituas,

Homo Deus esse affectat.

tuas,si pedes tuos adeũtibus exoſculandos proponas. Hæc eſt execrabilis idololatria,qua Satã potius q̃ Deus efficieris. Quęſo igitur te,quę eſt illa recta & legitima ratio, qua amiſſa diuinitas recuperat̃? De hac re cõcionatur nobis Euãgeliſta, cũ ſuprà de Verbo ſeu filio Dei dixit: Dedit poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomẽ eius. Et nũc ait, Verbum caro factum eſt. Nã uerus, naturalis & æternus filius Dei aſſumpſit humanam carnem,tanta cõiunctione,ut filius Dei, & caro ſeu homo,facti ſint una perſona. Quare quanta eſt ſublimitas filij Dei,in tantã etiam ſublimitatem ſubuexit carnem ſuam,ſeu hominem quẽ aſſumpſit. Quid aũt ſublimius,quid excelſius,quid etiã excellẽtius filio Dei? Sedet enim à dextris Dei,& dominat̃ eadẽ maieſtate & potẽtia,qua Deus pater,nõ in cœlum tantũ & terram, ſed etiã in angelos, ac omnes cœleſtes uirtutes. Quare cũ aſſumpſerit hominẽ in eãdẽ perſonam, extulit etiam eum ad dextrã Dei,& ad dominationẽ in oẽs creaturas. Non mutauit quidẽ ſubſtãtiam hominis, quam aſſumpſit (manet.n.ſemper uerus, quod ad ſubſtantiã attinet,homo) ſed cõtulit ad eum diuinam maieſtatẽ,& ornauit eũ cœleſti ac diuina gloria. Adhæc in diebus carnis ſuæ, quib. inter homines in hac terra uitã egit, nõ oſtẽtauit maieſtatẽ ſuã. Etſi enim miraculis,& alijs argumentis teſtatus eſt, omnẽ deitatis plenitudinem habitare in ipſo corporaliter, in oculis tñ mũdi nõ apparuit tãtus externa ſpecie quãtus reuera eſt,& in nouiſſimo die reuelabitur: maluit aute tẽpore carnis ſuæ humilẽ ac obedientẽ uſq̃ ad mortẽ crucis ſeipſum prębere, q̃ ſtatim glorioſus uideri,ut hac humilatione & obedientia fieret omnib. qui ipſi fide obediũt,cauſa æternæ ſalutis. Sed poſtq̃ reſurrexit à mortuis,non amplius erat tẽpus diſsimulãdæ maieſtatis,ſed palàm reuelandæ. Itaq̃ maximis ac certiſsimis argumentis declarauit corã his teſtibus,quos ad hoc delegerat,ſe hominẽ quem aſſumpſerat, ſecũ ad dextram Dei extuliſſe,ac in thronũ diuinæ maieſtatis poſuiſſe. Figura, inquit Paulus,repertus ut homo,humilẽ prębuit ſemetipſum, factus obediens uſq̃ ad mortem,mortem autem crucis. Quapropter & Deus illũ in ſummam extulit ſublimitatem,ac donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ,ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat,cœleſtiũ, terreſtrium,ac infernorũ. ac iterum: Credimus ſecundũ efficaciã roboris fortitudinis eius, quam exercuit in Chriſto, cum ſuſcitaret eũ ex mortuis, & ſedere fecit ad dextram ſuã in cœleſtibus, ſuper omnem principatũ ac poteſtatẽ,& uirtutem & dominium: et omne nomen quod nominatur,nõ ſolum in hoc ſeculo, uerumetiã in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedes illius,& dedit eũ caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ, quæ eſt corpus illius,cõplementũ eius,qui omnia in omnibus adimplet. Habes, quàm ſublimis factus ſit homo,& quã glorioſa facta ſit caro. Sed hoc,inquis, intelligẽdũ eſt de eo homine, & de ea carne, quam filius Dei aſſumpſit. Quid autẽ de me,aut mea carne fiet? Caro enim filij Dei tota ſancta eſt, mea autẽ eſt peccatrix, nec habitat in ea bonũ. Quomodo igitur ſperare poſſum, q̃ ut Deus factus eſt homo,ita ego homo ſeu caro fiã Deus? Hic cõſiderandum eſt nobis, quòd filius Dei factus ſit homo, non tantum propter eum hominem, quem ipſe in unam perſonam aſſumpſit,

Diuinitas amiſſa, quomodo recuperetur.

Chriſti maieſtas.

Homines fiunt dij per Chriſtum.

ut

ut illum ſolum hominẽ extolleret in cœleſtem maieſtatem & fœlicitatem: ſed etiam propter illos homines, qui ipſum recipiunt, & in nomen eius credunt. Aſſumpſit humanã carnem, & poſuit eam ad dextrã Dei, ut & noſtra humana caro tantã maieſtatem participaret. Etſi enim caro noſtra eſt peccatrix, tamen ipſe carne ſua expiauit peccatũ, ut nobis peccatũ carnis non imputaretur, ſed ſanctitate eius frueremur. Nam quotquot recipiunt ipſum, & credunt in nomen eius, hi ut fiunt per fidẽ filij Dei, & fratres Chriſti, ita etiam fiunt mẽbra corporis eius. An neſcitis, inquit Paulus, quòd corpora ueſtra, mẽbra ſint Chriſti? & iterum: Qui ſanctificat, et qui ſanctificantur, ex uno ſunt omnes. Quemadmodum enim in cõiugio, uxor eſt pars carnis & oſsiũ mariti: ita & Eccleſia eſt ex carne & oſsibus Chriſti. Membra ſumus, inquit Paulus, corporis eiuſdem, ex carne eius & ex oſsibus eius. Huius rei gratia relinquet homo patrem ac matrem, & adiungetur uxori ſuę, atq; è duobus fiet una caro. Myſterium hoc magnũ eſt. Verùm ego loquor de Chriſto & Eccleſia. Quid poteſt manifeſtius dici? Maritus et uxor ſunt una caro. Mulier cũ primùm fit uxor, nomẽ habet à uiro. Si uir ciuis fuerit, continuò habet & uxor ius ciuitatis. Si uir rex eligitur, ſtatim & uxor regina electa eſt, quia ſunt una caro, unum corpus. Multo uerius, multo certius de Chriſto & Eccleſia eius ſentiendũ eſt, quòd è duobus facta ſit una caro. Cum igitur filius Dei extulerit eam carnem, quam aſſumpſit in ſupremam Dei maieſtatẽ, fieri non poteſt, ut cũ Chriſtus & Eccleſia ſint una caro, non eo'dem etiam extulerit Eccleſiã, & quoduis membrum eius. Deus qui diues eſt, inquit Paulus, in miſericordia, propter multam caritatem ſuam, qua dilexit nos etiam cũ eſſemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Chriſto (per gratiam eſtis ſeruati) ſimulq; cum eo reſuſcitauit, & ſimul cum eo ſedere fecit in cœleſtibus, per Chriſtum Ieſum. Vides, Chriſtum ita ſedere ad dextrã Dei, in omnibus cœleſtibus bonis, ut etiam uniuerſam Eccleſiam ſuam ſecum ſedere fecerit? Etſi enim hoc in nobis adhuc humi degentibus, nondum externis oculis uidetur: tamẽ ſcimus, quòd ſi apparuerit Chriſtus (ut Ioannes ait) ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eũ ſicuti eſt. & Paulus: Noſter municipatus in cœlo eſt, ex quo & ſeruatorem expectamus, Dominum Ieſum Chriſtũ, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut cõforme reddat corpori ſuo glorioſo. Quid ergo nunc eſt quod formidas? quid horres? Si peccatum accuſat conſcientiam, attollendi ſunt oculi mentis in cœlum, ubi caro noſtra regnat in throno Dei. Nam quẽadmodum ea caro tota ſancta eſt, & abſq; omni peccato: ita & propter ipſam reputat noſtra caro ſancta & ſine peccato. Si paupertas affligit te, pone tibi ante oculos dextrã Dei, ad quã ſedet caro tua, poſsidens omnes diuitias in cœlo & in terra. Quare etſi paupertas te premit, non tamẽ poteſt te Chriſto adhærentẽ perdere. Si morbus, ſi mors ipſa te inuadit, ſi horres cogitationẽ uel putrefactionis in terra, uel cineris in igne, uel denicq; ipſius inferni, ſubijce ſub aſpectum mentis tuæ maieſtatem cœleſtem, quam nunc caro tua in Chriſto poſsidet. Fieri enim nõ poteſt, etiamſi flamma inferni ignis pertingat ad animã in hac uita, & corpus poſtea in terra putreſcat,

Coniugij ratio.

Eccleſia ſedet cum Chriſto ad dexteram Dei.

cat,aut igne abſumatur,ut non conſeruetur homo in Chriſto conſtans, ad participandam cœleſtem maieſtatem. Habes nunc quæ ſit recta ratio, qua homo fiat Deus. Non enim poteſt fieri Deus ſeu filius Dei impietate gentium,aut ſuperſtitione hypocritarum:ſed tantum fide in filium Dei Ieſum Chriſtū, qui idcirco factus eſt homo, ut homo in ipſum credens,fieret Deus. Maximum omnium hoc eſt beneficium. Maxima igitur omnium cura adhibenda eſt,ne amittamus illud, ſed diligentiſsimè retineamus. Amittimus autem,impietate,blaſphemijs,helluatione, ſcortatione, inuidia, impoſturis, & alijs id genus ſceleribus. Retinemus autem,obedientia fidei, honeſtate uitæ,pudicitia,ſobrietate, caritate, adeo'que optimis quibuſcp uirtutibus. Nam ſi per Chriſtum facti ſumus dij,non certè nobis ut diabolis,ſed ut dijs uiuendum eſt: quò eã fidem & ſpem, quam habemus de cœleſti hæreditate & maieſtate, etiã in hoc ſeculo cœleſtibus uirtutibus declaremus, per Ieſum Chriſtum DOMINVM noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula,Amen.

HOMILIA X.

CREDO uos non mediocriter admirari, quòd in expli canda breui admodum pericopa Euangelij Ioannis tãto tempore uerſer. Hæc enim iam decima eſt homilia, qua initium tantum huius Euangelij interpretor, & paucas quaſdam periodos perſtrinxi. Sed deſinetis admirari, ſi uobiſcu reputaueritis, quanta ſit maieſtas huius Euangelij, & quanta utilitate in Eccleſia tractetur. Nam quæ Ioannes ſcripſit,non ſunt humana ſomnia, ſed ſunt diuina oracula: quorum uerba non numerãda tantum,uerumetiam diligentiſsimè ponderãda ſunt. Et Euangelion Chriſti,cœleſtis eſt theſaurus,in quo conſiderando & cõſeruando,ne ramẽta quidem abijci debẽt. Huc accedit, quòd penè ſingula huius Euãgelij uerba, ſingula ſint organa ſpiritus ſancti,quibus nobis uera ſalus de cœlo affertur. Quare cum uos multis in expoſitione huius Euãgelij teneo, ſic exiſtimetis uelim,uos ſi animum ueſtrũ ex fide aduerteritis, tanto clariorẽ cœleſtis theſauri cognitionem adſequi, quanto prolixior eſt oratio. Porrò cũ Ioannes antea expoſuerit pauciſsimis quidem uerbis, ſed maxima autoritate, filium Dei factum eſſe carnem, commemorat nunc habitationem eius in terris: Et habitauit,inquiens,in nobis. Poſtquam enim filius Dei aſſumpſit hominẽ in unã perſonam, certè ſuſtulit ſecum hunc hominẽ in eam quam ipſe habebat ſublimitatem. Sedebat autem à dextris Dei,ſuper omnem principatum, poteſtatem, uirtutem & dominium,ac ſuper omne nomen quod nominatur, nõ in hoc tantum ſeculo,uerumetiã in futuro. Quare potuiſſet ſtatim ab initio incarnationis immenſam illam maieſtatem corã uniuerſo mundo oſtentare, aut ſe mox ex hominũ oculis ſubducere, et cœleſti fœlicitate in cœlo frui,quẽ admodum nunc ea,poſt aſcenſum ſuum in cœlum fruitur:ſed abſoluendum erat in hac terra myſteriũ redemptionis noſtrę. Non igitur ſubduxit ſe ſtatim ab incarnatione humanis oculis, ſed ἐσκήνωσεν, hoc eſt, poſuit tentoriũ ſeu tabernaculũ ſuum inter homines, & aſſumpſit unà cũ ho-

Chriſti habitatio in terris.

Euangelion cœleſtis theſaurus.

"

homine,omnes etiã humanas(ſolo peccato excepto)imbecillitates. Ponere enim tentoriũ ſuum inter homines, eſt inter homines habitare, & eadem cũ hominibus pericula ſubire. Nam hi qui figunt tentoria ſua in caſtris militaribus,uocãtur in idẽ cum toto exercitu periculum ac diſcrimen:ac neceſſe habẽt quouis momento incurſionem hoſtis, direptionẽ caſtrorum,& communẽ ſtragem,cædemq; expectare. Delicatus miles eſt, & indignus cui locus in tentorijs & caſtris relinquatur,qui tm̃ uult prædæ partẽ accipere,non item pericula militiæ ſufferre. Non ſic delicatus fuit filius Dei:ſed poſtq; aſſumpſit hominẽ, & fixit tabernaculum ſuum in caſtris hominũ, ſuſcepit etiam omnes humanas imbecillitates, & ſubijt omnia humana pericula. Epicurei hoc unum agunt, ut etiamſi ſint inter homines, non tamen ſint in labore hominum: quemadmodũ Pſalmus loquitur, Et cũ hominibus nõ flagellentur. Chriſtus autem, ut aſſumpſit hominẽ,ita & aſſumpſit humanas infirmitates & pericula. Potuiſſet ab initio incarnationis omniũ uirorum fortiſsimus eſſe, & in aula clariſsima habitare:ſed ſuſcepit infantiam,et reclinatus eſt in præſepi. Potuiſſet omnibus tam corporis q; animi uoluptatib. in hac terra frui: ſed eſurijt,ſitijt,ſudauit,alſit,timuit,trepidauit,doluit. Potuiſſet liberrimè in toto orbe terrarum palari,& ſemper externam uitã uiuere:ſed captus eſt,cęſus eſt,flagellatus eſt,crucifixus eſt,mortuus eſt. Breuiter potuiſſet inter homines Deũ agere: ſed uoluit inter homines,nihil humani(prętęr peccatũ)à ſe alienum eſſe. Qui cum eſſet,inquit Paulus, in forma Dei, non rapinã arbitratus eſt, æqualem ſe Deo eſſe: ſed exinaniuit ſemetipſum,forma ſerui ſumpta,in ſimilitudine hominũ conſtitutus,& figura repertus ut homo,humilẽ præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem,mortem autem crucis. Hęc de exinanitione & humiliatione Chriſti cõmemorãtur nobis, non ut ſciamus tantum (nam & Satan nouit)ſed ut uerum uſum eius diſcamus,ac fructum eius capiamus. Chriſtus eñ habitauit quidẽ inter nos, & ſuſcepit omnes humanas infirmitates, adeò ut etiam ſuſtinuerit abominabilem & horribilẽ mortẽ crucis:ſed Deus ſuſcitauit ipſum à morte,& extulit eum in ſummã ſublimitatem,ut cũ antè, reipſa in ſe, omnia humana pericula expertus eſt, & nunc potenter in tãta maieſtate habitat,omnes homines in ipſum credentes,adiuuet,ac perpetuò ſeruet. Natura enim fieri ſolet, ut ijs faueamus,qui eadem pericula, quibus nos perfuncti ſumus,ſubeunt. Quare cũ Chriſtus perfunctus ſit omnibus periculis humanis, & nouerit ſua experientia, quanta ſit afflicti hominis miſeria:fieri nõ poteſt,quin ſit facilis & promptus ad ſuccurrendũ omnib. afflictis. Non ſic afflictus eſt, quemadmodũ homines ἀσοφγοι, & planè inhumani facere ſolent,qui cũ è ſordibus & miſerijs ad claritudinem & fœlicitatem quandam emerſerint,non afficiuntur alienis miſerijs: ſed præ ſe quoſuis miſeros & abiectos cõtemnunt. Longè alius eſt ſenſus animi Chriſti. Hic enim idcirco ſuſcepit in ſe omnes humanas ſordes & miſerias, ut exaltatus in cœleſtẽ maieſtatẽ,miſeros & abiectos adiuuet. Debuit,inquit Apoſtolus, per omnia fratribus ſimilis reddi,ut miſericors eſſet,& fidelis põtifex in his quæ apud Deũ forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex

Chriſtum habitaſſe inter homines quid ſit.

Chriſtus afflictus, ut afflictos adiuuet.

hoc,

hoc,quod ipſi contigit tentatũ eſſe, poteſt & his qui tentãtur ſuccurre-
re.& iterum:Non habemus pontificem,qui non poſſit affici ſenſu infir-
mitatum noſtrarũ,ſed tentatum per omnia,iuxta ſimilitudinem,abſque
peccato. Accedamus igitur cũ fiducia ad thronum gratiæ, & ſi quis uel
eſurit, uel formidoloſus eſt, uel captus eſt, uel moritur, aut occiditur,
optimè cõfidat de ſalute in Chriſto: qui cũ eadẽ ſit paſſus in terris,non
poteſt teneri, quin ſimilia ,aut etiã grauiora patientes, & in ipſum ſpe-
rãtes,de cœlis conſeruet.Etſi enim peccata noſtra ſolent in nobis dubi-
tationẽ excitare, & à bona ſpe auocare: tamen bene conſiderandum,ac
mordicùs per fidẽ retinendũ eſt,ꝙ Chriſtus peccata noſtra expiauerit,
& nobis ſuã iuſticiam donauerit. Quare ſi in Chriſto conſtiteris, nullũ
peccatũ tanti eſt momenti, ut poſsit Chriſtum Dominũ noſtrũ à præ-
ſtanda uera ſalute auertere. Cæterùm nec exemplũ quidem Chriſti, in
hoc loco oſcitanter nobis prętereundum eſt.Habitauit enim inter nos,
nõ ut perpetuũ ſibi inter homines,in hac terrena uita,tabernaculũ fige-
ret:ſed ut confecto negotio ſuo,ad quod Deus pater eũ miſerat,rediret
ad patrẽ ſuum in cœlis.Hoc exemplum etiã nos imitari oportet. Crea-
ti ſumus à Deo, & uenimus in hunc mundũ,non ut habeamus hic ma-
nentem ciuitatẽ, ſed ut inquiramus futuram. Non ſumus ciues, ſed ho- *Homines ſunt*
ſpites & peregrini huius terræ.Peregrinus non hoc agit, ut ceſſet in di- *peregrini in*
uerſorijs:ſed ut quamprimùm fieri poteſt, ſua res peragat, & ad patriã *terra.*
redeat.Hęc terra noſtrũ eſt diuerſoriũ,in quod intrauimus, non ut ibi
diu deſideamus: ſed ut quę Deus iuſsit, citò perficiamus. Iuſsit autẽ,ut
Chriſtum filiũ ſuum cognoſcamus,& uocationi eius obediamus. Qua-
re hoc unum nobis agendũ eſt,ut Chriſtum diſcamus, & in uocatione
eius ambulantes,ad cœleſtem patriam noſtrã feſtinemus.Sed reuerte-
mur ad noſtrũ propoſitum. Filius Dei habitauit inter nos, & ſuſcepit
noſtras infirmitates,quomodo ergo,inquies, agnitus eſt? Si fuit tectus
et obductus humanis imbecillitatibus,quomodo in tam denſa caligine
potuit uideri,ꝙ ſit filius Dei,ꝙ ſit uerus Meſsias & ſeruator? Sequitur:
Et uidimus gloriã eius,gloriam uelut unigeniti à patre. Sed quæ eſt il- «
la gloria,quandoquidẽ apud Eſaiam de Chriſto dicatur: Nõ eſt forma
ei,nec decor? Vidimus eũ,ſed nulla erat ſpecies,quę faceret,ut deſidera
remus eũ. Deſpectus & nouiſsimus uirorũ, plenus doloribus & infir-
mitatibus,adeò contẽptus,ut auerterentur uultus ab eo? Si Chriſtus tã
fœdo aſpectu deformatus fuit,quæſo te, ex qua gloria cognitus eſt? De *Chriſti gloria*
hac re ita ſentiendũ eſt,quòd coram hoc mũdo nondũ perſpicuè appa- *quomodo re-*
ruit ea cœleſtis gloria & maieſtas, qua Chriſtus in ſe præditus eſt, & *uelata.*
quę in nouiſsimo die publicè reuelabitur.Hęc enim tam illuſtris eſt,ut
nullus hominũ ſplendorẽ eius in hac terra ferre poſſet.Sed Chriſtus,in
extrema illa deſpectione & humilitatę,quam ſuſceperat,& de qua Eſa-
ias concionatus eſt, exhibuit aliquot certa & firma & manifeſta argu-
menta ac teſtimonia: quòd etſi apparuit nouiſsimus uirorũ, tamẽ non
ſit ſimplex homo, ſicut alij homines, ſed ſit uerè unigenitus filius Dei.
Vidimus(inquit)nos Apoſtoli & diſcipuli,gloriam eius:hoc eſt,argu-
menta & teſtimonia glorię & maieſtatis eius,uidelicet quòd habeat ta-

lem maiestatem, quæ planè digna sit unigenito Dei filio. Non uidimus gloriã eius, tanquam gloriam alicuius patriarchæ aut prophetę: sed gloriam tanquã unigeniti (quod uerè erat) filij Dei. Vidimus quidem eum despectũ hominem: sed interim uidimus etiam maxima & certissima argumenta, quòd sit uerè unigenitus Dei filius, adeóq; cũ Deo patre suo ὁμοούσιῳ. Quæ sunt autẽ illa argumenta? Primùm doctrina & miracula, quę ad confirmationẽ doctrinę edidit. Etsi enim prophetæ ediderũt etiã miracula, tamen Christus alia docuit de sua persona, quàm prophetæ de suis: quippe quòd hi docuerunt, se esse ministros tantum Messiæ, ille autẽ docuit se esse ipsum Messiam: & addidit miracula, quæ tanto maioris sunt momenti, quàm prophetarum miracula, quanto Christus excellentiora de sua persona docuit, quàm prophetæ de suis personis docuerũt. Deinde, argumentũ glorię Christi, est apparatio spiritus sancti, cũ in Iordane baptisabatur, & uox patris de cœlo, quæ audita est ad Iordanem, & in transformatione: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitum est, hũc audite. Similiter & ea uox, qua dictũ est: Et illustraui, & rursus illustrabo. Accedit huc transformatio ipsa, qua se Christus tribus discipulis suis, Petro, Ioanni & Iacobo, ita uisendum proposuit, ut facies eius splẽduerit sicut sol, & uestimẽta illius facta sint candida sicut lumẽ. In ore duùm aut trium stat omne testimoniũ. Est & resurrectio à mortuis, quam maximis argumentis reuelauit, & comprobauit, certissimũ gloriæ eius testimoniũ. Declaratus fuit filius Dei (inquit Paulus) cum potentia, secundũ spiritum sanctificationis, ex eo q; resurrexit è mortuis. Deinde quantã uim testificandi de gloria Christi habet ascensus eius in cœlũ? quantam missio spiritus sancti in die Pentecostes? Quid quòd postea Euãgelion Christi diuulgatũ est, iuxta uaticinia prophetarũ, in totum terrarum orbem, & confirmatũ est maximis miraculis ab Apostolis, in nomine Christi editis? Hęc profectò omnia, imò etiã singula, manifestè testificantur de gloria & maiestate Christi. Nec sunt obscura testimonia, sed uiderũt ea Apostoli & reliqui discipuli, ac manifestata sunt publicè in hoc mũdo. Pontifices pręcipiebant Apostolis, ne omnino loquerẽtur, neq; docerent in nomine Iesu. At Petrus & Ioannes respondebant: An iustũ sit in conspectu Dei, uos potius audire, quàm Deũ, iudicate. Non enim possumus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. Et postea Petrus dicit: Hunc Deus suscitauit tertio die, & exhibuit eũ, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo: nimirũ nobis, qui comedimus & bibimus unà cũ illo, posteaquam resurrexit à mortuis. Et Ioãnes in epistola sua: Quod erat, inquit, ab initio, quòd uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt, de sermone uitæ: & uita manifestata est, & uidimus, etiã testamur, & adnũciamus uobis uitã æternã. Etsi enim nec impij Iudęi, nec crudeles Turcę his testimonijs fidẽ adhibent, quid tamen illorũ impietas ad nos? Scimus, mũdum semper persecutum esse Christum, & nihil tam absurdè dici posse, quod non ab impijs dicatur. Ac si nobis de religione sentiendũ esset, quod aut humana ratio somniat, aut uanissimi quique nugantur, quid nobis miserius? quid

Gloriæ Christi argumenta.

1

Prophetarum miracula.

2

3

4

5

6

quid inconstantius? Nūc res ipsa probat, testimonia Apostolorum & aliorū discipulorum, qui uiderunt gloriam Iesu Christi, certissima atq; ueriſsima esse. Primùm enim manifestū est, Messiam seu Christum patriarchis esse diuinitùs promissum, & Prophetas de Christo uaticinatos esse. Deinde manifestū est, etiāsi carnales Iudæi reclament, regnum Messiæ nō esse corporale, sed spirituale. Cum enim Prophetæ docent Christū passurum, & moriturum, & tamen regnum eius perpetuū fore: perspicuè significant, regnū Christi nō esse numerandū inter regna corporalia, & externa huius seculi, quippe quę sunt mutationi & internecioni obnoxia. Adhæc manifestū est, quòd ratio temporis aduentus Christi, quod à Daniele in septuaginta hebdomadis suis definitum est, incidat in illud tempus, quo Iesus Nazarenus, filius Marię, in terris fuit. Deinde manifestū est, quòd eo tempore nullus alius eā doctrinam docuerit, & ea miracula ediderit, de quibus Prophetæ uaticinati sunt, præterquam Iesus Nazarenus, filius Marię. prætera manifestum est, q̄ in nomine Iesu Euangelion uulgatum sit in uniuersum mundum, & in nomine Iesu uaria miracula ab Apostolis edita sint. Postea manifestum est, totā πολιτείαν & gloriā Iudæorum concidisse. Deinde manifestum est, omnes deos Gentiū ita euanuisse, ut uix nomina eorum supersint. Postremò manifestū est, impiam Mahumetis religionē esse recens excogitatā, ac omnino nullis firmis & certis testimoniis comprobatā. Et quanquam Satan excogitauerit eam ad abolendum Iesum Christū, tamen diuina potentia coactus fuit, etiam de Iesu Christo testimoniū ferre, quòd & docuerit Euāgelion, & ediderit miracula: quemadmodum scripta Alcorani, quæ extāt, indicant. Nō indigemus testimoniis Satanæ & impiorū hominum, sed admiramur imperscrutabilem maiestatē Domini Dei nostri, qui tanta potentia et industria efficit, ut aduersarij necesse habeant gloriā Iesu Christi eo ipso confirmare, quo ipsi eam maximo studio suo conantur infirmare. Nihil ergo manifestius est, quàm quòd iuxta testimonia Apostolorū, et reliquorū discipulorū, Iesus filius Mariæ, sit uerus Messias seu Christus, unigenitus filius Dei, quo uno & solo seruamur. Nos qui hoc tempore uitā agimus, non uidimus quidē externam personam Christi, non uidimus Christum post resurrectionem suam, ostentātem uestigia clauorum, quemadmodum Apostoli uiderūt: nihil tamen infœliciores sumus. Videmus enim maiestatem Christi, qua Euangelion eius uulgatum est in totum orbē terrarum: uidemus & habemus de manu, ut aiunt, in manum nobis tradita certissima Apostolorū testimonia: quibus si eam quam debemus, fidem adhibuerimus, nihil prorsum nobis ad uerā fœlicitatem cōsequendam deerit. Thoma (inquit) quia uidisti me, credidisti: beati qui non uident, & credunt. &: Non pro eis rogo tantum, sed & pro ijs qui credituri sunt per sermonem eorū in me, ut omnes unum sint, sicut & tu pater in me, & ego in te. Quare facessant omnia hominū somnia & impietates, nos gloriam Domini nostri Iesu Christi, tam ab Apostolis, quàm diuulgatione Euangelij Christi in omnes partes mundi manifestissimè testificatā, diuino spiritus sancti auxilio perpetua obseruantia & uene-

Iesum Nazarenum esse uerum Messiam.

ratione amplectemur. Sed pergit Ioānes maiestatem Christi describe-
„ re, & ait: Plenum gratia & ueritate. Posset fortasis de alijs quoque sanctis dici, quòd essent pleni gratia, quemadmodum Stephanus uocatur
Sancti pleni gratia. plenus fide & uirtute: sed ut sancti dicuntur lux, etiamsi non sint uera lux, sed tantum uel testes lucis, uel à uera luce illuminati: ita sancti possunt dici pleni gratia, non quòd ipsi sint thesaurus gratiæ, sed quòd gratiam aliunde pro sua mensura consecuti sint. Solus autem Iesus Christus, unigenitus filius Dei, uerè plenus est gratia: primùm quia Deus pater pleno & perfecto fauore complectitur filiū suū, & effudit in eum omnē diuinitatis suæ plenitudinem. Alijs datur spiritus ad mensuram, huic autē non est datus ad mensuram, sed superabundantissimè. Pater, inquit, diligit filiū, & omnia dedit illi in manum. &: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitū est. Deinde plenus est gratia, ꝙ nō ipse tantū gratiosus est apud Deum patrem, sed gratia in ipso ita superabundat, ut Deus propter ipsum faueat etiā omnibus in ipsum credētibus. Sic enim postea sequitur: De plenitudine eius accepimus omnes. & iterum: Sic Deus dilexit mundū, ut unigenitum filium suum daret, ut omnis qui credit in eū, non pereat, sed habeat uitam æternam. Postremò dicitur etiā plenus gratia, quòd attulerit prædicationem Euangelij sui hominibus longè omnium gratissimā, & confirmauerit ueritatem eius miraculis, quæ omnibus afflictis fuerūt acceptissima. Nulla enim unq̄ conscientijs propter peccatum & mortē turbatis gratiosior doctrina in terrā uenit, quàm doctrina Christi: nec miseri & calamitosi homines gratiora unquā acceperunt beneficia, quàm ijs miraculis, quę Christus in ipsis edidit. Quare huic soli tribuitur optimo iure et merito hoc epitheton, quòd sit plenus gratia. Sed & plenus ueritate dicitur, nō tā hoc nomine, quòd cū antea pharisæi docuissent uana somnia, ipse docuerit certissimam ueritatē: quàm quod in ipso uerè impleta sunt omnia quę antè promissa erant, & attulit ad nos uera bona. Post patriarchas uenit Dauid, & multa præclara stratagemata fecit, sed per eū non sunt uerè impleta quæ fuerunt patriarchis promissa. Venit & Hiskia, qui defendit urbē Hierusalem ab expugnatione hostium. Venit & Cyrus, qui concessit exulibus libertatē reparandi templi. sed nec per hos uerè impleta sunt uaticinia de salute populi Dei: solus autē Iesus Christus plenus est ueritate, propterea quod quicquid unquā salutis populo Dei diuinitùs promissum fuit, per hunc solū uerè impletum sit. Promissa fuit uera iusticia. ac Moses docuit quidem legē, in qua cōtinetur perfecta iusticia: sed quia nullus hominū potuit iusticiā legis perfectè facere, Moses attulit magis iniusticiā (lex enim est agnitio peccati, &, per legē peccatum fit mirū in modum peccans peccatū) quàm iusticiā. Solus autem Iesus Christus attulit ueram & perfectam iusticiam. Omnis enim qui credit in ipsum, reputatur uerè coram Deo iustus. Promissum fuit regnum & fœlicitas regni. Ac datum quidem est populo Dei regnum Canaan, in quo aliquoties non infœlicem, quantū ad corporalia bona attinet, uitā egerunt: sed nec hoc regnum fuit firmum, nec fœlicitas eius stabilis. Solus Iesus Christus attulit uerum regnū, quia cœle-

ste,

ſte,& uerã ac ſtabilem fœlicitatem, quia perpetuam. Quare hoc epithe ton, Plenus ueritate, nulli alteri uel patriarcharũ, uel prophetarũ, uel regum,uel monarcharum uerè competit,præterq; Domino noſtro Ieſu Chriſto. Sed de hac re poſtea,ſi Dñs dederit,copioſius,cũ ad hũc locum,Lex per Moſen,gratia autẽ & ueritas per Ieſum Chriſtum,peruenerimus. Nunc huic concioni extremam manũ imponemus, ſi prius admonuerimus uos,ut cũ ſolus Chriſtus ſit plenus gratia & ueritate, nullam uobis gratiam,nec in ſanctis hominibus,nec in ſanctis operibus,coram iudicio Dei queratis: ſed tantum in ſolo Ieſu Chriſto Domino noſtro per fidẽ. Habent quidem ſancti homines ſuam laudem,habent ſancta opera ſuam commendationẽ:ſed in iudicio Dei, ut non ualet patrociniũ Noe, Iobis & Danielis, ita multo minus ualet patrocinium bonorum operũ. Nec uſq; minor ſalus eſt, quàm in operibus noſtris: quæ ut neceſſariò faciẽda ſunt in hac uita, quemadmodũ aliàs copioſe oſtendimus,ita nihil minus fieri poteſt,q; ut ea patrocinentur nobis in iudicio Dei. nam cũ ſemper habeant aliquid uicij admixtũ, & caro nunquam non concupiſcat aduerſus ſpiritũ,nõ ſunt perfecta iuſticia, nec poſſunt Deo pro patronis & defenſoribus noſtris obtrudi. Solus Ieſus Chriſtus plenus gratia & ueritate, defenſor noſter eſt, & patronus, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XI.

QVAE hactenus Euangeliſta de Domino noſtro Ieſu Chriſto prædicauit,ea nunc publico teſtimonio Ioannis baptiſtæ confirmat. Etſi enim doctrina Apoſtolorum, in quorum numero Euangeliſta noſter præcipuum locum tenet,munita eſt autoritate ſpiritus ſancti de cœlo exhibiti:tamen quia Baptiſta primus fuit,qui præſente iam Chriſto docuit Chriſtianiſmum,& maximæ fuit apud omnes Iudæos autoritatis,teſtimoniũ eius affert Euangelicæ doctrinę de Ieſu Chriſto plurimum commendationis & confirmationis. Quare Euangeliſta opportunè recitat concionẽ Baptiſtæ de Chriſto,& ait: Ioannes teſtificatur de ipſo,& clamat dicens:Hic erat,de quo dicebam,Qui cũ me ſequeretur, anteceſsit me,quia prior me erat. Sententia autẽ Euangeliſtæ hæc eſt. Scripſi hactenus magna & admirãda de Ieſu Chriſto. Ea omnia dico eſſe certiſsima & firmiſsima. Non ſolũ enim nos Apoſtoli & diſcipuli uidimus miracula & argumenta, quibus Ieſus manifeſtè ſuã maieſtatẽ teſtatus eſt: ſed etiã Baptiſta eadem planè teſtificatus eſt de ipſo, priuſquam prædicatione & miraculis ſuis reuelatus eſſet:& quæ nos uidimus poſt prędicationẽ & miracula eius,rebus ipſis,ea uidit Baptiſta in illo ante prędicationem eius, ſpiritu ſancto. Sic enim concionatur de ipſo:Hic eſt,qui cum me ſequeretur,anteceſsit me, quia prior me erat. Eadẽ ſcribunt & alij Euangeliſtæ, Ioannem docuiſſe. Venit,inquiunt, is qui fortior eſt, poſt me,cuius nõ ſum idoneus,ut procumbens ſoluã corrigiam calceamentorũ. Ego quidem baptiſaui uos aqua,ille uerò baptiſabit uos ſpiritu ſancto. Dicitur autem Ieſus Ioãnem baptiſtam ſecutus, propterea q; poſtquam Baptiſta inchoaſſet iam officium baptiſandi & prædicãdi Euangelij,

Baptiſtæ concio de Chriſto.

uangelij, Iesus susceperit prędicatione & miraculis suũ officiũ, ad quod missus erat. Rabbi, inquiunt, qui erat tecũ trans Iordanem, cui tu testimoniũ perhibuisti, ecce is baptisat, & omnes ueniũt ad eum. & Petrus: De quo, inquit, sermone diuulgatum fuit in tota Iudæa, & rumore primùm orto à Galilæa post baptisma, quod prædicabat Ioannes, ut Iesum Nazarenum unxerit Deus spiritu sancto & uirtute. Et tamẽ antecesserit me, inquit Ioannes, quia prior me erat. His breuissimis uerbis Baptista omnia ea cõplectitur de Iesu Christo, quæ antè de ipso commemorauit Euãgelista, uidelicet quòd sit unigenitus Dei filius, quòd sit ab æterno apud Deũ, uerus Deus, quòd omnia per ipsum facta sint, quòd sit lux & uita hominum, denique quòd sit plenus gratia & ueritate, propterquẽ, quotquot ipsum per fidẽ recipiunt, adoptentur in filios Dei. Hoc certè uoluit Baptista significare, cũ affirmauit Iesum Christũ antecessisse ipsum, & baptisaturũ spiritu sancto. Quis autẽ parui penderet, quis fastidiret testimoniũ Baptistæ? Deus enim de cœlo cõfirmauit magnis miraculis autoritatem eius, iam tum in ipsius natiuitate. Ac in tãta fuit postea existimatione, ut habitus sit pro ipso Messia. Quare cum nõ solũ nos Apostoli & discipuli uiderimus manifesta argumenta maiestatis Iesu, sed etiam Baptista eadem de ipso, antequam publicè reuelarentur, cõcionatus sit, nullus planè dubitationi locus relinquitur, quin Iesus talis sit, qualẽ nunc eum descripsi. Pergo igitur ad reliqua. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Hęc ita recitari uidentur, perinde ac si essent adhuc concio Baptistæ: sed quia Euangelista mox distinguit testimoniũ Baptistæ ab hac concione, sentiamus Euangelistã redire ad id quod antè instituerat. Dixit enim de Iesu Christo, quòd sit plenus gratia & ueritate. Nunc ergo explicat usum huius plenitudinis. De plenitudine, inquiens, eius accepimus nos omnes. Nã Christus non sic plenus est gratia & ueritate, ut soli sibi hanc plenitudinẽ retineat, sed ut homines participent eã & fruantur ipsa. Primùm enim plenitudo Christi hæc est, quòd Deus maxima omniũ gratia & fauore eũ complectatur. Et hæc plenitudo tanta est, ut abundet & effluat, quo & homines de ea accipiant. Nam tantus est fauor Dei erga Christum filium suum, ut & Deus propter Christum faueat omnibus credentibus in Christum: id quòd spiritus sanctus in Aharone, qui fuit typus Christi, adũbrare uoluit. Aharon enim summus pontifex in consecratione sua ita perfusus est caput balsamo, ut deflueret in barbam & uestimenta eius, ac spargeret suauissimum odorem ad omnes spectatores. Sic & Christus unctus est balsamo diuini fauoris tanta abundantia, ut effluat in omnia mẽbra eius, & faueat Deus propter ipsum omnibus credentibus in eũ. In pontificia & monastica hypocrisi, sancti in cœlo habentur eo loco, ꝙ Deus tanta gratia cõplectatur sanctos, ut propter ipsos seruet omnes qui colunt eos officijs suis, & reddũt illos sibi sacris suis propitios. Hinc sunt sanctorũ cultus & inuocationes. Ac sancti quidem in cœlo suã habent in Ecclesia laudem & usum. Impiũ autem est, tribuere ipsis eam plenitudinem diuini fauoris, quæ est in solo Christo. Euãgelista enim nõ dicit, Accepimus oẽs de plenitudine sanctorum: sed, De plenitudine filij Dei.

Christi plenitudo.

Et

Et de hac plenitudine tantū acceperūt ſancti qui ſunt in cœlo, quātum ipſis ſatis fuit ad ſalutē: non autem acceperunt tantum, ut & Chriſtum exhauſerint, & ipſorū copia ſuccurrat mortalium inopię. Solus enim Ieſus Chriſtus eſt, & manet uera & affluens plenitudo diuini fauoris, ut quotquot ambiunt gratiā Dei, neceſſe habeāt eam ex plenitudine Chriſti accipere. Neq; enim Deus cuiquā hominū uerè & perpetuò fauet, niſi propter Ieſum Chriſtū unigenitum filium ſuum. Deinde Chriſtus plenus eſt, & abundat iuſticia. Maiorē enim & affluentiorem habet iuſticiam, quàm humana mens comprehendere poteſt. Tantam autē affluentiam non ſibi tantū habet, ſed habet eam etiam propter homines, ut & ipſi de ea accipiant. Ea enim eſt iuſticia Chriſti, ut propter ipſum reputentur corā Deo iuſti, omnes hi qui credunt in eū. Itaq; iuſticia eius effluit in omnes credentes. Hic autē uide mihi monachorum impietatē & blaſphemiam. Hi enim ſolēt homines adſcribere in ſuam, ut ipſi loquuntur, fraternitatem, & uendere eis merita totius ordinis ſui. Adhæc fraterculi aſsiſtentes agentibus animā, & ſollicitis de ſalute ſua, ſic ferè cōſolati ſunt eos: Bono animo eſto, en dono tibi omnia mea, & ordinis mei merita, quibus comitatus ac defenſus, horrendū illud iudiciū Dei effugere poſsis. Quid autē hoc aliud eſt, q̄; ſibi ipſi plenitudinem iuſticiæ adſcribere, & ſeſe in throno & maieſtate Chriſti collocare? Quid eſt blaſphemia in Chriſtū, ſi hæc non eſt? Scilicet monachi eam habuerunt affluentiā iuſticiæ, ut non indiguerint tanta in iudicio Dei, ſed potuerint multas partes etiam alijs hominibus dare. Quid ergo illud eſt: Non intres in iudiciū cū ſeruo tuo, quia nō iuſtificatur in cōſpectu tuo omnis uiuens? &: Gratia eſtis ſeruati per fidē, id q; nō ex uobis, Dei donū eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Nā hoc loco dicitur, Accepimus omnes de plenitudine filij Dei: nō aūt dicitur, De plenitudine monachorū. Quare fugiendæ ſunt impietates monachorū, & ſolus Chriſtus agnoſcendus eſt, plenus iuſticia, ut et nos propter ipſum corā Deo iuſti reputemur. Poſtremò Chriſtus plenus eſt, & abūdat omni cœleſti fœlicitate. Maior enim eſt fœlicitas eius, q̄; ut poſſit menſura humanæ rationis capi. Abundantia aūt eius effluit in homines. Quotquot enim credūt in eū, conſequuntur propter ipſum, cœleſtē & perpetuā fœlicitatē. Quod ut illuſtrius reddatur, cōferemus cū Chriſto Adamum, primum parentē noſtrum. Habet enim & Adā plenitudinem, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Quæ ergo eſt plenitudo Adæ? Adam factus eſt propter inobedientiā plenus peccatis, morte & damnatione, quæ plenitudo tam abūdans eſt, ut effluat in omnes poſteros eius. Omnes enim poſteri Adæ naſcuntur peccatores, morti & damnationi obnoxij. Propter unū hominē (inquit Paulus) peccatū in mundum introijt, & per peccatū mors, & ſic oēs homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Ad eundē modū ſua etiā eſt Chriſti plenitudo & abundantia. Sed interim maximū eſt in ipſis rebus diſcrimen. Quod ad plenitudinē attinet, Adam gerit typum illius futuri, nimirum Chriſti. Quod autē attinet ad eas res, ex quibus conſtat plenitudo, immenſa eſt differentia. Quæſo enim te, quantū differunt inter ſe peccatū, & iuſticia,

Adæ plenitudo.

ſticia, mors & uita, damnatio & ſalus? Nunc Adã propagator eſt pecca ti, mortis & damnationis: Chriſtus autẽ propagator eſt iuſticiæ, uitę & ſalutis. Et ſi Adam tantæ fuit potentiæ, ut effunderet plenitudinẽ ſuam in poſteros ſuos: quomodo Chriſtus unigenitus filius Dei nõ eſſet tanta potentia præditus, ut & ſuam plenitudinẽ in poſteros ſuos, qui ſunt credentes in ipſum, effunderet? Non ut peccatum, inquit Paulus, ita & donũ. Nã ſi unius peccato multi mortui ſunt, multo magis gratia Dei, & donũ per gratiã, quæ fuit unius hominis Ieſu Chriſti, in multos exuberauit. & mox: Si per unius delictũ mors regnauit per unũ, multo magis ij qui exuberantiam gratiæ & doni iuſticiæ accipiunt, per uitam regnabunt, autore uno Ieſu Chriſto. Itaq; ſicut per unius delictũ propagatum eſt malũ in omnes homines ad condemnationẽ, ita & per unius iuſtificationẽ propagatur bonũ in omnes homines ad iuſtificationem uitę. Habes plenitudinẽ Chriſti, collatam cum plenitudine Adami. Etſi autẽ plenitudine Adami, de qua omnes accepimus, perijmus: tamen ſi nunc de plenitudine Chriſti accipiamus, ſeruabimur perpetuò. Nõ eſt autẽ ſentiendũ, ꝙ plenitudo Chriſti talis ſit theſaurus, quales ſunt terreni. Hi enim tantũ deficiunt, quantum ſingulis diebus ex ipſis ſumpſeris, donec tandẽ nihil prorſus reliquum fiat. Theſaurus autem Chriſti nunq; deficit, nec plenitudo eius exhauriri poteſt. Nã quemadmodum qui lumẽ de alieno lumine accẽderit, nihil illi aufert, ſed relinquit ei ſuam abundantiã, cum interim et ipſe accenſo ſuo lumine fruatur: ita Chriſto nihil abſtuleris aut minueris de ſua plenitudine, ſi de ea tuã partem accipias: ſed quanto plures de ea accipiũt, tanto magis abundat. Agite ergo, amiciſſimi, accedamus ad tantã omniũ cœleſtium bonorũ abundantiam & plenitudinẽ, ut ea perfundamur, & ſeruemur. Sed quomodo, inquis, accedendũ eſt? & quid nobis faciendũ eſt, ut tantã affluentiam bonorũ participemus, & de plenitudine eius accipiamus? Hoc idcirco proponere uolui, ut diſcamus ueram Chriſtianiſmi rationẽ. Nam homines falſa doctrina in religione Pontificia ſeducti, exiſtimant Chriſtum cõmendaſſe plenitudinem & theſaurum gratię ſuę Romano Pontifici, cum ad Petrum dicit, Tibi dabo claues regni cœlorũ: quodcunq; ſolueris ſuper terrã, erit & ſolutũ in cœlis. Itaq; ſentiunt, Pontificem habere in ſua poteſtate ſcrinium gratię Chriſti, ac poſſe ex theſauro illo diſtribuere cuicũq; uoluerit. Hinc eſt, ꝙ cum Pontifex indiget pecunia, tunc aut inſtituit annum Iubilæum, in quo aperiat ſcriniũ plenitudinis Chriſti, aut emittit legatos ad circumferẽdas, quas uocant, indulgẽtias, ut quiſquis numerauerit pecuniã, & redemerit literas indulgentiarum, conſequatur aliquid de plenitudine Chriſti. Vnde & homines putãt ſe numeratione pecunię abundantiã theſauri Chriſti participare. Alij ſentiunt, ꝙ plenitudo & theſaurus Chriſti redimatur meritis bonorũ operũ, quæ nos noſtro arbitrio facienda ſuſcipimus. Hæ ſunt impię opiniones, et execrabiles impoſturę. Nam plenitudo Chriſti, nec eſt Romano Pontifici, eo modo quo Pontificij nugantur, diſpenſanda commẽdata: nec poteſt redimi, & ad participãdum ac fruendũ attrahi numeratione pecuniæ, aut meritis noſtræ iuſticiæ. Nam quòd Chriſtus ad Petrũ ait,

Rom. 5.

Chriſti plenitudo cui diſpenſatori commendata ſit.

Tibi

Tibi dabo claues regni cœlorũ: non commẽdat uni Petro, & ſucceſſoribus eius, Romanis pontificibus, liberã & arbitrariã poteſtatem dominandi pro ſua libidine, in theſauro gratiæ Chriſti: ſed comẽdat omnibus Apoſtolis miniſteriũ prædicandi Euãgelij de remiſsione peccatorum propter Ieſum Chriſtum, in toto orbe terrarũ: & docet, ſolam prędicationẽ Euangelij eſſe clauem, qua cœlum aperitur & clauditur, quẽadmodũ aliàs copioſè demonſtratum eſt. Quid autem dicã de meritis noſtrę iuſticię? Hęc enim iuſticia aut eſt humanitùs excogitata, ſed hãc Chriſtus perſpicuè reijcit: Fruſtra, inquiens, colunt me, docẽtes doctrinas, præcepta hominũ. aut eſt uerbo Domini mandata: ſed hæc, etſi lex eam perfectã exigit, tamen nõ perfectè ab homine præſtatur. Si autem non eſt perfecta, non poteſt benedictionẽ mereri. iuxta illud: Maledictus omnis qui nõ permanet in omnibus ſermonibus legis. Quare plenitudo Chriſti nec diſpenſatur Romanis indulgentijs, nec redimitur meritis humanæ iuſticiæ. Cui ergo diſpenſatio plenitudinis Chriſti cõmẽdata eſt, & quomodo accipitur? Hic nobis probè conſiderandũ eſt, quid Chriſtus ipſe de hac re doceat. Nam cũ dicit, Sic oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & prædicari nomine eius pœnitentiã ac remiſsionẽ peccatorũ in omnes gentes: haud obſcurè ſignificat, ꝙ diſpenſationẽ plenitudinis ſuæ cõmendauerit prædicationi Euãgelij, & diſtribuitioni Sacramẽtorũ eius: & ꝙ plenitudo eius accipiatur tantũ per fidẽ. Nã apud Marcũ perſpicuè ait: Ite in uniuerſum mundũ, & prædicate Euangelion omni creaturę. Hęc eſt plenitudinis Chriſti diſpenſatio. & addidit: Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Hęc eſt plenitudinis acceptio. In Euãgelio enim Chriſti & ſacramẽtis eius offertur & proponitur nobis theſaurus Chriſti accipiendus. Fide autẽ accipitur, quod per Euangelion & ſacramenta oblatũ atqꝫ propoſitũ eſt. Crede, inquit Paulus ad cuſtodẽ carceris, in Dñm Ieſum, & ſaluus eris tu & domus tua. Quare ubicunqꝫ prædicatur Euangelion Chriſti ſyncerè, & diſtribuũtur ſacramẽta eius, iuxta ordinationẽ & inſtitutionẽ Chriſti, ibi & plenitudo ac theſaurus Chriſti diſpẽſatur, etiãſi nulla Romani pontificis autoritas acceſſerit. Et quicũqꝫ adhibet fidem Euãgelio, & accipit ſacramẽta eius per fidem, is etſi nullã prorſus habet pecuniã, aut merita humanę iuſticiæ: tamẽ tantũ accipit de plenitudine ac theſauro Chriſti, ut & reputetur iuſtus corã Deo, & fiat hæres omnium cœleſtium bonorum, propter Ieſum Chriſtũ. Quid igitur? nihil'ne aliud boni faciendũ eſt, quàm credendũ? Certè omnia bona opera, quę Deus pręcepit, obendientiſsimè facienda ſunt: nõ autem hac opinione facienda ſunt, ut merearis partẽ plenitudinis Chriſti, ſed ut partẽ tuam iam fide acceptã non abijcias. Qui enim peccatis ſeruiunt, abijciũt Chriſtũ, quem fide acceperunt. Ambulandũ igitur eſt in bonis operibus, ne ingratus ſis in benefactorẽ Chriſtum, ſed ut beneficiũ conſerues. Qua de re aliàs ſæpè tractatum eſt. Quare nõ erimus nunc longiores. Cæterùm ut Ioãnes uſum plenitudinis Chriſti adhuc clarius explicet, addit, Gratiã pro gratia. Nam ſi intelligamus gratiam pro fauore Dei, tunc quòd dicit, Accepimus gratiã pro gratia, hanc habet ſententiã: Nos accepimus

Claues regni cœlorum.

Humanæ iuſticiæ merita.

cepimus fauorē Dei, pro fauore Christi: hoc est, Deus idcirco fauet nobis, quia fauet Christo filio suo. Itaq; sumus in gratia Dei, non propter merita nostra, sed tantū propter gratiā, qua Deus pater complecttitur Christū filium suum. Gratia Dei, inquit Paulus, & donū per gratiam, quæ fuit unius hominis Iesu Christi, in multos exuberauit. Hoc beneficiū maius est, q̄ quod aut animo agnoscere, aut uerbis explicare queamus. Quid enim superat hanc Dei beneuolētiam, quod cū de salute hominis ita actū sit, ut non possit suis uel uirtutibus uel meritis iuuari: donet tamē Deus homini Iesum Christū, unigenitum filium suum, ut qui non possit suis operibus seruari, alieno beneficio seruetur, & uerā salutem propter Christū, in quem credit, consequatur? Quòd si uerò intelligamus hoc loco gratiā pro donis, quæ Deus ex gratia & fauore largitur: tunc quod Euangelista dicit, Accepimus gratiā pro gratia, hanc habet sententiā. Deus contulit olim multa & magna beneficia in maiores nostros, idq; ex gratia propter Christū. Hæc abstulit quidem hoc tempore: sed pro illis accepimus nūc propter Christū, multo maiora & excellentiora, q̄ nobis oblata sint. Olim dedit Dominus maioribus nostris terrā Canaan: & dedit eam, non propter ipsorum iusticiā, sed propter semen Abrahę promissum, hoc est, propter Iesum Christū, ut esset regio in terris, in qua promissiones de ipso conseruarētur & adnūciarentur, ac homines per fidē iustificarentur. Nunc autē ablata est illa gratia, & adempta est posteris nostrorū patriarcharū (nam cū Ioānes hoc Euangelion scripsit, Hierusalē erat per Romanos deuastata, & Iudęi in exilium eiecti) terra Canaan. Sed pro hac gratia, pro hac terra, olim ex gratia donata, accepimus nūc in Christo cœlū. Olim dedit Deus populo nostro legē & cultū diuinū, ex qua consecuti sunt iusticiā externam & carnalem: & contulit in eos hanc gratiā, propter Christum, ut ex lege agnoscerētur peccata, quò cogerentur Christū inquirere, & ut Christus sacris Leuiticis adūbraretur, quo in ipsum crederēt. Nunc hæc gratia ablata est. Lex Mosaica, & sacra Leuitica, expulsis Iudæis è Hierusalē, abrogata sunt: sed pro hac gratia accepimus multo maiorē & prę̄stātiorem gratiam, nimirū Christum ipsum, ueram iusticiam: accepimus & in Christo uerū Dei cultum, quia adoramus nunc patrem in spiritu & ueritate, & clamanus Abba pater, qui cultus Dei longè omniū maximus est, et Deo gratissimus. Olim dedit Deus maioribus nostris regnū terrenū, & uictoriā super hostes finitimos, idq; ex gratia, propter Christū. Nunc ablata est hæc gratia, quia Romani dominantur in terra nostra, & hostes nostri potiuntur uictoria: sed pro hac gratia reddidit Dominus nobis in Christo multo maiorē gratiā, uidelicet uictoriā in morte & inferno, ac regnū ipsum cœleste. Quid hac cōmutatione melius? quid ea fœlicius? Quod autē Ioānes de beneficijs olim genti Israeliticę præstitis, & nunc per Christū compensatis, concionatur: hoc idem nobis qui ex gentibus sumus, pro nostra conditione optandū erit. Deus dat nobis gratiam uitæ, opum, dignitatis, & aliorum donorum, siue corporis siue animi: & dat ea nobis propter Christum, ut hunc per fidē cognoscamus, & ei seruiamus: sed paulo pòst aufert hanc gratiam,

& nunc

Gratia quid.

Eadem loquēdi forma extat in ἐλένῃ, quæ inscribitur Euripidi: χάρις γαρ ἀντὶ χάριτος ἐλθέτω.

& nunc adimit quidē opes, nunc dignitatem, nunc ſanitatem, nunc etiam uitam ipſam. Quæſo igitur te, quo id conſilio facit? Num ut pereamus? nequaquā, ſed ut reddat nobis gratiam pro gratia. Donauit enim nobis Ieſum Chriſtū filium ſuum. In hunc ſi credimus, pro terrenis opibus donantur nobis cœleſtes: et pro corporali uita, donatur nobis perpetua & ſemper fœliciſsima uita. Nā quemadmodū ager non dat gratiam ſuam, ut ita loquar, agricolæ, nec profert frumentū, niſi antè auferat ab agricola gratiā, hoc eſt, frumenti grana, pro ſemente (niſi enim agricola ſpargat ſementē, ac quodammodo perdat, nō recipit meſſem. Qui ſementē, inquit Paulus, facit parcè, is parcè meſſurus eſt:) ita Dominus Deus noſter ſolet nobis auferre dona ſua, nō ut relinquat nos omnibus beneficijs nudatos, ſed ut maiora nobis reſtituat, ac pro una ablata gratia reddat nobis nunc trigecuplā, nunc ſexagecuplam, nunc cētuplam. Aufert corporalia, quæ dedit, ut reſtituat ſpiritualia: aufert terrena, quæ ex gratia donauit, ut reddat nobis cœleſtia: aufert caduca, ut retribuat perpetua. Hanc tam fœlicē commutationē, non ſumus nos noſtra iuſticia meriti, ſed accipimus eā propter Chriſtū. Solus enim Chriſtus meritus eſt, ut quotquot in ipſum credunt, accipiant gratiā pro gratia. Quare nihil nobis prius, nihil poſterius agendum eſt, quàm ut fide cognoſcamus Chriſtū, & obedienter ſectemur uocationē eius, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XII.

CVM Euangeliſta ſuſceperit gloriam Chriſti exponendam, non eſt contentus ſimplici maieſtatis eius deſcriptione, ſed confert eum cū clariſsimis heroibus, ut ex collatione magis illuſtretur. Fuerunt enim duo præcipui, quantum quidem ad religionem attinet, heroes in orbe terrarum. Alter Ioannes baptiſta, qui tantæ fuit inter ſuos autoritatis, ut habitus ſit pro Meſsia ipſo: alter eſt Moſes, qui inter omnes prophetas, etiam Dei ipſius teſtimonio, excellit. Si quis fuerit, inquit Dominus, inter uos propheta Domini, in uiſione apparebo ei, uel per ſomniū loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſsimus eſt. Ore enim ad os loquor ei: palàm, & non per ænigmata & figuras, Deum uidet. Quare cum Euangeliſta contulerit antea Chriſtum cum Ioanne Baptiſta, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt, confert nunc Chriſtum cum Moſe: ut doceat, Ieſum Chriſtum maieſtate ſua ſuperare omnes ſanctos prophetas, adeoq; omnes qui unquam fuerunt, ſunt, aut erunt homines: nec apud ullum alium quærendam eſſe ueram ſalutem, præterquam apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nam dicet quiſpiam, ad ea quæ Euangeliſta hactenus de Ieſu Chriſto expoſuit: Quid tu ita extollis Ieſum, ut tribuas ei omnem diuinæ gratiæ plenitudinem, ac diuinitatem quoq; ipſam? Num tibi præ Ieſu Chriſto ſordet Moſes? Num tibi Moſes contemnendus & abijciēdus uidetur? Magnus certè uir fuit Moſes, & Deus magna beneficia contulit in homines per Moſen. In quem ergo locum Moſes reponēdus erit? Huic, quiſquis eſt, reſpondet Euangeliſta: Lex, inquiens, per Moſen data eſt, gratia autē & ueritas

Heroes in religione.

Chriſtum ſuperare omnes ſanctos.

ueritas per Iesum Christum facta est. Hæc est cóllatio Christi & Mosi. Nam Moses suum habet honorẽ, & sua sunt beneficia per Mosen præstita. Sed Iesus Christus superat Mosen, tam persona quàm beneficijs. Quod enim ad personas attinet, Moses prędítus quidẽ fuit diuino spiritu: homo tamẽ duntaxat fuit, et non Deus. Iesus Christus autẽ non est tantũ homo, sed est unigenitus filius Dei, adeoq; uerus & æternus Deus. Quod autẽ ad beneficia attinet, lex allata est per Mosen de monte Sinai: gratia autẽ & ueritas per Iesum Christũ, de cœlo. Cæterùm cum Euangelista opponat gratiã & ueritatem legi, haud obscurè significat, quæ officia legis intelligi uelit. Quare cõsideranda nobis est doctrina legis, et officia eius perspiciẽda sunt, ut & magnitudo beneficiorũ Christi nobis magis perspicua fiat. Principiò enim lex Mosi, cuius epitome est Decalogus, docet quidẽ & exigit perfectã iusticiã. Lex enim sancta est, inquit Paulus, & præceptũ sanctum, ac iustum & bonũ: sed homo peccato sic uitiatus est, ut non possit legem sanctã implere. Affectus enim carnis, inquit Paulus, inimicitia est aduersus Deum: nam legi Dei non subditur, siquidẽ ne potest quidem. Quare lex, occasione per peccatũ accepta, non iustificat hominem, sed ostendit ei iniusticiã: non delet peccatũ, sed auget: nõ promittit gratiam Dei, sed reuelat iram Dei: nõ uiuificat, sed mortificat: nõ saluat, sed damnat. Hic est præcipuus usus legis, hoc præcipuum eius officiũ. Etsi enim lex instituit quandam politicã honestatem coram hominibus, tamen nos loquimur nunc de spirituali officio legis, quales uidelicet homines fiant per legem, coram Domino Deo nostro. Non fiũt autem per legem iusti, sed peccatores: non fiunt per legẽ salui, sed damnati. Per legem, inquit Paulus, agnitio peccati. & iterũ: Lex operatur irã. ac rursus: Vt appareret peccatum, per id quod erat bonũ, mihi gignere mortem, ut fieret maiorem in modum peccans peccatũ per præceptum. & aliàs: Virtus peccati lex est. Nam cũ lex inuenit peccatum in homine, id planè agit, quod aqua calci infusa. Vt enim hæc excitat latentẽ in calce igneũ calorem, ita illa excitat latẽs in homine peccatũ, & ad cognitionẽ ac sensum educit, ut cõscientia terreatur, & ex terrore moueatur dubitatio, diffidẽtia & indignatio aduersus Deũ. itaq; lex non aufert peccatũ, sed multo magis augerè dicitur. Hoc officiũ legis uidetur quidẽ iniucundum, & explodendum: sed quo in loco sunt res nostræ, prorsus est necessariũ. Homines enim non uident magnitudinẽ peccati, & corruptionem naturę suæ: ac existimant externa sua opera esse perfectã legis impletionem, & ueram iusticiam coram Deo: ideoq; non cogitant, cur necessarius sit Iesus Christus ad consequendã ueram salutẽ. Decalogus autem, qui est epitome legis, ostendit nobis & peccatũ, & naturæ nostræ corruptionẽ: ut perspicuè uideamus, nos non posse implere legẽ, nec iusticiã nostram esse perfectam, sed necesse habere omnẽ nostram iusticiam aliunde petere. Quare Decalogus ponitur nobis ob oculos, ut officio eius retineamur in cognitione peccati & damnationis nostræ, ut excitemur ad inquirẽdã ueram iusticiã & salutem. Habes beneficiũ quod confert in nos Moses per legem suam, uideliceta gnitionem peccati, & diuinæ iræ, adeoq;

Mosi officia.

perpetuæ

perpetuæ noſtrę damnationis. Videamus nunc beneficiū Chriſti. Hoc aūt longè diuerſum eſt à beneficio Moſi. Per Moſen enim data & reuelata eſt ira Dei per Ieſum autem Chriſtum: exhibita eſt gratia Dei, quę opponit iræ. Etenim Dominus noſter Ieſus Chriſtus impetrauit hominibus tantam Dei gratiam, ut quemadmodū Deus pater complectitur ipſum ſummo omnium fauore, ita etiã cõplectitur fauore ſuo propter Chriſtum, omnes homines qui credūt in ipſum. Hac gratia, quę eſt per Chriſtū, nihil poteſt excellentius aut utilius excogitari. Cui enim fauet Deus propter Chriſtum, eum etiam adoptat in filiū, remittit ei omnia peccata, reputat eum iuſtum, & donat ei cœleſtem hæreditatem propter Chriſtū. Hęc certè omnia attulit nobis Chriſtus, quia attulit grati Dei. Sed imperiti Chriſtianæ doctrinę ĩſdē planè uerbis docent, ꝙ lex data ſit per Moſen, & gratia ſit per Chriſtū: deprauāt autem uerā ſententiam ſpiritus ſancti. Nam per gratiã, intelligunt caritatem in nobis: & dicunt, Chriſtum ſic attuliſſe gratiam, ꝙ det nobis donū ſpiritus, ſeu caritatē, qua legem impleamus, & ei ſatisfaciamus. Itaqꝫ uocāt caritatē in nobis, gratiam: quam qui habet, legem perficiat. Ac ueriſsimū quidē eſt, ꝙ caritas erga Deum & proximum ſit donū ſpiritus ſancti. Veriſsimum etiam eſt, ꝙ Chriſtus donet eos qui credūt in ipſum, ſpiritu obediendi & benefaciēdi. Nō enim poteſt ferre, ut ſui in peccatis ambulēt, & peccatis ſeruiant. Sed quādiu homo eſt in hoc mortali corpore, non poteſt, etiam ſpiritu ſancto prædituſ, legē ſuis operibus perfectè implere: nec ullus, etiã ſanctiſsimus uir, in hac terra, perfectè in ſe iuſtus eſt. Semper enim ſanctis ſuis, etiã quibuſqꝫ, id accidit, quod Paulus ait: Noui ꝙ non habitet in me, hoc eſt in carne mea, bonū. nam uelle adeſt mihi: at ut faciam bonum, non reperio. Et iterū: Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc autē inter ſe mutuò aduerſantur, ut non quæcunqꝫ uolueritis, eadē faciatis: hoc eſt, ut bona opera quæ facitis, nõ ſint perfectè bona, ſicut uelletis, ut eſsēt perfectiſsima, & ſine omni uitio. Nec ſentiendum eſt, ꝙ Chriſtus attulerit nobis hãc gratiam, ut per ſpiritū eius tollatur in nobis, quamdiu hic uiuimus, pugna carnis et ſpiritus. Caro eñ in hac terra ſempermanet caro, & ſemper pugnat cum ſpiritu in pñs, & credētib. in Chriſtum. Quare pñ nunꝯ ſunt in ſe & ſuis operib. perfectè iuſti: ſed hanc nobis gratiam attulit, ꝙ etſi habemus adhuc peccatum in carne, tamē ſi credimus in Chriſtū, ſumus in gratia Dei, ſumus Deo accepti, ac reputamur corā eo uerè & perfectè iuſti propter Chriſtū: quò etiã donamur ſpiritu ſancto, non ut caro mutetur in hoc ſeculo in ſanctitatē, ſed ut affectus carnis ſemper in hac uita manentes, morificentur, & nos opera iuſticiæ pro uirili ſectemur. Hæc fortaſsis uidentur indigna propter quæ audienda tēpus teramus, & algeamus: ſed profectò maiora ſunt, ꝯ quæ humana ratio æſtimare poteſt. Ea enim ſunt, quib. poſſumus expugnare omnia peccata, omnes afflictiones, omnia mortis genera, denicꝫ Satanam ipſum & infernum. Si quis principibus Romani imperĩ oſtenderet compendiariã uiã, & facilem rationem, qua poſſent Turcam perpetuū & anniuerſarium hoſtem uincere, ac Conſtantinopolim expugnare: quantã, obſecro, iniret

Chriſti beneficia.

Gratia per Chriſtū facta quæ ſit.

Sancti habent peccatum.

Opera humana nõ ſunt perfectè bona.

Homilia in hyeme dicta, cum magna eſſent frigora.

gratiam? & quantum beneficiū iudicaretur toti Romano imperio præ ſtitiſſe? Et tamen nec iuſtiores nec fœliciores corã Deo eſſemus, etiam ſi Cõſtantinopolis expugnata eſſet. Optanda quidem ſummis uotis eſt uictoria, et unicuiq; pro ſua uiríli & uocatione conandū eſt, ut tentoria tam imperij Romani, q̃ Eccleſiæ Chriſti dilatẽtur: ſed expugnata Conſtãtinopoli, nondū eſſet expugnata mors. Adhuc eſſemus obnoxij peccatis, morbis, morti & internecioni. Quare etſi maximū eſt beneficiū, oſtendere facilem rationẽ uincendi externi hoſtis, hoc tamen longè maius eſt, quo oſtendit uera & certa ratio uincendi peccati, ſuperãdæ mortis & inferni. Hæc aũt nobis quaſi digito monſtratur, cum illud Euangeliſtæ, Lex per Moſen data eſt, Gratia autẽ & ueritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, perſpicuè explicatur. nam cum ſenſus mortis obtruditur cõſcientiæ, tunc reuelatur etiam iudicium peccati, & audimus horrẽdã illam diuinę legis uocem: Tu maledictus & dãnatus es, quia grauiſsimè peccaſti. Hic ſi reſiſtamus & dicamus, Deus eſt miſericors, inuocabo Deũ, & propitius erit: ſtatim reſpõdetur nobis, Deus certè miſericors eſt & clemens, ſed his qui obedierunt legi ſuæ, & cõpleuerunt eam opere. Sciptum eſt enim: Faciens miſericordiã in millia, his qui diligunt me, & cuſtodiũt mandata mea. & iterum: Venient ſuper te uniuerſę benedictiones iſtæ, & apprehendent te, ſi tamen præcepta eius audieris, & omnia mandata eius cuſtodieris. Tu autem non cuſtodiſti mandata eius, id quod conſcientia tua, quæ eſt mille teſtes, nouit. Quare miſericordia Dei prorſus nihil ad te attinet. Quò nũc te uertes? quo te ,pripies? Hic certè captiui ſumus mortis & inferni. Sed bene habet, Euãgeliſta noſter oſtẽdit nobis in hoc loco uiam ad cõſequendã eam uictoriã, quæ nobis multo magis neceſſaria eſt, quàm expugnatio ſexcentarum Conſtantinopoleων. Lex, inquit, per Moſen data eſt, gratia aũt per Ieſum Chriſtum facta eſt. Agnoſcimus enim nos eſſe peccatores, id quod docet nos Moſes per legem ſuã. Agnoſcimus etiam nos meritos eſſe iram Dei, & indignos miſericordia & clementia Dei, quippe qui legem eius nõ ſeruauerimus, id quod ſimiliter nobis per Moſen indicatũ eſt. Non ſolus autem Moſes dominatur in orbe terrarum: ſed uenit Ieſus Chriſtus, unigenitus filius Dei, in hunc mundũ, per quem facta eſt gratia. Is enim iratum Deũ placauit, et impetrauit, ut quiſquis in ipſum credit, etſi non ſatisfecit legi operib. ſuis: tamen ſit propter ipſum in gratia Dei, & habeat propitium Deum, qui & peccata clementer remittat, & donet gratis cœleſtem hęreditatem, propter Ieſum Chriſtũ filiũ ſuum. Quare ſi opponamus Chriſtũ irę Dei, per fidem, & obijciamus eum iudicio peccati, fieri non poteſt quin & mors & infernus cedant, ac dẽt locũ perpetuæ ſaluti, & cœleſti fœlicitati. Hæc eſt certa mortis & inferni expugnatio. Et hactenus quidem de gratia quæ facta eſt per Chriſtũ, & quam Euangeliſta opponit legi, hoc eſt, iræ Dei per legẽ reuelatæ.

Mortis expugnãdæ ratio.

Veritas per Chriſtum facta quæ ſit.

Audiamus etiam nonnihil de ueritate, quam ſimiliter Euãgeliſta opponit legi: Lex, inquiens, data eſt per Moſen, gratia aũt & VERITAS facta eſt per Ieſum Chriſtũ. Quid ergo dicimus? An, quia ueritas opponitur legi, Moſes docuit in lege ſua mendaciũ? Nihil certè minus. Nam

ueritas

ueritas hoc loco non opponitur mendacio, prout est peccatū: sed opponitur umbris, figuris, rebus caducis & instabilib. Nā lex instituit uaria sacrificia ad expiāda peccata: ad hæc instituit politeian, ad conseruandā tranquillitatē in terra Canaan: ac policita est ciuibus, si seruauerint eam politeian, Deum daturū ipsis sanitatem, longitudinem uitę, & uictoriā super hostes suos. Hæc sunt quidem magna bona, sed nec sunt VERA, nec maxima. Nam VERITAS per Iesum Christum facta est. Primùm enim, etsi sacrificia habuerūt suo tēpore suum usum, quem aliàs copiosè explicuimus, tamen non sunt ueritas, non sunt uera peccatorū expiatio coram Deo: sed ueritas est per Iesum Christū, quia Christus est uerum sacrificiū pro peccatis nostris: & ea uerè ita expiauit, ut quotquot in ipsum credunt, cōsequantur propter ipsum remissionem peccatorū corā Deo, & reputentur tam iusti, in iudicio Dei, q̄ si ipsi operibus suis legi perfectè satisfecissent. Deinde ciuilis honestas in lege instituta, nō nihil quidem est, & habet suam cōmendationem, suamq̄ laudē: sed nō est uera honestas, nec est uera iustitia, quæ coram Deo constet. Veritas autem est per Iesum Christū, quia Christus attulit de cœlo ueram honestatem, ueramq̄ iustitiam. Nam propter Christū reputantur credētes uerè corā Deo iusti, & accipiunt spiritū adoptionis, per quem clamant ad Deū, Abba pater. Hęc inuocatio est uerus Dei cultus, cuius autor in nobis est solus Iesus Christus. Huc accedit, q̄ trāquillitas in terra, et longitudo huius uitę, quæ lex promittit obseruantibus politeian suā, sunt quidem iucunda bona, sed nō sunt uera & durabilis fœlicitas. Veritas autē est per Christum, quia Christus impetrauit & donauit credētibus in ipsum uerā tranquillitatem, & durabilem, hoc est perpetuò fœlicem uitam. Hęc sunt maxima beneficia, quib. nihil excellētius dici, nihil melius accipi potest. Sed quāto maiora sunt, tanto plus debēt nos excitare ad gratitudinem & obedientiā Dei. Sunt enim, qui ex commendatione gratuitorum beneficiorū Christi patrocinantur suæ ignauiæ & impietati: ac dicūt, Quid opus est, ut multū laboris suscipiam ad facienda bona opera, quando Christus impetrauit mihi omnem cœlestem gloriā, ac donat mihi eam gratis, si tantū credidero in ipsum? Hęc est impia cessatio. Quis enim ferret filiū amplissimi patrimonij hæredem, suam erga patrem seu ignauiā seu inobedientiā ita excusantē: Quid necesse est, ut multa officia tibi patri meo præstem, cū nō possim mereri patrimoniū, sed iam factus sim hæres natiuitate? at hæc præcipua causa est, quæ filium à cessatiōe expergefacere debet, propterea q̄ nullo suo labore, sed tantum quia legitimus filius est, tantā patrimonij amplitudinem cōsequatur. Sic & nostri erit officij, ut cum nō possimus mereri cœlestē hæreditatem, sed gratis nobis donetur propter Iesum Christū per fidem, tanto simus obediētiores Deo, quāto beneficia Christi magis gratuita sunt. Apud Matthæū, serui accipiunt gratis bona domini sui, & alius accipit quinq̄ talenta, alius duo, alius unum. Porrò qui accepit unum, nihil est per illud negotiatus, sed fodit in terrā, et abscondit pecuniā domini sui. Audit ergo: Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentiū. Quare si tantam supplicij grauitatē horre-

In Leuitico libro.

mus,expergiſcendum eſt: & quo plura beneficia conſecuti ſumus gratis per fidem propter Chriſtum, eo diligentius & fidelius uocationi Chriſti obediendū eſt in Ieſu Chriſto Domino noſtro,qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XIII.

ontulimus heri legislatorem Moſen cum Domino noſtro Ieſu Chriſto, ac perſpicuè uidimus, Ieſum Chriſtū longiſsimè anteponendū eſſe Moſi. Per Moſen, inquit Euangeliſta, data eſt lex, hoc eſt, agnitio peccatorū, ira Dei, damnatio, euanida ſacra, euanida bona: quæ etſi in ſuo ordine ſuū habent uſum, tñ per ſe nō afferūt ueram & perpetuò durabilē fœlicitatē. Per Ieſum Chriſtū autē facta eſt gratia & ueritas, hoc eſt, gratuita remiſsio peccatorum, clementia Dei, uera ac perpetua iuſtitia, uita & fœlicitas. Quare quantū ſuperat magnitudinē peccati, cōdonatio eius, ac mortē uita, & damnationē ſalus: tantū merito ſuperat Moſen Dominus noſter Ieſus Chriſtus. At enim dicet quiſpiam, Nō inuideo quidē Chriſto ſuū honorem: non eſt autē ferendū, ꝙ Moſes prorſus abñciatur, & pedibus cōculcetur. Etſi enim nō excellit Chriſtum, tñ eſt ipſi ut minimum æqualis, quippe qui cū Deo familiariter, & ut Scriptura ait, ore ad os collocutus ſit: ac Deū palàm, et nō per ænigmata, nec per figuras uiderit. Ad hāc ſeu obiectionē ſeu dubitationem reſpōdet nunc Euangeliſta, ut Chriſtū & beneficia eius magis illuſtret: Deum, inquiens, nemo uidit unq̄. Scio quidē de Moſe iactari, ꝙ uiderit Deū, & ꝙ hoc nomine excellat omnes alios homines: ſed manifeſtum eſt, ꝙ nullus unq̄ hominū in hac terra Deum, ut eſt natura & eſſentia ſua, uiderit. Tametſi enim Scriptura dicit, Moſen uidiſſe Deū palàm, & Dominū locutum eſſe ad Moſen facie ad faciē, ſicut ſolet homo loqui ad amicū ſuum: tamen paulo pòſt audit Moſes à Deo, Non poteris uidere faciem meam, Non uidebit me homo & uiuet. Huc accedit & Paulus, de Deo ſic ſcribens: Qui ſolus habet immortalitatē, lucem habitans inacceſſam, quem uidit nemo hominum, neq̄ uidere poteſt. Deus enim natura ſua inuiſibilis eſt humanæ carni: & maieſtas eius illuſtrior ac ſplēdidior eſt, q̄ ut poſsit humanis oculis ferri. Nā ſi oculi noſtri nō poſſunt ſuſtinere fulgorem huius externi ſolis, ſi rectè & incōniuenter in eum intueantur: quāto minus ſuſtinerent tantā diuinę maieſtatis claritudinem? Quare fieri non potuit, ut Moſes in hac terra uerā Dei ſubſtantiam, aut eſſentiā uiderit. Præterea Moſes fideliſsimus quidem fuit in domo Dei, ſeruus tamen creatus, non autem filius è ſubſtātia Dei ab æterno genitus. Primùm igitur Moſes non potuit Deū uerè uidere aut cognoſcere. Nemo enim, inquit Chriſtus, nouit patrē, niſi filius. Deinde ut Moſes non uerè uidit Deum, ita nō propoſuit Deum populo ſuo conſpiciendum, & manibus tractandū. Non enim fuit perſona Deus, aut filius Dei, ſed tantum ſeruus Dei: admirādis quidem donis ſpiritus ſancti ornatus, homo tamen, aut etiā filius Dei, ſed adoptiuus, non autē naturalis ab æterno genitus. Poſtremò nec Moſes ſatis perſpicuè enarrauit & expoſuit populo uolūtatem Dei. Etſi em̄, quod ad legē attinet,

Moſes nō uerè uidit Deum.

Deus natura inuiſibilis.

Moſes

Moſes luculẽter tradidit, quę ſit Dei uolũtas, & quid Deus à nobis exigat: aut ſi id q̃d exigit̃ nõ prę ſtiterimus, quãta ſit ſeueritas Dei, & quæ nos maledictiones Dei maneãt: tñ quod ad Euangelion æternę ſalutis attinet, non Moſes ipſe hoc enarrauit, ſed uaticinatus tantũ eſt aliũ uenturum, qui hoc ſit palàm enarraturus. Prophetã, inquiens, de gente tua & de fratrib. tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dñs Deus tuus, IPSVM AVDIES. Quare etſi Moſes ſuũ habet uſum & honorem, tamen nec perſona eius, nec miniſterium legis eius ſatis eſt, uel ad cognoſcendam uoluntatem Dei, uel ad conſequendam ueram & cœleſtem ſalutem. Cæterùm quod de Moſe diximus, etiã de alijs uel patriarchis, uel prophetis intelligendũ eſt. De patriarcha enim Iacob ſcriptũ eſt: Vidi Dominum facie ad faciẽ, & ſalua facta eſt anima mea. Eſaias dicit̃ uidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatũ. Ezechiel quoq̃ & Daniel uiderũt maieſtatem Dei. Sed quemadmodũ nec Moſes, ita nec hi ſeu patriarchæ, ſeu prophetę, uiderũt in hac corporali uita propriam & inacceſſam illam ſubſtantiã ac maieſtatem Dei. Quid ergo, inquis, uiderunt? Non certè uiderunt naturã ipſam Dei, ſed argumenta quędam maieſtatis, & teſtimonia prę ſentiæ eius. Iacob uidit Dominum facie ad faciẽ, quia filius Dei, qui luctabatur cũ ipſo, et benedicebat ei, propoſuit ipſi imaginem uiri, & perfudit animũ eius maxima conſolatione & cœleſti lætitia: quæ non fuerunt ipſa Dei ſubſtantia, ſed tantum prę ſentiæ eius teſtimonia, & clementiæ eius dona. Rubus Moſi, & propitiatoriũ, è quo Moſes audiuit uocẽ Dei, non fuerunt Deus ipſe, ſed miracula, & ſigna, quibus præſentia Dei reuelabat̃. Quæ aũt uiderunt alij prophetæ, ſimilitudines quædã diuinę maieſtatis fuerunt, non maieſtas, aut diuinitas ipſa. Firmus enim & certus eſt ſermo, quẽ dixit Euãgeliſta: Deũ nemo uidit unq̃. Porrò ut Deum nemo unq̃ uidit corporalibus oculis, ita nemo uidit eũ oculis humanæ mẽtis, aut ratiõis. Etſi em̃ humana ratio habet naturaliter quandã Dei cognitionẽ, uidelicet q̃ ſit Deus, & q̃ Deus ſit ſapiens & iuſtus rerũ gubernator, qui delectetur pietate ac iuſtitia, abominetur autem impietatem & iniuſtitiã: hæc tamen cognitio perexigua eſt, quippe quæ ſit obſcurata per peccatum, quod uocãt originale. Quid autẽ uerè ſit Deus, nulla unq̃ ratio perſcrutari potuit. Nec ulla eſt humana mens, quę ex ſe potuit cognoſcere quæ ſit uerè uoluntas Dei in cõdonando peccato, & in ſeruandis perditis hominibus. Paulus uocat hanc Dei uoluntatem, myſteriũ æternis temporibus tacitum. & aliàs: Loquimur, inquit, ſapientiam Dei in myſterio, quæ eſt recondita, quam præfinierat Deus ante ſecula, in gloriam noſtram, quam nemo principum ſeculi huius cognouit. ac rurſus: Animalis homo nõ accipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Quare ut nec Moſes, nec prophetę uiderunt uerã & perfectã maieſtatẽ ac naturam Dei in hoc ſeculo: ita nulla unq̃ humana ratio tam perſpicax fuit, quæ potuerit peruidere eſſentiam Dei, et miſericordem eius uoluntatẽ erga immeritos, aut malè meritos. Quæſo igitur te, quis nobis aut Deum uidendũ oſtendit, aut uoluntatem Dei cognoſcendam enarrat? Niſi enim Deũ uiderimus, & uoluntatem eius erga immeritos, quales ſunt omnes homines, cognoueri-

Patriarchæ & prophetæ non uerè uiderunt Deum.

mus, non consequemur ueram & cœlestem salutem. Sequitur ergo:
„ Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Moses petijt quidem ut uideret faciẽ Dei, quo posset eã Israelitis suis uisibilẽ proponere. Si inueni, inquiens, gratiam in cõspectu tuo, ostende mihi faciẽ tuã, ut sciam te. Hoc autẽ non fuit Mosi, sed soli Domino nostro Iesu Christo concessum. Moses enim seruus tantum Dei fuit, Iesus Christus autẽ est filius Dei. Fuit quidẽ & Moses filius Dei, sed adoptiuus: Iesus Christus autem est unigenitus & naturalis Dei filius. Ac Moses collocutus est quidem familiariter cũ Deo, sed nõ fuit ei datũ, ut esset in secretissimo diuinæ naturæ adyto, nõ fuit in sinu patris, nõ fuit de natura patris. Solus aũt Iesus Christus est in sinu patris, hoc est, uerè unigenitus Dei filius, ac uerus Deus de uero Deo. Quare solus Christus ἐξηγήσατο, hoc est, exposuit nobis Deum uisibilem. Sed quomodo? Primùm filius Dei est natura uerus & ęternus Deus, & assumpsit hominem, in unã personam. Quare filius Dei assumendo uisibilem hominem, sibi unitate personæ coniunctũ exposuit, eduxit in lucem, patefecit & ostentauit nobis palàm uisibilem Deũ. Nam qui Christum uidit, qui audiuit, qui tetigit, is ũidit, audiuit, tetigit personaliter & corporaliter uerum Deũ. Filius enim Dei, & homo assumptus, sunt una persona: & ut Paulus ait, In illo inhabitat oĩs plenitudo Dei corporaliter. Nec extra Christum alius est Deus. Sunt quidẽ aliæ duę personę, pater uidelicet, & spiritus sanctus. Sed extra Christũ nulla est alia diuina essentia, aut natura. Quare perspicuum est, ꝙ unigenitus filius Dei, homo factus, eduxerit uerũ Deum in lucem, & fecerit nobis Deũ uisibilem: adeoꝙ rectissimè à Christo aliàs dictum est, Qui me uidet, uidet & patrem meum. Itaqꝫ hac in parte superat Christus non tantum uulgares homines, sed etiã omnes patriarchas, omnes prophetas, deniqꝫ summũ prophetarũ Mosen. Qui enim hos uidit, is uidit magnos quidem heroas, sed nõ uidit Deum. Qui autem Christum uidit, is uerum uidit Deum. Deinde Iesus Christus non tantum exposuit nobis persona Deum uisibilem, sed etiã exposuit & patefecit nobis prædicatione arcanam uoluntatẽ Dei, alioqui prorsus incognitam. Etsi enim diuina uoluntas legis aliquo modo cognita est humanæ rationi, & comprehensa fuit monumentis literarum, nõ tantum per Mosen & prophetas, uerumetiam sua quadam ratione, per philosophos gentium: tamen ea diuina uoluntas, quę est propria Euãgelij, hoc est, gratuita Dei clemẽtia & misericordia, hominibus natura sua omnino incognita est. Solus autẽ Iesus Christus patefecit nobis hanc uoluntatem Dei, uidelicet quòd Deus uelit propter Christũ omnes in ipsum credẽtes perpetuò seruare, idꝙ nullo humanę iustitię merito, sed mera & gratuita sua clemẽtia & bonitate. Sunt & patriarchę & prophetæ de hac Dei uoluntate ab initio orbis terrarum cõcionati, nõ sunt autem id ex seipsis cõmenti, sed Christus patefecit eis, & de Christo locuti sunt: Reportãtes, inquit Petrus, finem fidei uestræ, salutem animarũ, de qua salute exquisierũt, & scrutati sunt prophetæ, qui de uentura in uos gratia uaticinati sunt, scrutantes ad quem aut cuiusmodi temporis articulũ significaret, qui in illis erat SPIRITVS CHRISTI. Itaque solus

Nemo Dei exposuit nobis Deum uisibilem.

Euangelion de Christo hominibus natura incognitum.

Christus

Christus unigenitus Dei filius is est, qui & antea per patriarchas & prophetas patefecit nobis gratuitam Dei misericordiã, alioqui omni homini absconditam: & postea homo factus, personali sua ipsius prędicatiõe explanauit. Hæc, inquiens, est uoluntas eius qui misit me patris, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. & iterũ: Sic Deus dilexit mundũ, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternã. Qui hãc uoluntatem Dei cognoscit, certè multo magis Deũ uidet, q̃ꝑ si uideret rubum Mosi, aut propitiatoriũ tabernaculi, aut Seraphim Esaiæ. Cum igitur Christus filius Dei patefecerit nobis hanc uoluntatẽ Dei, tam reuelationibus propheticis, q̃ꝑ sua ipsius prædicatione, rectissimè dicit, q̃ꝓ non solũ persona sua, sed etiã uerbo prædicationis suæ proposuerit nobis Deum uisibilem. Quæ cum ita se habeant, agitedum transferamus nũc hoc quod Euãgelista dicit (Deũ nemo uidit unq̃ꝑ: unigenitus filius qui est in sinu patris, ipse enarrauit) in uerũ ac legitimũ suũ usum. Paucissima sunt uerba, sed epitome sunt totius Euãgelij, & usus eorũ latissimè patet. Ac initiò ueritas Christianæ religionis hoc dicto ita explicatur, ut interim omnes aliæ religiones refutentur, & impietatis atq̃ꝑ mendacij arguãtur. Hoc eo diligentius cõsiderandũ est, q̃ꝓ ignari ueritatis soleant existimare, unũquemq̃ꝑ in sua religione seruari, si modò honestã ducat uitã. Non enim est ulla gens tam immansueta atq̃ꝑ fera, quæ nõ glorietur de Deo, & iactet se uerũ Deum colere. Ethnicus dicit se credere in summum Deum, omnia gubernantem. Iudæus ait, se credere in Deũ creatorem cœli & terrę. Turca affirmat, se unum Deum colere & timere. Sed uanissimę horum iactationes omnes uno hoc dicto, Deũ nemo uidit unq̃ꝑ, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit, retunduntur. Qui enim aut ignorant, aut cõtemnunt & persequũtur Christũ, hi nec possunt Deũ uidere, nec clementem & misericordem eius uolũtatem cognoscere. Solus enim Christus unigenitus filius, qui est in sinu patris, exposuit & patefecit Deum, ac uoluntatem Dei: & extra Christum, non est Deus. Quare qui non agnoscit Christũ, sed cõtemnit eum, is nullum habet Deum: nec seruari potest, etiamsi alioqui sanctitate omniũ hominum prędituss esset. Accedit huc, q̃ꝓ hoc dicto omnes superstitiones, omnes ordines monastici, omnia missarũ sacrificia in Christianismo refutent. Etsi em̃ hypocritæ, monachi & sacrifices gloriantur nõ de Deo tantũ, sed etiam de Christo filio Dei: tamen quantum in ipsis est, abolent officiũ Christi, nec sinunt eum esse uerum Christum. Nam uerus Christus is est, per quem solum agnoscimus uoluntatem Dei, alioqui incognitã: & per quẽ solum possumus uidere Deũ, & accedere ad Deũ, alioqui inuisibilem & inaccessum. Verum item officium Christi est, quòd propter ipsum tantũ consequamur æternam fœlicitatem, per fidem. Hypocritę autẽ & monachi faciunt ex Christo Deũ ipsum inaccessum: ex Maria autem uirgine, ex sanctis demortuis, & ex bonis suis operibus, faciũt Christos, hoc est, tales, per quos liceat accedere ad sæuum illum, quem fingunt, & truculentum Christum, prius nobis inaccessum. Sentiunt enim se uel sancto-

Euangelij epitome.

Christi officiũ aboletur hypocrisi.

rum,uel ſuorum operum meritis impetrare à Deo remiſsionẽ peccatorum,& uitã ſempiternam. Hęc eſt magna impietas,quę et manifeſtè hic refutatur. Nemo enim unquam uidit Deũ. Vnigenitus filius,qui eſt in ſinu patris,ipſe enarrauit. & aliàs: Scimus, inquit Ioannes, quòd filius Dei uenit,& dedit nobis mentem,ut cognoſcamus illum,qui uerus eſt: & ſumus in uero, in filio eius Ieſu Chriſto. Hic eſt uerus Deus,& uita æterna. Quid enim potes tibi de Deo polliceri,abſq; Chriſto filio eius? Accedendum eſt ad Deum fide, & credendum eſt in Deum. Sed niſi in Chriſtũ crediderís,non potes inuenire Deũ. Non enim eſt Deus abſq; Chriſto: Credite mihi,inquit,quod ego in patre ſum,& pater in me. & iterum: Nemo uenit ad patrem,niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrem meum utiq; cognouiſſetis. Accedendum item eſt ad Deum oratione,& inuocandus eſt Deus per fidem. Sed niſi Chriſtũ in oratione attuleris,Deus nequaquam te ad conſpectũ ſuum admittit. Si manſeritis,inquit,in me,& uerba mea in uobis manſerint,quicquid uolueritis, petetis,& fiet uobis: quia ſine me nihil poteſtis facere. Accedendum eſt etiã ad Deum bonis operibus, nõ quòd mereamur aliquid humana iuſtitia coram Deo,ſed q̃ obediendũ ſit uocationi Dei, & ambulandũ in uia Dei: ac niſi Chriſtũ non tam bonorum operum, q̃ totius ſalutis tuę autorẽ habueris,nullus patebit tibi acceſſus ad Deũ. Neceſſariũ enim eſt,ut antè cum Deo per Chriſtũ reconciliatus ſis,q̃ Deo tua opera placeant. Si enim placẽt,propter Chriſtũ propitiatorem,non propter tuã iuſtitiam placent. Poſtremò accedendum eſt ad Deum morte. At niſi Chriſtus te comitetur, craſsiores ſunt tenebræ mortis, q̃ ut per eas ad ſplendorẽ diuinæ lucis peruenire poſsis. Hæc certè omnia uno hoc dicto cõtinentur, Deũ nemo uidit unq̃: unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris,ipſe enarrauit. Quare memoria eius perpetuò nobis cõſeruanda eſt,ut ad uidendũ Deum, & ad conſequendam ueram ſalutem,cognoſcamus beneficiũ unigeniti filij Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

1. Ioannis 5.

Deus quomodo accedẽdus.

HOMILIA XIIII.

QVAE hactenus ex Euangeliſta Ioanne ab initio recitauimus & explicuimus, ea ſunt epitome & compendiũ totius Euãgelij de Dño noſtro Ieſu Chriſto. Verum enim Euangelion de Ieſu Chriſto,hoc eſt,q̃ ipſe ſit uerus Deus,& uerus homo, ab æterno quidem Deus de Deo patre genitus: in plenitudine autem temporis, homo de muliere natus, q̃ omnia per ipſum ſint creata, q̃ nullus hominũ niſi per ipſum ſeruetur, q̃ per ſolũ ipſum cognoſcamus Deũ, q̃ propter ſolũ ipſum, ſi crediderimus in eum,habeamus Deum propitium,& cõſequamur iuſtitiam ac fœlicitatẽ: hæc omnia paucis quidẽ,ſed perſpicuis uerbis, hactenus expoſuit Ioãnes. Nũc igitur,quod fauſtũ fortunatumq̃ ſit, accedit ad deſcribendã hiſtoriã doctrinę cõcionũ & miraculorũ Ieſu Chriſti,idq̃ in hunc,quẽadmodũ ipſe fateť,uſum,ut credamus,q̃ Ieſus ſit Chriſtus ille filius Dei,& ut credẽtes uitã habeamus per nomẽ eius. Voluit aũt Chriſtus,inchoaturus prędicationẽ Euãgelij ſui,antè innoteſcere mũdo per

teſtimonium

teſtimonium ſeu cõciones Ioãnis Baptiſtæ. In Propheta enim dictũ eſt: Ecce ego mittam angelũ meum, & pręparabit uiam ante faciem meam. Ac iterũ: Ecce ego mittã uobis Eliam prophetã, anteq̃ ueniat dies Dñi magnus & horribilis. Hic angelus & Elias, eſt Ioannes Baptiſta, quẽad modum & Gabriel & Chriſtus ipſe interpretant̃. Sed & Paulus de Ioãne Baptiſta in Antiochia Piſidiæ ſic cõcionatur: Deus adduxit Iſraeli è ſemine Dauidis, ita ut promiſerat, ſeruatorẽ Ieſum, cũ antè prædicaſſet Ioannes ante faciem introitus eius baptiſmũ pœnitentiæ Iſraeli. Quare Euãgeliſta rectè & ordine hoc facit, q̃ primùm oĩm recitet teſtimoniũ Ioãnis Baptiſtæ de Ieſu Chriſto, cuius et antea mentionẽ fecerat: Et hoc (inquiens) eſt teſtimoniũ Ioannis, quando miſerant Iudęi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas, ut interrogarẽt eum: Tu quis es? Dignum aũt eſt, ut diligẽtiſsimè obſeruetur teſtimoniũ Ioãnis Baptiſtæ, quippe q̃ plurimũ faciat ad uerã cognitionem Ieſu Chriſti, ſeruatoris noſtri. In Propheticis eĩm cõcionibus non ſolum hoc extat, q̃ Chriſtus, uerus populi ſeruator ſit uenturus in hunc mundum: ſed etiam ſigna quædam et argumenta proponũtur, quibus animaduerti poteſt, quo tẽpore ſit expectandus. Ac pręter alia etiã hoc ſignũ aduẽtus Chriſti traditum fuit, q̃ tunc Chriſtus ſit in propinquo, cum audiant uocem clamantẽ in deſerto, ut parent uiam Dño: hoc eſt, ut reſipiſcãt, & excipiant Chriſtum obediẽter. Sic eĩm in Eſaia ſcriptũ eſt: Loquimini ad cor Hieruſalem, & aduocate eam, quoniam cõpleta eſt militia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Dñi duplicia p̃ oĩbus peccatis ſuis. Vox clamãs in deſerto: Parate uiam Dño, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. hoc eſt, tũc certi ſitis, Meſsiã illũ, per quem dimittetur iniquitas, & qui afferet omnem cõſolationem & ſalutem, propè adeſſe, cum exortus fuerit concionator in deſerto, qui uocet auditores ad pœnitentiam, ut ſuſcipiant Dominũ iam aduenientẽ. Hic autem cõcionator, & hęc uox clamans, fuit Ioãnes Baptiſta, quemadmodũ res ipſa declarat, & poſtea explicabitur. Quare digniſsimũ eſt, ut teſtimoniũ Baptiſtæ magna obſeruatione cõſideretur, quò & cognoſcatur, non eſſe nobis alium Meſſiam, alium ſeruatorem expectandum, quàm eum quem nobis Baptiſta demonſtrauit. Nihil quidem harum rerũ quæ nobis de certitudine ueræ religionis traduntur, iucũdum eſt cõtemptoribus pietatis. Hi mallent certitudinem diuitiarũ, & abundantiã uini ac frumenti (beatũ eĩm populũ dicunt, cui hęc ſunt) q̃ certitudinem religionis, & abũdantiam teſtimoniorum de uero Chriſto ac ſeruatore noſtro. Amatoribus aũt pietatis cognitio teſtimonij Ioannis nõ ſolum eſt iucundiſsima, ſed etiã utiliſsima: propterea quòd tanto certiores reddant̃ de uero Meſsia, & uera ſua ſalute per Meſsiam, quanto clarius cognoſcunt teſtimoniũ Baptiſtæ. Quod igitur attinet ad hanc Iudæorum legationem, coram qua Baptiſta teſtificatus eſt de Ieſu Chriſto, res ita ſeſe habet. Poſtq̃ homo factus eſt propter peccatum obnoxius non ſolum omnibus corporalibus afflictionibus & morti, uerumetiam perpetuę internecioni p̃miſit Deus ab initio orbis terræ Chriſtũ filiũ ſuũ ſeruatorẽ. Et hæc promiſſio, quæ diuinitùs ad Patriarchas dicta fuit, illuſtrata eſt poſtea magis ac magis

Mal. 3. & 4.

Act. 13.

Ioãnis Baptiſtæ teſtimoniũ de Chriſto.

Eſa. 40.

De Iudæorum legatione ad Baptiſtam.

ac magis per prophetas. Porrò Spiritus ſanctus non tantum reuelauit Chriſtum ſeruatorem in hunc mundum uenturum, ſed etiam indicauit manifeſta quædam ſigna, quibus notari & animaduerti poſſet tempus, tempus inquam aduẽtus huius ſeruatoris. In Gen. enim cap. xlix. dicit: Non auferetur ſceptrũ de Iuda, & ſcriba de pedibus eius, donec ueniat Saluator, ad quẽ pertinet iuſtificatio populorum. Et in Daniele cap. ix. Abbreuiãtur ab exitu uerbi, hoc eſt, ab inchoatione prędicationis prophetarum Aggæi & Zachariæ, quæ facta eſt anno ſecũdo Darij Longimani, ſeptuaginta hebdomades annorum, quæ faciunt quadringentos nonaginta annos, uſq; ad Chriſtum ducem, & cõfirmationem pacti ſeu Euangelij eius. Quo autem tempore Baptiſta prædicabat pœnitentiam in deſerto, ablatum erat à Iuda, non regnũ tantum, ſed etiã autoritas publici iudicij. Ad hæc, complebantur hebdomadæ Danielis. Cum igitur Baptiſta initiò natus eſſet magnis miraculis, deinde uir eſſet admirabili ſanctitate illuſtris, prętera haberet ſummã in toto populo autoritatem, ac inſtitueret quoq; nouum ſacramentum religionis, uidelicet baptiſmum: exiſtimauerunt Iudæi, ipſum eſſe uerum illũ Meſsiam, qui antè promiſſus erat: & congregata ſynodo in Hieruſalem, decernũt ſuffragijs ſuis Baptiſtã in Meſsiam eligendũ, ſi modò ipſe cum hac publica electione & ſententia conſentiat. Itaq; miſerunt ad ipſum legatos, non quoſuis è medio plebe, ſed ſacerdotes & Leuitas, qui profeſsiõe ſua erãt Phariſæi, & qui ſummum autoritatis locum obtinebãt in populo: ut nõ ſolum animum eius cognoſcerẽt, ſed etiã certi aliquid ſtatuerẽt. Meminit & Chriſtus huius legationis poſtea, cũ ait: Vos miſiſtis ad Ioãnem, & is teſtimonium reddidit ueritati. & mox: Ille erat lucerna ardẽs, & lucens: uos autem uoluiſtis ad tempus exultare in luce eius. Hæc eſt grauis reprehenſio Iudæorum, ac profectò meritò reprehendẽdi ſunt imperitiæ & malitiæ in hac legatione. Etſi enim erãt ſacerdotes & Leuitę, adeoq; Phariſæi, hoc eſt, duplici nomine profeſſores ſacrarũ literarum: tamen quia ſtatuunt ſe Baptiſtã in Meſsiã electuros, & pro Meſsia habituros, perſpicuè ſignificant, ſe aut nullã habere curam Sacræ ſcripturæ, aut non intelligere ueram ſcripturę ſentẽtiam. Primùm enim manifeſtum erat, Baptiſtam natum eſſe è genere ſacerdotali. Meſsias autem nõ erat promiſſus de ſacerdotibus, hoc eſt, de tribu Leui aut Aharonis, ſed de tribu Iuda, ſeu Dauidis: niſi fortè ſenſerint etiam eos poſſe dici de familia Dauid, qui erant de familia ſacerdotum, propterea q̃ hę familię coniugijs inter ſe commixtæ fuerunt: ſed hoc magis argutũ erat, q̃ ſimplicitati Scripturæ conueniens. Deinde manifeſtum erat, Baptiſtam in alio loco, q̃ in Bethlehem natũ eſſe. De Meſsia autem decàntatum & uulgatum erat è propheta Micha, q̃ naſciturus eſſet in Bethlehẽ. Quid ergo hac inſcitia et incogitãtia ſtupidius? Sed ſic occęcari ſolẽt ij, qui neglecta uerè Sacra ſcriptura, cõferunt ſe totos ad ſtudiũ carnalis ſapientiæ, & humanarum traditionũ. Quid autẽ dicam de impietate & malitia illorum? Scriptura haud obſcurè ſignificauit, Meſsiam uenturũ, ut expiet peccata, & afferat iuſtitiã: hoc eſt, regnum Meſsiæ non fore corporale, ſed ſpirituale & cœleſte. Cõſummabit, inquit Daniel, pręuaricatio,

Ioannis 5.

Opinio Iudæorum de Meſsia.

tio,finem accipiet peccatum,delebitur iniquitas,& adducetur iuſticia ſempiterna. & Eſaias: Ipſe,inquit,uulneratus eſt ,ppter iniquitates noſtras,attritus eſt propter ſcelera noſtra. Iudæi aũt,& ſacerdotes ac Phariſæi eorum,ſtudent cognoſcere,num baptiſta ſit Meſsias: non ut per ipſum conſequantur remiſsionem peccatorum & iuſticiam,ſed potius ut per ipſum excutiant à ſe iugum Romanorũ præſidum,ac fiant domini huius mundi. Exiſtimant enim,ſe ſua induſtria poſſe parare ſibi iuſticiam,ſi modò habeant regna,diuitias,& fœlicitatem huius ſeculi. Hoc certè uulgare eſt ingenium hominum,quòd magis quærant fœlicitatẽ huius ſeculi,quàm ueram iuſticiam:ac ſentiãt,ſe facile iuſtos fore,ſi modò conſequantur diuitias & imperia. Det uitam (inquiunt) det opes, animũ mi æquum ipſe parabo. Sed ut hæc opinio ſumma eſt ſtulticia, ita magna etiam eſt impietas. Nulla enim eſt certa & durabilis fœlicitas in hoc mundo. Nec Chriſtus promiſſus eſt,ut afferat corporalia bona,& externam in hoc ſeculo fœlicitatem. Huc accedit,quòd uera iuſticia,quam iſti putant humana induſtria parabilem,ſit cœleſte donum Dei,quod non conſequimur uiribus carnis,ſed ex mera tantum miſericordia Dei propter Ieſum Chriſtum,per fidem,quæ eſt opus Spiritus. Cum enim de uera iuſticia loquimur,nõ eſt nobis ſermo de externa uitæ honeſtate:ſed de ea iuſticia,qua cõſtamus in iudicio Dei,quæ eſt ſolus Ieſus Chriſtus,Dominus noſter,& remiſsio peccatorũ propter ipſum. Chriſtus autem eſt Iudæis,hoc eſt,honeſtis & iis qui uidentur ſancti homines,offendiculum: Græcis uerò,hoc eſt,ſapiẽtib. ſtulticia. Quare ad hanc iuſticiam cõſequendam impotentes ſunt humanæ uires, ſed opus eſt Spiritu ſancto: qui ut datur nobis per Euãgeliõ Chriſti,ita maxima cura conſeruandus eſt,quo et Chriſtus uera iuſticia conſeruetur. Iam & hoc mihi conſidera,quòd Iudæi transferãt in Baptiſtam honorẽ Meſſiæ,quia uident in eo admirabilem uitæ ſanctitatem. Hoc enim eſt humanæ ſeu cæcitatis,ſeu impietatis ingenium,quòd uel quæ opera uident eſſe iuſta, uel quas afflictiones uident eſſe graues, uel quos homines uident eſſe ſanctos,iis tribuant Meſsiæ honorem. Sentiunt enim iuſta hominum opera,& graues eorũ afflictiones eſſe expiationes peccatorum coram Deo,ac homines ſanctos eſſe mediatores inter Deum & peccatores. Hic eſt honor,qui ſoli Chriſto competit. Nihil autẽ magis impium eſt, cꝫ ꝙd ad ſolũ Chriſtum pertinet,in homines, aut humana opera trãsferre. Quare ut hypocritę, qui confidunt ſua operũ iuſticia, & aliorum hominum ſanctitate,grauiſsimè peccãt: ita Iudæi, qui tranſferre ſtudent honorem Meſſię in Ioannem baptiſtam propter ſanctitatem eius,impiiſsimè errant. Sed dicamus nunc de teſtimonio Baptiſtę: Et confeſſus eſt,& non negauit. Et cõfeſſus eſt, non ſum ego Chriſtus. « Hoc ut breuiter ſimpliciterꝙ narratur, ita nõ eſt ſimpliciter prætereũdum. Paucis enim uerbis maxima & excellentiſsima Baptiſtæ uirtus prędicatur. Nam legati Hieroſolymitani haud obſcurè ſignificant,uniuerſum Iudaicum populum in eo eſſe,ut Baptiſtam eligant, ac habeant Meſsiam,ſi modò ipſe tantam maieſtatem ſuſcipere uelit. Baptiſta autẽ ingenuè & publicè confeſſus eſt ueritatem,ac perſpicuè negauit ſe eſſe Chri-

Iuſticia uera in iudicio Dei quæ ſit.

Baptiſtæ conſtantia.

Christum,nec potuit autoritate uel Concilij uel legatorum perpelli,ut maiestatem Messiæ ultrò delatã susciperet. Hæc ueritatis & constãtiæ uirtus maior est,q̃ q̃ uerbis dignè explicari queat. Nã ut maiestas Messię,ita etiã potestas eius prędicata est à prophetis longè omnium maxima in toto orbe terrarum: Gloria,inquit Psalmus,& honore coronasti eum: cõstituisti eum super opera manuũ tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. & iterum: Dominabitur à mari usq; ad mare,& à flumine usq; ad terminos orbis terrarũ. Coram illo procident Æthiopes,& inimici eius terram lingent. ac mox: Adorabunt eum omnes reges,omnes gẽtes seruient ei. Quæso te,quis unq; summorũ in terris monarcharũ tantã habuit maiestatẽ & potestatem,quantam in his locis spiritus sanctus tribuit Messiæ? Cum igit̃ Ioannes baptista recusauit oblatum honorem Messiæ,quid obsecro aliud fecisse uidetur, q̃ monarchiã,nõ dico terræ tantũ,sed totius creaturæ,hoc est,summam rerum maiestatem & fœlicitatẽ recusasse? Huc accedit,q; penes hos qui offerebãt Baptistæ honorem Messiæ,erat summa autoritas & potestas Iudęorum,qui tunc iudicabãtur electus populus Dei: ac periculosissimũ uidebat̃,tantorum uirorũ autoritati & uoluntati obsistere. Quare cum Baptista palàm negat se esse Christũ, & liberrimè fatet̃,se non uelle honorem Messiæ in se transferre,quod tñ Iudęi maximo studio cõtendebant: certè exponit se inuidiæ tam Pontificũ,q̃ totius Israelitici uulgi. Itaq; ueritatis confessio constitit Ioannem baptistam non solũ priuatione dominationis totius creaturę,sed etiã periculo famę & uitę suę. Et tamẽ ut esset uerax,& faceret suum officiũ,maluit summum honorem,summam in terris maiestatem reijcere,& sese difficilimis periculis obijcere, q̃ mendax fieri,& uocationẽ Dei relinquere. Hæc tãta fuit uirtus,ut Christus ipse cõmendet eam aliquoties pleno ore: Vos misistis, inquit,ad Ioannẽ, & is testimoniũ reddidit ueritati. Ille erat lucerna ardens & lucens. ac rursus: Quid existis in desertum,ut uideretis? num arundinem,quæ agitatur uento? Immane,quantũ nos ab hac uirtute absumus. Sunt enim, sunt proh dolor homines tam sordidi,qui propter unum & alterũ numum non mendaces tantum,sed & periuri fiant. Et quanq; inueniãtur aliquot generosioris ingenij homines,q̃ ut propter paucos quosdã numulos,aut propter mediocrem quendã honorẽ & dominationem ius uiolent: tamen si inuitentur spe magni lucri,ibi tum uideas eos omnẽ iusticiæ rationem posthabere,ac illud Eteoclis,aut Iulij Cæsaris, impudẽter usurpare: Si uiolandum est ius,imperij gratia uiolandũ est: Alijs rebus pietatem colas. Etsi aũt hoc uitium ac scelus dignissimum est,quod copiosa & graui oratione reprehendatur: tamen quia in proposito insistendum nunc est,cõtenti erimus cõmemoratione unius dicti Christi. Sic enim ait: Quid prodest homini,si totum mundũ lucratus fuerit, animæ uerò suæ iacturã fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione redimat animam suam? Cain sperabat se fratricidio consecuturũ dominationem totius terræ. Sed uide rei exitum. Cain uidetur quidem solus cum posteritate sua in orbe dominari,interim autẽ & ipse desperatus interit, & tota posteritas eius in diluuio miserrimè suffocat̃. Iulius

Eteocles in Phœnißis Euripidis:
Εἰ πίφι χρὴ ἀδικεῖν τυραννίδος πέρι· τἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρή.

Cæsar

Cæsar, cuius antè fecimus mentionem, lucratus est bello monarchiã totius Romani imperij: sed tantã fecit animæ suæ iacturam, ut paulopòst à suis crudeliter confoderetur, & perpetua morte obrueretur. Quid igitur profuit ei tanta monarchia, tot Romanorũ ciuiũ cædibus parta? Finge mihi Ioannem baptistam affirmasse, se Christum esse, & hoc mendacio subiecisse imperio suo uniuersum Iudaicũ populũ, ac eiecisse Romanos præsides è finibus Iudaicis, quid obsecro fuisset lucratus? Quid? Illi ipsi qui nunc deferunt ei honorem Messiæ, paulo pòst trucidassent eum, si impiæ eorum uoluntati aliquando obstitisset, ipse aũt perpetuò unà cũ mendacio suo interijsset. Sed bene habet, Ioãnes reputans secũ, dominationem totius orbis terrarũ non posse persoluere et compensare cũ cœlestis fœlicitatis thesaurum, qui amittitur mendacio & impietate, cõstitit forti animo in confessione ueritatis: & consecutus est non solum maximam laudem, sed etiam summam in cœlo fœlicitatẽ propter Iesum Christum, quem cõfessus est. Quare expergiscamur exemplo Ioannis ad fatẽdam ueritatem tam in confessione Christi, quàm in omnibus negotijs nostris, ut uerũ & cœleste lucrum consequamur. Sed pergamus ad reliqua: Et interrogauerũt eũ, Quid ergo? Elias es tu? Et dicit, Non sum. Ioannes non tantũ negat se esse Messiam, sed etiam Eliam. Quid ad hæc dicemus? Nã Ioãnes uerè est Elias ille, de quo uaticinatus est propheta Malachias, cum ait: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetã, anteq; ueniat dies Domini magnus & horribilis, & cõuertet cor patrum ad filios, & cor filiorũ ad patres ipsorum. Hæc enim de Ioanne baptista dicta esse, interpretatur primùm angelus Gabriel, cum annuncia ret conceptionẽ Baptistæ apud Lucã. deinde & Christus ipse, cum ait: Si uultis recipere, ipse est Elias ille qui uenturus erat. Et iterũ: Dico uobis Eliam iam uenisse, & non agnouerunt eũ, sed fecerunt in eo quæcunque uoluerũt. Cur igitur uerax ille & constans Ioannes, negat hic corã legatis concilij Hierosolymitani, se esse Eliam? Sed nullum hic est mendaciũ, nulla responsionis uanitas in Ioanne. Legati enim interrogant de Elia Thesbita, qui sub rege Ahab in Israel uixit. Sentiebant enim Eliam illum Thesbiten, persona sua prius igneo curru auectũ, postea redituru ante Messiam. Addũt & Iudæi, qui nunc sunt, aliam fabulã, quòd is ille Elias adhuc semper præstò adsit in circumcisione infantis. Quare ornant ei propriã sedem, quam interim dum circumcisio peragitur, nemo contingere audet. Hæ sunt uanissimæ ac uerè Iudaicæ nugæ. Nam q̃ Malachias uaticinatur, Eliã uenturum ante faciẽ Domini, nõ sentit, Eliam Thesbitam persona sua rediturũ, sed alium in uirtute & spiritu illius Eliæ uenturũ, quemadmodum Gabriel apud Lucam interpretatur. Quare Ioannes etsi intelligitur nomine Elię in Malachia, tamẽ uerè & rectè negat se esse Eliã, illum uidelicet, de quo imperiti legati interrogabant. Negat autem hoc, ne uideatur uanas Iudæorum nugas de Elia approbare. Docet igitur nos suo exemplo, ut non solum non mentiamur ipsi, uerumetiam ut nõ consentiamus alienis mendacijs, nec approbemus uana aliorũ figmenta. Digni sunt morte, inquit Paulus, non solum qui iniqua faciunt, uerumetiam qui assentiuntur facientibus. sed

Ioannes est Elias.

» legati pergunt interrogare Ioãnem: Es tu propheta? Et reſpondit: Nõ. Hic hærere quiſpiã poſſet, & cogitare, quomodo Baptiſta negat ſe eſſe prophetã, cum Chriſtus aliàs teſtetur, eum nõ prophetam tantum, ſed etiã præſtãtiorem propheta? Quid exiſtis, inquiens, uidere? Num prophetam? Certè dico uobis excellentiorẽ propheta. Sed ſi conſideraueris, de quo aut quali propheta legati interrogẽt, nõ erit amplius in quo hæreas. Sunt qui ſentiant, legatos interrogare Ioannẽ, num ſit prophe-
Deut. 18. ta ille, de quo Moſes ſcripſit: Prophetã, inquiens, de gente tua & de fratribus ſuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus. Horũ ſententia non eſt abſurda, & facit eam ueriſimilẽ ludęorum imperitia in exponẽda ſacra ſcriptura. Si enim legati de hoc Moſaico propheta interrogant, perſpicuè ſignificãt, ſe nomine Prophetæ apud Moſen intelligere non Meſsiam ſeu Chriſtũ, ſed alium quendam prophetam. Antè enim interrogauerãt Ioannem, num eſſet Meſsias. Quod cum negauerit, & nunc interrogent, nũ ſit propheta ille à Moſe promiſſus, certè ſentiunt Moſen de alio propheta, quàm de Meſsia uaticinari. Sed hæc eſt ma-
Meſsias propheta per Moſen promiſſus. gna imperitia & cæcitas ludęorũ. Etſi enim alij exponũt hunc Moſi locũ de Ioſua, alij de Hieremia, alij de alijs prophetis: tamen perſpicuũ eſt ex ipſis uerbis Moſi, per hunc prophetã intelligendũ eſſe Chriſtum: & utcunq; nugẽtur Iudęi, ſpiritus ſanctus tamẽ manifeſtè per Apoſtolos, quorũ autoritas de cœlo cõfirmata eſt, interpretatur, q̃ Moſe de Chri-
Actorum 3. ſto ſit locutus. Petrus in Actis apoſtolicis ait, Moſes ad patres dixit: Prophetam ſuſcitabit uobis Dominus Deus ueſter de fratribus meis, mei ſimilẽ. Audietis eũ, iuxta omnia quæcunq; locutus fuerit uobis. Futurũ eſt autẽ, ut omnis anima quæ non audierit prophetã illum, exterminetur è populo. Quin & oẽs prophetæ à Samuele, et deinceps, quotquot locuti ſunt, etiã adnunciauerunt dies iſtos. Hactenus Petrus, qui manifeſtè indicat Moſen loqui de Chriſto. Idem etiã ſignificat Stepha-
Actorum 7. nus in ea concione, quam habuit in concilio pontificũ. Quare ut Baptiſta reſpondet uerè, ſe non eſſe prophetã illum Moſaicum: ita legati declarãt perſpicuè, ſe longè à ſententia Moſi, imò ſpiritus ſancti aberrare. Quid ſi uerò legati interrogent de propheta quodã à mortuis ſuſcitato? Nam quemadmodũ Iudæi de Ieſu Chriſto, quem uidebant magnis miraculis illuſtrẽ eſſe, ſentiebant, q̃ eſſet propheta quiſpiam à mortuis
Matth. 16. reſuſcitatus (alij enim dicebant, eũ eſſe Eliam, alij Hieremiam) ita ueriſimile eſt Iudæos ſenſiſſe Ioannẽ baptiſtam, quem uidebant maxima uitæ ſanctitate prædituin, non eſſe prophetam recens natum, ſed unum quempiam è ueteribus reſuſcitatũ. Hic eſt error, quem confinxit humana curioſitas. Solent enim homines contẽnere & faſtidire præſentes & uiuentes prophetas, ac ſcripturas iam olim confirmatas, optare autẽ & expectare prophetas à mortuis ſuſcitatos. Si quis (inquit diues apud Lucã) ex mortuis ierit ad eos, reſipiſcent. Sed Dñs Deus noſter habet ſuũ excitandi mortuos tempus, & iam antè excitauit à mortuis unigenitum filiũ ſuum, in quo etiam ad perpetuã fœlicitatem excitabit ſuo tempore omnes credentes in ipſum. Nec eſt nobis in hoc ſeculo expectandũ, ut Prophetæ & Apoſtoli olim mortui ad hãc corporalem uitam reuocentur,

uocentur, quo nos religionẽ doceãt: ſed clementia & prouidentia Dei factũ eſt, ut conciones eorum ſcriptis mandatæ fuerint. Has ſi nõ audierimus, necꝙ ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credemus, quemadmodum rectè Abraham diuiti reſpondit. Cum igitur Iudæi impiè errarent de prophetis à mortuis in hanc externã & corporalem uitã excitandis, Ioannes rectè negat ſe talẽ eſſe prophetam, qualem uidelicet legati intelligebãt, nimirũ quendam ex ueteribus à mortuis reſuſcitatum. Sed ponamus legatos nec de propheta Moſaico, nec de propheta à mortuis reſuſcitato, ſed de nouo quodã, nuper nato propheta interrogare: uidelicet, nũ Ioãnes ſit nouus quiſpiam propheta, quales olim fuerunt Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel & alij, certè ne ſic quidẽ Ioannes mendaciter negat ſe eſſe prophetam. Alius enim eſt ordo prophetarum, alius eſt ordo Apoſtolorũ & Euangeliſtarum. Prophetę dicuntur, qui de Chriſto longe pòſt uenturo uaticinantur. Apoſtoli & Euãgeliſtæ propriè dicũtur, qui Chriſtum iam præſentem aut reuelatum adnunciant. Ioannes autẽ baptiſta primum tenet locum inter Apoſtolos & Euãgeliſtas. Quare rectè negat ſe eſſe prophetã, ne ſi uocaſſet ſe prophetam, Chriſtus nõ adeſſe hoc tempore, ſed adhuc longè abeſſe uideretur. Hoc enim præcipuũ Ioãnis officium fuit, ut teſtaretur, Chriſtum iam ueniſſe, & præſtò adeſſe. Sic enim ſequitur. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut reſpõſum demus his qui miſerũt nos? Quid dicis de teipſo? ait: Ego uox clamantis in deſerto, dirigite uiã Domini, ſicut dixit Eſaias propheta. Hæc eſt iterum ingenua ueritatis confeſsio. Quod autem Ioãnes dicit, hanc habet ſententiam: Eſaias uaticinatus eſt, ꝙ in aduentu Meſsię, qui ſolus eſt conſolatio populi, & per quem ſolũ contingit nobis remiſsio iniquitatis, & liberatio ab omnibus malis, uox ſit clamatura, & cõcionator prædicaturus in deſerto, ut populus reſipiſcat, & paret ſe ad ſuſcipiendũ Meſsiam ſeu Chriſtũ, non adhuc procul remotum, ſed iam præſentẽ. Nam ſpiritus ſanctus tam ſollicitus fuit de reuelando Chriſto & docenda ſalute noſtra, ut non tantũ promiſerit Chriſtum uẽturum, ſed etiã conſtituerit & prædixerit certa ſigna, quibus notari poſſet tempus aduẽtus Chriſti. Inter hæc autẽ ſigna illud haudquaꝙ poſtremum eſt, ꝙ iuxta prophetã Eſaiam eo tempore, quo Chriſtus in propinquo eſt, uox ſit clamatura: hoc eſt, cõcionator ſit docturus in deſerto, qui ex uocatione diuina uocet homines ad pœnitentiã, & iubeat eos parare uiã, complanare mõtes & ualles, ut Chriſtus tam diu et tantopere expectatus, expeditè adueniat, & honorificè obuĳs, quòd aiũt, manibus excipiatur. Ego igitur (inquit Ioãnes) nec ſum Chriſtus, nec ſum Elias Thesbites, nec ſum propheta ille Moſaicus, nec propheta quiſpiã ex mortuis reſuſcitatus, nec ex ordine eorũ prophetarũ, qui Chriſtum adhuc de longè uenturũ adnunciant: ſed ſum uox illa, ſum cõcionator ille quem Eſaias dixit, prædicaturum in deſerto de Chriſto iam præſente. Quare hoc unum reliquũ eſt, ut poſthabitis omnibus alĳs negotĳs, ad cognoſcendũ & excipiendũ uerũ Chriſtũ, Seruatorẽ noſtrũ feſtinetis. Etſi autẽ uox illa uidetur tyrannide Herodis ſublata, tamen crudelitas impĳ principis non potuit tantum efficere, ut non adhuc ſonaret, idꝙ multo

Prophetarum & Apoſtolorum diuerſi ordines.

ſuauius, ꝙ quondã uox ſanguinis Abel. Hęc enim clamabat peccati uin dictã, illa autẽ clamat peccati condonationẽ, quia oſtẽdit, Chriſtũ uerũ peccati condonatorẽ: hæc clamabat perpetuum interitũ impĳ propter deſperationem, illa autem clamat perpetam ſalutem per pœnitentiam: hæc teſtificabatur certitudinẽ inferni propter impietatem, illa autem teſtificatur certitudinem cœleſtis regni propter Chriſtũ. Audiamus igitur uocem illã, ut de uero ſeruatore noſtro certiores facti, reſipiſcamus, & ſalutẽ cõſequamur in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XV.

NE longo uos procœmio, amiciſsimi, teneam, protinus uerba ipſa Euangeliſtæ, quæ interpretanda ſuſcepi, aggrediar. Et qui miſsi (inquit) fuerant, erant ex Phariſæis. Videtur quidem hoc interiectum, quaſi nihil aut parum ad rem quæ tractatur pertinens: ſed ſi propius intuearis, nõ eſt temerè & inconſideratè interpoſitum. Euãgeliſta enim recitat hoc, ut tanto magis commendet fidem atque conſtantiam Baptiſtę in dicenda ueritate, quanto maioris fuerunt autoritatis legati. Nam phariſæi in maxima erãt apud Iudæos exiſtimatione, ac uidebatur tota Iudæorum religio, phariſæorum autoritate ſtare. Et tamẽ Ioannes baptiſta ne per tales quidem ac tantos uiros moueri potuit, ut uel ueritatẽ negaret, uel delatum ſibi honorem Meſsiæ ſuſciperet. Rectè igitur prædicat Chriſtus Ioannẽ, quòd nequaquã ſit conferendus cum arundine, quæ uento agitatur. Sed interim Euãgeliſta perſtringit quoq; uana & ſuperſtitioſa Iudæorũ inſtituta. Hi enim legati erant ex ordine ſacerdotum & Leuitarum, quemadmodũ ſuprà dictum eſt, & hi ordines fuerunt diuinitùs inſtituti: ſed his nõ contẽti, contulerunt ſeſe ad phariſaicum ordinem, qui humana prudẽtia excogitatus erat, perinde ac ſi abſoluiſſent iam omnia ſacerdotalis & Leuitici ordinis officia. Quale exemplũ etiam Chriſtiani aliquoties imitantur, qui cũ in baptiſmo ſuſceperint profeſsionẽ Chriſtianiſmi, paulo pòſt conferunt ſe ad ordines monaſticos, quaſi ordines monaſtici uel ſuperent dignitate ſua profeſsionem Chriſtianiſmi, uel ſint cõpendiaria uia, qua perueniatur ad Chriſtianiſmi cõſeruationẽ. Sed quid hac ſuperſtitione uanius? putas ne diuina inſtituta cõſeruari non poſſe, niſi humanis inuentis fulciantur? diligentiſsimè conſiderandum eſt quod Chriſtus apud Matthæum ad phariſæos ait: Quare uos trãſgredimini præceptũ Dei propter traditionẽ ueſtram? & addit grauiſsimã concionem ex Eſaia: Hipocritæ, inquiens, rectè de uobis prædixit Eſaias dicẽs, Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labĳs me honorat, cæterũ cor eorũ procul abeſt à me: ſed fruſtra me colũt, docentes doctrinas, præcepta hominũ. Ordines igitur phariſaici & monaſtici, ab hominibus inuenti & inſtituti, nõ ſolũ ſunt, teſtimonio Chriſti, inutiles cultus Dei, uerumetiã impedimenta ad obediẽdum legi Dei, & ad faciendos ueros ac legitimos Dei cultus: tantũ abeſt ut cõferant opẽ aliquam ad obſeruandã legem. Deinde cum Euãgeliſta dicit, legatos fuiſſe è phariſæis, haud obſcurè reprehendit imperitiam eorum

Monaſtici & phariſaici ordines.

rum uirorũ, qui uidebantur inter Iudæos esse doctissimi sacræ scripturę professores. Etsi enim Ioãnes baptista perspicuè responderat ex Esaia, se esse uocem clamantem in deserto, & hortãtem ut homines amplectãtur fide sua Christum iam præsentem: ex quo responso Pharisæi, si uerè in scriptura eruditi fuissent, facilè potuissent intelligere, cur, aut qua autoritate Ioãnes baptisaret: tamẽ palã declarãt, se diuinarũ rerum imperitos esse, & pergunt interrogare, ac etiamnũ exprobrare. Cur ergo, inquiũt, baptisas, si tu nõ es Christus, nec Elias, nec propheta? Non fuit inusitatus apud Iudæos baptisandi, hoc est, lauandi ritus. In Marco dicitur: Pharisęi & oẽs Iudæi, nisi crebrò lauerint manus, nõ capiunt cibum, tenẽtes instituta maiorũ: & à foro uenientes, nisi loti fuerint, non comedunt. In epistola quoq; ad Hebræos fit mẽtio ablutionũ, hoc est, baptismatũ & iustificationum carnis, quæ usq; ad tempus correctionis imposita erãt. & in Nehemia dicitur: Nõ deponebamus uestimẽta nostra, unusquisq; tantũ nudabatur ad baptismum: uel ut alij legunt, Nullus ne ad baptismũ quidem deponebat uestimenta sua. Et tamẽ quod Ioãnes faciebat, uidebatur pharisæis nouus ritus religionis, propterea quòd hęc lauatio nõ fiebat priuatim, sed publicè accurrẽte maxima hominum multitudine, nõ ad spectandam tantum, sed etiam ad suscipiendam lauationẽ, seu baptismum à Ioanne. Egressa est, inquit Matthæus, ad illũ Hierosolyma, & tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani, & baptisabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata sua. Dicunt ergo: Cur baptisas? cur instituis nouũ ritũ religionis? Nulli enim licet noua sacra instituere, nisi aut diuinitùs uocato, aut ut nos iudicamus, à sumis nostris pontificibus iusso. Prophetæ sacrificarunt aliquoties in alijs locis, cũq; lex permittebat: sed hoc fecerunt singulari prærogatiua, & personali Dei uocatione. Cũ igitur tu affirmas, te ne prophetã quidẽ esse, qua fronte, qua impudentia audes noua sacra religionis instituere, cũ sciamus etiã, te nec hanc autoritatẽ à nostris pontificibus accepisse? Itaq; quod facis, hoc nec diuina nec humana autoritate facis. Ac rectè quidem sentiunt pharisæi, quòd nulli nisi diuinitùs uocato, liceat nouum Dei cultũ instituere: sed quòd eandem potestatem tribuant etiam pontificibus, ac sentiant eos posse pro sua uoluntate, absq; certo uerbo Dei, noua sacra instituere, hic demum est impius error. Etsi enim lex tribuit sacerdoti iudicium inter sanginem & sanguinem, inter lepram & non leprã, tamen non cõcedit ei abolere sacra diuinitùs instituta, & noua sine certo uerbo Dei mandare. Nã lex disertè addit, Facies quodcunque docuerint te iuxta legem Domini: non ait, Iuxta arbitriũ ipsorum, sed iuxta legẽ Domini. & aliàs: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicq;, nec minuas. ad Apostolos quoq; dicitur: Quorumcunq; remiseritis peccata, remittũtur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta erunt. his autẽ uerbis non datur Apostolis libera potestas abolẽdi uerbi Dei pro suo arbitrio. Quod dico, inquit Christus, uobis in tenebris, dicite in luce: et quod in aurẽ auditis, prędicate in tectis. Nõ iubet eos prędicare quod libet, sed quod ipse dixerit. & iterũ: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Nõ ait, Prędicate somnia uestra. ac

Matth.

Hebræ. 9.

Nehemiæ. 4.

Pontificibus non licet noua sacra instituere.

Deut. 17.

rursus: Docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Quare Christus non tradit Apostolis his uerbis, Quorũcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, liberã potestatem quodcunq; pro sua libidine in Ecclesia constituẽdi aut abrogandi: sed mandat eis ministeriũ prædicãdi Euãgelij sui, quo remittuntur peccata his qui credũt (Qui enim crediderit, inquit, & baptisatus fuerit, saluus erit) & retinẽtur his qui non credunt. Qui enim non credit, condẽnabitur. Quare longè errant, qui sentiunt pontificibus concessam esse potestatẽ condendi sacra in Ecclesia populi Dei, pro sua uoluntate. Sed audiamus nũc quid Ioãnes legatis respõderit: Ego, inquit, baptiso aqua, sed in medio uestrũm stat, quẽ uos nescitis: ipse est, qui, cũ me sequeretur, antecessit me, cuius ego non sum dignus ut soluam corrigiã calceamenti. Vide obsecro, non solum cũq; mansuetè, sed etiã cũq; constanter ac fortiter phariseis respondeat Ioannes: Ego, inquiens, baptiso quidẽ aqua, nõ autem propria, sed aliena autoritate. Baptiso ut seruus, ut minister. Nõ usurpaui mihi hanc potestatem temerè, nec suscepi hoc officiũ ut autor salutis, sed ut seruus saluatoris: nõ ut Messias, sed ut minister Messiæ. Nam qui est autor salutis, & uerus Messias, is etsi agit iam uitã inter uos, nondum tamen publicè agnoscitur, nec est adhuc illustris doctrina & miraculis. Veniet quidẽ post me, hoc est, inchoabit posterior me officiũ suum prędicandi Euangelion, & edendi miracula: sed fuit ante me, quia est uerbum Dei, quod in principio erat apud Deũ, & Deus erat uerbum: ideoq; tanta est autoritate, dignitate, maiestate & potestate præditus, ut nõ sim dignus qui soluam & purgem calceamenta eius. Hic initiò quædam de baptismo Ioãnis dicenda sunt. Quærunt enim nonnulli, nũ baptismus Ioannis sit alius à baptismo Christi & apostolorum. Ac siquidem per baptismum Christi intelligamus baptismum ignis, quo apostoli in die Pentecostes baptisati sunt, tũc alius est baptismus Ioannis, alius Christi. Solus enim Christus est, qui baptisauit discipulos suos cœlesti igni, quo ornauit eos admirabilibus donis spiritus sancti, quemadmodum testantur Acta apostolica. Si autẽ uocauerimus baptismũ Christi, eum baptismũ, quo Christus iussit apostolos suos baptisare omnes gentes, & quo Ecclesia Christi adhuc utitur, utetur'q; usq; ad nouissimũ diem: tunc idem est baptismus Ioãnis, Christi, apostolorum & Ecclesiæ. Nã Ioannes fuit ex diuina uocatione primus minister eius baptismi, quẽ postea Christus mandauit distribuendũ omnibus gentibus, & quo Ecclesia adhuc, ex mandato Christi utitur, unde & cognomen Baptistæ reportauit. Hic enim baptismus constat aqua, sic & Ioãnes baptisabat aqua. Hic baptismus distribuitur in nomine Christi, ad remissionẽ peccatorũ: sic & Ioannes baptisabat in nomine Christi, ad remissionẽ peccatorũ. prędicabat enim perspicuè de Christo: Hic est agnus Dei, qui tollit peccatum mũdi. & Marcus dicit: Baptisabat Ioãnes in deserto, prædicans baptismũ pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ. Ioannes fortasis non est usus hac loquendi forma: Baptiso te in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: attamẽ, quia docuit remissionẽ peccatorũ propter solũ Christũ contingere, & abluit auditores sacramẽto baptismi, ut de promissa peccato

Baptismus Ioannis.

Baptistæ cognomen.

rum

rum remiſsione in Chriſto confirmarentur: manifeſtū eſt, eū baptiſmū non hominis, ſed Dei patris, & filij & ſpiritus ſancti baptiſmum fuiſſe. Nam, cū dicit, Ego baptiſo aqua: non eſt ſentiendū, ꝙ ſignificet, ſuum baptiſmū eſſe uilem, ac præter aquam nihil amplius habere, nec ſordes mentiū abluere: ſed ſignificat, ſe baptiſare tantū ut miniſtrū Meſsiæ, nō ut Meſsiā ipſum. Quod enim attinet ad ſacramentum baptiſmi, cum Ioannes baptiſauerit in remiſsionem peccatorū, quæ habetur in Chriſto: certè baptiſmus ille non fuit tantū lauatio corporis, ſed etiam animi. Et quod Paulus ait de Apoſtolico baptiſmo, Chriſtū ſanctificaſſe Eccleſiā mundatā lauacro aquæ per uerbum. ac iterum: Saluos nos fecit per lauacrū regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti. & Petrus: Cuius figuræ nunc reſpondens baptiſmus, nos quoq; ſaluos reddit: idē etiam meritò dicendū eſt de baptiſmo Ioannis, propterea ꝙ Ioannes baptiſauerit auditores ſuos in nomine agni Dei, tollentis peccatū mūdi. Quare qui baptiſati fuerūt baptiſmo Ioannis, etſi non accipiebant eo baptiſmo admirabilia illa ſpiritus ſancti dona, qualia in die Pentecoſtes in apoſtolos effuſa ſunt, ſicut nec hoc tēpore ea accipimus: tamē quia baptiſati fuerunt in remiſsionē peccatorū propter Chriſtū, ſentiendum eſt, eos uerū & Chriſtianum baptiſmum, qui eſt lauacrum regenerationis, accepiſſe. Sed in diſputatione de diſcrimine baptiſmi Ioānis & Chriſti, obij̄ci ſolet illud quod in Actis apoſtolicis ca. xix. ſcriptū eſt. Cū enim Paulus interrogaret Epheſios, num accepiſſent ſpiritū ſanctum, & quo baptiſmo baptiſati eſſent, ac illi reſpondiſſent, ſe baptiſatos eſſe baptiſmo Ioānis: dicit ſcriptura eos poſtea baptiſatos eſſe in nomine Dñi Ieſu. Ex hoc loco aiūt manifeſtū eſſe diſcrimē inter baptiſmum Ioannis & Chriſti. Sed qui hoc ſentiūt, nō uidentur diſertè de baptiſmo Chriſti loqui. Multæ enim ſunt ſpecies baptiſmi Chriſti. Vocat enim Chriſtus etiā paſsionē ſuā, baptiſmū: Poteſtis' ne, inquit, baptiſari baptiſmate, quo ego baptiſor? Sed quantū ad inſtitutum noſtrū ſatis eſt, duplex eſt baptiſmus Chriſti, quemadmodū & antè cōmemorauimus. Alter eſt baptiſmus ignis, quo Chriſtus baptiſauit diſcipulos ſuos in die Pentecoſtes, & dedit eis publica & admirāda dona ſpiritus ſancti. Inter hunc baptiſmū & Ioānis baptiſmū, magnum eſt diſcrimē. Ioānes enim nullum, inquiunt, ſignū edidit. Itaq; etſi baptiſauit homines, tamē eo baptiſmo non conferebantur talia dona ſpiritus ſancti in homines, qualia collata ſunt in diſcipulos Chriſti in die Pētecoſtes: dona uidelicet linguarū & ſanationū. Alter eſt baptiſmus aquæ, quo Chriſtus ipſe in Iordane baptiſatus eſt, & quē iuſsit Apoſtolos ſuos circumferre per totū orbē terræ. Euntes, inquiens, docete oēs gentes, baptiſantes in nomine patris, & filij & ſpiritus ſancti. Si ergo de hoc baptiſmo ſermo eſt, profectò nullum prorſus eſt diſcrimen inter baptiſmum Ioannis & Chriſti, id quod ſuprà & aliàs copioſè indicauimus. Cū igitur Epheſij dicūtur poſt baptiſma Ioannis baptiſati eſſe in nomine Dñi Ieſu, non eſt ſentiendū, ꝙ baptiſati ſint iterū aqua: ſed ꝙ baptiſati ſint igni, quemadmodum Apoſtoli in die Pētecoſtes, & acceperint ad miranda dona ſpiritus ſancti, id quod & Lucas ipſe haud obſcurè ſignificat, cū addit: Cum impoſuiſſet

Diſcrimen inter baptiſmum ignis, & baptiſmum Ioannis, ſeu Apoſtolis mandatum.

illis manus Paulus, uenit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebãtur linguis, & prophetabãt. Atq; hæc quidẽ de baptiſmo Ioãnis hoc loco ſatis dicta uidentur. Deinde quòd Ioannes de Chriſto ait, Qui cũ me ſequeretur, anteceſsit me: pauca quidẽ loquitur uerbis, ſed cõprehendit omnia ea quę Euãgeliſta antè de Chriſto cõmemorauit, uidelicet q; Chriſtus ſit uerbum Dei, q; ſit uerus Deus, ab æterno à Deo patre genitus. Hoc enim uerè eſt antecedere non Ioannẽ tantum, quo tamen inter natos mulierum non eſt maior: ſed etiã omnes patriarchas & prophetas, nõ tempore tantũ (hoc enim parum eſt) ſed quod maximum eſt, dignitate. Hos autẽ antecedere, eſt etiam omnes angelos antecedere: quippe q; angeli ſint miniſtri patriarcharũ & prophetarum. Angelos autẽ antecedere, quid aliud eſt, q; Deũ ipſum eſſe? Quare manifeſtum eſt, Ioannem hoc loco, cum ait, Anteceſsit me, tribuere Chriſto diuinã maieſtatem. poſtremò quod addit, Cuius non ſum dignus, ut ſoluã corrigiam calceamẽti: monet unumquemq; , quamuis excellentẽ, quamuis magnũ in hoc ſeculo, ut nõ pudeat eũ etiã abiectiſsima officia Chriſto & Eccleſiæ eius præſtare. Nã ſi Ioannes, quo non eſt maior inter natos mulierũ, non arbitratur ſe dignũ qui procumbat, ut ſoluat aut purget calceamenta Chriſti: quis uel diues, uel ſapiens, uel etiã monarcha terræ præponat ſe Ioanni dignitate? Etſi enim regnũ Chriſti non eſt de hoc mundo, tamẽ cũ Chriſtus rex ſit & caput Eccleſiæ ſuæ, habet etiã regnũ ſuum in hac terra, quod eſt Eccleſia. In aula autem huius regni nõ omnes poſſunt eſſe cancellarij, quos ita uocãt, non oẽs magiſtri equitum, non omnes magiſtri curiæ, quæ ſunt præcipua principalis aulæ officia: quales in Eccleſia dicere poſſes Apoſtolos, euangeliſtas, epiſcopos, ac etiã principes & reges, qui ſunt nutricij Eccleſiæ: ſed neceſſe eſt quoſdã eſſe qui ſoluant corrigiã calceamentorũ, qui purgẽt calceos, qui detrahãt ſoccos, & faciant alia his ſimilia officia: quæ etſi uidentur uilia, tamẽ nullũ genus officij quod Chriſto & Eccleſiæ eius præſtatur, tam abiectũ eſt, quod nõ iudicetur corã Deo excellentiſsimũ & ſanctiſsimũ. Elegi, inquit Pſalmus, abiectus eſſe in domo Dei mei, q; habitare in tabernaculis peccatorũ: hoc eſt, præſtãtius corã Deo officiũ iudicatur, eſſe ædituum in Eccleſia piorũ, q; eſſe epiſcopum aut regẽ inter impios. & aliàs: Quicunq; ad bibendũ, inquit Chriſtus, dederit uni ex puſillis his poculũ aquæ frigidæ, tantum nomine diſcipuli: amẽ dico uobis, non perditurus eſt mercedẽ ſuam. Hoc etſi abiectũ uidetur officium, tamẽ quia Ioannes dicit, ſe non dignũ qui ſoluat calceamẽtum Chriſti: nullus certè inter monarchas huius terræ eſt, qui uerè audeat ſe fateri dignũ, ut poculũ aquæ frigidæ tantum præbeat diſcipulo Chriſti: quandoquidẽ Chriſtus ſibij ipſi fieri iudicat, quod homines uni de minimis ſuis faciũt. Sed quod Ioannes de ſe ipſo confitetur, hoc non tantũ monet, ut neminẽ in hac terra pudeat ſua Chriſto & Eccleſiæ eius officia, quamuis uideantur abiecta, præſtare, uerumetiã admonet nos ut caueamus ab impia illa ſanctorum inuocatione, qua plurimi faciunt è ſanctis in Chriſto quieſcentibus deos auxiliares. Nã cum Ioãnes ſit maximus omnium inter natos mulierũ, & ingenuè cõfiteatur ſe indignioręm eſſe q; ut ſoluat

Regni Chriſti aula.

Sanctorum inuocatio.

corrigiam

corrigiam calceamenti Christi: sentiendū est, hanc esse confessionē omnium sanctorū, patriarcharum, prophetarū, apostolorum, martyrū, & aliorū piorū, nō tam adhuc in hoc seculo uiuentiū, q̄m in Christo dormientiū. Quæso igitur te, animaduerte mihi diligenter, quid sanctus quispiam, in Christo quiescens quidē, à te aūt inuocatione tua, ut ita dicam, sollicitatus, respondeat. Quid enim facis? inquit: An nescis, me non esse dignū qui soluam corrigiam calceamenti Christi? En hic præstò adest Christus Dñs tuus. Cur igitur, hoc relicto & posthabito, me inuocas? cur maiestatē huic soli debitam in me transfers? putas ne me tam impudentē esse, qui hoc ęquo animo, Christo Dño & seruatore meo pręsente, uidēte & audiente, ferre queā? Apage, hic nō honor, sed contumelia est, quā totus, quantus quantus sum, horreo. Sed enim dices mihi: Non audeo præ peccatis meis ad tantā maiestatē accedere, & cū toties prouocauerim sceleribus meis Christū ad irā, te cupio aduocatū. O prępostera uerecūdia. & hęc sanè altera est cōtumelia. Existimas ne me Christo esse clementiorē? scilicet, ego qui fuerim hominū miserrimus, maiorem habeo uirtutem misericordiæ, q̄m Christus Dominus meus. Quę est hæc tua insania? an non Christus in hunc usum uenit, ut tua sicut & mea peccata expiaret, ac Deum patrē suū placaret? An non se tibi ipse aduocatum proponit? quin & iam nunc uide, q̄ sedens ad dexterā Dei, pro te intercedat, ac te quoq̄ extenta manu ad se uocet, iubens ut confi denter ad thronū gratiæ accedas. Cū Christus adhuc uitā ageret huma nā inter homines, uocauit ad se omnes afflictos, & promittit eis liberationē: Venite, inquiens, ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Existimas ne eū nūc ad dextrā Dei sedentē, & tam in cœlo q̄m in terra dominantē, huius uocis oblitum esse? clementior ne fuisset in firmitate sua in terris, q̄m nunc in maiestate sua in cœlis? Christus non est sicut homo uarij & mutabilis ingenij. Hi sunt hominū mores, ut cum extolluntur in altum, obliuiscantur pauperū. At nō talis est Christus, qui quāto altior factus est, tanto propinquior, tātoq̄ clementior est omnibus inuocātibus ipsum in ueritate. Ascēdisti, inquit, in cœlū, cępisti captiuitatē. Quid ergo? nū Christus sedet in cœlo ociosus, & res humanas negligens? Minimè omniū. Sequitur enim: Accepisti dona in hominibus. Ascēdit enim Christus in cœlū, ut credentes in ipsum seruaret in omnibus aduersis, et secū in cœlum eueheret. Dñs, inquit, in altis habitat, & humilia respicit in cœlo et in terra. Quid? cū dicit: Ego sum uia, ueritas & uita, patietur ne æquo animo, ut aliā uiā sequaris, q̄m seipsum? Iubet quidē, ut fidē & bona exēpla sanctorū suorū, qui in ipso obdormierunt, iuxta tuam uocationem sequaris: non potest autē ferre, ut te inuocatione tua ad ipsos cōuertas. Quare abijce hanc superstitiosam impietatē, & quem solū sancti ipsi inuocarunt, in quem q̄ solū confisi sunt, eū etiam tu reuerenter precibus tuis ex fide accedas, ut salutem cōsequaris. Cæterùm nec hoc quod sequitur, frustra ab Euāgelista adiectū est: Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanē, ubi Ioannes baptisabat. Meminit enim loci, in quo hęc gesta sunt, ut maior rei fides habeatur. Sunt, qui scribant, hunc locum postea tam celebrem factū, ut multi ad

Matth. 11.

" *Hieronymus de locis Hebraicis.*

Baptiſmus in Bethabara acceptus.

ti ad Chriſtianiſmū conuerſi, magnis itineribus eò profecti ſint, quo ibi baptiſmū ſuſciperent. Non laudo eorum ſuperſtitionem, qui ſenſerūt baptiſmum eo loci acceptū, meliorem & pręſtātiorem eſſe baptiſmo in ſua regione & patria accepto: ſed eorū pietatē laudo, quibus uoluptati fuit, ea loca, in quibus & Ioannes baptiſauit, & tam præclarū teſtimoniū de Chriſto dixit, in quibus etiā Chriſtus ipſe baptiſatus eſt, coràm oculis ſuis intueri. Alij delectātur ſpectaculis chorearum & ludorum: pius etſi nō nouit nunc Chriſtum ſecundum carnem, tamen gaudet ea oculis contemplari, quæ ſcit Chriſtum ſeruatorem noſtrū, cum adhuc in carne uerſaretur, ſuis humanis oculis contemplatū eſſe. Et hæc minimè ſectatur, ut more hypocritarū his inhæreat: ſed ut eorū admonitione aſſurgat, ad quęrendū ſuperna, ubi Chriſtus eſt, ad dexteram Dei ſedens. Videre enim Iordanē, & lauari in eo, per ſe nihil magis prodeſt, q̄ in alio fluuio lauari, & quod ad hoc attinet, nō omnino abſurdè dixit Naamā Syrus: Nunquid nō meliores ſunt Abana & Pharſar fluuij Damaſci, omnibus aquis Iſrael? Sed Chriſtum uerè cognoſcere, in Chriſto delectari, in Chriſto ſpirituali gaudio exultare, & uerbū Chriſti ſectari, hæc demū uera eſt ſalus & fœlicitas. Quare hoc unum nobis agendum eſt, ut quocunq; loco, quacunq; regione ſimus, inquiramus per fidē, omni, qua poſſumus, diligentia Ieſum Chriſtū Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

4. Reg. 5.

HOMILIA XVI.

DE agno Dei hodie nobis dicendum eſt, nō de illo quem hypocritæ cera expreſſum, & ſerico incluſum, uel argento ſeu auro inſculptum geſtant: ſed de eo quem Ioannes publico ſuo teſtimonio nobis commendauit. Nam Ioannes antè ſignificauit quidē in concionibus ſuis, Meſsiam ſeu Chriſtum aduenisſe, & præſtò adeſſe: nondum autem nominatim indicauit, nec demonſtrauit, quis inter homines eſſet Meſsias ille tamdiu & tantopere expectatus. Nūc ergo, ò tempora longè omnium fœliciſsima, Meſsias publicè nominatur & demonſtratur, ut manifeſtè cognoſcamus, in quo ſit uera noſtra ſalus quęrenda. Sic enim ſcribit
„ Euangeliſta: Poſtero die uidet Ioannes Ieſum uenientem ad ſe, & ait,
„ Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi. Hoc eſt egregium illud & obſeruatione digniſsimum teſtimonium, quod Ioannes de Ieſu filio Mariæ publicè dixit. Maiores noſtri ſæpe ac multum iterarūt hanc uocem in ſacris ſuis, ut eſſet uulgatiſsima & decantatiſsima. Nō approbo impietatem, qua monachi fœdarunt Eccleſiaſtica ſacra: ſed laudo iudicium maiorum, quod tam præclarè de hac Ioannis uoce ſenſerint, & uoluerint eam Eccleſiæ notiſsimam eſſe. Pauca quidem uerba audis, ſed ſunt epitome & compendium totius Euāgelij de Ieſu Chriſto, & patēt latiſsimè. Primùm enim Ioannes indicat & teſtatur hoc dicto, quem hominū debeamus uerum Meſsiā, patriarchis promiſſum, et per prophetas adnunciatum habere: uidelicet non aliū quàm Ieſum natum ex Maria uirgine, in ciuitatula Bethlehem, & poſtea crucifixum præſide Pontio Pilato in urbe Hieruſalē. Cum hoc Ioannis teſtimonio cōuenit & illud

Agnus Dei.

Ieſus Meſsias.

lud Petri, imò omniũ Apoſtolorum in die Pentecoſtes: Certò ſciat tota domus Iſrael, quòd Dominũ & Chriſtum fecerit Deus hunc Ieſum, quem uos crucifixiſtis. Vaniſsima igitur eſt ſpes ludæorum, qua expectant aliũ Meſsiam, eumq; externum monarcham terræ, ut duplici errore cõdemnati pereant. Mẽdaciſsima etiam eſt gloriatio Mahumetis, quòd ſucceſſerit Ieſu Chriſto, ut legem corrigeret. Non enim uenit Ieſus Chriſtus, ut legislator: & regnum Chriſti, eſt regnũ perpetuum, ut planè nullũ habeat ſucceſſorem in regno ſuo. Deinde loãnes interpretatur hoc dicto ſumma & præcipua ſacrificia legis Moſaicæ. In hac enim lege inſtitutum erat ſacrificium agni Paſchalis, cuius ſanguine poſtibus illito, exiſtimabant ludæi ſeſe tutos à Diabolo, & omnibus afflictionibus. Inſtitutũ etiã fuit quotidianum ſacrificiũ duorum agnorũ in holocauſtũ, alterum matutinum, alterum ueſpertinum. Et cum horum ſanguis ſpargeretur per circuitũ altaris, putabant ludæi ſe ex eo ſanctificatos, & à peccatis purgatos. Ioãnes autem interpretatur hęc ſacrificia, & manifeſtè dicit, Ieſum eſſe agnũ Dei, uerum pro peccatis holocauſtum, quod antè per illos agnos Moſaicos adumbratũ fuit. Hic (inquiens) Ieſus eſt agnus Dei, qui tollit peccatũ mũdi. Hic ille eſt, de quo Eſaias ait: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et poſuit Dominus in eo iniquitatẽ omniũ noſtrorũ. Ac uetera illa agnorum ſacrificia, bona quidem ſuo tempore fuerunt: non autem ex ſe, ſed propter ſignificationem. Non enim poteſt ſanguis agnorũ, taurorum & hircorũ auferre peccata: hic autem agnus, qui eſt Ieſus Chriſtus, per agnos legis adumbratus, una pro peccatis oblata uictima, perfectos efficit in perpetuũ eos qui ſanctificantur, quemadmodum Apoſtolus ad Hebræos ſcripſit. Quare hoc Ioãnis dictũ habendum eſt pro cõmentario omniũ penè ſacrificiorũ, quæ in lege Moſi uſitata fuerunt. Huc accedit, quòd Ioãnes hac uoce non interpretatur tantum, ſed etiam abrogat uetera ſacrificia legis. Oſtendit enim manifeſtè, uerũ agnũ iam aduenisſe, & præſtò adeſſe. Quis ergo amplius uſus eſſet agnorũ illorum umbraticorum? Hi agni erant quidẽ in nocte legis loco lucernarũ, quibus piį utcunq; uidebant aliquam ſalutis ſuæ rationẽ: ſed ut orto ſole extingui ſolent lucernę noctis, ita lucente iam Chriſto uero ſole, nõ amplius lucent agni, qui fuerunt legis lumina. Hæc umbra ſunt, inquit Paulus, rerum futurarũ, corpus autem Chriſti. Quare cum corpus ſit nunc perfectum & abſolutũ, neceſſe eſt umbram non ſolum obſcuratam, ſed etiam prorſus deletam eſſe. Deinde Ioannes refutat hoc dicto omnem Phariſæorum & hypocritarum fiduciam, quam habent in merita ſuorum operum. Facienda quidem ſunt bona opera, quæ Deus præcepit: non autem ſunt facienda, ut tollentia & expiantia peccatum: propterea quòd ut ab hominibus fiunt, non ſint perfectè bona. Solus agnus Dei, qui eſt Ieſus Chriſtus, tollit & expiat peccatum mundi. Quare ad conſequendam peccati remiſsionem, neceſſe eſt ut non confidamus noſtra iuſticia, ſed ut confidamus ſolo Ieſu Chriſto, Seruatore noſtro. Præterea, etſi Miſſa pontificia, quæ habetur pro expiatione peccati uiuorum & mortuorum, nondum fuit eo tempore, quo Ioannes in deſerto prædicauit

Exodi 29. Num. 28.

Ieſus uictima.

Abrogantur ſacrificia legis uetera hoc dicto Ioannis.

Miſſa pontificia abrogatur concione Ioannis baptiſtæ, de agno Dei.

dicauit Euãgelion, instituta: tamẽ tanta est autoritas huius dicti Ioãnis de agno Dei, ut impiã Missam longè postea institutam & confirmatam damnet & aboleat. Pontificij enim & monachi obseruãt Missam, ut ex merito operis tollat peccatũ mundi: hoc est, ut ipsi exponunt, tam uiuorum quàm mortuorũ, & ut sit remedium aduersus omnes afflictiones. Ioãnes autem de Iesu Christo concionatur, ꝙ is sit agnus tollens peccatum mũdi uidelicet, non si sacrificetur in Missa pontificia, sed si semel in cruce sacrificatus, fide concipiatur. Qui enim edit (inquit) meã carnem, & bibit meũ sanguinem: hoc est, qui credit meum corpus pro peccatis traditũ, & sanguinem meũ pro peccatis effusum, habet uitam ẽternam. Sentiamus igitur, ꝙ quo sæpius sacrificuli repetũt carmẽ de agno Dei in Missa pontificia, eo frequentius damnent se ipsos impietatis. Quod de abrogatione pontificiæ Missę dictum est, hoc idem intelligendum erit de abrogatione omniũ monasticorum ordinũ. Existimãt enim monachi, ꝙ horũ operũ merita tollant peccatum mundi: Ioãnes autem affirmat, ꝙ solus agnus Dei, qui est Iesus Christus, tollat peccatũ mundi. Vide ergo mihi rem admirabilẽ. Monachi & sacrificuli innumerabiliter iterant in sacris suis carmẽ de agno Dei, & tamẽ quo sæpius id decãtant, eo frequentius clamãt, sed ignari & nolentes, iustissimũ et dignissimũ esse, ut omnia pontificia monasteria & collegia sacrificulorũ abrogentur & deuastentur. Quid autẽ multa? Hoc breue dictũ Ioannis de agno Dei refutat omnes uanas & falsas religiones gentiũ, Iudæorum qui nunc sunt, & Turcarum. Horum enim religio in eo consistit, ꝙ Deus placetur meritis humanæ iusticiæ. Sed solus ille agnus, quẽ Ioannes prædicauit, & quem illi impiè contemnunt, placat irã Dei, & quemadmodum Ioãnes loquitur, tollit peccatũ mundi. Quare hoc unũ dictum euertit omnes aliarũ gentiũ superstitiones & impietates: docet autem nos ut breuissimè, ita etiam clarissimè, ueram religionem & pietatem. Quod ut certius cognoscamus, agite amicissimi, singula uerba paulo diligentius expẽdamus. Ecce, inquit, AGNVS DEI. Iesus Christus enim etsi assumpsit hominẽ, & natus ex Maria homine, tamen dicitur Dei agnus: Primùm, ꝙ sit ẽternus Dei filius, ac uerus Deus: deinde quòd sit conceptus homo à Maria uirgine, nõ de semine uiri, sed de spiritu sancto. Spiritus (inquit) sanctus superueniet in te, & uirtus Altissimi obũbrabit tibi. Adhęc ꝙ, etsi sustinuit in hac carne humanas imbecillitates, tamẽ nõ fuit humanis peccatis sordidatus, sed omnibus Dei uirtutibus prædituS. Qui peccatũ, inquit, non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Postremò, ꝙ quemadmodum agni Paschales, & agni ad quotidianum sacrificiũ deputati, non amplius hominum, sed Dei agni dicebantur, quippe ꝙ Deo offerendi erant: ita Iesus Christus, diuinitùs ad sacrificiũ mortis ordinatus, ac Deo in altari crucis oblatus est. Optimo igitur iure dicendus est, non hominum, sed Dei agnus. Deinde sequitur, QVI TOLLIT: hoc est, qui suscipit in se, qui fert, qui portat, qui sustinet & qui expiat peccatũ mũdi. Nam hoc illud est, quod Esaias de Christo concionatur: Posuit Dñs in eo inquitatẽ omniũ nostrũm. & iterũ: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Dictũ quidem

Ordines monastici abrogantur.

Agnus Dei, quare.

נשא interpretes transtulerunt aliquoties φέρειν, aliquoties αἴρειν.

quidem est de agnis legis, qui offerebãtur in holocaustũ, ꝙ essent odor suauissimus Domino, & portarent ac expiarẽt peccatũ hominum: hæc autẽ oblatio nõ fuit uera coram Deo expiatio, sed partim ciuilis tantũ reconciliatio, partim futuræ ac reuelandæ ueritatis significatio. Solus Iesus Christus agnus ille Dei est, qui in holocaustũ oblatus, tam suauis odor Dño fuit, ut propter ipsum remittatur peccatum corã Deo omnibus credentibus in eum. Christus tradidit, inquit Paulus, semetipsum pro nobis oblationẽ ac uictimã Deo in odorẽ suauitatis. Ac oẽs alij homines, peccato quidẽ obnoxij sunt, nõ possunt autem peccatũ ferre aut portare: sed deprimuntur hoc grauissimo onere, non tantũ in mortem, sed etiam in infernũ. Solus Iesus Christus ut nõ est peccato obnoxius, ita potuit peccatum ferre & portare, quo uerè corã Deo sic expiaretur, ut non solum nõ potuerit ipsum, sed nec ullum in ipsum credentem in morte & doloribus inferni detinere. Nã cum audis, Christũ tollere peccatum, non est sentiendũ, ꝙ Christus ita tollat peccatũ, ut non amplius in hac mortali carne sentiamus. Manet enim actio peccati in carne & sanguine, donec in hoc seculo uixerimus. Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritũ, & spiritus aduersus carnem. & iterum: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deũ, nam legi Dei nõ subditur. Siquidẽ ne potest quidẽ. Sed ita tollit, primũ, ꝙ suscepit in se supplicia peccati, & expiauit peccatũ corã Deo, sanguine suo, atq; placauit Deũ. Itaq;, etsi manent in pio reliquię peccati, tamen reatus eius sublatus est per Christũ, ut peccatũ corã Deo nõ amplius imputetur. Donat enim Christus credenti suam iusticiã, ut possit & debeat de ea in iudicio Dei nõ aliter gloriari, q̃ si ipse eã suis ipsius operibus perfeciſſet. Deinde Christus donat credentẽ spiritu sancto, ut queat reliquias peccati compescere, ne regnent in mortali nostro corpore. Prę̃terea cũ aduenerit Christus in maiestate sua, abolebit etiã peccatũ in credentibus, non solũ imputatione, sed etiã reipsa, ut deinceps nullum sentiatur peccatũ sit Deus omnia in omnibus. Quare tollere peccatum, ea est materias quæ soli Iesu Christo uerè competit, & quæ in solo Iesu Christo per fidem quę̃renda est. Cæterùm ꝙ Ioannes maluit dicere, Tollit PECCATVM, quàm PECCATA, non est sentiendum, Christum tollere tantum peccatum, ut uocant originale: reliqua autem quæ uocãt actualia peccata, nostris ipsorum meritis tollenda esse. Nam peccati nomine comprehendit Ioãnes omnia genera peccatorũ. Christus enim passus est non solum pro originali, sed etiã pro actualibus peccatis. Ac uerum quidem est, ꝙ Christus non maneat in his qui secundum carnem uersantur, & in quibus peccatum dominatur: attamen passus est etiam pro horum peccatis, & remittuntur eis peccata, propter Christũ, si resipuerint. Suscepit, inquit propheta, de manu Dñi duplicia pro omnibus peccatis suis. Et apud Michæã: Proijciet in profundũ maris omnia peccata nostra. & ad Corinthios scribit apostolus: Neq; scortatores, neq; cultores simulacrorum, neq; adulteri, neq; molles, neq; qui concumbũt cũ masculis, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regni Dei hęreditatem accipiẽt. Hæc certè sunt peccata, ut uocant, actulia, & fructus pec-

Christus quo modo tollat peccatum.

Christum agnum satisfeciſſe pro omnibus peccatis.

cati originalis: & tamẽ remiſſa ſunt reſipiſcentibus propter Chriſtum. Sequitur enim apud Paulũ: Atq; hęc eratis quidem, ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis per nomen Dñi Ieſu, & per ſpiritum Dei noſtri. Huc facit quod Ioãnes in epiſtola ſua ſcribit: Filioli mei, inquiens, ne peccetis: & ſi quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Ieſum Chriſtũ iuſtum. Hic manifeſtè ſignificat, q̃ propter Chriſtum contingat nobis remiſsio non ſolũ originalis, ſed etiã actualis peccati. Quare, cũ Baptiſta dicit, Chriſtũ tollere peccatum, complectitur uocabulo peccati, non unum tantum, ſed omnia Peccati, & iniquitatis genera. Iam, nec hoc oſcitanter prętereundũ eſt, quod ait, MVNDI: Qui tollit, inquiens, peccatum MVNDI. Docet enim Chriſtum tollere peccatum non ſolũ Iudæorum, ſed etiam gentium. Chriſtus enim non pertinet tantum ad Iudæos, uerumetiam ad gentes, hoc eſt, ad totum mundũ. Ipſe eſt, inquit, propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Etſi enim nõ omnes homines in mundo accipiunt fructũ paſsionis Chriſti, quia non credunt omnes in Chriſtum: tamẽ is fructus toti mundo ita expoſitus eſt, ut quicunq; ſiue circũciſus, ſiue incircunciſus, ſiue rex, ſiue ſubulcus, ſiue honeſtus, ſiue inhoneſtus, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue ſanus, ſiue ægrotus, ſiue ſenex, ſiue adoleſcẽs, ſuſceperit Chriſtũ per fidem, iuſtificetur corã Deo, & ſeruetur perpetua ſalute. Poſtremò, cũ dicitur, q̃ Chriſtus tollat peccatum mundi, manifeſtum eſt, q̃ etiam tollat & auferat ea quæ propter peccatum intrauerunt in hunc mundum. Intrauerunt autẽ afflictiones, morbi, mors & infernus. Expiato igitur peccato per Chriſtũ, neceſſe habent omnia mala propter peccatũ exorta, ſeſe fuga è medio proripere. Quid ergo nunc horres grauitatem morbi? quid te affligit aſpectus mortis? Fateor, hęc apparẽt quidẽ adhuc terribilia & formidabilia, ſed expiato peccato, nullã prorſus habent amplius uim nocendi. Ego ſum, inquit Chriſtus, reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur in æternũ. Quare amplectamur fide noſtra hunc agnũ Dei, per quem tot cœleſtia beneficia accepimus, ut (quemadmodum liber Apocłypſeωs loquitur) regat nos, & deducat ad uiuos fontes aquarũ, & abſtergat omnẽ lacrymam ab oculis noſtris, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XVII.

GRAVISSIMVM eſt teſtimonium, quod Baptiſta de Ieſu filio Mariæ dixit, uidelicet quòd ſit agnus Dei, qui tollit peccatum mundi: ſed non minus graue eſt, quod in eadem concione ſequitur, Hic eſt (inquit) de quo dicebã. Poſt me ue-
» nit uir, qui me anteceſsit, quia prior me erat. Si hæc uerba oſcitanter percurras, nõ uidentur ualde præclara tribuere Ieſu filio Mariæ. Quid enim? an non multi fuerunt uiri in Iſrael, qui ut erant grandioris ętatis, quàm Ioannes baptiſta: ita poſtquam Ioannes ab Herode occiſus fuit, honeſta officia in Iſrael adminiſtrarunt? ſed ſi diligẽter ea expendas, & cum aliis teſtimoniis conferas, certè non poſſet Ieſu excellentior maieſtas

ſtas tribui, q̄ꝫ hæc uerba ei tribuunt. Sentit enim Ioannes, quòd Ieſus, quantum quidē ad functionem prædicandi Euangeliꝫ attinet, ſequatur ipſum: ſed is tamen ſit, quem nō ſolum prophetæ uenturum adnunciauerunt, & Meſsiam uocarunt ſed etiam, qui ſit uerus filius Dei, ab ęterno à Deo patre ſuo genitus. Qua maieſtate quid poteſt præclarius dici? Nō dubito autē quin nonnullis uideatur ſuperuacaneū eſſe, ſi inter Chriſtianos ſollicitè doceas & urgeas, q̄ nō ſit alius Meſsias, q̄ꝫ Ieſus filius Mariæ, quem Ioānes baptiſta demonſtrauit. Quid enim inter nos tam tritum, & tam celebratum eſt? ſed res ipſa declarat, nihil difficilius, nihilq̄ꝫ rarius eſſe, q̄ꝫ Ieſum filium Marię agnoſcere pro uero Meſsia, & in ea fide, in ueris tētationibus perdurare. Nō ut hic ſermo inter homines peruagatur, ita etiā à quibuſuis uera fide accipitur & conſeruatur. Iudæi tot cladibus affecti, & tanto exilio afflicti, ne adhuc quidē agnoſcūt hunc Ieſum, uerum eſſe Meſsiā, ſed alium expectant. Sarraceni exiſtimant Ieſum ueniſſe ut legislatorē: & cum ſentiant legem eius grauio rē eſſe, q̄ꝫ ut homines ferre queant, receperūt, abiecto eo, Mahumetem, quem nunc & Turcæ agnoſcunt. Nondū cētum ſunt anni, q̄ expugnata ſit Conſtantinopolis à Turcis: quo factum eſt, ut iam maxima orbis pars ſectetur, cōtempto Ieſu Chriſto, impietatē Mahumeticā. Quid autem dicā de illis ipſis qui Chriſtiano nomine appellantur? Inter hos enim, aliꝫ ſunt hypocritæ, iꝫq̄ꝫ innumerabiles: qui neglecto Ieſu, uero Chriſto, tot Chriſtos colūt, quot ſanctos inuocant: aliꝫ ſunt cōſcelerati & impœnitentes, etiā ipſi innumerabiles, qui ne requirūt quidē hunc Ieſum, ſed pergūt prę fractè, poſthabita omni cura religionis, in ſuis ſceleribus. Detrahe nunc de tanta hominum ſumma omnes Iudæos, omnes Sarracenos, omnes Turcas, oēs hypocritas & ſceleratos inter Chriſtianos, quota quæſo orbis pars reliqua eſt, quę hunc Ieſum agnoſcit uerū ſuum Meſsiā & ſeruatorem? Quod cum ita ſe habeat, quis iudicaret ſuperuacaneum eſſe, ſollicitè docere & urgere, q̄ hic Ieſus, ſolus ſit uerus Meſsias & ſeruator noſter, ut ſi nō omnes, ſaltem pauci quidam uel ex impietate liberentur, uel in uera pietate cōſeruentur. Vides, quāta ſollicitudine Ioānes baptiſta, uir tātus, teſtetur de Ieſu, quòd ſit uerus Meſsias. Et quanquam Ieſus eo tempore, quo Ioannes teſtimonium de ipſo dixit, nondū fuerit glorificatus: tamen tanta eſt nunc inſcitia & oſcitantia, etiam eorum qui uidentur ſibi eſſe frequentes uerbi Dei auditores, ut non minus poſt glorificationē neceſſarium ſit diligēter urgere & explicare hunc Ieſum ſolum eſſe uerum Meſsiam & ſeruatorem noſtrum, nec in alio quęrendā eſſe cœleſtē ſalutem. Sed ut ad inſtitutum reuertamur, quis obſecro, Ioannē docuit, hunc Ieſum eſſe uerū Meſsiā? à quo hoc didicit? quis ipſum de hoc certiorē reddidit? Sequitur. Et ego neſci « ebā eum, ſed ut manifeſtus fiat Iſraeli, propterea ueni ego, aqua bapti- « ſans. Quod Ioannes dicit, hanc habet ſententiā: Equidem neſciebam i- « pſe initiò, hunc Ieſum eſſe Meſsiam, nec potui hoc certò adſequi humana prudentia, & carnali coniectura, ſed didici hoc diuina reuelatione & cœleſti teſtimonio. Hic cogitabit mihi quiſpiā, quid ſibi uelit Ioannes, q̄ dicat ſe ignoraſſe hunc Ieſum eſſe uerū Meſsiam: ſed cognouiſſe illud

Ieſum pro Meſsia agnoſcere, rarum.

cœlesti oraculo in baptismo, quemadmodū postea magis perspicuè sequitur, cū tamen agnouerit eum in utero matris suæ: Spiritu sancto, inquit Gabriel, replebitur iam inde ab utero matris suæ. & Elizabeth ait ad Mariā: Ecce, ut facta est uox salutationis tuę in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Huc accedit, quod fieri certè nō potuerit, quin cū optimi & pijssimi parētes Zacharias & Elizabeth educauerint filiolum suum Ioānem, significauerint ei miracula, quæ in conceptione & natiuitate ipsius contigerunt, & recitauerint ei oraculū Gabrielis: adhæc, exultationem ipsius in utero matris, cū Maria mater Iesu in domū eorum uenisset: ex quibus profectò facile potuit Ioannes cognoscere, hunc Iesum, filium Marię, esse uerū Messiam, præsertim cum Iesus etiam propter cognationem nòn fuerit ei ignotus. Quid ergo est, quòd ait: Nesciebam eū. & postea: Non noueram eum? Hic nobis considerandū uenit, ϕ aliud sit dubitanter, aliud firma persuasione, & πληροφορίᾳ spiritus quidpiam cognoscere. Nō enim dubitandū est, quin Ioannes audiuerit ex parentibus suis, quæ gesta essent de ipso & Iesu filio Mariæ in conceptione & natiuitate ipsorū: ex quibus uerisimile est eū in hanc uenisse opinionē, ϕ cogitauerit quidē Iesum esse uerum Messiam, sed id nondū firmum tenuerit. Caro enim offensa humilitate Iesu, reclamabat huic opinioni. Nā Iesus ducebat ab adolescētia uitā obscuram, sectabatur opificiū non admodum excellens. Vnde & apud Marcum uocant eum τέκτονα, hoc est, fabrū: nec transigebat ętatem suam in illustri aliquo uitæ genere, ut pharisaico, aut eremitico, sed agebat populariter, adeoϕ humilitas Iesu non uidebatur respōdere amplitudini & maiestati, quam prophetæ tribuebant Messiæ. Itaϕ Ioānes ab initio ex dictis parentū sic sensit Iesum esse Messiā, ut tamen nondū in ea opinione satis certo & confirmato animo constiterit. Etsi enim repletus fuit spiritu sancto ab utero matris, iuxta dictū Gabrielis, tamen cū hic ingenuè fateatur, Et ego nesciebā eum: perspicuum est, ϕ Gabriel loquatur nō de eo dono spiritus sancti, quo Ioānes postea certò cognouit Iesum esse uerū Messiam: sed partim de illo dono, quo Ioannes adhuc embryon, & rerū per se ignarus, exultaturus esset in utero matris: partim de eo quo Ioannes ab infantia crescebat & corroboratur, donec ueniret dies, quo ostendēdus erat apud Israelitas, ut Lucas ait. Quare, cū inquit, Ego nesciebam eū, non negat se nullo modo cogitasse, hunc Iesum esse uerum Messiā (id enim non potuit ei esse ignotū priuata parētum indicatione, & multis alijs coniecturis) sed significat, ϕ uel in hac opinione nondū fuerit propter abiectionem Iesu, animo bene cōfirmato, uel nondū cognouerit hoc ut publicus testis. Nā in teste fide digno, & publica autoritate prædito, requiritur, ut recitet ea, non quę ex alienis narrationib. audiuit, sed quæ ipse coràm oculis uidit, & reipsa probè ac certò cognouit. Pluris, inquiunt, est oculatus testis unus, cῆ auriti decē. &: Oculis magis habenda est fides, cῆ auribus. Ioannes autē audiuerat quidem ex parentibus suis, cum quorum narratione conueniebāt etiam aliæ coniecturæ, hunc Iesum esse Messiam: sed nondū erat cœlesti oraculo uocatus, aut confirmatus, ut esset publicus huius rei testis, donec factum

Quomodo Ioannes Iesum nescierit.

ὠτίων πιστότερον ὀφθαλμοί.

ctum est uerbū Domini ad ipsum in deserto. Itaq; ut maximè hoc sciue
rit priuata quadam cognitione, nondum tamē sciuit publica reuelatio-
ne. Videamus igitur nunc seu reuelationē, seu uocationē, qua Ioannes
nō solum hausit πληροφορίαν suā de Iesu Christo, sed etiam diuinitus de
signatus est, ut publicū de ipso testimonium diceret. Vt manifestus, in- «
quit, fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptisans. Et testificatus est Io «
annes, dicens: Vidi spiritū descendentē specie columbæ de cœlo, & mā «
sit super eum, & ego non nouerā eum: sed qui misit me, ut baptisarem «
aqua, is mihi dixit, Super quem uideris spiritū descendentē, ac manen- «
tem super eū, hic est, qui baptisat spiritu sancto. Et ego uidi, & testatus «
sum, hunc esse filium Dei. Hæc, ut rectè intelligamus, primùm omnium «
considerandum est, quòd Ioannes baptista nō semper prædicauit & ba
ptisauit ab ineunte ætate: sed erat, inquit Lucas, in desertis, donec ueni-
ret dies, quo ostendēdus erat apud Israelitas. Anno igitur imperij Cæ-
saris Tiberij decimo quinto, Pontio Pilato præside Iudææ, pontificibus
Anna & Caiapha, factū est uerbum Domini in deserto ad Ioānem, an-
no uidelicet ætatis eius tricesimo: quo uerbo iussus est diuinitùs, ut ba-
ptisaret aqua, hoc est, ut prædicaret pœnitentiā ad consequendā remis-
sionem peccatorū in Messia, & institueret baptismū aquæ: ut quòd uer
bo prædicabatur, sacramento cōfirmaretur. Hæc est cœlestis uocatio Io *Ioannis baptistæ uocatio.*
annis, in qua duo præcipuè reuelata sunt Ioanni. Alterum, q; certò iam
aduenerit & præstò adsit uerus Messias: alterū, q; is sit uerus Messias,
super quem uisurus sit spiritū sanctum. De priori illo prius etiam dica-
mus. Ioannes enim non simpliciter uocatus est ad prædicandū baptis-
mum pœnitentiæ, sed ut hoc ministerio testaretur, Messiā iam adesse,
& cōiungeret ei homines, quo cōsequerentur per ipsum uerā salutem:
Vt manifestus, inquit, fiat Israeli, propterea ueni ego aqua baptisans.
Baptiso, non quòd ego sim uerus Messias, & autor salutis, sed ut hoc
meo ministerio reuelē uerum Messiam, & inserā homines Messiæ, tan-
quā membra capiti suo, quo unū corpus cum ipso fiant, & uerā in ipso
fœlicitatē habeant. Hic nobis discendus est legitimus usus prædicatio- *Vsus prædicationis & sacramentorū.*
nis Euangelij & baptismi, cuius Ioānes primus fuit in aduentu Christi,
minister. Nā prædicatio Euāgelij, & baptismus, ac etiā cœna Domini-
ca, etsi necessaria sunt in Ecclesia, & habēt magnas utilitates, tamē sicut
Ioannes non fuit Messias ipse, sed tantum Messiæ testis & minister: ita
hæc non sunt salus ipsa, sed tantum salutis nostræ ministeria: nō in hoc
instituta & ordinata, ut accipiamus tantū baptismum & cœnā Domi- *Sacramenta non sunt salus, sed salutis organa.*
ni, & audiamus tantū Euangelion sed ut Messias manifestetur Israeli,
hoc est, ut per illa organa uerum Messiā fide cognoscamus, in fide con-
firmemur, & uocationē eius per fidem sectemur. Hæc est uita æterna,
inquit, ut cognoscant te solum Deū uerum, & quem misisti, Iesum Chri
stum. Cum quondā Iudæi audirent ex prophetis, fore ut urbs Hierusa-
lem propter impietatē populi deuastaretur, gloriabātur de tēplo suo.
Existimabāt enim impossibile esse, ut ea urbs solo æquaretur, in qua es-
set templū diuinitùs institutū, & in qua fierēt sacra à Deo ordinata. sed
audiunt: Nolite cōfidere in uerbis mendacij, dicentes, Templū Domi-

ni, templũ Domini, templum Domini: ſed bonas facite uias ueſtras & ſtudia ueſtra, & habitabo in iſto loco. Templum enim Dñi ſuum quidem uſum habebat, nõ autem erat ſalus ipſa, ſed tantũ locus, in quo uera ſalutis uia diſcẽda & cognoſcenda erat. Quare, qui derelicta aut contempta uera pietatis cognitione & obſeruatione, ſectabatur impietatẽ, huic intantũ nihil proderat templũ, ut potius eſſet teſtimoniũ damnationis eius. Eodẽ modo prędicatio Euangelij de Chriſto, baptiſmus & cœna Dominica, magna ſunt dona Dei, & Eccleſiæ neceſſaria: ſed ſi quis neglecta uera cognitione Chriſti per fidem, & abiecta obedientia uerbi Dei, quo nos hæc uocant, ſectetur cupiditates carnis ſuæ, & glorietur interim de Euãgelio Chriſti & ſacramẽtis eius, aduerſus incurſiones uel Satanicas uel Turcicas: is certè, tantum abeſt ut ſeruetur, ut eo horribilioribus afflictionibus obijciatur, quo impurius tantis donis Dei abutitur. Quæſo te, num ſufficit ad conſequendã uictoriã, domi habere multa arma repoſita, aut etiã indutũ eſſe armis, interim tamen nec manus nec pedes aduerſus hoſtẽ mouere? hoc profectò non eſſet uictoriã ex hoſte reportare, ſed potius ſe hoſti uictũ & captiuũ offerre. Multo ſtultiores hi ſunt, qui cũ habeant Euãgelion Chriſti, & accipiunt Sacramẽta eius: non tamẽ hoc agunt, ut rectè his utantur, hoc eſt, ut Chriſtus ipſis ſit manifeſtus, ac ut Chriſti ſectentur uocationẽ. Quare enitẽdũ & elaborandũ eſt, ut quæ ſunt miniſteria ſalutis, nõ fiant noſtro uitio organa internecionis. Sed ut ad inſtitutũ reuertamur, habes, Ioãni, cum ad baptiſandũ diuinitùs uocaretur, reuelatũ fuiſſe, q̃ Meſsias iam certò aduenerit. In hoc enim miſſus fuit Ioannes, ut doctrina & baptiſmo ſuo teſtaretur Meſsiã præſtò adeſſe, & remiſsionẽ peccatorũ per ipſum contingere. Videamus nũc quo ſigno & miraculo diuinũ oraculum certiorẽ reddiderit Ioannẽ, quis hominum ſit uerus Meſsias. Qui miſit me, inquit, ut baptiſarẽ aqua, is mihi dixit: Super quẽ uideris ſpiritum deſcendentem, ac manentẽ ſuper eũ, hic eſt qui baptiſat ſpiritu ſancto. & ego VIDI, & teſtificor hunc eſſe filium Dei. Quid ergo uidit Ioannes? uidi (inquit) ſpiritum deſcendentẽ ſpecie columbæ de cœlo, & manſit ſuper eum, nimirũ, Ieſum illum, quem dixi agnum eſſe Dei, qui tollat peccatũ mundi. Perquiramus igitur, ubi Ioannes hoc ſpectaculũ,
Matth. 3. cuius nũc mentionẽ facit, uiderit. Apud Mattheũ, quo cum cõueniunt & Marcus et Lucas, ſcriptũ eſt, q̃ Ieſus uenerit à Galilęa ad Iordanẽ, ad Ioannẽ, ut baptiſaretur ab illo: & q̃ Ioannes prohibuerit eũ, dicẽs, Mihi opus eſt, ut abs te baptiſer, & tu uenis ad me? Ergo ne, inquies, Ioannes certus fuit hunc Ieſum eſſe uerũ Meſsiã, etiam priusq̃ uidit ſpiritũ deſcendentẽ ſuper ipſum? nam ſpiritus tum demũ ſuper Ieſum deſcendit, cũ iam à Ioãne baptiſatus eſſet, ut mox ſequitur. Oſtendimus ſuprà, Ioannem percepiſſe quidẽ ab ineunte etate, quid in conceptione & natiuitate tum ipſius tum Ieſu filij Mariæ factũ eſſet: ex quo potuerit cõijcere, Ieſum eſſe uerum Meſsiã, ſed nondum fuiſſe publicè uocatum, ut de illo teſtaretur & cõcionaretur. Cum autẽ nunc ferat de Ieſu publicũ teſtimonium, ac manifeſtè teſtetur ipſum eſſe Meſsiã, cum dicit, Mihi opus

opus eſt,ut abs te baptiſer, & tu uenis ad me? & tamẽ nondum uiderit ſpectaculũ ſpiritus deſcendentis ſuper ipſum: nõ dubito,quin ſpiritus ſanctus,accedente Ieſu ad Ioãnem, & petẽte baptiſmum, reuelauerit ei, hũc Ieſumillum ipſum eſſe, in quo uiſurus ſit ſpectaculũ antea promiſſum,& de quo teſtari atq; cõcionari debeat,q; ſit uerus Meſsias. Nõ diſ ſimile eſt quod de Samuele in unctione Saulis & Dauidis ſcriptum eſt. Nam cũ Samueli diuinitùs mandatũ eſſet,ut nouum regẽ in Iſrael unge ret,reuelauit Dominus auriculam Samuelis ante unam diem, quàm ueniret Saul,dicens:Hac ipſa hora quæ nũc eſt, cras mittã uirum ad te de terra Beniamin,& unges eum ducẽ ſuper populum meum Iſrael. Cum igitur Saul ueniſſet, & Samuel aſpexiſſet eũ, dixit Dominus ad Samuelem:Ecce uir,quem dixerã tibi,iſte dominabitur populo meo. Idem etiam contigit Samueli in unctione Dauidis. Poſtquã enim Dauid conſtitutus eſſet in oculis Samuelis,dixit Dominus ad Samuelẽ:Surge & unge eum. Multo autẽ maior, multo excellentior unctio agitur in baptiſmo Ieſu Chriſti,quam in unctione Saulis & Dauidis. Quare ueriſimile eſt,q; cum Ieſus accederet ad Ioannẽ, ſpiritus ſanctus excitauerit Ioannem,& dixerit ei,Surge: en hic eſt uir ille,ſuper quem uidebis ſpiritum deſcendentẽ, hunc amplectere & uenerare. Itaq; factum eſt,ut Ioãnes recuſauerit initiò ſe baptiſaturũ Ieſum, ſed Ieſus uolens omnem iuſticiam implere,& nihil eorũ omittere, quæ ad ſalutẽ noſtram pertinerent: uoluit etiam baptiſmũ ſuſcipere, non q; ipſe indigeret bapti mo, ſed ut miniſteriũ baptiſmi ſuo exemplo confirmaret atq; ſanctificaret. Hic ergo audi mihi ſtupenda miracula. Poſtquã enim Ieſus baptiſatus eſſet à Ioanne, & aſcenderet ex aqua, primùm uidit Ioãnes cœlũ diffindi: deinde uidit ſpiritum ſanctũ corporali ſpecie, quaſi columbam,deſcendere ſuper Ieſum: poſtremò audit uocẽ de cœlo,quę diceret,Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi bene complacitũ eſt. Hoc eſt admirabile illud ſpectaculũ,quo Ieſus unctus eſt de cœlo in Meſsiã, & quo Ioannes plerophorian conſecutus eſt,quòd nõ alius,præter hunc ſolũ Ieſum,uerus ſit Meſsias. Ego, inquit, uidi,nimirum his meis oculis,idcirco poſſum certiſsimè teſtari hunc Ieſum eſſe filiũ Dei,ac uerũ Meſsiã. Nõ ſum talis teſtis,qui ab alijs audita & narrata referã, ſed qui teſtificer ea quæ his meis oculis uidi,ac reipſa perſpexi. Nõ auritus tantũ, ſed etiã oculatus teſtis ſum. nec quicq; poteſt eſſe hoc teſtimonio certius. Audiamus igitur quæ nobis in hoc ſpectaculo obſeruãda ueniant. Nõ inueſtigabimus aũt nunc curioſè de columba, in cuius ſpecie ſpiritus ſanctus apparuit. Manifeſtũ enim eſt,q; ſpiritus ſanctus nõ ſic induerit columbã, quemadmodũ filius Dei induit hominẽ: ſed q; colũba fuerit tantũ manifeſtũ ſignum præſentię ſpiritus ſancti. Ac potuiſſet quidẽ ſpiritus ſanctus preſentiã ſuã alio ſigno & miraculo teſtari, quẽadmodũ in die Pẽtecoſtes reuelauit ſe linguis igneis: ſed quia maluit nũc in ſpecie colũbæ,cq; iam antè iudicauit auẽ mundã & aptã ad diuina ſacrificia,apparere,uoluntas eius,ſuã nobis ſit ratio & autoritas. Primùm ergo reuelatur & cõfirmatur hic,quod in Chriſtiana doctrina de tribus perſonis in una diuina eſſentia traditur. Reuelatur enim pater uoce, filius car-

1. Regum 9.

2. Regum 16.

Baptiſatur Chriſtus à Ioanne, & miraculis declaratur eſſe Meſsias & filius Dei.

Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ.

Deus unus, personæ tres.

ne, spiritus sanctus columba. Hic est unus Deus, rerũ omnium creator & administrator. Veneremur ergo unum Deũ in trinitate, & trinitatẽ in unitate, neq; cõfundentes personas, neq; separãtes substantiã, quemadmodum Athanasius loquitur. Deinde in hoc spectaculo cõfirmatur, q; Iesus uerus sit Messias & filius Dei, nec sit in alio quoquã salus quærenda. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi complacitũ est. Omnes alios homines uidi peccatores, & filios Satanæ. Hunc solũ hominẽ uideo uerè meum filiũ, & mihi ita acceptum, ut quicũq; in ipsum credat, adoptetur & ipse in meũ filium, & fiat hæres omniũ cælestium bonorũ. Quare, qui seruari cupit, is complectatur hunc fide sua, & certissima erit salus. Cęterùm, diuinum oraculum non solum dicit de Iesu, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacitum est: uerumetiam ait, Hic est qui baptisat spiritu sancto. Quid ergo dicemus? Nũ Ioannes, Apostoli, & ministri Ecclesiæ, cum distribuunt baptismũ aquę, non baptisant spiritu sancto? Certè hoc loco manifestè probatur, quòd in baptismo aquæ sit pater, filius: & spiritus sanctus: ac postea Christus ipse iubens Apostolos baptisare, dicit, Baptisantes in nomine patris & filij & spiritus sancti. An nõ Paulus ait: Quicunq; baptisati estis, Christum induistis? Christum autẽ induere, profectò est perfundi donis spiritus sancti: & qui baptisantur, accipiunt remissionẽ peccatorum per fidem, propter Christũ. Remissio autem peccatorum, est donum spiritus sancti. Quare perspicuum est, quòd qui accipit baptismum aquæ ex fide à ministro Ecclesiæ, hic baptisetur etiam per ministrum Ecclesiæ spiritu sancto. Sed cum hic dicitur, Iesum baptisare spiritu sancto, intelligendum est de baptismo ignis in die Pentecostes, quo Christus effudit publicè nomine suo in discipulos suos admiranda dona spiritus sancti: & quo testatus est, se solũ esse autorem salutis, propter quem sua spiritus sancti dona conferantur credentibus in baptismo aquæ. unde & Ioannes aliàs dixit, Ego quidem baptiso uos aqua, ille autem baptisabit uos spiritu sancto: hoc est, ego minister tantum sum salutis, ille autem Iesus, est magister & autor salutis, id quòd testabitur magno illo & excellenti miraculo, quo baptisabit in nomine suo apostolos igni in die Pẽtecostes, & ornabit eos admirandis donis spiritus sancti. Sic enim Christus ipse in Actis apostolicis interpretatus est: Ioannes, inquiens, baptisauit aqua, uos autem baptisabimini spiritu sancto post dies hosce non multos. & mox: Accipietis uirtutẽ, posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, usque ad extrema terræ. Hæc manifestè dicũtur de admirandis illis donis, quæ spiritus sanctus nomine Christi in apostolos in die Pentecostes cõtulit. Quare, cum diuinum oraculum hoc loco dicit, Iesum baptisare spiritu sancto, non abijcit ministerium Ioannis & apostolorum: sed commendat magisterium & autoritatem Iesu, uidelicet quòd is solus uerus sit Christus, qui Ioannis & apostolorum ministerio sua det incrementa. Huc etiam facit, quòd additur, spiritum mansisse super Iesum: Et mansit (inquit) super eum. Non enim intelligendũ est, columbam, in cuius specie spiritus apparauit, ita sedisse

Baptismus aquæ est etiam baptismus spiritus.

Actorum 1.

Quomodo spiritus manserit super Christum.

ſediſſe in humeris Chriſti, ut Chriſtus eam ſemper circũtulerit: nec eſt ſentiendũ, q̃ Chriſtus antè caruerit ſpiritu ſancto. Nam quod ad diuinam eius naturã attinet, unus eſt Deus cũ ſpiritu ſancto: quod aut attinet ad humanam naturam, cõceptus eſt ex ſpiritu ſancto, & profecit ut ætate, ita & ſapientia & gratia ſpiritus ſancti apud Deũ & apud homines. Sed quod dicitur, ſpiritũ ſanctũ deſcẽdiſſe & manſiſſe ſuper Ieſum: ſignificat Ieſum antè quidẽ adhuc obſcurum, in baptiſmo autem publico ſpiritus ſancti miraculo declaratũ eſſe, q̃ ſit uerus Meſsias, & q̃ ab eo tempore debeat officiũ Meſsiæ, prædicatione Euãgelij, & edendis miraculis inchoare, ac in eo fœliciter pergere, donec opus, quod peragendũ ſuſcepit, abſoluat. Nã quemadmodũ Dauid unctus quidẽ erat in adoleſcentia à Samule in regẽ, nondũ tamen adminiſtrabat regnum, donec ungeretur poſt mortẽ Saulis, à uiris Iuda, et poſtea à ſenioribus Iſrael: ita & Ieſus, ut iuxta diuinã naturã eſt ab æterno uerus filius Dei, ita iuxta humanã naturam fuit ab initio conceptionis & natiuitatis ſuę uerus Meſsias. Natus eſt, inquit angelus, uobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus Dñs, in ciuitate Dauid: nõ ſtatim tñ adminiſtrauit officiũ Meſſiæ publica prędicatione & miraculis, ſed tunc primũ hanc adminiſtrationẽ & functionẽ ſuſcepit, cum baptiſaretur à Ioãne, & declararetur cœleſti uoce, ac manifeſto ſpiritus ſancti miraculo uerus Meſsias. nec ſuſcepit eam inchoandã tm̃, ſed etiam perficiendã, imò retinendã perpetuò. Spiritus Dñi, inquit, ſuper me, eo quòd unxerit me, ad Euangeliſandũ pauperib. miſit me, ut mederer cõtritis corde, prædicarẽ captiuis indulgentiã, & clauſis apertionẽ. Nã ab eo tẽpore quo baptiſatus eſt, cœpit Ieſus prædicare Euangelion ſuũ, deinde edidit magna & præclara miracula, ad confirmandã Euangelij ſui autoritatẽ: poſtea tradidit ſe captiuum, nõ Iudęis tm̃, ſed & cruci & morti (pertinebat. n. & hoc ad officiũ Meſsiæ, ut peccata noſtra per crucem & mortẽ expiarentur) deinde reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, miſit ſpiritũ ſanctum diſcipulis, ſedet ad dextrã Dei, & dominatur ut omnipotẽter, ita & perpetuò in regno cœleſti. hoc uerè eſt ſpiritũ manere ſuper Ieſum. Cum igitur is ſolus Ieſus declaratus ſit publicè uerus Meſsias, & ſpiritus ita ſuper eũ mãſerit, ut officium Meſsiæ fœliciſsimè abſoluerit, ac perpetuò etiamnum retineat, nequaquam ſentiendum eſt, quòd ſpiritus, derelicto Ieſu, trãſtulerit maieſtatem Meſsiæ uel in Pontificẽ Romanum, uel in nebulonem illũ Mahumetem: ſed quòd Ieſus perpetuò maneat uerus Meſsias, ut nos credẽtes in illum, & iuſti reputati propter illum, uindicemur ab interitu ad ſempiternam ſalutẽ, gratia & miſericordia illius qui eſt Dominus & ſeruator noſter, unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

1. Reg. 15. 2. Reg. 2. et 5.

HOMILIA XVIII.

NON ſum ignarus, q̃ odioſa ſit humanæ curioſitati iteratio, & quàm grata atq̃ iucunda ſit nouitas ac uarietas. Sed qui ſunt pietatis ſtudioſi, hi ueritate magis quàm uarietate delectãtur. Nulla, inquiunt, eſt ſatietas rerum honeſtarum, & bis ac ter, quod pulchrum eſt, imò bis ac ter, quod

quod uerũ est. Quid enim ueritate pulchrius? Quare, etsi testimoniũ Ioannis de Iesu quod sequitur, idem planè est cũ eo quod antè explicuimus: tamen quia uerum est, & cognitu necessariũ, summa nobis obseruatione excipiendũ erit. Ioannes uir tantus, non grauatur idem discipulis repetere: non grauemur igitur nos idem iterũ audire. Euãgelista autem sic scribit: Postero die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo, & intuitus Iesum ambulantẽ, dicit: Ecce agnus ille Dei. Habes plane eandem concionem, quæ & suprà dicta est. Repetit eam Ioãnes non tam ut excitet discipulos ab ignauia & stupore, nihil enim stupidius est humano ingenio ad conseruandam ueram pietatis doctrinam, q̃ ut repetitione significet hoc testimonium de Iesu, non esse temerè ipsi in ore natũ, aut somnio conceptum, sed certissimum ac uerissimum esse. Ac uidetur quidem hęc conciuncula de Iesu, si uerba numeraueris, parui esse momẽti: sed si sententiã expendas, ut est concio uerissima, ita fuit etiam Ioãni coram hominibus periculosissima. Ostẽdimus enim antè, q̃ hæc cõcio de Iesu, sit epitome totius Euangelij de remissione peccatorum propter Christũ, & quòd sit abrogatio omnium sacrificiorum, quæ in lege Mosi instituta fuerunt. Non est igitur dubium, quin Ioannes hac una uoce, quasi bellicum, nõ inter pontifices & sacrificulos tantum, sed etiã inter sapientes quosque Iudæos, adeoq̃ in uulgo ipso, cecinerit. Pontifices enim & sacrificuli alebãtur ac sustẽtabantur sacrificijs, quorum tanta offerebatur copia, ut ex ijs nõ solum famem depellerent, uerumetiam magnum uitæ splendorem consequerentur. Quid ergo mirum, si ad hanc uocẽ exclamarint, Ioannem habere dæmonium, quippe qui abroget sanctissima sacrificia, quæ Deus ipse instituerit? Nam si Iesus ille faber, portat peccatũ mundi, quid opus est sacrificijs? Quid autem sapientes? Si hæc Ioãnis concio, quam habet de Iesu, uera est, quis deinceps dabit operam honestis moribus? quis studebit sacris? Nam si unus ille homo portat peccatum, quis se affliget benefaciendo? & quid opus erit, multũ sumptum facere ad expianda peccata? Crede saltem in agnum illũ Dei, & habebis continuò peccati remissionem. Quare sapientibus uisa est hæc concio, non solũ abrogatio ciuilis honestatis, sed etiam deuastatio totius religionis suæ. Quod cũ ita fuerit, quis non intelligit, quòd hæc concio cõstiterit Ioannem maximo uitæ suæ periculo? Iam considera etiam mihi, quantã aliarum rerum suarum iacturam fecerit Ioannes hac una concione. Nã Ioannes ipse habebatur Messias, hoc est, agnus Dei, qui tolleret peccatũ mundi. Hanc maiestatem, qua non est ulla maior, transfert Ioãnes hac uoce à se, in Iesum: & omnino hoc agit, ut non ipse, sed Iesus a gnoscatur uerus Messias. Quid autem hoc aliud est, quàm facere iacturã regni cœli & terræ? Rex quispiam huius terræ maximo damno se obijcere uidetur, si alteri cedat è maiestate & potentia sua regia, atq̃ se illi seruũ subijciat: multo certè maius iudicari potest, q̃ Ioãnes cedat alteri è maiestate Messię, qua nulla potest esse illustrior. Habes q̃ periculosa fuerit Ioãni hæc concio corã hominibus: & tamen necessariò dicenda erat. Hæc enim fuit uocatio Ioannis, & ad hoc missus erat diuinitùs, ut testaretur de uero Messia. Moneo igi-

tur

tur te, ne omittas necessariũ tuum officiũ facere, propter pericula, nec auertant te pericula ab ea uocatione, ad quam sectandã diuinitùs ordinatus es. Non iniquum quidẽ est uitare pericula, si id absque præuaricatione diuinæ uocationis fieri queat: sed si res ita sese tulerit, ut aut pericula subeunda sint, aut uocatio Dei derelinquenda, & aduersus Deũ peccandum, tunc uocatio Dei, nulla periculorũ ratione habita, sectãda est. Nã si metuendum est periculum, certè plus cauendum est maius q̃ minus. Nullũ autem maius est periculum, q̃ uocationem Dei derelinquere, & aduersus Deũ peccare. In alijs periculis amittitur fama nominis, amittũtur opes & dignitates, amittitur aliquoties uita corporis: in peccato autẽ amittitur salus tam corporis quàm animę, amittitur Deus ipse, hoc est, omnium bonorum thesaurus. Ne metuatis uobis, inquit Christus, ab his qui occidunt corpus, animam autẽ non possunt occidere: sed metuite magis illum, qui potest & animã & corpus perdere in gehenna. Quid ergo? inquis: Exponã ne me manifesto periculo, ut tẽtem Dominum Deum meum? Audi igitur uicissim: Deus non tentatur, si suscipiantur pericula ex ipsius uocatione. Tentatur quidẽ, si temerè exposueris te periculis absque certa eius uocatione. Si autem Deus id iusserit, nõ iam est tentatio, sed obedientia Deo debita. Israelitæ non tentabãt Deum, sed obediebant Deo, cum ingrediebantur in aquas maris rubri: quia Deus id iusserat. Apostoli non tentabant Deum, sed obediebant Deo, cũ prædicatione Euangelij exponebant uitã suam manifestis periculis: quia uocati erant ad prædicandum Euangelion. Martyres confitentes periculo capitis sui Christum, nõ tentabant Deum, sed obsequebantur Deo: quippe qui mandauit, ut in Christũ corde credamus, & ipsum ore confiteamur. Itaque quod Ioãnes baptista fecit, non fuit tẽtatio Dei, sed obedientia, ad quam diuino mandato uocatus fuerat. Nec est quòd in his periculis, ad quæ subeunda Deus te uocat, pereas. Quem enim Deus ad pericula uocat, eum etiã in periculis ex fide susceptis conseruat. Nõ priuabit, inquit, bonis eos qui ambulant in innocentia Dñs Zebaoth: beatus homo, qui sperat in te. & : Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cœli cõmorabitur. ac mox: Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem nõ appropinquabit. Quare multo magis eligendum est ut periculosè, q̃ ut impiè facias: quòd illud habeat conseruatorem Deum, hoc autem afferat secum extremam & perpetuam internecionem. Sed redeamus ad Euangelistam, qui sic scribere pergit: Et audierunt eũ duo discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum. Conuersus autem Iesus, & conspicatus eos, sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur, si interpreteris, Magister, ubi habitas? Dicit eis: Venite, & uidete. Venerũt, uiderunt q̃ ubi maneret, & apud eũ manserunt die illo. Hora autẽ erat fermè decima. Principiò cognoscẽdum est, qui fuerint hi discipuli, de quibus hic fit mentio. Non enim frustra hoc inquiritur, quemadmodũ postea audiemus. Manifestũ autẽ est, quòd alter fuerit Andreas frater Simonis Petri, ut mox sequitur: alterius uerò nomen, etsi hoc loco non extat, tamẽ quia Euangelista meminit tam diligenter circumstantiæ

Pericula uitanda, sed non est peccandum.

Psalm. 53.

Psalm. 90.

circumstantiæ temporis (Erat, inquiens, hora fermè decima) apparet ipsum Ioannẽ, qui hęc conscripsit, eũ fuisse discipulũ, qui cũ Andrea cõcionem Baptistæ de Iesu audiuerit, & interfuerit. Deinde uides Iesum hoc loco manifestũ dare specimẽ officij Messię. de Messia enim scriptũ
Esa. 42. est apud Esaiã: Calamum quassatũ non conteret, & linũ fumigans non extinguet. In ueritate educet iudiciũ. Nõ erit tristis, neq; tumultuosus, hoc est, non erit erga miseros inhumanus, durus, crudelis & plagosus: sed benignus, clemens, aditu facilis, tranquillus & placidus. Alij reges apparent terribiles & formidabiles. Sedent in ferocibus equis, circumdantur magna satellitũ caterua, ut non possint adiri. In Persia ne licebat quidẽ miseris regẽ uidere. occulebatur enim sub specie maiestatis. Capitale quoq; erat, in conspectũ regis non uocatum penetrare, quemad-
Reges mundani aditu difficiles. modũ historia Esther docet. Hic autẽ rex Iesus Christus, ecce uenit tibi mãsuetus, ut propheta ait, sedens in asina: ideoq; facillimus est aditu, & cõplectitur quosuis obuios humanissimè. Quid quæritis? dicit ad hos
Christus rex aditu facilis. discipulos: Cur nõ propius accedetis? Et cũ interrogarent ubi diuerteret, non repellit eos duriter, sed inuitat ip os clementissimè: Venite, inquiẽs, & uidete. Si libet uobis mecũ esse, en ego me totũ uobis expono. Nec id uerbis tantũ polliceor, sed uerè etiã præstabo. Venite igitur, & reipsa probate. Quid hac mansuetudine humanius? Habeãt igitur alij monarchæ suas maiestates, nos inhærebimus huic monarchæ, Iesu Christo Dño nostro, ut uerã & perpetuã salutem in ipso cõsequamur. Deinde hæc tam diligẽter scripta sunt, ut cõmendetur nobis autoritas & testimoniũ apostolorũ. Nã qui discipuli hic recitantur, hi postea electi sunt in apostolos, ut testarẽtur de doctrina & miraculis Iesu, quibus
Testium fide dignorum officium. comprobaretur eum uerum esse Messiã. Ad officium autem testium fide dignorũ pertinet, ut commemorẽt, non ab alijs audita, & per famam tantũ cognita: sed à se ipsis uisa, cõperta, et probè perspecta. Quod cum in examinãdis testibus rerũ ciuilium diligenter obseruetur, multo magis in testibus agnoscendæ & cõstituendæ religionis obseruandũ erit.
Religio certa esse debet. Quod enim maius, quod excellẽtius est negocium religione? Quid debet in his terris certius, quid probatius esse, cũ religio? Hæc enim si uera est, seruat cultores suos à perpetuo interitu, & affert eis cœlestem ac
Apostolorum testimonium. sempiternã salutẽ: si autẽ falsa est, abducit cultores suos ad extremã internecionẽ. Necesse igitur est, ut certissimis ac firmissimis testimonijs cõprobetur quæ sit uera religio, ne pro uera falsam amplectamur, & pereamus. Porrò apostoli, qui in hunc usum electi sunt, ut essent testes Iesu Christi, in quẽ credere, sola uera est religio, eas habẽt proprietates, quas homines in testibus fide dignis exigunt. Nõ enim fuerunt ex eorũ numero, qui audierũt tantũ ea quæ ab alijs de Iesu Christo narrabãtur: sed fuerũt ipsi spectatores omniũ rerum gestarũ iam inde ab initio baptismi Ioãnis. Hoc enim pertinere ad apostolicã autoritatem, significat
Act. 1. Petrus, cum ait: Oportet ut ex ijs uiris, qui nobiscum uersati sunt toto tempore, quo Dñs Iesus perpetuam uitæ consuetudinẽ egit nobiscum, exorsus à baptismo Ioannis, ad eum usq; diem, quo receptus est à nobis, unus quispiam constituatur, qui sit unà nobiscũ testis resurrectionis

nis eius. Dicit & aliàs Petrus, quòd Apostoli ea testificẽtur, nõ quæ audiuerunt ab alijs narrari, sed quę ipsi corã uiderunt, & probè cognouerunt. Non possumus, inquiens, non loqui, quæ uidimus & audiuimus. Et Ioannes Euãgelista: Quod audiuimus, inquit, quod uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrę cõtrectauerunt, hoc testamur & annunciamus uobis. Cũ igitur hoc loco describatur, q̃ hi discipuli, qui postea in Apostolos electi sunt, fuerint auditores Ioãnis Baptistę, & didicerint ex doctrina eius Iesum Christũ agnoscere, ac postea secuti sint Christum, nõ est oscitanter prætereundum, sed diligentissimè considerandum, quod hic cõmemoratur, ut tãto magis in fide Iesu Christi confirmemur, quanto certiora sunt testimonia Apostolorũ de Christo. Apage nunc cum dijs gentiũ. Hi enim nulla prorsus habẽt certa & firma testimonia, q̃ ueri sint dij: imò certa extant testimonia, q̃ fuerint quondam homines, humana superstitione in deos cõsecrati. Quare nõ est mirum, q̃ maiestas illorum ficticiorum deorum, potẽtia Euangelij Christi euanuerit, uix ut nomina eorum reliqua sint. Apage etiam cum impio Mahumete, & magis impia sua religiõe. Hic em̃ Mahumetes nec habet diuina, nec humana, quæ quidẽ certa & fide digna sint, testimonia. Suo tantũ testimonio se laudat. & quod affirmat, id nec miraculis, nec alijs certis argumẽtis cõfirmat: sed potius significat, se à Satana excitatum, ut nouo cõmento ueterem, eaḿq̃ ueram & certò probatã religionem aboleret. Fugiamus igitur Mahumeticam impietatẽ, detestemur Satanicam illã religionem, ne quis ab ea seductus in̊ternũ pereat. Apage quoq̃ cum Monastica superstitione. Hæc enim excogitata est, prætextu quidẽ Apostolici testimonij, sed reuera contra Apostolicam doctrinam. Apostoli enim testati sunt, Iesum esse uerum Christũ, & solius Christi maiestatẽ esse, peccata expiare, & Deũ placare. Monastica autẽ superstitio docet, merita humanę iustitię expiare peccata, & placare Deum: quæ doctrina pugnat ex diametro cũ testimonio Apostolorum. Quare caueamus ab omnibus illis religionibus, quæ nulla habent certa & firma testimonia: amplectamur autẽ solã eam religionem, quæ cõstat Apostolico, eóq̃ firmissimo testimonio de Iesu Christo, ut ex fide Christi iustificati, uerã salutẽ habeamus. Cæterùm nec hoc ociosum est, quod additur, fuisse horam fermè decimã, hoc est, uesperum diei. Si enim simplicem sensum cõsideraueris, meminit Euangelista circunstantiæ tẽporis, ut hoc argumẽto significet, ea quæ hic gesta narrantur, tam diligenter ab ipso obseruata esse, ut etiã tẽpus ipsum adnotarit, ideóq̃ uerissima esse. Si arridet allegoria, ut discipuli uenerũt ad Iesum, & didicerunt ipsum esse Messiam, uesperi, quæ pars est nouissima diei: ita mysterium salutis nostrę, quod erat tacitum æternis tẽporibus, reuelatum & patefactũ est nouissimis temporibus, propter nos, ut fidem ac spem habeamus erga Deũ, propter Christum filium eius. Si autem libet hic aliquam uirtutis speciem discere, commendatur sobrietas, et monemur exemplo horum discipulorũ, ut & nos sectemur sobrietatem ad discendam ueram Euangelij doctrinã. Alij enim homines solẽt uesperi sectari conuiuia, & studere ebrietati, quo fit, ut nullã habeant rationem piæ

1. Ioan. 1.

Dij gentium euanuerunt.

Mahumetes nõ habet testimonia suæ doctrinæ.

Monastica religio.

doctrinæ. Hi autem discipuli etiã uesperi sobrij sunt, & tẽpus quod alij impendunt conuiuijs, impendũt ipsi audiendo Euangelio Christi. Magna hęc uirtus est, & ad imitandũ proposita, ut nõ tantum una aut altera horula, sed manè & uesperi, interdiu & noctu meditemur sobrij in lege Domini. De hac autẽ re admonuisse nunc satis est. Transeamus igitur ad reliqua. Erat Andreas frater Simonis Petri, unus ex duob. qui audierãt à Ioanne, & secuti fuerant eũ. Reperit hic prior fratrem suũ Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est, si interpreteris, Christus. Et adduxit eũ ad Iesum. Intuitus eũ Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas, quod interpretatũ Petrus. Hic initiò considerandum est, quanto amore flagret Andreas in fratrem suum Simonem Petrum. Non est contentus, ꝙ agnouerit Messiam, hoc est, summũ bonum, sed accelerat & ꝓperat, ut quicquid hoc est boni impartiat fratri suo Petro, & cõmunicet cum ipso. Hæc natura est & ingenium fraternæ caritatis. Nõ putat sibi bene esse, nisi & fratri bene sit: Diliges, inquit lex, proximum tuũ sicut teipsum. Diligamus autẽ nos inuicem, quemadmodum aliàs Ioannes ait, nõ uerbo, neꝙ lingua tantũ, sed opere & ueritate. Deinde in Andrea obseruanda etiã est natura fidei in Christũ. Vera enim fides in Christũ, non potest teneri, quin declaret se confessione nominis Christi, & alijs bonis operibus, quę Deus pater Domini nostri Iesu Christi exigit. Quare qui negant Christũ ore in persecutione, & ambulant in peccatis, hi etsi putant se corde in Christũ credere, & gloriantur de nomine Christi: tamen fallunt seipsos, nec habent ueram fidem, nec participãt beneficia Christi. Sed audiamus nunciũ, quẽ Andreas uir, ut ex alijs etiã locis Scripturæ apparet, magnæ curę & diligentiæ, affert fratri suo Simoni Petro. Inuenimus, inquit, Messiam. Priusꝙ autem rem ipsam expendamus, de nomine Messię aliquid dicendũ est, præsertim cum Euangelista ipse nõ grauatus sit illud interpretari. Messiam igitur Hebræi uocãt, qui Græcis, si interpreteris, est Christus: Latinis autem unctus, aut significantius REX. Messias enim, Christus, unctus & rex, idem sunt. Nã quos nos nostro more uocamus Reges, hos Hebræi uocabant suo more Messias, ab unctione. Ad Samuelem enim de Saule, primo Israelitarũ rege dicitur: Vnges eum ducem super populum meum Israel. & de Dauide secundo rege: Imple cornu tuum oleo, & ueni ut mittã te ad Isai Bethleemitam. prouidi enim in filijs eius mihi regem. Itaꝙ reges dicti sunt Messiæ. Sed Scriptura etiã patriarchas uocat Messias, seu Christos: Nolite, inquiens, tangere Christos meos. quod de patriarchis, qui fuerũt ante electionẽ Regũ in Israel, dictum est. Cum autẽ nec patriarchę, nec reges in Israel potuerint populum suũ uerè defendere ac seruare: idcirco hoc semen patriarchæ Abrahæ, & germen Dauidis, de quo prophetæ cõcionati sunt, ꝙd per ipsum uera salus, uera liberatio à peccatis & morte sit uẽtura, propriè dictum est Messias, seu Christus. Sic enim præcipuè à Daniele uocatur. Quare cum audimus nomen Messiæ seu Christi Seruatoris nostri, excitemur ad fidem, & sentiamus nos talem habere regem, sub quo tuti sumus ab omnibus malis, adeoꝙ à morte ipsa. Qui enim in me credit (inquit)

Caritatis natura.

Fidei natura.

Messiæ nomẽ.

Christi nomẽ.

Psal. 104.

quit) etiãsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur in æternum. Hoc nimirum illud est, quod animus Andreę gestiat fratri suo Petro adnũciare: Inuenimus, inquit, Messiã. Quę est illa, obsecro, lætitia, quæ exultatio, aut quale inuentum? Inuenit Andreas non quod pueri in faba, nõ carbones, quod aiunt, sed maximũ omnium thesaurum. Quicquid enim aliarum rerũ inuenisset, nõ satis inuenisset. Finge eum inuenisse regnum Romanum, & factum esse externum monarcham orbis. Finge eum in paupertate consecutum esse maximas diuitias, & immensam uim auri: finge eum in magna corporis ægritudine recuperasse iucundissimam sanitatem. Hæc sunt quidem magna beneficia Dei, sed non afferunt ueram ac firmam salutem. Siue enim monarcha, siue diues, siue sanus fueris, peccatis tamen & morti, adeoq; perpetuæ damnationi obnoxius es, nisi inueneris, & habeas Messiam. Inuentum igitur longè omniũ utilissimũ, & maximè necessarium est, inuenire Messiam. Is enim est thesaurus omnium cœlestium bonorum. Nam si explicaueris Messiam, iuxta interpretationem spiritus sancti, intelliges eum esse qui conterat caput serpentis, hoc est, potentiam Satanę: qui sit semen illud Abrahæ, in quo benedicantur omnes gentes, qui sit salus & expectatio gentium, qui iudicet pauperes populi, & saluos faciat filios pauperũ: qui dominet à mari usq; ad mare, quẽ necesse habeãt adorare omnes reges, qui medeatur omnibus cõtritis corde, qui cõsoletur omnes lugentes: breuiter (quis enim posset omnia prophetarum dicta de Messia, pauco tempore perstringere) qui iustificet omnes credentes in ipsum coram Deo patre suo, & seruet eos in morte ipsa ad accipiendam hæreditatem omnium cœlestium bonorum. En tantũ thesaurum inuenit, qui Messiam inuenit: quẽ si non habueris, nihil prodesse potest uel regnum terrę, uel pecunia, uel sanitas corporis. Si autem habueris eum, nihil deesse tibi potest, etiãsi longè omniũ abiectissimus, pauperrimus, ac ipso etiã Lazaro miserior fueris. Sed quomodo, inquies, inueniemus Messiam? Hic uide mihi exemplum horum discipulorũ. Audiunt conciones Ioãnis baptistę de Iesu Christo, audiũt & postea cõciones Christi de suo Euangelio, & adhibent ei fidẽ. Itaq; inueniũt Messiam. Inuenitur ergo Messias AVDIENDO, & CREDENDO. Ite, inquit, prædicate Euãgelion omni creaturę: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. & aliàs: Qui sermonẽ meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitã æternam, & in condemnationẽ nõ ueniet, sed transibit à morte ad uitam. ac rursus: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eũ ueniemus, & mãsionem apud eum faciemus. Audiamus igitur & nos sermonẽ Christi, qui est Euangelion eius, & seruemus eũ fide, ut inueniamus Messiã, qui est thesaurus longè omnium maximus. Nec inueniamus tantũ, sed etiam cõseruemus. Conseruatur autem fideli gratitudine & obedientia. Quare enitendũ est, ut in uocatione Dei obedienter ambulemus. Sed uideamus nũc quid de Petro fiat. Hunc enim adductũ, Iesus intuetur, & ait: Tu es filius Iona (q̃d uocabulum uidetur mutilatũ ex Iohanna, uocatur enim aliàs Simon filius Iohãna) tu uocaberis Cephas: quod Grę cis dicit̃ Petrus, Latinis lapis

Messias thesaurus omniũ cœlestiũ bonorũ.

Cephas. Petrus.

pis aut ſaxum. Siue Chriſtus Petrum antea nec uiſum nec cognitũ, pro maieſtate ſua ſic alloquatur, quemadmodũ poſtea Nathanaelem agnouit: ſiue Petrum antea de facie & familia nouerit, certè hęc nominis eius mutatio non eſt abſque ſingulari conſilio facta. Nam quemadmodum quondam nomen patriarchæ Abræ mutatum eſt diuinitùs in Abraham, quod ſignificat patrẽ multitudinis, ut hoc nomen eſſet monumentum earum promiſsionũ quæ ad Abraham dicebantur: uidelicet quòd Deus ſit multiplicaturus familiam Abrahæ, & quòd ſit ex ipſo daturus ſemen, in quo benedicẽdæ ſint omnes gentes, ut per hoc Abraham fiat pater multitudinis gentium: & quoties audiatur nomen Abraham, admoneatur tam ipſe, quàm poſteri eius de diuina promiſsione, & de benedictione promiſsi ſeminis: ita & Chriſtus hoc loco mutat nomen Simonis in nomen Cephæ ſeu Petri, aut lapidis: ut nõ ſolum ſignificaret, quid futurum eſſet de Petro & alijs Apoſtolis, ſed etiã inſtitueret monumentum in nomine Petri, quo audito, omnes de firmo fundamento Eccleſiæ admonerentur. Nam Chriſtus miſſurus erat Petrum & alios Apoſtolos collegas Petri in uniuerſum mundũ, ut prædicarent Euangelion ſuũ, & ædificaturus erat Eccleſiã ſuam in toto orbe terrarum ſuper doctrinam Apoſtolorum, tanquam ſuper petram, & firmiſsimum ſaxũ, quod nulla humana ui euerti poſſet. Mutauit igitur nomen Simonis in nomen Petri ſeu ſaxi, ut monumento huius nominis admonerentur omnes homines, Eccleſiam cõſiſtere in fortiſsima & firmiſsima petra, nec fieri poſſe, ut Eccleſia Chriſti in hoc mundo intereat. Non impoſuit Simoni nomen Petri, propter Petri ipſius perſonã: ut ſignificet ipſum fore dominum Apoſtolorum, & habiturũ poteſtatem docendi, ſtatuendi & faciendi quiduis pro ſua libidine. Apoſtolis enim ęqua eſt poteſtas à Chriſto tradita, eaq; non indefinita, ſed certa & ſuis terminis concluſa, poteſtas uidelicet prędicandi Euangelij, ſecundũ quod Chriſtus ipſe docuit: Docẽtes, inquit, ſeruare quæcunq; præcepi uobis. Sed impoſuit ei hoc nomen propter omnes Apoſtolos, & propter uniuerſam Eccleſiam Chriſti, ut audito nomine Petri, omnes homines admonerentur de firmitate Eccleſię, fundata ſuper doctrina Apoſtolica. dicit enim Chriſtus: Docete omnes gentes ſeruare omnia quæcunq; prędicepi uobis. &: Ecce ego uobiſcum ſum omnibus diebus, uſq; ad cõſummationem ſeculi. & iterum: Portæ inferni non præualebunt aduerſus eam. Siue ergo Iudæi, ſiue gentes, ſiue hæretici, ſiue Mahumetiſtę, ſiue Pontifices, ſiue Principes inſaniant, debacchentur & graſſentur in Eccleſiam Chriſti: tamen cum Chriſtus ipſe impoſuerit Simoni nomẽ petri ſeu ſaxi, certiſsimũ eſt, Eccleſiam in petra Apoſtolicæ doctrinæ tam firmiter fundatam eſſe, ut nec Satan ipſe queat eam ſubuertere. Inſtituit quondam Samuel ſtatuam lapideam, ut eſſet monumentum rerum geſtarum aduerſus Philiſtinos, quemadmodum ſcriptum eſt in priori libro Samuelis capite ſeptimo: quam ſtatuam ſi quis uidiſſet, admonebatur diuini miraculi, in eo loco aduerſus Philiſtinos editi, & excitabatur ad gratitudinem, adeoq; confirmabat fidem ſuam de diuino auxilio etiam ipſi in aduerſis exhibẽdo. Sic & mutatio nominis Petri eſt ue-

Abrahæ nominis mutatio.

Petri nominis mutatio.

2. Regum 7.

lut

lut inſtitutio ſtatuæ, qua unuſquiſq; admoneatur, nullã eſſe potentiam huius mundi tam magnam, quæ Eccleſiã Chriſti opprimere queat. Videtur quidẽ Eccleſia Chriſti in hoc mundo infirma, & neceſſe habet uarias calamitates, uarias afflictiones ſufferre: ſed quia habet Ieſum Chriſtum, regem cœli & terræ defenſorem & ſeruatorem, nõ eſt nobis metuendum ne intereat. Quod autẽ dicitur de uniuerſa Eccleſia, hoc etiã de unoquouis priuato Eccleſiæ membro intelligendum erit. Quicquid enim credenti in Chriſtum acciderit, conſtat tamen Eccleſia, cuius ipſe membrum eſt, uiuit Chriſtus ſeruator. Hæc ſi conſtant, & uiuunt, nihil erit nec in cœlo, nec in terra, quod poſsit membrum Chriſti & Eccleſiæ perdere. Quare confirmemus, audito nomine Petri, fidem noſtram, & agnoſcamus doctrinã Euangelij, quod Petrus cum collegis ſuis de Ieſu Chriſto prædicauit, eſſe firmum Eccleſiæ fundamẽtum, ac ſolum Ieſum Chriſtum eſſe uerum & perpetuum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XIX.

DE uocatione Philippi, nondum quidem ad Apoſtolatũ, ſed ad diſciplinã Chriſti, hodie diuina clementia iuuante & gubernãte, tractabimus. Aliud enim eſt Apoſtolum, aliud diſcipulum Chriſti eſſe. Nam qui in Apoſtolũ eligendus erat, neceſſe habuit antea doctrinã & acta Chriſtianiſmi, iam inde ab initio baptiſmi Ioannis baptiſtæ diligentiſsimè cognoſcere, ut teſtimonium eius fide dignum eſſet. Quare Philippus uocatur prius, ut ſit diſcipulus Chriſti, quàm in Apoſtolum cooptetur. Poſtero die, inquit Euangeliſta, uoluit Ieſus exire in Galilæam, reperit Philippum, & dicit ei: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethſaida ciuitate Andreæ & Petri. Pauciſsima audis uerba, Sequere me, ſed maximam efficaciam. Philippus his pauciſsimis uerbis excitatus, non ſolum ſequitur ipſe Chriſtum, ſed etiam perſuadet Nathanaeli, ut Chriſtum ſequatur. Sed an non hęc eſt, inquies, cæca & inconſiderata temeritas, q; Philippus, relicta ſua uocatione, ſequatur hominẽ adhuc ignotum, & nondum miraculis illuſtrem? Etſi enim uerus Meſsias ſeu Chriſtus nulla tergiuerſatione ſectandus eſt, tamen nondum manifeſtũ ac probatum uidebatur, hunc Ieſum eſſe uerũ Meſsiam. Hic licet quidem nobis ſimpliciter ad occultam ſpiritus ſancti uim appellare: nec dubiũ eſt quin Philippus in hac uocatiõe, potẽtiſsimo Spiritus tractu excitatus ſit, nõ tamen defuit ei antea cognitio Ieſu. Reperit olim Elias Elizeũ arantem duodecim iugis boum, & proiecto ſuper ipſum pallio ſuo, uocauit eum ad ſuam diſciplinam. Elizeus igitur ſtatim relictis bobus ſectatus eſt Eliam, tractus quidẽ occulta potentia Spiritus, ſed ad eum ſectandum, quem antè cognouerat eſſe uerũ Domini prophetam. Sic & Philippus à Ieſu uocatus, nõ ſequitur temerè ignotum. Cum enim poſtea cooptatus ſit in numerum Apoſtolorum, manifeſtum eſt, eũ fuiſſe antea diſcipulum Ioãnis baptiſtæ: quippe quòd, ut Petrus ait, Apoſtolorum erat cognoſcere omnia acta Chriſtianiſmi iam inde ab initio baptiſmi Ioannis. Et cũ Euãgeliſta commemoret patriam Philippi, Bethſaidam,

Philippi uocatio.

3. Reg. 19.

Actorum 1.

saidam,quæ erat etiam patria Andreæ & Petri, apparet quòd id faciat, non ob eam tantum causam,ut significet,Deum eligere abiecta & ignobilia (erat enim Bethsaida ciuitatula obscura) sed ut significet,quòd cũ Philippus fuerit ciuis Andreæ & Petri, sectatus etiam sit eundum cum ipsis præceptorem Ioannem. Nihil autem prius, nihil sanctius fuit Ioanni,quàm ut discipulos suos doceret, hunc Iesum esse uerum Messiã: & excitaret eos,ut Iesum sectarẽtur, quemadmodum antè demonstratum est. Quare quem sectatur Philippus, eũ antè cognouit testimonio Ioannis,& cœlesti miraculo,quod in baptismo Christi editum erat,uerum esse Messiam. Hæc idcirco commemorare uisum est, ut nõ discamus hoc exemplo temerè quosuis, iactantes se diuinitùs missos,sectari: sed ut probemus,quemadmodũ Euangelista aliàs dicit, spiritus an sint ex Deo. Fuerunt aliquot ijs temporibus, quibus Iesus, uerus Messias, uitam in terris egit, qui & ipsi iactarunt se esse Messias,diuinitùs ad liberandum Israelem missos, Theudas uidelicet, & Iudas Galilæus. Hi multos ad se sectandum uocarunt,sed qui sectati sunt,suam ipsorum internecionem sactati sunt:propterea quòd nõ probauerint, num hi spiritus ex Deo fuerint. Quo tẽpore Adrianus imperator potiebatur rerum Romanarũ,fuit Cochabas, quidem Iudæus,qui prædicabat se uelut salutare sidus (Cochab enim sidus significat) cœlitùs delapsum, ut restitueret populo Dei salutem. Ac maxima Iudæorũ multitudo adhęserunt ei. Sed quia nõ probauerunt hunc spiritũ, num ex Deo esset,perierunt miserrimè. In Creta insula,quo tẽpore Theodosius administrauit Romanum imperium,uagatus est Iudæus quidã, qui affirmabat se eum esse Mosen,qui quondã duxisset Israelitas per mare rubrũ: ac pollicebatur se simili miraculo Iudæos ex ea insula, per mare illæsos ad patriam suam terram ducturũ. Sed qui adhibuerũt ei fidem,& secuti sunt uocationem eius,hi intantum non sunt consecuti quod sperauerunt, ut potius rupibus dilacerati, & in mari suffocati, fœdissimè interierint. Cũ imperator Heraclius in Romano orbe dominaretur, exortus est in Arabia Mahumet,qui & ipse populos, ut se sequerentur, uocauit. Etsi autẽ sectatores eius cõsecuti sunt maximam potentiam in terris, tamen quia doctrina eius pugnat cũ uera Prophetica et Apostolica doctrina, nec habet certa testimonia:nõ temeritas tantum,sed etiã impietas summa est,Mahumetis uocationem sequi. Sed nec nostris tẽporibus similia exempla desunt. Errones enim quidã circumforanei (Anabaptistas uocant) obambulant alicubi in uulgo, & præ se ferẽtes speciem quandam sanctitatis, sollicitant rudes, ac rerum imperitos, ut se, nescio in quam regionem sequantur. Et qui promissis ipsorum persuasi fuerint, hi uelut enthusiasmo quodam excitati,sequũntur eos. Hic autem nõ est afflatus spiritus sancti, sed furor Satanæ. Multa enim sunt impia Anabaptistarum dogmata, de quibus nunc non est differendi tẽpus. Quare qui hos sequuntur, præcipitant seipsos in perpetuam internecionẽ. Ab horum autem & aliorum similium temeritate ac impietate longissimè abfuit Philippus. Is enim sectatur quidẽ obedienter uocationem Iesu,sed eius quem antè doctrina ac testimonio Ioãnis baptistę cognouerat

Vide Ecclesiasticam historiã Eusebij lib. 4. cap. 6.

Vide historiã Tripar. lib. 12, cap. 9.

uerat esse uerum Messiam,& quem etiam mox maxima quæq; miracula certissimaq; argumenta declarabunt uerum Seruatorem. Cæterùm quo magis pietatem Philippi admireris,non ipse tantũ sequitur Iesum, sed etiam inuitat Nathanaelem ut sequatur eum. Euangelista enim ita scribere pergit:Reperit Philippus Nathanaelem,& dicit ei:De quo scripsit Moses in lege,& prophetæ,inueniemus Iesum, filium Ioseph, Nazarẹnum.Iterum uides cognitionem Christi,quæ est uera in Christum fides,nõ esse ocioſam aut ignauam. Gestit enim benefacere, ac Christo Domino suo multos tum doctrina tum exemplis lucrifacere. Quid autem dicemus de studio Philippi in sacris literis? Nam cum concionatur Nathanaeli de Messia,& ait,De quo scripsit Moses in lege,& prophetẹ,inuenimus Iesum:perspicuè indicat,quòd non solũ dederit magnam operam sacris literis, uerumetiam senserit sacram scripturam maximè omnium de Messia cõcionari, & solum Messiam in scriptura propositum,esse sectandum. Moses enim scripsit partim historica,quę ab initio mũdi gesta sunt,partim politica & Ecclesiastica, seu Leuitica aut sacerdotalia,quæ in republica posteritatis Abrahæ instituta sunt. In historicis autem prẹcipuum omnium est,quod scribit de promissione eius seminis,quod esset contriturũ caput serpẽtis,& in quo benedicẽdẹ essent omnes gentes:quodq; de tribu Iuda nasciturum, expectatio esset gentium & salus.Hẹ sunt promissiones de Messia. Ad has cognoscẽdas & considerandas,patriarchẹ iam inde ab Adamo usq;, omne studium suũ contulerunt. Hæ fuerunt patriarcharum delitiæ. His & munierunt & defenderunt se ab insultu Satanæ,à iudicio peccati, à morte & damnatione,adeoq; his cõsecuti sunt uerã apud Deum salutẽ. Accesserunt his etiam sacrificia patriarcharum,quæ & ipsa admonebãt de Messia,& de expiatione peccatorum,quæ per mortem eius uentura erat. Quod autẽ ad politica & Leuitica Mosi attinet, ea prẹcipuè in hunc usum instituta fuerunt,ut esset populus,in quo conseruarentẹ & tractarentur promissiones de Messia,donec ipse ueniret.Lex,inquit Paulus,pẹdagogus noster fuit ad Christũ,& addita fuit propter transgressiones, donec ueniret semen promissum. Nam quòd politica & Leuitica nõ potuerint per se seruare populum,non obscurè Moses ipse significat, dum promittit alium post se Prophetam,quẽ audire debeant. Prophetam, inquiẽs,de gẽtẹ tua & de fratrib. tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies. Habes Mosen hoc præcipuè agere, ut doceat Messiam. Quid autem de prophetis dicendum erit? Hi certè in hoc præcipuè intenti erant,ut auditoribus suis uenturum Messiam explicarent et commendarẽt:quod ut manifestissimum est, ita superuacaneum est,ut hoc loco pluribus demonstretur. Quare magna fuit pietas, magnum studium Philippi,quòd cum alij quæsiuerint in Mose & prophetis magis superstitiosa & hypocritica,quàm uerè pia, ipse quæsiuerit in eis Messiam,solum uerum Seruatorem nostrum. Obseruabile exemplum,quo admonemur, ut omnia studia, omnia negotia nostra, ad cognoscendum & assequendum uerum Messiam conferamus. Hic sit omnium actionum nostrarum finis. Alius aliud quidem sectatur:hic diuitias, ille

Mosi scripta in Messiam respiciunt.

Messias debet esse finis omnium studiorũ nostrorum.

potentiam: hic ſanitatem corporis, ille uoluptatem. Non ſumus autẽ in hoc uel creati uel recreati, ut ſectemur corporalia, ut edamus & bibamus, ſed ut Dominũ Deũ noſtrũ cognoſcamus, & diligamus. Diliges, inquit, Dominum Deum tuũ ex toto corde, ex tota anima, & tota fortitudine tua. Nõ poſſumus autem Deũ uel cognoſcere, uel diligere, niſi cognito Meſsia, filio Dei, ſeruatore noſtro. Deũ nemo uidit unq̃, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. &: Nemo nouit patrem, niſi filius, & cuicunque uoluerit filius reuelare. Nihil ergo nobis prius, nihil poſterius ſit, quàm ut Meſsiã Chriſtũ Dominum noſtrum uerè per fidem cognoſcamus, & uocationi eius per Euangelion ſuũ nobis reuelatæ obſequamur. Sed audiendũ nũc eſt quid Nathanael Philippo reſpõdeat. & dixit ei Nathanael: A' Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Ex hoc reſpõſo apparet, Nathanaelem fuiſſe uirum doctum, qui cognouerit è uaticinio Michęę, q̃ Meſsias naſciturus ſit in Bethlehem, & nõ in Nazareth. Fortaſsis offenditur etiã obſcuritate ciuitatulę Nazareth. dicit ergo: A' Nazareth poteſt aliquid boni eſſe? Meſsias erit regum omniũ clariſsimus. Quomodo autẽ tanta claritudo è tam obſcuro & abiecto loco exoriri poteſt? Quis unq̃ illuſtris fuit ciuis in Nazareth? Quomodo igitur Meſsias longè omnium iliuſtriſsimus, Nazaretham patriam haberet? Sed quod ad Bethlehem apud Michæã attinet, facilè dilui poteſt, uidelicet q̃ Chriſtus natus quidem ſit in Bethlehem, educatus autẽ in Nazareth. Quod autẽ Nathanael offenditur obſcuritate Nazarethæ, nõ eſt prudentia ſpiritus, ſed carnis. Nã ſpiritui probè cognitum eſt, q̃ Deus eligat imbecillia in mundo, ut pudefaciat ea quæ ſunt robuſta, ne glorietur corã ipſo ulla caro. Nec illud quenquam moueat, q̃ Philippus uocet Chriſtũ, filium Ioſeph. Manifeſtũ enim eſt teſtimoniis Scripturæ, q̃ Ieſus Chriſtus ſit cõceptus de ſpiritu ſancto, & q̃ Ioſeph fuerit tantũ putatiuus (ſic enim uocãt) pater Chriſti. Cũ igit in Chriſtianiſmo nihil notius illo ſit, pergamus ad reliqua. Nam cũ Nathanael uideretur dubitare, hortat eũ Philippus, ut ipſemet rem exploret. & dicit ei: Veni & uide. Quicquid enim ſit de Nazaretha, certè re ipſa cõperies hunc Ieſum uerũ eſſe Meſsiã, ſi modò acceſſeris ad eum, & diligenter obſeruaueris tum uerba, tum facta eius. Ac p̃fectò maximũ eſt diſcrimen inter Ieſum Chriſtũ, & alios aliarum religionum autores. Nihil nunc dicam de Moſe, quem quo melius intelligis, eo magis Ieſum Chriſtũ agnoſces. Vide mihi deos gentium. Hi enim quo notiores, eo contemptibiliores fiunt, ut ad refutandam uanitatem eorũ nihil fermè potentius ſit, q̃ originem & res geſtas ipſorũ illuſtrare. Quid Thalmudica Iudæorũ religio? Hæc quo diligẽtius cognoſcitur, eo uanior, mendacior ac monſtroſior deprehenditur. De Mahumete Sarracenicæ & Turcicæ religionis, aut potius impietatis autore, perſpicuum eſt, quòd qui paulo attentius acta eius, & doctrinam Alcorani, quem ita uocant, conſideraverit, is mox, niſi prorſum uecors & amens fuerit, uanitatem eius animaduertet. Monaſtica & eremitica ſuperſtitio habet quidem ſpeciẽ quandã pietatis: ſed ueni, uide, iudica, cõfer cum ſyncera doctrina Euangelij Chriſti, profectò agnoſces manifeſtam hypocriſin, atque

Religionũ autores collati cũ Chriſto.

adeò

adeò impietatem. Solus Iesus Christus is est, ad quem quo propius accesseris,& uideris,eo certius maiestatẽ personæ eius, & ueritatẽ Euangelij ipsius deprehendes. Quare quod Philippus dicit Nathanaeli, Veni & uide: hoc idem nobis dictum esse existimemus, ut non opinione, aut paterna tantum traditione,sed reipsa ueritatem & certitudinẽ Christianismi cognoscamus. Porrò Nathanael excitatus uoce Philippi, accedit ad Iesum. Vidit ergo Iesus Nathanaelem uenientem ad se,& dicit de eo:Ecce uerè Israelita,in quo dolus non est. Rem admirabilem. Nathanael offensus fuerat obscuritate patriæ, ac uidebatur Iesum propter Nazaretham contemnere, quod magis reprehensione quàm laude dignum est:commẽdatur tamen pleno ore à Iesu. Num ergo est sine peccato, quia non est in eo dolus? Absit. Omnis enim homo mendax.&: Omnes declinauerunt,simul inutiles facti sunt,non est qui faciat bonũ, non est usq; ad unum. Quare Nathanael non cõmendatur, quòd natura sua sit perfectè iustus coram Deo: sed quòd Iesus dicit,eum esse uerè Israelitam,laudat in ipso studium sectandæ ueræ & auitæ religionis,nimirum eius quam sectatus & concionatus fuerat patriarcha Iacob,qui dictus est Israel. Ad hunc enim Israelem dictũ erat: In semine tuo benedicentur cunctæ tribus terræ. Hæc est ꝓmissio de Messia seu Christo seruatore. De hoc Messia concionabatur & ipse Israel iam moriturus: Veniet,inquiens, Silo,seu Saluator, & ipse erit expectatio, seu ut Hebræus textus habet,purificatio,aut iustificatio gentiũ. Ac alij quidẽ Israelitæ aliud sectabant, hic diuitias, ille honores:hic potentiã, ille uoluptates:hic Pharisæos,ille Sadducæos,hoc est,religiones recens excogitas,posthabita interim expectatione Messiæ. Nathanael autẽ hoc unũ prꝫcipuè agebat,ut sectaretur ueterem religionem patriarchꝫ sui Israelis,& expectaret promissum Messiã.Iesus igitur ornat eũ hoc epitheto, quòd sit uerè Israelita.Magna autem laus, imò salus est,religionem maiorum sectari.Ne istud Deus clementissimus sinat, nouam nos religionem maioribus incognitam agnoscere.Nouæ religiones sunt,Ethnica, Iudaica,ea uidelicet, quam hoc tempore Iudæi, qui sic uocantur,agnoscunt,Mahumetica,Põtificia & Monastica.Hæ religiones, etsi posteri etiam à maiorum suorum traditione acceperũt eas,tamen nouæ dicuntur,quòd sint post ueram religionẽ de Messia ab initio orbis promisso, excogitatæ & institutæ. Sola autem hæc est uetus religio, quam sectati sunt ab initio patriarchæ, quam adnunciarũt Prophetæ,& quam prædicauerũt Apostoli in toto orbe terrarum: uidelicet quòd in nullo alio sit salus,præterquam in Messia,patriarchis promisso:& quòd solus Iesus is sit Messias, propter quem solum habeamus remissionẽ peccatorum,& uitam ꝫternam.Hæc fuit religio patriarcharum,prophetarum, Apostolorum,martyrum, & omnium sanctorum,qui ante nos fuerũt. Quare qui abiectis omnibus aliarum religionum superstitionib.& impietatibus,hanc solam amplectitur, is uerè dicitur maiorũ suorum religionem sectari:ac meritò hoc epitheto ornatur,quòd sit uerus seu Israelita seu Christianus.Deinde ꝙ Christus dicit, nõ esse dolum in Nathanaele,laudat in eo ingenuitatem & candorẽ, in profitẽda animi sui sententia.

Gen.28.

Religiones nouæ fugiendæ.

tentia. Etsi enim uitium est, q̃ Nathanael offendat̃ humilitate patrię Iesu: non mediocris tamen uirtus est, sententiam suã nullo malo dolo celare, sed eã apertè & perspicuè profiteri. Magna est improbitas, ac prorsus Satanica malitia, aliud ore loqui, aliud corde celare. Satan em̃ statim ab initio conditi orbis usus est hac arte ad decipiendũ hominẽ, & præcipitandum eum in extremã internecionem. Sciebat hominem, si uescereturfructu arboris scientię boni & mali, omnibus calamitatib. adeoq̃ morti ipsi obnoxiũ fore, & tn̄ longè aliud ore pollicebatur: Nequaq̃, inquiens, morte moriemini, sed aperient̃ oculi uestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Quare qui dolo malo aliud sentiũt, aliud loquuntur, seu aliud agunt, aliud simulant, hi nõ amplius referunt imaginem hominis, qui ad similitudinem Dei cõditus est, & ad ueritatem colendam institutus: sed referũt imaginem Satanæ, cuius etiã ob perfidiã, uersutiam, uafriciem & malitiam suam, cohæredes erunt. Videtur quidem ueritas & candor aliquoties detrimentũ afferre: sed si ex fide, & ad obsequium uocationis Dei susceperis, potius rerum tuarũ detrimentũ, q̃ dolum malum, aut mendaciũ, hoc iam non erit damnum, sed quęstus uberrimus. nã & huc pertinet illud Christi: Qui reliquerit domos aut agros aut fratres propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Præterea cũ Christus dicit non esse dolum in Nathanaele, commendat in ipso simplicitatẽ obsequij. Inuitatus enim à Philippo, ut accedat ad Iesum, etsi uidebatur non infirmũ argumentum habere, q̃ Iesus nõ esset Messias: tamen non resistit duriter, nõ repugnat odiosè, sed sequitur obediẽter. Magna est uirtus ingenio suo cedere, ut ueritatẽ rei diligẽtius perscruteris. Est em̃ uia, inqt Salomon, quæ uidetur homini iusta, nouissima autem eius deducũt ad mortem. Quare etiamsi uidearis habere bonã opinionem, & rectũ institutum: est tamen & alterius sententia audiẽda, ut tua uel cõfirmetur, uel corrigatur. Cæterùm cum Nathanael audiret de se hoc Christi pręconiũ, admiratur, & dicit ei: Vnde me nosti? Nathanael iterũ significat animi sui ingenuitatẽ, & quod sentit corde, hoc simpliciter cõfitetur uerbis. Laudas me. Quid absurdius? Laudas enim tibi prorsus ignotũ. Aut dic mihi, unde me noueris? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusq̃ te Philippus uocaret, cũ esses sub ficu, uidebã te. Nathanael fuit sub ficu, in loco procul ab oculis Iesu remoto, & tn̄ Iesus uidit eum. Hoc magnũ est miraculum. Sed quid? num tanti est momenti, ut probet Iesum esse uerũ Messiam, adeoq̃ uerũ Deum? An' non & Elizæus, cum sederet in domo sua cũ senatu Israelis, uidit nunciũ adhuc longè absentẽ, qui ad occidendũ ipsum à rege missus erat? Dixit em̃ ad senatũ: Nunquid scitis, q̃ miserit filius homicidę huc, ut præcidat̃ caput meũ? An' non & idẽ ille Elizęus uidit & audijt cõsilia regis Syriæ aduersus Israelem, cum tamen procul ab eo loco, quo Syrus cũ seruis suis inibat cõsilia, abesset? Dicemus igit̃ Elizæum fuisse Messiam, & unigenitum Dei filium? Absit. Hæc em̃ & alia id genus miracula per se nõ probãt personę maiestatẽ & diuinitatẽ, sed personæ officiũ, uocationẽ & doctrinam. Sciamus igitur quę fuerit uocatio & doctrina Elizęi, & conferamus eam cũ doctrina Iesu, ut cognoscamus,

Mendacij detestatio.

4. Reg. 6.

noſcamus,quid utriuſq; miracula probẽt.Elizæus enim uocatus fuit à Deo,nõ ut ipſe eſſet uerus Meſsias,ſed ut de uero Meſsia uenturo uaticinaretur,& ſaluti regni Iſraelis,ſuo tempore,uaticinijs ſuis conſuleret, donec poſtea uerus Meſsias ueniret. Miracula igitur eius cõfirmarunt doctrinę eius ueritatẽ,hoc eſt,cõfirmarunt ipſum non eſſe uerum Meſsiam,ſed uerũ illum Meſsiam nouiſsimis temporibus uẽturum eſſe. Ieſus autem uerus eſt Meſsias,adeoq; uerus Deus,& in hoc à Deo patre ſuo in hunc mundũ miſſus, ut doceret ſe eſſe uerum illum Meſsiam, de quo prophetę prędicauerunt,& unigenitum Dei filium,uerũ omnium rerum creatorem. Miracula igitur eius cõfirmant hanc doctrinam, hoc eſt,confirmãt q; ſit uerus Meſsias,& uerus Dei filius. Hæc enim eſt doctrina Ieſu. Quare etſi miracula per ſe nõ probant perſonæ diuinitatẽ, tamen quia probant doctrinæ ueritatẽ,& alia fuit doctrina Elizæi,alia Ieſu Chriſti:idcirco q; Elizæus uidit abſentia, teſtatur eum eſſe tantum prophetam Meſsiæ: q; autẽ Ieſus uidit abſentia, teſtatur eum eſſe uerũ Meſsiam,& uerũ omnipotentem Deũ. Hic nunc conſidera mihi,quãta cura,quanto ſtudio,honeſtatem uitæ,etiam cum ſoli ſumus,& in tenebris,ſectari debeamus. Quid enim? Etiamſi fallimus oculos hominum, num poſſumus & oculos Domini noſtri Ieſu Chriſti fallere? Num quæ ignota ſunt hominibus,poſſumus celare Chriſtũ? Rectè Dauid: Quò ibo,inquit,à ſpiritu tuo,& quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlũ, tu illic es:ſi deſcendero in infernũ,ades. & mox: Tenebræ non obſcurabuntur à te,& nox ſicut dies illuminabit. Reuerere igitur Chriſtũ præſentem,ut nihil auarè,nihil iniuſtè,nihil libidinoſè, nihil incontinenter facias,ne tantã maieſtatẽ,omnia contẽplantem offendas. Non enim ſolus eſt Chriſtus.Habet ſecum innumerabiles cœleſtiũ angelorũ legiones,quæ certè maieſtas ſuperat gloriam omniũ regum & monarcharũ, qui unq; in terris fuerunt aut erunt.Quis ergo in hoc theatro,corã tanta maieſtate,aliquid iniqui facere,aut etiã cogitare audeat, & non totus contremiſcat? Iam non ſolũ docemur hic ſectari honeſtatẽ uitę,ſed etiã concipere fiduciam in omnibus aduerſis,et ſperare certã ſalutem. Quid enim in afflictionibus trepidas? quid te derelictũ clamas? Pręſens certè eſt Chriſtus,qui pro te paſſus eſt, & mortuus, qui & reſurrexit à mortuis,& ſedet ad dexteram Dei patris, ut te adiuuet. Ingenuè facis, q; fatearis te peccatorem eſſe,& indignum diuino auxilio: hæc autẽ peccati agnitio debet te potius ad Chriſtũ adducere, q; à Chriſto abducere. Nõ ueni,inquit,ad uocandũ iuſtos,ſed peccatores ad pœnitentiã. &: Filius hominis uenit quærere & ſeruare q̃d perierat. Quare ſi cõfiſus fueris, & perduraueris in inuocatione nominis Domini, fieri nõ poteſt, quin certiſsima ſalus tibi contingat, per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum, qui eſt unà cũ patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Elizæi miracula collata cum miraculis Chriſti.

HOMILIA XX.

Vocationem Nathanaelis nondum abſoluimus, quæ quoniam cognitu digna eſt, paulo copioſius explicanda erit. Audiuimus miraculũ, q; Ieſus uiderit Nathanaelem, cum adhuc procul eſſet ſub ficu:audiamus nunc admirandam

Nathanaelis

» Nathanaelis confeſsionem. Reſpõdit Nathanael, & ait ei: Rabbi, tu es
» filius Dei, tu es rex Iſraelis. Quid, obſecro te, dicendũ eſt de Nathanae-
le? Nõ tribuit quidẽ Ieſu Chriſto plus q̃ ꝑ ipſi debeatur (Ieſus enim uerè
eſt filius Dei, & rex Iſraelis) Sed tanti' ne momenti eſt hoc miraculum,
q̃ Ieſus uiderit Nathanaelẽ procul ſub ficu, tanq̃ ꝑ præſentem, ut ex ipſo
4. Reg 5. probetur Ieſum eſſe filiũ Dei, & regem Iſraelis? An' non & Elizæus ab-
ſens uidit ſeruum ſuum Gehaſi currentem poſt Naamanum Syrum, &
accipientem ab eo munera, mendacio poſtulata? Cur igitur Iſraelitę nõ
procidẽrũt ad genua Elizæi, & dixerũt, Tu es filius Dei, tu es rex Iſrae-
lis? Quod ſi abominabile fuiſſet, multo rectius uideẽ feciſſe mulier Sa-
Ioannis 4. maritana: quæ cum intellexiſſet, Ieſum arcanorũ ſuorum peccatorũ cõ-
ſcium eſſe (audierat enim à Ieſu: Quinq̃ uiros habuiſti, & nunc quẽ ha
bes, nõ eſt tuus uir) nõ ſtatim confitetur eũ eſſe Meſsiã & filium Dei,
ſed tantum prophetã: Domine, inquiens, uideo q̃ ſis propheta. De hac
re in ſuperiori Homilia quędam diximus: nunc autem idcirco repetere
libuit, ut rectam miraculorũ rationẽ & melius cognoſcamus, & firmius
Miraculorum recta ratio quæ ſit. teneamus. Miracula enim per ſe non probant, q̃ perſona quæ edit mi-
racula, ſit Deus ipſe: ſed ꝓbãt, q̃ uocatio & doctrina perſonæ ſit à Deo
ipſo. Edunt quidẽ & impij aliquoties miracula, & ſeductores, & pſeu-
doprophetæ, de quibus Moſes in Deut. cap. 13. concionatur. & Chri-
ſtus: Multi, inquit, dicent, Dñe Dñe, per nomen tuũ prophetauimus,
dæmonia eiecimus, & multas uirtutes præſtitimus: ego uerò cõfitebor
illis, Nunq̃ ꝑ noui uos. diſcedite à me, qui operamini iniquitatẽ. & ite-
rum: Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna ma-
gna, & prodigia, ita ut in errorem inducãtur, ſi fieri poſsit, etiam electi.
ſed horum miracula, quia conãtur euertere doctrinã antè diuinitùs cõ-
firmatam, uaniſsima ſunt, et nullo modo agnoſcenda. Deus enim nõ eſt
uarius & mutabilis, nec quæ antè miraculis cõfirmauit, ea poſtea mira-
culis infirmat. Illa autẽ miracula, quæ eduntur in teſtimoniũ doctrinæ
antea diuinitùs promiſſæ, ut ſunt uerè diuina, ita ueritatẽ doctrinę cer-
tiſsimè cõfirmãt. Promiſſum erat olim Abrahæ, poſteros ſuos genera-
tione quarta liberandos è ſeruitute Ægyptiaca. Cum autẽ hoc tempus
impleret, excitatus fuit Moſes diuinitùs, qui et doceret tẽpus liberatio-
nis aduenisse, & miracula ederet. Quare miracula eius fuerũt certiſsima
teſtimonia doctrinæ eius. Miracula aũt magorũ Ægyptiacorũ, qui hãc
doctrinam euertere cogitabãt, fuerunt uaniſsima. Promiſſum olim fuit
per prophetas, Euangelion de Meſsia uulgãdum in totũ orbem terra-
rum, inter omnes gentes. In omnem, inquit, terram exiuit ſonus eorũ,
& in fines orbis terrę uerba eorũ. Cum autem tempus appeteret, emiſsi
ſunt Apoſtoli, ut prędicarẽt Euangelion uniuerſæ creaturæ, & ederẽt
miracula. Hi ergo egreſsi, prædicauerunt, ut Marcus ait, ubiq̃, DOMI-
Miracula ſunt confirmatio doctrinæ. NO cooperante, & ſermonem cõfirmante per ſigna ſubſequentia: SER-
MONEM, inquit, CONFIRMANTE per ſigna. Sunt igitur ſigna
ſeu miracula, teſtimonia & confirmationes doctrinæ. Sic & de mira-
culis, quæ Chriſtus ipſe edidit, ſentiendum eſt. Promiſſum enim fuit
diuinitùs per prophetas, Meſsiam uenturum. Tempus etiam aduẽtus

eius

eius definitũ erat, partim per patriarcham Iacobũ, partim per prophetam Danielem. Hoc autẽ tẽpore impleto, Ieſus filius Mariæ deſignatus eſt, & à Ioanne baptiſta diuinitùs miſſo, prædicatus Meſsias. Cũ igitur Ieſus docuerit Euangelion ſuum, ſe uidelicet eſſe Meſsiã, & ediderit miracula: certè miraculis ueritatem doctrinę ſuæ ita cõfirmauit, ut iam nullis alijs miraculis aliò uocantibus, imò ne angelo quidẽ aliud adnũcianti, fides ſit adhibenda. Nathanael autem, ut ad hũc reuertamur, nõ iudicauit de perſona Ieſu, ex miraculo per ſe, & abſq; doctrina: ſed iudicauit ex miraculo ueritatẽ doctrinæ, antea de Ieſu auditæ. Sciebat enim tempus aduentus Meſsiæ adeſſe, audiebat Ioannem baptiſtã teſtari Meſsiã iam adueniſſe, & in medio ipſorum ſtare: audiebat etiam Philippũ concionari, hunc Ieſum Nazarẽnum eſſe uerum illum Meſsiam, tanto tempore expectatũ. dixerat enim Philippus: De quo ſcripſit Moſes in lege, & prophetę, inuenimus Ieſum filium Ioſeph Nazarẽnũ. Quare cum ad hãc doctrinã accederet miraculum Ieſu, nõ eſt temeraria crudelitas: ſed prudẽtiſsima pietas, q̃ Nathanael ſtatim amplectatur Ieſum, ut uerum Meſsiam. Cæterùm ut perſpicuè ſignificet, q̃ latè pateat maieſtas Meſsiæ, & quibus in locis prophetæ deſcribãt Meſsiam, rectè à ſpiritu ſancto curatũ eſt, q̃ Nathanael non ſimpliciter in confeſsione ſua dixerit, Tu es Meſsias: ſed copioſius & illuſtrius, Tu es filius Dei, tu es rex Iſraelis. Quid potuiſſet de Meſsia magis perſpicuè dici? Meſsias em̃, de quo Moſes & prophetæ uaticinati ſunt, nõ eſt ponẽdus in ordine aliorum in hoc mundo regũ: ſed eſt rex ille, & filius ille Dei, imò Deus ipſe, qui deſcribitur in Pſalmo ſecũdo: Ego, inquiens, ſum cõſtitutus rex ab eo ſuper Zion montem ſanctum eius, prædicans prȩceptum eius. DOMINVS dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. & poſtea in Pſalmo ſeptuageſimoprimo: Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. ac mox: Benedicẽtur in ipſo omnes tribus terrę, omnes gentes magnificabunt. & in Eſaia cap. 43. Ego DOMINVS, ſanctus ueſter, creans Iſraelem, rex ueſter. Ad hæc certè, & ſimilia Prophetarũ loca reſpexit ſpiritus ſanctus in Nathanaele, cum dixit: Tu es filius Dei, tu es rex Iſraelis. Ac manifeſtè ſignificat Nathanael, non ſolum quanto ſtudio, quanto ardore quęſierit hactenus Meſsiam in ſcriptura, & expectauerit eum per fidem: ſed etiam quanto gaudio excipiat eum nunc inuentum. Quod enim dicit, Tu es filius Dei, tu es rex Iſraelis, hanc habet ſententiam: ſcio nullam aliam eſſe ueram ſalutem, præter Meſsiam. Scio quanto deſiderio iam inde ab initio orbis terræ pĩj patriarchæ, & poſteri eorum ſuſpirauerint & expectauerint Meſsiam. Scio tempus aduentus eius à ſpiritu ſancto definitum, iam impleri. Quare hoc unum toto animo agebam, ut hunc Meſsiam inuenirem, & tenerem. Nunc cũ inuẽtum habeam, quid amplius mihi deerit? Voti compos factus ſum, & ſatis iam habeo, quia habeo filium Dei, & regem illũ Iſraelis, qui accipiet gentes, hæreditatem ſuam, & poſſeſsionem ſuam terminos terrę, qui dominabitur à mari uſque ad mare, qui parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet: qui calamum quaſſatum non conteret, nec linum fumigãs extinguet: breuiter qui eſt benedictio, ſalus & redẽ-

Meßiæ deſcriptio in Prophetis.

ptio omnium ſperãtium in ipſum. Memorabile exemplum, quo admonemur & nos, quòd unica noſtra cura eſſe debeat, ut ſummo ſtudio inquiramus hunc filiũ Dei, & regẽ Iſraelis, ac inuentum maxima diligẽtia cõſeruemus. amiſimus enim in Adamo omnem noſtram fœlicitatem. Eramus quidem optimè ad ſimilitudinẽ Dei in ſumma fœlicitate conditi: ſed poſtquã Adam peccauit, & eiectus eſt è paradiſo, peccauimus & nos in ipſo, & abiecti ſumus in omnia genera miſeriarũ. Omnia noſtra facta ſunt maledictioni obnoxia propter peccatũ. Anima ſimul & corpus, totus inquam homo traditus eſt in ſeruitutem & captiuitatem peccati, doloris, afflictionis, mortis & inferni. Etſi eñ uideť aliquoties fœlicitas homini in hac terra affulgere, nihil tñ eſt firmum, nihil ſtabile: ac tum maximè impendet nobis calamitas, cum exiſtamus omnia eſſe tuta & ſecura. Nullum autem uſquam eſt in tota terra remediũ aduerſus tantam infœlicitatem. Non iuuant nos diuitiæ, non honores, nõ regna, non amici, nihil denicꝫ earum rerum, quas hic mundus admiratur: ſed ſalus & redemptio noſtra conſtat in ſolo ſemine mulieris, in ſolo ſemine Abrahę, in ſolo filio Dauidis, qui eſt Ieſus Chriſtus Dominus noſter. Quod cum animaduerterent & agnoſcerẽt patriarchę, & prophetæ, ac piį omnes, unum hoc ſtuduerunt, ut hunc Chriſtũ cognoſcerent, & diem eius uiderẽt. Abraham magnus fuit patriarcha, habuit amicos reges, habuit optimum & obſequentiſsimum filium, habuit diuitias & honores, ac planè nihil uidetur ei ad fœlicitatem huius ſeculi defuiſſe. Quid ergo? num ſtudium ſuũ in hoc poſuit, ut hanc fœlicitatẽ aut retineret aut augeret? num hac fœlicitate ſatisfactũ fuit animo eius? Nihil certè minus. Vidit, & re ipſa cõperit, hæc prorſus nihil ualere aduerſus potentiã peccati, mortis & damnationis. Quare non exultauit, ut uideret multas diuitias & regna huius ſeculi, ſed ut uideret diẽ Chriſti. Vidit atꝫ gauiſus eſt. An non & Dauid fuit rex potentiſsimus? Attamen quia reipſa ſentiebat nullam eſſe ſalutem in fœlicitate huius ſeculi, non terminabat finẽ inſtituti ſui regno terreno, ſed cognitione Chriſti ſibi promiſsi. Cõſidera obſecro mihi, quàm inenarrabili gaudio exultet, cũ audit, Suſcitabo ſemen tuum poſt te, ſtabiliam thronum regni eius uſqꝫ in ſempiternũ. Hæc eſt promiſsio de Chriſto, quæ certè multo plus exhilarabat conſcientiã Dauidis, quàm ſi ad regnum illud externum Iſraelis adiecta fuiſſet monarchia totius orbis terrarũ. Apparet eñ è Pſalmis, quòd unicum ſtudium eius fuerit, ut Chriſtum promiſſum apprehenderet. Horum exẽplo excitemur & nos, & cogitemus toto animo & ſtudio omni, ad hoc ſolum negotium incũbere, ut Chriſtum uerè cognoſcamus. Hic enim eſt theſaurus ille, quem homo repertum in agro, abſcondit: & prę gaudio, quod habet ſuper illo, abit, & omnia quęcũqꝫ habet, uendit ac mercatur agrum. Hic eſt precioſa illa margarita, quam negotiator redemit omnibus facultatib. ſuis. Expergiſcamur igitur, & ſectemur uocationem ac ſalutẽ noſtram. Numa Pompilius fertur apud Romanos inſtituiſſe, ut cum rem diuinam facerent, pręco ingenti uoce præcedens clamet: Hoc AGE, admonens uidelicet, ut ſepoſitis omnibus alijs cogitationibus & negotijs, animũ ad ſacra aduerterẽt. Ac fue-

Hominis miſeria.

Chriſtum cognoſcere quanto ſtudio debeamus.

2. Regum 7.

Matthæi 13.

Plutarchus in uita Coriolani.

runt

runt quidem hæc Ethnicorum ſacra, impia & deteſtãda: cõſuetudo autem illa exhortandi ſpectatores nõ eſt indigna cõmendatione, ac etiam imitatione. Tanta certè eſt hominũ etiam inter Chriſtianos ignauia, ut neceſſe haberent, non ſemel & iterũ, ſed ſingulis diebus, manè & ueſperi, hac uoce, Hoc AGE, per publicum præconem excitari: quo admonerentur, quod hoc unum agendum eſſet, ut quicquid dies noctesq; facerent, Chriſtum cognoſcerent, ac ſectarẽtur. hæc enim ſola præcipua eſt uocatio noſtra. Philippus Macedo poſtquam uictoriã ab Athenienſibus ad Cheroneã reportaſſet, inſtituit, ut puer indies, exoriente ſole ad ſe ingreſſus, inclamaret: Philippe, homo es. Nec quoquam progreſſus eſſe dicitur, niſi puer hanc uocẽ ter intonuiſſet: quo inſtituto cauere uoluit, ne ultra humanũ modũ inſolentius ſe efferret. Multo magis neceſſarium eſſet, ut nos quotidie hac publica uoce: Chriſtianus es, Chriſtũ Dominum tuum agnoſce, excitaremur, quo torporem noſtrũ abiiceremus. Solet ſingulis diebus ſummo mane & ueſperi ſignũ ęre dari, quod uocãt Angelicam ſalutationem. Hoc inſtitutũ ut monachi impiiſſimè interpretati ſunt, ita hypocritæ peſsimè eo ſunt abuſi. Fingũt enim beatam Mariam uirginem inuocandam, & ei totam ſalutem noſtram commendandam eſſe: ac putãt ſe interdiu & noctu patrocinio Marię tutos eſſe ab omnibus periculis, ſi hũc cultum flexis genibus peregerint. Etſi autem beata Maria uirgo ſuas habet laudes, ſuaq; præconia, quæ nunc non eſt opus recenſere, tamen hęc ſuperſtitio magna eſt impietas. Cur enim non potius hoc publico ſigno utuntur ad commonefaciendũ nos noſtri officij, quod primum ac nouiſsimum negotium noſtrum eſſe debeat, ut Chriſtum adnũciatum ab angelo, & natũ ex Maria uirgine, ueram benedictionem & ſalutẽ noſtrã agnoſcamus, & inuocemus, ac uocationi eius obſequamur: præſertim cum etiã huc uocẽt nos uerba Elizabethę, quæ ſalutationi angelicæ adiũgi ſolẽt, Benedictus fructus uentris tui? Hic enim eſt lapis ille, qui reiectus ab ædificãtibus, factus eſt caput anguli: nec eſt in alio quoquam ſalus. Nec enim aliud nomẽ eſt ſub cœlo datũ inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quare omne ſtudiũ noſtrum in hac re noctesq; diesq; collocandum eſt, ut Chriſtum Dominum noſtrum ex Euangelio ſuo, per fidẽ aſſequamur, & bonos fidei fructus proferamus. Sed reuertemur nunc ad propoſitum. Magna & egregia eſt cõfeſsio Nathanaelis, Tu es filius Dei, tu es rex Iſraelis: ac planè cõuenit cum ea cõfeſsione, quæ nomine Apoſtolorũ à Petro recitata eſt, Tu es Chriſtus filius Dei uiui. Quærũt igitur nonnulli, qui fiat, q; Nathanael non ſit etiã cooptatus in numerum Apoſtolorũ. Chriſtus elegit Iudam Iſchariotem in Apoſtolũ, quanto dignior fuiſſet Nathanael? Sunt qui hoc ita explicãt, q; Chriſtus non cooptauerit Nathanaelem in numerũ duodecim Apoſtolorũ, propter doctrinã et eruditionem eius. Sentiunt enim, Nathanaelẽ fuiſſe inſigniter doctũ. Chriſtus autẽ maluit habere Apoſtolos rudes & indoctos, ne gloriaret ulla caro, aut ulla carnis ſapientia de profectu Euãgelij & Chriſtianiſmi in orbe terrarum. Hoc quidẽ & piè & non ineptè dicitur, ſed nõ eſt manifeſtũ, quòd Nathanael nõ cõtineatur in numero duodecim Apoſtolo-

Φίλιππε ἄνθρωπος εἶ.

Angelicæ ſalutationis pulſus.

Matthæi 16.

Nathanael an ſit cooptatus in numerum Apoſtolorum.

rum. Etsi enim alij Euangelistæ non recensent hunc Nathanaelē nōmi-
natim inter Apostolos, quid tamen si Nathanael fuisset binominis, &
alio nomine apud alios Euangelistas, alio apud hūc Ioannem nostrum
uocaretur? certè apparet eū cum Apostolis frequenter uersatū esse. Cū
enim nōnulli ex Apostolis post resurrectionē Christi abirent piscatū,
comitatur eos & hic Nathanael. sic enim dicit Ioannes cap. 21. Erant si-
mul Simon Petrus, & Thomas, qui dicit Didymus, & Nathanael, qui
erat à Cana Galilęę, & filij Zebedęi, & alij ex discipulis eius duo. In hoc
loco dicitur Nathanael esse à Cana Galilææ. Quid si ergo is esset, quem
alij Euangelistæ uocant Simonem Cananæum, aut iuxta Græcā inter-
Apostolorum uocatio. pretationem, Zelotē? Hoc ut nō ausim certò affirmare, ita nō uidetur
absurdum. Sed quomodocūqꝫ se hoc habeat, parū retulerit: certè si Na-
thanael non fuit cooptatus in numerū duodecim Apostolorū, perspi-
cuè uoluit Christus significare, quod nō concluserit numerum eorum,
qui ipsi grati & accepti fuerūt, in numerū duodenarium. Etsi enim Na-
thanael nō cōtinetur in catalogo duodecim Apostolorū, nihilominus
tamē fuit Christo acceptissimus. Selecti quidē sunt duodecim Aposto-
li, ut essent publici & ordinarij testes Euangelij Christi. Sed fuerunt &
alij præstantissimi uiri, inter quos erāt Nathanael, Cleophas, Barsabas,
qui nō minus accepti fuerūt Christo cꝫ duodecim Apostoli. Docemur
igitur hoc exēplo, cꝫ etsi nō sumus uel in Ecclesia Christi, uel in repub.
ciuili præclaris & illustribus officijs ornati: tamen si uocationē Christi
ex fide sectamur, non est sentiendum, cꝫ simus uel à Christo abiecti, uel
Christo minus accepti: sed sine ulla dubitatione tenendū est, cꝫ quanto
quisqꝫ maiori fide Christum in sua uocatione, quāuis humili & abiecta
sectatur, tanto acceptior sit Christo seruatori nostro. Vnusquisqꝫ enī,
quod fecerit boni, inquit Paulus, hoc reportabit à Deo, siuè seruus fue-
rit, siue liber, nec est personæ respectus apud illum. Sed audiamus nunc
„ quid uicissim Iesus ad Nathanaelē dicat. Respōdit Iesus, et dixit ei: Quia
„ dixi tibi, uidebam te sub ficu, credis: maiora his uidebis. & ait illi: Amen
„ amen dico uobis, posthac uidebitis cœlū apertum, & angelos Dei ascē-
„ dentes ac descendentes super filium hominis. Iterum commendat Iesus
Nathanaelem, cꝫ ex uno, eoꝫ non admodū illustri miraculo excitetur,
ut credat ipsum, iuxta doctrinam prius auditam, uerum esse Messiā, ac
promittit ei spectacula maiorum & illustriorum miraculorum. Piè, in-
quiens, facis, cꝫ cognito uno tantum miraculo, cōplectaris me obediēti
fide: sed heus tu, plura & maiora miracula cognosces, quibus me esse ue
rum Messiā ita probabo, ut nulla dubitatio, nullus uel tenuissimus scru
pulus residebit. Videbitis enim cœlū diffindi, & angelos Dei super me
ascendere ac descēdere. Agite ergo, inspiciamus historias Euangelicas,
ut cognoscamus, ubi & quomodo hoc quod Christus dixit, impletum
sit. Ac inuenimus quidē, quòd angeli ministrauerint Christo in deser-
to, in quod post baptismū à Ioanne acceptū, actus erat per spiritum san-
ctum: sed manifestum est, hoc contigisse, priusquam Nathanael Chri-
stum cognouisset. Inuenimus etiam angelum de cœlo apparuisse Chri-
sto, & corroborasse eum, cum in monte Oliueti oraret, & sanguinē su-

daret,

daret. Sed hoc minus uidetur, quàm quod tãtæ promissioni Christi respõdeat, quãdo & patriarchis angeli sæpe ac multũ apparuerint. Quòd si percurramus historias ueteris Testamẽti, inueniemus quidẽ, ꝙ patriarcha Iacob, cum fugeret fratrem suũ Esau, & obdormiuisset super lapide, uiderit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum, angelos quoq; Dei ascendentes & descendentes per eã, & Dominum innixũ scalę. Sed nusq̃ in historijs noui Testamenti extat, ꝙ Apostoli & discipuli Christi uiderint tale externũ & corporale spectaculum, uel in somno, uel uigilantes: & tamen quod Christus dixit, ut est uerissimum, ita certissimè est impletũ. Quare necesse habemus, hęc de apertura cœli, & ascensu ac descensu angelorũ super filiũ hominis metaphoricõs intelligere, de ijs quæ Apostoli in Christo manifestè uiderunt & audiuerũt, & quibus Christus cõprobauit cœlestem suã maiestatẽ. Sciamus ergo, quę Apostoli & discipuli in Christo uiderint, & ex ipso audiuerint. Ac initiò audiuerũt cõciones eius de Euangelio suo, ꝙ ipse sit Messias ille quẽ prophetæ promiserũt, & qui est benedictio, salus & redemptio nostra: deinde uiderunt magna & illustria miracula eius. nec ea solum uiderunt, sed ediderunt & ipsi in nomine eius miracula: Domine, inquiunt, etiam dæmonia subijciũtur nobis per nomen tuũ. Præterea etsi uidebant eum crucifigi & mori, tamen paulo pòst uiderunt & cognouerũt manifestissimis ac certissimis argumẽtis ipsum resurrexisse à mortuis. Hũc Deus, inquit Petrus, suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret, nõ toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à Deo, nimirum nobis qui comedimus & bibimus unà cũ illo, posteaquam resurrexit à mortuis. deinde uiderunt eum ascendere in cœlum. Postea uiderunt & reipsa senserũt spiritum sanctum sibi nomine eius è cœlo mitti, & se admirabilibus donis spiritus sancti ornari. Postremò uiderunt Euãgelion Christi ministerio ipsorum uulgari inter omnes gentes, & comprobari magnis miraculis, quæ ipsi in nomine eius edebant. Hæc ferè sunt, quæ Apostoli & discipuli post hanc ꝓmissionem, quæ ad Nathanaelẽ dicta est, in Christo uiderũt & audiuerũt: & quibus manifestè cõprobatum est, Iesum, qui se filium hominis uocat, esse uerum Messiam: aut quemadmodũ Nathanael loquitur, filium Dei, & regem Israelis. Videre igitur cœlũ apertũ, & angelos Dei ascendentes & descẽdentes super filiũ hominis, nihil certè hoc loco aliud est, quàm uidere & audire Iesum, uerũ Messiam prædicare Euãgelion suũ, edere miracula sua, resurrexisse à mortuis, ascendere in cœlum, mittere spiritum sanctum de cœlo, & dominari per Euangelion suum in toto orbe terrarũ, à mari usq; ad mare. Nam & hoc illud est, quod quondam adumbratũ fuit per somniũ patriarchæ Iacob. Vidit enim Iacob scalam stantem in ea terra, in qua dormiebat, cuius scalæ cacumen pertingebat usq; ad cœlum, & in qua angeli ascendebant & descendebant, cui etiam Dominus Deus ipse innitebat. Hac figura uoluit spiritus sanctus significare, quòd Christus, non hominum tantum, sed & angelorum Dominus, uerus Deus & homo, ambulaturus sit in ea terra, in qua Iacob dormiat, & prædicaturus Euãgelion suũ, quod & cõfirmaturus sit cœlesti-

Gene. 28.

Angelos Dei descendere & ascẽdere super Christũ, quid sit.

Scalæ Iacob interpretatio.

bus miraculis. Itaq; fiet, ut propter Christū propitius reddatur Deus pater, & aperiatur cœlum, quo angeli ascendant & descendant, in ministerium eorum qui sunt hęredes salutis, & ut homines propter Christum in cœlum conscendere queãt. Hinc est quòd Deus scalæ innixus, non apparet Iacobo mutus, sed colloquitur cũ ipso, ac promittit ei tria maxima beneficia. unum est, idq; longè omnium excellẽtissimum: Benedicẽtur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Hæc est promissio de Christo uenturo ex posteritate Iacobi, & seruaturo omnes in ipsum credẽtes: qua ꝓmissione nihil est maius, nihil melius, nihil prȩstantius. alterum est: Ero custos tuus quocunq; perrexeris, & reducam te in terram hanc. quod & ipsum non est mediocre beneficium. tertium: Terrã in qua dormis, dabo semini tuo, eritq; semen tuũ quasi puluis terræ. est & hoc magnũ beneficiũ. Pollicetur autem Deus Iacobo multiplicationem seminis sui, & possessionem huius terræ, nõ quòd extrema & uera fœlicitas hoc fine terminetur (multam enim habere posteritatẽ, & possidere unam aut alterã regionem huius terrę, per se nihil facit ad habendam ueram, durabilem & perpetuam fœlicitatẽ) sed Deus pollicetur Iacobo hoc beneficium, ut instituatur in hac terra politeia tam ciuilis q; Ecclesiastica, in qua cõseruentur ꝓmissiones de Christo, donec ueniat: & ut sit certus populus, in quo Christus uerus seruator nascatur: & certa terra, in qua Christus habitet, ac Euangelion suum cõcionetur. Nam hunc esse finẽ, propter quem Deus dederit Israelitis hanc terrã, & instituerit in ea Israeliticã politeian, Iacobus ipse perspicuè significat. Postq; enim euigilasset, non cõstitit & ipse mutus: sed, Verè Dominus, inquit, est in loco isto. & mox: Quàm terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli. Non loquitur autẽ patriarcha de eo tantum loci spacio, in quo ipse dormierat: sed de tota terra, quæ ipsi ꝓmissa erat. Nec sentit hanc terram idcirco dicendã esse domũ Dei, & portam cœli, quòd postea ædificatum sit in ea templum, & institutũ externum propitiatorium. Etsi enim etiam propter hanc causam dictum est, Dominum habitare in hac terra, tamen ea nõ est præcipua & maxima omnium: sed patriarcha uocat illam terram, domum Dei, & portam cœli, propterea quòd ex promissione Dei cognouerit Christũ uerum filium Dei in hac terra nasciturum, & Euangelion suum prædicaturum. Vbi enim Christus est, ibi uerè est Dominus Deus noster, ibi est & domus Dei, & porta cœli. Nã & in Christo inhabitat omnis plenitudo Deitatis cõporaliter, & Christus ipse tam porta est cœli, q; scala in qua ad cœlũ conscenditur. Cũ enim expiauerit peccata, & reconciliauerit nos cum Deo patre, ut adoptemur in filios & hæredes Dei, ac cõsequamur propter ipsum, si in eum crediderimus, cœlestẽ hęreditatem: quid conueniẽtius de eo dici posset, quàm quòd sit scala, qua ascẽditur ad cœlũ, & sit porta, qua intratur in cœlũ? Alij alias scalas, alij alias portas cœlo affingunt. Hypocritæ, Iudæi & Turcę, sperãt se ascensuros & ingressuros in cœlum per intercessiones sanctorum, per merita suę iustitię, per superstitiones & prodigiosos cultus Dei. Sed hi omnes aberrãt à uera scala & porta cœli. Vna em̃ est uera scala, una est uera porta cœli, Iesus Christus

Canaan terra Israelitis data in quẽ finem.

Scala in cœlum Christus.

Christus Dominus noster,à quo qui aberrauerit,à tota sua salute aberrat.Nõ est autẽ sentiendum,quòd ea tantum terra, in qua Christus natus est,& prædicauit Euangelion suũ, sit domus Dei, & habeat scalam ad cœlum ac portam cœli. Postq̃ enim Euãgelion Christi uulgatũ est in totũ orbẽ terræ inter omnes gentes, tunc ubicũq̃ prædicatur Christus inter gentes,& in quacunq̃ ciuitate,in quacunq̃ parochia,in quocunq̃ loco adnunciatur Euangelion Christi,ibi est scala ad cœlũ,ibi est porta cœli,ibi angeli ascendunt & descendunt,& tuentur etiã in media morte omnes eos qui credũt per Euangelion in Iesum Christum. Omnino enim fide opus est,ut in hoc scala ascendas, & per hanc portam ingrediaris cœlum.Non ascenditur fiducia suæ iustitię,sed hac descenditur potius in infernum. nec ascenditur sceleribus & flagitijs (hęc enim sunt scala,qua descenditur ad interitũ) sed ascenditur fiducia diuinę clementiæ in Christo Iesu Domino nostro:& ascẽditur obediẽtia ex fide, qua uidelicet fit,ut in cœpto ascensu perseueremus.Quare cũ hoc tempore Euangelion Christi etiam inter nos,beneficio Dei,syncerè adnuncietur,& uera porta cœli per Euangelion sit tota patefacta, agite dum amicissimi expergiscamur, & capessamus uocationem nostram,ut per hanc portam ingrediamur ad cœlestia gaudia, per Iesum Christũ Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,Amen.

CAPVT II.

HOMILIA XXI.

NIHIL notius, nihil testatius nobis esse debet,quàm Iesum filium Marię,esse uerum Christum & seruatorem nostrum.Sunt autẽ præcipuè duo testimonia, quibus maiestas Iesu reuelata & cõfirmata est.Alterũ,est testimonium,quod Ioãnes baptista de ipso dixit: alterum, sunt miracula,quæ Iesus ipse diuina uirtute edidit. Cũ igitur Euangelista exposuerit in superiori capite testimoniũ Baptistæ de Iesu,& cõmemorauerit Baptistã discipulos suos ad sectandũ Iesum excitasse:aggreditur nunc ad descriptionẽ miraculorũ & doctrinę Iesu, ut manifestum & perspicuum nobis fiat, non esse alium Christũ & seruatorem,præter hunc Iesum Nazarenũ. Etsi enim & hoc inter miracula meritò recẽsendum est, quòd Iesus uiderit Nathanaelem procul sub ficu,de quo suprà dictum est: tamen hoc inter priuata potius quàm publica miracula referri debet.Nam inter publica miracula, primum omnium fuit,quòd Euangelista nunc cõmemorat in Cana Galilęæ editum esse. Videamus igitur rem gestam, & expendamus usum illius ea diligentia,quæ in tanto salutis nostrę negotio maximè adhiberi debet. Die tertia (uidelicet postquam Iesus profectus esset in Galilæam) nuptiæ fiebant in Cana Galilææ.Hæc Cana sita fuit in tribu Asser,quemadmodum in Iosua, capite decimonono scriptũ est. Fuit & alia Cana in tribu Ephraim,

IESVM esse Christũ, testimonijs confirmatum est.

Cana Galilææ.

Pro hac Cana, uulgata tralatio in Ioſua habet Arundineti.

Ephraim, de qua ſcriptum eſt in Ioſua cap. 16. Sed miraculum, quod ſequitur, editum eſſe in illa altera Cana, quæ eſt in tribu Aſſer. Euangeliſta ſignificat, cum uocat eam Canam Galilææ: ac meminit tam diligẽter huius loci, ut etiam hoc teſtimonio certitudinem miraculi confirmet.

„ Et erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autẽ & Ieſus, ac diſcipuli eius ad nuptias. Hic fortaſsis non eſſet importunum exponere, quid ſibi Chriſtus uelit, quòd & ipſe, qui uenerat ad prædicandũ regnum cœleſte, acceſſerit ad nuptias terreſtres, & adduxerit ſecum diſcipulos, quos hactenus uocauerat. Sed percurremus antè quæ Euangeliſta de miraculo in his nuptijs edito conſcripſit. Sic enim res ipſa declarabit, Chriſtum nõ ue-
„ niſſe cum diſcipulis ſuis otioſè ad has nuptias. Et ubi defeciſſet uinum,
„ dicit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Sentiũt quidam, Mariam excitatam eſſe ad interpellandum apud filium ſuum pro nouis coniugibus, ambitioſo affectu. Etſi autem extant aliàs quædam ſignificationes, quæ teſtantur nihil humani alienũ fuiſſe à Maria, quippe quòd & ipſa contineatur in publico humani generis iudicio. Propter unum hominẽ peccatum in mundum introijt. &: Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens. ac iterum: Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt. Nec ſanctorum facta, quæ ſcriptura ipſa manifeſtè pro erratis iudicat & damnat, aut excuſanda, aut defendenda ſunt: tamen quia Maria non ſinit ſe reſponſo Chriſti, quamuis duro, à propoſito repelli, ſed fortiter pergit, & urget, ac etiam impetrat, quod petijt: haud obſcurè apparet, magno eã & bono tum charitatis tum fidei affectu interpellaſſe pro cõiugibus. Nam quòd Chriſtus repellit eam mox duriſsimo reſpõſo, non eſt propriè damnatio facti, ſed tantum tentatio fidei Mariæ, quemadmodum poſtea indicabimus. Affectus ergo charitatis in Maria hic eſt, quòd cum uideret nouos coniuges propter paupertatem & penuriam uini, publicè coram honeſtis conuiuis pudefieri, ſuſtulerit in ſe onus eorum, et perinde animo commota ſit, ac ſi ipſi, quicquid id eſt aduerſi, accideret. Graue eñ eſt onus paupertatis, & deijcit nõ tam oculos quàm animum uiri, alioqui optimi. Ac quanto quis honeſtiori ingenio præditus eſt, tanto magis ſtudet paupertatem ſuam, quòquo modo poteſt, celare. Putat enim eam magno ſibi probro ac dedecori eſſe. Sed hic uide mihi quantum homines errare ſoleant. Manifeſtum quidem eſt, quòd paupertas initiò intrauerit in hunc mundum propter peccatum. Poſtquam enim noſtri primi parentes peccaſſent, ejiciuntur è paradiſo in paupertatem, & neceſſe habent ſibi ſudore ſuo uictum parare. & in Deuteronomio dicitur: Si nolueris uocem DOMINI Dei tui audire, maledictus eris in ciuitate, in agro, egrediens & ingrediens: ſeruies inimico tuo in fame, ſiti, nuditate, & omni penuria. Hæc autem magna eſt hominum peruerſitas, quòd multo plus afficiantur onere paupertatis, quàm onere peccati: ac magis trepident ad paupertatem, quàm ad peccatum. Quis enim non ſtudet magis celare paupertatem ſuam, quàm ſcelera ſua? Homines peccãt publicè ſine omni pudore, nunc diris execrationibus, nunc impoſturis, nunc cõuicijs, nunc ſcortatione, nũc helluatione, alijſq; ſceleribus: quæ ut nunc ſunt mores, propemodum ſibi laudi

Maria uirgo peccatrix.

Mariæ charitas.

Paupertas, onus graue.

laudi ducunt: certè de ipsis aliquoties ne uerentur quidē gloriari, cū interim sentiant nihil esse probrosius & ignominosius paupertate. Quid hoc iudicio, quid hac animi sentētia magis peruersum? Ante omnia eīm pudere nos debet peccati, de quo paupertas nos admonet, ut excitati agnitiōe peccati, quæramus in Christo seruatore nostro peccati remissionem. Hac impetrata per fidem, paupertas nō est amplius pudori, sed honori. Christus enim Dñs noster sua paupertate, paupertatem ita sanctificauit, ut quotquot sunt mēbra Christi per fidē, cōsequantur in paupertate ueras, cœlestes, & perpetuas diuitias. Quare nihil prius nobis agendū est, quàm ut simus Christi, quo solo honesta nobis fiet paupertas. Sed redeamus ad institutū. Cum Maria cognosceret sua ipsius experiētia, quàm grauis & dura sit paupertas, & uideret cōiuges publicè propter inopiam uini pudefieri, interpellat pro ipsis apud filiū, ut periclitanti eorum honestati succurrat. Non interpellat, ut doceat Ecclesiā, quò post mortem faciat ipsam mediatricem inter Deū & hominem, & inuocet ipsam: sed interpellat, ut declaret charitatē suā erga miseros cōiuges, & doceat nos suo exēplo, quòd alter alterius onera ferre, & pro nobis mutuò in hac uita orare debeamus. Habes in Maria excellētis charitatis affectum. Audi nunc fidei affectum. Non enim suscepisset rogandum Iesum, nisi credidisset ipsum periclitantibus opem laturum. Sciebat quæ angelus, cum adnunciaret cōceptum eius, concionatus de ipso fuerat. Conseruauerat in corde suo, quid pastores, quid magi, quid Simeon, quid Anna prophetissa de ipso prædicauerāt. Audiuerat nuper adeò testimoniū Ioannis baptistæ. Quare non dubitabat ipsum uerum esse Messiam, & iam officium Messiæ publicè inchoare. De Messia autem scriptū est, quòd sit adiutor in necessitatibus, quòd medeatur contritis corde, quòd cōsoletur omnes lugentes. Cōfidit ergo, fore ut cum Iesus, qui sit uerus Messias, uideat necessitatem, luctum & miseriā pauperum coniugū, subueniat ac opituletur eis. Hæc est magna & memorabilis Mariæ fides. Sed audiamus nūc, quomodo Iesus excipiat preces Marię. dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? Nondum uenit hora mea. hæc siue sic intelligantur, Quid mihi tecum est negotij? siue aliter, Quid uel ad me, uel ad te, q̄ uinū deficiat? certè nō solū dura est respōsio, sed etiā manifesta recusatio. Nihil mihi est negotij cum hac re, nondum est tempus ut edam miracula: abi igitur cum precibus tuis: ad me nihil pertinet, q̄ non habeant uinum. Hoc quid aliud est, q̄ si perspicuè diceret: Nolo facere quod petis. Quid ergo ad hæc dicemus? Quid sibi uult tam dura filij responsio erga matrē, in negotio admodū honesto? Num docet Christus liberos contemnere, fastidire, ac duriter tractare matres suas? nihil certè minus. Nā & ipse fuit subditus parentib. suis, & tanta cura complexus est matrem suā, ut de cruce cōmendaret eam Ioanni. Sed quòd hoc loco inuehit in matrē tanta duritia, suas habet causas, quas operæpreciū est cognoscere. Ac primùm docet uniuersam Ecclesiam, quomodo soleāt diuinitùs tractari hi qui inuocant nomen Domini. Nā quòd Christus respōdet Mariæ, uidetur quidē esse recusatio, sed non est nisi fidei eius tentatio. Solent enim his qui ex fide inuocant

Mariæ fides.

Christus durus erga matrem.

Deum,

Deũ, obijci initiò aduerſa quædã, & contraria diuinis promiſsionibus: idq; non ob hanc cauſam, quòd Deus nõ uelit inuocantes ex fide ſeruare iuxta ſuas promiſsiones (quomodo enim poſſet Deus eſſe mendax?) ſed ut fidem inuocantium probet & illuſtret, ac etiam promiſſam ſalutem augeat. Nã quo diutius differt beneficij collatio, eo auctius & cumulatius reddit. Quod ut apertè uideas, cõſidera obſecro mihi exemplum mulieris Cananææ, cuius fit mentio apud Matthæũ cap. 15. Hæc enim rogabat Ieſum pro filia ſua à dæmonio exagitata. Rogabat autem ex fide earum promiſsionum, quæ de Meſsia filio Dauidis extabant: id quod ipſa haud obſcurè ſignificat, cũ uocat Ieſum, filium Dauidis: Miſerere mei, inquiẽs, Domine, fili Dauid. Sed Ieſus initiò nihil reſpõdet, mox apertè recuſat, poſtremò repellit eam etiam cõtumelioſè: Non eſt honeſtum, inquiens, ſumere panem filiorum, & dare canibus. quid hoccine eſt rei? An non ſcriptum eſt de Meſsia, q̃ medeatur contritis corde, & conſoletur omnes lugẽtes? An non Ieſus, qui erat uerus Meſſias, receperat publicè, exoneraturum ſe oneratos, & refocillaturum afflictos? An non miſera mulier inuocabat nomẽ eius ex fide? Quid huic inuocationi deeſt? Nihil certè. Hic eſt afflictio mulieris, hic eſt promiſsio Dei, hic fides, hic inuocatio ex fide. Sed Chriſtus ſimulat ſe abominari preces mulieris, non q̃ repulerit eas: ſed ut fidẽ mulieris illuſtriorem reddat, & maius beneficiũ in eam conferat. Quod mulieri huic priuatæ accidit, hoc ſolet omnib. pijs in inuocatione nominis Dei accidere. Extãt promiſsiones, q̃ Deus ſit Seruator noſter in omnib. afflictionibus: Deus, inquit, noſter, refugium & uirtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerũt nos nimis. & iterũ: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Pius autem quiſpiam affligitur graui morbo, & petit à Deo liberationẽ, iuxta promiſsiones. Quid ergo fieri ſolet? Quo plus inuocat auxiliũ Dei, eo magis augetur morbus & dolor eius: quo Deus uidetur apertè negare precũ exauditionẽ. Ergo ne Deus oblitus eſt promiſsi ſui, & non exaudiuit orationem? abſit. Non eſt iſta uel obliuio uel neglectio Dei, ſed tentatio fidei, ac fœnoratio beneficij. Fœnori enim datur beneficiũ, quod poſt fideles preces differt. Extant & promiſsiones, q̃ Deus uelit iuſtũ laborem & negociationem fortunare: Si audieris, inquit, uocẽ Domini Dei tui, benedictus eris in ciuitate, in agro, &c. & iterũ: Expecta Dñm, & CVSTODI uiam eius, & exaltabit te, ut hæreditate capias terrã. Ecce autem negociator quiſpiam reſipiſcit ex fide ab impoſturis & nugis, ac ſectatur iuſtitiã, inuocans nomen Domini. Quid ergo accidit? Antea impoſturæ uidebãtur fœliciſsimæ, nunc autẽ iuſtitia eſt infœliciſsima. Quo iuſtius enim negociatur, eo pauperior & miſerior redditur. Quid hoc aliud uidetur, q̃ manifeſta recuſatio diuini auxilij? Sed hic nobis cõſiderandũ eſt, q̃ hęc infœlicitas non ſit perditio, ſed fidei tẽtatio, imò maioris fœlicitatis paraſceue. De his enim, quæ accidunt inuocantibus Dominũ ex fide, non eſt iudicandum ſecundum externam ipſorum ſpeciem: ſed ſecundũ certitudinem & firmitatem diuinarũ promiſsionum, quæ certè, quicquid acciderit, perpetuò conſtant. An non & nubes aliquoties inferũt tene-

In inuocatione Dei perſeuerandum.

bras

bras in hanc terrã,& tamen nõ possunt nobis solem auferre: sed paulo pòst disijciũtur ipsæ à sole,& restituitur nobis clarior splẽdor eius. Nubes sunt afflictiones,splendor solis sunt beneficia diuinitùs nobis promissa. Non possunt autẽ afflictiones diuina promissa irrita & uana facere. Quare etiamsi manifestã patiamur repulsam in his precibus nostris, quas ex fide promisionũ Dei suscepimus: tamen pergendũ est in inuocatione nominis Dei, per Christum,& in obedientia eius. Sic enim fieri nõ potest, quin uel tandẽ maxima nostra utilitate uoti cõpotes efficiamur. Hæc est una causa, propter quam Christus matri suæ interpellãti pro miseris coniugibus, tam duriter respõderit: uidelicet ut & fidẽ eius probaret,& Ecclesiã doceret, quomodo pij in precibus suis diuinitùs tractari soleãt. Deinde etsi pietas Mariæ uehemẽter placet Christo, tamen quia in edendo miraculo, quod mater petebat, agitur negotiũ regni cœlestis, respondet Christus matri inhumaniter: ut significet, ꝙ in regno cœlesti nulla sit prærogatiua carnis. Non emꝫ est personæ respectus apud Deũ, & quemadmodũ in Christo Iesu non est Iudæus, neꝙ Græcus, non seruus, neꝙ liber, non masculus, neꝙ femina: ita non est mater, neꝙ soror, non cognatus, neꝙ agnatus. Omnes uos, inquit Paũlus, unus estis in Christo Iesu. Quòd si in Christo nullus est respectus matris aut cognati, quis obsecro esset respectus aut regis aut principis, aut diuitis? Hæc sunt discrimina nõ spiritualis, sed huius corporalis regni. Quare nihil habemus in carne, de quo gloriari possimus coram Deo: sed qui gloriaꝫ, inquit Paulus, in Dño glorietur. Atq; hęc quidem de responso, quo Christus excepit preces matris suæ. Videamus nunc quid cõtrà Maria fecerit. dicit mater eius ministris: Quodcunq; dixerit uobis, facite. Quid hac Marię fide potest dici excellentius? Audiuit immitem & inhumanã filij responsionẽ, passa est manifestũ precũ suarũ repulsam, non tñ deijcitur à fide, nõ dubitat de precum impetratione: sed iubet ministros præcepto filij obedire, perinde acsi perspicuis uerbis recepisset se præsenti necessitati subuenturũ: ac palàm dixisset, Mater rectè admones, uenit hora mea, curabo igitur, ut uinũ abũdè adsit. Hic nũc de tanta fide tẽpus fuisset exclamãdi, quemadmodũ exclamat Christus de fide mulieris Cananęæ: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. sed Christus seruat decorũ. Filius nõ laudat matrem, quippe ꝙ mutuæ cognatorũ laudationes uideantur magis ex amore carnis, q̃ ex iudicio spiritus proficisci. & Salomon ait: Laudet te alienus,& non os tuũ: extraneus,& nõ labia tua. Etsi aũt Christus non cõmendat matris fidem publica exclamatione, cõmendat tamen eam, quod maximè conueniebat publica miraculi editione. Quod enim mater petijt, hoc Christus diligẽter efficit, idq; nõ ut significet, matrem pro mediatrice & reconciliatrice apud Deum inuocandã esse: sed ut doceat perseuerandum esse in inuocatione Dei, etiamsi uideaꝫ nobis apertè negari, quod iuxta promisiones Dei petitur. Audiamus ergo quale et quantũ miraculum edat Christus in his nuptijs: Erant ibi lapideæ hydrię sex positæ secundum purificationem Iudæorũ, capiẽtes singulæ metretas binas aut ternas. Varia fuerunt apud Iudæos genera lauationũ, quas uocant baptismata,

mata,& horum quędam erant legitima,ac diuinitùs inſtituta:qualis eſt illa ex aqua expiatione lauatio,de qua ſcriptum eſt in Numeris cap. 19. Sunt & lauationes in libro Leuitico,cap. 15. quæ quid adumbrauerint, non eſt huius loci explicare. Quædam fuerunt ab hominibus excogitata. In ritibus enim religionis homines non ſolum eſſe contenti diuinis inſtitutis, ſed quo uideantur religioſiores,ſua addunt figmenta, ut quod Deus pro ipſorum opinione inchoauit tantum,ipſi abſoluant. Talis lauatio fuit, cuius fit mentio apud Marcum cap. 7. Phariſæi, inquit,& omnes Iudæi, niſi crebrò lauerint manus, non capiunt cibum, tenentes inſtituta maiorum:& à foro uenientes, niſi loti fuerint,nõ comedunt. Quare iuxta hanc conſuetudinem poſitæ erant in his nuptijs ſex hydriæ,quarum ſingulæ capiebant binas aut ternas metretas (continet autẽ una metreta decem congios,hoc eſt unam penè urnam, qualis quidem in hac noſtra regione uſitata eſt) ut inuitati ad nuptias,poſſent ſe iuxta maiorum ſuorũ traditiones lauatione purificare.Hæc conſuetudo, ſi pro externa & ciuili emundatione obſeruetur, ſuam habet commẽdationem,nec indiget legum uinculis. Homines enim à natura ſic inſtituti ſunt,ut ſoleant lotis manibus cibum ſumere, & ſectẽtur ſua ſponte hanc externã honeſtatẽ.Sed ſi obſeruetur pro cultu diuino,quo fieri debeat uera peccatorum expurgatio coram Deo,quemadmodum Chriſtus Phariſęos ſenſiſſe ſignificat,cum ait, Non quod ingreditur in os,impurat hominẽ: ea demum impia eſt hypocriſis. Quid enim lauatio manus faciat ad lauationẽ cõſcientiæ? Lauat quidem nos baptiſmus aquæ, quo abluimur in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, à ſorde peccati coram Deo:non autem lauat nos à peccato,quòd ſit aqua tantũ externa,ſed ꝙ hęc aqua ſit accepta in inuiſibiles manus Chriſti, & mandato eius infuſa nobis per miniſtrum Eccleſiæ,ut hoc lauacro cõſequamur ſalutem propter Chriſtum. Aqua autem illa, quam Phariſæi ad lauandas manus ante cibi ſumptionẽ inſtituerunt,habet quidem generalem Dei ordinationẽ,quòd lauet corpus: non autem habet uerbũ Dei, quòd lauet animam: ſicut nec ea aqua,quã hactenus uocarunt Benedictam,& quam non ſolum pro foribus templorum, ſed in ipſis etiã templis utendam propoſuerunt. Inſtituere autem cultum Dei ad abluẽda peccata ſine uerbo Dei,impietas eſt. Quare qui ſic uſi ſunt lauatiõe manuum,ut ſenſerint ſe hoc opere purgare animã à peccatis, hi magis ſordidarunt ſe impietate,ꝙ purgarũt lauatione. Sed utut hypocritæ abuſi fuerint hac lauãdi cõſuetudine,alioqui ciuili, certè Chriſtus ſumit hinc occaſionem edendi magni miraculi. dicit enim Ieſus miniſtris: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas uſq; ad ſummũ. Quæſo autem te,qui mutaturus erat aquam in uinũ, non poterat uel ſine aqua uinum creare,uel aquã ſolo uerbo abſq; opera miniſtrorum in hydrias infundere? Certè qui creauerat cœlũ & terrã ex nihilo, potuiſſet etiam uinum tam ſine aqua,ꝙ ſine miniſtrorũ opera creare. Non indiget uel externa materia,uel alieno miniſterio:utitur tamen partim, ut potentiam ſuam nõ ſolum creatione ex nihilo,uerumetiã mutatione rerũ creatarum declaret:partim ut tãti miraculi teſtes haberet, & miraculũ per miniſtros illuſtrius

Lauationum genera.

Metreta quid ſit.

Baptiſmus lauat nos à peccatis.

luſtrius fieret. Nam qui infuderunt aquã in hydrias, teſtimonium dixerunt, ſe non uinũ, ſed aquã in hydrias infudiſſe. Vſus etiam ipſe hydriarum teſtimoniũ dixit. Non enim poſitæ erant ad capiẽdum uinum, ſed aquam: & tamen mox hauritur ex ipſis uinũ. dicit enim Ieſus miniſtris: « Infundite nunc, & ferte architriclino. & tulerunt. Poſtq̃ autẽ guſtaſſet « architriclinus aquã in uinum uerſam, neq; ſciret unde eſſet, ſed miniſtri « ſciebant, qui hauſerãt aquam, uocat ſponſum, & dicit ei: Omnis homo « primo loco bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tũc id quod « deterius eſt. tu ſeruaſti bonũ uinũ uſq; ad hoc tempus. Nihil eſt quod « hic ocioſe ab Euãgeliſta recitetur. Singula enim faciunt ad teſtificandũ & ad illuſtrandum miraculũ. Architriclinus guſtat uinũ. Sentit hoc uinum multo melius eſſe priori. Vocat ſponſum, increpat ſponſum, quòd deterius uinũ primo loco poſuerit. ſponſus excuſat. Vocãtur miniſtri, hi rem geſtam ordine exponunt. Conuiuæ ſunt huius rei auditores & ſpectatores. Itaq; manifeſtũ fit omnib. quòd Ieſus fecerit uinũ ex aqua. Magnũ hoc eſt miraculũ. Multus eſt uſus eius. Sed de uſu eius, ne prolixiores ſimus q̃; par eſt, in ſequẽti Homilia, ſi Domino uiſum fuerit, dicemus. Nũc auctarij uice hoc tantũ adijciemus, q̃ cum architriclinus dicat, Omnis homo primo loco bonum uinũ ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt, tu ſeruaſti bonũ uinum, uſq; ad hoc tẽpus: haud obſcurè adumbretur in adminiſtrandis rebus lõgè aliam eſſe rationem huius mundi, q̃ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nã quemadmodum in alijs cõuiuijs homines primo loco ponunt bonum uinum, poſtremò autem deterius: ita hic mundus benefacturus amicis ſuis, initiò oſtẽtat eis magnas uoluptates & delicias, ſed nouiſsimè dimittit eos magna triſticia & infœlicitate affectos: & ut in hoc conuiuio, in quo Chriſtus præſtò adeſt, deterius uinũ primo loco ponitur, optimum autẽ poſtremo loco: ita Chriſtus benefacturus amicis ſuis, potat eos initiò aqua tribulationis, et uino compunctionis: obijcit eos uarijs afflictionibus et calamitatibus, nouiſsimè autẽ potat eos torrẽte uoluptatis, & uino ſuauiſsimo lætificante corda hominũ. Amen amen dico uobis, inquit, plorabitis & lamentabimini, mundus cõtrà gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini, ſed mœror ueſter uertetur in gaudium. & iterũ: Eritis odio habiti ab omnibus propter nomen meũ. Verũ qui ſuſtinuerit uſq; ad finẽ, hic ſaluus erit. Quare ſi hic mundus blandiatur nobis ſua fœlicitate, non efferamus nos inſolẽter: ſed timeamus Dominum, et meminerimus fœlicitatem huius mundi ſolere ſecum repẽtinam infœlicitatem adducere. Si uerò iactemur uarijs afflictionibus, nõ deſpondeamus animũ: ſed fiduciã hãc cõcipiamus, quòd breui ſecutura ſit liberatio ab omnibus malis, per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrũ, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXII.

PErſtrinximus hiſtoriã miraculi, quo Chriſtus in nuptijs mutauit aquam in uinum. Recepimus autẽ, nos etiam de uſu eius miraculi dicturos. Quare quod ſumus polliciti, nunc quantum Dominus dederit, pro uirili noſtra præſtabimus.

„ Hoc edidit (inquit Euangeliſta) initium ſignorum Ieſus in Cana Gali-
„ lęæ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderũt in eum diſcipuli eius.
Cum igitur Ieſus inchoauerit hoc miraculo exercitium miraculorum,
Miracula reuelant gloriam Chriſti. quorum multa & uaria poſtea edidit, debet nobis commendatiſsimum eſſe: ac primùm Euangeliſta ipſe perſpicuè indicat uſum eius, cum ait, Manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius. Nam Ioãnes baptiſta teſtificatus eſt hactenus de Ieſu, quòd ſit uerus Meſsias, ſeu Chriſtus: nec ipſe diſsimulauit ſe eſſe Meſsiã, qua gloria, qua maieſtate nihil poteſt dici excellẽtius. Quàm magna enim, & quàm pręclara prophetæ de Meſsia uaticinati ſint, & publicè extat, & nõ eſt nũc locus commemorandi. Humilitas autẽ perſonæ Ieſu non uidebatur tantæ maieſtati reſpondere. Non incedebat comitatus uel equitatu uel peditatu. Non habebat ſatellites, qui ipſum tuerẽtur: nõ principes, qui ipſum obſeruarent, & ſeruirẽt. Audiebatur tãtum, doctrina hunc eſſe Meſsiam. Quare diuinitùs ordinatũ & conſtitutum eſt, ut Ieſus ederet miracula, quibus doctrina illa cõfirmaretur: hoc eſt, maieſtas Ieſu reuelaretur, & fides diſcipulorum, qui teſtificaturi erãt in toto orbe terrarũ, Ieſum eſſe uerum Meſsiam, corroboraretur. Opera, inquit Chriſtus, quę dedit mihi pater, ut perficiã ea, ipſa inq̃ opera, quæ ego facio, teſtificãtur de me, quòd pater miſerit me. & iterum: Credite mihi, quòd ego in patre ſum, & pater in me, alioqui propter ipſa facta credite. ac poſtea: Multa et alia ſigna fecit Ieſus in cõſpectu diſcipulorũ ſuorum, quę non ſunt ſcripta in libro hoc. Hæc autẽ ſcripta ſunt, ut credatis, ꝙ IESVS eſt CHRISTVS ille filius Dei, & ut CREDENTES, uitam habeatis per nomen eius. Ergo cum & hoc miraculum, quod Ieſus edidit in Cana Galilęæ, non ſolũ ſit initium miraculorum Ieſu, ſed etiam ſit unum è præcipuis & clariſsimis, manifeſtum eſt, quòd & editum & ſcriptum ſit, ut CREDAMVS Ieſum eſſe Chriſtum, & ut CREDENTES, ueram ac ęternam habeamus propter ipſum fœlicitatem. Deinde conſideranda eſt editi miraculi circumſtantia. Ieſus enim edidit hoc miraculum in legitimis nuptiis,
Cõiugiũ probatur à Chriſto. quo haud obſcurè ſignificauit, ſe approbare coniugium. Neceſſariũ autem fuit, ut Chriſtus teſtificaretur ſe coniugiũ in Eccleſia ſua approbare. Satan enim ut eſt hoſtis omniũ diuinarum ordinationum, ita etiam maximè inſidiatur ordinationi et inſtitutioni cõiugij. Quare miros ſemper excogitauit aſtus, quibus legitimũ cõiugiũ in Eccleſia Chriſti aboleat. Et Paulus ad Timotheũ ſcribens, doctrinam prohibentem contrahere matrimoniũ, uocat doctrinam dæmoniorum, & ſpiritũ impoſtorem. Itaq̃ poſtq̃ Euangelion Chriſti uulgatũ eſt in orbẽ terræ, excitauit Satan initiò turpiſsimam ſectam, in qua promiſcuè & cõmuniter u-
Nicolaitæ. tebantur mulieribus. hos uocabant Nicolaitas. Poſt hos oriebãtur inſtinctu Satanæ, qui palàm dãnabant nuptias, ac ſentiebãt eas eſſe pares ſcortationibus, ideo'que nullũ recipiebant in communionem Eccleſiæ
Tatiani & Encratitæ. ſuæ, utentẽ coniugio. hi dicti fuerunt Tatiani, & Encratitæ. Deinde introducta eſt in Eccleſiam Chriſti profeſsio monachorũ & ſacrificulorum, qui uouerũt perpetuũ cœlibatum, & abſtinentiam à legitimis nuptiis. Hi etſi utcunq̃ permiſerunt alijs coniugiũ, tamen ut deterrerent

ſuos

ſuos à coniugio, dixerunt uirginitatẽ replere paradiſum: nuptias autem terram, perinde ac ſi hi qui in legitimo cõiugio uiuunt, nõ pertinerent ad paradiſum. Et definierunt coniugiũ, quòd in coniugio eſſe, ſit in carne eſſe, & cubilib. ac immũdicijs ſeruire, adeoq; procul à caſtitate & ſanctitate abeſſe. Qua definitione quid obſecro aliud ſignificarunt, q; ſe ſentire, quòd coniugium ſit impurum genus uitæ, in quo nemo poſsit Deo placere? Hæc certè ipſiſsima eſt doctrina dæmoniorũ, ut Paulus ait. Ali quoties meditatur Satan inuehere in Eccleſiã Chriſti polygamiã, quẽadmodum iam inuexit in Turciſmum. Etſi autẽ polygamia cõceſſa fuit patriarchis diuinitùs ſua quadam ratione, tamen quia naturalis fert honeſtas, ut unus uir uni tantũ mulieri iungatur, polygamiam ſic uſurpare, ut ducas ſimul, quot uelis uxores, & iterum quãdo uelis, abijcias, nõ eſt coniugium ſeruare, ſed prætextu tantũ coniugij, ſcortationem ſectari. Quod ſi uerò Satan nõ poteſt perſuadere, ut inſtituatur polygamia, hoc ſaltem conatur, ut inter unũ uirum, & unam uxorem, legitimo coniugio iunctos, excitet odia, diſsidia, contentiones, pugnas, diuortia, nõnunquã & homicidia. Tam uirulento odio proſequitur hic ſpiritus legitimum & honeſtum cõiugium. Ac uide etiam mihi, qua uſus ſit arte, ut & has nuptias, quas Chriſtus in Cana Galilęæ miraculo commẽdauit, ſordidaret. Subornauit enim quoſdam, qui finxerunt ſpõſum harũ nuptiarũ fuiſſe Ioannẽ hunc Euangeliſtam noſtrum, & abductum à nuptijs ſponſam ſuã reliquiſſe. Quo exemplo docent, q; liceat poſt ſponſalia, quantũcunq; ritè peracta, relinquere ſponſam, & ſuſcipere profeſſionẽ monaſticã. Quæſo autem te, quo argumento probas hunc ſponſum fuiſſe Ioannẽ euangeliſtam? Num putas humana ſomnia recipienda eſſe pro diuinis oraculis? Ac fingamus Ioãnem & ſpõſum fuiſſe harũ nuptiarum, & abductũ eſſe à nuptijs, num idcirco concedendum eſt, ut unicuiuis pro ſuo arbitrio liceat ſponſam ſuã legitimè acceptam derelinquere, & monaſticũ genus uitæ ſuſcipere? Faciemus ne è perſonalibus uocationibus generales? Sed hoc eſt merum Satanæ commentum, qui hoc mendacium idcirco finxit, ut autoritatem, quam accepit cõiugium ex his nuptijs, ſubuerteret: ac doceret, diuinam ordinationẽ tranſgrediendam eſſe propter humanam traditionẽ. Etenim Dominus noſter leſus Chriſtus nõ acceſsit ad has nuptias, ut abductione ſponſi labefactaret honeſtatẽ coniugij, ſed ut editione miraculi ſanctitatem eius approbaret. Nam coniugiũ non eſt humana prudẽtia excogitatum, ſed diuinitùs inſtitutum, idq; magnis & memorabilibus cauſis, quarũ aliquas operæpreciũ eſt recenſere, ut coniuges diſcant, in quàm ſancto uitæ genere, ſeu ſi ita libet uocare, ordine uerſentur, & officij ſui admoneãtur.

Coniugij definitio monaſtica.

Polygamia.

Figmentum de Ioanne euangeliſta.

Coniugij inſtitutio.

Vna igitur cauſa inſtitutionis coniugij hæc eſt, ut cõiugio propagetur quidem poſteritas in hac terra: non autem ut replearur tantũ terra, & fiant ciues terreni, ſed potius ut propagetur Eccleſia Dei, ut repleatur paradiſus, & fiant ciues cœleſtes. Cum enim Deus creaſſet maſculũ & fœminam, benedixit eis ut creſcerent & multiplicarentur: ac additur quidem, Vt replerent terram. Hic autem nõ eſt prȩcipuus finis creationis & coniugij hominũ, ſed potius ut colerent paradiſum, & ſequeren-

Hominis uerus fiatis.

Ecclesiæ propagatio.

tur uocationem Dei, quo retinerent cœlestem & æternam beatitudinẽ. Hoc enim est, quod Moses docet in Genesi, cũ ait: Tulit Dominus Deus hominẽ, & posuit eum in paradisum uoluptatis, ut operaretur & custodiret illũ. Et iussit eum abstinere ab arbore scientiæ boni & mali, ne moriatur. Postquã aũt homo peccauit, & eiectus est è paradiso, ut in sudore uultus sui uescatur pane suo, donec reuertatur in terrã: multo minus sentiendum est, præcipuum eius finem esse, ut hanc terram impleat, sed potius, ut in hac terra inquirat uiã reuertẽdi ad ueram uitam, quam peccato amisit: & redeũdi ad paradisum, ac cœlestia bona, è quib. propter peccatũ eiectus est. Non possunt autẽ cœlestia bona recuperari, nisi uera cognitione diuinæ misericordię, quæ misericordia nõ cognoscitur, nisi per semẽ mulieris, aut per semẽ promissum Abrahæ: hoc est, per Iesum Christum Dominum nostrũ, propter quem solum Deus est misericors his qui credunt in ipsum. Quare præcipuus finis hominis in hac terra est, non ut tantum repleat terrã, nõ ut in terrenis bonis acquiescat: sed ut discat cognoscere Iesum Christum filium Dei, seruatorem nostrum, quo recuperet cœlestem hæreditatem. Huc etiã uocat hominem Deus præcepto suo: Diliges, inquiens, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Quomodo autem, non dico perfectè diliges, sed incipies saltem diligere Deum, si non cognoueris misericordiã eius? Quomodo autem cognosces misericordiã Dei absq; Christo Domino nostro? Si enim iniquitates obseruaueris DOMINE, DOMINE quis sustinebit? In solo autem Christo non obseruat DOMINVS iniquitates. Maximum igitur omnium officium hominis in hac terra est, ut cognoscat Christũ, quo per ipsum cognoscat clementiã Dei, & seruetur. Quare etsi coniugium institutum est ad replendam terrã, tamẽ quia præcipuum hominis officium in hac terra est, ut discat & doceat Christum seruatorem nostrũ, per quem cõtingit credentibus cœlestis hæreditas: manifestum est, cõiugium maximè omnium institutũ esse, ad propagandam Ecclesiam Christi, & adeducandos cœlestes ciues. Itaq; parentes sunt primi Ecclesiæ ministri, in hunc præcipuè usum positi, ut foueant Ecclesiæ mẽbra, educẽt Christo cohæredes, & tradant cœlo ciues. Nonnulli Ethnicorũ legislatores iudicauerunt ἀγάμους, hoc est, cœlibes non solum reprehensione, sed etiã pœna dignos. Etsi autẽ hæc seueritas non est laudanda, quippe cp coniugium debeat esse liberũ (& Paulus ait: Vnusquisq; proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius autem sic) tamen manifestè significarunt, quàm honestè de coniugio senserint, & quanto studio erga rem pub. ciuibus augendã affecti fuerint. Fuerũt politeię, in quibus sua erãt trium & quatuor, & quinq; liberorũ iura & immunitates. Quod si politici homines tãti fecerũt tradere & relinquere post se aliquot ciues terrenæ ciuitati, multo pluris faciendum est, si quis ex coniugio suo tradat ciues cœlesti ciuitati. Traduntur autem liberi cœlo, non si includantur in impia monasteria: sed si erudiãtur in doctrina ueræ religionis, & tradãtur (siquidẽ hoc conditio eorum exegerit) honesto coniugio. Nõ eo inficias, quin liberi sæpenumero degenerent à bona parentũ eruditione,

Plato in Leg. 5

1. Cor. 7.

Tradere liberos cœlo.

ne,& fiant ciues inferni: sed si parentes fecerint suum officiũ pro sua uirili,non imputabitur eis liberorũ impietas. Pater inquit scriptura, non portabit iniquitatem filij: & ipse quidẽ in impietate sua morietur,tu autem animam tuã liberasti. & aliàs: Si non fuerit ibi filius pacis,reuertetur ad uos pax uestra. Quòd si uerò parentes maiorem habeant curã pecorum & boum, quàm liberorũ, ac liberi neglectione parentum impij fiant:ibi tum liberi moriũtur quidem in impietate sua,sanguis autem eorum de manu parentum requiretur. Quare coniugum & parentum est meminisse officij sui,ut quos Deus ipsis liberos dederit, non tantũ educent in doctrina opificiorũ aut negociationum,ut fiãt ciues terreni: sed maximè omnium educent eos in uera doctrina pietatis,ut fiãt ciues cœlestes. Alia causa propter quam Deus instituit coniugium hæc est, uidelicet ut uitetur immũdicia & scortatio. Paulus eñ ad Corinthios scribens,ad uitãdam,inquit, scortationem, suam quisq; uxorem habeat, ac suum quæq; uirum. Sunt enim quibus Deus non dat liberos: nihilominus tamen legitimũ est coniugium ipsorum, propterea quòd coniugiũ institutum et confirmatũ sit diuinitùs,non tantum ad procreandos liberos,sed etiam ad uitandã scortationem. Hic autem considerandum uenit, q̃ longè differat prudentia spiritus sancti à prudentia hypocritarũ & monachorũ. Manifestum enim est, quòd immundicia & scortatio sit diuinitùs prohibita. Fugite,inquit Paulus,scortationem. An nescitis,q̃ corpora uestra,membra sint Christi? Num ergo tollens membra Christi,faciam scorti membra? et iterum: Neq; scortatores,neq; molles,neq; adulteri accipient regni Dei hæreditatẽ. Hypocritę igitur excogitarunt monasteria, solitudines,sordida indumẽta saccorũ, triduana & quatriduana ieiunia,chameunias,flagella,& multa alia, quibus efficerẽt,ut uitarent immundiciam & scortationem: Spiritus sanctus autẽ instituit legitimum coniugium,ad uitandam scortationem. Cuius ergo consilium iudicas altero prudentius? & quod utilius est sectari? Hypocritæ dicũt, Vt uites immundiciem,secede in monasteriũ: Spiritus sanctus autẽ dicit, Vt uites immundiciem,dux uxorẽ. Quæso te,uter melius saluti tuæ consulit? Certè spiritus sanctus est sectandus,qui cum instituerit coniugium ad uitandam immundiciem, non obscurè significauit,coniugium esse coram Deo mũdiciem,pudicitiam,castitatem & sanctitatem. At enim non omnibus libet aut licet inire coniugium. Rectè,coniugium debet esse liberum. Vnusquisque,inquit Paulus, proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic,alius autem sic. Non est autem liberum scortari. Quare si cui non libet aut licet contrahere coniugiũ, necesse habebit honestam & pudicam ducere uitã. Si uerò animaduerteris te ad coniugium uocari,necesse etiam habebis te ad suscipiendum coniugium præparare. Hic parumper mihi digrediendum est ad adolescentes,cõiugijs destinatos. Quid enim hi faciant ut se præparent ad ineundum coniugium? Num cursitent ad choreas puellarum? Nũ nocturnis uociferationibus infestas reddant plateas? Nũ gestent uestimenta ubiq; propemodum scissuris pellucida? Num scortentur? Nihil certè minus. His enim moribus præparabis te ad descensum inferni,non ad honestatem cõiu-

Scortatio uitanda.

Cõiugij libertas.

Coniuges doctores.

gij. Quid igitur facias? Primùm, neceſſe eſt ut coniuges ſint doctores & gubernatores familiæ in uera religione. Oſtendimus enim ſuprà, quòd coniugium ſit inſtitutum ad propagandam Eccleſiã Dei, & ad educandos ciues cœleſtes. Quare neceſſarium eſt, ut inituri coniugium, ante omnia diſcant ueram religionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu ſeruatore noſtro, quo poſsint eam docere familiam ſuam. Deinde, coniuges debent eſſe œconomi. Ad œconomiam autem pertinet, familię uictum parare.

Coniuges œconomi.

Porrò uaria ſunt genera parandi uictus, de quibus nunc non eſt ſigillatim dicendum. Faciam tantum unius mẽtionem, quod eſt exercitium opificij, aut negociationis. hoc enim genere uulgus hominum ſolet ſibi uictum parare. Quare contracturi matrimonium debent antea diligentiſsimè diſcere opificium ſuũ, ad quod uocati ſunt, ut labore ſuo egeſtatem familiæ ſuſtentare queant. Pauca quidem dicuntur, ſed magna exiguntur: uidelicet, quòd inituri coniugium, debeant ſecum ad nuptias afferre ueram cognitionem Chriſtianiſmi, & rectam ſcientiã œconomiæ: quæ ut ſunt magna, ita neceſſaria ſunt officia eorum qui uolunt piè coniugio uti. Etſi hæc ſectatus fueris, ut rectè te prę parabis ad coniugium, ita nõ potes maiores aut meliores opes ad nuptias afferre. Sed hactenus de altera cauſa inſtitutionis coniugij. Recenſeamus & aliam. Myſterium hoc magnum eſt, inquit Paulus, uerũ ego loquor de Chriſto & Eccleſia. Inſtitutum igitur eſt coniugium, ut adumbret eam cõiunctionẽ, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam ſuam. Hæc cauſa etiã diligenter eſt conſideranda. Sunt enim qui nec habẽt liberos, nec uerſantur, propter ſenium, aut aliam quandam cauſam, in periculo ſcortationis: nihilominus tamen legitimum eſt coniugium, ſi modò alioqui ritè cõtractũ fuerit. Non laxamus hic frena impudicis, ſenio tamen confectis, uiduis: ſed explicamus ueram coniugij rationẽ, & conſulimus imbecillitati conſcientiæ. Tametſi enim tale ineas cõiugium, in quo nec ſperes liberos, nec neceſſe habeas mederi immundiciei: tamen uel hac cauſa legitimum eſt, quòd admoneat nos myſtici illius coniugij, quod eſt inter Chriſtum & Eccleſiam ſuam. Nam cum inſtitueretur coniugium, dixit Adã de uxore: Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Quod etſi dictũ eſt de externa uxore hominis, longius tamen reſpicit, ad Eccleſiã uidelicet, quę eſt uxor Chriſti. Sumus em̃ mẽbra, ut Paulus ait, corporis eius, ex carne eius & ex oſsibus eius. deinde dictũ eſt: Hęc uocabitur VIRAGO, quoniam de uiro ſumpta eſt. Reſpicit & hic ſpiritus ſanctus ad Eccleſiam Chriſti. Nam quemadmodum uirgo ducta à uiro in matrimonium, ſtatim fit particeps omnium iurium & bonorũ uiri (cognominatur à uiro, ſumit dignitatem à uiro: ſi uir habet ius ciuitatis, ſtatim habet & ipſa ius ciuitatis: ſi uir eligit in regẽ, ſtatim & ipſa electa eſt in reginam. ſunt enim una caro) ita Eccleſia tãta propinquitate cõiuncta eſt Chriſto, ut non ſolum nomen eius ſuſcipiat, ſed etiã participet dignitatẽ & maieſtatẽ eius. Chriſtus eſt filius Dei: fit & Eccleſia propter Chriſtum filia Dei. Chriſtus eſt DOMINVS mortis & inferni: fit & Eccleſia propter Chriſtum domina mortis et inferni. Chriſtus eſt hæres omnium cœleſtium & diuinorum bonorum: fit et Eccleſia cohæres. Breui-

Seniorum coniugia.

Coniugium eſt myſterium.

Coniugium inter Chriſtũ & Eccleſiam.

ter,

ter, ex Christo & Ecclęsia fit una caro, seu unũ corpus, ut omnia inter se cõmunia habeant, & simul omnib. diuinis bonis fruantur. Huc accedit, q̃ & dictũ est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Pertinet & hoc præcipuè ad Christũ & Ecclesiam eius. Christus enim tanto amore complexus est coniugẽ suam, Ecclesiam, ut posthabito paterno suo, hoc est, cœlesti habitaculo, descẽderit in terrã, factus sit homo, & exposuerit semetipsum pro Ecclesia, ut illã redimeret ac seruaret. Quo amore, quo beneficio nihil potest excellẽtius cogitari. Vides q̃ sacræ, cẽ cœlestis rei adumbratio sit cõiugiũ uiri & mulieris. Hoc autem non solũ cognitione percipiendum est, sed etiam in usum transferendum. Primùm enim uxores admonent, ut propr̃is uiris sint subditę uelut Domino: quoniã uir, inquit Paulus, est caput uxoris, quemadmodum & Christus est caput Ecclesiæ: et idem est, qui salutẽ dat corpori. Itaq̃ quemadmodũ Ecclesia subdita est Christo, sic & uxores suis uiris subditę sint in omnibus, nimirũ licitis & honestis. Deinde admonẽtur & uiri, ut diligant suas uxores, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea. sed et Petrus ait: Viri cohabitent secundum scientiã uelut infirmiori uasi muliebri, impartientes honorem, tanquam etiã cohæredes gratiæ uitę. Postremò admonentur omnes pij, ut in aduersis, in morte denicq̃ ipsa bene confidant, ac nihil prorsus de salute sua dubitent. Christus enim una est caro cũ Ecclesia, hoc est, cum unoquouis credẽte in ipsum. Aduersa aũt nõ possunt opprimere Christũ: quomodo ergo opprimerẽt credentẽ, qui est una cum Christo caro? Mors non potuit extinguere Christũ, sed necesse habuit eum transmittere ad ueram uitã: quomodo igitur extingueret credentem, & non potius traderet eum uitæ? Quòd si uir & mulier hoc modo coniugiũ suum considerauerint, & ad Christũ ac Ecclesiam suam cõtulerint, tunc hoc genus uitæ nõ solũ erit utilissimum, sed etiã iucundissimum in omnibus afflictis rebus solatiũ. Sed hactenus de causis, propter quas matrimonium diuinitùs institutũ est: quas idcirco cõmemorauimus, ut cognoscamus matrimoniũ non esse impurum genus uitæ, sed Deo gratũ & sanctum, & ut coniuges uocationẽ suam honestis ac pijs moribus ornent. Reuertamur aũt nunc ad exponẽdum usum miraculi, quo Christus in nuptijs mutauit aquã in uinum. Nam præter illa quæ suprà diximus, Christus edidit hoc miraculũ in nuptijs, ut hoc tanq̃ certa promissione & sigillo obligaret se subuenturũ inopiæ & egestati coniugum. Nam qui contrahunt matrimoniũ, necesse habent derelinquere suos parentes: eos nimirum, quibus antea curæ fuerunt, & qui ipsis omnia ad uictũ necessaria suppeditarunt. Propter hoc, inquit, relinquit homo patrẽ & matrẽ, & adhærebit uxori suę. Quis ergo subministrabit eis deinceps alimẽta? Hic in locum parentũ succedit filius Dei, & recipit hoc miraculo, se curatorem fore cõiugũ, si modò inuitauerint ipsum ad nuptias. Tunc autem inuitatur filius Dei ad nuptias, cum fide per Euangelion suũ agnoscitur, & obedientia fidei colitur. Quęrite, inquit, primùm regnum Dei & iusticiam eius, & hæc omnia adj̃cientur uobis. Quæritur aũt regnũ Dei, cũ Christus ex Euãgelio cognoscitur: quæritur iusticia regni Dei,

Vsus mysterij coniugij.

Nuptiæ felices, si Christus ad ipsas inuitatus fuerit.

cũ iusta fidei obediẽtia præstatur. Huc accedit, q̃ Deus promisit auxilium suum omnibus ambulantibus in uocatione sua: Nõ in solo pane, inquit, uiuit homo, sed in omni uerbo seu uocatiõe Dei. & aliàs: Spera in Domino, & fac bonitatẽ, tunc inhabitabis terram, & pascêris diuitijs eius. ac mox: Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorũ inæternum erit. Non confundẽtur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Coniugium autem placet Deo, et est uocatio Dei. Quare qui in hoc uitæ genere piè ambulant, fieri non potest, quin habeãt Deũ semper protectorẽ & seruatorẽ, per Iesum Christũ Dominum nostrũ, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXIII.

BENE uertat, persequamur institutum Domini nostri Iesu Christi, qui cum feliciter inchoauerit maiestatẽ suam excellenti miraculo in Cana Galilęæ reuelare, pergit eã tam cœlesti doctrina, quàm admirandis factis illustrare et cõfirmare. Post hæc inquit Euangelista, descendit Capernaum, ipse & mater eius, & fratres (sic enim uocabant cognati eius, et discipuli eius) & ibi mãserunt non multis diebus. Hoc etsi uidetur ociose, ac nullo planè usu ab Euangelista commemorari: tamẽ ut Christus non est uano cõsilio profectus ad Capernaum, ita Euangelista non imprudenter hæc descripsit. Capernaum. Nam Capernaum, ciuitas fuit, ut Matthæus ait, maritima, iuxta stagnũ uidelicet Genesareth, in finibus Zabulon et Nepthalim. Propheta autẽ Esaias uaticinatus est multis antè seculis, q̃ Messias illustraturus sit hos fines doctrina & miraculis suis. dicit em̃: Primo tẽpore uilis habita est terra Zabulon et terra Nepthalim, nouissimo autẽ tempore glorificata est uia, maris trãs Iordanem Galilęæ, gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: habitãtibus in regione umbrę mortis, lux orta est eis. Hoc est uaticiniũ de reuelatione lucis Euangelij in Galilæa, quemadmodũ Matthęus interpretatur, in finibus Zabulon & Nepthalim, in quib. sita fuit ciuitas Capernaũ. Hæc em̃ regio fuit initiò inter aliarũ tribuum terras cõtempta, ac etiã sæpius alijs afflicta, ac multis hominũ ætatibus nihil ex ea prodijt, quod esset admiratione dignum. Itaq̃ fuit gẽs obscura et abiecta. Propheta aũt affirmat, eã postremo tẽpore, in aduẽtu Messiæ, glorificãdã & illustrãdam clarissima luce Euãgelij, & maximis miraculis. Quare cum Messias iam aduenisset, & inchoasset officium suum, proficiscitur iuxta uaticiniũ Esaiæ, in fines terrę Zabulon & Nepthalim, hoc est, ad Capernaũ: & quanq̃ nõ manet illic multis dieb. propter proximũ Pascha, quo proficiscendũ erat ad Hierusalem, tñ paulo post redit eò: & non solũ concionatur ibi Euangeliõ suum publicè, uerumetiã cõfirmat ipsum multis, magnis & insignibus miraculis, ut quod Propheta prædixerat, reipsa manifestè implereť. Nõ potuisset aũt maiora beneficia Capernaitis & finitimis locis cõtingere. Finge monarcham quendam subiecisse Capernaitis ciuibus multa finitima regna: finge eũ singulos Capernaitas ciues, singulos reges ac principes creasse, quid obsecro hoc profuisset, si interim relicti fuissent in peccatis, et in tenebris mortis? Facti fuissent clariores inter homines, nõ aũt

beatiores

beatiores coram Deo. Nunc cũ Christus attulerit eis lucẽ Euãgelij ſui, qua & peccata diſcutiunt, et tenebrę mortis fugantur, & maieſtas regni cœleſtis donatur, propoſitũ eſt eis beneficiũ longè omniũ maximum. Sed quæſo te, conſidera mihi diligenter, quem tanti beneficij fructũ acceperint Capernaitæ. Etſi eñ Chriſtus edidit in hac urbe plurimas uirtutes, tamen hi non ſunt excitati ad agnoſcendũ tẽpus uiſitationis ſuæ: nec reſipuerunt, ad conſequenda beneficia Chriſti, ſed admirati quidẽ ſunt aliquoties miracula Chriſti, & extulerunt eũ magnis laudibus, perrexerunt autẽ ire in ueteribus ſuis ſceleribus. Quare non temerè exclamat de ipſis Chriſtus: Tu Capernaũ, inquiens, quæ es uſq; ad cœlũ exaltata, uſq; ad inferos detraheris. Quoniã ſi in Zodomis editæ fuiſſent uirtutes, quæ editę ſunt in te, manſiſſent uſq; ad hodiernum diem. Veruntamẽ dico uobis, q̃ Zodomis tolerabilius erit in die iudicij, q̃ tibi. Hęc cũ nobis de Capernaũ ciuitate in finibus Zabulõ & Nepthalim ſita, recitant, admoneant nos primùm de clemẽtia Dei, q̃ Deus ſoleat humiles & abiectos cõplecti. Terra Zabulon & Nepthalim fuit regio obſcura & cõtempta, ac multis & uarijs calamitatibus afflicta. Chriſtus tñ filius Dei non contempſit eã, ſed reddidit ipſam ſua luce illuſtriſsimam. Bene igit cõfidamus in humilitate et obſcuritate. Nõ agnoſcit nos mundus, agnoſcit tñ Deus: qui etſi in altis habitat, humilia tñ reſpicit in cœlo et in terra. Deinde hęc admoneãt nos de gratitudine, quam debemus Deo pro luce Euãgelij ſui. Ciuitas Capernaum fuit ingrata, nõ ſuſcepit Euãgelion Chriſti, ea qua debuit obediẽtia, nec reſipuit ad prędicationẽ eius. Quare præfertur ei Zodoma in iudicio Dei. Tolerabilius, inquit, erit Zodomis in die iudicij, q̃ tibi. Reuelatũ eſt & nobis clemẽtia Dei, Euãgelion Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quid ergo? Num ſatis eſt ut audiamus tantũ, & admiremur, & laudemus? Fiunt & hæc oſcitanter admodum, plurimi contẽnunt, alij cõuicijs etiam inſectãtur. Fingamus autẽ Euangelion tam frequẽtiſsimè audiri, q̃ ſummę admirationi eſſe, nondum tamẽ officio noſtro ſatisfactum eſt. Beati inquit Chriſtus, qui audiunt ſermonem Dei: ſed addit, Et cuſtodiũt illũ. ac Paulus: Regnũ Dei nõ eſt in ſermone, ſed in uirtute. Quare neceſsitas ſalutis noſtrę exigit, ut quod nobis reuelatũ eſt Euangelion Chriſti, obedienti fide excipiamus, et ad capiendũ fructum eius reſipiſcamus. Nam ſi ingrati fuerimus, & tempus uiſitationis noſtræ neglexerimus, nõ ſtatim quidẽ ſolet Deus infligere pœnã (patiẽs enim eſt erga peccatores, dũ nõ uult ullos perire) ſed omnes ad pœnitentiã recipere. Veniet autẽ dies Domini, ſicut fur in nocte, ueniet Dominus ſerui percuſſoris in die quo nõ ſperat, & hora, qua neſcit, & diſſecabit eum, partemq; eius cum perfidis ponet. Venturũ eñ ſe, & ingratitudinẽ internecione totius gentis puniturũ, non uerbis tantũ, ſed & rebus ipſis minatur. Nunc enim immittit peſtẽ, nunc rerum penuriã, nunc incurſiones Turcicas, nunc alias quaſdã calamitates, quibus nondũ quidem opprimitur reſpub. Dominus autem minatur, ſe certò permiſſurũ, ut penitus opprimatur, niſi ad prędicationem Euangelij ſui reſipiſcamus. Vide mihi Capernaũ, uide & ipſam urbem ſanctam Hieruſalem, quam Dominus tãto fauore complexus eſt,

Euangelion Chriſti, beneficium longè omnium maximum.

Humilia Deus non abijcit.

Ingratitudo mundi.

Ingratitudo nõ manet impunita.

ut

ut uoluerit eam esse metropolin electi populi sui, & ex ea uulgare Euã-
gelion suum in uniuersum orbem terræ: attamen cum non agnoscerent
tempus uisitatiõis suæ, deletæ sunt funditùs. Agnoscamus igitur benefi
cium Dei, & declaremus gratitudinẽ nostram obedientia, ut ijs bonis
quę Euãgelion nobis promittit, fœliciter fruamur. sed pergamus in no-
„ stro instituto. Et in propinquo erat Pascha Iudæorum, & ascẽdit Iesus
„ Hierosolymã, & reperit in templo eos qui uendebant boues & oues &
„ columbas, et numularios sedentes. Et cum feciſſet flagellum è funiculis,
„ omnes eiecit è templo, oues simul ac boues, & numulariorũ æs effudit,
„ mẽsasq; subuertit. & ijs qui colũbas uendebãt, dixit: Auferte ista hinc,
„ nec facite domũ patris mei domum mercatus. De festo Paschæ aliàs fæ-
pe dictũ est, quare perstringemus nunc id tãtum, quod Iesus in hoc fe-
sto Hierosolymis fecit. In publicis em̃ festis, ac præsertim in die festo Pa
schæ confluebat magna Iudæorũ multitudo ad Hierusalem, quippe q̃
lex exigeret, ut ter in anno appareret omne masculinum corã Domino.
Cum autẽ solenne esset his festis diebus multa & uaria sacrificia offerre,
ac conuiuia concelebrare, instituerunt in atrio templi nundinationes
eorum animaliũ, quæ iuxta legem apta erant ad sacrificia, ouium uideli-
cet, boum & columbarũ. Et quo mercatura esset paratior, aderãt et nu-
mularij, qui monetam mutarent. Hoc siue à sacrificulis institutũ fuerit,
ut maiorem quæstũ exercerent, siue à ciuibus usurpatum, ut animantia
sacrificijs apta hospitib. carius obtruderent, certè manifesta fuit propha
natio tum templi, tum dierum festorũ. Et tamẽ hoc agebatur prætextu
diuini cultus. Nõ enim dubito, quin affirmauerint se id facere, magis ut
cultus Dei promoueat, & Deus sacrificijs frequẽtius colatur, quàm sui
compendij gratia. Quare Iesus facto è funiculis flagello, eiecit è templo
quoscunq; reperit nundinatores, unà cũ ouibus & bobus suis. Nec his
contentus, subuertit etiam mensas numulariorum, ut pecunia disijceretur, ac præcepit seueriter uendentibus columbas, ut procul se unà cũ co
lumbis suis hinc propripiant. Quid nunc de hoc facto Christi dicẽdum
erit? Quid est quòd libuit Christo nundinatores è tẽplo exigere flagel-
lo potius, quàm uerbo prædicationis? Talis enim propemodũ fuit hu-
ius facti species, qualis esset, si quis offerenti numos ad sacrificiũ Missæ
pontificiæ excuteret uiolenter è manibus, & ejceret eum pugnis è tem-
plo: aut si quis hoc tẽpore, quo uulgus solet, neglecto auditu uerbi Dei,
dies festos mutare in publicas nundinas, abigat fuste à foribus templi
(quo in loco merces uenales expositę sunt) uendentes & emẽtes, ac dis-
ijciat hinc inde omnes merces eorũ. Quis non iudicaret hanc esse furio-
sam temeritatem, præsertim in homine priuato? Quid ergo dicemus de
Christo? num iudicabimus & ipsum furijs incitatum? Horreamus etiã
cogitationẽ huius rei, tantum absit ut sic de Christo Domino et Seruatore nostro uel sentiamus uel loquamur. Nam quod Christus in ejciẽ-
dis nundinatoribus è templo Dei fecit, iustissimum fuit, ac sapientissi-
mum. Non est enim obscurũ, quòd templum Dei institutum sit initiò
diuina ordinatione à Salomone, & postea restauratũ ab Esdra & Zeru
babele in hunc usum, ut sacra diuinitùs instituta in ipso perager entur.

Nundinatores & numularij ejiciuntur è tẽplo.

Esaias

Esaias enim scribit: Domus mea, domus oratiõis uocabitur cunctis po pulis. Esa. 56.
Quo dicto etsi propriè significatur templum Dei patêre non tantum Iudæis, sed etiã alijs populis, si crediderint in semen Abrahæ promissum: tamẽ & hoc docetur, quòd templum sit sanctificatũ & ordinatum ad orationẽ, hoc est, nõ ad mercatus & nundinationes, sed ad faciendа in eo sacra Dei. Cum autem seu sacrificuli, seu ciues exercerent in eo mercaturas, primùm peccabat magistratus, quòd tolerauerit tã manifestam uiolationẽ diuinæ ordinationis in templo Dei. Etsi enim is locus per se nõ fuit sanctior prophano foro, & templum in eo loco ædificatum, post aliquot annos deuastandũ erat, ut uulgato Euangelio pñ ubique adorarent patrem in spiritu & ueritate: tamẽ hic locus fuit eo tempore diuina institutione & approbatione ad alium usum, quàm ad exercẽdas nũdinationes ordinatus. Et quia magistratus uocatus est ad tuẽdas diuinas & legitimas ordinationes, neglector fuit officij sui, quòd nõ uindicauerit prophanationẽ templi. Deinde peccabant & priuati homines, quòd posthabitis sacris, quibus opera erat publicis diebus festis danda, magis hoc agebant, ut cum aduenis & peregrinis negociarentur, quàm ut rationem tam suæ salutis quàm diuinæ ordinationis haberent. etsi enim negociatio per se est licita, tamẽ nundinationibus sic negociari, ut uioles diuina mandata, & negligas tuam salutem, hæc demum impia est negociatio. Quare cum manifesta esset prophanatio templi Dei, & uiolatio legitimæ ac diuinæ ordinationis, iustissimũ est, ut prophanatores flagellis è templo eijciantur. dices autẽ: Fateor quidem hos nundinatione sua peccasse, sed quid sentiendum est de facto Iesu hominis priuati? Etsi enim Iesus erat uerus Messias seu Christus, tamen non uenit in hunc mundũ, ut legislator, ut ciuilis & externus magistratus: sed uenit ut concionator, ut legis subditus. Regnũ, inquiens, meum non est de hoc mundo. Temeritas autem est, si subditus suscipiat priuato sub arbitrio publica officia, quæ ad magistratum pertinent. Vt enim maximè peccauerit sceleratus quispiam, nõ tamen licet cuiuis priuato in hunc uiolenter grassari: quippe quòd magistratus officium sit, scelera legitimè punire. Quid dicemus ergo de hoc facto IESV Christi? Respondet ad hoc Euãgelista, cum addit, Recordati uerò sunt discipuli eius, quod scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Hoc scriptum est in Psalmo sexagesimooctauo. Multa autem extãt testimonia, præsertim in scriptura noui Testamenti, quæ est interpretatio & illustratio ueteris Testamenti, quòd hic Psalmus de Messia seu Christo intelligatur, quæ quidem testimonia nunc non est opus recensere. Cum igitur Euangelista allegat uersiculum ex isto Psalmo, hoc propemodum se sentire significat: quòd Iesus in eijciendis nundinatoribus fecit, hoc uidebatur initiò etiam ipsis discipulis inconsiderata temeritas, sed admoniti scriptura, intellexerũt esse opus profectum è zelo diuino, & instinctu spiritus sancti. Non fuit quidem factum iuxta externas leges ordinarium, sed fuit iuxta sententiam spiritus sancti diuinum. Non est susceptum à Iesu secundum humanas, sed secundum cœlestes leges: non est susceptũ priuato arbitrio, sed heroico spiritu. Multa enim designari

Templi Hierosolymitani ruinas.

gnari ſolent ab excellentibus heroibus diuinitùs excitatis: quæ ſi exigas ad externas & politicas leges, uident ſumma eſſe temeritas, & tamẽ ſunt facta diuiniſsima. Moſe occidit Ægyptiũ, afficientem Hebræum iniuria, & abſcondit eum ſabulo. Hoc uidetur eſſe homicidiũ extremo ſupplicio dignũ, ſed erat heroicum, ac planè diuinum. Exiſtimabat enim, ut Stephanus ait, intelligere fratres ſuos, q̃ Deus per manũ ipſius daret ſalutẽ illis. Pinehas interfecit publicum ſcortatorẽ cum ſcorto Madianitico. Quod etſi uidebatur incõſulta & præceps iracundia, tamẽ teſtatus eſt Dominus ipſe, q̃ fuerit diuinus zelus: Zelo meo, inquiens, commotus eſt cõtra eos, ut nõ ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Dauid aggrediebatur Goliathem, paſtor gigantẽ, citharœdus bellatorem, inermis armatũ. Quis non dixiſſet, temerariam eſſe pręſumptionem? Sed erat inſtinctus ſpiritus ſancti. Elias trucidauit ſacerdotes Baal, quę uidebatur magna eſſe crudelitas: ſed erat iuſtiſsima uindicta, ad quã de impijs ſacrificulis ſumendã Elias diuinitùs excitatus fuerat. Poſſem plura id genus è ſacris literis recenſere, ſed addam nunc quædam ex hiſtorijs Eccleſiaſticis. Diocletianus Romanorũ imperator, Chriſtianorum autem crudeliſsimus perſecutor, edidit horribile & blaſphemũ edictum aduerſus Chriſtianos, quod & publicè in foro urbis Nicomediæ ſuffigebat. Quidam ergo Nicomedienſis nobili genere ortus, nõ deterritus uel potẽtia uel præſentia Imperatoris (erat enim tunc Diocletianus Nicomedię) iniecit publicè inſpectãte populo manus ſuas in literas edicti, ac detractas eas minutatim diſcerpſit. Quid hoc facto magis temerariũ uidetur, ſi conſideres externam rerũ ordinationem? Sed hic Nicomedienſis fuit uir animo heroico: & quod fecit, nõ fecit humana temeritate, ſed diuina agitatione. Videamus & aliũ heroem. Cum Iulianus, cognominatus Apoſtata, adminiſtraret Romanũ imperium, erat in exercitu eius χιλίαρχος, nomine Valentinianus. Hic comitabatur officij gratia principem ſuũ Iulianũ, proficiſcentem ad templũ, quod dicebatur Fortunæ: etſi enim Valentinianus agnoſcebat Chriſtũ, perſoluebat tamen exemplo Naamani Syri ciuilia officia principi ſuo. Cum autem ad fores tẽpli peruenisſet, aſperſus fuit & ipſe aqua luſtrali à ſacrificulis idolomaniæ, qui affirmabant ſe hac aſperſione ingreſſuros in templũ ſanctificare. Indignatus igitur grauiter, pugno percuſsit ſacrificulũ, publicè exclamans, ſe hac aſperſione non ſanctificatũ, ſed ſordidatum eſſe. Hoc uidebatur magis militare, q̃ Chriſtianũ. Quale enim hoc eſt facinus, q̃ miles percutiat pugno ſacellanũ Cęſaris, idq̃ in pręſentia Cęſaris, adeoq̃ in ſacrario, & fungentẽ officio ſui ſacerdotij? Sed qualecunq̃ iudicetur ab humana prudentia, certè collocandũ eſt inter heroica, quæ diuinitùs geri ſolent. Ac Nicomedienſis quidẽ, de quo prius diximus, raptus eſt continuò ab imperatore Diocletiano ad ſupplicium, et crudeliter eſt occiſus: Valentinianus autem, etſi iuſſus fuit exulare, tamen paulo pòſt electus eſt in Imperatorem. Vtrunq̃ factum eſt diuino, eoq̃ optimo cõſilio. Quod enim Deus paſſus eſt, ut heros Nicomedienſis ab impijs ad ſupplicia raperetur, uoluit pietatẽ & conſtantiam tanti herois illuſtriorem reddere: & ſignificauit, aliã eſſe uitam, in qua repẽdat pijs mercedẽ certami-

Heroica facta.

Nicomedienſis ciuis heroicum factum.

Valentiani heroicum factũ.

certaminum ſuorum. Quod autem extulit Valentinianum in maieſtatẽ Imperatoriam, exemplũ exhibuit, quo teſtatus eſt, ſe non obliuiſci obedientiæ piorũ: ſed aliquoties in hac quoq; uita ornare eos dignitatibus, ut confirmati in fide de clementia eius, certam ſpem de uentura & uera fœlicitate concipiant. Habes quędã heroicorum factorum exempla, de quibus non eſt iudicandũ ſecundum humanam rationẽ, ſed ſecundum cœleſtem afflatũ, & diuinum inſtinctum. Etſi autem perſona Ieſu Chriſti non poteſt ex omni parte cũ heroibus, quos recenſuimus, conferri, quippe quòd hi tantum homines fuerint, ille autem homo ſit & Deus: quædam tamẽ eſt perſonalis uocationis ſimilitudo. Nam quemadmodum hi præter generalem ordinationem uocati fuerũt ſingulari ſpiritu ad heroica ſua facta, ita & Ieſus Chriſtus præter generalẽ ſuam uocationem excitatus fuit ſingulari & diuino zelo ſpiritus ad eĳciẽdos flagello nundinatores è tẽplo Dei. in Pſalmo enim ſic loquitur: Extraneus (inquiẽs) factus ſum fratribus meis, & peregrinus filĳs matris meæ. Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrãtiũ tibi ceciderunt ſuper me. His uerſiculis teſtatus eſt Chriſtus, longè anteq; homi nem aſſumpſiſſet, q̃ idcirco abominẽtur ipſum Iudæi cognati eius ſecũdum carnẽ, quia ſuſceperit curam tuendę Eccleſiæ, quæ eſt domus Dei, non carnali, eoq; frigido affectu, qualem ſolent habere alĳ qui ſe iactant Eccleſię defẽſores: ſed ſpirituali zelo, & diuina uehemẽtia ac ſeueritate. Ad tuendam autem Eccleſiam Dei præcipuè quidẽ exigitur, ut peccata Eccleſiæ expientur, & Eccleſia ſeruetur in morte ad æternam & fœlicẽ uitam: ſed hoc etiam utile eſt, ut externę ordinationes in templo Dei diuinitùs inſtitutæ, ſuo tẽpore & loco conſeruentur. Quare non eſt ſentiendũ de Chriſto, q̃ eiecerit uenditores & emptores è tẽplo, carnali temeritate: ſed ſpirituali ſeueritate, ut publicã Dei patris ſui ordinationẽ in templo tutaretur. Reliquũ autẽ nunc eſt, ut uideamus, in quem uſum hæc nobis præſcripta ſint. Non enim mãdata ſunt literis, ut temerè imitemur tale exemplũ in eĳciendis ex alieno templo uel nundinatoribus, uel idolis, uel ſacrificulis, ſine certa uocatiõe, et ſingulari ſpiritu Dei: ſed ut commendetur nobis miraculũ & maieſtas Domini noſtri Ieſu Chriſti. Nam Chriſtus eĳciendis nundinatoribus, & ſubuertẽdis mẽſis numulariorũ, tã formidabilis factus eſt pontificibus & magiſtratibus Hieroſolymitanis, ut etſi uidebatur ipſis, Ieſum uſurpare externã dominationem in templum ac urbem Hieruſalem, ac deſignare furioſam temeritatem: tamen non fuerint auſi uiolentas manus in ipſum inĳcere. Hoc profectò nõ minus eſt miraculum, q̃ q̃ populo antè aqua mutata ſit potentia Chriſti in uinum. Hoc igitur miraculum reuelat tam maieſtatem Chriſti, q̃ diuinam curam erga eos qui ambulant in uocatione Dei. Hi enim etſi grauiſsima ſuſcipiunt pericula, & plurimos habent aduerſarios, tamen Deus tuetur eos tãta cura et potẽtia, ut reddat ipſos, quamuis abiectos & infirmos, omnibus aduerſarĳs formidabiles, & ſeruet eos in omnibus periculis. Nam ſi quis, inquit Chriſtus, ambulauerit in die, nõ offendit, quia uidet lucem huius mundi. Deinde cõmẽdatur nobis hoc facto uehementiſsimus zelus, quo filius Dei ad tuendam & conſeruan-

Zelus Christi quàm ardens.

dam ueram suã Ecclesiam exarsit. Nam si tanto zelo prosequitur externum illud lapideũ, ac post aliquot annos diruendum templum, ut prophanatores eius flagello eijciat: quanto obsecro, zelo prosequitur uerũ illud & cœleste templũ, quod est Ecclesia seu congregatio omniũ piorum? Hic certè zelus ille est, qui fuit autor ut filius Dei descẽdetet è cœlo, & indueret hominẽ, ad liberandum hominem. Vidit enim, q̃ fœdè contaminata esset Ecclesia Dei in terris, sorde peccati, & q̃ crudeliter in eam grassarẽtur Satan, mors & infernus. Misertus igitur Ecclesiæ, & ex ardentissimo erga eam amore indignatus, assumpsit hominẽ, ac maluit mortẽ subire, quàm tantam Ecclesiæ suæ contaminationem & deuastationem inultam ferre. Quare cum scriptura recitat, nundinatores esse à Christo eiectos è templo, admonet nos eius zeli, quo Christus pro uera sua Ecclesia accensus est, ut cõfirmemus fidem nostram in omnibus seu tentationibus, seu aduersis: & sentiamus, Christũ tueri nos magna cura & potentia. Postremò etsi hoc exẽplũ Christi est personale, tamen monet nos, ut zelum Christi non quidem temerè pro carnali arbitrio: sed, ut Paulus ait, iuxta scientiã, & iuxta suam quisq; uocationem imitemur.

Zelus Christi quomodo imitandus.

Manifestum est, impios monachos & sacrificulos pergere Ecclesiam Dei impia doctrina, & prophanis sacris cõtaminare. Hic si quis siue magistratus, siue subditus, uerus esset Christi discipulus, deberet etiã præceptoris & seruatoris sui zelũ imitari, & pro sua uirili ac legitima uocatione operam dare, ut Ecclesia ab his sordibus purgaretur. Manifestũ item est, q̃ Turca, crudelissimus hostis, grassetur in Ecclesiã Dei, & deuastet eã tam tyrãnide q̃ impietate. Hic exardescere deberet zelus pro domo Dei in omnibus Christianis principibus & populis, ut ad opprimendum Turcam, & conseruandã domum Dei unusquisq; suas uires tam animi, quàm corporis conferret. Manifestũ etiã est, ebriosos, scortatores, fœneratores, impostores, blasphemos, in nomen Dei contumelioſos, & alios sceleratos sordidare Ecclesiam Dei, & efficere ut nomen Christi pessimè inter Iudæos & Turcas audiat. Num existimas fieri posse, ut tãta scelera inter nos tam uulgaria, & tã publica essent, si uel dimidia tantũ parte eo zelo accensi essemus, quem pro domo Dei uera pietas secum ipsa affert? Porrò officij nostri est, nõ tantum pro publica, sed etiã pro priuata domo, Dei zelo exardescere. Priuata enim Dei domus est, quisquis in Christum credit. An nescitis, inquit Paulus, quòd corpus uestrum templum est habitãtis in uobis spiritus sancti? & iterum: Vos templũ estis Dei uiuẽtis, quemadmodum dixit Deus, Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Nunc si Christus intantũ succẽsuit prophanatoribus lapidei templi, ut eiecerit eos flagello: quanto plus succẽsebit ei qui uerum templum, hoc est, seipsum baptismo Christi sanctificatũ sordidauerit? Sordidamur autem primùm nundinatione, hoc est, confidẽtia humanorum meritorũ.

Nundinatio hypocritarũ.

Genus enim nundinationis est, cum Deo quasi pacisci, ut det nobis cœlum pro meritis nostrorum operum. Nam qui cõfidũt sua iusticia, hi faciũt ex Deo uẽditorẽ: è meritis operũ, pecuniã: & è seipsis, emptores. Itaq; instituunt in seipsis, hoc est, in tẽplo Dei nundinationẽ, qua certè tẽ

plum

plum Dei ita prophanatur, ut fiat ſpelũca latronum, hoc eſt, Satanarũ. Deinde ſordidamur ſceleribus, quę ſunt fructus peccati in nobis dominantis. Has cõtaminationes & prophanationes nullo pacto in nobis feramus, ſed ardeamus zelo Dei, ut abiecta impia de humanis meritis fiducia, & mortificata carne, exhibeamus nos Deo templum purũ & ſanctum, per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXIIII.

VDiuimus quid negocij Chriſtus in templo Hieroſolymitano aduerſus nundinatores geſſerit, audiamus nunc quo'nam modo Iudæi ſeſe geſſerint aduerſus Chriſtum. Ac ueriſimile eſt, quòd ſi alius quiſpiam priuatus homo graſſatus eſſet flagello in mercatores & merces ad ſacrificia deſtinatas, & ſubuertiſſet mẽſas numulariorũ, nõ potuiſſet ſubterfugere, quin non ſolum à ſacrificulis, uerumetiam à reliquis hominum ordinibus, aut manib. diſcerptus, aut lapidibus obrutus fuiſſet. Alij enim iudicaſſent, uindicandã eſſe autoritatẽ magiſtratus, quam is priuata ſua temeritate labefactaret. Alij ſenſiſſent, tuendum eſſe diuinum cultum, quẽ is abigẽdis pecoribus ad ſacrificia deſtinatis imminueret. Alij quibus effuſa erat pecunia, ulti eſſent damnũ ſuum. Auari enim malunt ſanguinem, quàm pecuniam perdere. Sed quod Ieſus fecit, manifeſte uides eſſe ipſi, hoc quidem tempore, impunè. Nemo enim eſt, qui audeat in ipſum uiolentas manus inijcere. Dices hoc idcirco factũ, quòd Ieſus erat Chriſtus. Rectè: ſed illi nondum credebant eum eſſe Chriſtum, & tamẽ manus ſuas continent, ac uerbis tantum reprehendunt, cũ rebus ulciſci nequeant. dicit enim Euangeliſta: Reſpõderunt ergo Iudæi, & dixerũt « ei, Quod ſignum oſtendis nobis, quòd iſta facias? Non defuit eis uolun « tas ſæuiendi in Ieſum, non defuit poteſtas, non arma, non lapides: & tamẽ Ieſus tutò inter ipſos ambulat. Quid ergo eſt, quod ipſum inter tot aduerſarios, inter tot uiros ſanguinũ tutum reddit? Quid aliud eſſet, q̃ꝫ q̃ Ieſus ambulat in uocatione Dei patris ſui? Nam q̃ eiecit è tẽplo nundinatores, fuit ſingularis uocatio Dei, & ut è ſcriptura oſtenſum eſt, zelus Dei. Qui autẽ ambulat in uocatione Dei, habitat in adiutorio Altiſſimi, & in protectione Dei cœli cõmoratur. Quare utcũq̃ ſacrificuli & alij fremant & inſaniant, Ieſus tamen defenſione Dei patris ſui tutus eſt. Hoc exemplo admonemur, ut in periculis, quæ ex uocatiõe Dei ſuſcepimus, optimè de auxilio Dei confidamus. Fieri enim nõ poteſt, ut quem Deus uocatione ſua periculis obijcit, eum non clementer & potẽter ſeruet. Si ambulauero, inquit Pſalmus, in medio umbrę mortis, nõ timebo mala, quoniam tu mecum es. Sed audiamus Iudæos, qui cũ non audeãt factis, inuehuntur uerbis in Ieſum: Quod ſignum, inquiunt, oſtẽdis nobis, q̃ hæc facias? Non negamus quidẽ nundinationem illam eſſe prophanationem templi, et fatemur opus eſſe Eccleſiæ emendatione: ſed q̃ tu homo priuatus ſumas tibi hanc purgandi templi & emẽdandę Eccleſiæ autoritatem ac poteſtatem, hoc demum nobis intolerabile uidetur. Nam emẽdatio Eccleſię pertinet propriè uel ad ſummos pontifices, uel

In uocatione Dei ambulantes ſeruantur.

Iudæorum diſputatio cum Chriſto.

ad prophetas diuinitùs electos: ac præcipuè ad prophetam illũ, de quo Moſes ſcripſit, & quem hoc temporẽ uẽturũ expectamus, qui eſt Meſſias, á prohetis promiſſus. Dicit enim DOMINVS ad Moſen: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrũ ſuorum, ſimilem tui, & ponã uerba mea in ore eius, loquetuŕq; ad eos omnia quæ prẽcepero illi. hæc eſt promiſsio de uenturo Meſsia. Et additur etiã ſignũ, quo cognoſci queat ueritas illius prophetę ſeu Meſsiæ. ſequitur em̃ apud Moſen: Quod ſi tacita cogitatione reſpõderis, quomodo poſſum intelligere uerbum, quod DOMINVS non eſt locutus, hoc habebis ſignum. Quod in nomine Domini proheta ille prędixerit, & non euenerit, hoc DOMINVS non eſt locutus. Quid ergo tu Ieſu uaticinaris, ac euenturũ dicis, ut ſciamus, ſi euenerit, te eſſe prophetam illũ, ac Meſsiam nobis promiſſum? Accedit huc, q̃ ſcriptura teſtetur Meſsiam reuelaturum, & cõfirmaturum maieſtatem ſuã miraculis: Ecce Deus ipſe, inquit Eſaias, ueniet, & ſaluabit nos. Tunc aperient̃ oculi cæcorũ, & aures ſurdorum patebũt. Tunc ſaliet, ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorũ. Quod ergo tu facis miraculũ, ut cognoſcamus te eſſe Meſsiã, & habere autoritatem emendandæ Eccleſiæ Dei? habes quid ſibi uelint Iudæi, cum dicunt: Quod oſtendis nobis ſignũ, q̃ hęc facis. Primùm autem obſeruabis, q̃ Iudæi honeſtè quidẽ & prudenter ſentiant, priuatos homines nõ debere ſibi temerè publicam autoritatem uſurpare, & alienã functionẽ inuadere. Honeſtũ & hoc eſt, quòd non diſsimulent opus eſſe Eccleſiæ emendatione, nec defendant manifeſtã templi prophanationem. Quãto honeſtius ſentiunt his, qui hoc tẽpore manifeſtos errores in Eccleſia tam pertinaciter defendunt, ut publicè fateantur, ſe ne aquæ quidem benedictæ, quam ſic uocãt, aut circũducẽdi aſini illius palmarij abrogationẽ in Eccleſia paſſuros. Sed hic eſt horribilis ſtupor in Iudæis, quòd malunt Ieſum contemnere & deſpicere, quàm uocatiouẽ & autoritatem eius diligentius ſecũ reputare. Nam ſi ipſis uera ſalus curæ fuiſſet, potuiſſent facilè tum ex teſtimonio Ioannis baptiſtæ, tũ ex alijs rebus cognoſcere, hũc Ieſum diuinitùs eſſe miſſum, adeóq; uerum eſſe Meſsiam. Sed quid dicas? Vulgare hominũ ingenium eſt, quod maiorem habeant rationẽ huius corporalis uitæ, quàm ueræ ſalutis: ac multo ſollicitius quę-runt, quanti frumentum, quanti uinum uendatur, quàm quis uerus ſit Meſsias, & quanta nobis beneficia per Meſsiã contingant. Quare cum pereunt, ſuo ipſorũ merito, adeóq; iuſtiſsimo Dei iudicio pereunt. Deinde nec hoc eſt imprudentię, q̃ Iudæi non adhibent temerè fidẽ nouæ doctrinæ ſine miraculis. Nulla enim doctrina, quæ ueram ſalutem promittit, agnoſcenda eſt, niſi diuinitùs confirmata fuerit: miracula autem ſunt diuina ſigilla & teſtimonia. Etſi enim pſeudoprophetæ etiã edunt ſigna & prodigia, tamẽ nos nunc loquimur de ueris ac cœleſtib. ſignis & prodigijs, quę non abolent piã doctrinã antea diuinitùs promiſſam. Ergo prudentia eſt, non amplecti nouam doctrinã ſine miraculis. Sed hæc eſt magna Iudæorũ impietas, q̃ quæ ſunt manifeſta miracula, ea cõtemnant & calumnientur, requirant autẽ alia quæ ipſi pro ſuo arbitrio excogitarunt. Apud Matthæum habent manifeſtum miraculũ, quo ſa-

Priuati homines nõ debent temerè uſurpare publica officia.

Doctrinæ ueritas cognoſcenda.

natus

natus erat dæmoniacus, & tamẽ tribuunt hoc Beelzebub principi dæmoniorum, ac quærunt signum de cœlo, quale ipsi finxerunt. Habẽt & hoc loco manifestum signum, uidelicet Iesum inermem tã formidabilẽ esse omnibus aduersariꝭ, ut nullus audeat manus ipsi iniꝯcere. Audiuerunt etiam de signo in Cana Galilęæ edito, & tñ aliud postulant. Quare perspicuũ est, quòd quærant signa, non ut credant, sed ut calumniẽtur. Hæc est magna impietas, & aliàs merito à Christo reprehẽsa: Natio (inquit) praua & adultera signũ requirit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionę prophetæ. Videamus autẽ, quo nam modo Iesus hoc loco tractet Iudæos. Respõdit Iesus, & dixit: Destruite templũ hoc, & in tribus diebus erigam illud. Humanissima responsio, sed quam dedit Iesus Iudæis, non tam ipsorum cꝫ discipulorum suorũ gratia, ut fidem eorum confirmaret, quemadmodum mox Euãgelista indicabit. Quod autem Iesus dicit, hanc habet sententiam: Efflagitatis ut probem uocationẽ & autoritatẽ meam uaticinio ac miraculo: dico ergo uobis, quòd sitis hoc templum destructuri, ego autẽ restaurabo illud tribus diebus. Habetis nunc uaticinium & miraculum. Vaticinium est, quòd prædico uobis quid uẽturo tempore fiat de hoc templo: miraculum est, quòd ego destructum templũ restauraturus sim tribus diebus. Loquitur autẽ Christus, interprete Euangelista, quemadmodũ sequitur, nõ de lapideo templo, sed de tẽplo corporis sui. & hæc est sentẽtia eius: Vos traditurí me estis morti, & occidetis me, ego uerò tertia die à morte resurgã. Quo signo, quo miraculo, quid maius, quid excellentius dici potest? Nã Iesus edidit quidẽ multa et magna miracula anteꝫ mortuus est, & à morte resurrexit, quibus & ueritatẽ doctrinæ suæ comprobauit, & maiestatem suam aliquo modo declarauit: sed quia etiam prophetæ ediderunt miracula, ac mortuos quoꝫ suscitarunt, quemadmodũ scriptura testatur de Elia et Elizęo: uideri potuit, miracula Iesu infirmiora esse, quàm ut probarent ipsum uerũ esse Messiam, & natura filium Dei. Resurrectio autẽ Iesu à mortuis, & quæ resurrectione cõprehenduntur, uidelicet ascẽsus eius in cœlum, missio spiritus sancti, miracula ab Apostolis in nomine Iesu edita, diuulgatio Euangeliꝭ in totum orbem terræ, & conseruatio Ecclesiæ in omnibus persecutionibus, manifestissima & certissima sunt testimonia, cꝫ Iesus sit uerus Messias, & natura filius Dei. In Psalmo decimoquinto Messias ita dicit: Non derelinques animã meã in inferno, nec dabis sanctum tuũ uidere corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia cũ uultu tuo. Hic Psalmus cõcionatur de morte & resurrectione Messiæ, ac perspicuè dicit, Messiã à morte ad uitam rediturum, & regnaturũ. In Psalmo secundo, qui & ipse de Messia uaticinatur, ait: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum, aduersus Dominũ & aduersus Christum eius. & mox: Ego constitutus sum rex ab eo, super Zion montem sanctum suum. In hoc Psalmo primùm recitatur persecutio, quam Messias passurus sit à principibus & populis, ac significatur eum moriturũ. deinde recitatur hæreditas & regnum eius: Dabo tibi, inquit, gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Non posset autem tantam hæreditatẽ

Iesum esse Messiã, testatur resurrectio eius à mortuis.

Resurrectionis Christi testimonia è Prophetis.

& regnum habere, niſi à morte reſurrexiſſet. Quare etiã in hoc Pſalmo prædicatur, Meſsiam à morte reſurrecturum. apud Eſaiã de Meſsia dicitur: De terra uiuentium abſciſſus eſt, cum affligeretur propter tranſgreſsiones populi mei. hæc eſt concio de morte Meſsiæ. ſed additur & alia cõcio de reſurrectione eius à mortuis: De anguſtia & iudicio ſublatus eſt. & mox: Pro eo quòd laborauit anima eius, uidebit & ſaturabit. Sed & Ieſus ipſe, cũ adiuraretur à Caiapha, ut diceret, an eſſet Meſsias, ſeu Chriſtus filius Dei, reſpondit: Tu dixiſti. Veruntamen dico uobis, amodò uidebitis filium hominis ſedentẽ à dextris uirtutis, & ueniẽtem in nubibus cœli: hoc eſt, etſi nunc uideor uobis homo abiectiſsimus, & longè omnium miſerrimus, ac trador à uobis morti, tamẽ effugiam omnem illam miſeriam, & reſurgam à morte, ac ſedebo ad dextrã Dei, quo manifeſtè probabo me uerum eſſe Meſsiã, ac natura filium Dei. Vnde Paulus ad Romanos de Ieſu Chriſto ſcribẽs: Qui declaratus, inquit, fuit filius Dei cum potẽtia, ſecũdum ſpiritum ſanctificationis, ex eo quòd reſurrexit è mortuis. Vides prophetas uaticinatos eſſe, Meſsiam à morte reſurrecturum. Vides etiam maieſtatẽ Meſsiæ ac diuinitatis ei tribuendam eſſe, qui ſua ipſius potẽtia reſurrexit à mortuis ad cœleſte regnũ. Cum igitur certiſsimis argumentis probatum & confirmatũ ſit, Ieſum filium Mariæ paſſum ſub Pontio Pilato, uerè à mortuis reſurrexiſſe, & per reſurrectionem intraſſe in regnum cœleſte, quemadmodum & hoc loco, & aliàs ſæpe prædixit: manifeſtum eſt, hunc Ieſum eſſe uerũ Meſsiam, ac natura filiũ Dei: nec ullũ alium Seruatorem, præter hunc, agnoſcendum eſſe, etiamſi angelus de cœlo nobis alium demonſtraret. Impius Mahumetes iactat colloquium ſibi fuiſſe cum angelo Gabriele, & ſe ab hoc accepiſſe doctrinam legis ſuæ. Sed quia perſpicuè ſignificat, ſe prorſus non intelligere uerum officium Meſsiæ (facit enim ex ipſo non Seruatorem, ſed legislatorem) & palàm negat, Chriſtũ eſſe natura Deum: non fuit hic uerus angelus Grabiel, qui antea de Chriſto ad prophetam Danielem, ad ſacerdotem Zachariam, & ad uirginem Mariam, rectè concionatus eſt: ſed fuit Satan ac diabolus ipſe, qui ut antea per uarias hæreſes, ita & poſtea per Mahumeten conatus eſt maieſtatẽ & diuinitatem Chriſti abolere. Quare fugiẽda eſt impietas eius, & perſeuerãdum in ea fidei certitudine, ad quã nos reſurrectio Domini noſtri Ieſu Chriſti ueriſsimis argumẽtis comprobata perduxit. Porrò quòd Ieſus dixit de templo corporis ſui, hoc Iudęi intelligunt de templo lapideo in Hieruſalem. dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis extructũ eſt templum hoc, & tu in tribus diebus eriges illud? Non loquuntur autem Iudæi de templo, quod Salomon ædificauit (hoc enim dirutũ erat à rege Babylonio) ſed loquuntur de templo reſtaurato ſub Eſdra et Zerubabele. Poſtq̃ em̃ Cyrus & Darius accepiſſent, uicto Balthaſſare, regnum Babylonicum, & Cyrus poſt mortem Darij regnum Babylonicum ſolus obtineret, cõceſsit in primo imperij ſui anno captiuis Iudęis, ut redirent ad patriam ſuam, & reſtaurarent templum, quemadmodũ ſcriptum eſt in Eſdra, capite primo. Quare Iudęi anno ſecũdo aduẽtus ſui in patriam, aggrediuntur opus ędificandi tẽpli, & iaciunt fundamẽ-

Gabriel Mahumetis fictitius.

ta

ta eius. Sed quod magno gaudio inchoauerant, hoc à finitimis gẽtibus impeditum est, ne statim perficeretur. De qua re extat sextum caput apud Esdram. Opus igitur DOMINI, ut scriptura loquitur, intermissum est in Hierusalem, & non fiebat usq; ad annum secundũ regni Darij regis Persarum. Etsi enim Cyrus, qui iusserat templũ restaurare, adhuc uiuebat, iacto templi fundamento, agebat: tamen ludęi nõ potuerunt eum cõuenire, & iniurias aduersariorum suorum ei exponere: propterea q̃ occupatus bello Scythico, quod susceperat aduersus Tomyrim reginã Massagetarum, maiorem rationem habuerit bẽlli gerendi, cũ audiendæ legationis Iudæorũ, & restaurandæ Ecclesiæ. In eo bello occisus est Cyrus, & regina Tomyris iubet caput eius amputatum in utrem humano sanguine repletũ, cum hac exprobratione conĵci: Satia te sanguine, quẽ sitisti. Sed nec post mortẽ Cyri potuerunt Iudæi à Persis impetrare, ut permitterent ipsis potestatem perficiendi inchoati tẽpli, donec Darius Lõgimanus, filius Assueri rerum Persicarum potitus est: in cuius secundo anno cœptum est iterum ædificium templi, & in anno eius sexto cõpletum, quemadmodũ testatur Esdras capite sexto. A' secundo autẽ anno Cyri, quo posita sunt fundamenta templi, usq; ad sextum annũ Darij, sunt quadraginta sex anni. Cyrus eñ solus regnauit mortuo Dario uiginti duobus annis, quibus comprehenduntur etiam anni Cambysis. Postea regnauit Artaxerxes Assuerus uiginti annis. Huic successit Darius Lõgimanus, in cuius sexto anno cõpletum est ædificium templi. hi sunt anni illi, de quibus Iudæi nũc dicunt: Quadraginta & sex annis extructum est hoc templum. Animaduertendũ aũt nobis est hoc loco primùm, q̃ de horribili & miserabili interitu Cyri regis dictũ est: ut hoc exẽplo admoneãtur omnes principes, quo discãt, multo magis sibi curę esse debere, ut adiuuent Ecclesiã, cũ ut quęrant causas gerendorũ bellorũ, & proferẽdorũ finiũ imperij sui. Nõ dãnamus legitima & necessaria bella: scimus principum officium esse, fines suos tueri. Sed prę libidine bellandi negligere curã constituendæ Ecclesiæ, hoc demum probari non potest. Nec laudamus immanẽ crudelitatem Scythicę reginæ erga Cyrum, nec damnamus Cyrũ q̃ tam fœdè perierit, si modò in ea pietate perseuerauit, quã de ipso Esaias & Esdras prædicauerunt: sed mallemus eum maiorem habuisse curam restaurãdi templi Hierosolymitani, cũ belli Scythici. Esaias enim testatur, q̃ Dominus dederit ei monarchiã totius orbis terræ, propter seruum meũ (inquit) Iacob, & propter Israel electum meũ: hoc est, ut Ecclesiam Domini iuuaret. Quare sciant principes & magistratus hoc proprium esse officium ipsorum, ut maximam omnium curam habeant iuuandæ Ecclesiæ Dei: & ut sint, quemadmodum aliàs Esaias ait, Ecclesiæ nutricij. Deinde uides hoc loco quàm tardos progressus habeant diuina opera inter homines. Ædificium templi erat diuinum opus. Quid autem Satan non excogitauit, ut opus illud bonum impediret? Ex una parte obiecit regi Cyro externa bella, ut non uacauerit ei curam restaurandi templi habere: ex altera parte excitauit finitimos populos, qui Iudæos calumniarẽtur, & opus Domini impedirent. Reddidit & ipsos Iudæos longis ac multis calamitatibus defatiga-

Cyri bellum Scythicum.

Cyrus miserè interijt.

Esa. 45.

Magistratus officium.

tos, ut non tanta, quanta debuissent diligentia, opus DOMINI urserint. Itaq; factum est, ut restauratio templi tot annis intermissa fuerit. Hic est conatus, hic est labor Satanæ. Quod cũ sciamus, non deterreamur à suscipiendis operibus diuinitùs mãdatis, nec deficiamus in susceptis, propter aduersa, quæ Satan ad impediendum opus DOMINI obĩcit: sed pergamus constanter in uocatione Dei, ac certam concipiamus fiduciam, quòd DOMINVS, cuius uoluntate opus susceptum est, daturus etiam sit incrementa, ut perficiatur. Sed reuertamur ad Euangelistam.

Cum enim recitasset Iudæorum responsum, docet eos dictum Christi
» de templo nõ rectè intellexisse, & ait: At ille dicebat de templo corporis
» sui. Cũ ergo resurrexisset è mortuis, recordati sunt discipuli eius, quòd
» hoc dixisset eis: & crediderunt scripturæ, & sermoni, quem dixerat Iesus. Vides non solum Iudæos, sed etiam discipulos non rectè initiò intellexisse uerbum Christi de excitatione templi. Etsi autem hoc paulo obscurius dictum uidebatur, tamẽ nec intelligunt sermonem eius de passione & resurrectione sua, etiam cum apertissimè & disertissimè loqueretur. apud Lucam ait: Filius hominis tradetur gentibus, illudetur, contumelijs afficietur, conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, ac die tertia resurget. Quid potest magis perspicuè dici? & tamen addit Euangelista: Ipsi nihil horum intellexunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, nec intelligebant quæ dicebantur. Vnde igitur tantus stupor? Somniabant regnum Christi fore corporale in terris, & existimabant futurum ut Christus magis afflicturus esset suos aduersarios, quàm ut aduersarij ipsum possent affligere. Turpissimum enim uidebatur succumbere hostibus. Quare etiamsi multa dicerentur de passione, morte & resurrectione Christi, tamen cæcati sua carnali opinione de fœlicitate regni Christi in terra, non potuerunt ea rectè intelligere. Cæterùm quòd Euangelista dicit, discipulos sermonem Christi tum rectè intellexisse, & scripturæ ac sermoni Christi credidisse, cum Christus resurrexisset à mortuis: manifestè significat, sacram scripturam maximè omnium de Christo & regno eius tractare, ac resurrectionem Christi esse perspicuam explicationẽ scripturæ. Ex resurrectione enim Christi, & ex ijs quæ hac comprehenduntur, manifestum est, regnum Christi nõ esse corporale, sed spirituale: nec esse terrenum, sed cœleste: nec esse caducum & mortale, sed perpetuum & immortale. Quæcunq; igitur prophetæ de regno Christi uaticinati sunt, etiamsi utãtur uerbis adumbrantibus regnum corporale, tamen sunt intelligenda secundum eam sententiam, quam resurrectio CHRISTI à mortuis, ascensus eius in cœlum, missio spiritus sancti, ac diuulgatio Euangelij in totum orbem terræ, nobis tradũt. Tradunt autem nobis, regnum CHRISTI esse spirituale & cœleste. Vera igitur fœlicitas non constat nec in hac terra, nec in rebus huius terræ: sed cognoscitur ex Euangelio Christi per fidem, & percipitur reipsa in futuro, seculo propter Christũ seruatorem nostrum. Ac hactenus quidem de disputatione Iudæorum cũ
» Iesu. Videamus nunc & reliqua: Cum autem esset Iesus Hierosolymis in
» Pascha in die festo, multi crediderunt in nomẽ eius, uidentes signa eius

Sacræ scripturæ scopus.

Resurrectio Christi, explicatio scripturæ.

quæ

quæ edebat. Ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo ꝙ noſſet omnes, nec opus haberet ut quiſquã teſtaretur de homine. ipſe eñ ſciebat quid eſſet in homine. Multi, inquit, crediderunt in nomẽ eius, uidẽtes ſigna eius. Manifeſtũ igitur eſt, ꝙ Ieſus multo plura ſigna & miracula ediderit, ꝙ quæ ab Euãgeliſtis conſcripta ſunt. unde & Ioãnes aliàs dicit: Sunt multa alia quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſe opinor mũdus caperet eos, qui ſcriberẽtur, libros. Scripſerũt aũt Euãgeliſtæ prꝯcipua, & plus aliꝭs memorabilia, quantũ quidẽ ad tradendã poſteris cognitionẽ Chriſti neceſſariũ fuit. Quod Iudæi aũt multi crediderũt in nomen Ieſu ex ſignis, legitimus eſt uſus ſignorũ & miraculorũ. Vulgabaẽ. n. Ieſum eſſe uerũ Meſsiã: nec ipſe hoc doctrina ſua diſſimulabat, & addebat miracula, ut ꝙ doceret, tãquã cœleſti teſtimonio cõfirmaret. Quare hi rectè uſi ſunt ſignis, qui ipſis admoniti cognouerũt ueritatẽ Euangelij Ieſu, & crediderũt eũ eſſe uerũ Meſsiam, ac filium Dei. Sed hic cõſidera mihi humani ingenij uarietatem & inconſtantiã. Vulgus enim Iudæorum nunc cũ ſigna uident, credunt Ieſum eſſe Meſsiã. Poſtea autem cum uidẽt ipſum autoritate ſua deſtitutũ, à magiſtratu & pontificibus captum, flagellatũ & conſputum, tanto odio abominãtur ipſum, ut clament eũ de terra tollendũ. itaꝙ iudicant de Ieſu & Euangelio eius iuxta externũ rerũ euentum. Cum uident Ieſum eſſe in hoc ſeculo fœlicẽ, obſeruant eũ ut Meſsiã: cum imminet infœlicitas, execrantur eum ut impoſtorẽ. Quid aũt hoc iudicio uanius? quid magis abſurdũ? Si enim de rebus iudicatur ſecundũ externam ipſarũ fortunam, fieri nõ poteſt, quin aliquoties pronuncies iuxta dictum Prophetæ, bonũ malum, & malum bonũ, ac tenebras lucẽ, et lucẽ tenebras. Etſi enim diuina eſt ordinatio, ut iuſticia ſit fœlix, & iniuſticia infœlix, hęc tamẽ ordinatio ſolet in hoc mũdo, permiſſu Dei à Satana inuerti, ut ſecũdũ Ieremiã, uia impiorũ proſperetur, ac bene ſit omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt: uia autẽ piorum ſit infœlix, ac malè ſit omnibus qui iuſticiã ſectantur. Quo autẽ conſilio Deus id permittat, non eſt nunc tempus pluribus commemorandi, & ſæpe aliàs dictum eſt. Quare nõ eſt nobis de rebus iuxta externum fœlicitatis aut infœlicitatis euentum, ſed iuxta rerum ipſarum ueritatẽ, ex uerbo Dei iudicandum, ut quod rectum ac iuſtum cognouerimus, ſemper ſiue fœlix ſiue infœlix in hoc ſeculo fuerit, iuſtum agnoſcamus, & ſectemur. Sed quid illud quod additur: Ieſus non credebat ſemetipſum eis? Quomodo hoc cõuenit, quod illi credũt Ieſu, & Ieſus nõ uiciſsim credit ſeſe illis? Audi ergo quid ſequatur: Non credebat ſemetipſum eis, eo q̃d ipſe noſſet omnes, nec opus haberet, ut quiſquam teſtaretur de homine. ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine. Quid ergo eſt, Non credebat ſemetipſum eis? Hoc quidam interpretãtur de doctrina, ꝙ Ieſus rudibus adhuc, & inconſtanter credẽtibus nõ cõmiſerit altiora myſteria Euangelicæ doctrinæ. quod quidem pro ſua quadã ratione non falſo dicitur. Sed Euãgeliſta loquitur de diſceſſu Ieſu è Iudæa in Gãlilæã, & de ea Ieſu diligentia, qua cauebat inſidias aduerſariorum ſuorum. in capite enim quarto ſic ait: Vt cognouit Dominus, audiſſe Phariſæos, quòd Ieſus plures diſcipulos faceret, reliquit Iudæã,

Miraculorum uſus.

Vulgi inconſtantia.

Ier. 12.

Quare Chriſtus ſe non crediderit Iudæis.

&

& abijt iterum in Galilæã, cauens uidelicet insidias Phariſæorũ & Pontificum, qui erant Hieroſolymis. Cum ergo dicit, Non credebat ſemetipſum eis: ſignificat Ieſum non eſſe co[illegible]m publico hominum fauore, & bonis impiorum uerbis, ſed declinaſſe familiaritatem Pontificum, & rediſſe ad Galileã, ut in tuto ſuum perageret negocium. Sed hoc, inquies, mirandũ eſt, q̃ Ieſus diffiſus ſit hominibus? An non charitas omnia credit? an non certum & definitũ erat tempus, quo Chriſtus ſuo officio defungeretur? Non ne, inquit, duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, nõ offendit. An non tutus ambulat, qui ambulat in adiutorio Altiſsimi? Cur ergo abit Chriſtus è Iudæa, & nõ credit ſe Iudæis? Rectè ſcribit Paulus, charitatẽ omnia credere. Hoc em̃ eſt ingeniũ charitatis, ut nihil mali de proximo ſuſpicetur, ſed de quouis homine bene cõfidat: ſed interim nihil temerè, nihil periculoſe, abſq; certa Dei uocatione eſt faciendũ, ne Deus tentetur: nihilq; contra uerbum Dei agendũ eſt, ne peccetur. Veteres eruditè ac rectè dixerũt, Amicus uſq; ad aras: quo ſignificarunt, amicis ſic fidendum & commodãdũ, ut tamen propter amicos non uiolemus reuerentiã & obedientiam, quam debemus Deo. Et ſi enim amicus colendus eſt ſuis officijs, amici tamen cauſa nõ eſt à pietate deflectendum atq; peccandũ. Hoc ut magis perſpicuum fiat, oſtẽdemus aliquot exemplis. Iudex quiſpiam ſedet pro tribunali, cõpoſiturus cõtrouerſiam inter actorẽ & reum. Ponamus autẽ, actorem eſſe uirum honeſtum, & ueritatis ſtudioſiſsimũ, de quo affirmari non poſsit, q̃ ullum unq̃ mẽdacium dixerit. Poſtquam igitur is perorauit cauſam ſuã, quid faciat iudex? nũ adhibeat fidem dictis tam honeſti uiri? Hoc certè charitas exigit. Ergo ne ſtatim, reo nõdũ audito, pronũciet pro actore cõtra reum? Minimè omniũ, ſed audiat etiam reũ. At ille, inquis, actor, honeſtus eſt uir, & uerax. Credo, iuxta regulam charitatis: ſed interim non licet iudici propter charitatẽ deflectere à ſuo officio, & peccare aduerſus legitimã ſuam uocationẽ, quæ exigit, ut audiat utramq; partem. Paruũ, inquit lex, ſic audietis ut magnũ, nec accipietis cuiuſquam perſonam. Habes ergo, fidendũ quidem eſſe bono uiro, ſed propter bonũ uirum non eſſe peccandũ. Audiamus aliud exemplum: Principes ac ſenatores Reipub. deliberãt de re grauiſsima, et quã maximè refert celare, ne uulgetur, donec quod conſtitutum eſt perficiatur. Exigunt autẽ à ſe inuicem taciturnitatem iureiurãdo. Interea temporis uenit amicus, uir optimus ad ſenatorẽ quempiam, & rogat, quid arcani tot diebus in ſenatu agitetur. Ille uerò reſpõdet, ſe neſcire. Quid ergo? Nõ fidit amico, uiro optimo? Nõ credit amico arcanũ, cui crederet uitam? Quod charitatis eſt, facit. Sentit præclarè de ipſo, & iudicat eum eſſe bonum uirũ, ac taciturũ quoque, ſi ei impartiret arcanum. Sed propter amicum non eſt uiolandum iuſiurandum, nec eſt arcanum magno Reipub. periculo effutiendum. Adijciamus & aliud: Negociator quiſpiam proficiſcitur negociandi gratia peregrè, accepta ſecum multa pecunia. Venit autẽ in diuerſoriũ, in quo reperit aliquot aduenas, honeſtiſsimos, ut apparet, uiros. Quid ergo faciat? num oſtentet publicè ſuam pecuniã, & ſignificet ſe cũ hac pecunia lõgius profecturum? ſi id faciat, inſanire eũ dicas.

Amicis aut alijs hominibus quatenus fidendum.

Iudicis officiũ, utramq; audire partem.

ita?

ita? An non est honestis uiris fidendū? Rectè, sed propter honestos uiros nihil est temerè & inconsideratè faciendū, nec est res familiaris, præter necessitatem, periculis exponēda. Veteres dixerunt, neruos et artus sapientiæ esse, non temerè credere: & ἀπιστίαν, hoc est, diffidentiā, præcipuum esse propugnaculū ciuitatū aduersus tyrannos, extat & illud: Sobrius sis, ac memineris nemini confidere. accedit & hoc: Prudente diffidentia haud alia res utilior est mortalibus. Hæc & id genus alia ueterū dicta, si dextrè intelligantur, nō pugnant cū Christiana charitate, sed reprehendunt futilitatē: & monēt nihil temerè, nihil contra officium, effutiendum, aut faciendum esse. Diligēdus enim est proximus, & bene de ipso sentiendum: nihil autem imprudenter, & cōtra legitimam suam uocationem dicendū uel agendum est. Quæ cum ita se habeāt, uideamus quid illud sit, quod Iesus nō crediderit semetipsum Iudæis. Sentiebat enim Iudæos, ac præcipuè Pontifices & Pharisæos insidiari uitæ suæ, & deliberare de afferenda ipsi nece. Non credebat, inquit, semetipsum eis, eo quòd ipse nosset omnes, nec opus haberet, ut quisquā testaretur de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine: hoc est, Iesus nō necesse habuit, pro more regū ac principum, proditores aut exploratores emittere, qui scrutarētur & referrent ad ipsum, quid cōsilij Pontifices aduersus ipsum caperent. Videbat enim ipse, ac planè perspectū exploratúmque habebat, quid de ipso cogitarēt impij & crudeles Pontifices ac Pharisęi. Nec hoc tantū erat ei cognitum, uerùmetiam sciebat, quid esset in quouis homine. Agite ergo, uideamus quid sit in homine. Considerauimus autem hominem, nō qualis est regeneratus per spiritum sanctum, sed qualis est natura sua ex Adamo. Sensus, inquit, & cogitatio hominis sunt malum ab adolescentia sua. & apud Hieremiam: Prauū est cor hominis, & inscrutabile. ac in Psalmo: Omnis homo mēdax. & iterum: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonū, non est usque ad unum. Sed longum esset enumerare omnia scripturæ testimonia, quibus perspicuè probatur, in homine non esse nisi summam impietatem tam erga Deum, quàm erga proximum. Ac tales quidem sunt omnes homines natura sua in genere. De hostibus autem, & aduersarijs Christi, extāt singularia testimonia, quod uirulētia & crudelitate longè superent alios homines. in Psalmo dicitur: Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiēs & rugiens. & in alio Psalmo: Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. ac mox: Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. & iterum: Eripe me de operātibus iniquitatem, & de uiris sanguinum salua me. Hæc est descriptio aduersariorum Christi, quorum crudelem & sanguinarium animum Christus optimè nouerat. Primùm, quia uerus est Deus, qui est scrutator cordium & renum, cui cognitæ sunt omnes humani animi latebræ & recessus: deinde, quia sciebat scripturam perspicuè de crudelitate aduersariorum suorum concionari, quemadmodum iam ostendimus. Quare etsi bene confidebat, iuxta charitatem, de quouis homine, nec ignorabat se tutum ambulare in protectione Dei patris sui: tamen

Diffidere, magna est sapientia.

Homo qualis sit natura sua.

quia

quia sentiebat insidias aduersariorum,& perspectã habebat crudelitatẽ eorum,abijt ex Iudæa,& declinauit insidias, ne uideretur & ipse Deum tentare,& exemplo suo temeritatem docere. Sic enim homini credẽdũ est,ut tamen non tentes Deũ,ac non obijcias te manifestis periculis sine uocatione Dei. Multa nobis ex his consideranda, & in usum nostrum transferenda ueniunt. Primùm enim, quòd Christus intelligẽs Pontificum & Phariſęorum cõsilia aduersus ipsum,secedit in Galilęam, in qua magis erat in tuto,quàm in Iudæa:docet suo exemplo sectandã esse prudentiam cauendorũ periculorum. Etsi enim scimus certum ac definitũ esse tempus uitæ nostræ apud Deũ, & capillos etiam capitis nostri numeratos esse:tamen non licet cuiquã manifesto sese periculo, sine certa uocatione Dei exponere. Omnia enim iusta,pia,honesta,licita et possibilia tentanda sunt,ne tentẽt Deus. Quod si uerò Deus uocauerit te ad subeunda pericula,nec possunt ea uitari, nisi peccaueris aduersus Deũ, ibi pietas est & obedientia,imò summa salus est, obijcere sese periculis. Fieri enim non potest,quin Deus seruet eũ quem in pericula uocatione sua inducit. Deinde, quemadmodum Christus nouit quid sit in homine:ita discamus & nos nosse quid sit in homine, ac præsertim quid sit in nobis ipsis.Hoc autem discẽdum est,tum ex nostro ipsorum sensu, tum è testimonijs scripturæ,quorũ nonnulla antè recitauimus. Discendum uerò hoc est propter tres prȩcipuè causas. Vna est,ut agnoscentes nihil in nobis natura nosta,præter peccatum esse,excitemur ad quærendum & cognoscendum Christum,in quo consequamur iusticiam et salutem. Altera est,ut qui uidet se ornatũ aliqua uirtute, nõ tribuat eam suis meritis aut industriæ,sed clementię Dei per Iesum Christum. Non sumus, inquit Paulus, idonei ex nobis ipsis cogitare quicquam, tãquam ex nobis ipsis:sed si ad aliquid idonei sumus,id ex Deo est. Tertia,ut si quis uideat proximum suum in horribile uel scelus,uel supplicĩũ incidere, cogitemus, nos eandẽ habere carnem, & eidem calamitati obnoxios esse. Quid enim nobis accidere possit, & quid calamitatis nobis debeat,in his qui horribiliter peccant,& grauiter affliguntur,agnoscimus. Dauid lapsus est adulterio & homicidio. Petrus negauit Christũ. Alij alia scelera designarũt. Nihil est tam immane,nihil est tam abominabile, quod non & nostra caro proferre queat, nisi Dominus nos cõseruet. Quare admoneamur ex alienis casib. de nostra natura, ut excitemur ad inuocationem nominis Dei, & quæramus diuinũ auxilium in omni uitæ nostrę instituto. Postremò,quòd scribitur, Iesum Christũ nosse omnes homines,& scire quid sit in homine:monet nos,ut in timore Dei diligẽter ambulemus, ac turpia fœda,& inhonesta ne cogitemus quidem, tantũ absit ut opere designemus. Iesus emẽ Christus Dominus noster præstò adest, & uidet non tantũ externa nostra opera, sed etiam cogitatus nostros. Veteres docturi discipulos suos honestatem uitæ, iusserunt eos aliquem uirum bonum eligere,ac semper ob oculos habere: ut sic tanq̃ illo spectante uiuerẽt,& omnia tanq̃ illo uidẽte facerent. Hæc fuit ciuilis quædã disciplina, quæ in grauibus tentationibus nullam uim habere potuit: quippe cp unusquisq̃ cognouerit talẽ honesti uiri præsentiã

Temeritas suscipiendorum periculorum fugienda.

Cognosce teipsum.

Aliena insania frui.

Christi præsentia admoneat nos modestiæ.

fi ctam,

fictam ac imaginariã tãtum esse, & efficacior est potentia peccati, quàm ut humana cogitatione cohibeatur. Multo certius, multo efficacius est, ꝙ sciamus Iesum Christum Dominum nostrum, qui ascendit super omnes cœlos, ut omnia impleret, semper nobis præstò adesse, ac spectatorem esse omnium tam actionum, quàm cogitationum nostrarum. Hæc præsentia nõ est fictitia, sed uerissima & certissima. Quare reuereamur tantam maiestatẽ, & ueneremur præsentiã eius tam cogitatione quàm actione honestatis, ut ad consequendam ueram salutem conseruemur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT III.

HOMILIA XXV.

MVLTI, inquit Euangelista, crediderunt in nomen Iesu, uidentes signa eius quæ edebat, cum esset Hierosolymis in die festo. Inter eos autẽ qui in Iesum crediderunt Hierosolymis, fuit Pharisæus quidam, nomine Nicodemus. Quare suscipiemus nunc, uestris precibus adiuti, explicandam eam disputationem, quam Ioãnes scribit, Nicodemum cum Iesu Christo, de uia & modo perueniendi ad regnum Dei, habuisse. Erat (inquiens) homo ex Pharisęis, Nicodemus nomine, princeps Iudęorũ: hic uenit ad Iesum noctu, & dixit, Rabbi, scimus ꝙ à Deo ueneris magister. nemo enim potest hæc signa facere, quę tu facis, nisi Deus fuerit cũ eo. Priusꝙ̃ tractemus statũ huius disputationis, exponendum erit, quis fuerit hic Nicodemus, ut quæ sequũtur, rectius intelligi possint. Nicodemus igitur fuit professione sua Pharisæus, quod uitæ genus habebatur inter Iudæos honestissimũ & sanctissimum: doctrina autẽ fuit Rabbinus, hoc est, doctor legis: autoritate uerò & potestate fuit in functione magistratus. In hoc enim loco uocatur Iudæorũ princeps: & postea capite septimo numeratur inter eos qui miserant ministros ad capiendũ Iesum, quorũ tamen impietati ipse non consentiebat. Habes ergo, ꝙ Nicodemo nihil penè defuerit earũ rerũ quas hic mũdus suspicit & admiratur. Nõ deest ei honestas, nõ doctrina, non dignitas, nõ autoritas, non potestas. Quid ergo est, quod quęrit in Iesu Christo? aut quam ob causam ad ipsum accedit? Sed percurramus uerba Euangelistę, ut res ipsa deducat nos ad caput et statũ huius disputationis. Venit (inquit) ad Iesum noctu, & dixit ei: Rabbi, scimus ꝙ à Deo ueneris magister. Nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Magna fidei imbecillitas est, ꝙ Nicodemus noctu, & non interdiu uenerit ad Iesum: & perspicuè significat, ꝙ etsi ornatus est insigni dignitate & autoritate, adhuc tamẽ ambulet in tenebris, nec sit illustratus cœlesti luce Euãgelij. Itaꝙ deest ei quod est pręstantissimũ, & maximè omnium necessariũ, uera uidelicet cognitio pietatis, & uera iusticia coram Deo. De usu autem signorum & miraculorũ rectè sentit Nicodemus.

Nicodemi descriptio.

Nicodemi imbecillitas.

Affirmat enim, se diuinis miraculis Iesu excitatũ, ut sentiat doctrinam eius ueram esse. hic est legitimus miraculorũ usus. Miracula enim sunt testimonia, quibus cœlestis doctrina cõfirmatur, quæ ueræ doctrinæ, ad salutẽ necessariæ (cuius duæ sunt partes, quarũ altera est lex, quæ per Mosen data est: altera Euãgelion de Iesu Christo) tantã addunt autoritatẽ, ut etsi postea eduntur alia signa & prodigia aduersus eã, & ad refutandã ipsam, tamen hæc signa habenda sint pro anathemate: & perdurandũ in ueritate illius doctrinæ, quæ antè certis & firmis testimoniis ac miraculis corroborata est. Cũ igitur Euãgelion Iesu Christi certissima habeat testimonia & miracula, quibus confirmatũ est, nulla alia doctrina, etiam angeli de cœlo, agnoscenda erit. Quid ergo nunc illud est, quod Nicodemus à Iesu petit? si diligẽter expendamus uerba Nicodemi, & responsum Christi, non est obscurũ, quòd Nicodemus hoc præcipuè inquirat, qua uia, & quo modo possit ingredi in regnũ Dei, & fieri saluus. Ipsa, inquit, miracula tua, quæ agnosco esse diuina, mouerunt animum meũ, ut sentiam te esse magistrum seu doctorẽ ueritatis. Cũ igitur omni cogitatione & cura incumbã ad cõsequendum regnũ Dei, & ueram salutẽ, age, absecro te, doce me rectã uiam, qua hoc animi mei desideriũ expleam. Quid quæso faciam, ut possideam æternam fœlicitatem? Hæc est Nicodemi quæstio, & status huius disputationis. Quis autem hanc quæstionẽ à tanto uiro expectasset? Nicodemus uersatus est tot annis in populo Dei, & fuit doctissimus interpres legis: nunc autem primùm quærit à Iesu, quid faciat ut ingrediatur in regnũ Dei, & consequatur uerã fœlicitatem. Quid tot annis fecit? quid docuit? An non & ipse legit scripturã, & discipulis suis eam est interpretatus? Sed tãtæ insciticæ & ruditatis causa est ignoratio Messiæ, & ueri eius officij. Etsi enim cognoscitur politica lex Mosi, & tota philosophia de uirtutibus moralibus ac ciuilibus: tamen ubi abest cognitio Messiæ, & ueri eius officij, ibi nõ potest esse cognitio intrãdi in regnũ Dei, & cõsequendæ ueræ salutis. Habebat quidẽ Nicodemus cognitionem quandam de Messia, quem sciebat esse promissum, & tot annis expectatũ, sed ignorabat uerum eius officiũ. Expectabat enim eum, non ut expiatorẽ peccatorum, ut reconciliatorem inter Deum & homines, ut seruatorẽ ad perpetuã salutem, quod est uerum ac propriũ Messiæ officium: sed expectabat eum ut externum monarcham, & politicum regem, qui uindicaturus esset Israelitas in externam libertatẽ, & dominaturus pro more regum in terra. Ac sentiebat interim, suo quẽq; ingenio & merito posse iustificari, & ingredi in regnũ Dei. Hoc autem est uelamẽ illud quod ponebatur in facie Mosi, & impositũ est cordibus auditorum Mosi, ne intendant in finem eius, quod abolebatur, quemadmodum Paulus ait. Quare Nicodemus sic adhuc excæcatus, non potuit cognoscere ueram uiam perueniendi ad regnũ Dei, & consequẽdi æternam fœlicitatem. Porrò autẽ, etsi turpe uidetur in Nicodemo, tãto uidelicet doctore, q̃ iam primùm interroget de uera uia perueniendi ad regnũ Dei: tamen hæc est quæstio maximè omniũ necessaria, & ad hanc cognoscendã omnis cogitatio & cura nostra ponenda est. Deus enim dedit nobis uitam

Miraculorum usus.

Quæstio Nicodemi.

Messiæ ignorantia, omnis cæcitatis causa.

2. Cor. 3.

corporalem,

corporalem, posuit nos habitatores huius terrę, coniunxit nos legibus ciuilibus, instituit regna & politeias, largitur nobis multa & magna beneficia ad sustentandã & conseruandã uitã: in hũc prȩcipuè usum & finem, ut discamus doctrinã ueræ religionis, hoc est, ut cognoscamus & sectemur ueram uiam, qua peruenitur ad regnũ Dei, & cœlestem fœlicitatẽ. Hoc si didicerimus, profectò scimus artem excellentem, omnes alias artes & scientiam superantẽ omnes alias scientias, nec potest nobis quicquam obesse, siue paupertas, siue infirmitas, siue mors. Si uerò hoc ignorauerimus, tũc uersamur in densissimis tenebris, in quibus nihil nobis prodesse potest, nec potẽtia, nec diuitiæ, nec sanitas, nec sapiẽtia. Quare omnibus alijs rebus posthabitis, cognoscẽda & sectanda est ueritas eius quæstionis, quam Nicodemus proposuit. Audiamus ergo nunc, quomodo Iesus explicet hanc quæstionẽ, & erudiat non Nicodemum tantũ, sed etiam nos omnes ad cognoscẽdam ueram uiam salutis. respondit Iesus, & dixit ei: Amen amẽ dico uobis, nisi quis natus fuerit è supernis, non potest uidere regnũ Dei. Hic considera mihi initiò excellentem Christi mansuetudinem & clementiã. Nicodemus dignus erat seuera reprehensione, ꝙ & noctu uenerit præ formidine, non interdiu: & tãtus legis doctor quærat iam primùm de uia & modo perueniendi in regnũ Dei, sed Iesus Christus amplectitur eũ magna beneuolentia. Nõ abijcit eum, ꝙ sit imbecillis fidei, sed eo maiori cura suscipit eũ, ut erudiat ipsum, & reddat fidẽ eius fortiorem. Calamum, inquit Propheta, quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Nec fuit inanis opera Christi in Nicodemo. Quẽ enim nunc audimus præmetu Iudæorũ noctu ad Christum accedere, eum uidemus postea media luce intrepidum, cũ omnes discipuli fugissent & defecissent à Christo, deponere Christũ de cruce, & sepelire eum: hoc certè est publicè cõfiteri fidem suam, & damnare Iudȩos impietatis & crudelitatis in Christum, adeoꝙ seipsum exponere omnibus periculis propter Christũ. Itaqꝫ qui initiò erat nouissimus, factus est postea primus. Hoc exemplo Christi admonemur & nos, ut imbecilles in fide humaniter tractemus. Aliud est impietas & cõtemptus Dei, aliud imbecillitas fidei. Illa prorsus sunt reprehẽdenda & damnanda: hæc autem, etsi non est laudanda, tamen nõ est duriter conculcanda. Quo enim quis imbecillior est in fide, eo magis est Deo curæ. An' non uides, quomodo sese gerat mater erga filiolum suum, ex morbo aliquo malè affectum? num abijcit eum, & conculcat ipsum pedibus, quòd sit infirmus ex morbo? Nihil certè minus. Efferret quidem mortuum ad sepulturam magno luctu, sed uiuentem adhuc, & spirantẽ, tanto sollicitius curat & fouet, quãto grauior & difficilior est morbus, cum interim nullã planè uideatur habere rationem eorũ liberorum, quos adhuc habet sanos, & corpore firmos: affectus autẽ Dei erga suos infirmos superat oẽs naturales affectus matrũ erga suos liberos. Si illa, inquit, oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Quare simus in curandis imbecillibus imitatores diuini affectus, & quod Paulus monet, assumamus infirmos fide, ac portemus infirmitates impotentiũ, ut Dominus Deus noster etiã nostras infirmitates patienter

Via perueniendi ad regnum Dei maximè perscrutanda est.

Christi mansuetudo.

Infirmi fide assumendi.

Esa. 49.

tienter ferat,& eas nobis condonet. ſed audiamus nũc quid Ieſus doceat Nicodemum: Amen amen,inquit, dico tibi,niſi quis natus fuerit denuò, non poteſt uidere regnũ Dei. Vbi nos habemus Denuò, Græcus textus habet ἄνωθεν, quæ eſt uox anceps, & aliàs ſignificat iterũ, aut denuò:aliàs,deſuper aut è ſupernis. Siue igitur legas, Niſi quis natus fuerit denuò,ſiue,Niſi quis natus fuerit deſuper,ſententia hęc eſt:Si uoluerís ingredi in regnum Dei, & conſequi cœleſtẽ fœlicitatem, neceſſe habes nouus homo naſci. Nõ ingredieris in regnũ Dei cum ueteri homine,ſed oportet te nouum hominem fieri.Porrò quæ ſit ratio, ꝙ qui uoluerit ingredi in regnũ Dei,neceſſe habeat nouus homo naſci,Chriſtus mox perſpicuè exponit,cum ait: Quod natũ eſt ex carne, caro eſt:& ꝙ natũ eſt ex ſpiritu,ſpiritus eſt.De quo,quoniã poſtea dicendũ erit,non erimus nũc longiores,commemorabimus autẽ quid Nicodemus Chriſto reſpondeat. dicit ad eũ Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Num poteſt in uentrem matris ſuæ iterũ introire, ac naſci? Quod Chriſtus dixit de natiuitate ſpirituali, quẽadmodũ mox explicabitur, hoc Nicodemus intelligit de natiuitate carnali. Quare non eſt mirũ,ꝙ hãc de natiuitate doctrinã ſatis in corde ſuo riſerit. Primùm enim, quia ignarus eſt ſpiritualis natiuitatis, iudicauit doctrina Chriſti nihil eſſe abſurdius: propterea quòd uideret nouã illam carnalem natiuitatem,de qua exiſtimabat Chriſtum loqui,nõ eſſe poſsibilem. Quomodo enim homo ſenex naſceretur? quomodo poſſet ſecũdò in uentrẽ matris redire, & iterum in lucem prodire? niſi fortè approbes ſtultiſsimam& uaniſsimã illam μετεμψύχωσιν,qua docuerũt nonnulli animas hominum de corporibus in corpora migrare. Deinde, etiamſi noua carnalis natiuitas eſſet poſsibilis, humana tamẽ ratio iudicat, eã ad conſequendã cœleſtẽ fœlicitatem non eſſe neceſſariam. Sentit enim,hominem ſemel ex patre & matre in hac terra natum, afferre ſecum tam integras uires in animo, ut poſsit diuinæ legi ſatisfacere, nec deſit ei quicquam in ſua natura ad ingrediendum in regnum Dei. Non eſt igitur admirandum, quòd prudentia carnis nec intelligat, nec agnoſcat doctrinam de renaſcentia ſpirituali. Admirandũ potius eſſet,ſi hanc cœleſtem doctrinã inteligeret. Animalis homo, inquit Paulus, non accipit ea quæ ſunt ſpiritus. ſtultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quòd ſpiritualiter diiudicantur. Quid ergo de humanis uiribus coram Deo gloriamur? Quid nobis de excellẽtia humani ingenij in conſequẽda uera iuſticia & fœlicitate blandimur? Sed audiendus nunc eſt Chriſtus,qui ut cœpit,ita etiam pergit inſcitiã Nicodemi boni conſulere,& humaniſsimè ipſum erudire. reſpondit Ieſus: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu,non poteſt introire in regnũ Dei. Quod antè generaliter dixit,hoc nunc ſpecialiter exponit: ac manifeſtè ſignificat,ſe nõ loqui de carnali,ſed de ſpirituali natiuitate. Nam ad carnalem natiuitatem, neceſſarius quidem eſt uenter matris: ad ſpiritualẽ autem, longè alia neceſſaria ſunt. Hic enim nouus homo, quem dixi oportere naſci,ut ingrediatur in regnũ Dei, non naſcitur ex patre & matre terrena, ſed ex AQVA ET SPIRITV. Hæc ſunt pater, hæc ſunt ma-

Luc.1. Ioannis.19. Xenoph. ἀπομνημ. δ. λοιδοροῦντες τε γαρ, ὅτι μὲν ἄνωθεν ἀφίεται, δῆλον.

Inſcitia Nicodemi.

Nouus homo unde naſcatur.

ter hominis ingressuri in regnũ Dei. Porrò nomine Aquæ significat Iesus baptismũ, qui paulo antè, ad regenerãdos homines in cœlestem hæreditatẽ, per Ioannem diuino mandato institutus erat, & per Christum ipsum sua susceptione sanctificatus. Cum autẽ Baptismum hoc loco dicimus, intelligimus totum externum ministeriũ Euãgelij, uidelicet non tantum intinctionem in aquam, aut infusionem aquæ, sed etiam doctrinam Euãgelij de Iesu Christo, in cuius nomine baptismus distribuebatur. Prædicans, inquit Marcus, baptismum pœnitentiæ in remissionẽ peccatorum. hic uides Euangelistam nomine Baptismi complecti simul etiam doctrinã Euangelij. & aliàs: Baptismus Ioannis utrum è cœlo erat, an ex hominibus? Hic iterũ Baptismi nomine non tantum intinctio in aquam, sed etiam doctrina intelligitur. & in Actis apostolicis: Post baptisma (inquit Petrus) quod prædicabat Ioãnes. sola enim intinctio in aquam per se nõ est nisi corporalis leuatio, sed addita Euangelij doctrina de remissione peccatorũ propter Christum, fit uerus baptismus, quo homines spiritualiter regenerantur. Nam solenne illud quod in baptismo publicè dici solet: Baptiso te in nomine patris & filij & spiritus sancti, doctrina, adeoq; epitome est totius Euangelij. & hæc est sententia eius: Adnuncio tibi, quòd Deus pater recipiat te in gratiã suam, & adoptet te in filium ac hæredem omniũ cœlestium bonorum, ac donet te spiritu sancto suo propter Iesum Christũ unigenitum filium suum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto uerus & æternus Deus. Quod ut manifesto signo tibi comprobẽ, intingo te in aquam, non humano, sed diuino nomine ac mandtao, ut scias te iam uerè membrũ Christi filij Dei factũ esse. Hæc est doctrina Euangelij, quæ nisi accesserit ad baptismũ, quid obsecro, intinctio in aquam erit, nisi externum & corporale balneũ? Quare cum in hac disputatione Christi & Nicodemi dicitur, quòd per aquam intelligitur baptismus: sentiendũ est, quòd Baptismi nomine intelligatur tam intinctio in aquã, quàm doctrina Euangelij, quæ adiuncta intinctioni, promittit per baptismum, remissionẽ peccatorũ, & ueram coram Deo mundiciem propter Iesum Christum filium Dei. Per spiritum autem, in eo quòd dicitur Ex aqua & spiritu, intelligendus est spiritus sanctus, qui per baptismũ, hoc est, per uerbum & sacramentũ donatur, & hominem renouat. Ac initiò quidem reuelati Euangelij post ascensum Christi in cœlũ, donabatur spiritus sanctus manifestis miraculis. Videbantur enim dissectæ linguæ, uelut igneę, & loquebantur discipuli alij linguis. Nunc autem donatur spiritus inuisibili Dei administratione. Nam qui regenerantur spiritualiter, & fiunt noui homines, hi primùm credunt in Iesum Christum, quòd per ipsum sint Deo patri reconciliati, & in filios Dei adoptati: deinde reputantur coram Deo propter Christum, in quem credunt, ita iusti, ut Deus non amplius recordetur peccati eorum, sed uelit eis dare æternã fœlicitatẽ. Adhæc incipiũt uirtute spiritus mortificare affectus carnis, ut peccatũ non regnet in mortali ipsorum corpore, sed ut accommodent membra sua arma iusticiæ Deo, quemadmodum Paulus loquitur. Postremò seruantur in morte, ne intereant: & excitantur à morte, ut perpetuò cum

Baptismi nomine intelligitur tota doctrina Christianismi.

Baptismi uerba quid significent.

Christo Dño uiuant & regnent. Hic est spiritus sanctus, hæc inquam sunt dona spiritus sancti, quæ dãtur his qui spiritualiter per doctrinam Euangelij,& baptismũ eius regenerantur. Nam quòd spiritualis natiui tas seu regeneratio fiat per doctrinam Euãgelij, cuius sacramentum est baptismus,& per spiritũ sanctum : non solum docet Christus hoc loco, sed etiã Apostoli eius,nimirum spiritu ipsius prædiți,postea testantur, 1.Pet.1. & quasi explicãt.Petrus ait:Renati nõ ex semine mortali,sed ex immortali per sermonem uiuentis Dei, & manentis inæternum. Hic autẽ est Ephe.5. sermo,qui per Euangelion ad uos delatus est.Paulus uerò ait: Christus dilexit Ecclesiã,& semetipsum exposuit pro ea,ut illã sanctificaret mundatam lauacro aquę per uerbum.Sanctificari,inquit,Ecclesiam lauacro aquę per uerbum. hæc est doctrina Euangelij & baptismus. & iterum: Ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis spiritus sancti,quem effudit in nos opulentè per Iesum Christũ seruatorem nostrũ. Quid potest de modo & ratione nouæ ac spiritualis regeneratio-

Vera uia ingrediendi in regnum Dei.

nis manifestius dici? Hęc enim nõ fit per carnales parentes, sed fit per aquam,quæ est baptismus:& spiritũ,qui ex doctrina Euangelij & sacramento eius donatus,hominẽ ita renouat,ut adoptetur in filium Dei,& consequatur cœlestem hæreditatem:nõ quidem propter nouitatem uitæ, quæ ex regeneratione sequitur, & per se adhuc est imperfecta,sed propter Iesum Christũ,qui est per fidẽ acceptus. Docet igitur Christus Nicodemũ,ut si uelit nouus homo nasci, & ingredi in regnum Dei,audiat,& fide apprehendat doctrinã Euangelij,& accipiat baptismũ paulo antè ministerio Ioãnis baptistæ institutũ, ut donatus spiritu sancto, reputetur iustus in iudicio Dei, & ambulet in nouitate uitæ. Hæc est uera & recta uia ingrediendi in regnũ Dei.Sed admirabitur quispiam, quid uelit sibi Christus, quòd cũ aliàs legisperitus interrogaret ipsum, quid faciendo uitã æternam possideret, remittat eum ad faciendam *legem*:In lege, inquiens, quid scriptũ est, quomodo legis? & cum recitata esset summa legis,addit: Hoc fac, & uiues. Nũc autem cum Nicodemus planè idẽ quæreret, remittit eum Christus nõ ad faciendã legem, sed ad audiendum Euangelion, & accipiendum baptismum. Facilis est 2.Timoth.2. huius rei explicatio, si memineris sermonẽ ueritatis rectè secandum esse,quemadmodũ Paulus loquitur. Aliud enim doctrinæ genus conuenit arrogantibus,superbis & pertinacibus Pharisæis ac hypocritis : ali-

Legis & Euangelij prædicatio.

ud conuenit contritis & humiliatis corde. Legisperitus,qui interrogabat Iesum de uia perueniendi ad uitam ęternã,erat homo inflatus iustitia legis, & existimabat se suis uiribus & meritis posse implere legem. Quare Iesus remittit ipsum ad faciẽdam legem seu Decalogum, qui est epitome totius legis,ut re ipsa comperiat imbecillitatem uiriũ suarum, & humilietur, ac uirtute legis occidatur. Prædicatio enim Decalogi pertinet ad securos carne,& ignaros suę corruptionis, ut sentientes suam imbecillitatẽ & impietatẽ,agnoscant iram Dei,& damnationem suam:nõ quo in hac agnitione pereant, sed quo excitẽtur ad quærendam eam salutis uiam, quæ est in benedicto semine Abrahæ, hoc est, in Iesu Christo proposita. Nicodemus autẽ,etsi professione sua Pharisæus e-

erat,

rat, tamen quia tam ſollicitè interrogat Ieſum de uera ratione ingrediendi in regnũ Dei, apparet eum iam antè ſenſiſſe, quòd non poſſit legi ſatis facere, & fuiſſe contrito atq; humiliato corde propter peccatum. Quare Ieſus remittit eum ad audiendũ Euangelion de remiſsione peccatorum. Prædicatio enim Euangelij de peccatorũ remiſsione in Chriſto, conuenit afflictis conſcientijs, & humiliatis animis, ut erigantur fide, & concipiant uerã ac cœleſtem conſolationem. Euangelion, inquit Paulus, eſt potentia Dei ad ſalutẽ omni credenti. & aliàs uocat prædicationẽ Euãgelij de Chriſto, miniſterĩ reconciliationis: Omnia, inquiẽs, ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtũ, deditq; nobis miniſterĩ reconciliationis. Cum igitur tentamur iudicio peccati, & condemnamur in cõſcientia propter peccatũ, ac incipimus ardere ignibus inferni, audiendũ eſt Euangelion de expiatione peccatorum, quam habemus in Ieſu Chriſto: & reuocandus eſt in memoriam baptiſmus, quo ſanctificati ſumus in membra Chriſti, ut fide confirmati, uincamus iudicium peccati, & euadamus ex doloribus inferni ad cœleſte gaudiũ, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen. 2. Cor. 5.

HOMILIA XXVI.

EXPÓSVI uerba Chriſti, quibus docuit nõ tam Nicodemum, quàm uniuerſam Eccleſiam, quòd ad ingrediendum in regnum Dei, neceſſaria ſit noua generatio, non quidẽ è carnalibus parentibus, ſed ex aqua & ſpiritu: exponam nunc cauſam, qua Chriſtus neceſsitatem nouæ generationis perſpicuè oſtendit. Quid enim, dicet quiſpiam? An non hic uetus homo, quem ex diuina creatione à parentibus noſtris accepimus, ſatis idoneus eſt ad ingrediendum in regnum Dei? Etſi enim corpus non eſt adeò robuſtum, præſertim in tenera ætate, anima tamen ratione prædita eſt: & progrediente ætate, tanta fit perſpicacia humanæ mentis, ut non terrena tantum, ſed etiam cœleſtia perſcrutetur, & diuinas res contempletur. Quid ergo opus eſt generatione noui hominis, cum uetus ille homo ad ingrediendũ in regnum Dei ſufficiat? Reſpondet Chriſtus, & exponit cauſam, propter quam neceſſaria eſt noua generatio. Quod natum eſt, inquiens, ex carne, caro eſt: & quod natũ eſt « ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Hæc eſt una è præcipuis ſententijs totius ſacræ « ſcripturæ. Quare diligenter eſt expendenda. Primùm autem omnium conſideranda eſt phraſis ſermonis. In hoc enim dicto, Quod natum eſt ex carne, caro eſt, nomine Carnis intelligi debet homo carnalis. Nã ſolenne eſt iuxta Hebrææ phraſin, ut cum caro opponitur ſpiritui, ſeu ſpirituali homini, per carnem intelligatur nõ tantum corpus, ſed etiam anima hominis, adeoq; totus homo cum omnibus ſuis naturalibus uiribus, tam corpore quàm animo. Nõ permanebit, inquit, ſpiritus meus in homine inæternũ, quia caro eſt, hoc eſt, totus carnalis. & Eſaias: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatũ eſt fœnũ, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Hic per omnem carnem & gloriam eius, quæ flatu ſpiritus exiccatur, intelligendus eſt

De nouæ generationis neceßitate.

Carnis nomine quid intelligatur.

omnis homo carnalis,& omnes uires corporis & animæ,quę uidentur aliquam gloriam in hoc mũdo habere, & tamen coram Deo ad parandam ſalutẽ prorſus nihil ualent. huc etiam facit, quod Paulus ait: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum,& ſpiritus aduerſus carnem. quod aliàs dicit:Lex ſpiritualis eſt, at ego carnalis ſum,uẽditus ſub peccatũ. Quare cum Chriſtus hoc loco ait, Quod natum eſt ex carne,caro eſt:idẽ eſt, ac ſi dixiſſet, Quod natum eſt ex homine carnali, eſt homo carnalis: ſeu quod natũ eſt ex ueteri Adamo,eſt uetus Adã. Qualis, inquit Paulus, terrenus ille,tales & hi qui terreni ſunt. Videndum igitur erit,qualis ſit Adã ille uetus, terrenus & carnalis, ut cognoſcamus etiã, quales ſint hi qui naſcuntur ex ipſo. Nam Adam creatus quidẽ eſt initiò iuſtus,ſapiens,fœlix,beatus,immortalis,adeóque planè diuinus.Faciamus,inquit Deus,hominẽ ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Cum enim homo conſtet diuina creatione ex corpore & anima:quod ad corpus attinet,tãta fuit firmitate & ſoliditate conditũ,ut in ipſum nec morbus, nec ſenectus,nec mors,nec corruptio ullũ ius habuerit. Quod autẽ ad animã(cuius præcipuæ uirtutes ſunt, ratio & uoluntas)attinet, in ratione fuit ſumma diuinarum & humanarum rerum intelligentia, & ſapiẽtia: in uoluntate uerò fuit ſumma cupiditas,promptitudo & alacritas obſequẽdi & perficiendi,quæ ratio perficienda cognouit. Ac breuiter,ſpiritus Dei hominem ita gubernabat,ut totus eſſet iuſtus, ſanctus,ſapiens, imortalis,fœlix & beatus. Nulla hic erat iniuſtitia, nulla impietas,nulla mors,nullus infernus,imò ne quidem & inferni timor. Quòd ſi Adã non peccaſſet, certè quotquot ex ipſo nati eſſent, hi retuliſſent etiam ſecum hanc iuſticiam ac fœlicitatem. Nunc autem Adam à Satana ſeductus,nõ conſtitit in ea iuſticia & beatitate, in qua à Deo creatus eſt: ſed auertit ſe à uerbo Dei,& peccauit aduerſus Deũ. Itaq; factum eſt,ut recedente ſpiritu ſancto propter peccatum, ſuſceperit imperium in Adamum ſpiritus Satanæ,& corruptus ac deprauatus ſit Adam tam corpore,quàm anima. Primùm enim, corpus Adami arreptũ fuit morte et interitu. Tametſi enim Adam nõ corruit repentina morte ſecundum externam ſpeciẽ,ſed uidebatur adhuc ſpirare & uiuere etiam poſt peccatũ:tamen hoc uiuere nihil aliud erat, quàm continenter animam agere & efflare. Nam tot periculorũ generibus, tot caſibus,tot morbis obnoxium eſſe,& quouis momento imminentem mortẽ expectare,nec poſſe morti,cũ aduenerit, ullis uiribus obſiſtere, ac nihil certius eſſe, quàm mortem ad opprimendũ hominem imminere, quid obſecro aliud eſt, quàm ſine intermiſsione mori? Cum igitur hæc omnia inuaſerint Adamum propter peccatũ,manifeſtum eſt,quòd Adam ſtatim poſt peccatũ mori incœperit. Deinde anima Adami amiſſo ſpiritu ſancto ita corrupta eſt, ut ne in præſtantiſsimis quidem uiribus ſuis aliquid recti aut ſynceri retinuerit. Quam enim ratio ſeu mens habebat diuinarũ rerum cognitionem, & quam uolũtas habebat cupiditatem ad ueram & perfectam iuſticiã, eam Adam ablato ſpiritu ſancto prorſus amiſit. Etſi enim poſt peccatum relicta eſt quædam cognitio diuinarum rerum in mente, uidelicet quòd ſit Deus, quòd Deus ſit iuſtus & ſapiens, quòd

Adam uetus, qualis ſit.

Deus

Deus administret hũc mundum, quòd Deus conseruaturus sit bonos, & puniturus malos, & id genus alia, relicta est etiã quædam ad honesta tem cupiditas in uoluntate: tamẽ quemadmodũ uita corporis post pec catũ in Adamo relicta, non erat propriè uera uita, propterea quòd non potuerit morti obsistere, sed necesse habuerit, accedẽte morte, corrue-re: ita cognitio diuinarũ rerum, & cupiditas honestatis in Adamo post peccatũ relicta, ut non fuerunt perfecta & integra, ita nõ potuerunt in ueris tentationibus, & in iudicio Dei cõstare. Nã coortis aduersis, & re uelata ira Dei, statim erupit impietas mẽtis & uolũtatis, ut illa impudẽ ter dixerit, Deũ aut nõ esse, aut esse crudelissimũ & iniustissimum: hæc autem nõ nisi pessima & fœdissima sit meditata. Cum Deus reprehen-deret Adamũ, ꝙ peccasset, respondet: Mulier, quam dedisti mihi soci-am, dedit mihi de ligno, & comedi. Hoc certè est peccati causam in Do-minũ reiicere, & Deum peccati arguere, adeoq́ iudicare ipsum esse ini-quissimũ, ꝙ tãta seueritate in id peccatũ animaduertat: cuius ipse, quia talem sociã dederit, prẽcipuus autor sit. Et cũ postea Cain occidisset A-belẽ, quid potuisset ei deprauata mens aliud subiicere, quàm Deum uel non esse, uel non curare res humanas? Habes qualis factus sit Adã pro-pter peccatum, nimirum mortalis, carnalis, impius, iniustus & damna-tus. Fieri autem non potest, ut putris arbor bonos fructus faciat, & ut colligant de spinis uuam, aut de tribulis ficus. Quare manifestum est, ꝙ omnes homines, qui ex Adam nascũtur, tales fiant, qualis ipse propter peccatũ factus est: uidelicet mortales, carnales, impij, iniusti & damna-ti. Et quemadmodũ Adam post peccatũ, nihil prorsus nec in corpore nec in anima habuit, propter quod, aut cuius uiribus potuisset reuoca-re amissam suã maiestatẽ: ita nullus hominũ ex Adamo natus, affert se-cum in hũc mundum, uel habet in se quicquam, propter quod queat in regnũ Dei ingredi. In corpore quidem sunt, fortitudo, uenustas, longi-tudo & crassities: sed etiamsi omnes homines in unum cõferant omnia hęc corporalia bona, tamẽ nõ possunt horum uiribus morti obsistere, & regnum Dei accipere. Magnus ille Alexander Macedo (cur autem non liceret nobis publicã illius mentionem in Ecclesia facere, cũ & Da-niel de eo uaticinatus sit, & nõnulla ipse beneficia populo Dei prẽstite-rit?) postq́ consecutus esset summam in terris potentiam, & haberet in manu sua uires totius penè orbis terræ, uoluit etiã cœlum inuadere, ac regnum Dei ingredi. Vulgabat enim se esse summi Dei filium, & exige-bat publicis edictis, ut ipse decerneretur & haberetur Deus. Hoc certè est conari in cœlũ ascendere, & regnũ Dei inuadere. Sed hanc hominis insaniam nõ riserunt tantũ sapientes, uerum etiam ipse, sagitta ictus, & cruore suo perfusus, uanitatẽ opinionis suæ confessus est, cũ accurren-tes amicos interrogaret, num & dij sanguinem haberent. Caligula Ro-manorum imperator, cogitans se potẽtia sua excessisse fastigium prin-cipum & regum, asseruit sibi ex eo diuinam maiestatem. Nam cum ad ipsum tanquam ad supremum caput uires totius orbis terræ collatę ui-derentur, existimauit potentiam suam tantã esse, ut etiam in cœlum as-cendere, & regnum Dei accipere queat. Sed qui sibi Deus uidebatur,

Ex Adam nati quales sint.

Corporis humani impotentia erga mortem.

Alexandri Magni insania.

Lacedæmonij decreuerunt, ἐπειδὴ ἀλέξαν δρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἐστω θεός.

Caligulæ impudentia.

ac se

ac ſe iam regnũ Dei tenere putabat, is paulo pòſt neceſſe habuit percuſ ſoribus ceruicẽ dare, & fœda morte perire. Quare tantũ abeſt ut impius uir potentia ſua in regnũ Dei intrauerit, ut potius ad infernũ deſcenderit, & in regnũ Satanæ peruenerit. Habes corporis & potentiæ eius uanitatẽ. Nunc uide mihi animam. Hæc etſi habet mentem, qua intelligit non humana tantũ, ſed & diuina, habet & uoluntatem, qua appetit honeſta: tamẽ ut hæc intelligẽtia & appetitus ſunt imperfecta, ita in tentationibus & aduerſis facilè excutiuntur, & redeũt tam mens, q̃ uoluntas ad naturã ſuã, hoc eſt, ad impietatẽ, & ad ſeruitutẽ Satanæ, cui propter peccatũ ſunt obnoxia. Per unius, inquit Paulus, delictũ, propagatum eſt malũ in omnes homines ad condemnationem. & poſtea: Affectus carnis, hoc eſt, nõ tantum appetitionis ſenſitiuę, ſed rationis ac uoluntatis, inimicitia eſt aduerſus Deum. Nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. ac paulo antè: Scio q̃ non habitet in me, hoc eſt, in carne mea (quę cõplectitur rationem & uoluntatẽ) bonum. Quare perſpicuũ eſt, q̃ ut Adam factus eſt propter peccatum caro, hoc eſt, totus carnalis, impius & dãnatus: ita oẽs homines ex Adamo nati, ſint caro, hoc eſt, toti carnales, impĳ & damnati, nec quicquam in ſe natura ſua habeant, quo poſsint in cœlum aſcẽdere, & in regnum Dei intrare. Percurramus nunc hominũ genera, ut manifeſtè uideamus, in quos homines nomẽ Carnis cõpetat: & qui, cum caro ſint, in regnũ Dei ingredi non queant. Vnum hominũ genus eſt, quos uocarũt Ethnicos. Hi etſi quædã ſapientiſsimè de diuina maieſtate excogitarunt & diſſeruerunt, ac honeſtiſsimis uirtutibus operã dederunt: tamẽ quia nati fuerunt ex carne, & non fuerunt renati ex ſpiritu, ſentiendum eſt, q̃ nõ fuerint, niſi CARO, nec potuerint uel ſapientia, uel uirtutibus ſuis ingredi in regnũ Dei. Aliud genus hominum eſt, quos uocant Iudæos (loquimur autem nunc de ĳs Iudæis, non qui quondã fuerũt electus Dei populus, ſed *qui* ſunt ab hęreditate cœleſtiũ bonorum abiecti, & uagantur modò incertis ſedibus) hi tractãt adhuc ſacram ſcripturã, loquuntur reuerenter de Deo, recitant pſalmos Dauidicos, ut uideantur Deũ inuocare, faciunt quædã ſacra Moſaica, & ſectantur etiã pro ſua uirili præſcripta Decalogi: ſed quia nati ſunt ex carne, nec renati ſunt ex ſpiritu, idcirco, quemadmodũ ipſi non ſunt niſi CARO, ita omnis ipſorũ iuſticia nõ eſt niſi CARO, nec poſſunt uirtute huius iuſticię intrare in regnũ Dei. Eſt & aliud hominum genus, quos Saracenos & Turcas uocant. Hi mirificè prædicant unum Deũ, creatorem cœli & terræ, & magnis laudibus commendant clementiam & miſericordiã eius, habent etiã ſuas precationes & eleemoſynas, atq̃ multa alia id genus bona opera: ſed quia nati tantum ſunt ex carne, non ex ſpiritu, ut ſunt ipſi CARO, ita tota eorum religio, & quicquid bonorum operum fecerint, CARO eſt, nec poſſunt per ſuam religionem & opera intrare in regnum Dei. Sunt & Chriſtiani, quod hominum genus partiemur in tres ordines. Alĳ enim ſunt hypocritæ, qui ſectantur tantum ſpeciem Chriſtianiſmi, & confidunt, ſe meritis ſuæ iuſtitiæ conſecuturos ſalutem. Hi putant ſe inuocare uerum Deum, uidentur etiam credere in Chriſtum filium Dei, ſumunt ſacramenta

Mentis humanæ impotẽtia.

Hominum genera uaria.

Iudæi.

Turcæ.

Chriſtianorũ ordines.

cramenta Christianismi, recitant pias precationes, dant pauperibus eleemosynã, & non faciunt tantum uulgaria, uerumetiam instituunt sibi multa peculiaria sacra. Et tamẽ quia nati sunt ex carne, nec sunt renati ex spiritu, sunt tam ipsi quàm omnia eorũ sacra, CARO, nec possunt horum meritis ingredi in regnum Dei: sed audiũt tandem, Nunquã noui uos, discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Alij sunt scelerati, qui gestant tantum nomen Christianorum, sed obediunt peccato, ducunt inhonestam uitam, & sectantur scelera pro sua libidine. Manifestum autẽ est, hos, siue sint inter Christianos, siue inter Iudæos, siue inter Turcas, carnẽ esse, & Deo non placere, nec posse sceleribus suis intrare in regnum Dei. Alij sunt pij, qui non tantum uocantur Christiani, sed etiam uerè credunt in Christum. Hi etsi sunt spirituales, quòd ex spiritu renati sint, quemadmodum mox sequitur: tamẽ quatenus sunt nati ex carne, & remanent in ipsis, etiam post renascentiam, reliquię carnis, dicuntur & ipsi ea parte CARO. Sed quia hæc caro mortificatur per spiritum, ex quo renati sunt, idcirco hi soli possunt intrare in regnũ Dei. Quod autem de pijs Christianis dicimus, hoc idem intelligendum est de pijs patriarchis, & omnibus ijs qui ante natum Christum, crediderunt in Christum diuinitùs promissum. Quanquam enim & hi fuerint spirituales, tamen fuerunt etiam CARO, propter reliquias carnis, quæ post renascentiam in ipsis remanserunt: mortificatæ autem sunt, & expurgatæ per spiritum, ex quo renati, intrauerunt in regnum Dei. Breuiter, omnes homines ex Adamo nati, sunt CARO, tam corpore quàm anima. Non enim habent quicquam uirium natura sua uel in corpore uel in anima, quo tantum bonum facere possint, ut regnum Dei cõsequantur. Dominus, inquit Psalmus, de cœlo prospexit super filios hominũ, si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nõ est usq; ad unum. & iterũ: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuẽs. Quare, cum omnes homines in carne nati, sint caro, & natura sua nec rectè intelligant, nec constanter requirant Deũ, nec iustificentur corã Deo: perspicuũ est, quòd ad ingrediendũ in regnũ Dei necessaria sit noua generatio. Atq; hæc quidẽ de eo quod Christus ait, Quod natum est ex carne, caro est, dicta sint. Nunc ostendamus etiam, quid illud sit, quod sequitur, uidelicet: Quod natũ est ex spiritu, spiritus est. Nam quemadmodum in illo priori dicto, per Carnẽ intelligitur carnalis homo: ita & nũc per Spiritum intelligendus est homo spiritualis. Deinde, sicut est unus tantum carnalis homo, quem uocamus Adamũ, ex quo omnes alij homines, qui sunt posteri eius, nascuntur carnales: ita est unus tantum homo spiritualis, qui est Iesus Christus Dñs noster, ex quo, seu ex cuius spiritu omnes alij homines, qui sunt posteri ipsius, nimirum credentes in ipsum, nascũtur spirituales. Primus homo, inquit Paulus, de terra terrenus: secundus homo, ipse Dñs de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni sunt: & qualis ille cœlestis, tales & hi qui cœlestes sunt. ac rursus: Sicut per unius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationẽ, ita per unius iustificationẽ propagatur bonum

Pij sunt etiam aliqua ex parte caro.

Omnes homines caro sunt.

Spiritus nomine quid intelligatur.

num in omnes homines ad iuſtificationẽ uitę. Quare cũ dicitur, Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, hic eſt ſenſus eius: Qui naſcitur ex Ieſu Chriſto, aut ex ſpiritu eius, hic eſt ſpiritus, ſeu ſpiritualis homo, qui et ſolus poteſt intrare in regnum Dei. Cæterùm, cum in hoc loco homo dicitur ſpiritus, ſeu ſpiritualis, nõ eſt ſentiendum, cp in regeneratione ſpirituali corpus mutetur in ſpiritũ. Corpus enim hominis idem manet corpus, quod antè erat: nec eſt exiſtimandũ, cp anima hominis fiat tota mũda, pura, ſancta & ſpiritualis. Eadem enim anima cũ ratione & uoluntate, hoc eſt, impietate ſua manet, quę fuit antea: ſed in regeneratione creatur in homine per ſpiritum ſanctum nouus motus, qui eſt FIDES in Ieſum Chriſtũ. Per fidem autem accipit homo Chriſtũ, & fit membrum Chriſti. Cum uerò Chriſtus inhabitat in homine, primùm quidẽ reputatur homo corã Deo iuſtus, & adoptatur in filiũ ac herædem Dei propter Chriſtũ: deinde ſpiritus Chriſti in homine incipit mortificare carnem, hoc eſt, nõ ſolum craſsiores carnis affectus, ſed etiam naturalẽ impietatẽ humanæ rationis & uoluntatis. Etſi enim humana ratio intelligit quædam de rebus diuinis, & uoluntas nititur ad quaſdam honeſtas uirtutes, quemadmodũ ſuprà diximus: tamen ſub his latet naturalis impietas, quę & tum in lucẽ prodit, cũ uel occaſionem per tentationes aut afflictiones cõſequitur, uel iudicio Dei excitatur. Cum hac igitur impietate, quæ durat in carne uſcp ad mortẽ, ſemper pugnat ſpiritus Chriſti, & mortificat eam, ne regnet in homine renato. unde & Paulus monet: Spiritu, inquiens, ambulate, & concupiſcentiã carnis nõ perficietis. Nã caro concupiſcit aduerſus ſpiritũ, & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc autem inter ſe mutuò aduerſantur, ut non quęcunq; uolueritis, eadẽ facia tis: hoc eſt, etſi ſpiritus Chriſti cupit magno deſiderio in uobis renatis facere perfectã iuſticiam, tamẽ quia inuenit in carne ueſtra naturalẽ impietatẽ & rebellionem, pugnat quidẽ cum ea, & uincit eam, non poteſt autẽ eam in hac mortali uita prorſus è carne euellere. Itaq; fit, ut iuſticia non ſit perfecta. Pręterea ſpiritus Chriſti in homine renato, non ſolum mortificat carnẽ, ne impietas eius regnet: ſed etiam profert fructum bonorum operũ, quæ Deus uerbo ſuo exigit. Hæc opera etſi ſunt imperfecta, propter impietatẽ carnis, de qua modò dictũ eſt: tamẽ ſunt Deo grata & accepta propter Chriſtum, è cuius ſpiritu proferuntur. monet nos etiã de hac re Paulus: Mortificate, inquiens, membra ueſtra terreſtria, & ſitis induti tanq; electi Dei, uiſcera miſerationũ, comitatẽ, modeſtiam, manſuetudinem, lenitatem. Poſtremò ſpiritus Chriſti conſeruat credentẽ in morte, & excitabit quoq; corpus eius à morte, ut in perfecta iuſticia perpetuò ac fœliciſsimè cũ Chriſto Dño ſuo uiuat. Si ſpiritus eius (inquit Apoſtolus) qui excitauit Ieſum à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Chriſtũ ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora ueſtra propter ipſius ſpiritũ inhabitantẽ in uobis. Habes quomodo homo fiat ſpiritus, & quis ſit effectus ſpiritualis regenerationis. Magnę autem cauſæ ſunt, quæ nos monent, ut ſpiritualem regenerationem diligenter cognoſcamus. Sapientes huius ſeculi exiſtimant hominẽ natura ſua habere ſemina pietatis, ex quibus poſsit ad tantas uirtutes excreſ-

Spiritualis homo quis dicatur.

Gal. 5.

cere

cere,ut ingrediatur in regnū Dei. Vulgus etiā hominū optare in morbis præsertim capitis solet, ut Deus cōseruet rationē & sensus ipsorum externos. Putant enim se ad consequendā salutem sufficiētia habere bona,si modò ratio & sensus salua sint: in uera autē doctrina de spirituali regeneratione perspicuè traditur, quòd ratio interna,& sensus externi pertineant ad ueterē & carnalē hominē, qui cum nō possit intrare in regnum Dei, necessarius est nouus & spiritualis homo, qui ex spiritu per Euāgelion Christi regeneratur. Quare etsi ratio & sensus hominis sunt dona Dei,& habent suum usum, tamē in consequenda uera salute nihil ualent: ideoq; nō est hoc prȩcipuè agendum, ut ea tueamur, sed ut spiritū Christi, si non habemus, per Euāgelion fide accipiamus: aut si habemus, per fidē conseruemus, quo carnis, hoc est, rationis impietas mortificetur. Hic enim solus regenerat nos nouos homines, ut ingrediamur in regnū Dei. Sunt & alij, qui nec de hominibus, nec de operibus spiritualibus rectè iudicant. Sentiūt enim, eos homines propriè dici spirituales, qui in eremo uitā agentes, toti dediti sunt contēplationibus, ut ipsi loquuntur,& uictitant tantū herbis. Sic & ea tantū opera uocāt spiritualia, quę exercētur uel cantandis psalmis, uel recitādis precationibus, uel dandis eleemosynis. In uera autem doctrina de spirituali regeneratione haud obscurè explicatur, q; is uerè dicatur homo spiritualis, qui est per Euangelion Christi renatus ex spiritu sancto, & factus est membrum Christi per fidē, siue habitet in eremo, siue in politeía hominum: ac siue uescatur radicibus, siue carnibus aut piscibus. Ac de operibus quoq; docetur, q; ea dicantur uerè spiritualia, quæ fiunt ex fide in Iesum Christū: hoc est, quæ sic fiūt, ut homo primùm quidē renatus sit ex spiritu,& credat q; Deus receperit ipsum in gratiā,& adoptauerit in filiū ac hęredē bonorū suorū, ex mera gratia & misericordia, tantū propter Iesum Christum filium suum. Deinde autem faciat opera, quæ Deus prȩcepit & ordinauit, nō ut meritis horū expiet peccata: sed ut declaret se gratū erga Deū,& obediat diuinæ ordinationi. Hęc sunt uerè opera spiritualia, quantumuis corporalia (exempli gratia, arare, triturare, opificiū exercere, domū purgare & id genus alia) uideātur. Huc accedunt & alij, qui cum audiunt doctrinā libertatis in Christianismo, existimant Christianismū esse ignauiam, & genus uiuendi pro sua libidine: sed in uera doctrina de spirituali regeneratione manifestè exiguntur nō noui tantū motus cordis: sed etiā noua, hoc est, bona opera hominis, ut nō præbeamus mēbra nostra serua immūdiciei & iniquitati, sed serua iustitiæ ad sanctificationē. Quare tota mente incumbendū est in hāc curam, ut & uerā cognitionē de spirituali regeneratione habeamus, & spiritui in regeneratione nobis exhibito diligentissimè obsequamur. Sed hæc de dicto Christi, Quod natū est ex carne, caro est: & quod natū est ex spiritu, spiritus est, hactenus. perstringamus nunc quod in responso Christi sequitur: Ne mireris, inquit, q; dixi tibi, Oportet uos nasci denuò. Spiritus ubi uult spirat,& uocem eius audis, sed nescis unde ueniat, & quò uadat: sic est omnis, qui natus est è spiritu. Similitudo à uēto (in hac em̄ locutione, spiritus pro uento accipiendus est) sumpta, qua Christus refutat

Spiritualia opera quæ dicantur.

futat ineptã opinionem & admirationẽ Nicodemi de regeneratione.

Non iuxta externum sensum iudicandum de renascentia spirituali.

Nicodemus enim admiratur, quomodo fieri possit, ut homo regeneretur, cũ non uideatur regeneratio: & quia regeneratio nõ est expositа corporalibus oculis, existimat eam nullã esse. Quid autẽ hac sententia ineptius? quid ea stultius aut puerilius? Multa enim non percipiuntur corporalibus oculis, nec uidentur, quæ tamen uerè sunt, aut fiunt. Quis unq̃ uidit Deũ? & tamen Deus uerè est. Etsi enim nõ cernitur sua natura, cernitur tamẽ, ꝙ uerè sit: non solũ ex unigenito filio suo, sed etiã ex ipsa harum rerũ, quas uidemus, magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulchritudine, temperatione. Sunt & angeli, qui nec ipsi conspiciuntur corporalibus oculis: & tamẽ ex reuelationibus & operibus eorũ manifestũ est eos esse. Quid dicemus de anima humana? quis obsecro unquã uidit eã oculis suis? Sed quis tantæ est impudentiæ aut temeritatis, qui cum uideat tot manifestas uitæ actiones in homine, negare audeat, animã esse? Hæc de spiritibus. Sumamus etiã exẽpla de corporibus. Ventũ esse, notius est, q̃ ut probari debeat: nullus tamen unq̃ uidit uentũ, sed audit tantũ sonum ac tumultũ eius. Accedit huc et fulmen, quod deiicitur è supernis, & prosternit omnia quæ contigerit: sed neq̃ cum uenit, neq̃ cum ferit, neq̃ cũ abit, uidetur. His exemplis perspicuũ est, nihil esse imprudentius & magis puerile, quàm existimare rem aliquã non esse, aut non fieri, quod corporalibus oculis non uideatur. Ac licuisset quidem Christo Domino nostro pluribus exẽplis uanam opinionẽ Nicodemi refutare, sed placuit ei exemplũ de uento. Ne mireris, inquit, ꝙ dixi tibi, oportet uos nasci denuò: hoc est, Tu miraris, & suauiter tecũ rides, ꝙ concionatus tibi sim de spirituali generatione. Cum enim nõ uideas eam corporalibus oculis, credis uanissimas esse nugas, quęcunq̃ de ea prędicantur. Sed heus tu, si ita tibi constitutum est, ut sentias ea nugas esse, quæ nõ uideas, profectò nec uentũ aliquid esse dices. Quis enim unq̃ uentũ uidit? sed quemadmodum uentus reipsa uerè est, & perflat, quò natura sua fertur, nõ tamẽ uides eum, nec cum uenit, nec cum abit, sed tantũ audis sonum & agitationẽ eius: ita cum quouis accidere solet, qui è spiritu nascitur. In nullo enim homine percipitur spiritualis generatio corporalibus oculis. Nã in hac generatione nec corpus nec anima uidetur mutari. Corpus infantis, qui per baptismum renascitur & inseritur Christo, idẽ uidetur post baptismũ, quod antè erat. Anima infantis nihil prudentius se gerit in infantili ętate post baptismũ, q̃ antè. Similiter dicendũ est de adultis renascẽtibus. Corpus eorum nec fit uenustius, nec robustius, nec iuuenilius ex renascentia. Anima eorum retinet in ratione latentem impietatẽ, & subinde sese data occasione exserentem, in uolũtate autem retinet rebellionem aduersus legem Dei. Quid ꝙ etiam crassiores uires in homine suos adhuc seruant affectus? Creãtur quidẽ noui motus cordis in homine, quibus impietas & rebellio ueteris hominis compescuntur: & quantũ in hac mortali uita fieri potest, opprimũtur, ac proferuntur noui fructus renascentię tam in animo corã Deo, quàm in bonis operibus coram hominibus. Quemadmodum autem nec uẽtum uides, ut maximè sonum

Deus, angelus, anima sunt, etsi non uidentur.

Ventus est, etsi non uidetur.

Xenophon: Καὶ ἄνεμοι δὲ τοὶ μὲν ἐχόρωνται, ἃ δ' ποιοῦσιν, φανερὰ ἡμῖν ἐστι, λιὰ προσιόντων δὲ τῶν ἀιδάνομεθα.

eius

eius audias, ita nec uides ſpiritualẽ regenerationem, quãuis uim & effectum eius percipias. Quare nõ eſt iudicandum de rebus ſecundum externũ ſenſum, ſed ſecundum ueritatem: ac enitendum & elaborandum eſt, ut etſi non uidemus nobis illabi ſpiritum ſanctũ per Euangelion & ſacramenta eius, tamẽ audiamus & cognoſcamus Euangelion diligentiſsimè, & ſumamus ſacramenta eius obedientiſsimè, quo ſpiritus ſanctus habeat in nobis organa diuinitùs ordinata exercendæ uirtutis ſuę, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXVII.

ABSOLVIMVS unam partem diſputationis, quam Ieſus Chriſtus Dñs noſter cum Nicodemo, de uia ac modo ingrediẽdi in regnũ Dei ſuſcepit. Docuit enim Chriſtus, quòd cũ uetus homo ſit caro, quę non poſsit ingredi in regnum Dei, neceſſariũ ſit, ut homo renaſcatur è ſpiritu ſancto per Euangelion ſpiritualis. Præterea expoſuit exemplo uenti, quòd etſi renaſcentia ſpiritualis non percipitur oculis corporalibus, re tamen ipſa uirtute ſpiritus ſancti in homine ita fiat, ut manifeſto effectu deprehendatur. Sequitur nunc altera huius diſputationis pars, quæ eſt perpetua concio, in qua Chriſtus initiò grauiter reprehendit imperitiam & inſcitiam Nicodemi: deinde recitat epitomẽ & compendium totius Euangelij, per quod renaſcimur, & in regnũ Dei ingredimur. reſpondit enim Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc “ fieri? reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es magiſter Iſraelis, & hæc ignoras? “ Amen amen dico tibi, quod ſcimus loquimur, & quod uidimus, teſta- “ mur, & teſtimoniũ noſtrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non “ creditis: quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credetis? Hæc eſt increpa- “ tio, qua Chriſtus inuehitur nõ in Nicodemũ tantum, ſed etiã in totum phariſaicũ ordinẽ. & hic eſt ſenſus eius: Expoſui tibi perſpicuè uerã rationem ſpiritualis regenerationis, & ſperaui te, qui es præcipuus Rabbinus & doctor inter Iudæos, meã doctrinam facile percepturum: ſed uideo te prorſus nihil harũ rerum intelligere. Quæ igitur eſt illa tãta tanti doctoris inſcitia? quid diſcipuli ſcient, cũ tanta ſit præceptoris ignorantia? Sed hæc tibi communis eſt cũ aliis Phariſæis. Vos enim Phariſæi, inflati ueſtra illa carnali ſapientia & ſciẽtia, putatis uos ſolos omnẽ humanarũ & diuinarum rerũ cognitionem habere. Quare contemnitis meas, & Ioãnis baptiſtę conciones. Sed interim reipſa comperimus, tantam eſſe imperitiam & cæcitatem ueſtram, ut etſi loquimur & concionamur certiſsima, ac maximè conſpicua, quale eſt exemplum illud quod iam de uento dixi, non tamen intelligatis ea. Si ergo tanta eſt inſci- *Sapientia carnalis cæca.*
tia ueſtra, ut hęc terrena, hoc eſt, manifeſta, uulgaria, & communi hominum ſenſui expoſita, non intelligatis: quomodo intelligeretis cœleſtia, hoc eſt, altiora, diuiniora, ac ſenſibus minimè perceptibilia? Hęc reprehenſio debet omnes ſapiẽtes & doctos huius ſeculi excitare, ut magna cura ſectentur doctrinã Euangelij Chriſti. Etſi enim ornati ſunt multa humanarum rerum ſapientia, & excellunt in omni genere doctrinæ: ta-

men nec humana ratio, nec humanarum artiũ cognitio, poſſunt ducere hominẽ ad conſequendam ueram diuinarum rerum ſcientiam, & cœleſtem ſalutem. Perdã, inquit, ſapientiam ſapientum, & intelligentiam intelligentiũ reiiciam. & Paulus: Animalis, inquit, homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Agit & Chriſtus Deo patri ſuo gratias, q̃ abſcõderit myſteria regni Dei à ſapientibus & prudẽtibus, & reuelarit ea paruulis. Quid ergo? abiiciendum ne erit omne humanæ ſapientię ſtudiũ, & ſectanda ſtultitia? Nihil uerò minus. In rebus huius ſeculi ſtudium humanæ ſapientiæ ſuam habet laudẽ & uſum, ſed in aſſequenda diuina ſapiẽtia & cœleſti ſalute, clarè docet Paulus: Si quis, inquiens, ſibi uidetur ſapiẽs eſſe inter uos, in ſeculo hoc, ſtultus fiat, ut reddatur ſapiens. Quid autẽ faciat, ut ſtultus fiat? num circuncurſitet in plateis larua obtectus? aut incedat tintinabulis & claua inſtructus, quo modo principes ſolẽt moriones ſuos ornare? Non eſt hic ſermo de hac ſeu inſana ſeu puerili ſtultia: ſed de ea, quæ etſi uidetur prudentibus huius ſeculi ſtulticia coram Deo, tamẽ magna eſt ſapientia. Stultitia enim uidetur, q̃ ſapiens uir nõ confidat ſua ratione, ſed abneget eam: q̃ doctus uir audiat concionem Euangelij ab hominibus imperitis, q̃ princeps & potens in hoc ſeculo ſectetur doctrinã abiectorum et miſerorum hominum, quales uidebantur Chriſtus & Apoſtoli eius: & tamẽ hæc ſtultitia, ſumma eſt ſapientia. Nam ad conſequandã ueram diuinarum rerum cognitionem & cœleſtẽ ſalutem, neceſſarius eſt ſpiritus Dei. Spiritus autẽ Dei nõ poteſt concipi ex humana ratione, ſed datur diuinitùs per Euangelion de Ieſu Chriſto, quod uulgatũ eſt per apoſtolos, homines abiectos: & prædicatur per miniſtros Eccleſiæ, homines nulla potẽtia præditos. Quare neceſſaria eſt ſtultitia abnegandæ ſuæ ſapientiæ, & audiendi Euangelij ab hominibus in hoc ſeculo contemptis, ut cõſequaris uerã coram Deo ſapientiã & ſalutẽ. Sed de his hactenus. Deinde recitat Chriſtus Nicodemo Euãgelion illud, per quod ut noui homines regeneramur, ita etiam in regnũ Dei intramus: Nemo inquit aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filiũ hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternã. Hæc concio paucis quidem uerbis cõſtat, ſed continet in ſe maximum omnium thesaurum. Et eſt diligentiſsimè conſeruanda. Docet enim uerũ illud de Ieſu Chriſto Euãgelion, quod non ſolũ affert nobis iuſticiam corã Deo: ſed etiam patefacit nobis uiã ad euadenda omnia pericula mortis & inferni, & ad ingrediendũ in æternam uitã & regnum cœlorũ. Quod & tanto maiori cura eſt conſeruandũ, quanto minus ſalutis relictũ eſt in hoc terræ huius regno. Vides, quanta pericula nobis indies tã publicè, q̃ priuatim immineãt, ac nullus ſit in hac terra monarcha, qui nos poſſit in extremis periculis ſeruare & tueri. Cũ danda ſunt uectigalia, cum numerãda ſunt tributa, multos inuenias dominos, qui ea accipiant: ſed cũ in aduerſis eſt ſubueniendũ, cũ in rebus deſperatis eſt ſuccurrendũ, paucíſsimos, imò nullũ prorſus hominem in huius terræ regno inuenias, qui nos uerè ſeruare poſsit. Attollendi igitur ſunt oculi noſtri in regnum

Stultitia quo modo ſectanda.

gnum cœlorum, ut ex eo auxilium petamus. Quæ autem ſequitur concio, ducit nos rectà ad cœlum, & aperit nobis ianuam regni cœlorum. Quare omnis cura noſtra in hoc uerſetur, ut hanc concionem probè teneamus. Tu Nicodeme, inquit Chriſtus, hoc agis, ut aſcẽdas in cœlum, & intres in regnum Dei: audi ergo, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit, FILIVS HOMINIS, qui eſt in cœlo. Primùm uidendum erit, quis ſit filius ille hominis. Ac manifeſtum quidẽ eſt, quòd Meſsias ſeu Chriſtus, uocetur nomine FILIVS HOMINIS: ſed quamobrem ſic uocetur, alij alias cauſas recitant, de quibus in alio loco diximus. Videtur autem hoc cognomen ex Daniele acceptum. Daniel enim capite ſeptimo, de Meſsia ſcribens, uocat eum filium hominis: Aſpiciebam, inquiens, in uiſione noctis, & ecce cum nubibus cœli, quaſi filius hominis ueniebat, & uſq; ad antiquum dierum peruenit, & in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, et honorem, & regnũ, et omnes populi, tribus & linguæ ſeruient ipſi. Ex hoc Danielis loco, qui de Meſsia uaticinatur, apparet Meſsiam ſeu Chriſtum publica uoce inter Iudæos filium hominis dictum eſſe: quòd etſi antiquus dierum dat ei omnẽ poteſtatem, ipſe tamẽ uenturus ſit in hunc mundũ filius hominis, hoc eſt, pauper, abiectus & humilis. deinde, quòd ait, Qui eſt in cœlo: ſignificat Chriſtum eſſe uerum Deum, omnia gubernantẽ, & omnia cœleſtia bona, uidelicet ſapientiam, iuſticiam, omnipotentiam, & perpetuã fœlicitatẽ poſsidentẽ. adhæc cum dicit, Deſcendit è cœlo: ſignificat Chriſtum aſſumpſiſſe hominem, & ſuſcepiſſe omnes humanas infirmitates, præter peccatum. poſtremò, cum dicit, Aſcendit in cœlum: docet Chriſtũ ſedere ad dextram Dei, participare omnia cœleſtia bona, quæ ſunt iuſticia, uictoria mortis, reſurrectio à morte, omnipotẽtia, & ſempiterna beatitudo. Habes quid ſingula penè uocabula huius dicti ſignificẽt, nunc audi ſenſum: Nemo, inquit, aſcendit in cœlũ, niſi qui deſcendit, filius hominis, qui eſt in cœlo. hoc eſt, Nullus unquam hominũ in toto orbe terrarũ fuit iuſtus, ſanctus, beatus, particeps regni Dei & cœleſtium bonorũ, præter unum Meſsiam ſeu Chriſtum, qui eſt uerus Deus & uerus homo. Omnes enim alij homines fuerunt aut ſunt tantũ homines, quod genus, quid aliud eſt, quàm putredo & uermis, quemadmodũ Iob loquitur? Chriſtus autẽ non eſt tantũ homo, ſed etiã eſt Deus. Omnes itẽ alij homines ſunt in peccatis concepti & nati: Chriſtus autẽ eſt cõceptus de ſpiritu ſancto, natus ex uirgine, & tanta eſt iuſticia præditus, ut peccatũ non fecerit, nec ſit inuentus dolus in ore eius. Omnes alij homines ſunt obnoxij morti & inferno propter peccatũ: Chriſtus autẽ etſi ſuſcepit mortem & dolores inferni ad expiandũ peccatum, tamen non fuit natura ſua morti obnoxius, ſed eſt propter iuſticiã ſuam uictor mortis & inferni, ac Dñs cœli. Nemo igitur aſcendit in cœlum, nemo iuſtus, ſanctus, fœlix ac beatus eſt, niſi Ieſus Chriſtus, uerus Deus, & uerus homo. Quid ergo dicemus de patriarchis & alijs ſanctis? An'nõ & Enoch, & Elias aſcenderunt in cœlũ? an'non & Noe & Abraham, ac multi alij fuerunt iuſti, et conſecuti ſunt cœleſtem beatitudinẽ? de hac re mox cõcionatur Chriſtus, cum ait: Sicut Moſes exaltauit ſer-

Filius hominis quid ſit.

Chriſtus collatus cum alijs hominibus.

pentem in deserto, ita exaltari oportet filiũ hominis: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternã. Quam historiam Christus hoc loco meminit, scripta est in Num. cap. uigesimoprimo. Postq; enim Israelitæ, ab egressu ex Ægypto uagati essent aliquandiu in deserto, tædebat eos itineris, & afflictionis. itaq; inuehuntur in Mosen: Cur, inquiunt, eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in deserto? Hanc tantam ingratitudinem, insolentiam & impietatem Israelitarũ non uoluit Deus inultam ferre. Quare misit in exercitum ipsorum ignitos serpentes, qui quoscunq; apprehendebant, eos ita inficiebant, ut non longe pòst animam efflarent. Sed cum hoc malum latissimè grassaretur, Israelitæ pœnitentia ducti, impetrant per Mosen, ut Dominus placatus ostendat eis remediũ. Fac, inquiens, serpentem æneum, & pone eum pro signo. & addit promissionẽ: QVI PERCVSSVS ASPEXERIT EVM, VIVET. Itaq; factum est, ut quicunq; ab ignito serpente ictus, aspiceret æneũ serpentem, à Mose ex diuino mandato exaltatum, sanaretur. Hic initiò cõsidera mihi serpentem æneum. Afferebat enim aspicientibus sanitatem, certè nõ ex naturæ suæ potentia. Quid enim natura sua aliud erat, nisi æs? Vnde & rex Hiskia confregit eum postea, cum Israelitæ adolerent ei incensum: & uocauit eũ Nehusthan, hoc est, rem æneã, quasi qui per se nihil esset, nisi æs. Sed quòd afferebat sanitatẽ his qui aspiciebant ipsum, habebat ex diuina ordinatione & institutione, qua dictũ erat, Qui percussus aspexerit eũ, uiuet: qua ordinatione cessante, nihil relinquebatur, nisi æs. Talia sunt etiã sacramenta Euangelij, uidelicet Baptismus & Cœna dñica, quæ quod sunt & efficiũt, nõ sunt nec efficiũt uirtute suæ naturæ, sed ex diuina ordinatione & institutione. Quid autem diuinæ uoluntati & ordinationi nõ esset possibile? deinde obseruãda est institutio ipsa & promissio Dei. Promittit enim Deus omnibus ictis sanitatẽ, eamq; promittit, nullo meritorum, nullo personarum respectu, sed tantum si aspiciant æneum serpentem. non dicit, Quicũq; multa sacrificia obtulerit, & sanitatem operibus suis meritus fuerit, uiuet: nec dicit, Quicũq; fuerit in populo princeps aut põtifex, aut sapiens, aut diues, aut uenustus, uiuet: sed ait, Qui aspexerit eum. Hoc certè est ex mera gratia, misericordia & clementia, nulla meritorũ ratione habita, sanitatẽ dare. Aspicere enim æneum serpentem, non est mereri, sed accipere tantum oblatam sanitatem. Quod cũ ita se habeat, considerandum nunc erit, in quẽ usum Christus faciat mentionẽ huius historiæ de æneo serpente. Etenim hoc beneficiũ, quod Israelitis morsu serpentino infectis per aspectũ ænei serpentis contigit, magnũ quidem fuit, & admirandũ, non tamẽ fuit summa salus. Quid enim corporis sanitas, quam isti consequebantur, ad uerã & perpetuam fœlicitatẽ iuuat? Etsi enim sanus es corpore, nondũ tamen habes peccatorũ remissionẽ, nondum effugisti mortem, nondum euasisti ex barathro inferni, nondum adsecutus es regnum cœleste. Quid, obsecro, his beneficijs destituto proderit beneficium corporale, & euanidũ? Quare Christus collatione ænei serpentis, ostendit, è quo, & quo modo uera atq; æterna salus petenda sit. Sicut, inquiens, hi qui serpentino morsu in deser-

Serpentis æneiexplicatio.

Sacramentaunde habeantsuam efficaciam.

to infecti erant, nõ peribant, sed recuperabant uitã & sanitatem corporalem, si aspexissent æneũ serpentem, à Mose diuina ordinatione exaltatũ: ita hi qui infecti sunt morsu Satanæ, non pereunt, sed habent æternam uitam, si credant in filium hominis, diuinitùs exaltatum. Nam Satan, antiquus est serpens, cuius morsu Adã, primus parens noster, initiò ita ulceratus est, ut designato aduersus Deũ peccato, & amisso spiritu sancto, coniectus sit non solũ in omnia genera corporalium afflictionum, sed etiam in mortem, & si secundũ merita eius iudicaueris, in perpetuum interitũ: deinde sicut Adam, ita & omnes posteri eius uenenato spiritu sic afflati sunt, ut necesse habeant etiam ipsi perpetuò interire. Propter unum, inquit Paulus, hominem, peccatũ in mundum introijt, & per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit. & mox: Per unius delictũ, propagatum est malũ in omnes homines ad cõdemnationem. Hic est serpentinus morsus, quo icti sunt omnes homines ab Adamo propagati: nec nullus est hominũ, qui sibi suis uiribus mederi, & sanitatem recuperare queat. Sed bene habet. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Sicut enim quondã Deus iussit exaltare æneum serpentẽ in deserto, ut percussi ab ignitis serpentibus cõsequerentur sanitatem, si eum aspicerent: ita Deus exaltauit filium hominis, qui est Iesus Christus, ut icti Satanico morsu consequerentur ueram & perpetuam salutem, si crederent in eum. Requirẽdum igitur est, ubi Christus sit exaltatus. Ac primùm exaltatus est in cruce, ad quam passus est, ex obedientia, quam Deo patri suo præstabat, sese affigi, ut peccata hominum expiaret, & homines cum Deo recõcilaret: deinde exaltatus est resurrectione à mortuis, ascẽsu in cœlum, sessione ad dexteram Dei patris, missione spiritus sancti, & diuulgatione Euangelij sui in uniuersum orbem terræ. Hæc est exaltatio, hæc est glorificatio Christi, quæ idcirco diuinitùs est instituta & reuelata, ut OMNIS QVI CREDIT IN EVM NON PEREAT, SED HABEAT VITAM AETERNAM. Hæc uerba Christi non sunt oscitanter prætereunda. Singula uerba continent singulas ueræ pietatis doctrinas. initiò enim cum dicit, OMNIS, significat, quàm latè pateat beneficium suum. Non solum enim hi qui agunt uitam in terris post natum & reuelatũ Christum, sed etiam illi qui fuerunt ante natum Christum, patriarchæ & prophetę, fruũtur beneficio Christi. Nã Christus exaltatus est, quasi in medio totius humani generis, ut omnis, siue ante ipsum fuerit, siue post ipsum sit, ueram habeat salutẽ, si aspexerit eum fide sua. Abraham (inquit) exultauit, ut uideret diem meũ, uidit & gauisus est. & aliàs: Neque patres nostri, neque nos potuimus portare iugum, sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quẽadmodũ & illi. Vides ergo nunc quid illud sit, quod suprà de patriarchis & alijs sanctis, qui & ipsi fuerũt iusti, & intrauerunt in regnũ Dei, obiectum fuit. Hi enim consecuti quidem sunt iusticiam & beatitudinem, nõ autem sua uirtute, sed per gratiam Domini Iesu Christi, quem fide sua aspexerunt. Manet enim semper firmum ac fixum, quòd solus Iesus Christus ascenderit sua uirtute in cœlũ, ac uerè sit iustus & beatus: sed

Christi & serpentis æneꝰ collatio.

Christi exaltatio.

Christi beneficium quot hominibus contingat.

interim & hoc firmum ac fixum est, quòd omnis qui in ipsum credit, simul etiã cum ipso ascẽdat in cœlum, et propter ipsum reputetur iustus, ac fiat beatus. Cũ essemus mortui, inquit Paulus, per delicta, Deus conuiuificauit nos unà cum Christo, idq; per gratiã: simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Adhæc, cũ Christus dicit, OMNIS: manifestè docet, quòd beneficiũ suum non pertineat tantũ ad Israelitas circuncisos, aut honestos in hoc seculo homines: sed etiã ad omnes alias gentes incircuncisas, & ad omnes alios homines, quantũcunq; coram mundo inhonestos. Omnis enim siue circũcisus, siue incircuncisus, omnis siue honestus, siue inhonestus, qui credit in ipsum, non perit, sed habet uitam æternam. Omnis, inquit, qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio, uel Iudæi, uel Græci. Nam idem DOMINVS omniũ, diues in OMNES inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. & aliàs: Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. deinde, quòd addit, QVI CREDIT IN EVM: exponit, quomodo beneficiũ suum accipiatur. Etsi enim Christus proponit sese omnibus tam circuncisis, q̃ incircunsis, tam honestis, q̃ inhonestis, tam præstantibus in hoc seculo, q̃ abiectis & humilibus, fruendum: tamen non fruuntur eo, nisi hi qui accipiunt ipsum. Nam quemadmodum æneus serpens in deserto afferebat quidem sanitatem ictis morsu serpentino, sed his tantum qui aspiciebant ipsum (qui enim auertebant ab ipso oculos suos, ut non aspicerẽt eum, iuxta diuinam ordinationem, necesse habebant interire, non quidem ænei serpentis, sed suo ipsorum uitio) ita Christus exaltatus, offert quidem ueram salutem omnibus, sed hi tantum fruuntur salute, qui accipiunt eam. Quomodo ergo, inquis, accipitur Christus cum beneficio & salute sua? Obserua diligenter uerba eius: QVI CREDIT, inquit, in eũ. Non ait: Qui circuncisus est. Circuncisio enim nõ fuit in hoc instituta, ut per se esset meritum, propter quod contingeret accipienti circuncisionem beneficium Christi. Fuit quidem circuncisio signum fœderis Dei, cum semine Abrahę, non fuit autem per se meritum salutis. nec dicit, Qui meretur operibus suis (Nulla enim iusticia humanorum operum tanta est, ut propter eam contingat alicui uera salus, quæ est beneficium Christi) sed dicit, QVI CREDIT IN EVM. Sola enim fide opus est, ut accipias Christum. Non caritas, non humilitas, non pudicitia, nõ sobrietas, non quæcunq; aliæ uirtutes, organa illa sunt, quibus accipitur Christus. Habent quidem hæ uirtutes suam dignitatem, habent suum usum, addo illud, habent etiam sua quædam merita, & pio homini omnino sectandæ sunt; sed nec sunt merita, propter quæ datur Christus, nec sunt organa, per quæ accipitur Christus. Sola fides, non quidem meritum est (quis enim tantum credit, quantum deberet?) sed organon est, quo Christus accipitur. Oportet enim in Iesum Christum credere, ut beneficio eius fruaris. Amabo ergo te, quid est credere in Iesum Christũ? Hoc certè Christus ipse haud obscurè significat, cum ait: Oportet exaltari filium hominis, & mox: Deus misit filium suum, ut

Christi beneficium quibus contingat.

Christus accipitur fide.

Fides, organon quo accipitur Christus.

mundus

mundus ſeruetur per eum. Credere enim in Ieſum Chriſtũ, non eſt tantum ſcire, quòd fuerit quondã homo quiſpiam in terris, Ieſus nomine, qui ediderit multa miracula, & explicuerit legẽ Dei diſertiſsimè, & ſuffixus ſit accuſatione Iudaicæ gentis in crucẽ, ac poſtea è morte euaſerit: ſed eſt credere, quòd Ieſus filius Mariæ uirginis, ſit uerus ille Meſsias ſeu Chriſtus, qui promiſſus fuit patriarchis, & de quo uaticinati ſunt prophetæ: & quòd is Meſsias exaltatus ſit in cruce, ut expiaret peccata noſtra: ac reſurrexerit à morte, ut et nos perpetuò ſeruaret: adeoq; credere in Ieſum Chriſtũ, eſt credere, quòd ſolus Ieſus Chriſtus ſit uerus ſeruator noſter ad perpetuã fœlicitatẽ. Si confeſſus fueris, inquit Paulus, ore tuo Dominum Ieſum, & credideris in corde tuo, quòd Deus illum excitauit à mortuis, ſaluus eris. Sed de hac re poſtea plura. Quod in præſentia ſatis eſt, obſeruandum erit, quòd credere in Ieſum Chriſtum, ſit credere ipſum eſſe exaltatũ, ut noſtra peccata expiaret, & nos ſecum per mortem ad ueram & æternam uitã perduceret. Poſtremò, cum inquit, Non pereat, ſed habeat uitam æternam: perſpicuè explicat, quale ſit beneficium ſuum. Non ſentiendum eſt, quòd Ieſus ſit talis Meſsias ſeu Chriſtus, qualem ſomniant Iudæi, uidelicet qui ſit externus monarcha, & afferat ſubditis ſuis corporalia bona, dominationẽ in hoc orbe terrarum, uictoriam in bello, diuitias, honorem, ſanitatem corporis, & longitudinem ac tranquillitatem huius uitæ: ſed eſt Meſsias ſpiritualis ſeu cœleſtis, qui afferat credentibus in ipſum ſpiritualia & cœleſtia bona, quæ Chriſtus uno nomine Vitæ æternę hoc loco complectitur. Nam ut habeas uitã ſeu fœlicitatẽ (uiuere enim fœliciter, hoc demum eſt uère uiuere) æternam: neceſſarium eſt, ut habeas iuſticiam, ſeruerís in afflictionibus, uincas mortẽ, euadas ex doloribus inferni, & peruenias ad regnum cœleſte. Quare, cum Chriſtus affert credẽtibus in ipſum uitam æternam, manifeſtum eſt, quòd afferat eis iuſticiam, uictoriã in afflictionibus et morte, liberationem ex inferno, & regnum cœleſte. nec hoc diſsimulandum eſt, quod Chriſtus nõ ait: Credentes in ipſum non eſſe aduerſis affligenos. Non dicit, Vt omnis qui credit in ipſum, non affligatur: ſed inquit, Non pereat. Chriſtus enim ſic ſeruat ſuos, ut affligantur quidem in hoc ſeculo, & corporali morte obruantur, ac etiã dolores inferni ſentiant: ſed conſeruẽtur in his omnibus malis, ne pereant. Non rogo, inquit, ut tollas è mundo, ſed ut ſerues eos à malo. & iterum: In mundo afflictionem habebitis, ſed bono animo ſitis, ego uici mundum. Quare ſiue iudicium peccati nos turbet, ſiue afflictiones & horrores mortis ac inferni nos commoueant: adeoq; ſi Satan ſerpentino ſuo morſu nos petat, aſpiciamus fide ad Ieſum Chriſtum, tam cruce propter peccata noſtra, quàm reſurrectione propter iuſtificationem noſtri exaltatum, ut ſeruemur per ipſum à perpetuo interitu, qui Chriſtus eſt Dominus noſter, unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, AMEN.

Credere in Chriſtum quid ſit.

Ieſus, qualis ſit Meſsias.

Homilia

HOMILIA XXVIII.

QVAM concionem Christus ad Nicodemum habuit, non est oscitanter percurrenda & prætereunda, sed ut cœlestis thesaurus, maxima omnium diligentia conseruanda. Continet enim eam doctrinam, quæ ut disertissimè explicat uerum ac proprium officium Christi: ita aperit nobis potentissimè ianuã cœli, & ducit nos rectà ad regnum Dei: adeoq; si probè eã expendas, epitome est totius Euangelij de Iesu Christo seruatore nostro. Quare debemus hanc concionẽ non solum legere & audire, sed etiã ad uerbum edisce re, & semper tam in ore q̃ in corde habere. Ac antè quidẽ dictum est, neminem ascẽdere in cœlum, hoc est, nullum hominẽ posse ueram salutem ex se ipso petere: sed eam contingere nobis exaltatione Christi, per fidẽ, quæ est in ipsum. Nunc pergit Christus paulo manifestius & copiosius de officio ac beneficio suo cõcionari. Sic Deus (inquiens) dilexit mundũ, ut filium suum unigenitũ daret, ut omnis qui credit in eũ, non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundũ, ut iudicet mundum, sed ut seruetur mundus per eũ. Hoc planè illud est, quod propriè Euãgelion dici solet. Nã cum fit mentio Euangelij Christi, alius aliud intelligit. Hic putat dici de præceptis Decalogi, quæ Christus aliquoties in concionibus suis exposuit: qualis est concio, quę extat apud Matth. cap. quinto, sexto, & septimo: ille putat dici de his pericopis, quæ solẽt festis diebus publicè recitari. ac possunt quidẽ omnia hęc Euãgelion uocari, propterea q̃ contineantur in scriptis Euangelistarũ. Sed quia Euãgelion significat bonũ ac lætum nunciũ, nec potest miseris, afflictis ac perditis hominibus quicquã melius ac lętius nunciari, q̃ quod Christus hoc loco cõcionatur: idcirco cũ fit mentio Euãgelij Christi, intelligendũ est propriè de hac concione, & huic similibus, uidelicet q̃ Dñs Deus noster, pater cœlestis miserit unigenitum filium suum in hunc mundum, non ut iudicet, ut perdat: sed ut seruet mundum, sed ut omnis, qui credit in ipsum, habeat æternam uitam & fœlicitatem. Primùm igitur omnium cõsiderandũ nobis erit, quid illud sit, quod impetrauit à Deo patre, ut mitteret filiũ suum in hunc mundũ, & obĳceret eum propter homines probrosissimæ morti. Dñs enim Deus noster unum tantum habet filium, ab æterno ab ipso genitũ, quem tanto amore complectitur, ut contulerit in ipsum omnem suam potestatem, maiestatẽ & essentiam. Ipse enim est splendor gloriæ (quemadmodũ Apostolus ait) & expressa imago substantiæ Dei. Huic tamen unigenito filio tantopere dilecto nõ pepercit Deus, sed uoluit, ut indueret hominẽ, & susciperet oẽs humanas imbecillitates, ac conĳceretur in abominabilẽ & horribilem mortẽ crucis. Quid ergo illud est, quod Deũ commouit, ut tantas miserias & calamitates unigenito filio suo imponeret? Num Abraham, qui iusticia & sanctitate præcipuũ locũ inter patriarchas obtinet, meritus est hoc obedientia sua? Deus promisit quidẽ Abrahæ, se ex semine ipsius missurum filiũ suum in hunc mundum: sed fuit & Abraham peccator, nec potuit tantũ Dei beneficium iusticia sua mereri. non enim iustificatur

Euangelij nomine quid intelligendum sit.

in

in conſpectu tuo omnis uiuens. Quod ſi nullũ eſt meritũ Abrahæ, patriarchæ alioquí longè omniũ iuſtiſsimi: certè ſentiendum eſt, nullum alium patriarcham aut prophetam tanti fuiſſe coram Deo meriti, ut potuerit à Deo impetrare miſsionem filij ſui in hunc mundum. Quid ergo eſt? Sic Deus (inquit) DILEXIT mundum. Sola dilectio, ſola miſericordia, ſola clemẽtia, qua Deus cõplexus eſt miſeros & perditos homines (qui nomine Mundi ſignificantur) impetrauit ab ipſo Deo, ut unigenitũ ſuum filium daret. Nam Deus creauit initiò hominem rectum, iuſtum, ac uerè beatum: ſed homo ſeductus & perductus eſt Satanæ inſtinctu in extremã internecionem. Ac potuiſſet quidẽ Deus optimo iure conniuere ad interitum totius humani generis, & creare ſibi aliquod nouũ creaturæ genus, quod in terris nomen ſuum celebraret: ſed in tantum dilexit hominẽ à ſe creatum, idq; nullo hominis merito, ſed ſua tantum miſericordia & bonitate, ut maluerit unigenitũ filium ſuum extremis miſerijs exponere, quàm permittere ut homo periret. Itaque initiò promiſit Adamo, & poſtea alijs patriarchis, ſe daturũ & miſſurum filium ſuum redemptorem. Poſtremò autẽ, quod promiſerat, hoc etiam impleuit: ac miſit filium ſuum, factum ex muliere, factum legi obnoxium, quemadmodum Paulus loquitur, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorũ acciperemus. Ac multa quidem, imò innumera ſunt, quibus Deus manifeſtare ſolet bonitatẽ & charitatem ſuam erga homines. Miſericordia DOMINI plena eſt terra. &: Non ſinit ſeipſum expertẽ teſtimonij eſſe, dum cõfert beneficia, de cœlo dans pluuias, ac tempora frugifera, implens cibo & lætitia corda noſtra. Sed nullum extat opus nec in cœlo nec in terra, quo clarius & manifeſtius declarauit Deus bonitatem, fauorem & dilectionẽ ſuam erga homines, q̃ q; miſit unigenitum filium ſuum in hunc mundum. Deus (inquit Ioannes aliàs) charitas eſt. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, q; filiũ ſuum unigenitum miſit Deus in hunc mundum, ut uiuamus per eum. In hoc eſt charitas, nõ q; nos dilexerimus Deũ, ſed quòd ipſe dilexerit nos, & miſit filiũ ſuum propitiationem pro peccatis noſtris. & Paulus: Cõmendat, inquit, ſuam charitatẽ erga nos Deus, quòd cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus fuit. ac rurſus: Poſtquã bonitas & humanitas apparuit ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus, quæ ſunt in iuſticia, quę faciebamus nos: ſed ſecundũ ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos opulentè, per Ieſum Chriſtũ ſeruatorem noſtrũ: ut iuſtificati illius gratia, efficeremur hæredes, iuxta ſpem, uitæ æternę. Porrò, ex hoc Euangelio, quod prędicatur de miſsione unigeniti filij Dei in hunc mundũ, non ſolũ reuelatur nobis immẽſa Dei miſericordia & dilectio erga nos: ſed etiã ſumma noſtra miſeria, et internecio, cui propter peccatũ obnoxij fuimus. Quare cum prędicatur nobis hoc Euangelion de miſsione filij Dei in hunc mundũ, agnoſcamus primùm magnitudinẽ noſtrę internecionis. Nã ſi ea mediocris aut tolerabilis fuiſſet, potuiſſet aliquid uel in cœlo uel in terra inueniri, per quod redimeremur: nunc autem cum nihil aliud inuentum ſit, quo poſſemus ſeruari,

Charitatis Dei erga hominem quanta potentia.

Bonitatis & charitatis Dei manifeſta argumenta.

Miſeriæ noſtræ magnitudo.

ſeruari, prẽter unigenitum filium Dei, quanta obſecro, fuit magnitudo noſtrę internecionis? Deinde agnoſcamus magnitudinẽ diuinę charitatis & clementiæ erga nos, quòd Deus maluerit unigenitũ filium ſuum crudeli morti obĳcere, q̃ nos in perpetua morte & dãnatione relinquere. Hęc autem ita agnoſcenda ſunt, ut non tantum cogitentur, & animo uoluãtur, ſed ut in uſum transferantur. Magnitudo enim noſtræ internecionis excitare nos debet ad timorẽ Dei, & humilitatem animi, ne uidelicet efferamus nos aduerſus Deũ, nec arrogemus quicquam ſalutis noſtris uirtutibus: ſed ſubĳciamus nos Deo, et acceptũ ei feramus, quicquid ſumus aut poſſumus. Magnitudo autẽ diuinæ clementiæ excitare nos debet ad fidẽ, ac ſi rectè cogitetur, auget & conſeruat in nobis fidẽ, ut nõ ſolum in aduerſis huius ſeculi, ſed etiã in iudicio Dei conſtemus, per Ieſum Chriſtũ: per quem & diuina clementia nobis reuelata eſt, & beneficia Dei impetrata ſunt. Nec his tantũ actionibus cõtenta eſt meditatio magnitudinis diuinæ clementię & bonitatis, ſed etiam accendit nos ad gratitudinem Domino Deo noſtro declarandã. Gratitudo autem erga Deũ, nõ declaratur tantum uerbis & carminibus, quibus nomẽ eius publicè celebramus: ſed potius operibus & factis, quæ lex Dei exigit, ac maximè omniũ mutua inter nos charitate. Chariſsimi, inquit Iaonnes, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuò diligere. & mox: Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Quare neceſſarium eſt, ut ad declarandam gratitudinem noſtram erga Deũ, complectamur nos mutua dilectione: idq̃ non uerbo, nec lingua tantũ, ſed etiam opere & ueritate. Deinde ex hoc Euãgelio diſcendum eſt, quod ſit uerum ac propriũ officium, propter quod Ieſus Chriſtus, unigenitus filius Dei, miſſus ſit à Deo patre ſuo in hũc mundũ. Hoc tãto diligentius eſt obſeruandũ, quãto pauciores intelligunt, quid ſit uerus Chriſtianiſmus. In alĳs rebus, quibus nihil aut parum commune eſt cum Euangelio Chriſti, ſi quis errat, tolerabiliter errat: in cognoſcendo autem officio Chriſti, ſi quis errat, toto cœlo, ut in prouerbio eſt, errat. Quare nihil nobis prius eſſe debet, q̃ ut rectè cognoſcamus, quod ſit uerũ officiũ Chriſti, & in quẽ uſum Chriſtus miſſus ſit in hũc mũdum. Nam fuerunt quondam, qui exiſtimarunt, Chriſtũ per prophetas promiſſum, fore corporalẽ & externum monarchã in hoc ſeculo, qui ſit ſuſcipiẽtibus ipſum autor, ut conſequãtur terrena & corporalia bona. hi non rectè ſenſerũt de officio Chriſti. Etſi enim Chriſtus ſeruat credentes in ipſum in omnibus afflictionibus huius ſeculi: tamen non uenit in hunc mundũ, ut afferret tranquillitatem & fœlicitatẽ huius ſeculi. Noſtra enim, & uera tranquillitas, nõ eſt in hac terra, ſed in cœlo expectanda. Sunt alĳ qui ſentiunt, Chriſtũ in hanc terram miſſum, ut legislatorẽ, qui quod deſit legi Moſi, doctrina ſua ſuppleat. Itaq̃ putant ea quæ docet Chriſtus apud Matth. cap. v & vi. nouã eſſe legẽ: uocantq̃ eam doctrinam, legem Chriſti. Sic de Chriſti officio ſentiunt monachi, qui propter hanc cauſam ſuſpiciunt ordines, ut uocant, monaſticos, ut prę-ſcriptis uotis ac regulis coerciti, facilius impleant legẽ Chriſti. Sic etiã ſentiunt de Chriſto Turcæ, qui ſomniant, Mahumetem ſuum idcirco miſſum,

Gratitudo erga Deum quibus rebus declaretur.

Chriſti uerum officium quod ſit.

missum,ut duram & difficilem legem Christi tolerabili & facili lege seu corrigat,seu aboleat.Hic error,imò hæc impietas pernicioſior est,q̃ ut quisquam uerbis explicare possit.Nam Christus aliquoties quidem interpretatus est legem: nequaq̃ autem sentiendum est, q̃ uenerit ad ferendam nouã,eamq̃ duriorem & perfectiorem legẽ, q̃ antea per Mosen lata erat.Cũ em̃ lex occidat & damnet homines, quid obsecro aliud esset duriorem legem ferre,q̃ hominum damnationẽ duplicare? Christus autem non uenit ut damnator,sed ut seruator,quemadmodũ mox sequetur.Sunt etiam nonnulli qui putãt Christũ uenisse,ut longas conciones legis Mosi in breue cõpendium conferret, & ut omnibus hominibus absolutum pietatis exemplum præberet.Quæ aũt hęc esset Christi utilitas,si tantũ in hoc uenisset,ut breues cõciones haberet? aut quid absolutum & perfectum pietatis exemplũ prodesset, si natura humana imbecillior esset,q̃ ut posset hoc exemplũ rectè imitari, nec ullus inueniretur, qui peccatum expiaret? Sunt & qui dicãt, Deum iussisse filium suũ è cœlo elabi,ut religionem sanctam Dei transferret ad gentes, doceretq̃ iustitiam,quam perfidus populus abiecerat. Hi dicunt quidem aliquid,sed obscurissimè,nec uident intelligere,quod sit principale officium Christi,& quis sit uerus eius usus. Quid aũt plura? Verũ ac proprium officiũ Christi nusq̃ ferè clarius & manifestius explicatur, q̃ in hac concione,quam Christus ipse ad Nicodemũ habuit:Deus,inquit, misit unigenitum filium suum in hunc mundũ, non ut iudicet mundũ, sed ut seruet mundũ:ut omnis qui credit in ipsum,nõ pereat,sed habeat uitam æternã.Hic habes uerbis nihil obscuris, sed maximè perspicuis, in quem usum Christus propriè uenerit in hũc mundũ. Est autem hoc loco manifesta antithesis Mosi & Christi. Quod ut rectè intelligamus, considerãdum erit officium Mosi. sic enim cognoscetur etiam Christi officium.Duplex igitur est officium Mosi:alterum,est politicum seu ciuile.Moses em̃ missus fuit à Deo,ut iudicaret Israelitas ciuiliter,hoc est, ut instituere t inter Israelitas politeian externam, & ferret ciuiles leges, quibus scelerati iudicarentur ac punirẽtur,ut publica honestas & tranquillitas in populo conseruaretur. Alterũ,est spirituale.Moses em̃ missus fuit,ut iudicaret Israelitas,nõ solum ciuiliter, sed etiam spiritualiter: hoc est,ut ferret talẽ legẽ,quę omnes homines iudicaret et spiritualiter, & condemnaret eos peccatorũ.Lex enim, ut Paulus ait, spiritualis est, propterea q̃ exigat non tantum ciuilem honestatẽ,sed perfectam iustitiam.Cum autẽ inueniat homines carnales,qui natura sua propter peccatum ita corrupti sunt, ut non possint perfectam iustitiã facere:idcirco lex primùm ostẽdit peccatũ,deinde reuelat iram Dei propter peccatum:& iudicat,hoc est, pronũciat omnes homines ꝓpter peccatũ reos æternæ dãnationis,& occidit eos perpetua morte.Iudicare enim uulgari phrasi,non solum significat consilia inter se cõferre: sed etiam significat nocẽtem morte condemnatũ occidere.Sic lex Mosi, cuius epitome est Decalogus, iudicat oẽs homines, quia est spiritualis carnifex, quo omnes homines propter peccatũ traduntur igni infernali. Habes officium Mosi. Cõferamus nunc cum eo officiũ Christi.Deus (inquit) nõ

Mosi officium quid sit.

Iudicare quid sit.

Christi & Mosi collatio.

misit filiũ suum in mundũ, ut iudicet mundũ. Quid hoc aliud est, quàm si dicat, officium Christi filij Dei longè aliud est, ꝙ officium Mosi serui Dei? Nam Deus misit Mosen, primùm ut iudicet mundũ ciuiliter, hoc est, ut esset externus & politicus magistratus ac monarcha in suo populo: unigenitum autem filium suum, Iesum Christũ, non misit ut iudicet mundũ ciuiliter, ut dominetur politicè in populo, sed ut sit rex spiritualis & cœlestis. Deinde Deus misit Mosen, ut iudicet mundũ spiritualiter, hoc est, ut ferat spiritualem legem, qua hominib. peccatũ reuelaretur, & homines propter peccatum cõdemnarentur, ac perpetua morte trucidarentur: unigenitũ autem filiũ suũ misit, non ut iudicet mundũ spiritualiter, sed ut seruet mundum, qui sunt homines, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat æterna morte, sed habeat uitã æternã. Ac breuiter, Moses uenit, ut autor peccati. Peccatũ, inquit, genuit per præceptum in me omnem concupiscentiam. & mox: Vt fieret maiorẽ in modum peccans peccatum per præceptũ. Christus autẽ uenit ut iustificator à peccato. Omnis enim qui credit in ipsum, reputatur corã Deo iustus. Moses uenit ut prẽco irę Dei. Lex eñ iram operatur. Christus autem uenit, ut autor gratiæ Dei. Qui enim credit in Christũ, is tantã gratiam inuenit propter ipsum apud Deũ, ut adoptetur in filiũ Dei. Moses uenit, ut iudex, seu spiritualis carnifex: Christus autem uenit, ut iudicatos à carnifice eripiat, & ęterna morte condẽnatos seruet, atq; ad ęternam uitã ac fœlicitatem perducat. hoc illud est, quod Christus ait: Nõ misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundũ, sed ut seruetur mundus per eũ. Quo Christi officio quid nobis aut iucundius, aut etiã magis necessarium? Qua etiam cognitione quid plus est nobis salutare? qua ignoratione quid pernicioſius? Etenim si quis uerã huius officij Christi cognitionem nõ habuerit, ut uersatur in summo errore, & in maximarum rerum ignoratione: ita fieri nõ potest, quin in iudicio *Dei* pereat, & uera sua salute destituatur. Neq; eñ tueri se potest, uel aduersus impietates aliarũ religionũ, uel aduersus horribiles illas accusationes legis in iudicio Dei. Ac nihil quidẽ dicemus nunc de his religionibus, quæ Christũ aut ignorant, ut quondam Ethnici, aut condemnant, ut nunc Iudæi: sed dicemus pauca de illis quæ uidentur aliquã Christo tribuere autoritatẽ. Monachi et sacrificuli in Christianismo recitãt Symbolum fidei de Christo, laudant Christũ, commemorãt historiam passionis & resurrectionis eius à morte, dicunt eum ascẽdisse in cœlum, & sedere ad dexteram Dei, ac uenturum ad iudicandũ uiuos & mortuos. Quid ergo est, q̃ cõdemnentur impietatis? quid iubemur eos ut pseudoprophetas & impostores fugere? Quid obsecro deest eis? hoc uidelicet deest doctrinæ seu religioni eorũ, q̃ non intelligant uerũ officium Christi. Faciunt enim ex Christo legislatorem, & respectorem ac remuneratorem humanorum meritorũ. Hoc certè non est uerum Christum agnoscere, sed nouum sibi Christum fingere: adeo' que nullum prorsus Christũ, hoc est, seruatorem habere. Alcoranus Mahumeticus fatetur Christum à Deo missum, & ex uirgine natũ, dicit eum edidisse miracula, & uocat eum uerbum ac animam Dei. An' non hoc est præclarum de Christo

Monachis & sacrificulis qd in religione desit.

Alcorani impietas quæ sit.

Christo præconium? Quæ ergo est impietas Alcorani? Non est modò locus aut tẽpus omnia genera impietatũ eius recẽsendi. Vnum tantum cõmemorabo, ꝙ etsi nonnulla uera de Christo prędicat, tñ neget quod est summum & maximũ in Christo, nec intelligat uerũ officium Christi. Dicit enim blasphemo suo ore, Christũ non esse filium Dei, nec esse natura Deum: non sentit eum esse seruatorem, sed tantum fuisse legislatorem. Hæc est summa & detestanda impietas, sed à qua amplectenda nemo cauere potest, nisi habeat uerã cognitionẽ Christi & officij eius. Deinde si quis adductus fuerit in iudicium, ad tribunal Dei, quomodo obsecro defendet se, si ignorauerit quod sit uerũ officium Christi? Lex em̃ Dei accusat nos peccati. Peccatũ manifestius est, q̃ ꝙ ut negare queamus. Certissimum igitur est iudicium Dei, ꝙ simus rei æternę dãnationis, et perpetui ignis. Qua lata sententia, nihil aliud reliquũ est, quàm ut nostra ipsorũ cõscientia conuicti, ducamur ad infernũ. Quid faciemus? quem implorabimus? nullus nos amicus, nullus sanctus iuuare potest. Sancti em̃ oĩno consentiunt cũ iudicio Dei, tm̃ abest ut nobis patrocinentur. Implorabimus ne misericordiã & clementiã Dei? sed cõtinuò audimus illud Decalogi: Faciẽs misericordiã in millia his qui diligũt & custodiunt præcepta mea. Deus em̃ misericors quidẽ est, sed his qui custodierũt præcepta eius, & impleuerũt legẽ eius: tu aũt non custodĩsti præcepta eius, nihil igit̃ ad te misericordia Dei. Quò ibi te uertes? quid facies? Certè si ignoraueris Christũ, & uerum eius officium, nihil aliud reliquũ est, q̃ ꝙ ut desperatione pereas, & perpetuis inferni ignib. tradaris. Vbi aũt est fides in Christũ, & cognitio ueri officij eius, ibi opponit̃ Christus iudicio Dei. & dicit cõscientia: Apage lex cum tua seueritate, quæ iudicas tantũ & condemnas: tu autẽ Iesu Christe, fili Dei, subueni mihi: in me quidẽ longè omnium miserrimo, in te autem longè omniũ fœliciſsimo, qui uenisti in mundũ, non ut iudices mundum, sed ut iudicatos à carnificina legis & diuini iudicij eripias atq; serues. Hic est portus, hoc est perfugiũ, quo solo ad misericordiã Dei, & ad salutẽ nostrã peruenimus, propter Iesum Christũ Dominum & seruatorem nostrũ, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus bñdictus in secula, Amen.

HOMILIA XXIX.

DE uero officio Christi satis, quantum quidem ad hunc locum attinet, dixisse uidemur. Non misit Deus (inquit) filium suum in mundum, ut iudicet mundũ, sed ut seruetur mundus per eũ. Audiamus igitur nunc quid faciendum sit, ut capiamus usum officij Christi, & fruamur beneficio eius. Etsi enim Christus uera est salus & fœlicitas, tamen non omnes homines fiũt huius salutis & fœlicitatis participes: idq; nõ Christi, sed ipsorum hominum uitio, qui propositam & oblatã salutem non accipiunt. Nam quemadmodũ in medicina frustra prędicatur de rhaphano, quòd medeatur tussi, & cõminuat ac eĩciat calculos, aut de succo betæ, quòd tollat capitis dolores ac uertigines, nisi quis rectè his pro suo modo utatur: ita otiosa est concio de officio Christi, nisi Christũ suscipias, & in usum transferas. Videamus igit̃ quomodo Christus susci-

„ piatur,ut cõmodis officijs eius fruamur. Qui credit (inquit) in eũ,non
„ iudicatur:qui uerò non credit,iam iudicatus est, quia nõ credidit in no
„ men unigeniti filij Dei. Nam Christus non est talis Christus, qui qui-
busuis etiam reijcientibus & abominantibus ipsum, salutẽ tribuat. Of-
fert quidem omnibus,etiam impijs salutem:nullus autem hominũ acci-
pit eam,nisi qui Christũ fide accipiat. QVI CREDIT (inquit) in eum,
non iudicatur. Necessaria est FIDES in Christum, ut capias usum offi-
cij Christi. Solet autem sæpe ac multum fieri mentio fidei in Christum.

Fides in Christum quid sit.

Opportunum igitur uidetur,ut hoc loco pauca quædã de fide in Chri-
stum,qua contingit nobis iustitia & salus,dicamus. Primùm ergo fides
in Christum,non est scire tantũ, quòd Iesus Christus natus sit ex uirgi-
ne ante mille quingentos annos, & ediderit miracula, ac passus sit sub
Põtio Pilato,& resurrexerit tertia die à mortuis. Hęc & alia de Christo
sciunt etiã dæmones:& ut Iacobus ait,contremiscunt. Fatentur & quę-
dam ex his Mahumetici. Et tamen nec dæmones,nec Mahumetici,dæ-
monum mancipia,iustificãtur, aut seruantur. Deinde fides in Christũ,
non est sentire Christũ esse legislatorẽ,qui meritis humanæ iustitiæ lar-
giatur regnũ cœleste. Sic de Christo sentiunt hypocritæ, qui tamen ue-
ram iustitiam & salutem hypocrisi sua haudquaquam consequuntur.
Sed fides in Christum, quemadmodũ quidem nunc de fide loquimur,
est uerum officium Christi cognoscere,& eo niti ac confidere:uidelicet
quòd Iesus Christus unigenitus filius Dei mortuus sit propter peccata
nostra,& resurrexerit propter iustificationem nostri. Itaque is uerè in
Christum credere dicitur,qui credit peccata sibi remissa à Deo propter
mortem Christi,& se coram Deo iustum reputari propter resurrectio-
nem Christi,ac in filium & hæredem Dei adoptatum propter Christũ.
Hæc est fides illa in Christum, cuius toties fit mentio in concionibus
Euangelij. Quæso igitur te, ut etiã explices, quid nobis per hanc *fidem*

Beneficia quæ per fidem contingunt.

cõtingat. De hac re audiẽdus est Christus ipse. suprà eñ dixit: Omnis
qui credit in eum,non perit. Quantum hoc est beneficiũ, quanta salus,
NON PERIRE? Multa sunt, quæ minãtur nobis perditionẽ. Primùm
peccata. Hæc obijciunt nos iræ Dei, & incutiunt nobis terrorem dam-
nationis:sed per fidem in Christum fit,ut non pereamus. Qui enim cre-
dit in Christum,reputatur coram Deo iustus. Itaq; fieri non potest, ut
in iudicio peccatorum pereat. Deinde mors minatur nobis perpetuam
internecionem:sed per fidem in Christũ fit, ut seruemur. Qui enim cre-
dit in Christum,factus est hæres æternæ uitæ ac fœlicitatis. Quare fieri
non potest,ut in morte intereat. In hoc autem loco dicit Christus: Qui
credit in eum,non iudicatur. Iudicare, ut antè dictum est, non est tan-
tum consilia inter se de nocentibus conferre, sed etiam nocentes iuxta
latam sententiam punire,quemadmodum carnifices iudicare solent. Iu-
dicium autem,seu sententia Dei de hominibus hæc est,quòd, quia om-
nes homines sunt peccatores,idcirco debeãt tradi Satanæ,& perpetuò
igni torqueri. Quid ergo reliquum est,nisi ut omnes homines iudicen-
tur, hoc est, puniantur sempiterna internecione? Sed bene habet. Est
adhuc suũ hominibus perfugium, nimirum per FIDEM in Christum.

Nam

Nam qui credit in eũ, non iudicatur. Etsi enim dignus est propter peccatum, ut flammis inferni pereat, tamen quemadmodũ malefactor qui-spiam iam à carnifice ligatus, et ad locũ supplicij ductus, solet aliquoties intercessione principum, aut honestarum matronarum, à uinculis solui, & in hac uita seruari: ita & dãnatus propter peccatũ æterno supplicio, si credit in Christũ, eripitur ex ipsis flammis & pœnis inferni, ac seruatur ad cœleste regnum. Nec est hic ulla uel personarũ, uel meritorũ acceptio. Finge mihi ex una parte hominem miserrimum & abiectissimum, ex alia autẽ parte hominem, qui designauit omnia genera nefandissimorum scelerum: attamen si credunt in Christũ, & cõfidunt morte ac resurrectione Christi, non iudicantur corã Deo, non puniuntur, non pereũt æterno supplicio. dicit enim, Omnis, OMNIS inquam, qui credit in eum, non perit, sed habet uitam æternã. Apagete impœnitentes, qui sumunt sibi hinc occasionem peccãdi pro sua libidine. Christus enim non uenit, ut remissione peccatorum concedat licentiam peccandi: sed ut postquam fide susceptus est, tribuat spiritũ fugiendi & uitandi peccati. Quare manifestum est, eum in quo peccatũ dominatur, aut nondum uerè in Christũ credere, aut Christum amisisse, & inter incredulos ponendum esse. Quid ergo fiet de incredulis? Sequitur: Qui non credit in eũ, iam iudicatus est. Paucissima uerba, sed ualde horribilis sententia. Qui non credit (inquit) in Christũ, qui non confidit morte & resurrectione Christi, is iam iudicatus est. non ait, Iudicabit longo post tempore: sed iam iudicatus, hoc est, Satanæ & æterno igni traditus est. Etsi enim flammæ inferni nondum manifestè in impio apparẽt, tamen nihil aliud reliquum est, quàm ut reuelẽtur, id quod quouis momento expectandum est. Nam quemadmodũ Ioannes de pijs dicit, Nunc filij Dei sumus, et nondum apparuit quid futuri sumus: scimus autem, quoniam si apparuerit, similes ei erimus: ita de impijs dicendum est, Nunc filij Satanę & infernali igni obnoxij sunt, quod nondum quidem externo sensu percipitur: sed omnino futurum est, ut reueletur. Amabo igitur te, quod est peccatũ illud, propter quod impius iam iudicatus est? additur: Quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. Nomen autem unigeniti filij Dei, est Iesus Christus. Quare credere in nomen unigeniti filij Dei, est credere in Iesum Christum, quòd ipse expiauerit peccata nostra sua morte, & restituerit nos uitæ sua resurrectione. Ergo qui nõ credit in hoc nomen, is cum non habeat expiationem peccatorum, nec cõsecutus sit uerã uitam, meritò iam iudicatus seu condẽnatus esse dicitur. Ac quemadmodum is qui credit in hoc nomen, nulla nec personæ nec meritorum acceptione seruatur: ita is qui non credit in hoc nomen, necesse habet perire, quantacunque alioqui uel dignitate uel honestate excellat. Finge quendam fecisse omnia bona opera quæ unquam sancti in terris fecerunt, finge mihi etiam potentissimum in hoc mundo monarcham: attamen si non credunt in nomen unigeniti filij Dei, iam iudicati sunt. Nihil igitur magis salutare est, q̃ fides in Christum: & nihil est perniciosius, quàm infidelitate abijcere Christũ. dices autẽ: Quid obsecro causæ est, quòd qui habet fidem in Christum seruetur: qui autem

Vna est iustitia qua homines saluantur, fides uidelicet.

Vnũ est peccatum quo homines damnãtur, incredulitas uidelicet.

non habet fidē, damnetur? Num fides ipsa, tanti meriti opus est, ut consequatur cœleste beneficiū propter suam ipsius uirtutem aut dignitatem? nihil uerò minus. Fides maximus quidem cultus Dei est, & præstantissimū inter omnia bona opera quæ homo facit, quia tribuit Deo patri, & Christo filio Dei, ac spiritui sancto suam gloriā & honorē: non est autem meritum, propter quod contingant nobis tot cœlestia bona. Fides enim nostra, quā habemus, semper solet esse in hac uita imbecillis propter carnem, nec uncp̄ in hac carne tantū credimus, quantum debemus: sed cœlestia bona idcirco contingunt nobis per fidem, quòd fides sit organon illud, quo accipimus Christum, & quo inserimur Christo, tanc̄p̄ membra. Qui enim credit in Christū, seruatur, nō propter fidem, quæ est admodum infirma: sed propter Christum, fide acceptum. Nam Iesus is solus est, qui possidet omnia cœlestia bona, iustitiam, uictoriam mortis, uitā & fœlicitatem sempiternam. Hæc omnia bona fiunt hominibus propter Christū, qui est fide acceptus. Nā si Christus ipse nobis donatur à Deo patre suo, qui fieri posset, ut nō & cū eodē omnia nobis donarentur? Qui uerò non credit in Christum, is etiam caret Christo. Vbi autem non est Christus, ibi nec est Deus, nec iustitia, nec uita, nec cœlū: sed Satan, impietas, mors & infernus. Quare ut nulla peccata hominis tanta sunt, quæ possint eum opprimere, qui habuerit Christum per fidem: ita nulla est sapientia Ethnicorum, nulla potētia Turcarum, nulla iustitia Iudæorum & hypocritarum, quæ possit ipsos ab interitu seruare, propterea quòd nō habeant Iesum Christum, uerum & solum seruatorem nostrum. habes unam tantum esse iustitiam, qua seruemur. Qui enim credit in eum (inquit) nō iudicatur. habes & unum tantum peccatum, quo homines dānantur. Qui nō credit (inquit) iam iudicatus est, quia non credit in nomen unigeniti filij Dei. dicet ergo quispiā: Quid hoc rei est? nullum'ne aliud est peccatū, quod homines damnat, præter incredulitatē? Sunt enim innumera peccatorum genera, quę ab hominibus designari solent. In hoc enim mūdo homines nugant̄, scortantur, adulteria committunt, furantur, latrocinātur, frater occidit fratrem, parētes trucidant liberos, & uicissim liberi parētes. Designantur & alia infanda scelera, quæ nec dici, nec etiam cogitari honestè possunt. Quid de his dicemus? an hęc peccata nō sunt hominib. maximo, adeoc̄p̄ perpetuo damno? De hāc re audienda est cōcio Christi. sic enim sequitur: Hoc est autem iudicium, quòd lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Asseueratio est, seu expolitio, qua Christus, eadem quidem sententia, sed alijs uerbis, exponit causam iudicij seu condemnationis. Nam furta, latrocinia, adulteria, parricidia, & id genus alia, sunt quidem horribilia scelera, & damnatione dignissima, non sunt autem maxima, nec sunt completa malitia: sed tunc cōpletur malitia, & peruenit ad summum, cum homines non solum peccant, sed etiam defendunt peccatum, persequuntur reprehensorem, & non uolūt accipere medicinam. Hoc, inquit, est iudiciū, c̄p̄ lux uenit in mundum, & homines dilexerunt magis tenebras, c̄p̄ lucem. Lux est uerbum Domini, quo peccata reuelantur, ut curētur. Lux est Euangelion Christi,

Fidei in Christum excellentia.

Peccatū summum, seu completa malitia.

sti, quo adnunciatur nobis remissio peccatorū propter Christum. Lux est Christus ipse, propitiatio nostra. Ego sum, inquit, lux mūdi: qui sequitur me, nō ambulat in tenebris. &: Erat lux illa, lux uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundū. Tenebræ autē sunt, primùm, peccata (hæc enim habēt originem suam è potestate tenebrarum, & abducūt homines in tenebras mortis, inferni, ac perpetuę damnationis) deinde, tenebræ etiā sunt humana prudentia, potentia, iustitia, & omnes ciuiles uirtutes, quæ etsi habēt suam lucem & dignitatem in suo genere, & in rebus huius seculi: tamen ad consequendā ueram & cœlestē salutē, sunt crassissimæ tenebræ. Hoc est igitur iudiciū, hæc est præcipua causa iudicij & condemnationis, ꝙ homines non solū sunt in tenebris: sed etiam tenebras ita diligunt, ut præ ipsis splendorem lucis repellant. Si uersarētur tantū in tenebris peccatorū, & humanę sapientiæ, aliquid adhuc loci relictū esset consilio & auxilio: sed quia eò malitiæ perueniunt homines, ut non solum sint in tenebris, sed etiā contendant suas tenebras esse ueram lucem, & malint in suis tenebris perire, q̄ꝫ luce Christi seruari, idcirco nulla amplius reliqua est spes salutis. Nam, quemadmodum si quis sedeat in tenebris externæ noctis, etsi obscura caligo, grauis est & molesta: tñ nondū despondendus est animus, nec conquerendū de perpetuis tenebris. Potest enim accendi lumen, ut discutiantur tenebræ noctis. Expectatur & dies, quo sol affert suam huic mūdo lucē: sed si is qui in tenebris noctis sedet, eò uesaniæ peruenerit, ut cōtendat tenebras suas esse lucem, & non solū extingat accensum lumen, uerumetiam eruat sibiipsi oculos, quid aliud dices, q̄ꝫ hunc esse deploratæ cæcitatis, & tenebrositatis? Aut si quis uulneratus sit corpore, etsi graue est uulnus, tñ si patitur, ut uulnus obligeť, & malagmatis curetur, cōsequitur sanitatem: quòd si uerò sic insanus est, ut contendat uulnus, nō esse uulnus, nec ferat, ut admoueatur curatio, quid obsecro, reliquum est, nisi ut pereat? Perit autē, nō quia uulneratus est, sed quia non accipit curationē: ita qui in peccatis conceptus & natus est, ac multa & magna designauit peccata, meruit quidē æternā mortem ac damnationem propter peccata, nondum autem de salute eius cōclamatum est. Reliqua enim adhuc est liberatio per Christum, propitiationē nostram. Sed si quis eò impietatis uenerit, ut nō solū peccet, uerumetiam defendat peccatum, & cōtemnat peccati expiatorem, Iesum Christum, ac ut Christus ipse ait, magis diligat tenebras quàm lucē: is certè iure ac meritò perit, non quia peccauit, sed quia non uoluit expiationē peccati suscipere. Multo enim alia est cōditio hominis, quàm Satanę. Nam Satanæ nulla reliqua est salutis uia post peccatū suum, nec datus est ei ullus recōciliator aut seruator. Semel peccauit, semper, nūc, & perpetuò est ei pereundum: homo autē, etsi peccauit, Deus tamen tanta clementia & misericordia cōplectitur eum, ut ostēdat ei uiam salutis, & mittat ipsi redemptorem. Itaq̄ꝫ si homo perit, nō perit ꝙ peccauit, sed quòd redemptorem suū non agnoscit. Data quidem est homini lex, quæ occidat, quæ dānet ipsum: nō est autē data ad hunc finem, ut detineat hominem in morte & damnatione, sed tantū ut excitet hominem ad quęren-

Cōdemnationis hominum præcipua causa quæ sit.

Collatio peccati, seu lapsus Satanæ & hominis.

dum ſeruatorem ſuũ,& cogat eum ad ſuſcipiendũ redemptorem. Viuo ego,dicit Dominus,nolo mortẽ impĳ, ſed magis ut conuertatur & uiuat.& Paulus: Cõcluſit Deus omnes ſub incredulitatẽ, ꝓpter quid? ut perirent? nequaquam,ſed ut omniũ miſereretur. & iterum:Cõcluſit ſcriptura omnia ſub peccatum.Ob quam cauſam? num ut propter peccatum interirent perpetuò? Abſit: ſed ut promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credẽtibus. Quare qui ſunt iudicati & perpetuò cõdemnati,hi perierũt,non ꝙ fuerunt in tenebris peccatorũ, ſed ꝙ maluerũt in tenebris manere,q̃ꝫ propoſitã lucem redemptionis ſectari. Exempla fortaſ-

Cain. ſis hanc rem ita illuſtrabunt, ut melius perſpici poſsit. Cain deſignauit crudeliſsimum fratricidium,et condẽnatus eſt.Quam ob cauſam? num propter fratricidium? Sed eadem cauſa dãnati eſſent patriarchæ fratres Ioſeph,qui & ipſi non minus q̃ꝫ fratricidio in Ioſeph peccarunt:& Paulus,qui cũ adhuc eſſet perſecutor Eccleſiæ, pertraxit ſtudioſos pietatis non ſolum ad blaſphemias,uerumetiam ad mortẽ. Quare Cain etſi meritus eſt fratricidio ſuo æternam internecionem,tamen nõ interĳt propter fratricidium: ſed propterea,quòd cum ueniſſet lux,illuminãs eum ad cognoſcendum peccatum,& ad credendã remiſsionem peccati propter ſemen mulieris,magis dilexerit tenebras impietatis & deſperatio-

Diluuio pereuntes. nis,quàm lucem. Vide mihi homines ante diluuium. Hi peccarũt fœda libidine & crudeli tyrannide, ac perierunt diluuio. Num propter peccatum libidinis & tyrannidis? Certè hoc peccato meriti fuerunt nõ tantum diluuium,ſed etiam infernũ.Non perierunt autẽ propter hoc peccatum:ſed hoc eſt iudicium,hęc eſt cõdemnatio eorum,quòd lux uenit in mundũ,ipſi autem magis dilexerunt tenebras quàm lucem. Lucebat lux centum uiginti annos,qua reuocabãtur à tenebris: ſed tantũ abſuit ut ſectarentur lucem, ut eam odio quoq̃ proſequerentur. Perierũt igitur,non quòd peccaſſent,ſed quòd reiecíſſent lucem. Tenebræ enim in hominibus,per ſe nondũ ſunt damno: ſed DILIGERE tenebras, hæc demum eſt cõdemnatio.Non peccatum, ſed diligere peccatum,& præ eo abominari ueram iuſtitiã, detinet homines in perpetua dãnatione.

Zodomitarũ interitus. Quid dicemus de Zodomitis? Homines,inquit ſcriptura, Zodomitæ erant peſsimi,& peccatores corã Domino nimis.& iterum:Manũ egeno & pauperi nõ porrigebãt,& eleuati ſunt, & fecerũt abominationes coram Deo:itaq̃ perierunt incendio.Nunquid ergo perierũt propter abominationes quas fecerũt? Hæ profectò dignę fuerunt incendio,nõ externi tantum,uerum etiam ęterni ac inferni ignis, & tamen patuit adhuc ſalutis uia.Perierũt autem,quia uenit lux. dicebat enim Loth: Nolite quæſo fratres mei,nolite malum hoc facere:ſed ipſi magis dilexerũt tenebras quàm lucem. reſpondent enim Loth: Ingreſſus es ut aduena, nunquid ut iudices? te ergo ipſum magis quàm hos affligemus. hæc eſt completa malitia. Quare ſtatim diuinum ſuppliciũ præ foribus præſtò adfuit.Nam quemadmodũ ciuilis magiſtratus poteſt aliquoties patiẽter ferre,ut decretum eius uioletur,tantũmodo ſi autoritas decreti maneat inuiolata,& maieſtas magiſtratus nõ deĳciat: ſed ſi ſubditus tãta impudentia peccat,ut non ſolum uiolet decretum inobediẽtia, uerum-

etiam

etiam afficiat magistratũ ipsum contumelia,& discerpat literas decreti: hoc demum magistratui est intolerabile, & necesse habet primo quoq; tempore tam impudentem temeritatẽ grauissimè punire:ita Dominus Deus noster solet cõniuere ad peccata, quæ aduersus legem suam designantur,& expectare pœnitentiã.Non enim delectatur Deus internecione hominum: sed si impius ad tantam impietatẽ peruenerit, ut non solum sceleribus suis aduersus uerbũ Domini peccet,uerumetiam uerbum Dei damnet,ac in Deum ipsum & legatos eius cõtumelioſè inuehatur,nihil alud reliquum est, q̃ ut continuò ueniat seueriſsimum Dei supplicium.An non maxima erant peccata Iudęorũ,ante Babylonicam deuastationem urbis Hierusalem, quemadmodũ prophetæ perspicuè testantur? & tamen nondum abꝛciebãtur à Deo, quin potius Deus in hoc præcipuè studiũ incumbebat, ut seruaret ipsos. Mittebat enim,ut scriptura ait,Dominus Deus patrum suorum ad illos per manum nunciorum suorũ, de nocte consurgens,& quotidie commonens,eo quòd parceret populo & habitaculo suo. Quid autem illi? Venit lux in mundum,& homines magis dilexerunt tenebras q̃ lucem. Non enim tantũ peccabant inobedientia & uiolatione diuinæ legis,sed etiam subsannabant nuncios Dei,& paruipendebant sermones eius,illudebantq; prophetis.Perierunt igitur, non q̃ ambulassent in tenebris peccatorũ, sed quòd magis dilexerint tenebras quàm lucem. Quid horribilius his peccatis,quæ commiserunt Iudæi ante Romanam urbis Hierusalem deuastationẽ,quæ & facta est ętate Ioannis Euangelistæ nostri, qui hãc concionem Christi aliquot pòst annis conscripsit? Peccauerũt eñ impietate,auaritia,ambitione,arrogantia,inuidia,impostura,homicidio,latrocinio,adulterio,& quod grauissimũ est,occisione unigeniti filꝛ Dei. Et tñ adhuc patebat eis ianua salutis.dicit eñ Petrus ad ipsos: Vobis primùm Deus,cum suscitasset filiũ suum Iesum,misit eum benedicentẽ uobis,ita ut unusquisq; uestrûm conuerteret se ab iniquitatibus suis. Sed quid multis opus est? Tantum abfuit ut Iudæi post necẽ Christi resipiscerẽt,ut etiã Apostolos, & uniuersam Ecclesiam Christi crudelissimè persequerent. Quare perierũt longè omniũ miserrimè: & hoc est iudicium,hæc est condemnatio eorum, q̃ nõ ambulauerũt in tenebris peccatorum,sed q̃ cum uenisset lux Euangelꝛ, magis dilexerũt tenebras q̃ lucem. Conferamus huc & nostra tẽpora. Peccauimus in Germania nõ tantum impietate & idololatria, sed etiã alꝛs innumerabilibus sceleribus. Nec ullum est genus peccati, quo Germani non sint sordidati. Venit autem LVX. Reuelatũ enim est diuina clementia Euangelium Domini nostri Iesu Christi,quo nõ solum affertur nobis gratuita remissio peccatorum,propter Christum:sed etiam donatur nobis hæreditas regni cœlestis. Quid ergo fit? Certè res in eo est statu, ut homines uideantur multo magis diligere tenebras quàm lucem. Alꝛ enim contemnunt Euangelion,alꝛ persequuntur,alꝛ contaminant ipsum turpissimis moribus:inter hæc minatur Turca exitium toti Germaniæ. Quid igitur futurum esse censeamus, nisi ut Germania pereat? Hęc enim est condẽnatio,non quòd homines peccauerint:sed q̃ cũ uenerit lux, homines magis

Babylonica captiuitas unde Iudæis acciderit.

Romana captiuitas unde Iudæis acciderit.

Act.3.

Germania omni peccatorum genere sordidata.

gis diligant tenebras, quàm lucem. & tamen in tantis publicis malis pĩj de ſua ſalute certam ſpem cõcipere debent. Pereat ſanè hominũ multitudo (hoc enim omnino uolũt, nec retineri poſſunt) nõ tamen peribit, qui pius eſt: & ut maximè amittat regnum terrarum, nõ tamen amiſſurus eſt regnum cœlorũ, ſi in luce Chriſti ambulare perſeuerauerit. Fili hominis (inquit Dominus ad Ezechielem) terra cũ peccauerit mihi, extendam manũ meã ſuper eam, & interficiã de ea hominẽ & iumentũ. Etſi fuerint tres uiri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabũt animas ſuas, dicit Dominus. Quare in hoc ſtudiũ iucumbendum eſt, ut etſi multitudo hominũ ſectatur tenebras impietatis, nos tamen ſectemur lucẽ Euãgelĩj, qua illuſtrati, penetremus ſalui per mortem, ad ſplendorẽ ueræ & æternæ fœlicitatis. Quæſo autẽ te, quid cauſæ eſt, quòd homines oblata luce Euangelĩj, magis diligãt tenebras impietatis, quàm Euangelĩj lucem, imò quòd etiam perſequantur lucem? » cauſam huius rei addit Chriſtus, & ait: Erant enim eorum opera mala. » Omnis enim qui mala agit, odit lucem, nec uenit ad lucem, ne arguãtur » opera eius: qui autem operatur ueritatem, uenit ad lucem, ut conſpicua » fiant facta ipſius, quòd per Deum ſint facta. Hæc eſt obſeruabilis ratiocinatio, cuius partes ex ordine pertractandæ ſunt. Chriſtus enim exponit cauſam, propter quam homines magis diligunt tenebras q̃ꝑ lucem, & includit eam in hũc, ut iſti loquuntur, ſyllogiſmũ: Omnis (inquiẽs) qui mala agit, odit lucem: qui autem operatur ueritatem, qui agit iuſta, recta & uera, uenit ad lucem. Hæc magis perſpicua ſunt, quàm ut indigeant copioſa & ſollicita probatione. Nihil enim eſt turpius, nihil fœdius, nihil horribilius, q̃ꝑ malitia, ſeu peccatum. Et quemadmodũ autor peccati, Satan, deformior eſt, & fœdior, q̃ꝑ ut audeat ſua facie in lucem ꝓdire (trãsfigurat enim ſe, ut Paulus ait, in angelũ lucis) ita qui autore Satana peccat, ferre non poteſt, ut quod agit, conſpicuũ fiat: propterea q̃ꝑ uidet actionem ſuam turpiorem & abominabiliorem eſſe, quàm ut poſsit in clara luce cõſtare. Aut eñ factũ negat, aut ſi negare nõ poteſt, excuſat, defendit, et quoquo modo poteſt, honeſta ſpecie ornat. Hoc illud eſt, quòd cũ Adam & mulier eius peccaſſent, texerunt ſe perizomatis. Contrà autem, qui agit quod uerum, quod iuſtum, quod rectum ac legitimum eſt, non abhorret lucem: ſed profert potius factũ ſuum in lucem, ut cõſpicuum fiat, q̃ꝑ ſit iuſtum, & diuinitùs approbatũ. Sapientes homines dixerũt, iuſtitiam eſſe formoſiorem heſpero & lucifero. Quæ autem ſunt formoſa & uenuſta, ea lucem amãt. Quare ut bona, iuſta & pia in lucem prodeunt: ita mala, iniuſta & impia in tenebras ſeſe proripiunt. Habes diſcrimen operum, quorũ alia amant, alia fugiunt lucem. Videamus nunc in quem ordinem opera hominũ ponenda ſint. Erãt, inquit, opera eorum mala. Quid? omnia'ne hominũ opera mala ſunt? Si de hominum piorum, & in Chriſto renatorum operibus loquẽdum eſt, manifeſtum eſt, q̃ꝑ pĩj multa bona opera faciant: quæ etſi non ſunt in ſe perfecta, & ex omni parte ſancta, tamen ſunt Deo grata ꝓpter Chriſtum filium ſuum, in quem pĩj credunt. In hoc autem loco ſermo eſt de operibus impiorum hominũ, quorũ ſemper maxima eſt in terris multitudo.

ὁ συλλογισμός: *Qui mala agunt, odiunt lucem. Homines mala agũt, ergo homines odiunt lucem.*

Κρατίστην τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἡ δικαιοσύνη, καὶ οὔθ' ἕσπερος, οὔθ' ἑῷος οὕτω θαυμαστός. *Arist. ἠθικῶν ε.*

titudo. Hi etsi aliquoties rectè agunt ciuiliter, tñ quia sunt à Deo abiecti, & carẽt Christo, nihil rectè agũt spũaliter. Ac primũ de idololatria, auaritia, inuidia, furto, homicidio, adulterio, et id genus alijs sceleribus, quæ impij cõtra manifestã legem Dei designãt, non est dubiũ, quin sint mala. Deinde habẽt impij suam honestatẽ, sapientiã & potentiã, ac multa agunt honestè & sapienter: sed & hæc opera sunt coram Deo mala. impij enim confidunt sua iustitia, honestate ac sapientia. Hæc non est simplex impietas, sed blasphemia & idololatria. Quanq̃ eñ honestas & sapientia impiorũ in suo ordine bona sint, tamen si contẽpto & abiecto Christo habeantur summa & optima, fiunt abominanda corã Deo idola. Cũ igit impiorũ hominum, quorũ semper maxima est in hoc mũdo multitudo, opera, siue illa manifesta peccata, siue honestè & sapiẽter facta, sint corã Deo mala: mirũ nõ est, q̃ odio habeant lucem, & persequantur eã uirulentissimè. Metuũt eñ ne opera eorũ arguant, metuũt ne impietatis damnẽtur. Quare omnẽ mouent lapidẽ, ut extincta luce, in tenebris suis uersentur. Sed nõ omnes, inquis, lucem uidẽt. neq̃ eñ ad oẽs homines peruenit prædicatio Euangelij Dei. Quid ergo de his dicemus? num & hi pereunt in tenebris suis? Hic audiendus nobis est apostolus Paulus, qui ad Rom. scribẽs, ita ait: An non audierũt? Atqui in omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorũ. In Actis apostolicis erãt Hierosolymis in die Pentecostes, quo spiritus sanctus cõfirmauit Euangelion Christi admirandis & stupẽdis donis, uiri religiosi ex omni natione earũ quæ sub cœlo sunt. Non est aũt dubium, quin non solum per Apostolos, uerumetiã per hos religiosos uiros diuulgatę sint in nationes suas res gestę in die Pẽtecostes, ex quibus Euãgelion Christi cognosci potuit. & Paulus iterũ ait: Non dimoueamini à spe Euãgelij, quod audistis, quod prædicatũ est apud VNIVERSAM creaturam, QVAE SVB COELO est. Nullam igitur prorsus habent excusationem hi qui ignorant lucem Euangelij. Etsi enim nõ persequuntur externa tyrãnide Euangelion Christi, tñ & hoc est Euãgelio in conspectu Dei obsistere, si quis maiori cura sectatur studiũ corporalium bonorũ, q̃ ueræ & perpetuæ suæ salutis. Qui non est mecum, inquit Christus, cõtra me est. Quare cum homines huius mundi hoc solũ agant, ut persequantur lucẽ, & sectẽtur suas tenebras, agite amicissimi, discedamus ab hominib. fugiamus è mundo, ne unà cum mũdo condẽnemur. Non discedimus autẽ rectè ab hominib. si secedamus in eremũ: nec fugimus piè è mundo, si nobis ipsis mortẽ intulerimus: sed si uiuamus ut filij Dei irreprehensibiles in medio nationis prauæ ac tortuosæ, & sectentur lucem Euãgelij, usq̃ in diẽ Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Hominũ opera qualia sint.

Idololatria hominũ impiorũ quæ sit.

Euangelion uulgatum in totum orbem terræ.

Colos. 1.

HOMILIA XXX.

PErstrinximus explicatione nostra disputationẽ, quã Christus habuit cũ Nicodemo: in qua & tam memorabilis de Christo concio recitatur, ut dignissima sit, quæ ad uerbũ ediscaẽ. Perstringemus & nũc eam concionem, quã Ioannes baptista de Iesu Christo ad discipulos suos habuit: sed priusq̃ eam commemo-

commemoremus,exponendũ eſt, qua occaſione Baptiſta ad hanc con-
„ cionem habendã excitatus ſit.Euangeliſta enim ſic ſcribere pergit:Poſt
„ hæc uenit Ieſus & diſcipuli eius in terram Iudęã,& illic morabatur cum
„ eis,ac baptizabat.Baptizabat autẽ & Ioãnes in Ænon iuxta Salim,quia
„ aquæ multæ erant illic,& ueniebãt ac baptizabantur. nondũ enim cõ-
„ iectus fuerat Ioannes in carcerem. Primùm quòd Euãgeliſta ſcribit, Ie-
ſum baptizaſſe,hoc poſtea in principio quarti capitis interpretatẽ: Quã-
quam (inquiens) Ieſus ipſe nõ baptizaret, ſed diſcipuli eius. Significat
igitur Euãgeliſta,Ieſum iuſsiſſe ſuos diſcipulos baptizare, ut quod Ioã-
Chriſtus quare non baptizauerit aqua. nes inchoauerat,Ieſus mãdato ſuo cõfirmaret. Noluit aũt ipſe baptiza-
re homines aqua,quod à Ioanne dictũ eſſet, baptizaturum ipſum ſpiri-
tu ſancto et igni,id quod poſtea in die Pentecoſtes impletũ eſt. Deinde
Ioannes dicitur baptizaſſe in Ænon iuxta Salim. In Num. cap.34. & in
Ezechiele cap. 47. fit mentio cuiuſdam Ænon, quod ſic ſcribitur עינון.
fit & mentio cuiuſdam Salim in Geneſi cap. 33.quod ſic ſcribitur שלם.
Sed & alterius cuiuſdã Salim fit mẽtio in priori libro Samuelis, cap.9.
quod ita ſcribitur שעלים. Vtrum autem horum ad hunc Euangeliſtæ
locum conueniat,nondum mihi conſtat.Hieronymus de locis Hebrai-
cis ſcribit,eum locum, in quo Ioannes baptizauit, & cuius Euangeliſta
hic meminit,ſuo tempore publicè nobilem fuiſſe,in octauo uidelicet la-
pide Scythopoleos ad meridiem,iuxta Salim & Iordanem. Cum igitur
hoc loco ſcriptum ſit,Ioannem baptizaſſe in Galilæa, Ieſum autẽ Chri-
ſtum baptizaſſe,hoc eſt,mandaſſe diſcipulis ſuis, ut baptizarent homi-
nes in Iudæa: quæri ſolet, num differant inter ſe baptiſmus Ioannis &
Chriſti,ſeu diſcipulorum Chriſti. Et cum in Actis apoſtolicis cap. 19.
ſcriptum ſit, ꝙ Paulus baptizauerit eos Epheſios in nomine Domini
Ieſu,qui antè baptizati erant Ioannis baptiſmate:ſentiũt aliquod diſcri-
men eſſe inter baptiſmũ Ioãnis,& baptiſmũ Chriſti. De qua re, quia &
Baptiſmus Ioannis & Chriſti. ſuprà & aliàs plura diximus,nũc pauca dicẽda erunt. Nã ſi conferantur
inter ſe baptiſmus aquę,et baptiſmus ignis,quo diſcipuli Chriſti bapti-
zati ſunt in die Pentecoſtes,tũc maximũ eſt inter hos baptiſmos diſcri-
men. differunt enim primùm diſpenſatoribus. Baptiſmus enim aquæ
diſpenſatus eſt per Ioannẽ & diſcipulos eius,ac etiã per diſcipulos Chri
ſti:baptiſmus autẽ ignis, per ſolum Ieſum Chriſtum in die Pentecoſtes
diſpenſatus eſt. deinde differunt materia. Alter enim cõſtat aqua,alter
igni.poſtremò differunt etiam uarietate donorum. In baptiſmo enim
aquæ,conferuntur inuiſibilia dona Dei,abſq; externis miraculis:in ba-
ptiſmo aũt ignis,collata ſunt manifeſta Dei dona,idq; manifeſtis mira-
culis.Si autẽ cõfertur baptiſmus aquæ, quem Ioannes & diſcipuli eius
diſpenſarũt,cum baptiſmo aquæ,quẽ diſcipuli Chriſti, uel ante paſsio-
nem Chriſti,uel poſt reſurrectionem eius,& miſsionem ſpiritus ſancti
diſpenſarunt,nullum eſt inter eos diſcrimen. Nam Ioãnes fuit primus,
autore Deo,miniſter eius baptiſmi,quẽ poſtea diſcipuli Chriſti diſpen-
ſarunt,& quo adhuc Eccleſia Chriſti utit. unde & cognomen Baptiſtæ
reportauit.Baptizauit enim homines in remiſsionem peccatorũ: Præ-
dicans,inquit,baptiſmũ pœnitentiæ in remiſsionem peccatorũ. Si au-

tem

tem baptizauit in remiſsionem peccatorũ, manifeſtum eſt, quòd baptizauerit homines in nomine Chriſti, de quo ipſe dixit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Quare etſi Ioannes & diſcipuli eius non dixerunt diſertis uerbis ſe baptizare in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: tamen quia baptizauerũt in remiſsionẽ peccatorũ, quæ non cõtingit niſi per Deum patrem & filium & ſpiritũ ſanctum, perſpicuum eſt, quòd baptiſmus Ioannis non fuerit alius baptiſmus, quàm is quẽ Apoſtoli inter gentes diſtribuerunt, & quo utemur in Eccleſia Chriſti uſq; ad nouiſsimum huius ſeculi diem. Nam quòd Acta apoſtolica teſtãtur, Epheſios antè Ioãnis baptiſmate, poſtea in nomine Chriſti baptizatos eſſe: non eſt intelligendum, eos iterum aqua, ſed tantũ igni baptizatos, & admirandis donis ſpiritus ſancti ornatos fuiſſe. Hoc enim uocatur illic baptizari in nomine DOMINI Ieſu, quemadmodum ſcriptura in eo loco ſeipſam exponit. Etſi autẽ hæc diſputatio de diſcrimine baptiſmi Ioannis & Chriſti uidetur hoc tẽpore otioſa et ſuperuacanea, tamen ſi hanc rem probè perpendas, plurimũ facit ad commẽdationem ſacramenti baptiſmi. Videmus enim manifeſtè, hunc baptiſmum aquæ, quo nos baptizati, & Chriſto DOMINO noſtro inſerti ſumus, diuinam eſſe ordinationem: à Ioanne quidem diuino mandato inchoatam, ab ipſo autem Ieſu Chriſto DOMINO noſtro, tam ante paſsionem & mortem ſuam, quàm poſt reſurrectionem ſuam magna autoritate cõfirmatam. Quare cum tentamur dubitatione de ſalute noſtra, reuocemus in memoriã, nos baptizatos eſſe: ut admoniti ſacramẽto baptiſmi, certiſsima uidelicet ordinatione Dei, cognoſcamus nos Deo eſſe curę: ac propter Chriſtũ, cuius membra in baptiſmo facti ſumus, ueram & perpetuã ſalutem conſecuturos. Sed uide, quid diſsidij ex baptiſmo Ioãnis & diſcipulorum Chriſti oriatur. ſic enim ſequitur: Orta eſt autem quæſtio ex « diſcipulis Ioannis, unà cum Iudæis, de purificatione. & uenerũt ad Io- « annem, & dixerũt ei: Rabbi, Qui erat tecũ trans Iordanẽ, cui tu teſtimo « nium perhibuiſti, ecce is baptizat, & omnes ueniunt ad eum. Ioannes « baptizat in Galilæa, Ieſus baptizat miniſterio ſuorũ diſcipulorũ, in Iudæa. Ex qua re oritur diſputatio de purificatione, ſeu baptiſmo inter diſcipulos Ioãnis, qui exiſtimabant unà cum quibuſdã Iudæis, illicitum & iniquum eſſe, ut Ieſus ſumeret ſibi abſq; mãdato Ioãnis, autoritatem purificandi homines per baptiſmum. Sentiebãt enim, Ioannem eſſe uerum illum Chriſtũ purificatorem & ſeruatorẽ, qui promiſſus erat per Prophetas. Metuebant præterea, ne fama Ioannis præceptoris ſui per Ieſum obſcuraretur: quare iudicabant temeritatem Ieſu cõpeſcendam eſſe, ne ipſe, oppreſſo Ioanne, haberetur & coleret pro Meſsia. Etſi autẽ dubium non eſt, quin diſcipuli Ioannis fuerint honeſti uiri, hoc tamen loco fiunt organa Satanæ. Conantur enim, quantum in ipſis eſt, Ieſum Chriſtũ opprimere, et Ioannem ſuũ in Meſsiam extollere. Hic eſt conatus, hic eſt labor, hoc eſt opus Satanę: uidelicet ut efficiat, ne Ieſus filius Mariæ, à Deo in uerum Meſsiã ſeu Chriſtũ unctus, credatur eſſe Meſsias. Ferre enim poteſt Satan, ut quiuis alius habeatur Meſsias, modò id maieſtatis non tribuatur Ieſu Nazaræno. Nam dictũ eſt diuinitùs, iam

Diſcipulorum Ioannis peccatum.

Satanæ bellũ aduersus Christum.

inde ab initio cõditi mundi ad Satanam: Semen mulieris cõteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Quare cũ intelligat potentiã suã per uerum Messiã cõterendam, omnes uires suas in hoc exercet, ut maiestatem ueri Messiæ aut obscuret, aut si queat, omnino aboleat. Itaque ab initio uirulẽtissimè persecutus est tam eam gentem, ex qua sentiebat Messiã nasciturũ, q̃ omnes illos qui se spe uenturi Messiæ sustentabãt. Postq̃ autem natus esset Messias ex muliere, statim insidiatus est uitæ eius per Herodẽ. Cũ uerò hac nõ succesisset, excitauit aduersus ipsum Pharisæos & uniuersam gentem Iudęorum. Hi etsi effecerũt, ut affigeretur cruci, & moreretur: tamen non potuerũt eum in morte detinere. resurrexit enim tertia die, & intrauit in gloriam patris sui. Quid ergo postea? num, quia Satan nihil amplius potuit in personam Messię, conquieuit? nihil certè minus. Inuasit em̃, quantis potuit uirib. gloriã Messiæ, ac discipulos eius, initiò per Iudæos & gẽtes, deinde per hæreticos, mox per eremitas, monachos, & sacrificulos, ex quibus conflata est hypocrisis & impietas pontificia, & sophistica: deinde per Mahumetem, & Turcismum. Nec unq̃ desinet insidiari calcaneo Christi, donec hic mũdus constiterit. Cũ enim Satan omnes alias religiones, omniaq̃ alia regna ferre po ̃sit, solã ueram religionem Christi, & solum regnum eius ferre non potest. Hoc nobis diligenter est cognoscendũ, ut non dimoueamur à uera in Christũ fide, propter uarias cõtradictiones aduersus Christum, & multas controuersias religionis: sed potius confirmemur fide, q̃ cũ uideamus Satanam obsistere Iesu Christo, & Euangelio eius, per uniuersum mundũ, apertè cognoscamus, hũc Iesum, cuius calcaneo Satan tãtis conatibus insidiatur, esse uerũ illud semen mulieris, de quo dictum est, q̃ sit contritutrũ caput serpẽtis: & de quo Propheta uaticinatus est, q̃ sit quidem lapis offensionis, & petra scãdali duabus domibus Israel, & in laqueum & ruinam habitantibus Hierusalẽ: sedeat autẽ super solium Dauid, & super regnum eius, ut confirmet & corroboret illud in iudicio & iustitia, amodò & usq̃ in sempiternũ. Deinde adumbrantur etiam hoc loco in discipulis Ioãnis, mores seruorum aut ministrorũ erga dominos suos. Nam inter Iesum & Ioannem, qui erant principes doctrinæ religionis, optimè cõueniebat. Discipuli autem Ioannis hoc agebant sua accusatione, ut excitarẽt dissidium inter Iesum & Ioannem.

Seruorum mores.

hi sunt mores, hæc est consuetudo seruorũ in hoc seculo. Etsi enim domini sunt cõcordes & unanimes, tamen serui ac ministri eorũ solent, quoquo modo possunt, autores esse discordiarum. habes exemplum in

Gen. 13.

pastoribus Loth & Abrahæ. Ac non licet quidem seruis cessare, & rem domini sui negligenter administrare: non est autẽ figmentis & mendacijs materia discordiæ domino prębẽda. Sed sunt, inquit Salomon, quę odit DOMINVS, & septimum detestatur anima eius: Oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes sanguinem innoxium, cor machinans cogitationes pessimas, pedes ueloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & EVM QVI SEMINAT inter fratres discordias. Quem autem detestatur Dominus, quid obsecro, salutis ei reliquum erit? Accedit huc, quòd qui est autor

dissensionum,

diſſentionum, is adminiſter eſt Satanæ. Satan enim ut eſt pater mẽdacij & homicidij, ita etiam eſt pater diſſentionum. Quare qui mendacio & iniquitate præbet alijs occaſionem diſcordiæ, is ſeruit Satanę, quo cum etiam pro mercede ſeruitutis ſuæ hæreditabit æternã maledictionem. poſtremò obſeruabis in diſcipulis Ioannis ambitionem. Metuũt enim, ne ſi gloria Ieſu Chriſti promoueat, nomen Ioannis præceptoris ſui, & ipſorum obſcuretur. Accuſant igitur Ieſum coram Ioãne, & ſollicitant Ioannẽ, ut prohibeat Ieſum à ſuo inſtituto. Eſt & hoc uulgare igneniũ hominum, ꝙ ſentiant aliorum commoda, ſua eſſe incõmoda: ideoq; ꝙ inuident alienis commodis, & uarias excogitãt rationes, quibus alienam fœlicitatem impediãt. Sed ut illa ſententia uaniſsima eſt, ita alienis commodis inuidere, & iniquitate obſiſtere, prorſus eſt Satanicum. Qui eñ in Chriſtum credimus, unius corporis mẽbra ſumus. Membra, inquit Paulus, eiuſdem corporis ſumus, ex carne Chriſti, & ex oſsibus eius. & iterum: Vnum corpus, unus ſpiritus, quemadmodum et uocati eſtis, in una ſpe uocationis ueſtræ. Inter membra autẽ, etſi aliud alio dono præditum eſt, tamen maxima eſt cognatio & cõmunio omnium cõmodorum. Si caput ornatur regia corona, non pes, nõ manus inuidẽt, ſed potius iuuant ornatum capitis: quippe ꝙ capitis honorem, etiã ſibi honori ducant. Si digitus ornatur aureo annulo, nõ inuidet uel oculus uel auris, ſed multo magis delectatur. Cũ igitur ſimus inter nos inuicẽ membra, nullus ſentire debet ꝙ alterius cõmoda, ſint ſua incõmoda: ſed potius agnoſcat, tantum ſibi utilitatis contingere, quantum DOMINVS proximo largitur. ſed inquies: Fingo cõſulatum, aut aliud genus officij eſſe, quod gerenti afferat non ſolum dignitatem, ſed etiã magnam utilitatem: duos autẽ uel tres eſſe, qui adminiſtrationem huius officij petãt. An non is, cui ex ſuffragijs eorum, penes quos eſt ius electionis, cõtingit adminiſtratio, impedimẽto eſt alijs, quo minus utilitatẽ conſequantur? Quis dicat, eos qui repulſam paſsi ſunt, tantum cõmodi accipere, quantum is qui uoti ſui cõpos factus eſt? Sed hoc quantumuis abſurdũ uideatur: tamen quemadmodum Moſes de his qui manna collegerant, dicit, Nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: ita etiam uerè dici poteſt de his qui ſimul petũt adminiſtrationem alicuius cõmodi officij: nec qui accipit, plus habet: nec qui repulſam patit, minus habet. Dñs eñ Deus noſter, nõ idcirco te abijcit, ꝙ non ſis aſſecutus ab hominib. tuam petitionem: ſed tanto magis Deo curæ es, quanto plus uideris ab hominib. neglectus. Conſtat adhuc firmiſsimè hæc Dominicę orationis particula, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: qua conſtante, nihil certè poteſt corporali cõmodo pij hominis deeſſe. An non meminiſti, quid illud ſit, q̃d in Symbolo, ut uocãt, Apoſtolico recitare ſolemus: Credo in Deũ patrem omnipotentem, creatorẽ cœli & terræ? Non eñ ſentiendũ eſt, Deũ hoc tñ nomine omnipotentẽ dici, & eſſe, ꝙ initiò omnia omnipotenti uerbo ſuo creauerit: ſed etiam hoc nomine, ꝙ adhuc omnia omnipotẽter adminiſtret, nec cadat capillus de capite noſtro, ſine uolũtate et adminiſtratione eius. Quod cum uerè ſe ita habeat, manifeſtumeſt, ꝙ ſic uiſum fuerit

Cõtentum eſſe ſua ſorte.

Omnipotentis nomen.

Domino Deo tuo, ut nõ assequaris petitionem tuã ab hominib. Nam si Deo uisum esset, quis hominũ potuisset obsistere? si autẽ Deo uisum nõ est, nullus certè hominum fauor potuit te iuuare. Agnoscẽda igitur est ex euentu uoluntas Dei, sine quo, ne unus quidẽ passerculus in terrã cadit: & obedienter sufferendum est, quòd Dei uoluntate euenit. Qui reliquerit (inquit) domos aut fratres aut agros propter nomen meũ, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Non is autem tantum relinquit domum aut agros propter Christum, qui in persecutione mauult in exilium eñci, q̃ꝫ Christum abnegare: sed etiam, qui repulsam precum suarum coram hominibus, mauult boni consulere, & æquo animo ferre, q̃ꝫ uoluntati Dei obsistere, & aduersus Deum peccare. Hæc est illa obediẽtia, quæ Domino Deo nostro multo grauior est, q̃ꝫ uictimæ & holocausta. Quare tantum abest, ut alterius commodũ, in impetranda petitione sua, tuum sit incommodum, ut consequaris potius ex eo centuplã utilitatem, si patientia & æquanimitate tua obsecutus fueris uoluntati Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXI.

AGite amicissimi, suscipiamus nunc exponendam egregiam illam & memorabilem concionem, quam Ioannes baptista ad discipulos suos de Iesu Christo habuit. In hac enim Ioannes non solum grauiter increpat discipulos suos, quòd conentur, quantum in ipsis est, Iesum maiestate Messiæ priuare: sed comprehendit etiam summam totius Christianæ doctrinæ. Quare hæc Ioannis cõcio thesauri loco reponenda & conseruanda est. respõdit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datũ è cœlo. ipsi uos testes estis, quòd dixerim, Non sum ego Christus, sed missus sum ante illum. Hæc est grauissima increpatio, qua Ioannes reprehendit discipulos suos, quòd inuitissimo ipsi obtrudant maiestatem Messiæ, & auferant eam à Iesu, qui solus est uerus Messias. Quid me, inquit, obtunditis? quid mihi toties molesti estis? Video uos hoc unum agere, ut ex me faciatis Messiam: ego uerò nihil minus agnosco. Vos ipsi mihi testes estis, quod hactenus semper confessus sim ingenuè, me nõ esse Messiã, sed tantum testem, ministrũ, & famulũ Messiæ: neq̃ꝫ id immeritò cõfessus sum. Nullus enim hominum quicquam sibi arrogare debet, quod non est ei è cœlo datũ, quod non est ei diuinitùs mandatũ, & ad quod non est legitimè uocatus. Ego uerò non sum in hoc uocatus, ut sim ipse Messias: sed tantũ ut sim testis & minister Messiæ, ut homines prædicatione & testimonio meo ad agnoscendũ uerum Messiã, & credendũ in eum uocem. Quare apagete cum importuna uestra seu opinione seu ambitione: nunc q̃ꝫ à me impetrabitis, ut mihi arrogem tantum honorem: sed quod mei est officij, ei deferam maiestatem Messiæ, cui meritò debetur. Hic initiò obseruãda est iterũ uirtus constantiæ in Ioanne. Nam quemadmodum antè, ita & nunc ac perpetuò cõstat in cõfitenda & affirmãda ueritate de Iesu Christo: quæ confessio, etsi uidebatur offectura gloriæ suæ, mauult tamen

Concio Baptistæ de Iesu.

ueritate

ueritate uocationi Dei obsequi, quàm mendacio fauorem hominũ uenari. Hæc certè est cõpendiaria uia ad ueram gloriam nominis sui consequendam. Quid enim nunc, secundũ Christum, glorioſius in Ecclesia Dei, Ioanne baptista? Quicunq; inquit Dominus, honorificauerit me, glorificabo eum: Ioannes honorificauit Deum patrẽ cõstanti confessione ueritatis de Iesu Christo filio Dei: quare Deus uicissim ita glorificauit Ioannem, ut inter natos mulierum non habeatur maior. Quo exemplo admonemur, ut ad assequẽdam aut retinendã gloriam nominis, non cõtendamus mẽdacio, sed ueritate: quæ etiamsi primo aspectu uideatur incõmoda, tamen quum Deus ipse sit ueritas, fieri nõ potest, quin, si in ea consistamus, afferat maximam utilitaem. Deinde Ioannes proponit obseruabilẽ γνώμην: Nõ potest homo quicquã accipere, nisi fuerit ei datum è cœlo. Hæc sententia, ut latè patet, ita magna cõmoda afferret, si quò ducit, sectaremur. Non essent inter nos tot dissidia, non tot contentiones, magna esset uitæ nostræ trãquillitas & fœlicitas. Sed quomodo, inquies, hæc γνώμη intelligenda est? Quid enim dicemus? an' non plurimi acceperũt, quod ipsis non fuit datũ è cœlo? Abimelech filius Gideonis, accepit, occisis septuaginta fratribus suis, regnum Israelis, & tamen nõ erat ei datum è cœlo. Similiter & Absolom filius Dauidis accepit, eiecto parente, regnũ Israelis, sed nec huic datum erat è cœlo. Theodas, Iudas Galilæus, & Cochabas accipiebãt maiestatẽ Messię, ad liberandos Iudæos è Romana seruitute, & tamen hoc nõ erat eis datum è cœlo. Huc accedit, q; & multi accipiunt ac rapiunt alienas opes, quas non dat ipsis Deus è cœlo, sed Satan ex inferno. Quid ergo est, q; Ioannes dicit: Non potest homo quicquam accipere, nisi fuerit ei datũ è cœlo? Obseruandum igitur, q; Ioannes hic non loquatur de conatu & temeritate impiorum (impij enim multa sine uocatione Dei conantur, multa absq; Deo agenda suscipiunt, non possunt autẽ in his fœlicẽ conatus sui euentum habere. Spes, inquit, impiorum peribit) sed Ioannes loquitur de officio pij hominis, quid debeat facere, ut habeat adiutorẽ Deum, & prosperũ instituti sui euentum. Itaq; is est huius dicti sensus: Non potest homo quicquam bona cõscientia, & certa diuinæ benedictionis expectatione accipere, nisi fuerit diuinitùs ad hoc uocatus: nec ullus pius homo, qui uoluerit suũ officiũ facere, et fœlicem rerũ suarum successum habere, debet sibi arrogare alienã uocationem, ad quam ipse non est legitimè ac diuinitùs ordinatus, ne patiatur, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος, quemadmodũ Petrus loquit. Nã in omni inuocatione, & in quouis hominũ instituto, necessaria est benedictio et incrementũ Dei. Nisi Dominus (inquit) ædificauerit domum, inuanũ laborant, qui ædificãt eam. Quomodo potest autem benedictio Dei huic contingere, qui sibi absq; Deo usurpat alienũ officiũ, aut uocationem? Quare necessarium est, ad consequendam diuinam benedictionem, ut nihil instituas, aut faciendum suscipias, nisi cœlesti mandato uocatus. Moses accepit ducatus Israelis, ut liberaret populum Dei Ægyptiaca seruitute: accepit autem hoc officiũ, non temeritate carnali, sed uocatione cœlesti. Quare, quod instituit, fœliciter etiam successit. Contrà, Abimelech accepit re-

Gloriæ consequendæ uera ratio.

Vocatio debet ex Deo esse.

1. Pet. 4.

Sine uocatione nihil instituendum.

gnum Israelis: idq; nulla Dei uocatione, sed mera animi sui cupiditate & ambitione. quare perijt etiam fœdissimè. Dauid accepit regnũ Israelis, non inconsiderata quadam temeritate, sed diuina uocatione. conatus igitur eius fœliciter promouit. Absolom autem accepit regnum, non à Deo, sed à Satana: itaq; pependit. Iesus filius Mariæ uirginis è familia Dauidis accepit honorem & maiestatem Messiæ: accepit autẽ non temerè, sed quia hoc erat ipsi è cœlo datum. quod igitur fecit, prosperum habuit euentum. Theodas autem, & Iudas Galilæus, & Cochabas acceperunt hunc honorem sine uocatione Dei: quare acceperunt etiam dignum meritis suis supplicium. Ioannes baptista & Apostoli acceperũt officium testificandi de Iesu Christo, & diuulgandi Euãgelij eius in totum orbẽ terræ. Hoc officiũ datũ erat eis de cœlo. Fœliciter ergo promouit, quia in omnem terram exiuit sonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorum. Sed quid? Hæccine est fœlicitas, quòd Christus, Ioãnes & Apostoli, in suo instituto trucidati sint? si uocatio eorũ fuit ex Deo, quomodo impij prævaluerunt, & occiderũt ipsos? Hic cõsiderandum nobis est, quod fuerit institutum Christi & Apostolorum eius. Nam Christus non uenit in hunc mundũ, nec suscepit prædicationem Euangelij sui, ut semper fœlicem in hoc seculo uitam uiueret: sed ut suscepta morte, expiaret peccata, & uinceret mortẽ, ac per mortẽ ingrederetur in gloriam patris sui. Quare cum impij prævalerent aduersus ipsum, & traderent eum morti, tantum abfuit ut institutum eius impedirent, ut potius contra suam ipsorum uoluntatem adiuuarent. Institutum enim Christi per mortem fœliciſsimè promouit, quia expiauit peccata, uicit mortem, resurrexit à mortuis, & impetrauit omnibus credentibus in ipsum æternã uitam. Hoc planè illud est, quod uoluit Christus: eodem modo de instituto Apostolorum sentiendum est. Apostoli enim susceperunt ex uocatione Dei prædicandũ Euangelion, nõ ut semper in hoc mundo fœliciter uiuerent, aut ut ciuili & tranquilla morte obirent: sed ut uulgarent Euangelion in totũ orbem terræ, & cõfirmarent testimonio suo ac miraculis ueritatem eius. Quare etsi crudeliter à tyrannis occisi sunt, tamen institutum ipsorum fœliciſsimè succesit. Quanto enim crudelius trucidabantur, tanto magis confirmabatur & propagabatur ueritas Euangelij. Hoc nimirum illud est, quod Apostoli uoluerunt, & instituerunt: in suscipienda lite cum aduersario coram iudicibus non hoc agitur, ut omnes accessorias sententias, sed ut nouissimã ac principalem sententiam in causa tua obtineas. Nondum enim à causa cecidisti, etiamsi perdideris accessoriam sententiam: aut in suscipiendo bello, non hoc agitur à duce, ut in omnibus uelitationibus ac leuibus certaminibus uictoriam reportet. Satis suo officio functus est, satisq; gloriæ adeptus, si consecutus fuerit uictoriam in summo & extremo prælio: sic etiam in suscipiendo ministerio prædicandi Euangelij de Iesu Christo, non erat Apostolorum institutum, ut tyrannorũ manus effugerent, & nunquam externa morte occumberent, sed ut propagarent concionem Euangelij inter gentes. Quod cum adsecuti sint, quẽadmodum res ipsa testatur, negari nõ potest, quin prosperum habuerint in-

Apostolici ministerij incremẽtum quomodo intelligendum.

stituti

ſtituti ſui euentum, etiamſi tyranni crudeliter ipſos interemerint. Idem etiam dicendum eſt de eorum miniſterio, qui hoc tempore ſuſceperunt prædicandam puram doctrinã Euangelij de Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro. Neceſſe enim eſt, ut qui uocati ſunt ad docendum Euangelion, non ſolum reprehendant craſſa & externa uulgi uitia, ſed etiam refutent impiam doctrinam. Cauete, inquit Chriſtus, à pſeudoprophetis. & Paulus: Sunt multi intractabiles, uaniloqui, & mentium deceptores, maximè hi qui ſunt ex circũciſione, quibus oportet obturare os. & in Ezechiele: Si dicente me ad impium, morte morieris, non adnunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur à uia ſua impia, & uiuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Multa autem ſunt genera impiæ doctrinæ: non enim ſolum Iudæi, nec tantum Ethnici & Mahumetiſtæ, ſed etiam pontificij, monachi, ſacrificuli & hypocritæ in Chriſtianiſmo impiè docent de religione, & de conſequenda uera ſalute. Sentiunt enim & docent, quòd homo expiet peccata meritis ſuæ iuſtitiæ, & conſequatur uitam æternam propter merita ſuorum operum. Hæc doctrina euertit totum Euangelion Chriſti, quemadmodum aliàs perſpicuè demonſtratum eſt. Quare qui uocati ſunt ad docendum Euangelion, ac reprehendunt hanc impiam doctrinam teſtimonio & autoritate ſacræ ſcripturæ, hoc accipiunt, quod ipſis è cœlo datum eſt. Quid igitur? num quia aliquot pij Eccleſiaſtæ ſunt à pontificijs crudeliter occiſi, dicemus hoc miniſterium non fuiſſe eis è cœlo datum? aut, quod Dominus clementer prohibeat, ſi uel Turcæ, uel pontificij potirentur rerum in his regionibus, in quibus purum Euãgelion Chriſti ſynceriter docetur, ac trucidarẽt Eccleſiaſtas, & inſtituerẽt publicè ſuas impietates, num exiſtimandum eſſet, ueritatẽ Euangelij de Ieſu Chriſto interijſſe? aut prædicationem Euãgelij non fuiſſe diuinitùs ſuſceptam? nihil certè minus. Pij enim doctores non idcirco ſuſceperunt prædicandum Euangelion Chriſti, ut ipſi perpetuò in hac uita fœliciter degant, ſed ut gloriã Chriſti explicatione ſua illuſtrent. Hoc cum iam ſint aſſecuti, quicquid deinceps acciderit ipſis, magis ad prouectum Euangelij eueniet, quẽadmodum Paulus loquitur. Adhæc ueritas Euangelij non conſtat dominatione ciuilis magiſtratus, aut externa hominum cõgregatione: ſed conſtat potentia Chriſti Domini noſtri, ſedẽtis ad dexteram patris ſui. Ac conandum quidem eſt totis uiribus, & petendum à Domino ardentiſſimis uotis, ut non ſolum in his regionibus, in quibus adnunciatur ſyncerum Euangelion Chriſti: uerumetiam in alijs regionibus, pius magiſtratus clauum imperij teneat, & gubernaculã reipublicæ tractet. ſed ſi uel propter peccata noſtra, uel propter alias cauſas Dño uiſum fuerit, ut impij dominẽtur: nihil tamen certius eſt, quàm quod quandiu Chriſtus ſedet ad dextram patris ſui (ſedebit autem perpetuò) nec Eccleſia Chriſti perire, nec ueritas Euangelij Chriſti aboleri queat. De qua re multa quidem dici poſſent, ſed nunc nec eſt neceſſarium, nec opportunum. Perſequemur igitur ea, quæ adhuc in hac γνώμῃ, Non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum è cœlo, reliqua eſſe uiden

Concionatoris Euangelici officium.

Pontificiorum doctrina impia.

Philip. 1.

tur. Diximus enim hactenus de officijs & uocationibus, quæ non sunt accipiẽdæ, nisi diuinitùs è cœlo: nec sunt fortunatæ, nisi sic accipiantur. Dicamus nunc etiam de opibus, quæ & ipse, nisi diuinitùs è cœlo accipiantur, non possunt esse fortunatæ. Vt em̃ nemo debet aliquam uocationem aut officium accipere, nisi fuerit ei datũ è cœlo: ita nemo debet opes accipere, nisi fuerint ei è cœlo datę. Quæ ergo dantur è cœlo? Primùm quæ perueniunt ad quempiam legitima hæreditate, deinde quæ acquirunt̃ iusta & legitima negociatione & labore: adhæc, quæ obueniũt iusta donatione. ac breuiter, hę opes dicũtur à Deo è cœlo accipi, quæ nõ contra hanc legẽ, Non fureris, accipiuntur. Nã quod cõtra hãc legem accipitur, hoc nõ porrigitur à Deo è cœlo, sed à Satana ex inferno. Videndum igitur est, quid sit furari. Nam furatur, qui alienas res illegitimè cõcupiscit. Furatur itẽ, qui inuito domino alienas res clàm surripit. Furatur etiam, qui congregat opes iniquis mensuris, ponderibus, mendacijs, uanitate orationis, nugis & imposturis. Furatur & is, qui cũ in inopia & fame, summaq; annonæ caritate, magnum habeat frumenti numerum, interim autem aliud frumentũ multo plus emat, q̃ consuetum sit, ut non tam hoc, quàm illud quod antè habet, q̃ plurimum uendat. De hoc postremo furti genere, tempus monet ut aliqua nunc dicamus. Cum enim hoc tempore magna sit inopia annonę, auari quidã frumentarij, non solũ non exponunt frumẽta sua uenalia, usitato, hoc difficili tempore, precio: sed etiam coemunt & coaceruãt alio maximo precio: idq; faciunt hoc consilio, ut sua emptione augeãt preciũ, quo ea frumenta, quæ hactenus habuerunt, plures uẽdere queant. Impij homines existimãt, hanc uersutiam esse honestam rationẽ parandarũ opum. Nihil autem est ea uel turpius, uel sceleratitius: non simplex est furtum, sed sacrilegium: non simplex rapina, sed latrocinium. Nam in hoc conditi sumus, ut seruiamus humanæ societati, eaq; lege nati sumus, & ea habemus naturæ principia, quibus parẽre, & que semper sequi debemus, ut nostra utilitas sit cõmunis utilitatis. Huc uocat nos lex illa nulli non cognita: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. &: Omnia quæcũq; uolueritis, ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Frumentarij aũt, qui cum magnum habeant numerum frumenti, nõ solum nõ exponunt illud in publica rei frumentarię inopia uenale, uerumetiam frequẽti sua emptione impedimẽto sunt pauperioribus, ne possint tolerabili precio frumenta sibi necessaria comparare: tantum abest ut seruiant humanæ societati, ut potius bellũ cũ ipsa suscepisse uideãtur. Damno enim sunt, nõ uni tantum & alteri homini, sed toti ciuitati, imò toti regioni. Accedit huc, q̃ si quãdo datur diuinitùs frugũ ubertas & copia, ea datur maximè omniũ propter pauperes terræ. Aperies, inquit, manũ tuam pauperi, & dabis ei mutuũ, quo eum indigere perspexeris. Nõ ages quicq̃ callidè in subleuandis necessitatibus eius, ut benedicat tibi DOMINVS in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. Diligenter, quæso te, obserues, quid illud sit, quod ait: Vt benedicat tibi DOMINVS in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. An non perspicuè significat spiritus sanctus, q̃ benedictio nõ frugum tantum,

Opes quæ è cœlo dantur.

Furari quid sit.

Frumentarij reprehenduntur.

Deut. 15.

Frugũ benedictio propter quid cõtingat.

sed

ſed & aliarum rerum, diuinitùs cõtingat ditioribus propter pauperes? Quare frumẽtarij, qui ad defraudandos & deglubendos pauperes, frumenta quæ poſſunt, quantouis etiam precio, ſibi coaceruant, deſignant multo magis ſacrilegiũ, quàm uulgare furtum. Et quod horribilius eſt, non ſolum peccant aduerſus hoc præceptum, Non fureris: ſed etiã aduerſus illud, Non occidas, ut contineantur in catalogo tam furum & ſacrilegorũ, q̃ homicidarũ. In Eccleſiaſtico enim dicitur, Panis egentiũ, uita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. & iterum: Occidit proximum, qui aufert ei uictum. Cum Eccleſiaſtico conſentit & propheta Amos: Audite hoc, inquiens, qui conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terræ, dicentes, Quando tranſibit neomenia, & uenundabimus merces: & ſabbatum, & aperiemus frumentũ, ut imminuamus menſuram, & augeamus precium, & ſupponamus ſtateras doloſas, ut poſsideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamẽtis, & quiſquilias frumẽti uendamus. Habes crudelitatem frumentariorũ. Audi nunc ſupplicia, quibus tota regio propter ipſos plecti ſolet: Iurauit Dominus per ſuperbiam Iacob, ſi oblitus fuero uſq; in finem omnia opera eorum. Nunquid ſuper iſto nõ commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius? Vide obſecro, quantam perniciem afferãt auari & crudeles frumentarij. Non enim unus tantũ aut alter egenus ab ipſis opprimitur, ſed inferunt uaſtitatem in totas regiones, ut à publicis prædonibus & incendiarijs planè nihil differant. Multa ſæpe, & horrenda de mulieribus ueneficis ac incantatricibus ſpargi ſolent, quòd excitent aliquoties incantamẽtis ſuis tẽpeſtates, quibus fruges uaſtentur. In harum mulierum catalogo recenſendi ſunt frumẽtarij iſti mercatores. Ac de ueneficis quidem res ita ſe habet, quòd nullus, aut uir aut mulier tam potens ac tam induſtrius eſt, qui queat ſua arte aut incãtatione ueras in aere procellas ac tempeſtates excitare. Nam ſi hoc cõcederetur homini pro ſuo arbitrio, profectò nunquam tuti eſſemus à tẽpeſtatibus, tanta eſt in humano corde libido nocendi: ſed Satan, cui eſt poteſtas aeris, quemadmodum Paulus ait, uidet uẽturas tẽpeſtates ac procellas, quæ ſint magnum exitium allaturæ. Quare mouet animos eorũ, quos tenet captiuos & ſibi addictos, ut ſuſcipiant, neſcio quas incantationis formulas: quibus peractis, cum oriuntur tempeſtates, quæ alioqui etiam abſque incantationibus uenturæ erant, perſuadent ſibi penitus, quòd ipſorum uiribus excitatæ ſint. Etſi autem horũ perſuaſio uaniſsima eſt, tamen leges iuſtè puniunt eos, nõ quòd ipſi ſint tempeſtatum autores: ſed quòd, quantum in ipſis eſt, hoc toto animi deſiderio, totiſq; uiribus ſuis conantur, ut exitium non uni tantum homini, ſed uniuerſæ regioni inferant. Nam qui ita affecti ſunt, non iam in hominum, ſed in Satanarum numero continentur. Sic etiã ſentiendum eſt de iſtis frumentarijs mercatoribus. Etſi enim hi non poſſunt Domino benedictionem ſuam effundente, annonam duriorem & cariorem efficere (nam ſi hęc res in illorum arbitrio & poteſtate ſita eſſet, nunq; certè nõ laborandum nobis eſſet inopia annonæ) tamen cum uident uenturam, affligẽte Domino, caritatem rei frumentariæ, in hoc omne ſtudium, omnes cogitationes

Veneficæ mulieres.

Exo. 22. & in 11. duodecim tabularum.

nec & conatus ſuos conferunt,ut quod futurum eſt,promoueat. Solet enim Dominus aliquoties luxum,crapulam,helluationes,ignauiam & inſolentiã uulgi publica fame & inopia rerũ punire. Nam cũ iuxta Ec-
Eccleſiaſt.18. cleſiaſticum ſcriptorem exigatur à nobis, ut in tẽpore abundantiæ meminerimus paupertatis,et in die diuitiarũ,neceſsitatis:hi potius mores noſtri ſunt,ut in ubertate & uilitate rerũ, ducamus ſecuriſsimã uitam, & totos dies ac noctes in cõuiuijs & compotationib. ignauiſsimi trãſigamus. Quare immittit Dominus ſupplicium famis & penuriæ,ut tantam morum licentiam cõpeſcat,et nos ad pœnitentiam ducat. Cum au-
Famẽ cur Deus immittat. tem Satan animaduertit iram Dei, & intelligit Deũ ſupplicia in homines immiſſurum,tanta lætitia geſtit,ut teneri nõ poſsit, quin ſe in organon inferẽdi ſupplicij offerat. Tam inuidus enim & tam maleuolus ſpiritus eſt,ut nõ niſi exitia & interneciones hominum meditetur. Poſtq̃ uerò impetrauit,ut ſit organon ſupplicij, non obambulat ipſe uiſibilis inter homines (fœdior enim & turpior eſt, q̃ ut audeat ſeſe hominib. conſpiciendũ proponere)ſed inſinuat ſe in auaros iſtos frumẽtarios,& abutitur opera eorum,ad perficiendũ id quod inſtituit. Quare,ſi rectè definire uolueris frumentarios iſtos mercatores, nõ ſunt niſi organa & mancipia Satanæ, quibus totæ regiones excarnificantur. Quid autem ſceleſtius,quid abominabilius eſt, q̃ eſſe Satanæ, tam crudelis tyranni mancipiũ? Quanta item pœna dignus eſt, qui ſua opera impietatem & crudelitatẽ Satanæ adiuuat? Manifeſtum quidẽ eſt,quòd ut nec Satan, ita nec frumẽtarius poſsint pro ſua libidine publicã famem & penuriã in regionem aut ciuitatem inuehere: ſed hæc demum eſt magna,& meritò damnãda crudelitas, quòd quæ Deus ſupplicia immittit ad ſalutẽ hominum,ijs Satan & frumẽtarius mercator abutũtur ad hominũ perniciem & internecionem. Et quemadmodum Deus iratus quondã Iudæis,tradidit eos affligẽdos Babylonijs,ut ſupplicio admoniti,ſeruarẽ-
Eſa.47. tur:Babylonij autẽ cogitauerũt exitium & perditionem eorum. Iratus ſum,inquit,ſuper populum meum,cõtaminaui hæreditatem meam,& dedi eos in manu tua. Nõ poſuiſti eis miſericordias,ſuper ſenem aggra-
Zacha.1. uaſti iugum tuum. & iterum: Zelatus ſum Hieruſalẽ & Zion zelo magno,& ira magna ego iraſcor ſuper gẽtes opulẽtas, quia ego iratus ſum parum,ipſi uerò adiurauerũt in malum. Ita & Deus iraſci ac ſuccenſere ſolet uulgo hominum,quòd in rerum abundãtia abutantur donis ſuis: ac affligit eos penuria,ut excitati aduerſis, pœnitentiã agant & ſeruentur:frumentarij autem mercatores adiurãt in malũ,ut Propheta loquitur,& meditantur pauperum ac miſerorum hominum oppreſsionem. Quare cum toto animi deſiderio cupiãt omnium aliorũ hominum interitum,ut ipſi ſuã uoluptatem expleant ac diteſcant,indigniſsimi ſunt, qui in hominum numero percenſeantur. Quid,quòd quas opes, quas diuitias frumentarij iſti pollicentur ſibi,eas mercaturis & nũdinationibus ſuis haud q̃aquam conſequuntur? His enim moribus,imò his cru delitatibus nõ fiunt ditiores, ſed pauperiores. Qui abſcõdit,inquit Sa-
Prouerb.11. lomon,frumẽta,maledicetur in populis:benedictio autem ſuper caput uendẽtis. Si is maledicitur, qui nõ exponit in publica inopia frumentũ

uenale,

uenale: quid illi contingat, qui nõ ſolum non exponit uenale, qu od habet, ſed etiam coemit alia, ut precium augeat? Nec quis blandiatur ſibi, quòd maledici homines peccent: ſed timeat potius, quòd miſerorũ clamor non ſit uanus. Pauper eſt, inquit lex, & ſuſtentat ex eo animam ſuã, ne clamet cõtra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum. Quęſo autem te, quæ poteſt eſſe huius quæſtus benedictio, cui & Deus & homines maledicũt? dicit & aliàs Salomon: Qui calumniatur pauperem, ut augeat diuitias ſuas, dabit ipſe ditiori, & egebit. Calumniatur autem pauperem, non impoſtor tantum, ſed etiam frumẽtarius, qui coaceruat frumenta quantouis precio, ut ea pluris uendat. Non auget igitur diuitias ſuas hac nundinatione, ſed potius cõiicit ſe in egeſtatem. Nam quæ impia mercatura acquiruntur, ea non dantur à Deo de cœlo, ſed dantur à Satana ex inferno: quæ autem à Satana dantur, maximo conſtant precio. Satan enim eiuſmodi mercator eſt, qui non ſit contentus uili quadam pro mercibus ſuis retributione: ſed exigit unà cum corpore & animam ad perpetuum interitum. Quare nundinatio illa frumentariorum, nõ eſt uera parandarum opum ratio, ſed potius compendium ad ſummam inopiam. Quòd ſi omnino libet ſuſcipere ſtudiũ accumulandarum diuitiarum, cur non magis ſectaris eam rationem, quę diuinitùs demonſtrata eſt, cęp eam quæ à Satana excogitatur? Et quæ nam eſt illa, inquies? Alij diuidũt propria, ait Salomon, & ditiores fiunt: alij rapiũt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt. Anima quæ benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipſe quoq; inebriabitur. Cum his γνώμαις conuenit & illud, quòd Chriſtus ait: Date & dabitur uobis. Mẽſuram bonam et confertam & concuſſam, atq; exundantem dabunt in ſinum ueſtrum: eadem quippe menſura, qua metimini, metientur alij uobis. Vides rectam & compendiariam uiam ad parandas diuitias eſſe, nõ rapere aliena, ſed diuidere propria: non coaceruare ſibi frumenta, ſed dare indigentibus menſuram confertã. An non meminiſti, quid de Iſraelitis colligentibus manna ſcriptum ſit? Collegerũt, inquit ſcriptura, alius plus, alius minus, & menſi ſunt ad menſuram Gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus, ſed ſinguli iuxta id quod edere poterant, congregauerunt. Hoc ad noſtri doctrinam ſcriptum eſt, ut ſciamus, quòd etſi multas congregamus opes, nihil tamen præter ea quę nobis neceſſaria ſunt reportabimus, quę & nobis diuinitùs, etiam ſine magnis opibus dantur, ſi modò in uocatione Dei ambulauerimus. ſequitur in eadem hiſtoria: Moſes dixit ad Iſraelitas, Nullus relinquat ex eo in mane, qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis uſq; mane, & ſcatere cœpit uermibus, atq; computruit. eſt & hoc ſcriptum in noſtri doctrinam. Quæcunq; enim reponuntur cõtra mandatum Dei, ea ſunt coram Deo maledicta. Reponuntur autem aduerſus DEVM ea frumenta, quæ à frumentarijs in caritate annonæ coemuntur, ut precium augeatur. Quid igitur reliquum eſt, quàm ut debeant ſcatere uermibus, & cõputreſcere? id quod proculdubio fiet, ſi non in oculis hominum, certè in oculis DOMINI DEI noſtri, ac omnium ſanctorum eius. Quæ cum ita ſe habeant,

Deut. 24.

Satanæ mercatura.

Diuitiarum congregandarum uera ratio.

caueamus

caueamus amiciſsimi, ab impijs iſtis nundinationibus, reuocemus in memoriam has frumentariorum mercaturas nõ eſſe uulgaria furta, ſed ſacrilegia ac latrocinia, & afferre ſecum omnem maledictionem. Vna eſt hominum, præſertim Chriſtianorum, ſocietas, qui inter ſe cõiuncti ſunt non carnali tantum, ſed & ſpirituali fœdere. Vnus DOMINVS, una fides, unũ baptiſma, unus Deus & pater omnium: addo etiã, unum regnum cœlorum, in quo certè conueniendum nobis eſt, ſi ad ueram fœlicitatem adſpiramus. Cum igitur in ũno regno cœlorum nobis cohabitandũ ſit, agite dilectiſsimi, non extrudamus nos inuicem his nundinationibus regno terræ: ſed exerceamus charitatem & unitatem, ut his in hac terra aſſueti, rectà ad regnũ cœli pergamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ, qui eſt unà cum pãtre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXI.

SVperiori Dominica die expoſuimus frumẽtarijs mercatoribus magnitudinem & grauitatem peccati ſui, quod in publica frumẽtariæ rei inopia deſignare ſolent. Expoſuimus autem hoc, non ut excitaremus uirulenta aliorũ maledicta & cõuicia: ſed ut frumentarij, agnito peccato ſuo, reſipiſcerent in Ieſu Chriſto, ac conferrent operam ſuam ad iuuandam humanam ſocietatem. Huc enim uocat eos non ſolum lex naturalis, uerumetiam charitas Dei, quã exhibuit erga nos per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum. De quo argumẽto, quia ſatis, quantũ ad hoc tempus attinet, dixiſſe uidemur, recipiemus nos ad eam Ioannis baptiſtę cõcionem explicandã, è qua occaſionem dicendi de frumẽtarijs ſumpſimus. Baptiſta enim ſæpe nunc ac multum negauit ſe eſſe Chriſtum. Nulli, inquiens, licet ſibi arrogare eam maieſtatem, quæ nõ eſt ipſi diuinitùs data: mihi autẽ nequaq̃ datum eſt, ut ego ſim Chriſtus. Quare nunquam impetrabis à me, ut mihi pro ueſtra libidine ſumam maieſtatem Chriſti. Amabimus ergo te, dic nobis, quis eſt uerus ille Chriſtus, quem & patriarchæ & nos tot ætatibus expectauimus? Sed quid adhuc dubitamus? An non ſuprà de Ieſu Nazarẽno, filio Mariæ uirginis dixit Baptiſta: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatũ mundi. hic eſt de quo dicebam, Poſt me uenit uir, qui me anteceſsit. Quare ſi credimus (quis autẽ tam ſancto teſti non crederet) teſtimonio Ioannis baptiſtæ, non eſt nobis alius Chriſtus agnoſcendus, præterq̃ ſolus IESVS filius Mariæ, quem Nazarẽnum uocauerũt. Sed quo Ioannes baptiſta maieſtatẽ Ieſu Chriſti clarius explicet, inſtituit encomium eius: & cõfert eum, nõ tam cum
» ipſo, q̃ cum omnibus alijs hominibus. Qui habet ſponſam, inquiens,
» ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet
» propter uocem ſponſi. hoc ergo gaudium meum impletum eſt. Illum
» oportere creſcere, me uerò minui. Hęc eſt collatio Ieſu Chriſti cũ Ioãne baptiſta, imò cum omnibus Prophetis & Apoſtolis. Ego, inquit, non ſum ſponſus Eccleſiæ, ſed ſum amicus tantũ ſponſi. Is autem Ieſus Nazarænus, uerus eſt ſpõſus: propterea q̃ ſoli ipſi copulata, & legitimo ac diuino matrimonio cõiuncta eſt Eccleſia Dei. Hic initiò nõ eſt oſcitãter

Spõſus Eccleſiæ Chriſtus.

præterundum,

prætereundũ, ꝙ Ioannes tribuat Iesu Christo epithetõ Spõsi: Qui spõsam habet, inquiẽs, sponsus est. Hoc epitheton nõ est Ioanni in buccca nãtũ, sed est acceptum è sacra scriptura, & dictatum à spiritu sancto. In principio cõditionis huius mundi, postquam Deus creasset ac ornasset cœlum & terrã, & posuisset hominem maximis ac plurimis diuinis dotibus excultum in paradisum, ac subiecisset ei omnia animantia, unũ tamen ac præcipuũ deerat adhuc homini ad suam fœlicitatem. Adæ, inquit scriptura, non inueniebatur adiutor similis ei. & Deus ipse: Non est bonum, inquit, homini esse solum, faciamus ei adiutorium simile sui. Itaq; Deus fecit ex costa Adæ mulierẽ, & tradidit eam uiro, tam firmo cõnubio, ut Adam ipse spiritu sancto excitatus, de muliere diceret: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. hęc uocabitur VIRAGO, quoniam de VIRO sumpta est. In his autem nuptijs, & hoc Adæ oraculo, spiritus sanctus non respicit tantum in externam illã Adæ & mulieris suæ coniunctionem: sed maximè omnium respicit in admirabilem illam & ineffabilem cõiunctionem, quæ est inter filium Dei, & Ecclesiam eius. Mysterium hoc magnum est, inquit Paulus, uerùm ego loquor de Christo & Ecclesia. Ex his perspicuũ est, ꝙ Christus ab initiò orbis terræ dictus sit sponsus Ecclesiæ suæ, & ꝙ solennes ac legitimę uiri & mulieris nuptiæ in hoc seculo sint adumbratio ueri illius & perpetui cõnubij, quod est inter Christum & Ecclesiã eius. Huc accedit, quod & Christus ipse cõfert regnum cœlorum, hoc est, Euangelicum negocium cũ nuptijs: Simile, inquiens, est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. in Psalmo dicitur: Astitit regina à dextris tuis, in uestitu deaurato circumdata uarietate. Si regina spõsa est à dextris Christi, certè Christus ipse sponsus erit. In propheta Hosea dicit Christus, nondũ homo factus ad Ecclesiã suam: Sponsabo te mihi in sempiternum, et spõsabo te mihi in iusticia & iudicio, & in misericordia & in miserationib. Et sponsabo te mihi in fide, & scies quia ego Dominus. An nõ in hoc loco Christus manifestè uocatur Spõsus? Quod autem epitheton tribuit sibi Christus, nondum homo factus, hoc idem sumit sibi homine iam assumpto. Num possunt, inquiens, filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Quare, cum Ioannes baptista uocet Christũ sponsum, uox est non humanæ carnis, sed spiritus sancti. Nec ullus est hominum, cui uocabulũ Spõsi aptius competat, quàm Iesu Christo Domino nostro. In contrahendo enim connubio, & seruanda fide sponsalitia, nemo est ipso æquior, iustior & constantior. Primùm enim sponsa accipiẽda est, nõ propter diuitias, sed ex ingenuo & liberali amore, iuxta diuinam ordinationem. hanc sponsaliorum conditionem homines frequenter uiolare solent. Alius enim accipit sponsam propter pecuniam, quam ipsa possidet: qua si careret, ne per transennam quidem aspiceret eã. hoc uerius diceretur ducere pecuniã, quàm ducere uxorem. Alius spõdet mulieri connubium contra diuinas & ordinarias leges, id quod facere solẽt impij & scelerati adolescentes, qui contemptis parẽtibus suis, in quorũ potestate adhuc sunt, & à quibus magna cura educati sunt, promittunt quibuslibet, nullo planè iudicio, fidem coniugij. Christus autem filius

Sponsus Ecclesiæ Christus.

Cõiugiũ Christi et Ecclesiæ.

Ecclesia, sponsa Christi.

Dei, obseruauit in accipienda sponsa sua hanc legitimam sponsaliorum cõditionẽ iustissimè. Sponsa enim Christi, filij Dei, est Ecclesia: hoc est, selecta cõgregatio eorum hominum, qui in Christum credunt. Quæso igitur te, quid illud est, propter quod filius Dei duxit Ecclesiam in uxorem? num habuit aliquã rationem diuitiarum eius? At nihil fuit spoliatius, nihil egentius Ecclesia: adde etiã, nihil turpius ac fœdius. Nullam enim habuit iusticiam, nullam uitam, nullam fœlicitatem. Nam homines cõcipiuntur & nascuntur in peccato, & sunt natura filij iræ, atq; mãcipia Satanæ. Non iustificatur, inquit, in conspectu tuo omnis uiuens. &, Propter unum hominem introijt peccatum in mundũ, ac per peccatum mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Quid autem egentius homine, morti, ac per mortẽ perpetuæ damnationi exposito? Quid fœdius homine non nisi peccatum habente, hoc est, Satanæ simili? Eratis, inquit Paulus, scortatores, cultores, simulacrorũ, adulteri, molles, masculorũ cõcubitores, fures, auari, ebriosi, maledici, rapaces. Quid hac forma turpius? quid abominabilius? Hęc certè est imago Satanæ. Et tamẽ Christus filius Dei accepit sibi Ecclesiam tam deformem, tam egentem in uxorem. Accepit autem eam, quia uoluit obedire cœlesti patri suo, cui uisum est, ut filius iungeret sibi Ecclesiã connubio, & quia etiam amauit Ecclesiam ex mera sua gratia, clementia, & bonitate. Hæc est admirabilis obedientia filij erga patrẽ. Hic est inexplicabilis amor tam opulenti & speciosi sponsi erga tam egentẽ & fœdam sponsam. Quare nulli hominum æquius conuenit nomẽ ueri sponsi, quàm Domino nostro Iesu Christo. Deinde natura legitimi coniugij exigit, ut marito bona sua communia sint cum uxore. Ac in ciuilibus quidem nuptiarum contractibus sua solent esse pacta, quibus aliquoties uir, aliquoties mulier quædã de bonis suis è communi eximit. Christus autem in hoc contractu, quo iungit sibi Ecclesiam, confert in commune omnia sua bona. Possidet enim Christus perfectam & absolutam iusticiam. Hanc ita donat sponsæ suæ Ecclesiæ, ut possit ac debeat ea corã iudicio Dei uti & gloriari, perinde ac si ipsa perfecisset & absoluisset eam suis operibus. Possidet etiã Christus uictoriã mortis. Resurrexit enim à mortuis, & uicit mortẽ. Donat & hoc beneficium Ecclesiæ, ut propter Christum possit uincere mortẽ, & euadere omnia mortis pericula. Possidet præterea Christus uitam & fœlicitatẽ sempiternam. Hanc non sibi tantum retinet, sed uult ea unà cum Ecclesia sua perpetuò frui. Quæ igitur nuptiæ sunt magis legitimę, q̃; hæ, quibus Christus cum Ecclesia sua coniunctus est? Huc accedit, quòd officiũ sponsi seu mariti est, defendere sponsam suã in omnibus periculis, & tueri etiã morte sua salutẽ spõsæ. Solet quidem inter homines accidere, quòd aliquoties sponsus pœnitẽtia ductus, fugiat & derelinquat sponsam suã: at Christus in tm̃ dilexit Ecclesiam suam, ut redemerit eam etiã morte sua. Christus, inquit Paulus, exposuit semetipsum pro Ecclesia, ut illam sanctificaret, mundatam lauacro aquę per uerbũ. Quare Christus optimo iure nomen ueri sponsi reportat. Postremò in hominũ cõiugijs sæpenumero fieri solet, ut si alter coniugum fidem suã uiolat, alter existi-

Communitas bonorum in coniugio.

met,

met se à fide sua, quã antea obligauerat, solutũ, & quærat repudiũ: Christus aũt tanta constantia fidem coniugij seruat, ut etiamsi sponsa sua uiolauerit fidem, tamen si reuertitur, recipiat eã beneuolentissimè. in Ieremia ait: Vulgò dicitur, si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo, duxerit uirum alterum, nũquid reuertetur ad eã ultrà? nunquid nõ polluta & contaminata erit mulier illa? Tu aũt fornicata es cũ amatoribus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiã te. Quis igitur nõ tribuat Iesu Christo Domino nostro epitheton optimi & humanissimi sponsi? Hæc aũt recitantur nobis, non ut sciamus tantũ, nec ut abutamur ad impietatem, sed ut excitemur ad ueram fidẽ & obediẽtiam. Alius enim, ingrauescente rerũ inopia, aut terrore mortis sollicitatur ad desperationem, ac putat se à Deo derelictum: sed is debet fidẽ suam confirmare consideratione harum nuptiarũ, quæ sunt inter Christum & Ecclesiam. Singuli enim credentes in Christũ, singula sunt mẽbra Ecclesiæ, quæ est sponsa Christi. Quare qui in Christum credit, etiamsi premitur inopia aut morte, tamẽ fieri nõ potest, quin iure nuptiarum diuinitùs conseruetur. Alius sollicitatur ad sectandam peregrinã religionis doctrinã, & ad designanda peccata aduersus uerbũ Dei: sed is debet cogitatione harũ nuptiarum prauis illis animi affectibus obsistere. Vnusquisq; meminerit, quam fidem ipse ut spõsa, debeat Christo spõso suo. Etsi enim Christus tam misericors est, ut recipiat reuertẽtes, tamẽ Deus nõ est tentandus præuaricatione, nec est ad iracundiã prouocandus ingratitudine. Vide enim mihi, q̃ horrendũ scelus designet is, qui derícta uera doctrina Christi, sectatur aliam doctrinam: aut qui contempto uerbo Dei, sectatur scelera pro animi sui libidine. Nam cũ esset non solũ peccatis turpissimus ac fœdissimus, sed etiã Satanę, mortiac inferno obnoxius, redemit eũ Christus, & reddidit ipsum iusticia sua formosissimũ, adeoq; recepit ipsum in sponsam suam. Quo beneficio nihil potest maius excogitari. Quãta igitur hęc est ingratitudo, quãtus hic est furor, si tu derelicto tã excellenti sponso, adhæreas| peregrinis doctrinis, & sceleratis facinoribus, turpissimis nimirum & fœdissimis amatoribus, qui te in certissimũ exitiũ abducant? Reuertar, inquis, ad priorem maritum, postq; uoluntatem meã expleuero. Non dubitãdum quidẽ, quin Christus reuertentem recipiat, sed quid si reuerti non queas? quid si Satan te abducat, priusq; reuersus fueris? Noli igitur tentare Deum ingratitudine & inobediẽtia, sed perseuera constãter in seruanda fide coniugij, ut & bonis tam cœlestis ac diuini coniugij fruaris. Nec hoc silentio prætereundum est, quòd cogitatione nuptiarũ Christi & Ecclesiæ, admoneãtur cõiuges de honestate & pudicitia in suo uitæ genere. Nam coniugium ipsorum adumbratio est cœlestis illius cõiugij inter Christum & Ecclesiã. Nihil autem est honestius, nihil est magis pudicum Christo sponso. Hanc Christi honestatem & pudicitiam contaminant & sordidãt hi, qui coniugiũ suum uel adulterijs, uel scortationibus, uel alijs fœditatibus, & illegitimis actionibus turpificant. Quare coniuges meminisse debẽt, se coniugio suo cœlestes nuptias adumbrare, ut honestam uitam, iuxta piorum coniugũ uocationẽ ducãt.

Ierem. 3.

Cõsolatio ex his nuptijs quæ sit petenda.

Habes quid ſit Ieſus Chriſtus, uidelicet uerus ac cœleſtis ſponſus Eccleſiæ. Videamus nunc qnid ſit Ioannes baptiſta, imò quid ſint Prophetæ, Apoſtoli, & omnes hi qui in Eccleſia principem locum obtinere uidentur. Diximus enim ſuprà, ꝙ in hac concione fiat collatio Chriſti & Ioannis baptiſtæ, ac omnium collegarum eius. Qui habet ſponſam, inquit, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem ſponſi. Solus Ieſus Chriſtus eſt uerus ac legitimus ſponſus. Quid ergo eſt Ioannes baptiſta? Quid Eſaias? Quid Petrus? Quid Paulus? Nõ ſunt ipſi ſponſi, ſed amici ſponſi. Inuenias quidem multos, quorum alij manifeſta impudentia, alij ſimulata amicitia conãtur Chriſtũ ſponſum è ſuo loco deturbare, & ſponſam ſuã abducere. Thalmud Iudęorũ, et Mahumetes Saracenorũ negãt manifeſtè Ieſum Chriſtũ ſeruatorẽ, hoc eſt, uerum ac cœleſtẽ Eccleſiæ ſponſum, ac promittũt ſectatoribus ſuis ueram fœlicitatẽ. Hoc eſt Chriſto uelle ſponſam rapere ac uitiare. Hęretici ſimulant amicitiã cũ Chriſto, ſed hac ſimulatione conãtur ſponſam ad ſe allicere, ut derelicto ſpõſo Chriſto, & uera ac certa Euangelij eius doctrina, ſua ſectẽtur cõmẽta. Romani pontifices nõ ſolũ ſimulant amicitiam cum Chriſto, uerumetiam gloriãtur ſe eſſe uicarios Chriſti. Itaqꝫ exiſtimãt, ſibi licere ſpõſam Chriſti tractare pro ſua ipſorum libidine. Hinc eſt impudẽtiſsima & nefaria illa iactãtia de ſua autoritate, ꝙ etſi põtifices deprehendunt tam negligẽtes publicæ ſalutis, ut innumerabiles populos cateruatim (hęc em̃ ſunt uerba huius beſtię) ſecum ducerẽt primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum uapulaturi, culpas tamẽ eorum redarguere nullus mortalium præſumat. Quid eſt ſponſam Chriſti fraudulẽter rapere, & impudenter uitiare, ſi hoc nõ eſt? Simulãt & monachi & ſacrificuli ſe eſſe amicos Chriſti, ſed ſi inſtitutum eorũ diligenter expendas, hoc agunt, non ut ſponſam ad Chriſtum adducant, ſed ut eam à Chriſto abducant, & ipſam impuriſsimè tractẽt. Docent enim, quòd peccata expientur meritis humanę iuſticiæ, & quòd cõtingat nobis cœleſtis hæreditas propter merita noſtrorum operũ. Hoc cẽrtè eſt docere adulteria ſpiritualia, & qui hãc doctrinam ſequitur, is uiolat fidem coniugij, quam dedit Chriſto ſpõſo ſuo. Solus enim Ieſus Chriſtus eſt expiator peccatorum, & ſolo merito Chriſti contingit nobis cœleſtis hæreditas per fidem. Quare ut monachi & ſacrificuli ſunt doctores adulterij, ita qui doctrinam eorũ accipiunt, deficiunt à caſtitate cõiugij Chriſti, & ſequuntur adulteros ad perpetuũ interitũ. Ioannea aũt baptiſta, Prophetæ, Apoſtoli, & quotquot Propheticã & Apoſtolicam doctrinam de Ieſu Chriſto ſectantur, ſunt ueri & ſynceri amici ſponſi. Ac quantum quidem attinet ad renaſcẽtiam eorum in Chriſto, ſunt & ipſi pars ſponſæ, quia ſunt membra Eccleſiæ: quantũ autẽ attinet ad miniſteria ipſorũ, dicuntur amici ſponſi. Porrò amicorũ ſponſi officium eſt, primùm, nõ ut ſibi, ſed ut uero ac legitimo ſponſo adiungant ſponſam. Amici non debent eſſe νύμφιοι, ſed paranymphi: non debẽt eſſe ſponſus ipſe, ſed pronubi & copulatores, quos ſi uocant, ſponſi cum ſponſa. Nam ea eſt cõditio Chriſti ſpõſi, ut quantum quidem ad externã faciem eius attinet, uideatur indigere opera & diligen-

Apoſtoli & Prophetæ, amici ſponſi.

Diſt. 40. c. Si papa.

diligẽtia pronuborum atque copulatorum. Etsi enim Christus natura sua speciosus est forma præ filijs hominum, tamen si crucẽ eus inspicias, non est species ei, neq; decor. Vidimus eum, inquit Esaias, sed nulla erat forma, quæ redderet eum nobis desiderabilẽ. Despectus & nouissimus uirorũ, plenus doloribus & infirmitatibus. Adeò contemptus, ut auerterentur uultus ab eo. Quæ autẽ uirgo, quæ mulier nuberet uiro tam deformi? Adhæc, etsi cœlum sedes Christi est, & terra scabellum pedum eius, ac dominatur à mari usq; ad mare: tamen apparet coram hoc mundo tãta paupertate & inopia pressus, ut nec habeat, quò reclinet caput suum. Quæ autem sponsa tã indigenti uiro delectaretur? Quare necessariũ est, ut amici sint prudentes ac diligẽtes pronubi, qui uerã pulchritudinẽ, diuitias & maiestatẽ Christi sponsi ita uerè & perspicuè explicent atq; cõmendent, ut sponsa nihil externa deformitate ac paupertate Christi deterrita, facilem præbeat ad has nuptias consensum. Talis pronubus & copulator fuit Ioannes baptista, qui certè hoc unũ egit, ut à se discipulos suos, ad Christum ableget: hoc est, ut sponsam cum uero suo sponso coniungat. Talis copulator fuit Petrus, ex cuius prima concione in die Pentecostes ter mille homines agnouerũt Christũ: hoc est, tradiderunt se in connubiũ cũ Christo. Talis copulator fuit & Paulus, *qui circuntulit* Euangelion Christi, ab Hierusalem, & in circumiacẽtibus regionibus, usq; ad Illyricum. Tales copulatores debent etiã parentes esse, ut institutione & eruditione sua cõiungãt liberos suos cũ Christo. Ad hanc copulationem debet & magistratus ciuilis operã suam cõferre, uidelicet, ut curet, quo pia doctrina in Ecclesia tradatur. Per piam enim doctrinã solet fieri copulatio Christi & Ecclesiæ suæ. Deinde amicorum sponsio officiũ est, non ut, quam sponsam cum sponso coniunxerunt, rapiant, & pro sua cupiditate abutantur: sed ut quantũ in ipsis est, custodiant castitatẽ sponsæ, & congratulẽtur ex animo de salute & prospero successu coniugũ. Amicus sponsi (inquit Ioannes) qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Sic & meum gaudiũ impletũ est: hoc est, gaudeo nunc ex animo, q; intelligã nuptias inter Christũ & Ecclesiam promouere. Vos enim adnunciastis mihi, q; Iesus baptiset, & omnes ueniant ad eum. Ac speraſtis quidẽ, quòd ego hoc nuncio exciter ad suscipiendum bellum cum Iesu: sed tantum abest ut fœlicitatẽ eius dolenter feram, ut ea potius maximo me gaudeo afficiat. Hoc enim officium meum est, & hoc hactenus egi, non ut ego crescam, & ille minuatur: sed ut ego minuar, & ille crescat. Meum est tãtum ministerium, illius est magisterium: mea est obediẽtia, illius est autoritas: mea est seruitus, illius est dominatio: mea est humilitas, illius est maiestas. Quare res tunc rectè procedit, cũ ex meo ministerio & seruitute, dominatio & maiestas illius illustratur. Porrò hæc uox, Illũ oportet crescere, me autem minui, uox est nõ solius Ioannis baptistæ, sed etiam Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, adeo; q; omnium piorũ. Omnes enim sciunt & fatentur, quòd in se non habeant, nisi peccatum & internecionem: in solo autẽ Christo sit iustitia & salus. Quare siue uiuunt adhuc in hac terra, hoc unum curant, ut agnita sua infantia, promoueat

Christus, formosus, & deformis.

Pronubi copulatores Christi qui sint.

gloria Christi,siue dormiunt in Christo, sentiunt omnẽ salutis gloriam soli Christo deferendam esse. Itaq; , si inuocentur tanquã dij auxiliares, mox seuero uultu nos aspiciũt, & ad solum Christũ remittunt: & unusquisq; eorum recitat nobis tacito mentis sermone hanc uocem, Illum oportet crescere, me autem minui. Quòd si nomine ipsorum instituãtur sacra & peregrinationes, hic iterum occinunt nobis hanc Ioãnis cantilenam, Illum oportet crescere, me autẽ minui. Sicut enim omnes Prophetæ, ita & omnes Apostoli ac pij testimonium ferũt Christo, quòd quisquis in ipsum credit, accipiat remissionem peccatorum, & salutẽ per nomen eius. Quare hortantur, monent, instant, urgent, ut omnem fiduciã iusticiæ ac salutis nostræ, in solo Iesu Christo, uero ac legitimo Ecclesiæ
» suæ sponso collocemus. Sequitur alia collatio Christi & Ioannis bapti-
» stæ, atq; adeò omnium aliorum hominum: Qui è supernis uenit, supra
» omnes est. Qui est è terra, terrenus est, & è terra loquitur. Qui è cœlo uenit, supra omnes est, & quod uidit & audiuit, hoc testatur. Ioãnes baptista tribuit antea Iesu Christo cognomen sponsi, sibi autẽ & collegis suis, Prophetis ac Apostolis, tribuit cognomẽ amici spõsi. Quare ne quis existimet, quòd cũ homines dicãtur amici Christi, tanta sit propinquitatis coniunctio inter Christum & alios homines, ut habeant eãdem originem: instituit nunc Ioannes aliam collationem, qua laudat & cõmẽdat Iesum Christum à stirpe & origine sua. Et quia amicorum sponsi officium est, ut gloria & prædicatione efferãt sponsum, quo libẽtius sponsa sese cũ ipso coniungat, ideo Ioannes statim magnis laudibus celebrat Iesum Christum. Porrò, in iungendis connubijs, præcipuè considerari solet genus aut prosapia spõsi. Quo enim altiori loco natus est, ea maiori uoluntate collocatur ei sponsa. audi ergo, quàm alto loco natus sit

Christi genus è supernis.

Iesus Christus: Qui è supernis (inquit) uenit supra omnes est. Iesus Christus, qui nobis à Ioanne pro sponso commẽdatur, non uenit ex infernis, sed è supernis: non uenit è terra, sed è cœlo. Solent & principes huius seculi audire, Altissimo loco nati, ac ducũt quidem genus suum è nobilissimis familijs: attamen quia descendunt ab Adamo, sunt & ipsi è terra, quemadmodum alij homines. Iesus autẽ Christus ducit genus suum nõ

Christus in terra homo natus, sed nõ est è terra.

è terra, sed è cœlo. Quo loco quis est altior? Natus quidem est homo ex Maria uirgine, in terris, sed non est è terra. Primùm emẽ, quòd ad diuinitatẽ eius attinet, natus est ab æterno uerus Deus, de uero Deo patre suo: deinde, quod ad humanitatem eius attinet, nõ est conceptus ex humano semine, quemadmodum alij homines, sed est cõceptus de spiritu sancto. Hoc uerè est uenire è supernis, & altissimo loco natum esse. Conferamus nunc cum Christo alios homines, & manifestè uidebimus, quãta sit inter ipsos dissimilitudo, & quam longè distet doctrina Christi à doctrina hominum. Primùm enim, etsi Deus format humanum corpus, et inspirat ei animam: nihilominus tamen omnes homines sunt è terra, &

E' terra esse quid sit.

non è cœlo. Nam è terra esse, hoc loco est ex terreno Adamo originem suam ducere, ac in peccato concipi & nasci. Tales autem sunt omnes homines. Concipiuntur & nascuntur in peccato. Per unius delictũ, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes homines, ad cõdemnationẽ.

Deinde

Deinde homines, etsi alius alijs uirtutibus ornatus est, tamen non sunt natura dij, sed homines tantum. Vide ergo mihi, quanta sit distãtia Iesu Christi & aliorum hominum. Omnes enim alij homines, natura sua tantum sunt homines, & non dij: Iesus autem Christus non est tantum homo, sed etiam uerus Deus natura. Adhæc, omnes alij homines concipiuntur & nascuntur in peccato: Iesus autem Christus, cum ab æterno natus esset Deus, postea in plenitudine temporis conceptus est de spiritu sancto, et natus est homo ex Maria uirgine. Quare origine & dignitate personæ suæ superat & excellit omnes homines. Porrò, quemadmodũ superat omnes homines personæ suæ maiestate, ita etiã superat doctrinam omnium hominum, doctrinæ suæ ueritate. Testatur enim, & docet, quod uidit & audiuit, hoc est, certissima & uerissima. Cum enim sit æternus filius Dei patris sui, fieri non potest, quin ab æterno cognouerit, quæ sint uera, certa, firma, & perpetuò salutaria. Quare sola huius doctrina sectãda est. Homines autẽ, quia sunt è terra, loquuntur etiam, & docẽt è terra. Habent quidem mentem, habẽt rationem, qua naturaliter cognoscunt aliquid de Deo: sed quia sunt obruti peccato originali, ut non habent perfectam cognitionẽ Dei, ita quicquid adhuc cognitionis de Deo reliquum est, solet ingrauescente tentatione, & seuero Dei iudicio excuti. Nam cum homo natura sua priuatus sit spiritu sancto propter peccatũ, manifestũ est, quòd humana ratio, quæ natura sua caret spiritu sancto, non habenda sit amplius res cœlestis: sed facta sit, uel caro, sicut Christus suprà dixit: uel terra, sicut Ioãnes hoc loco ait. Quare, quod homines testantur, loquũtur aut docent, è terra est: hoc est, incertum, inconstans, uarium, mutabile, ac nullam prorsus uerã & perpetuam salutem afferẽs. Quid audio? inquies. Est'ne è terra, hoc est, uanũ & incertum, quicquid homines loquũtur & docent? Quid ergo dicendum erit de ipsa Ioãnis doctrina? An' non docuit baptismum pœnitentiæ in remissionẽ peccatorũ, qui certè baptismus, & quæ doctrina, non fuit è terra, sed è cœlo? An' non testificatus est de Iesu, ꝙ sit agnus Dei, qui tollit peccatum mundi? Hoc certè testimoniũ non est è terra. Non'ne & ante Ioannẽ, Esaias & alij prophetæ locuti sunt certissima & diuinissima de Christo? Quid Apostoli? num dicemus doctrinã Euangelij eorũ de Iesu Christo esse è terra? Hic considera mihi, quòd cum Ioannes confert testimonium seu doctrinam Iesu Christi, cum doctrina omniũ aliorũ hominum, nõ intelligat in hominibus eam doctrinam, quam singulari reuelatione Dei acceperunt: sed eam, cuius cognitionem natura sua habent. Hęc enim est hominum conditio, primùm, quòd natura sua habeant quandam cognitionẽ rerum politicarum, quæ cognitio suam hãbet laudem & usum in hac externa hominum uita. Deinde, quod habeant etiam natura sua quandam cognitionem rerum spiritualiũ & diuinarum, de qua Paulus ait: Quod de Deo cognosci potest, manifestũ est in illis. Sed nulla harũ cognitionũ affert homini salutẽ. Altera enim utilis tantum est ad uitam ciuilem: altera iucunda quidem est, sed non cõstat in ueris & grauibus tentationibus. Quare quicquid homines sic loquuntur & docent, inconstans est, & ad consequendam ueram salutẽ

Ratio humana facta est caro & terra.

inutile. Quod autem Ioannes baptista, quod Prophetæ, quod Apostoli de Christo docuerunt, hoc nõ cognouerunt natura sua, sed reuelatione spiritus sancti. nam Ioannes suprà dixit: Nec ego noueram eum, sed qui misit me, ut baptisarem aqua, is mihi dixit, Super quẽ uideris spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptisat spiritu sancto. Nullum enim aliud est testimonium, nulla alia est doctrina, quæ ueram & perpetuam salutẽ afferat, præter eam, quam Christus, uel ipse docet, uel reuelat Prophetis & Apostolis suis. Reliqua omnia testimonia, reliquæ omnes doctrinæ, quantumcunq; cœlestes & diuinæ uideantur, sunt è terra, nec possunt quẽquam in cœlum perducere. Quare, cum de uera & perpetua nostra salute agitur, fugiendæ sunt omnes humanæ doctrinę: amplectanda autem sola doctrina Iesu Christi, ut rectè eruditi, ac fide renouati & cõfirmati, in uocatione Dei ambulemus, & cœlestem fœlicitatem cõsequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXIII.

Doctrinæ Christi certitudo.

QVOD uidit (inquit Baptista) & audiuit, hoc testatur. Hæc est insignis commendatio doctrinæ Christi, à certitudine & ueritate. Nam quòd Christus testatur ac docet, hoc non cognouit ex aliena fama, sed uidit ipse & audiuit. Quid ergo illud est, quo Christus differt à patriarchis & prophetis? An non & patriarcha Iacob uidit Deum facie ad faciem, & audiuit uocem Dei loquentis cum ipso de scala, quæ & testatus est, & docuit suam Ecclesiam? Non'ne Moses uidit & audiuit Deũ recitantem in monte Sinai Decalogum, & loquentem ex propitiatorio, quæ postea testatus & concionatus est in ecclesia Israelis? Quid dicemus de Esaia & alijs prophetis, qui & ipsi testati sunt & docuerunt, quæ uiderunt & audierunt? rectè. Patriarchæ & prophetæ testati sunt, quæ uiderunt & audiuerunt: sed magnum est inter uisionem & auditum Christi ac illorum discrimẽ. Quod enim illi uiderunt & audiuerunt, nõ fuit natura Deus, aut uerbum Dei: sed uiderũt tantum quędam signa præsentiæ Dei, & audiuerunt quandam uocem angeli loquentis nomine Dei. Ac docuerunt quidem magna & præclara de uerbo ac uoluntate Dei: nõ autem docuerunt ea ex natiua sua cognitione, sed ex aliena reuelatione. Quod uerò Christus ab æterno uidit & audiuit, hoc natura est Deus ipse: & quod docuit de uolũtate Dei, hoc docuit ex propria & natiua sua ipsius cognitione, propterea q; ipse sit ęternũ Dei uerbum, & in sinu patris sui. Quare, ut testimonio & doctrina eius nihil est certius, ita humanæ saluti nihil est utilius, ac magis etiã necessarium. Sed hic uide mihi testimonij eius euentum. Testimonium eius (inquit) nemo accipit. Quid potest dici iniquius? Testimoniũ, seu doctrina Christi, etsi est uerissima ac certissima, adeoq; diuina: tamẽ nemo accipit eam, nemo adhibet ei fidem. Siccine loqueris Baptista? Quid ergo illud est, quod suprà de Andrea, de Petro, de Philippo, de Nathanaele cõmemoratur? Quid, quòd post miraculum mutatæ aquæ in uinũ

dicitur,

dicitur: Crediderũt in eũ discipuli eius? An nõ paulo antè tuũ ipsius discipuli nunciauerũt tibi, ꝙ omnes ueniãt ad Iesum: quomodo igitur dicis, Nemo testimoniũ eius accipit? Primùm, nemo dicitur tempore Ioãnis baptistę credidisse in Iesum, quia nemo adhuc credebat Iesum esse talẽ, qualis erat, & qualẽ Ioannis baptista testificabatur, qualem etiam Iesus seipsum doctrina et miraculis suis significabat: uidelicet uerum Messiã, ac naturalem filium Dei, adeoꝙ Deum ipsum. Habebant quidem nonnulli Iesum pro magno propheta, sed nundũ sentiebãt de ipso iuxta suã & Baptistę prædicationẽ. Deinde permittamus sanè, ꝙ nonnulli discipuli uerè tũc crediderint testimonio seu Euãgelio Christi: hi tamẽ paucissimi adhuc erant, ac præ reliqua turba penè nulli uidebãtur. Veniebat quidẽ maxima hominũ multitudo ad Iesum, cum instituereꝫ baptismum, & ederet miracula: sed magna pars ueniebat magis nouitatis, ꝙꝫ ueræ pietatis studio. nam hæc ferè est fortuna rerũ Christi in hoc seculo. Cũ edit miracula, & pascit multa millia hominum in deserto, multos habet assecias: cum uerò capitur et crucifigitur, uix unum inuenias, qui constanti ipsum fide sectetur. Credendũ aũt est in Iesum Christum, nõ tantum cũ est fœlix, & apparet gloriosus: sed etiam cũ est infœlix & apparet humilis atqꝫ contemptus. Qualis eñ qualis appareat in oculis huius seculi, semper est unigenitus filius Dei, semper est propitiatio & redẽptio nostra. Sed audiamus iam, quantũ cultum Deo præstet, & quantũ fructũ accipiat is qui adhibet fidem doctrinæ eius: Qui accepit eius testimoniũ, is obsignauit, ꝙ Deus uerax sit. Testimonium Iesu accipere, est credere, seu fidẽ adhibere Euangelio, quod Iesus docet: obsignare autẽ, est assensu & testimonio suo cõfirmare. quod ergo Ioannes dicit, hanc habet sententiam: Qui adhibet fidẽ Euangelio Iesu Christi, is testatur & confirmat sua fide & assensu, quasi sigillo quodam, Deũ esse ueracem. Nam quemadmodum honestus uir, qui in cera publicarũ literarum imprimit sigillum annulo suo, testatur & confirmat suo sigillo, ea quę in literis continentur, uerè ita, ut conscripta sunt, acta esse: ita qui doctrinam Iesu Christi fide acipit, is cõfirmat fide sua, quasi sigillo & annulo, quòd Deus sit uerax, & promissi sui seruãs. Deus eñ ab initio conditi orbis promisit, se missurum filium suum Messiam, qui seruet homines ab interitu, & uindicet ipsos in ueram & cœlestẽ fœlicitatem: ac q̃d promisit, hoc tempore etiã impleuit. Messias enim uenit, & docet Euãgelion suum, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti, atqꝫ confirmat Euangelion magnis & cœlestibus miraculis. Quare qui accipit Euangelion eius fide, is quasi obsignat annulo fidei suæ ueritatẽ diuinæ promissionis de Messia, ut rectè dixeris unumquemuis credentẽ Euangelio, esse obsignatorem diuinæ ueritatis. Maximus autem & excellentissimus, Deoꝙ gratissimus cultus est, tribuere Dño Deo nostro gloriam & laudẽ ueritatis. In hominibus magnus quidem honor est, si cui alij homines de uia cedunt, & eũ maiorem ac superiorem geniculatione sua significant: sed nõ potest homini maior honor contingere, ꝙꝫ si habeatur uerax, & promissi seruans. Nam quem homines habent ueracẽ, ei tutò sese salutem suam credere putant, ac libenter se ipsi subijciunt: ita uidetur

Credẽtes Euãgelio, obsignatores diuinæ ueritatis.

uidetur quidē Domino Deo noſtro honor præſtari, ſi externis genicu-
lationibus, & manuum in altum eleuationibus, ſignifices te agnoſcere
ipſum Dominum Deū tuū, & adorare eum. Sed longè maximus eſt ho-
nor, ſi iudicaueris Deum eſſe ueracem & ſeruantē promiſsi. Vt enim ni
hil turpius, nihil fœdius, nihil magis Satanicum eſt, q̄ mendaciū: ita ni-
hil honeſtius, nihil amabilius, nihil diuinius eſt ueritate. Quare cum is
Cultus Dei maximus credere. qui credit Euangelio Ieſu Chriſti, tribuat Deo gloriam & laudē uerita-
tis: manifeſtū eſt, quòd fides ſit longè omnium maximus & p̄eſtantiſsi-
mus cultus Dei. Quid ergo dicemus? num fides meretur homini credē-
Non propter, ſed per fidem iuſtificamur. ti uitā æternā, propterea quòd ſit maximus cultus Dei? Homo credens,
habet quidam uitam æternā, quemadmodum ſuprà dictum eſt, & pau-
lo pòſt ſequitur: non autē habet eam merito fidei, ſed tantū merito Chri
ſti, qui per ſolam fidem accipitur. ſicut enim nullus hominum tantū di-
ligit Deum, quantum lex exigit: ita nullus hominū tantum fidei habet,
propter carnis imbecillitatē, quantū ueritas uerbi Dei poſtulat. Cum
igitur noſtra fides ſit imperfectum opus, fieri non poteſt, ut ſit meritum
æternæ uitæ: ſolus autē Ieſus ille Mariæ filius perfectus eſt, ac propter
hunc ſolū, & in hoc ſolo accipitur & habetur æterna uita. Audiamus i-
gitur quis ſit Ieſus, ut intelligamus quomodo uita æterna in ipſo habea-
» tur. Nam is quem miſit Deus, uerba Dei loquitur. Ioannes uidetur his
uerbis generalem ſententiam recitare: ſed quia inſtituit concionem de
Ieſu, quē diſcipuli accuſauerant, interpretanda etiā ſunt hæc uerba pro
priè de Ieſu. & habent hanc ſententiā: Vos eſtis mihi hortatores, ut ſu-
ſcipiam bellum aduerſus Ieſum, quem dicitis baptiſare, & omnes homi-
nes ad ipſum uenire: at ſi me audieritis, id quod ratio ſalutis ueſtræ exi
git, non ſolum non condemnabitis eum, uerumetiam accipietis doctri-
nam eius, tanquam uerbum Dei, & adhærebitis ei, tanquam ſeruatori
ueſtro. Ieſus enim, quem uos accuſaſtis apud me, is eſt, qui non uenit te-
merè in hanc terrā, ſed miſſus eſt à Deo: nec loquitur, aut concionatur
ſomnia hominis, ſed uerba Dei: adeoq̄ ſi rectè iudicare uultis, Ieſus is
propheta eſt, de quo dixit Deus, ſe poſiturum uerba ſua in ore eius. ad
Moſen enim dicitur: Prophetā ſuſcitabo eis, de medio fratrū ſuorū, ſi-
milē tui, & ponā uerba mea in ore eius, loquetur q̄ ad eos omnia quæ
præcepero illi. Qui autem uerba mea, quæ loquetur in nomine meo, au-
Ieſus propheta Moſaicus. dire noluerit, ego ultor exiſtam: Ieſus autem is propheta eſt, qui uerba
Dei, quæ in ore eius poſita ſunt loquitur. Nec Ioannes tantum exponit
prophetam Moſi promiſſum de Ieſu, ſed etiam Petrus in actis Apoſto-
licis cap. tertio, & Stephanus cap. ſeptimo: nihilq̄ certius eſt, q̄ Ieſum
eſſe prophetā illum, de quo Deus ad Moſen poſt promulgationē De-
calogi concionatur. Poſtquā enim Decalogus promulgatus eſſet hor-
ribili uoce, et maximis terroribus, acceſsit concio Iſraelitarū ad Moſen,
& dixit: Non audiam ultrà uocem Domini Dei mei, & ignē hunc ma-
ximum amplius non uidebo, ne moriar. His uerbis fatentur Iſraelitæ ſe
imbecilliores eſſe, quàm ut queant implere Decalogum (non poſſe e-
nim audire uocē Dei, eſt non poſſe mandatis eius ſatisfacere) ideo'que
ſignificant ſe eſſe damnatos: petere autem ut Deus mittat ipſis Seruato-

rem,

rem, per quẽ & iuſtificẽtur (id quod non poſsint cõſequi ex Decalogo) & è damnatione liberentur. Promittit igitur Deus prophetam, hoc eſt, Chriſtum, ut qui ipſum audiat & credat, conſequatur propter ipſum iuſticiam et ſalutem. Is autem propheta ſeu Chriſtus, eſt Ieſus ille quẽ uos (inquit Ioãnes) contemnitis. Quare niſi reſipueritis, & hunc audieritis, manet uos ſeueriſsima ultio Dei. ſequitur aliud encomium Ieſu: Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum. Cum hoc dictum recitetur, quaſi eſſet ἀιτιολογία præcedẽtes ſentẽtię, & refutatio opinionis diſcipulorum, uidetur ἐκ μέτρου, quòd interpretes trãsferunt Ad menſuram poſitum eſſe pro ἐκ διαμέτρου, ut hic ſit huius dicti ſenſus: Deus nõ dat ſpiritũ ſuum, ut doceat pugnãtia & ſibi contraria. Ego Baptiſta ſcio quidẽ me à Deo miſſum, & me uerbum Dei loqui: ſed idem ego ſcio, etiã hunc Ieſum, quem uos de baptiſmo & doctrina accuſaſtis, multo magis atq; excellentius à Deo miſſum eſſe, quippe qui ſit propheta ille, quem Deus Moſi promiſit, & in cuius ore Deus uerba ſua poſuit. Quare nunquam impetrabitis, ut ſuſcipiam cum ipſo pugnam. Deus enim nõ mittit prophetas ſpiritu ſuo, ut ſecum inuicem ex diametro pugnent, & Eccleſiam Dei in diuerſas inter ſe partes trahant: ſed ut eam cõcordi doctrina ædificent. Hæc ſententia non uidetur eſſe huic loco diſſentanea. Nos uerò ſequemur nunc ueterum interpretationẽ, qui ἐκ μέτρου, hoc eſt, Ex mẽſura expoſuerunt, pro pace & modicè: & intellexerunt hunc locum de plenitudine ſpiritus in Chriſto. Baptiſta enim ornat Ieſum ſua laude corã diſcipulis ſuis, ut excitet eos ad ſectandum Ieſum: Ieſus, inquiens, is eſt, cui Deus dat ſpiritum ſuum non ad menſuram: hoc eſt, haudquaquam parce & modicè, ſed largè, abundanter & affluenter. Ieſus enim is eſt, de quo Eſaias ait: Egredietur uirga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eũ ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Hæc certè non eſt parua menſura, ſed magna ſuperabundantia ſpiritus. Dicitur autem Deus pater dare Chriſto filio ſuo ſuperabundantiam ſpiritus: primùm, quia filius Dei, unus eſt Deus cũ ſpiritu ſancto: deinde, quia filius Dei homo factus accepit à Deo patre ſuo innumera, eaq; maxima dona ſpiritus ſãcti. Spiritus Domini, inquit, ſuper me, eo quòd unxerit me: ad Euãgeliſandum pauperibus miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarẽ captiuis indulgentiam. Porrò autem, Ieſus Chriſtus non ſic accipit abundantiã donorum ſpiritus, ut eam ſoli ſibi retineat, ſed ut effundat eam largiſsimè ſuper omnes credentes in ipſum. Erit, inquit, poſthæc, & effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij ueſtri & filiæ ueſtræ. & Paulus: Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis ac renouationis ſpiritus ſancti, quẽ effudit in nos opulentè, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrũ. Non negari quidem poteſt, quin ſua ſit menſura perſonalium donorum ſpiritus in ſingulis credentibus. Sic ſentiat unuſquiſq;, inquit Paulus, ut cuique Deus partitus eſt menſuram fidei. & iterum: Vnicuiq; noſtrûm data eſt gratia iuxta mẽſuram donationis Chriſti. ac rurſus: Huic datur per ſpiritũ ſermo ſapientiæ, alij uerò ſermo

Spiritum non dari ad menſuram.

Romano. 12.

Ephe. 4.

1. Corinth. 12.

mo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alij uerò fides per eundẽ ſpiritum, alij uerò dona ſanationũ. Hæc ſunt dona perſonalia, quæ donantur nonnullis per ſpiritum ſanctum ad ędificationem Eccleſię. Generalia autem dona ſpiritus, quæ unicuiuis priuatim neceſſaria ſunt ad ſalutem, dantur ſingulis credentibus per Ieſum Chriſtum, ſine modo & mẽſura. Adoptio in filium & hæredem Dei, generale donum ſpiritus eſt: quem, obſecro, modum, quam mẽſurã habet hoc donum? Quis poteſt hoc donum in credẽte metiri? Remiſsio peccatorum generale donum ſpiritus eſt, quod contingit unicuiuis credenti in Chriſtum: ſed ſine modo & menſura. Vt enim non poteſt metiri peccata, ita nec potes metiri remiſsionẽ peccatorũ: imò etiamſi peccata numerare poſſes, non tamen potes remiſsionem peccatorum numerare. Vbi exuberauit, inquit Paulus, peccatum, ibi MAGIS exuberauit gratia. Victoria ſuper mortem generale eſt donum ſpiritus: quod ut neceſſarium eſt unicuiuis ad ſalutẽ, ita datur credenti in Chriſtum abundanter & affluẽter. Nemo enim poteſt humana ratione conprehendere, quanta ſpiritus potentia, & cꝫ admirabili uirtute conſeruet Chriſtus credentes in morte. Quare tanta eſt liberalitas Chriſti, ut quemadmodum ipſe accepit ſpiritum à patre ſuo abſcꝫ modo & mẽſura, ita effundat etiam ſuper credẽtes largiter & abundanter omnia neceſſaria dona ſpiritus, & tribuat eis incõmenſurabilem fœlicitatem. poſtremò addit Baptiſta aliud præconiũ Ieſu Chriſti:

» Pater, inquiens, diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Quẽadmodum ſuperiores ſententiæ, ita & hæc refutat opinionem diſcipulorũ de Ieſu. Vos diſcipuli exiſtimatis hunc Ieſum, quem apud me de baptiſmo & doctrina eius accuſaſtis, eſſe filium tantum hominis: ego autem dico uobis, eum eſſe uerum & æternum Dei patris ſui filiũ. Ieſus enim is eſt, ad quem loquitur Deus pater in ſecundo Pſalmo: Filius meus es tu, ego hodie genui te. de quo & ad Dauidem ait: Suſcitabo ſemen tuũ poſtte, ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Non eſt autem ſentiendum, quòd Deus pater tã frigido affectu proſequatur hunc Ieſum filiũ ſuum, quàm ſolẽt aliquoties ἀστοργοι parẽtes huius carnis ſuos proſequi filios: ſed tam ardẽti dilectione & amore complectitur eum, ut tradat omnia in manus & poteſtatem eius. Poſtula à me, inquit, & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuam, & poſſeſsionẽ tuam terminos terræ. & iterum: Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper OMNIA opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi: uolucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Hoc certè eſt Ieſu Chriſto datam eſſe omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Spiritus enim ſanctus nõ ſentit, hac corporalium bonorum enumeratione, regnũ Chriſti eſſe corporale in hoc ſeculo: ſed intelligit his uerbis ſpirituale, cœleſte & æternum regnũ, in quo ſit perpetua omnium rerum abundãtia & fœlicitas. Deinde Deus pater ita diligit hunc Ieſum filiũ ſuum, ut non ſolũ tradiderit in manum eius omnia cœleſtia & perpetua bona: ſed etiã tradat ea per manum eius, & propter ipſum, omnibus credentibus in ipſum. Vera et perfecta iuſticia cœleſte bonum eſt. Hoc bonũ Deus pater ita tradidit

Chriſto à patre omnia tradita ſunt.

filio

filio ſuo Ieſu Chriſto, ut etiã propter filium reputet eos uerè iuſtos, qui credunt in ipſum. Victoria mortis,& fœlicitas perpetuæ uitæ in regno cœlorum,ſunt cœleſtia bona,quæ pater ſic propria tradidit filio ſuo,ut propter filiũ ſeruet in morte,& reddat perpetuò fœlices omnes eos qui fide ſua filium accipiunt. Cum ergo Ieſus tanta maieſtate ſit præditus,ut ueniat è ſupernis,ſit propheta ille,in cuius ore Deus poſuit uerba ſua,ac ceperit ſpiritum abundantiſsimè,ſit unigenitus filius Dei, & in tantũ di ligatur à Deo patre ſuo,ut omnia ſint in manum eius tradita,& per manum eius omnia tradantur:quid obſecro te,hinc ſequitur? Hoc nimirũ ſequitur,ꝙ, Qui credit filio,habet uitam æternam: qui uerò non credit « filio,nõ uidebit uitã,ſed ira Dei manet ſuper eum. Ergo ne, inquis, me- « remur uitam æternam fide noſtra? abſit. Fides eſt quidem præſtantiſsimus,& Deo gratiſsimus cultus, quemadmodũ ſuprà diximus: uita autem ꝛterna nõ datur nobis propter noſtram fidem,ſed datur per noſtrã fidem,propter Ieſum Chriſtum. Solus enim Ieſus Chriſtus habet uitam æternam in ſua manu & poteſtate: qui autem credit in Chriſtũ, is accipit Chriſtum fide ſua. Quare qui credit in Chriſtũ, accipit etiã in Chriſto æternam uitam. Pauca hæc ſunt uerba, Qui credit filio,habet uitam æternam:ſed uide mihi,ꝙ multa,ꝙ magna in ſe complectãtur. Primùm enim abrogant uniuerſam Leuiticam legẽ Moſi,unà cum ſua circumciſione. Si enim habemus æternam uitam propter filium Dei, fide acceptum:manifeſtum eſt, quòd nõ habeamus eam propter circumciſionẽ, aut propter ſacrificia Leuitica. Deinde abrogant omnia merita politicorum & moralium operum. Non dico abrogari bona opera,quæ uerbo Dei exiguntur,ſed merita bonorum operum. Nam bona opera ſtabiliuntur per fidem,quippe quòd fides non poteſt ſe cõtinere, quin bonos fructus afferat:ſed hi fructus nõ ſunt tanti momenti,propter carnem,ut poſsint per ſe conſtare in iudicio Dei,& mereri uitam æternam. Quare neceſſe eſt, ut uita æterna contingat nobis tantum per fidẽ propter ſolum filium Dei. Poſtremò hæc pauca uerba æquant omnes homines in conſequenda æterna uita. In hoc quidem ſeculo magnum eſt diſcrimen hominum, ſed quod attinet ad cõſequendam cœleſtem ſalutem, nullũ eſt diſcrimen. Qui enim credit filio, ſiue dominus, ſiue ſeruus, ſiue mas, ſiue fœmina, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue iuuenis, ſiue ſenex, ſiue Scytha, ſiue Græcus,habet uitam æternam. Econtrà autem, qui nõ credit filio, non uidebit uitam. Quid ergo? Num increduli non reſurgent à mortuis? Certè reſurgent,ſed non uidebunt uitam,hoc eſt, non conſequentur uitam iucundam & fœlicẽ, ſed ibunt in perpetuam infœlicitatẽ. Nam, cum non credant filio Dei,ſeu Euangelio eius,ira Dei manet ſuper eos. Manifeſtum quidem eſt, quòd omnes homines ſint natura filij iræ: ſoli autem hi qui credunt filio Dei, Domino noſtro Ieſu Chriſto, quòd ipſe ſolus ſit propitiatio noſtra, transferuntur de ira in gratiam & fauorem Dei,propter Chriſtum. Reliqui omnes manent in ira Dei. Nunc ergo recenſe mihi, qui ſint hi OMNES, omnes nimirum Iudæi, quales hoc tempore ſunt Iudæi,omnes Ethnici idololatrę, omnes Saraceni,omnes Turcæ,omnes hypocritę,omnes impœnitentes inter Chriſtianos,quã-

Aeterna uita datur nõ propter, ſed per fidem.

Opera bona, & merita operum bonorum.

Impij reſurgẽt, ſed ad ſupplicium.

uis potentes, ſapientes & honeſti, omnes hi manẽt in ira Dei. Vbi autẽ eſt ira Dei, ibi nulla eſt iuſticia, nulla tranquillitas uitæ, nulla benedictio, nulla ſalus, nulla fœlicitas: ſed perpetua maledictio, dãnatio & interitus. Fugiamus igitur, amiciſſimi, conſortium incredulorũ, ſectemur autem Eccleſiam credentium in filiũ Dei, & obediamus uocationi Euãgelij eius, ut reſtituti ex ira in gratiam Dei, conſequamur uerã & perpetuam uitam per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrũ, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

CAPVT IIII.

HOMILIA XXXIIII.

N proximo capite conſcriptæ ſunt duæ excellentes cõciones: altera eſt Chriſti ad Nicodemum, altera Ioannis baptiſtæ ad diſcipulos ſuos, quæ continent in ſe ſummam totius Euangelij ac Chriſtianæ doctrinæ. Quare ſi uera ſalus nobis curæ eſt, non exiſtimemus nos noſtro munere defunctos, ſi has conciones ſemel tantum audiuerimus, aut legendo percurrerimus: ſed diſcẽdæ ſunt ad uerbum, ut rectã ex eis cognitionem Chriſti ſeruatoris noſtri, aſſequamur. Sequitur nunc quartum caput Euangeliſtæ Ioãnis, in ciuis initio deſcribitur receſſus Chriſti è Iudæa in Galilęam: deinde proponitur nobis in muliere Samaritana exẽplũ iuſtificationis: poſtremò additur miraculum editum in Capernaum, in filio Reguli. Vt ergo cognouit (inquit Euãgeliſta) Dominus, audiuiſſe Phariſęos, q̃ Ieſus plures diſcipulos faceret & baptiſaret, q̃ Ioãnes (quanq̃ Ieſus ipſe non baptiſaret, ſed diſcipuli eius) reliquit Iudęã, & abijt iterũ in Galilæã. Suprà dictum eſt, Ieſum ueniſſe in Iudæam, ac inſtituiſſe, ut diſcipuli baptiſarẽt, quemadmodum Ioannes & ipſius diſcipuli baptiſabant. Quare cũ Ioãnes in Galilæa, & diſcipuli Ieſu in Iudęa baptiſarent, ac maxima hominũ multitudo baptiſmum eorum ſuſciperent, uidebatur Phariſæis, penes quos erat ſumma Iudaicæ religionis, res intolerabilis. Primùm enim iudicabãt hunc baptiſmum eſſe abrogationẽ circumciſionis. Si autẽ circumciſio abrogaretur, an nõ tota Iudaica religio interiret? Deinde ſentiebãt hũc baptiſmum eſſe abrogationem oblationũ, ſacrificiorum, & aliorum ſacrorum in lege Moſi. Si enim homines perſuaſi fuerint, ſe conſequi remiſsionem peccatorum intinctiõe in aquam, quis deinceps ad expiãda peccata, oues & boues tanto ſumptu offerret? Quis ad cõſequendã peccatorum remiſsionem alia ſacra faceret? Adhæc, metuebãt Phariſęi honori & quæſtui ſuo, ſi baptiſmus Ioãnis & Chriſti promoueret. Quare inſidiantur uitæ Chriſti, ut ſi Chriſtus è medio ſublatus fuerit, tam ſibi, quàm legi ſuæ conſulatur. Hæc eſt magna impietas & crudelitas Phariſæorum. Etſi enim unuſquiſque operam ſuam conferre debet ad conſeruandam ueram religionem, nihil tamen inauditum & incognitum damnandum eſt. Phariſæi autem nondũ cognouerunt, qualis ſit baptiſmus Ioannis & diſcipulorũ Chriſti, num diuino mãdato inſtitutus ſit, an ab

Phariſæorum de baptiſmo cogitationes.

hominibus

hominibus excogitatus, & tamen ita damnant eum, ut etiam cogitent Christum, quem audierant esse baptismi uel autorem, uel approbatorẽ, è medio auferre. Quare peccant furiosa crudelitate. Quòd autẽ uolunt honori & quæstui suo consulere persecutione, ac etiam occisione innocentis, uulgare hominum uitium est, qui cum putent summę esse prudẽtiæ, opes aut parare, aut paratas conseruare, nullum non genus sceleris designant, ut animo suo satisfaciant. Ac non peccat quidem, qui uel honorem uel facultates suas legitimè & iustè tuetur: sed hæc peccatis, iniquitatibus & sceleribus tueri, hoc demum non est sua cõseruare, sed est uerè sua amittere. Nihil enim potest esse fœlix ac benedictũ, quod iniquè, iniustè & impiè conseruatur. Quare, si quid nõ potest retinere, nisi pecces, uelociter relin quendum est, ut Deo obedias. Nec potes cõqueri de damno, si quid hac causa dereliqueris. Nã quod derelinquitur, ne peccetur, hoc derelinquitur propter iusticiam, & propter nomen Dei, ut uerbo eius obediatur: quod autem nomine Dei derelinquitur, hoc Deus iuxta promissionem Christi filij sui, centuplum restituit. Non igitur in damno, sed in lucro esse deputandum est, quod ad obsequendum uocationi Dei dimittitur. Cæterùm, quòd Christus instituerit quidem discipulos ut baptisarent, ipse autem nõ baptisauerit aqua, nõ fecit hoc consilio, quod uel displiceret baptismus, quem ipse à Ioanne acceperat, uel puderet ipsum baptismi, quem Ecclesiæ usque ad nouissimũ huius seculi diem utendum commendauit: sed ut testimonio Iannis baptistæ, quod erat testimoniũ spiritus sancti, sese accommodaret. Baptista enim dixerat, se baptisare quidem aqua, Christum autem baptisaturum igni. Quare Christus non baptisat aqua, ut cum postea in die Pentecostes baptisaturus sit discipulos suos igni, manifestè cognoscatur, hunc solũ esse uerum Christum, de quo nõ solum Baptista, uerumetiã omnes alij Prophetę uaticinati fuerint. sed uideamus nũc, quid Iesus fecerit: Postq; audiuit Pharisęos insidiari uitæ ipsius, reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam. Quid? metuit' ne mortem à Pharisæis? An' non potuisset uno uerbo omnes Pharisæos perdere? An' non uenerat in hunc mundũ, ut pro peccatis nostris mortem susciperet? Rectè dicis. Christus tanta fuit potẽtia, ut potuisset uel captiuus è manibus aduersariorum mirabiliter euadere, uel omnes aduersarios, priusq; caperetur, uno nutu opprimere. Venit etiam in hunc mundum, ut sua morte nostra peccata expiaret: sed uoluit suscipere timorem mortis iuxta humanam imbecillitatem, & fugere, donec adueniret legitimum, & à Deo patre definitum moriendi tempus, tribus præcipuè de causis, quas commemorat epistola ad Hebræos: Debuit, inquiens, per omnia fratribus similis reddi, ut misericors esset & fidelis pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc quod ipsi cõtigit tentatum esse, potest & his qui tentantur succurrere. Hic habes perspicuè causas, propter quas Christus suscepit in se humanas infirmitates, absque tamen peccato. Primùm enim suscepit eas, ut similis esset fratribus, ac declararet se uerum semen Abrahæ, hoc est, uerum hominem assumpsisse. Nisi enim uerum assumpsisset hominem, non esset uerum semen

Opes cõseruare, aut derelinquere legitimè.

Christus non baptisauit aqua.

Christus an metuerit mortem.

Abrahæ,hoc eſt,non eſſet uerus Chriſtus, qui patriarchis promiſſus erat. Deinde ſuſcepit humanas imbecillitates, ut fidelis eſſet pontifex ad expianda peccata populi. Nam peccata ſolent expiari ſuis ſupplicijs. Inter ſupplicia autem peccati continetur etiam timor mortis. Niſi enim Adam peccaſſet,ut nec mors,ita nec timor mortis intraſſet in hũc mundum. Cum igitur Chriſtus aduenit, ut expiaret peccata noſtra ſuſcipiẽdis peccatorũ ſupplicijs, ſuſcepit & mortis timorem, ac fugit,ut pontificatu ſuo probè defungeretur. Non enim ſentiendum eſt, quòd Chriſtus expiauerit peccata noſtra tantũ in cruce, ſed quòd tota uita Chriſti in hoc mundo fuerit peccatorum noſtrorum expiatio, quemadmodũ aliàs docuimus. Proſtremò ſuſcepit humanas imbecillitates, ut poſsit his qui tentantur ſuccurrere. Chriſtus eñ ſeruator noſter eſt in omnib. afflictionibus,& ut ſcriptura loquitur,adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Maiori autem uoluntate,& ardentiori ſtudio iuuant afflictos hi qui eadẽ pericula pertulerunt, ac ijſdem afflictionibus defuncti ſunt. Quare ſuſcepit Chriſtus affectum eorum, qui inſidias hoſtiũ metuunt, ut ex hoc quod ipſi contigit tentatum eſſe, quemadmodum Apoſtolus ait, poſsit & his qui tentantur ſuccurrere. Sed redeamus ad Euãgeliſtam: Oportebat autem eum traſire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædiũ, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autẽ ibi fons Iacob. Ieſus ergo fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſuper fontem. Hora erat ferme ſexta. De Samaria & Samaritanis ſuperuacaneum eſt ea hic repetere, quæ copioſe ſcripta ſunt in tertio libro Regum, capite decimoſexto, & in quarto libro Regũ, capite decimoſeptimo. Dicemus tamen de his quædam paulo pòſt, cum locus id exegerit. Sichar autẽ uolunt corruptè dici pro Sichem, de qua in Ioſua capitte ultimo ſcriptum eſt, & quam aiunt poſtea Neapolin dictam fuiſſe. Nam de prædio, quod donauit Iacob filio ſuo Ioſepho, *uide* Geneſin, capite quadrageſimo octauo. Ieſus igitur rediturus in Galilæam, uenit ad hunc locum Samarię, & ſedit ad fontem Iacob, fatigatus & ſitiens. Erat enim hora diei ſexta, hoc eſt, meridies, quo tẽpore æſtus ſolis feruentiſsimus eſſe ſolet. Hoc iterum audis in Ieſu Chriſto humanas imbecillitates. Cui cœlum ſedes eſt, & terra ſcabellum pedũ eius, hic fatigatur ex itinere: & qui paſcit & potat omnia animantia, ita ſitit, ut etiã à muliere peccatrice aquam petat. Quid ſibi uult tanta hæc imbecillitas? Nõ certè aliud quàm quod paulo antè de timore mortis, & fuga diximus. Voluit enim Chriſtus his imbecillitatibus ſe declarare uerũ eſſe hominem, & expiare peccata noſtra, ac experiri affectum miſerorum hominum, ut ipſos opportuno & tempore et modo iuuet. Ac hactenus quidem diximus de profectione Chriſti è Iudæa in Samariam. Audiamus nunc, quid in Samaria geſtum ſit: Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquam. Dixit ei Ieſus, Da mihi quod bibam. Nã diſcipuli eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerẽt. Hoc eſt inſtitutum, propter quod Euãgeliſta cõmemorauit profectionem Ieſu in Samariam. Suſcepit eñ deſcribendam iuſtificationem mulieris Samaritanę, ut exemplo eius cognoſcamus, quomodo peccator fiat iuſtus. Nam hæc mulier dedit operam

Humanæ imbecillitates à Chriſto ſuſceptæ.

Sichar.

Imbecillitas Chriſti.

Iuſtificationis exemplum in muliere Samaritana.

ram ſcortationi (quemadmodũ poſtea ſequitur) & uenit ad fontem impudica & peccatrix, ſed redit domũ à fonte iuſta & ſancta. Obſeruandũ igitur eſt, quid actum ſit, ꝙ conſecuta ſit iuſticiã & ſanctitatem. Ac initiò uides mulieri contingere cœleſte & diuinum beneficiũ iuſticiæ, nullo ſuo merito, ſed prorſus aliud agenti. Primùm enim uenit ad fontem, nihil minus quærens, quàm ueram iuſticiam, ſed hauſtura aquam. Non ſitit cœleſtem ſanctitatem, ſed ſitit terreſtrem aquam. Deinde ſecura eſt in peccatis ſuis. Etſi enim Chriſtus initio colloquij admonet eam ſalutis ſuæ, tamen ipſa ſuauiter interim ridet uerba Chriſti, nec ulla afficitur cura ueræ iuſticiæ. Exiſtimat fortaſsis ſe ſatis iuſtã, ſi peccatũ hominibus lateat, & ipſa aliquoties offerat arietem pro peccato, ac bibat ex eo fõte, ex quo ſanctus patriarcha Iacob cum filijs ſuis bibit. Ac prorſus idem agit hęc mulier, quod Salomon de adultera ſcribit: Talis, inquiẽs, eſt uia mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum dicit, Nõ ſum operata malum. Vides igitur hanc mulierem nullũ prorſus habere meritũ coram Deo, propter quod poſsit cõſequi beneficium iuſticię & ſalutis: nihilominus tñ Chriſtus ſuſcipit cum ipſa colloquiũ, ut eam iuſtificet. Hoc illud eſt, ꝙd Eſaias ſcribit: Omnes nos quaſi oues errauimus, unuſquiſq; in uiam ſuã declinauit, ſed Dominus poſuit in eo iniquitatem omniũ noſtrũm. & Ioannes: In hoc eſt charitas, nõ quòd nos dilexerimus Deum, ſed ꝙ ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuũ propitiationem pro peccatis noſtris. Porrò, colloquium Chriſti cũ muliere hoc fuit: Da mihi, inquit Chriſtus, quod bibam. Chriſtus ex itinere fatigatus, ſitit quidem aquã, ſed multo magis ſitit mulieris ſalutem: ideoq; quærit hac petitione occaſionem docendæ mulieris, ut reducat ipſam in uiã iuſticiæ. Quod uerò additur, diſcipulos profectos fuiſſe in ciuitatẽ, ut cibos emerent, ſignificat Chriſtum ſolum abſq; arbitris ad fontem ſediſſe, & cum muliere collocutũ fuiſſe: interim autẽ refutatur horum hypocriſis, qui ex inſtituto profeſsionis ſuæ non attingunt pecuniam, quę eſt mera ſuperſtitio, ad decipiendos homines, ſpecie ſanctitatis excogitata. Quid enim dicemus? Si Apoſtoli emerunt cibos, certè & habuerũt, & attigerunt pecuniam. Ergo ne monachi illi ſectãtur multo ſanctius inſtitutũ, ꝙ Apoſtoli? Sed ualeant hę uaniſsimę ſuperſtitiones, indignę prorſus, de quibus in ſeria Chriſtianiſmi doctrina mentionẽ faciamus. Non perſequemur ea quæ ſequuntur, & audiemus, quid mulier reſpõdeat Chriſto. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum ſis, « poſcis à me potum, quę ſum mulier Samaritana? Nõ enim commerciũ « habent Iudæi cũ Samaritanis. Ex hoc reſponſo animaduertere licet, mu « lierem nõ ſolum in peccatis ſuis ſecuram fuiſſe, uerum etiã aliquam ſibi iuſticiam prę Iudęis arrogaſſe. Quod enim dicit, σαρκασμὸς eſt, & mordax inſultatio. Quid? Tu ne ex Iudæis illis, qui ſibi ſoli uidentur iuſti & ſancti, petis potum à me Samaritana, cum tamẽ nos Samaritani iudicemur à uobis impijſsimi? Nõ metuis, ne ex meo colloquio uel potu ſordideris? Sed quales quales ſitis, certè intelligo etiã uos noſtra opera indigere: & nos qui bibimus ex fõte Iacob, non eſſe tã abiectos à Deo, ꝙ uos iudicatis, alioqui enim cur tu peteres à me ex hoc fonte potũ? Hæc

Pecuniam non attingere, hypocriſis eſt.

linguæ procacitas in muliere meritò reprehẽdi debet. Mulierem enim decet modestia & uerecundia. Quæ autẽ hęc est modestia, insultare in miserias uiri, Iudæi quidem, alioqui tamen ignoti? Et quæ est illa uerecundia, publicam gentis consuetudinem uni sitibundo uiro cõtumeliose exprobrare, ac se illi propter usum fontis à patriarcha effossi, in sãctitate præferre? Sed audiamus nunc consuetudinem Iudæorum, quam allegat mulier: Iudæi, inquiens, non habent commercium cum Samaritanis. Hæc cõsuetudo non fuit in lege Mosi mandata, sed traditione maiorũ à Iudæis obseruata, ab eo uidelicet tẽpore, quo Zorobabel & principes populi noluerunt permittere, ut Samaritani restaurarent cum ipsis templum, quemadmodũ scriptum est in Esdra, cap. iiij. Videntur autẽ magnas & graues causas huius obseruationis habuisse. Nam Samaritani uariè peccabant aduersus Deum & aduersus Iudæos, qui erãt populus Dei. Primùm enim, nõ sectabãtur synceram religionem, quam Moses & Prophetæ docuerant: sed habebãt religionẽ ex Iudæorum & gentium ritibus collectam. Postq; enim rex Assyriorum eiecisset Israelitas è Samaria, deduxit colonias ex gẽtibus Babylonijs & Chutæis in Samariam. Hi initiò coluerunt in Samaria deos suos fictitios: deinde cum propter impietatem à leonibus interficerentur, didicerunt etiam sacra Israelitica, quę unà cum suis impijs sacris obseruarunt. Et cũ Dominum colerent, inquit Scriptura, dijs quoq; suis seruiebant iuxta cõsuetudinẽ gentium, de quibus trãslati fuerunt in Samariam. Verisimile autem est, q; his gentibus admixti sint postea multi ex Israelitis, qui & ipsi partim secuti sunt sacra Mosaica, & gloriati sunt se esse posteros patriarcharũ, partim secuti sunt impietatem gẽtium. Itaq; gentes & Israelitæ in Samaria redacti tandẽ sunt in unũ corpus reipublicę, & obseruarunt religionem compositam ex Iudæorũ & gentium sacris. Tales Samaritani sunt & hi qui hoc tempore nullam certam religionem probant, sed seligunt quædam è religione pontificia, quædam è religione, quam ita uocant, Euangelica, quædam è religione Turcica, quædam etiam è Iudaica. Hi etsi gloriantur se unum tantũ Deum, creatorem cœli & terrę colere, tamen uerè sunt homines impij, ac sine religione. Vna enim est tantũ uera religio, uidelicet ea quam tradiderunt Prophetæ & Apostoli de Iesu Christo seruatore nostro, & quam nos docẽt sacræ literę. Hanc, qui nõ sectatur, impietatẽ sectatur, ut maximè iactet se uerum Deũ colere. Deinde Samaritani peccabant aduersus Iudæos uirulẽto odio, inconstantia, mobilitate & leuitate. Cum enim Iudæi utebãtur prospero flatu fortunæ, simulabant Samaritani se quoq; Iudæos esse, & cupiebant sese cũ Iudæis societate coniungere: cum autẽ Iudæi infœlices erant, non habebant capitaliores hostes, q; Samaritanos. Vtinã aũt soli hi Samaritani hac in re peccassent. Nunc, quàm multos, obsecro, reperias, quorum animus eodẽ, quó fortuna, inclinat: et quos cũ fœlix fueris, amicos, cum infœlix, hostes habeas? Hac leuitate nihil turpius, hac crudelitate nihil detestabilius est. Quod enim tempus magis opportunum, aut quando Deus ipse ac natura diuinitùs cõdita magis exigit, ut proximo exhibeas officia amicitiæ, quàm cum premitur infœlicitate? Cum igitur derelin-

Consuetudo Iudæorum à Samaritana allegata.

Samaritæ.

4. Regum 17.

Religio uera quæ sit.

Vide Iosephũ lib. 11. Antiquitatum.

quis

quis proximum in difficillimis temporibus, nõ uideo, quid aliud facias, quàm quòd & Deum contemnas, & hominẽ exuas, ac indignus sis qui ullum inter homines locum habeas. Postremò Samaritani peccabãt etiam hac parte in coniunctionẽ uicinitatis, quòd præbebant tutum asylum his Iudæis, qui ad ipsos metu suppliciorum propter scelera sua confugiebant. Hos tuebantur, hos defendebant, nõ affectu clementiæ erga miseros, aut cupiditate propugnãdę iusticiæ, sed odio Iudæorum. Cum igitur Samaritani peccarent tam impietate aduersus Deũ, q̃ꝫ leuitate & crudelitate aduersus Iudæos: non mirum est, q̃ꝫ Iudæi nõ habuerint publicum commercium cum Samaritanis, ne uiderẽtur impietatem eorũ approbare, & ne infirmiores assuefierent unà cum cõmercio etiam impietati. Hæc autem consuetudo, etsi habuit honestas causas, fuit tamen humana tantum pædagogia. Nunquid ergo tanti momenti habenda erat, ut assurgeret ei, & crederet lex Diuina? Nihil certè minus. Propter traditionem humanam non est transgrediendum præceptum diuinum. Lex Dei est, Diliges proximũ tuum sicut teipsum: & nomine Proximi non intelligitur tantum amicus, sed etiam inimicus, quemadmodum Samaritanus ille, qui in Euangelio Lucæ, suscepit curã Iudæi semiuiui, rectè hanc legem intellexit. Quare si Samaritanus quispiam cõprehensus fuisset eodem periculo, quo Iudæus à latronibus despoliatus, & semiuiuus relictus, ac præterijsset Iudæus, non licuisset ipsi, nisi impio & crudeli, prætexere publicam gentis suæ consuetudinem, ac miserũ Samaritanum derelinquere: sed necesse habuisset humanam pædagogiam transgredi, ac miserũ adiuuare, ut diuinæ legi obsequeretur. Ordinatio Dei est, ut Christus filius Dei uocet peccatores ad pœnitentiam. Etsi autem Christus, cuius regnum non est de hoc mundo, subiecerat se publicis Iudaicæ politiæ consuetudinibus: tamẽ cum uocat hic mulierem Samaritanam ad pœnitentiam, rectè uiolat humanam pædagogiam, ut diuinã suam uocationem sectetur. Quare danda quidẽ nobis est opera, ut politicas cõsuetudines, quæ habent honestas causas, pro uirili nostra obseruemus: & quantum in nobis est, publicã tranquillitatem exemplo obedientiæ nostræ cõseruare studeamus. Si uerò tale quid acciderit, ut aut humanum aut diuinum mandatũ uiolandum sit, obediẽdum magis est Deo q̃ꝫ hominibus, quo in uocatiõe Dei perdurãtes, ambulemus in adiutorio et protectione Dei altissimi ad uerã salutẽ, propter Iesum Christum seruatorem nostrũ, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Diuina lex non debet cedere humanæ ordinationi.

HOMILIA XXXV.

SVscepit Christus colloquium cum Samaritana muliere, ad fontem Iacob, contra publicam quidem gentis suæ consuetudinem: sed iuxta diuinam suam uocationem, ut peccatricem mulierem ad pœnitentiam, & ueram iusticiam perduceret, ac toti Ecclesiæ exemplum iustificationis in ea proponeret. Ac initiò uidemus talem esse hanc mulierem, quales peccatores omnes, iudicio peccati nondum reuelato, esse solent. Hæc enim mulier, etsi scortata est, tamen quia peccatum non est

uulgatum inter ciues,& ipſa aliquoties offert ſacrificia pro peccatis, bo no animo eſt:ſecura eſt,pollicetur ſibi non tantum impunitatẽ, ſed etiã iuſticiam propter ſacra,quæ unà cum ciuibus ſuis peragit. At his moribus nemo conſequitur coram Deo remiſsionem peccatorum, & iuſticiam. Quare Chriſtus pergit cum muliere colloqui, ut tandem reducat eam in ueram & rectã uiam iuſtificationis. Nam mulier cum admiraretur,quî fieret, quòd Ieſus ab ipſa peteret aquam: reſpondit Ieſus, & dixit,Si ſcires donum Dei, & quis ſit,qui dicit tibi,Da mihi quod bibam, tu petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam uiuam. Nihil reſpondet Ieſus mulieri ad publicam gentis conſuetudinem, quam mulier allegauerat, ſed dicit ea quæ ad ſalutem múlieris neceſſaria ſunt: Si tu,inquiens, cognoſceres quantum beneficium ego petendo à te aquam, in te conferre cupiam,ac intelligeres & tuam miſeriam & meam maieſtatem, nõ expectaſſes,dum ego petiſſem aquam:ſed tu me, petendo ueram tuam ſalutem,præueniſſes. Hic primùm uide tolerantiam & clementiam Chriſti, Deriſus à muliere,non uiciſsim eam deridet,ſed ſalutem eius curat. Qui ergo nos ſumus,quòd uno tãtum ridiculo uerbo excitati, ira ſic intumeſcamus, ut rumpi uelle uideamur? Deinde, cũ Chriſtus filius Dei petat à muliere aquam, magis ut ipſe det mulieri, quàm accipiat beneficium, diſcendus nobis eſt hic Theologicus canon, quòd Dominus Deus noſter hanc habeat conſuetudinem,ut petendo & exigẽdo à nobis noſtra, quæ ſic uocantur,bona,ſignificet & promittat ſe potius ſua nobis bona affluẽter daturum,quàm à nobis noſtra ablaturum: aut ſi quid abſtulerit,centuplum redditurũ. Quid ergo,inquis,petit,aut quid exigit à nobis Deus? Primùm, cũ homo afflictus petit opẽ noſtrã, ſentiamus Deum ipſum id à nobis petere. Quod uni,inquit,ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Deinde, petit Deus à nobis, ut nomine eius relinquamus, quod non poſſumus aut cõſequi aut cõſeruare, niſi peccemus aduerſus Deum. Nam quod ſic relinquitur,hoc Deus ſibi datum eſſe interpretatur. Præterea petit,ut patienter feramus, ſi quid à nobis uiolẽter auferatur,aut amittitur. Nam & hoc Deus ſibi datũ eſſe iudicat. Cũ ergo Deus hęc petit,profectò non petit ea,ut nos relinquat egenos, ſed ut faciat nos locupletes. Petit emẽ,nõ ut auferat,ſed ut det: etſi quid ablatum fuerit,abundè reſtituat. Deus enim nõ indiget noſtra ope, nos autẽ ipſius ope indigemus. Meæ ſunt,inquit,omnes feræ ſyluarum, iumẽta in mõtibus,& boues. Cognoui omnia uolatilia cœli,& pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero,non dicam tibi. Meus eſt enim orbis terrę & plenitudo eius. Quare Deus petit à nobis noſtra bona,non quòd ipſe indigeat,aut nos uelit indigentia perdere: ſed ut habeat occaſionẽ plura in nos beneficia conferendi,quàm aut optare aut ſperare audeamus. Multo enim liberalior eſt dando,quàm nos accipiẽdo. In lege Moſi iubet Deus manipulos in agris relinquere aduenæ,pupillo & uiduæ. Hos enim manipulos ſibi potius,quàm hominibus dari intelligit. Quid ergo? nũ Deus hoc petit,ut defraudet dominos agrorum, & cõiiciat eos in paupertatem? Minimè omnium:ſed petit hoc ſibi dari, ut dominos agrorũ ditet. additur enim: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus, in omni ope

Ira compeſcẽda.

Deus quæ aufert, reddit affluenter.

Dei liberalitas.

re

re manuum tuarum. apud Lucam Christus ait: Date & dabitur uobis. Dando igitur magis accipimus, quàm accipiendo. Deus petijt ab Abrahamo unigenitum filium suum Isaacum. Cum ergo Abraham daret eũ Deo, ac offerre uellet, in tantum nõ amisit eum, ut potius maximo cum fœnore sit restitutus. Per memetipsum, inquit Deus, iuraui, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito, benedicã tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arenam, quæ est in litore maris. Chaldæi diripuerunt quondã facultates Iobis, & domus collapsa oppressit liberos eius. Petijt ergo Deus à Iobe, ut sibi daret facultates & liberos, hoc est, ut patienter hanc iacturam ferret. Quid factum est? Dedit ea Iob Deo. Dominus, inquiens, dedit, Dominus abstulit, sit nomẽ Domini benedictũ. Sed uicissim reddidit Dominus Iobi omnia duplicia, et benedixit nouissimis eius plus quã principijs. Dauid eiectus fuit è regno suo per Absolomem. Qua in re petijt Deus à Dauide, ut sibi daret regnum, hoc est, ut exiliũ ex fide & obedienter susciperet. Dedit ergo Dauid Domino Deo suo regnum. Si inuenero, inquiens, gratiam in oculis Domini, reducet me: si autem dixerit mihi, nõ places, prẹstò sum, faciat, quod bonum est coram se. Sed Deus uicissim ita restituit Dauidi regnum, ut nõ solum in Dauidis, sed etiam in Salomonis filij eius manu confirmaretur. Quare si quid Deus petierit uerbo suo, certò credendũ est, ꝙ magis dare uelit, quã accipere: ut discamus petitioni Dei gratificari, & nostra iuxta mandatũ Dei obedienter derelinquere. Sed reuertamur ad mulierem Samaritanã. dicit ei mulier: Domine, neqꝫ quo hau- «
rias habes, & puteus profundus est. Vnde ergo habes aquam illam ui- «
uam? Num tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteũ, & ip- «
se ex eo bibit, & filij eius, & pecora? Etsi nonnulli interpretes sentiũt, «
hæc uerba non ridendi, sed discẽdi gratia à muliere dicta esse: tamẽ quia uidimus antea securitatem mulieris in peccatis suis, quam postea magis declarabit, intelligemus et hæc uerba iuxta ingenium mulieris suprà indicatũ. Nam Christus dixit de aqua cœlesti, hoc est, de uera et perpetua salute, quam dare uelit; mulier autẽ intelligit, eum loqui de aqua fontana. Quare suauiter ridet prolixam illam promissionẽ Christi, de aqua uiua, idqꝫ duobus nominibus. Altero, ꝙ ipse sitientissimus, & aqua egẽtissimus, polliceatur uiuam aquam, cum tamen ne situlã quidẽ habeat, qua hauriat putealem illam aquã: altero, quòd uideatur se præferre Iacobo, patriarchæ sanctissimo, cum promittat meliorem aquã, quàm Iacob cum familia sua biberit. Sed qua ratione mulier accipit promissionem Christi, eadẽ solet humana sapientia omnes promissiones Dei accipere. Nam quẽadmodũ mulier putat promissionem Christi de uiua aqua ridiculam esse, propterea quòd nihil uideat in Christo, quod cum hac promissione conueniat, imò uideat planè cõtraria in Christo, sitim uidelicet, & indigentiã: ita diuinæ promissiones uidentur humano iudicio prorsus ridiculæ, ꝙ longè alia polliceantur, quàm natura rerum ferat. Ac si quidem naturalia & cõgruentia cum diuinis promissionibus manifesta compareãt, nõ difficilè uidetur uerbo Dei fidem habere. Nã si agri multa frumenta ferant, & parata sint ea quæ ad uictum suppeditant,

Promißiones diuinæ sunt ridiculæ humanæ rationi.

tant,uidemur nobis rectè huic uerbo credere: Qui dat escã omni carni, &: Dat escam esuriẽtibus. Aut si bona corporis ualetudine utamur,nõ uidemur dubitare, quin Deus seruet uitam nostram. Si autẽ grãdo uastauerit agros,& immineat mors,promissiões Dei de dãdo uictu & cõseruanda uita non solum ridiculæ,uerumetiam mẽdaces iudicantur. At enim Dominus Deus noster nõ fundauit promissiões suas aut naturali rerum cursu,aut humana potentia & iusticia,sed sua tantũ omnipotẽtia,& misericordia. Promisit Deus ambulantib.in uocatione sua uictũ. Hanc promissionẽ seruat,etiamsi defuerint frumenta. Non enim in solo pane uiuit homo,sed in omni uerbo,quod egreditur de ore Domini. Promisit Deus uitam omnibus credentibus in Christũ. Sic enim Deus dilexit mundũ,ut filium suum unigenitum daret,ut omnis qui credit in eum,non pereat, sed habeat uitam æternam. Hanc promissionẽ seruat Deus,etiamsi sanitas & uita corporis euanescãt. Quare primùm omnium curæ nobis sit, ut habeamus & intelligamus promissionẽ Dei: quacum si naturalis rerũ cursus congruit, utamur sanè,quo uti licet:si uerò nihil est,quod conuenire uidetur, sufficiat nobis ipsa Dei ueritas, quæ cum sita sit in omnipotẽtia & misericordia Dei,fieri nõ potest, ut spem credentium fallat. Deinde, ingenio huius mulieris,quæ ridet Iesum,ꝙ præferat sese Iacobo patriarchæ tam sancto, & promittat meliorem aquam, adumbrantur etiam hi qui maiorum suorum instituta sine iudicio sequuntur. Manifestum quidẽ est, quòd debeamus caniciei & autoritati maiorum nostrorum assurgere: sed ne ipsi quidem maiores hodie posteris suis exigunt, ut citra iudicium & testimonium uerbi Dei, omnia placita ipsorum, ut sacrosancta & inuiolata amplectamur. Nã quẽadmodum patriarcha Iacob,nõ eò fodit puteum,ut posteros suos adusum huius putei,quo ne ipse quidẽ semper usus est, alligaret,aut prohiberet,quo minus meliorem & commodiorem fontem uel quærant,uel fodiant:ita pij & prudentes maiores multa tam in rebus politicis ꝙ Ecclesiasticis instituerunt,nõ quidem hoc consilio,ut quod ipsis uisum sit, perpetuum maneret:sed ut rationem sui temporis haberent, ac interim posteris liberum relinquerent, etiã pro sui temporis opportunitate rebus consulere. In humanis enim ordinationibus nihil potest,prꝛeter uerbum Dei, perpetuum esse. Quare maiorum autoritati ita cedendũ est, ut tamen meminerimus,uerbo Dei semper & perpetuò obsequendum esse. Sed audiamus nunc quid ad hæc mulieris uerba Christus dicat: Respõdit Iesus,& dixit ei, Omnis qui bibit ex aqua hac,sitiet iterum. Quis quis autem biberit ex aqua,quam ego dabo ei,nõ sitiet in inæternũ: sed aqua,quam ego dabo ei,fiet in eo fons aquæ salientis in uitam ꝛternam. Hæc est duarum aquarum collatio,ex qua Christus manifestè significat mulieri,quòd promittat ipsi non terrestrem,sed cœlestem aquam, quæ afferat homini salutem: non caducam & mutabilem, sed sempiternã & immortalem. Memorabile dictum,quod magno nobis usui esse potest, si eo dextrè uti sciamus. Nã si id ꝙd Christus de puteali aqua dicit, Omnis qui bibit ex hac aqua, sitiet iterũ, transferamus ad iusticiam humanam, & ad omnia ea terrena, quorũ usus nobis proponitur & ostentatur,

Maiorum autoritas suspiciẽda quidem, non autẽ præferenda autoritati Dei.

tur,non ſolum rectè intelligemus earum rerum naturam, ſed etiã diſcemus cupiditates noſtras cõpeſcere, ac in uocatione Dei ad uerã noſtrã ſalutem pergere. Nam ſi de humana iuſticia loquendũ eſt,rectè confertur cũ hac puteali aqua,ex qua qui biberit,iterum ſitiet. Etſi enim habes humanam iuſticiã,tñ ea non explet ſitim iuſticiæ in diuino iudicio,quia non eſt perfecta: ac præſtãda quidem eſt ex fide, nemo autẽ poteſt per eam coram tribunali Dei conſtare. Sola illa iuſticia ſeruat nos,quam nobis donat Chriſtus, & quã ex Euãgelio eius per fidẽ accipimus. Quod autem attinet ad alias res terrenas,hoc eſt,hominum ingeniũ,hęc natura,ut cum alicuius terrenæ rei deſiderio tenẽtur, tãta aliquoties cupiditate flagrent,ut exiſtiment ſibi pereundum eſſe,niſi aſſequãtur. Alius in uenalem agrum tanta auiditate imminet,ut niſi cõparet eum ſibi, putet ſe non poſſe diutius uitam agere. Alius tãta propoſiti magiſtratus cupiditate inflammatus eſt,ut niſi conſequatur eum,iudicet totam ſalutẽ ſuam periſſe. Alius amore uirginis aut uiduæ ita ardet,ut non tam uiuere malit,q̃ eam in uxorem ducere: ac ſic ſentiat,ut ſi non factus fuerit compos uoti ſui,è uita ſibi diſcedendum ſit. Et quis enumerare poſſet omnia cupiditatum genera,quibus homines ita flagrare ſolent, ut exiſtimẽt ſe beatos,ſi aſſequantur,quod cupiunt: infœliciſſimos autẽ, & longè omnium miſerrimos,ſi ſpe ſua fruſtrẽtur. Sed in tantis cupiditatibus reuocanda eſt in animum hęc ſententia, Omnis qui bibit ex hac aqua,ſitiet iterum, ut ardorem & flagrantiã earũ extinguamus. Nam quemadmodũ aqua illa putealis non ita depellit ſitim,ut amplius nõ ſitias, ſed quantumcunq; in præſentia biberis,iterum tamẽ ſities: ita in omnibus rebus terrenis nihil eſt tam excellẽs,tam præſtabile, tam eximiũ, quod humano animo diu ſatisfacere ſuapte natura queat. Quicquid enim in hac terra,quamuis precioſum,quamuis iucundũ & delectabile, in mediũ produxeris, ea eſt aqua, ex qua qui biberit,iterũ ſitiet. Audi mihi Salomonem,ſapientiſsimum & diligentiſsimum rerum perſcrutatorẽ. Is in Eccleſiaſta ſuo,primùm ædificat ſibi domos,plantat uineas,facit hortos et pomœria, extruit piſcinas aquarũ. Deinde poſsidet ſeruos & ancillas, oues & boues, præterea coaceruat argentũ & aurum. Adhæc,inſtituit cantores,cantatrices,& delicias filiorum hominum. Breuiter,Salomon quæſiuit in omnibus huius ſeculi rebus uel utilibus uel iucũdis fontem earum aquarũ,ex quibus ita biberet,ut deinceps nõ ſitiret. Sed audi ingenuam ipſius confeſsionem: Cum conuertiſſem me ad uniuerſa opera, quæ fecerãt manus meæ, & ad labores,in quibus fruſtra ſudaueram, uidi in omnibus uanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole. Hoc quid aliud eſt,q̃ ſi dixiſſet, Nullum inueni fõtem ſub ſole, qui potuerit meã ſitim explere? Salomoni,inquis,hoc accidit, ſed nõ cuiuis homini: imò Salomon in hoc diuinitùs excitatus eſt,et tãta fœlicitate ac maieſtate ornatus, ut poſſet ſua ipſius experientia conditiones rerũ huius ſeculi cognoſcere, ac de uanitate earum toti orbi teſtimoniũ dicere. Obſecro igitur te,ut exponas nobis, quid cauſæ ſit, quòd nulla ſit aqua in terris, quæ ſitim noſtram explere poſsit: ac nulla res ſit in hoc ſeculo, quæ mentem noſtram ita exatiare queat, ut nulla amplius cupiditate tenea-

Iuſticia humana & terrena, omnia ſunt aqua putealis.

Peccatum facit homines miseros & pauperes.

teneatur. Quid causę sit, rogas? Dicam uno uerbo. Peccatum, peccatū inquam in causa est. Postquam enim Adā peccauit, & nos in ipso peccauimus, amisimus ueram tam cognitionem quàm possessionē Dei. Deo autem amisso, quid obsecro, reliquum nobis esse potest? Deus enim uerè est copia rerum, & thesaurus omnium bonorum: ac ut pauciſsimis dicam, Deus est OMNIA in OMNIBVS. Quare si Deo careris, nihil prorsus est, quòd in alijs rebus inuenire queas. Si, exēpli gratia, accesseris ad pecuniam, quamuis multam & copiosam, nihil tamē est in pecunia, quod te iuuare, aut animum exatiare possit. Pecunia enim nō est Deus ipse, & tu cares Deo, qui est omnia in omnibus. Quid ergo aliud relinqueretur tibi in pecunia, quàm inanitas & uacuitas? Si accesseris ad regiā maiestatem, qua nihil in terris sublimius putatur, ea tamē te egētem dimittet. Regia enim maiestas nō est Deus ipse, & tu propter peccatū cares Deo, qui solus est omnia in omnib. Nihil ergo habebis, si Deo cares, etiamsi regiam maiestatē habeas. Sed quid faciā, inquies, ut amissum Deum recuperem? Omnia enim, ut uideo, recipiam, si hūc recipiā.

Pecunia nō est Deus.

Deus amißus quomodo recuperandus.

De hac re audienda est posterior pars huius sententiæ, quam Christus hoc loco mulieri recitauit: Quisquis, inquiēs, biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet inęternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquę salientis in uitam æternā. Nulla est in terris aqua, quamuis ex fonte Iacob hausta, quæ possit hominū sitim explere: sola autem illa aqua, quā Christus dat, homines ita exatiat, ut nunq̄ deinceps sitim sentiant. Quę est ergo illa tam preciosa aqua? quis est ille tam salutaris fons, ut & nos ex ipso aquam hauriamus, & ad perpetuam uitā cōseruemur? Profectò hic fons non est alius, q̄ Christus ipse, unà cum omnibus bonis suis, quæ à Deo patre suo accepit. Aiunt fontanam aquā tam altè assurgere, quàm descenderat. Hoc idē de Christo uero fonte dici potest. Descēdit ille de cœlo, & idem etiam ascendit. Nemo, inquit, ascendit in cœlū, nisi qui descēdit, filius hominis, qui est in cœlo. Ergo ne homines necesse habent semper in terra manere? Nihil certe minus. Audis enim quid hoc loco dicatur: Fiet in eo fons aquæ salientis in uitam æternam. Si ēm Christum fide acceperis, quemadmodum fons ipse, qui est Christus, in cœlum assurgit: ita & homo Christo insertus, unà cum Christo in cœlū ascendit. Hic enim Iesus Christus, solus ille est, per quem ascēdamus in cœlum, & ingrediamur in æternam uitam. Solus item ille est, per quem recuperare possumus Deum, antea peccato amissum. Nam ut intelligas quanta sit maiestas Christi, reuoca iterum in mentem cōcionē Baptistæ de Christo, quam suprà exposuimus. sic enim ait Baptista: Pater diligit filium, & dedit illi OMNIA in manum. audi & Paulum de maiestate Christi concionantem: Credimus, inquit, secundum efficaciam roboris fortitudinis Dei, quam exercuit in Christo, cum suscitaret eū ex mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus, supra omnē principatum ac potestatem, & uirtutem et dominium: & omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedes illius, & eū dedit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementū eius qui omnia in omnibus adimplet. Hæc est

Christi maiestas.

descriptio

descriptio maiestatis Christi, quam idcirco hoc loco ex Paulo recitauimus, ut cognita maiestate Christi, perspicuè uideamus, & accepto Christo, Deũ ipsum, qui est omnia in omnibus, recuperemus, & cupiditatẽ nostrã cumulatè expleamus. Deus enim pater omnia dedit in manum Christi filij sui. Ac primùm, cũ suscitasset eum à mortuis, iussit eũ sedere ad dextrã suam, hoc est, habere æqualẽ cum ipso potestatem & maiestatem super omnia in cœlo et in terra. Deinde dedit etiã eum caput Ecclesiæ, uidelicet, ut non solum ipse habeat æqualem maiestatem cum Deo patre: uerum etiam cõmunicet eam cum Ecclesia sua, quemadmodũ capitis dona communia sunt cum reliquo corpore. Ac breuiter, Deus pater extulit Christũ filium suum in tantam sublimitatem, ut sicut ipse, ita & Christus sit omnia in omnibus: quod quid aliud est, quàm quòd Deus tradidit sese totũ, quantus quantus est, unigenito filio suo Domino nostro Iesu Christo? Quare qui accipit Christum (accipit autem eum, qui credit Euãgelio eius, de qua re aliàs sæpe) is accipit, aut potius recuperat Deum antea peccato amissum. Quid ergo nũc deesse tibi potest, siue ad prospera siue ad infœlicia accesseris? Si habes Christũ, & recuperasti Deũ per Christum, eam habes aquam, ex qua qui biberit, nunquam in æternum sitiet. Quocunq; te ueteris, inuenis rerum omnium abundantiã & fœlicitatem. Si ueneris ad pecuniã, inuenis thesaurum: quia maximũ omnium thesaurum, qui est Christus, ac Deus ipse, tecũ affers. Si ueneris ad indigentiã pecuniæ, & paupertatem, nihil minus, q; antè in pecunia, inuenis, quia gestas tecũ thesaurum inexhaustũ. Si accesseris ad uitam, expleberis uita, quia adducis tecũ uitæ autorẽ. Si contrà accesseris ad mortẽ, certè & hic non minus expleberis uita, quàm antea. Mors enim nõ potest mors esse, ubi est uita, Iesus Christus Dominus noster. Quare cũ exarserint in te cupiditates terrenarũ rerum, noli peccatis, sceleribus & impietate ad consequendas eas contendere (non enim sunt aqua illa, quæ possint sitim explere) sed omni cogitatione & cura in hoc studium incumbe, ut habeas Iesum Christum seruatorem nostrũ: qui ut omnia in omnibus adimplet, ita est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVI.

ETSI Iesus Christus Dominus noster haud obscurè hactenus obtulit Samaritanæ mulieri ueram & perpetuam salutem duabus eximijs promissionibus, quarũ altera est, Si tu scires donum Dei, & quis sit, qui dicit tibi, Da mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuam: altera, Quisquis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternũ: mulier tamen in peccatis suis secura, ut nullo adhuc ueræ salutis desiderio tenetur, ita nondũ eam adsequitur, donec agnitione peccatorũ territa, & ignibus inferni inflãmata incipiat cupiditate liberationis flagrare. Fieri enim nõ potest, ut qui cæcata mente ignorat magnitudinem & grauitatẽ peccati sui, magnopere afficiatur promissione diuinæ clementiæ & Euãgelio salutis. Nam, cum in præsentia nullũ nec in cor-

pore,nec in animo incommodū ferre uideatur,putat ſe in optimo ſtatu collocatū eſſe. Audiamus igitur quid ſecura adhuc mulier reſpondeat Ieſu Chriſto,ad liberaliſsimā illam promiſsionem de fonte ſcaturiente
» in æternā uitam. dicit ei mulier: Domine, da mihi iſtam aquam, ut non
» ſitiam,neq; ueniam huc ad hauriendum. Hoc uerò non eſt ſeriò petere aquam promiſſā,ſed eſt promiſsionem uanam iudicare & ridere. Bene profectò mecū ageretur, ſi poſſem talem aquam aſſequi: ſum enim admodū ſegnis ad ingrediendum ſingulis diebus hoc iter è ciuitate,& ad hauriendam è tam profundo puteo aquam. Facies igitur mihi rem gratiſsimam, ſi talem mihi aquam dederis, quam ſi bibero, nō amplius ſitiam. ſed quid? Tu'ne mihi talem poſſes dare aquā, qualis nulla unquam fuit in toto orbe terrarū? Quod igitur promittis, reputo nugas eſſe uaniſsimas. Primùm,hæc mulier ſignificat exemplo ſuo,quomodo ſecuri peccatores,& ij quorum Deus uenter eſt,excipere ſoleant Euangelion Chriſti. Nam Euangelion Chriſti prædicat Chriſtū eſſe theſaurum omnium bonorū,& pollicetur in Chriſtum credentibus,omnem rerum abundantiam. Hoc ſi audiuerint uentres, continuò exclamāt, Cur ergo Chriſtus nō largitur nobis frumenta & uina in hac magna inopia & caritate? Adhæc, Euangelion Chriſti prædicat Chriſtū eſſe gratuitū peccatorū remiſſorē, ut qui credit in eū, conſequatur remiſsionē omnium peccatorū, ſine ullo merito: ſed planè gratis per fidē, propter Chriſtū. Hęc ſi ex Euāgelio docentur,ſecuri hypocritæ ea admurmuratione excipiūt,ut exiſtiment,nihil uanius unq; dictum eſſe. Nihil ergo boni,inquiunt, faciemus: ſed peccabimus liberè, ſiquidem peccatorū remiſsio contingit nobis tantū oſcitantibus. At ſi iſti rectè intelligerēt, quid uerè eſſet coram Deo peccatū, & quantam ſecum afferet perniciem, profectò minimè riderent Euangelion de remiſsione peccatorū,ſed obuijs manibus,ac toto corpore exciperēt. Quare niſi ſeriò ſuſcipiāt curam ſalutis ſuæ,audient tandem,quod Sapientia apud Salomonem dicit: Deſpexiſtis omne conſilium meū, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoq; in interitu ueſtro ridebo & ſubſañabo,cum uobis id,quod timebatis,aduenerit. deinde uides in hac mulière,quid cauſæ ſit, cur tā pauci Euāgelion Chriſti ſeria fide amplectantur. Mulier enim tantiſper ridet promiſsiones Chriſti, dum ignorat magnitudinē peccatorum ſuorū. Itaq; ignorantia & cæcatio mentis in cognoſcenda grauitate peccatorū,cauſa eſt, propter quā pauciſsimi ſtudioſe Euangelion ſectentur. Non enim fieri poteſt,ut Euangelion Chriſti,in ſpeciē uile,& uarijs afflictionibus comitatū, grato excipiatur animo,niſi ab ijs qui & peccatū uerè agnoſcūt, & ſupplicium peccati ſenſu, uel aliqua ex parte percipiunt: quorū ut pauciſsimi ſunt, ita maxima eſt multitudo eorum hominum,qui ducunt uitā ſicut equus & multus,quibus non eſt intellectus. Diſcamus igitur magnitudinem & meritū peccati noſtri agnoſcere, ut & ardenti amore Euangelion Chriſti aſſectemur. Sed ueniendum eſt uel tandem ad id, quò Ieſus mulierem iuſtificaturus ducit eam primùm
» omnium ad agnitionem peccatorum ſuorum. dicit ei Ieſus: Vade uoca
» uirum tuū,& ueni huc. Amabò te,cur iubet Chriſtus mulierem uoca-

Securi rident Euangelion Chriſti.

re maritum ſuum? an'nõ decet mulierem audire concionem de uera iuſtícia, niſi præſente marito? Nõ hoc agit Chriſtus, ſed uult hac occaſione mulierem ducere in agnitionẽ & pœnitentiam peccatorum, quæ eſt initium cõſequendæ iuſticiæ per Chriſtum. Voca, inquiens, uirum tuum. Satis hactenũs fui tibi ludibrio. Nunc res ſeriò agetur. Obtuli tibi ueram ſalutẽ, ſed ut uideo, nondum es ueræ ſalutis ſitiens. Efficiam igitur, ut fias ſitibũnda. Volui, ut tu confitereris tua peccata, quo intelligerem te inflammatã deſiderio iuſticiæ, ſed tu in peccatis ſecura es. Confitebor igitur ego tibi tua peccata, ut incipias remiſsionem peccatorũ ex animo quærere. Sed mulier nondum intelligit inſtitutum Chriſti. Reſpõdit igitur, & dixit ei: Non habeo uirũ. Ex hoc mulieris reſponſo accipit Chriſtus occaſionem reuelandi peccati, & ait, Bene dixiſti: Nõ habeo uirum. Quinq; enim uiros habuiſti, & nunc quẽ habes, non eſt tuus uir. Hoc uerè dixiſti. Hęc eſt reuelatio occulti peccati mulieris. Non perſcrutemur autẽ curioſè, nũ mulier quinq; legitimos maritos habuerit, & tantũ cum ſexto uiro poſt aliorũ maritorum mortẽ, illegitimum ſtuprũ cõmiſerit, an omnes ſex uiri fuerint mulieri illegitimi. Hoc manifeſtum eſt, mulierẽ fuiſſe impudicam, & deſignaſſe peccatũ ſcortationis. Primùm ergo, Chriſtus reuelans mulieri occultũ peccatum, perſpicuè ſignificat, nullũ ſcelus inter homines tã occultè, tam abſcõditè perpetrari, quod nõ manifeſtè pateat inconſpectu Dei. Deus eſt oculus omnia uidens, ſiue interdiu ſiue noctu. Quo ibo, inquit, à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fũgiam? Quid igitur polliceris tibi impunitatẽ, q̃ in tenebris noctis, & non in luce pecces? Peccata tua latent quidẽ homines, non autẽ latent Deum, non latent angelos miniſtros Dei. Quanto impudentius, quanto horribilius eſt peccare corã diuina, q̃ coram humana maieſtate? Deinde Chriſtus docet hoc loco quod ſit initium conſequendæ iuſticiæ, ſanctitatis & ſalutis. Iuſtificaturus enim impudicã mulierẽ, primùm omnium ducit eam ad pœnitentiam, hoc eſt, ad agnitionem & deteſtationẽ peccati. Hoc initium eſt ueræ iuſtificationis. Nam ad conſequendã ueram iuſticiam ac beatitudinem, neceſſaria eſt remiſſio peccatorũ. Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Nemo autẽ ardet deſiderio remiſsionis peccatorum, niſi qui agnoſcit peccatorum magnitudinem & grauitatem. Nam quemadmodũ nullus flagrat cupiditate recuperãdæ ſanitatis corporalis, niſi intelligat & ſentiat magnitudinem morbi: ita nullus affectat remiſsionẽ peccatorũ, niſi cognoſcat, quantã perniciem, quantã damnationẽ peccata ſecũ afferant. Quare, ad conſequendam iuſticiã, neceſſaria eſt agnitio & pœnitẽtia ac deteſtatio peccati. Et quia originali uitio ita cæcati ſumus, ut nõ intelligamus ex nobis ipſis, quanta ſit peccati magnitudo, ſed potius amemus peccatum, & blandimur nobis in eo: idcirco Deus inſtituit concionẽ Decalogi, nõ ut operibus, quæ in ipſo præcipiũtur, & à nobis fiunt, poſsimus expiare peccatũ, ſed ut diſcamus ex eo pc̃tm̃ agnoſcere, & peccati pœnitere. Quod ſi uerò uerba Decalogi ita oſcitanter à nobis excipiãtur, ut ſecuri in peccatis ambulemus, ſolet Deus addere uerbis uerbera, & immittit uarias tũ publicas tum priua-

Manifeſta omnia in oculis Dei.

Iuſtificationis initium.

Decalogi uſus.

Afflictionum uſus.

tas afflictiones, nunc pestilentiam, nūc bellum, nunc inopiam & caritatem rerum, & alias id genus calamitates: quibus nō hoc significat, ut afflictionibus expiemus peccata, sed ut afflictionibus admoneamur de peccatis, & discamus peccatorū pœnitere, quo excitemur ad quærendam uerā peccatorū remissionē & salutē. Audiamus igitur Decalogū diligēter, & suscipiamus afflictiones diuinitùs nobis immissas obedienter, ut quod ad consequendam iusticiam necessariū est, agnoscamus magnitudinem peccatorū, & detestemur ea tanq; præsentē pestem ac perniciem nostram. Quę cum ita se habeant, audiamus nūc quid mulier respondeat Christo: Domine, inquit, uideo quòd propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quòd Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare. Hic nunc obserua mulieris modestiam. Alij solēt in reprehensorem contumeliose inuehi. Neq; enim possunt ferre, ut peccata ipsorum arguantur. Mulier autē excipit reprehensorem Christi tanta patientia, ut non solum cōfiteatur Iesum uera dixisse, uerū etiam honoret eum epithetis Domini ac prophetæ, & quęrat ab eo ueram salutis cognitionē. Nam sentiendum est, quòd uerba Christi recitantis peccatum mulieris, nō peruenerint tantum ad mulieris aures: sed penetrauerint in latebras animi, & excitauerint in corde flammas ignis inferni, ut mulier non solū agnouerit magnitudinē peccatorum suorū, uerumetiā senserit se uerè obnoxiam perpetuæ damnationi. Quodego dicit, Domine, uideo quòd propheta es, hunc habet sensum: Domine, fateor te uerissima dicere, & ex uerbis tuis nō tam agnosco peccata mea, quàm inflammata sum supplicio ignis inferni. Quid ergo nunciam? Num, qui mihi reuelasti peccatum, nō etiam reuelabis rationem, qua remissionem peccati consequar? num qui me coniecisti in flammas ignis inferni, nō reduces me ad gaudium regni cœlestis? Quò me uertam? Ostendisti peccatū, ostende etiā expiationem peccati, ut iustificata ueram salutem habeam. Hoc certè est rectè intelligere propositum et fidem agnitionis peccatorū. Deus enim reuelat impio peccatum, & iudiciū peccati in hoc seculo, nō ad hūc finem, ut impius desperet, quemadmodū Cain, aut se suspendat, quemadmodum Iudas Ischariotes: sed ut excitetur ad quęrendā expiationem peccati et salutē. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortē impij, sed magis ut conuertatur & uiuat. Quare cū mulier hunc finē agnitionis peccatorū intelligeret, interrogat Christū de cultu Dei, aut de sacris, quibus satisfaciat pro peccatis suis, & cōsequatur iusticiam. Proponit autem Christo duo genera sacrorum: Patres, inquiens, nostri in monte hoc adorauerunt, uos autē dicitis, quòd Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare. Primùm, adorare hoc loco non est tantū genua in precibus flectere, sed est omnia sacrorum genera, quibus Deus colitur, facere: ut adorare sit Deum sacrificijs, precibus, & alijs id genus sacris colere. deinde, cum mulier dicit, Patres nostri in monte hoc adorauerunt, loquitur de monte Garisim, in quo fuit

Adorare quid sit.

ędificatū templum ad exēplar templi Hierosolymitani: quod qua occasione sit ędificatū, non uidetur ab instituto alienum paucis commemorare, ut collatio Hierosolymitanorum & Samaritanorū sacrorum melius

lius intelligatur. De Samaritanis, quos & Sichimitas uocarũt, suprà dictum est. Cum igitur Darius ultimus rerum Persicæ monarchiæ potiretur, constituit Sanaballathũ, satrapam gentis Samaritanę. Hic Sanaballathus dedit filiam suam in uxorẽ Manassæ, fratri Iaddi summi apud Iudæos pontificis. Sed has nuptias abominabãtur Iudæi, nõ tam quòd odio haberent Samaritanos, quàm quòd iudicabant sacerdotalẽ dignitatẽ externis nuptijs prophanari. Vetant igitur Manassen ingredi sanctuariũ, & sacra pro more facere. Quam contumeliam Manasses minimè ferens, fugit ad socerum, satrapam Samaritanum, qui generum humaniter excipiens, promisit se templum ad exemplar Hierosolymitani, ædificaturũ in mõte Garisim, in quo ipse & posteri eius summo pontificatu fungerentur. Postq; igitur Darius ab Alexandro Magno uictus esset, & Sanaballathus tradidisset Samariã Alexãdro, impetrauit ab eo, ut concessione eius ædificaretur templũ in monte Garisim. Itaq; ædificatũ est templũ in Samaria, & instituta sunt in eo sacra Leuitica, quemadmodum peragebãtur in hoc templo Hierosolymitano: creatusq; est Manasses pontifex templi, non tantum satrapæ, sed etiam monarchæ autoritate. Videbatur autem Manasses, se institutionis horũ sacrorum iustas et pias causas habere. Primùm, quòd cũ Deus esset altissimus, delectaretur etiam in altissimo mõte, qualis erat mons Garisim, coli. Deinde, quòd Manasse habebat à parte sua exemplũ patriarcharum (in ijs enim locis instituit quondã altare patriarcha Iacob) & iussit Deus Israelitas recitare ibi benedictiones & maledictiones legis, quemadmodũ scriptũ est in Deuteronomio capite uicesimoseptimo, & in Iosua capite octauo. Quare Manasses sentiebat se institutione horũ sacrorũ, maximum cultũ Deo præstare. Ab hoc autem tempore multo maius dissidiũ oriebatur inter Iudæos & Samaritanos, quàm unquam antea fuerat. Iudęi enim cõtendebant, in solo Hierosolymitano tẽplo sacrificandum: Samaritani autẽ iactabãt in suo templo exemplo patriarcharum sacrificandũ. Ac multi Iudæorum autoritate pontificis Manassæ permoti secedebant ad sacra & cultus Samaritanorũ. Sed & Iudęi in Ægypto habitãtes rixabantur inter se de his templis. Alij enim mittebant ex Ægypto sacrificia sua ad templum Hierosolymitanũ, alij ad templum Samaritanũ. Etsi autem tradũt, Samaritanum templum Antiochi tempore consecratũ fuisse in honorem Iouis Cretæi, ex hoc tamen Euangelij loco apparet, pristinos ritus sacrorũ in hoc templo post Antiochum restitutos fuisse. Cũ igitur mulier Samaritana sciret publicã & diuturnam fuisse contentionẽ de sacris Hierosolymitanis & Samaritanis, rogat Christũ, ut siquidem ipsa nunc post agnitum peccatum, quærat expiationẽ peccati, doceat quæ sacra debeat facere: num Hierosolymitana, an Samaritana, & ad quod templũ debeat sacrificia sua mittere, quibus expiet peccata sua, & satisfaciat pro eis corã Deo. Vides mulierem adhuc errare, non quidẽ affectu (rectum enim est, agnito peccato, quærere expiationẽ peccati) sed delectu. Peccatũ enim nõ expiatur meritis sacrificiorum, siue in templo Hierosolymitano, siue Samaritano offerãtur: sed expiatur uno tantũ sacrificio Domini nostri Iesu Christi, quod

Samaritani tẽpli institutio.

Vide Ioſe. lib. 11. cap. 7. et 8. & li. 12. ca. 1. de Antiquit.

De templo Samaritano sic disseritur, perinde acsi hoc templum constitisset adhuc incolume temporibus Christi, & eius mulierculæ, cui Christus concionatur: cum tamen fuerit, autore Iosepho, à Ioanne Hircano deuastatum, priusquã Christus, homo natus esset. Quare quæ ibi in disputatione Christi, cum muliere de eo templo dicuntur, intelligẽda sunt de illius templi reliquijs, quas hic Euãgelij locus instauratas fuisse haud obscurè significat.

Ioſe. lib. 12. ca. 7. Antiquit.

ſemel peractum, ſanctificat omnes eos qui credunt in Chriſtũ. De qua re, quoniã Chriſtus poſtea concionabitur mulieri grauiter & copioſe, faciemus nunc finem dicendi, precantes Dominũ, ut & nobis poſt peccatorum agnitionem, clementer condonet remiſsionem eorũ, propter Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto, Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXVII.

DOMINVS noſter Ieſus Chriſtus, poſtq̃ reſurrexiſſet à mortuis, aperiens mentem Apoſtolorum ſuorum, ut intelligerent ſcripturas: Sic ſcriptum eſt, inquit, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertio die, & & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionẽ peccatorum in omnes gentes. Quibus uerbis docet, ad conſequendam iuſticiam & ſalutem neceſſariam eſſe: primùm, pœnitentiam, quæ fit ex agnitione peccatorum: deinde remiſsionẽ peccatorum in nomine Chriſti, quæ contingit per fidem propter Chriſtum. Cum igitur mulier Samaritana, in cuius hiſtoria explicanda nunc uerſamur, peruenerit admonitu Chriſti, ad priorem illum gradum iuſticiæ, qui eſt pœnitentia, ſeu agnitio, odium & deteſtatio peccati ſui: uideamus nunc, quomodo perducatur in alterum gradum, qui eſt remiſsio peccatorũ per fidem, propter Chriſtum. Non enim ſatis eſt ad iuſticiam coram Deo habendam, agnouiſſe, odiſſe & deteſtari peccatũ, niſi etiam cõſequaris peccati remiſsionem. Beati, inquit, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. nõ ait, Beati, qui tantum deteſtantur peccatum: ſed, Quorũ peccata ſunt remiſſa. Nam quemadmodum in recuperãda ſanitate, nõ ſufficit ægroto magnitudinem morbi nouiſſe, & abhorrere, ſed admouenda eſt medicina, quę morbũ curet: ita in aſſequenda iuſticia corã Deo, agnoſcenda quidem eſt & dedeſtanda iniuſticia, ſed adhĩcienda etiam eſt curatio, quę eſt fides in Ieſum Chriſtũ, propter quem ſolum iniuſticia non imputatur corã Deo. Poſtquam igitur mulier uidet grauitatem peccati ſui, quęrit curationem ſeu expiationem eius: Patres, inquiens, noſtri in monte hoc adorauerũt, & uos dicitis, quòd Hieroſolymis eſt locus, ubi oporteat adorare. Agnoſco & deteſtor peccatum meũ. Reliquum igitur nũc eſt, ut quæram expiationẽ peccati. Proponuntur autẽ mihi duplicia ſacra, alia Hieroſolymis, alia in hoc mõte: ac dubito, quæ faciẽda ſuſcipiam, ut expiem mea peccata. Obteſtor igitur te, quem ex ſermone intelligo prophetã & doctorem ueræ pietatis eſſe, ut cum reuelaueris mihi magnitudinem peccati, doceas etiam me quæ ſacra faciã, quorũ meritis pro peccato meo SATISFACIAM. Hæ mulier rectà quidẽ incedit, q̃ poſt agnitionẽ peccati, non deſpondeat animũ, ſed inquirat peccati expiationem: in hoc autem errat, q̃ putet peccatum poſſe meritis ſuorum ſacrorum & operũ expiari. Quare ut Chriſtus antea reprehẽdit eam peccati, ita corrigit nunc errorẽ eius, ac docet ueram rationem conſequendæ remiſsionis peccatorum. Dicit ei Ieſus: Mulier crede mihi, uenit hora, quando neq̃ in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis patrẽ. Laudo quidem te, q̃ non deſperes

de

de salute tua, quemadmodum Cain: in hoc autem nō laudo tē, q̄p existimes te posse peccatū expiare meritis sacrificiorum illorum, quæ uel in tēplo Hierosolymitano, uel in hoc Samaritano fiūt. Nulla sacrificia templorū tanta sunt, ut possint coram Deo peccata expiare. Quare prædico tibi, q̄p omnia illa sacra unà cum templis suis abolenda sint, imò nūc tēpus est, quo labefactari & interire incipiunt. Quod Christus hoc loco uaticinatur, uidelicet sacra Mosaica unà cum tēplis suis abolēda esse, uidebatur tunc admirandū & stupendum, ac tam incredibile iudicabatur, quàm si quis superioribus annis in regno Pontificio uaticinatus esset, sacrificiū Missæ, quod offerri solet pro peccatis uiuorū & mortuorum, breui unà cum collegijs sacrificulorum & monachorum abrogādum. Quis nō iudicasset talem uatē aut delirare aut insanire? Et tamen Mosaica sacra diuinitùs fuerunt instituta, cum sacrificiū Missę pro peccatis uiuorum & mortuorum, sit non humanū tantum, sed etiam Satanicū inuentum. Sed quod Christus uaticinatus est, hoc res ipsa testatur euenisse. Tēplum enim Hierosolymitanum unà cum sacris suis, paucis pòstannis ita subuersum est, ut postea nulla humana, ne quidem Cęsarea aut Imperatoria potētia restitui potuerit. Iulianus ille, cognomento Apostata, Romanus imperator, iussit Iudæos restaurare dirutū suum templū, & reuocare Mosaicū usum sacrificandi. Addidit prēterea sumptū & præsidia. Sperabat enim omnino fore, ut restitutis Mosaicis sacris, uaticiniū Iesu Christi, quem uirulentissimo odio prosequebatur, publicè cōuinceretur mēdacij. Itaq̄ Iudæi adiuti Cæsarea autoritate & potentia toto animo & omni studio in ædificiū templi incūbebant, sed maior erat potentia Christi q̄ hominum. Initiò enim prohibebāt conatus eorū ruinæ fossarum, deinde horrenda uis uentorum, postea terræ motus. Sed cū ne sic quidem ab incœpto desisterent, ignis subitò è fundamētis egrediēs tanto impetu grassatus est, ut alios mutilauerit, alios prorsus absumpserit. Quare ut omnis conatus eorū irritus fuit, ita ueritas & maiestas Christi clarissimè illustrata est. Cæterū, quā causam abrogationis Mosaicorū sacrorum significat Christus hoc loco, eam perspicuè cōmemorat epistola ad Hebrēos: Abrogatur, inquiēs, quod prę cessit præceptum, propter imbecillitatem & inutilitatē. Nam nihil ad perfectionē adduxit lex, uerū erat introductio ad spem potiorem. Hoc etsi totam legem Mosi pro sua ratione comprehendit, tamen loquimur nunc tantum de sacris Mosaicis, quæ sunt per se imbecilliora, q̄p ut possint cultorem reddere iustū: & inutiliora, q̄p ut queant expiare peccata coram Deo. Nō enim potest, inquit, sanguis taurorū & hircorū auferre peccata. dices ergo: Si Mosaica sacra, quæ peragebantur ex prescripto diuinæ legis in templo Hierosolymitano, fuerūt per se ad expiationē peccatorum corā Deo imbecillia & inutilia, quæ est differētia, quod discrimen inter hæc, & sacra quæ peragebātur in templo Samaritano? Nā nec hæc nec illa iustificabant cultores suos. Quid ergo sacra templi Hierosolymitani præferuntur sacris tēpli Samaritani? De hac re cōcionatur nūc Christus, & ait, Vos adoratis, quod nescitis: nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Etsi nec ista nec illa sacra iusti-

Vera ratiō consequendæ remissionis peccatorum.

Missæ sacrificium, inuentū Satanicū.

Iulianus Imperator conatus est restituere sacra Mosaica.

ficant per ſe homines corã Deo,& utraque abolebuntur propter imbecillitaem & inutilitatem: tamen ſi inter ſe conferantur, alia ſunt laudanda,alia refutanda. Vos Samaritani adoratis,quod neſcitis. Nõ eſtis certi de cultu ueſtro, nõ habetis uerbum Dei, quo iſtiuſmodi cultus inſtitueretur:& cõmiſcuiſtis ſacra ueſtra cum ritibus gentiũ. Nã templum Samaritanũ & ſacra eius fuerunt tribus nominibus impia. Vno, quòd inſtituta erant ſine uerbo Dei, tantũ ad exemplar templi Hieroſolymitani,cum uerbo Dei cautũ eſſet,ne offerrent in quouis loco holocauſta ſua:ſed in eo, inquit lex, quẽ elegerit Dominus, in una tribuũ tuarum. & iterum: Quod præcipio tibi, hoc tantum facias Domino, nec addas quicq̃,nec minuas. Altero,q̃ Samaritani nõ contenti ſacris in lege traditis,admiſcuerint etiã ſacra fictitiorum deorum,quemadmodum ſcriptum eſt in quarto lib.Reg.cap.xvij. Talia ſunt & ſacra pontificia. Hæc enim collecta ſunt partim ex ritibus Iudaicis, partim ex ritibus gentiũ: partim ex ſcriptura, partim ex ijs quæ ſunt humana ſapiẽtia excogitata, ex quibus conflatum eſt unum quaſi corpus religionis,ſed quam Deus meritò deteſtatur. Tertiò q̃ Samaritani faciebãt ſua ſacra,ut meritis eorum expiarent peccata,& conſequerentur cœleſtẽ ſalutem,id quod eſt commune cum opinione omniũ impiorum hypocritarum. Quare templũ & ſacra Samaritana nihil prorſus habuerunt utilitatis, ſed fuerunt plena impietatis: ideoq̃ digniſsima, quæ omnes pij deteſtarẽtur & fugerent. Nos autẽ,inquit Chriſtus,adoramus, quod ſcimus. Nos Iudæi (nam & Chriſtus ex Iudæis erat)ſumus certi de cultu noſtro ex uerbo Dei. Etſi enim ſacra, quæ hactenus peracta ſunt in tẽplo Hieroſolymitano,nõ expiãt uerè peccata corã Deo, & multi hipocrytę his ſacris impiè abuſi ſunt,tñ fuerunt ſuo tempore & loco pia ſacra. Primùm q̃ ſint diuinitùs inſtituta, quemadmodũ ſcriptura teſtatur: deinde q̃ adumbrent uerã expiationem peccatorũ,quæ fit per Meſsiã ſeu Chriſtum,adeoq̃ ſunt conciones de ſacrificio Meſsiæ, quod ſolũ eſt uera peccatorum expiatio. Salus emm̃ eſt ex Iudæis. Hoc eſt memorabile dictũ, & uerum Euangelion:Salus,inquit, ex Iudæis eſt, nõ ex Samaritanis. Nunquid ergo ſalus idcirco ex Iudæis eſt,q̃ fuerint apud Iudæos in templo Hieroſolymitano legitima ſacra? Hoc quidẽ nonnihil eſt: ſed ſi de hac re propriè loquendum eſt,ſalus ideo ex Iudæis eſſe dicítur,q̃ diuinitùs fuerit promiſſum, Meſsiam ſeu Chriſtũ, qui ſolus eſt ſalus noſtra,uenturũ ex Iudæis,& q̃ etiam Chriſtus iam ex Iudæis uenerit. Poſtq̃ enim Adam initiò peccauit, & amiſit non tm̃ ſuam, ſed etiã totius humani generis ſalutem propter peccatũ, non fuit alia reliqua ſpes recuperandæ amiſſæ ſalutis,q̃ ut peccatum expiaretur,& Deus recõciliaretur. Nihil aũt fuit in tota rerũ natura, inter omnes creaturas, quod auſum fuit ſeſe iræ Dei opponere,& ſuſcipere officiũ pacificationis. Non homo qui ſpiã. Homo enim ipſe erat iam hoſtis Dei. Non angelus. Maior enim & horribilior eſt ira Dei,q̃ quæ à creatura quãuis excellẽtiſsima ſuſtineri queat. Sileat,inquit Abacuc,à facie Dei omnis terra, imò ſileat etiã à facie Dei omne cœlũ. Ecce qui ſeruiunt ei non ſunt ſtabiles,& in angelis ſuis reperit prauitatẽ. Quare cum nulla creatura nec in cœlo nec in terra

Samaritanorum ſacrorum impietas.

Sacrorum Hieroſolymitanorum pietas.

ri inueniretur, quę idonea esset ad placandã iram Dei, et ad expiandum peccatũ hominis: & tamen Deus, quamuis iratissimus misereretur pro immensa sua clemẽtia calamitatis creaturę suæ, essensus est unigenito filio suo, ut ipse susciperet officiũ expiandi peccati, & placandæ iræ diuinæ. Peccatum autem ab homine designatum, nõ expiatur nisi supplicio hominis: filius autem Dei nõ potuit ferre supplicium hominis, nisi hominẽ ipse assumeret, ac homo fieret. Itaq; postquam homo peccasset, & salutem amisisset, promisit Deus filium suum nasciturum hominem ex muliere, qui conterat potentiam Satanæ: hoc est, expiaret peccatũ, & aboleret mortem, ut omnis qui crederet in eũ, recõciliaretur cum Deo, & recuperaret amissam salutem. dicit enim ad serpentem, hoc est, Satanam: Semen mulieris conteret caput tuum. Nondum autẽ definitum erat manifesto uerbo, ex qua hominũ familia nasciturus esset filius Dei. Quare Deus postea definiuit familiam expresse, dicens ad Abrahamũ: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Post Abrahamum igitur filius Dei in nulla alia familia requirendus erat, quàm in familia Abrahami. Sed quia posteritas Abrahæ in uarias familias diuidebarur, idcirco Deus paulo pòst iterũm designauit per patriarcham Iacob certam familiam, ex qua uenturus esset filius Dei, uidelicet familiã Iudæ, pronepotis Abrahæ: quæ cum & ipsa in uaria genera diuideretur, uentũ est tandem ad familiam Dauidis, de qua filium Dei nasciturum tantis per per prophetas diuino spiritu prædicatũ est, dum natus est ex Maria uirgine, quæ genus suum è familia Dauidis duxit. Et quod promissionibus prędicabatur de filio Dei, uidelicet quòd assumpturus esset hominem, & sanguine suo expiaturus peccatũ, hoc idem significabatur usitatis inter Iudæos sacrificijs. Quare, cum nõ solum promissiones & sacrificia, quibus Christus filius Dei adũbratus est, inter Iudæos conseruata sint, uerũetiam Christus ex Iudæorum gẽte natus sit, rectissimè dictum est, salutem esse ex Iudæis. Sed hic mihi uide horribilem rerũ mutationem. Iudæi fuerũt quondam selectissimus populus Dei, & tanta dignitate à Deo ornatus, ut ex ipsis prodierit in hanc lucẽ uera & perpetua hominis salus. Nunc autẽ sunt populus à Deo longè omnium abiectissimus, ex quo nihil in hunc mundum prodit, nisi execrabiles impietates, uirulentissima odia aduersus Dominũ & Christum eius, ac iniquissima inter homines fœnora, ut non commemorẽ alia flagitia, quæ sunt ipsis cũ quibusuis sceleratis communia. Gentes uerò incircuncisæ, ex quibus & nos genus nostrũ ducimus, erant quondam à Deo alienissimæ, ex quibus nihil unquã uerè salutare prodijt, artes quasdam & præcepta quædã huius politicæ uitæ excoluerunt. Sed hæc, ut sunt in suo genere utilia, ita prorsus nullam afferunt ueram salutem. Nunc autem, ô fœliciſsimos dies, Euãgelion ueræ salutis inter nos gentes ita sonat, ut nisi eam inter nos quæras & accipias, perpetuò tibi sit pereundũ. Vnde ista tantarum rerum mutatio, & inuersio? Num extat aliquod meritum nostrum, propter quod Deus tãta in nos beneficia contulit? planè nullum, ac ne minimum quidem. Clementia Dei est, non humanum meritum. Nam quẽadmodũ Deus usus est seueritate sua erga ingratos Iudæos, quòd abiecerit eos in extremã internecionem, quia ueram salutẽ ob oculos

Peccatum subplicio expiatur.

Seueritatis et bonitatis Dei argumenta.

positam impiè & peruicaciter contẽpserunt: ita usus est erga nos bonitate & clementia sua, ꝙ nobis infernũ potius quàm cœlum meritis, reuelauerit uerã uiam cœlestis salutis. Sed quid? Si Deus, inquit Paulus, naturalibus ramis nõ pepercit, uide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Ecce bonitatem & seueritatẽ Dei. In eos quidẽ qui ceciderunt, seueritatem: in te uerò bonitatẽ, si permanseris in bonitate. Quare id agamus, eò tendamus, ut beneficiũ, quod Deus in nos immeritos contulit, fide & obedientia conseruemus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto, Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVIII.

DOCVIT Christus discrimen inter sacra Hierosolymitana & Samaritana, & addit uaticinium, fore ut utraq; sacra breui aboleantur. Etsi enim sacra Hierosolymitana longè superant dignitate sua sacra Samaritana, tamen qualiacunq; sint, non expiãt peccata coram Deo, nec reconciliant cultores cum Deo. Et erant instituta, non ut perpetuò usq; ad consummationem seculi perdurarent: sed ut tantisper consisterent, dum respublica Israelitica incolumis staret, & carnalis Israel, populus Dei esset. Quare non fuit iniquum, ut ea sacra suo tempore abrogarentur. dices ergo, Quid? Si non Samaritana tantum, sed etiam Hierosolymitana sacra abolenda sunt, quę manebit adoratio, quis cultus, quę religio? Nemo Deum amplius colet, nemo aliquid boni faciet. Quę ei hæc miranda & inusitata, imò, ut uidetur, hæretica doctrina? De hac re differit nunc Christus, & ait: Sed uenit hora, & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem spiritu & ueritate. Nam & pater tales quærit, qui adorent ipsum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, spiritu ac ueritate oportet adorare. Quod Christus cum muliere loquitur, hanc sententiam habet, Non iubeo te, uel Hierosolymis, uel in hoc monte sacra facere: primùm, quia nulla horum sacrorum expiant peccata: deinde, quia iam in propinquo est, ut aboleantur. Etsi enim sacra Hierosolymitana habuerunt superiori ætate suum usum, tamen nunc tempus illud est, quod affert finem usus eorum. Nihil ergo boni amplius faciam? nec ullam sectabor religionẽ? Absit. Ab hoc enim tempore Deus colendus est sacris, non quidem carnalibus, sed spiritualibus: nõ adumbratis, sed ueris. Deus enim quærit tales cultores & adoratores, qualis ipse est. Deus autem non est caro, aut umbra, sed est spiritus & ueritas. Quare uult etiam spiritualiter & uerè coli. Quid? Si oportet nos Deum adorare spiritu, & uult Deus coli spiritualiter, ergo necesse habebimus, omnes fieri monachi & eremitæ, quos hactenus uocarunt Spirituales? Nihil certè minus. Abeat hypocriticus ille monachismus, quem superstitiosi aut excogitarunt, aut sectantur & tuentur. Nã Christus nõ loquitur de monastico cultu, quem antea nomine cultus Samaritani dãnauit, sed loquitur de uero & spirituali cultu Dei. Audiamus igitur quid sit Deum spiritualiter ac uerè colere. Et quia spiritus opponitur carni, & ueritas umbris, uideamus antè, quis sit carnalis & adumbratus cultus Dei, ut eo melius intelligamus, quis sit spiritualis et uerus

Adorare Deum spiritu ac ueritate quid sit.

Dei

Dei cultus. Carnalis ergo & adūbratus cultus Dei eſt, qui cōſtat externis, & certis perſonis, ceremoniȝs, ritibus, locis & tēporibus: in hoc inſtitutus, non ut per ſe ſanctificet cultorē coram Deo, ſed ut admoneat eū de uera ſanctificatione. Spiritualis aūt & uerus cultus Dei eſt, qui ut à ſpiritu ſancto proficiſcitur, ita affert cultori uerā iuſticiam & ſalutem. Ac primùm offerre holocauſtū, aut aliud genus ſacrificiȝ, quod lex Moſi deſcribit, eſt cultus Dei carnalis, & adūbratus. Carnalis, ꝙ erat terminatus certo loco in Hieruſalē, et certis cerimoniȝs ac perſonis. Nō enim licebat in alio loco offerre holocauſtū, præterq̄ in eo qui publicè definitus erat: nec mutare licebat ritus & cerimonias ſacrificiȝ, nec permittebatur, ut alius pręter ſacerdotē Aheronici generis, ſanginem ſacrificiȝ funderet. Adumbratus aūt, quia nihil ualet ex opere, ut uocāt, operato, nec eſt perfectus Dei cultus, etiāſi quiſpiā multa milia boū ac ouiū offerret, ſed fuit cultus aliud ſignificās & adūbrans. Nam quemadmodū pictores ſolēt in pingēda hominis aut alterius rei forma, primùm omniū obſcurā quandā & tenuē effigiē carbone utcunq̄ notare, quę nondum eſt uera rei imago, ſed tm̄ adumbrata, quę & aboletur inducta et expreſſa uera rei effigie: ita et S. ſanctus cum inſtituiſſet ueros Dei cultus, quibus iuſticia & ſalus paratur, deſcribere, pinxit initiò externa & carnalia ſacra, quę eſſent qualiſcūq̄ uerorū cultuū Dei imago, et ſpiritualiū umbra. *In quorū* numero principē obtinent locū ſacrificia ſeu oblationes. *Primus.n.* externus cultus Dei in orbe terræ deſcribitur oblatio Cain & Abelis, primus itē poſt diluuiū eſt oblatio holocauſtorū Noe. Sacrificauit & Abrahā priuſq̄ circunciſus eſſet. Spiritualis aūt & uerus Dei cultus eſt ſacrificiū illud, quo Ieſus Chriſtus unigenitus filius Dei obtulit ſeipſum Deo patri ſuo in cruce pro peccatis hominū. Etſi.n. hoc ſacrificium peractū eſt per certā perſonā, & in certo loco: nō tm̄ eſt carnale, ſed ſpirituale ſacrificiū. Non ſunt aūt obſcuræ cauſæ, cur hoc ſacrificiū propriè dicatur Spirituale ſacrificiū. Vna eſt, ꝙ qui hoc ſacrificium peregit, uerè fuerit ſpiritualis, tū ꝙ fuerit homo ex ſpiritu ſancto cōceptus, & excellētiſsimis donis ſpiritus ſancti ornatus: tū ꝙ ſit Deus, qui eſt eſſentia ſua æternus ſpiritus. Altera eſt, ꝙ hoc ſacrificiū non habuerit ullā externā et carnalem ſpeciē ſacrificiȝ, ſed neceſſe fuerit ut iudicio ſpūs pro ſacrificio cognoſceretur. Chriſtus.n. captus & ductus eſt ad crucē à militibus & carnificibus, nō ut innocens ad ſacrificiū, ſed ut nocētiſsimus ad ſupplicīū. Nos reputauimus eum, inquit Eſaias, tanq̄ plaga percuſſum à Deo, & infirmatū. Putauerunt.n. homines Ieſum propter ſua ipſius delicta afflictū, tm̄ abfuit ut ſupplicium eius iudicaretur eſſe ſacrificiū pro alienis delictis. Quare cum hoc ſacrificium ſolo ſpiritus iudicio cognitū ſit, propriè dicendum eſt ſpirituale ſacrificium. Sed eſt etiam uerum ſacrificiū, propterea ꝙ hoc illud ſit ſacrificium, quo ſolo peccata hominū uerè corā Deo expiata ſint, & quod ſolū Domino Deo noſtro uerè placuerit. Sacrificia.n. legis, etſi etiā ipſa pro ſuo modo fuerunt cultus Deo acceptus, tm̄ hic cultus nō fuit tanti momenti, ut potuerit peccata expiare, & Deū hominib. recōciliare. Nullus aūt unq̄ cultus in terris peractus eſt, qui & perfectior, & Dño Deo noſtro gratior

Cultus Dei ſpiritualis quis ſit.

tior atq; acceprior fuerit, q̄ſ ſacrificium filij Dei. Ac Deus hoc cultu in tantū delectatus fuit, ut propter ipſum non ſolū extulerit filium ſuum in ſummā omnium maieſtatem, uerumetiam reconciliatus ſit cum omnibus his hominibus, qui credūt in filiū, ac adoptet ipſos in filios & hæredes cœleſtis regni. Quare cū de uero & perfecto cultu Dei, ac ſacrificio ſermo eſt, nō aliud intelligas, q̄ſ ſacrificiū Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſemel per ipſum in cruce peractum eſt. Sed quid, inquies, cum ſolus Chriſtus uerū, perfectum & ſpirituale ſacrificium obtulerit Deo patri ſuo, num ſolus ipſe eſt, qui adorauit patrē ſpiritu & ueritate? Rectè. Qui ſolus eſt uerus ueri Dei filius, & uerè ſpiritualis, ſolus etiā adorauit patrē ſpiritu & ueritate: ſed quia fides, quæ eſt in Chriſtum, facit credentes unum corpus cum Chriſto, idcirco qui credit in Chriſtum, is etiam adorat patrem ſpiritu & ueritate. Credere igitur in Chriſtum, eſt uerus & ſpiritualis Dei cultus. Nec poteſt Deo ab hominibus gratior & acceptior hoc cultu præſtari: primùm, quia Deus iuſsit Chriſtū filiū ſuum audire (Hunc, inquiens, audite. Melior autē eſt obedientia, q̄ſ uictimæ: & auſcultare magis, q̄ſ offerre adipem arietū) deinde, qui credit in Chriſtū, tribuit Deo honorē ueritatis. Promiſit enim Deus in Chriſto filio ſuo benedictionem. Quare qui accipit filiū fide, ut conſequatur benedictionem, is iudicat Deū eſſe ueracem. Maximus autē omnium honor eſt, uerax haberi. Præterea, qui credit in Chriſtū, offert fide ſua Deo patri Chriſtū pro peccatis ſacrificatum. Nullum autem Deo acceptius unq̄ſ ſacrificium fuit, q̄ſ quod peregit Chriſtus filius eius. Nullus igitur poteſt Deo maior & excellentior, ac etiā gratior cultus præſtari, q̄ſ ut credamus in Chriſtum filiū eius, q̄ ipſe expiauerit peccata noſtra, & redemerit nos à poteſtate Satanæ. Omne iudiciū, inquit, dedit pater filio, ut omnes honorent filium, ſicut honorant patrem. Qui non honorat filium, nō honorat patrem, qui miſit illum. Hic autem cultus, uidelicet credere in Chriſtum, dicitur ſpiritualis, nō tam hoc nomine, q̄ ſpiritus ſanctus ſit autor fidei in credentibus, q̄ſ q̄ non ſit alligatus ad unam gentem & locum, quemadmodū cultus Leuiticus: ſed q̄ per ſpiritum ſanctū uulgatus ſit uerbo Euāgelij in totum orbem terræ, inter omnes gētes. de quo Malachias ita cōcionatur: Ab ortu ſolis uſq̄ ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus Zebaoth, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio mūda. Dicitur etiā uerus ac perfectus Dei cultus. Etſi enim fides in hominibus ſemper habet ſuā imbecillitatē, tamen Chriſtus qui per fidem accipitur, totus perfectus eſt: qui ut uerè expiauit peccata noſtra corā Deo, ita compenſat ſua perfectione omnes credentiū imbecillitates. Reuertamur ergo nunc ad mulierē, & uideamus quid eam Chriſtus his uerbis, Veri adoratores adorabunt patrē ſpiritu ac ueritate, docere uoluerit. Mulier enim petijt doceri, quæ ſacra debeat facere, ut expiet peccata ſua. Chriſtus ergo nō ablegat eā ad ſacra, uel Hieroſolymitana, uel Samaritana, quę certis locis & cerimonijs externis ac Leuiticis peragebātur: ſed uocat eā ad hunc cultum, qui erat in toto orbe terrarum per Euangelion inſtituendus, qui eſt fides in Chriſtum: ac ſignificat ei, q̄ neceſſe habeat

Credere in Chriſtum, cultus Deo gratiſſimus.

Fides eſt uerus cultus Dei.

in

in Christum credere, propter quem solũ possit consequi remissionem peccatorũ. qui enim in Christum credit, is adorat & colit patrem spiritu ac ueritate. Deinde in numero diuinorum cultuũ recensetur etiam, adolere thymiamata. hic autem cultus est carnalis & adumbratus. Non enim licebat hunc cultũ peragere, nisi in certo loco, et certis cerimonijs; nec Deus uerè adoratus & inuocatus erat, etiãsi incendisses multũ thuris & odorũ. Spiritualis autẽ, & uerus Dei cultus est, adorare & inuocare patrem spiritu & ueritate. hunc cultum solus Iesus Christus perfectè prẽstare potuit Deo. Christus enim est solus uerus unigenitus & æternus Dei patris filius, & cõceptus est homo in utero Virgins uirtute Altissimi, ac potentia spiritus sancti. Quare solus ipse adorauit & inuocauit Deũ uerè ac spiritualiter ut patrẽ, de quo & uicissim pater ipse testatur: Hic est, inquiens, filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacitũ est. Quid igitur dicemus de nobis hominibus? nullus ne est inter homines, qui possit Deũ uerè ac spiritualiter ut patrem inuocare? Nullus certè id potest sua quidẽ ipsius natura. Sed quẽadmodũ hi qui credunt in Christũ, efficiuntur membra Christi, & adoptãtur in filios Dei propter Christum: ita concipiũt etiam ex fide spiritum adoptionis, ut possint Deũ uerè & ex animo ut patrem inuocare: idq; non natura sua, qua *corrupti sunt* peccato, sed diuina gratia, propter Christum. Accepistis, *inquit* Paulus, spiritũ adoptionis, per quẽ clamamus Abba pater. Reliquũ ergo est, q; neq; idololatræ Ethnici, neq; Iudæi, quales hoc tempore sunt Iudæi, neq; Turcæ, neq; hypocritæ, uerè adorẽt aut inuocẽt Deõ patrem, etiamsi multis uerbis, & ardenti desiderio clamauerint ad Deũ. Aut enim ignorant, aut cõtemnunt & persequuntur filium Dei: qui ut solus adorauit Deũ patem suum spiritu & ueritate, ita soli hi uerè & spiritualiter adorant Deũ patrem, qui credunt in ipsum. Et hic cultus Dei non est alligatus ad unũ tm̃ locum, in unam tantum regionem, & ad unam tantum gentẽ: sed est uulgatus per Euãgelion Christi in totum orbẽ terræ, ut quisquis, siue Græcus, siue Scytha, siue Germanus, siue Hispanus, siue dominus, siue seruus, crediderit in Iesum Christum, inuocet Deũ ut patrem spiritu ac ueritate. Quare si tu ô mulier, uolueris cõsequi hæreditatem cœlestem, non est tibi peregrinandum uel ad templũ Hierosolymitanũ, uel ad templum Samaritanũ, ut nomine tuo adoleatur incensum: sed est tibi credendũ in Christũ, & inuocandus est Deus pater è spiritu Christi. Sic eñ fiet, ut Deus agnoscat te filiã suã, ac faciat te hæredem omniũ cœlestium bonorũ. Præterea è catalogo diuinorũ cultuum numerãtur circũcisio, sanctificatio per aquã expiationis, abstinẽtia à carne suilla, & multa id genus alia quæ in lege Mosi descripta sunt: sed & hi cultus nõ sunt nisi carnales & adũbrati. Tametsi enim hæc omnia diligẽtissimè obseruaueris, tamen nondũ uerè es corã Deo circũcisus & sanctificatus. Solus Christus filius Dei uerè fuit ac spiritualiter circũcisus atq; sanctificatus, propterea q; peccatũ non fecerit, nec unq; fuerit dolus in ore eius. Sed & nos qui credimus in Christũ, circũcidimur et sanctificamur uerè ac spiritualiter: primũ, quia propter Christũ nõ imputãtur nobis peccata: deinde, quia datur nobis spiritus, quo

Adolere thymiama, est cultus carnalis.

Circuncisio est cultus carnalis.

mortificamus reliquias carnis, ut discamus Deū diligere ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos. Etsi enim hi cultus Dei nō fiunt perfectè in hac nostra carne, tamē ubi est fides in Christum, ibi compensatur per Christū, quod operibus nostris deest. Christus enim est iustitia, sanctificatio & redemptio nostra. Quare si quis uoluerit Deū adorare & colere, nō necesse habet, uel ad Hierusalem, uel ad montem Samaritanum proficisci: sed colat Deū spiritu & ueritate, hoc est, credat in Christum, inuocet Deum patrē ex fide Christi, & mortificet ex spiritu Christi reliquias carnis suæ, ut ex fide ambulet in uocatione Dei. Quod qui fecerit, ut uerè ac spiritualiter colit Deum, ita uerā & spiritualē, adeoq; cœlestem & perpetuam cōsequetur hæreditatē. Porrò Christus addit hoc loco causam, cur Deus non uelit agnoscre carnales & adumbratos, sed
» spirituales ac ueros cultores: Pater, inquiens, tales quærit, qui adorenti
» psum. Spūs est Deus, & eos qui adorant eū, spiritu ac ueritate oportet adorare. Hæc est manifesta ratiocinatio: Pater tales quærit adoratores & cultores, qualis ipse est. Quid potest uerius dici? quis posset hoc negare? quis nescit, simile gaudere simili? quis ignorat, nō posse inter eos bene cōuenir, qui sunt disparis cōditionis, ac diuersorum studiorum? Quis ergo, aut qualis est Deus? Deus, inquit, est spiritus. Memorabile dictū, quod ut melius intelligat, cōsiderabimus initiò antithesin. Spiritus enim opponitur carni. Deus igitur nō est CARO. Si aūt non est caro, quō quæreret cultores carnales? Cæterū, cum dicimus Deū esse carnem, primùm intelligitur, Deū natura & essentia sua non esse carnalem aut corporalē, sicut homo, aut aliud genus animantis. Etsi. n. filius Dei, qui est natura unus uerus & æternus Deus cū patre, assumpsit hominem, Deus tn̄ ipse secundum suā essentiam nō habet humanam effigiē, nō habet corporales oculos, manus & pedes. Deinde intelligitur, Deū nō iudicare secundum carnalē rationem, nec respicere carnales cultus, nec coli, ut Paulus ait, humanis manibus: nec includi in unū locū, ut caro, aut in unū certum genus uestis, ciborū, & aliarū id genus rerū. Quare qui sentiunt Deū placari, si homines gestauerint nigrā aut cæruleam uestē, ac delectari si homines abstineant se à carne suilla, aut si uescantur piscibus, tm̄ & non carnibus, hi impiè affingunt diuinæ naturæ carnalē effigiē, quo quid potest esse horribilius? Deus. n. non est CARO, sed est SPIRITVS. Non est aūt unum tm̄ genus spiritus. Sunt. n. & angeli spiritus. Qui creat, inquit, angelos suos spiritus. Et oēs angeli sunt administratorij spiritus. Deus autem multo excellentior est spiritus. Illi. n. sunt creati, & quanq; in ęternū uiuent, non tn̄ fuerunt ab æterno. Hic autem est spiritus ipse quidē increatus, omnium autē rerum creator: ac non solum inæternū permansurus, sed etiā ab æterno uerè existens, ut sine fine, ita etiā sine initio. Vocatur & tertia persona in diuina natura spiritus cognomine Sanctus. Hoc aūt loco, cū Deus dicitur esse spiritus, uocabulū Spiritus ita accipiendū est, ut sit commune omnib. personis in diuina natura. Pater. n. spiritus est, filius spūs est, spiritus sanctus spiritus est, qui qualis sit substantia, nulla humana ratio in hoc seculo comprehendere potest. Cœlum et terram ego impleo dicit Dns. &: Lucem habitat

Deus est spiritus.

Angeli sunt spiritus creati.

habitat inaccessam. Necp̃.n.quisquã uncp̃ uidit Deũ. Vnigenitus autẽ filius,qui est in sinu patris, ipse enarrauit nobis. Quare filius Dei, qui est Iesus Christus seruator noster,cognoscendus est, ut cognita per ipsum in hoc seculo uoluntate Dei, cognoscamus Deũ ipsum in uẽturo seculo,quemadmodũ nos nunc ab ipso cogniti sumus. Sed ut ad institutũ redeamus, cũ Deus sit spiritus, quid ex eo sequitur? Suprà dictũ est, cp̃ Deus tales quærat cultores,qualis ipse est. Cum igitur Deus sit spiritus,& nõ caro,manifestẽ sequitur,cp̃ quærat etiã cultores spirituales,& nõ carnales. Ergo,inquis, nullus hominũ potest esse uerus cultor Dei? Omnes.n.homines sunt natura sua carnales. Vnde & Carnis nomine homo in sacra scriptura sępenumero significatur.Et si externus Dei cultus est carnalis, nec respicitur à Deo, quid dicemus de externis nostris precibus? quid de externa prædicatione Euangelij? quid de externis operibus charitatis,quæ unusquisqp̃ proximo suo debet? Num dicemus hæc omnia esse carnalia, ideoqp̃ Deo abominabilia? De hac re etiã paulo antè quędã diximus.Nullus.n.hominum natura sua uerus est cultor Dei,nec hominũ opera per se sunt uerus Dei cultus,quippe cp̃ tam homines ipsi cp̃ opera eorũ sunt natura sua CARO. Quid ergo? abijciemus ne omnẽ spẽ salutis nostræ? Nihil certè minus. Nulla quidẽ reliqua esset spes salutis,si ita carnales essemus, ut nullo modo possemus fieri spirituales.Sed bene habet. Etsi natura nostra sumus carnales,tamẽ possumus gratia Dei per Christũ fieri spirituales: possunt & opera nostra fieri spũalia, quantũuis carnalẽ speciem habeãt. Nã si acceperimus Christũ per fidẽ, primùm quidẽ nos ipsi reputamur coram Deo spirituales propter Christũ.Is.n.totus est spiritualis, & quia donat se credentibus in ipsum,unà cũ omnib.suis bonis, perspicuũ est, cp̃ & donet credentibus in ipsum,ut reputentur spirituales. Deinde opera eorũ iudicantur spũalia.Nõ est nobis nũc sermo de malis operib. seu sceleribus.Hæc.n. nõ sunt opera diuini,sed maligni spiritus, & ut non possunt fieri ex fide Christi,ita excutiũt hominibus Christũ: sed loquimur de bonis operibus,quę uel generalibus Dei pręceptis,uel personalibus,ijscp̃ legitimis uocationibus exiguntur. Generale opus est, adiuuare egenũ operibus, aut consolari afflictũ, aut honorare parentes, aut pudica loqui, aut sobrietatẽ sectari, & infinita alia. Personale opus est prędicare Euãgelion Christi,tueri fines ab excursionib.hostiũ, educare liberos, purgare domũ,exercere opificiũ.Hęc omnia, carnalia quidẽ sunt,si cõsideres externam speciẽ,& fiunt ab hominibus.qui adhuc sunt carnales: sed sunt spiritualia,si fiant ab hominibus spiritu renatis, & considerentur secundũ fidem in Christũ,ex qua pij ea faciunt.Etsi.n.hęc hominũ piorum opera non sunt ex omni parte spiritualia, quippe cp̃ adhuc multũ carnis admixtũ sit:tamen iudicantur coram Deo uerè spiritualia propter Christum,qui se totũ cum omnibus bonis suis credẽti donauit. Audiamus igitur Euãgelion Christi, discamus Christum, credamus in Christum, ut renati è spiritu Christi, & facti spirituales, colamus, adoremus & inuocemus Deũ spiritu & ueritate, per Iesum Christũ seruatorẽ nostrũ, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,Amen.

Homines fiunt spirituales quomodo?

Spiritualia opera quæ sint.

HOMILIA XXXIX.

OSTENDIMVS uerum & ſpiritualem cultum Dei eſſe, credere in Chriſtum, & inuocare Deum patrem ex fide Chriſti: qui cultus, etſi tũ primùm inter gentes reuelatus & uulgatus eſt, cũ Apoſtoli, ornati donis ſpiritus ſancti, emiſſi ſunt poſt Pentecoſten, ad prædicandum Euangelion in toto orbe terræ, tamen nunc̃ꝑ nõ habuit ſuũ in hac terra locum. Nam patriarchæ, prophetæ, & omnes pij, qui fuerunt ante aduentum Chriſti, & uerſati ſunt in medijs carnalibus Dei ſacris, peregerunt uerũ & ſpiritualem cultum: quia crediderunt in Chriſtum, nõdum quidem carne, attamen promiſsione reuelatum, & adorauerunt patrem ex fide Chriſti. Quare quod Chriſtus concionatus eſt mulieri de uera & ſpirituali adoratione patris, nõ ſentit hanc non fuiſſe antea inter pios patriarchas: ſed ſignificat eam nunc eſſe prædicatione Euãgelij in totum orbem terræ uulgandã, ut hominibus propior fiat ſalus, quemadmndum Paulus loquitur, c̃ꝑ tum cũ credebamus. Ac de hoc quidẽ ſpũali cultu Dei, ſatis, quantũ ad hoc noſtrum argumẽtum attinet, ſuperiori die dixiſſe uidemur. Audiamus nũc mulierem. Dicit ei mulier: Scio ꝙ Meſsias aduenit, qui dicitur Chriſtus. Cum ergo uenerit ille, nunciabit nobis omnia. Quod mulier dicit, hãc habet ſententiam: Intelligo te concionari de ſalute, quę nobis continget per Meſsiam. Scio autẽ tempus modò eſſe, quo Meſsias aduenire debeat, ut exponat nobis omnẽ ueritatẽ, & reſtituat omnia quę tã in religione, c̃ꝑ in politica uita collapſa ſunt. Obſecro igitur te, dicito mihi, nũ Meſsias iã aduenerit, & quis ſit ille Meſsias. Duo cõmemorat mulier de Meſsia ſeu Chriſto: alterũ eſt de aduẽtu Chriſti, alterũ de officio Chriſti. Ac initiò ait ſe ſcire, Chriſtum iam aduenire. Etſi aũt ad alia explicanda properandũ nobis eſt, tñ hoc prętereundum nõ uidetur, ꝙ hęc mulier alioqui inhoneſta, nõ fuerit ignara ſuę religionis. Nõ laudamus, nec excuſamus inhoneſtatẽ propterea quã religionis cognitionem, attamẽ inhoneſta hæc mulier in hoc excellit multos honeſtos homines, qui ducunt quidem uitam corã humano iudicio inculpatã, rebus aũt terrenis ita immerſi ſunt, ut nullam prorſus habeant curã cognoſcendæ religionis, ac ſentiãt eam rem prorſus nihil ad ſe pertinere. Hi certè tãto ſeuerius iudicabuntur, quanto clarius hoc opere Euãgelion Chriſti publicè prædicatur. Cæterùm ex uerbis mulieris manifeſtè cognoſcitur, ꝙ eo tẽpore publica fama uulgatũ fuerit, tempus iam aduenisſe, quo Chriſtus uenturus ſit in hũc mundum. Hęc autẽ fama ſurrexit primùm ex uaticinio patriarchæ Iacob, qui prędixerat, tum uenturum Meſsiã, cum ſceptrum de Iuda ablatum eſſet. Deinde ex uaticinio Danielis, qui ab eo tẽpore, quo Aggæus & Zacharias incœperũt prophetare, numerauit ſeptuaginta hebdomas, hoc eſt, quadringentos nonaginta annos uſq; ad Chriſtum. Et hi anni complebantur circa ea tempora, quibus Ieſus iam aduenerat, & Euangelion ſuum prædicabat. Huc etiam nonnihil faciebet uaticinũ Aggæi, qui dixerat, nõ multum temporis reliquum eſſe, quo ſit uenturus deſideratus cunctis gẽtibus. Sed et Herodes interfecerat pueros Bethlehemiticos, propterea

Aduẽtus Chriſti tempus inter Iudæos uulgatum.

propterea ꝙ diceretur Christus aduenisse. Ac Iudas Galilęus & Theudas, quia uidebant impleri tẽpus, quo Christus esset aduenturus, somniabãt se diuinitùs excitatos esse, ut populũ Israeliticũ Romana tyrãnide liberarẽt, & in libertatẽ uindicarẽt: hoc est, ut ipsi implerẽt, quod de Christo expectabatur. Percrebuit etiã hæc fama apud gẽtes, ac publicè iactabatur exorituru eo tẽpore principẽ in Oriẽte, qui sit dominaturus in toto orbe terrarũ. Hæc idcirco commemorauimus, ut cognoscamus hunc Iesum filiũ Mariæ natũ in Bethlehẽ, quem colimus, uerũ esse Messiam seu Christũ, per prophetas promissum. Nullus.n. alius eorũ qui circa illa tempora fuerũt, perfecit ea quę prophetæ de Christo uaticinati sunt, præter hũc Iesum. Etsi.n. nonnulli sentiebãt, uaticinium de principe in Oriẽte exorituro, & in tota terra dominaturo, impletũ fuisse in Vespasiano, qui post ea tẽpora in Iudęa à militibus in Romanũ imperatorẽ electus erat: tñ nec hic Vespasianus, nec alij defuncti sunt uero illo officio, quod prophetæ de Christo descripserunt, sed oẽs unà cum seditionibus & regnis suis interierũt. Solus Iesus filius Mariæ, is est, qui & descendit de familia Dauidis, & natus est in Bethlehẽ, & illustris fuit illis tẽporibus doctrina Euangelij, miraculis, resurrectione à mortuis, & diuulgatione Euangelij sui in totũ orbem terræ, quemadmodum prophetæ de Christo prædixerãt. Quare si nobis salus nostra curæ est, hũc solũ pro uero Messia seu Christo seruatore nostro colamus, & huius solius Euangelij uocationẽ sectemur. Deinde, cũ dicit mulier, Messias, cum uenerit, anũciabit nobis omnia, admonet nos de officio Christi. Nam officiũ Christi est, ut doceat omnia quæ sunt ueræ religionis, & restituat omnia quæ ad uerã tranquillitatem & fœlicitatẽ pertinent. *Christi officium.* Nunꝯ.n. tam bene cum rebus humanis actũ est, ut uera ubiꝯ esset cognitio religionis, & uera in omnibus regnis ac politeus huius seculi trãquillitas. Religio suos semper habuit contẽptores, irrisores & aduersarios. Ac ante aduentũ Christi, non Ethnici tantum pugnabant cum uera religione, sed etiam Iudæi ipsi, qui erant populus Dei, contendebant inter se de religionis ueritate. Aliud sentiebãt Pharisęi, aliud Sadducęi, aliud Essæi, aliud Samaritani. Politeia autẽ nunꝯ non fuit turbulenta, & insedata. In imperijs Ethnicorũ rex cũ rege, ciuitas cum ciuitate bellũ gerebat: et ut publica aliquoties pax fuerit, semper tamen erant inter priuatos odia, dissensiones & cõtentiones: inter Iudęos autem dominabatur nũc crudelis rex, nunc ignauus, nunc externus, ejiciebantur et aliquoties in exilia. Et quid fœlicius ac trãquillius regno Salomonis? audit tamen Rehabeã filius Salomonis, Pater tuus durissimũ iugũ imposuit nobis. Finge autem mihi publicam ubiꝯ fuisse in regnis pacẽ, ac reges clementissimos, attamen nũc grassabatur pestilentia, nunc publica rerum penuria & fames. Et quid priuatim? alius alio genere aut morbi aut alterius calamitatis afflictabatur. Ac postremò omniũ uenit mors, quæ nulli hominũ parcebat. Nec unquam fuerunt tam sapientes & potentes reges, qui potuerint subditos suos à morte, quæ putatur omniũ malorũ summa, seruare. Cum igitur ab initio orbis terræ nihil unquam fuerit integri, nec in religione nec in politeia, sperabant pij Messiã seu

Christum uenturũ, qui omnia tam in religione q̃ in rebus politicis restitueret. De restituenda eñ uera doctrina religionis per Christũ, concionatur Esaias: Fluent, inquiens, ad montẽ Domini omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, ascẽdamus ad montem Domini, & domũ Dei Iacob, et docebit nos uias suas, et ambulabimus in semitis eius. & Ioel: Effundam spiritũ meum super omnem carnem, & prophetabũt filij uestri & filiæ uestæ. De restituenda autem publica tranquillitate & fœlicitate Esaias ait: Cõflabunt gladios suos in uomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentẽ gladium, nec exercebũtur ultrà ad prelium. & iterum: Ponam uisitationem tuam pacem, & præpositos tuos iusticiã. Non audietur ultrà iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis tuis. & Ieremias: In diebus illis saluabitur Iuda, & Israel habitabit cõfidenter. Quare, cũ tanta fœlicitas tam in doctrina religionis, q̃ in rebus politicis in Christo per prophetas promissa fuerit, magna erat expectatio Christi, ut homines uel tandem erroribus & miserijs liberarentur: sed quæ de Christo & restitutione rerum prædicta erant, longè aliter intelligẽda sunt, q̃ homines carnales intelligebant. Hi sperabant futurum, ut omnes homines consentirent in uera doctrina religionis per Messiã prędicanda, & fœlicem uitam in hac terra uiuerent. Christus autẽ prædicaturus erat Euangelion suum, & uulgaturus per apostolos in totũ orbem terrę: quod etsi est uerissima doctrina ueræ religionis, & certissima uia salutis, tamen non accipiendum erat ab omnibus obedienti fide. Quis credidit, inquiunt apostoli in Esaia, auditui nostro, & brachiũ Domini cui reuelatum est? De politica autem fœlicitate, Christus restituturus quidem erat gratiæ Dei credẽtes Euãgelio suo, ac seruaturus ipsos in morte ad æternum fœlicitatem: non erat autem mutaturus externas huius seculi turbas & calamitates, donec ueniret nouissimus dies. Hoc est spirituale regnũ, quod contemnitur quidem ab impijs, qui sectantur tantum carnalẽ uoluptatem: multo autẽ maiorem affert pijs fœlicitatem, q̃ ullus unq̃ monarcha in terris potuerit uel sibi uel subditis suis parare. Nullus eñ, quantumuis potens, tantas unquã uires habuit, ut potuerit homines cum Deo recõciliare, & seruare eos, ne morte perirent. Hoc cũ Christus pręstiterit, sentiẽdum est, ipsum summa in homines beneficia contulisse, etiamsi afflictiones huius seculi: quæ ut hoc ipsum seculum non est perpetuum, ita nec ipsę possunt perpetuæ esse, nõ mutauerit. Sed de his rebus aliàs copiosè diximus. Audiamus nũc, quid Christus mulieri respõdeat. Dicit
„ ei Iesus: Ego sum, qui loquor tibi. Quid potest breuius dici? Sed quid etiã mulieri incundius & acceptius, adeoq̃ magis salutare? Nã quemadmodum uerba Christi, quæ antè dixit, Quinq̃ uiros habuisti, & nũc quem habes, non est tuus uir, fuerũt prædicatio legis, & in animũ mulieris ita penetrarunt, ut uerè agnouerit peccata sua, & senserit se obnoxiam flammis inferni: ita hæc uerba, Ego sum, qui loquor tecũ, uerum sunt Euangelion, et ita in cor mulieris penetrant, ut & per fidẽ concipiat ueram iusticiã, quæ est remissio peccatorum, & sentiat cœleste gaudiũ. Itaq̃ mulier, quæ antè erat peccatrix, nunc facta est iusta: quæ antè

erat

erat prophana, nũc facta eſt ſancta: quæ antè erat damnata, nunc facta eſt beata, adeoq; conſecuta eſt eam diuinarũ rerum cognitionẽ & poſſeſsionem, ad quam conſequendã homines ſumus, & uitam in his terris agimus. Nam qui Chriſtũ nouit & poſsidet, is nouit & poſsidet omnia. Chriſtus em̃ eſt uera ſalutis uia, imago Dei patris ſui, et theſaurus omnium cœleſtium bonorum. Quare cum mulier Samaritana hunc ſit cõſecuta, quid ei, obſecro, nunc deeſt? quid opus eſt lõgiori diſputatione? ideoq; opportunè admodũ interueniunt diſcipuli. Sequitur enim: Et continuò uenerunt diſcipuli eius, & mirabãtur, q; cũ muliere loque- «
retur. nemo tamẽ dixit, Quid quæris, aut quid loqueris cũ ea? Hæc ab «
Euangeliſta idcirco recitãtur, ut cõmemoratis rei geſtæ circunſtantijs, ſciamus rem uerè ita geſtam eſſe. Mirãtur autem diſcipuli, quòd Ieſus, uir tantus ſuſceperit colloquium & diſputationem cum muliercula Samaritana, ut apparebat, uili et abiecta. non tamen interrogãt eum. Sentiebãt enim de ipſo, quòd nihil temerè & imprudenter faceret. Magna hæc eſt diſcipulorum modeſtia & reuerentia erga præceptorem ſuum: quod exemplum imitari debent liberi erga parentes, ſubditi erga magiſtratum, ac omnino oẽs homines erga Dominũ Deum noſtrũ. Multa, quæ inſtituunt aut faciũt parentes & magiſtratus, uidentur liberis aut ſubditis ridicula ac inutilia, aliquoties etiã iniuſta, quę tamẽ exitus probat eſſe prudẽtiſsima & iuſtiſsima. Loquor autẽ de his rebus, quæ ſunt per ſe indifferentes, nõ de his quæ ſunt manifeſtè impiæ & pugnantes cum uerbo Dei. Impietatem enim nemo probare debet. Sunt & multa quæ Deus ipſe, Dominus noſter agit, quę cum ſint utiliſsima, uidentur nobis maximè inutilia eſſe: uidelicet cũ immittit nobis cruces, afflictiones & calamitates. Hic cohibenda erit temeritas noſtra, & cedendũ iudicio ac uolũtati Dei. Quod enim nobis apparet pernicioſum, hoc exitus declarabit eſſe maximè fructuoſum. Vide mihi hoc colloquiũ Chriſti cũ muliercula Samaritana. Videbatur initiò diſcipulis eſſe inconſultum, ſed commorare pauliſper, et uidebis occaſione huius colloquij, Euangelion ſalutis peruenire ad uniuerſos ciues urbis Sichar, & multos aſſequi cognitionẽ Chriſti ſeruatoris noſtri. Sequitur em̃: Reliquit er- «
go hydriã ſuam mulier, & abijt in ciuitatẽ, & dicit illis hominibus: Ve- «
nite, uidete hominẽ, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci, num hic eſt il- «
le Chriſtus. Exierunt ergo è ciuitate, & ueniebãt ad eũ. Audiuimus an- «
tè in muliere iuſticiam per fidem in Chriſtũ, audiamus nunc fructus iuſticiæ. Hæc em̃ mulier, antè quidẽ, cum adhuc in peccatis ſuis eſſet, tantũ abfuiſſet, ut hydriam ſuam reliquiſſet, ut ſi quis eam auferre uoluiſſet, inuolaſſet in crines capitis eius: nunc autẽ ſua ſponte relinquit eam, ut expeditior eſſet ad adnũciandum Chriſtum, quem inuenerat. Antè tarda & ignaua uenit ad fontẽ, nunc ſalit ſicut ceruus, & recurrit ad urbem uelociſsima: antè ſeducebat uiros petulantia ſua à uia ſalutis, nunc fit apoſtola Chriſti, & uocat uiros pietate ſua ad cognoſcẽdam ueram ſalutem. Magnũ hoc eſt miraculum. Sed talia miracula edit Euãgelion Chriſti, fide acceptũ. Abducit enim homines ab amore rerum terrenarum, et inflammat eos deſiderio rerum cœleſtium. Excitat ignauum, &

Diſcipulorum Chriſti modeſtia.

Euangelij miracula.

reddit eum uelocem ad currendam uiam Domini. Nõ permittit ut homo hominem uel uerbo uel facto offendat, ſed efficit, ut alter alterũ iuuet, & ad Chriſtũ ueram ſalutem ducat. Accipiamus igitur Euangelion Chriſti fide, ut & accepto ſpiritu Chriſti, ea faciamus officia, quę et Domino Deo noſtro, & alter alteri debemus. Nam, quod officium mulier pręſtat ciuibus ſuis in adnũciando Chriſto, hoc debet paterfamiliàs familiæ ſuæ, præceptor diſcipulis ſuis, magiſtratus ſubditis ſuis, & omnino uicinus uicino ſuo præſtare: uidelicet ut alter alterũ exhortetur ad cognoſcendũ & ſectandum Chriſtum ſeruatorẽ noſtrũ, & nos mutuò excitemus, dicentes iuxta prophetam: Venite aſcendamus ad montem Domini, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Cæterùm dũ hæc à muliere in ciuitate geruntur, diſcipuli hortãtur Ieſum ut edat. ſic enim dicit Euangeliſta: Interea rogãt eũ diſcipuli, dicentes, Rabbi, comede. Sedebat enim Chriſtus cogitabundus, & magis de hominũ ſalute procuranda, quàm de corporali cibo ſumendo ſollicitus. ideoq; dicit diſcipulis: Ego cibũ habeo comedendum, quem uos neſcitis. Chriſtus nullam omittit occaſionẽ docendi & explicãdi Euangelij ſui coram diſcipulis. Hi enim futuri erant doctores Euãgelij in toto orbe terrarum. Quare ut antea ſumpſit occaſionem docendæ mulieris ex aqua, & poſtea capite ſexto ſumet occaſionem ex pane: ita nunc ſumit eam ex cibo, quẽ diſcipuli emerant. Ego cibum inquiens, habeo comedendum, quem uos neſcitis. Hoc autem diſcipuli nondum intelligũt. dicebãt ergo inter ſe: Nunquis attulit ei, quod ederet? Sed Ieſus non patitur eos diutius errare. & ait: Meus cibus eſt, ut faciam uoluntatẽ eius qui miſit me, & perficiã opus eius. Exiſtimatis me uos uocaſſe diſcipulos, uẽtris mei gratia, ut mihi cibos ematis, & putatis me hoc ſolũ agere, & in hanc curã tantum incumbere, ut uentrẽ paſcam? At res longè aliter ſe habet. Meus cibus, mea cura, meũ ſtudium eſt, ut faciam uoluntatẽ Dei patris mei, & perficiam opus quod ille mihi perficiendũ demandauit. Quæ ergo eſt uolũtas Dei patris? & quod eſt opus, quod Deus mandauit Chriſto filio ſuo, ut perficiat? Hæc eſt, inquit, uoluntas eius qui miſit me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi, ſed reſuſcitẽ illa in nouiſsimo die. & mox: Hæc eſt uoluntas eius qui miſit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat æternã uitam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Quid autem agendum, quid faciendum de Chriſto, ne quid perdat ex omnibus quę dedit ei pater? Primùm, non ſunt ferendæ leges, quibus augentur peccata, ſed eſt prædicandum Euangelion, quo remittuntur peccata: deinde non eſt exercenda externa dominatio, qua opprimuntur magis homines, quàm iuuãtur: ſed ſuſcipiẽdę ſunt afflictiones, & mors ipſa, qua expiantur peccata coram Deo, & ſeruantur homines. Præterea non eſt in morte manendũ, ſed reſurgendum à morte, ut Euangelion diuulgetur in totum orbem terræ: & non ſolum Iudęi, ſed etiam Samaritani, & omnes aliæ gentes conſequantur ſalutẽ, ſi Euangelion fide acceperint. Quare hæc eſt uolũtas Dei patris, & hoc eſt opus, quod mãdauit Chriſto filio ſuo, ut adnunciet Euangelion remiſsionis peccatorum, ut ſuſcipiat

piat mortẽ ad expianda peccata, & ut à morte resurgat, quo omnes credentes in ipsum, mortem euadant, & regnm cœleste consequãtur. Hic est cibus, hoc est officiũ, hæc est cura & cogitatio Christi, ut hæc omnia perficiat. Porrò, Christus hac uoce, Meus cibus est ut faciã uoluntatem eius qui me misit, & perficiã opus eius, nõ solum exponit quæ sit præcipua eius cura & cogitatio: sed etiã monet nos, ut exemplũ eius imitemur, & semper in omnibus negocijs cogitemus, quod sit proprium nostrũ officium, quæ præcipua nostra uocatio in hac terra. Nam opus, ad quod nos uocauit Deus, & quod uult à nobis maximè omniũ perfici hoc est, ut audiamus & credamus in eũ, quem ipse misit Iesum Christũ. Hunc, inquit, audite. Multa autem sunt, quę nos ab hoc opère auocant. Alius est opifex, & cogitat sibi nõ esse integrũ præ sua inopia, ut discat Euãgelion Christi, & cognoscat Christũ: sed se necesse habere dies noctesq; in labore manuum suarũ uersari, ut sustentet inopiam suam. His cogitationibus obuiã procedendũ est hac uoce Christi, in suum usum translata, Meus cibus non est labor manuum. Laborandũ quidem est suo tempore & loco, mea aũt præcipua uocatio, meũ præcipuum officium non est, laborare manibus: sed facere uoluntatẽ Dei, & perficere opus eius, quod est cognoscere Christum, & obedire uocationi Christi. Alius est mercator, et cogitat sibi non esse ociũ ad audiendam doctrinã Euãgelij, & ad cognoscendũ Christum: quippe q; necesse habeat tã festis q; profestis diebus tota mente in negociationẽ suam incumbere. At hæ cogitationes excutiendæ sunt per uerba Christi, ad nostrũ usum accommodata: Meus cibus est, non ut mercaturã faciam. Honestum quidem est legitimè negociari, non est autẽ meus cibus, nõ est meum præcipuum officium, ad quod diuinitùs uocatus sum: sed meus cibus, mea præcipua uocatio est, ut faciam uoluntatẽ Dei, & perficiam opus eius: hoc est, ut discã Euangelion Christi, & secter uocationẽ Christi. Videtur quidem cibus ex opificijs, & mercatura parari, sed quid proficit homo, si lucretur uniuersum mundũ, se autẽ ipsum perdat, aut iacturã sui ipsius faciat? Accedit huc, q; non opificia aut mercatura, sed benedictio Domini diuites faciat. Et homo uiuit nõ solum pane, sed omni uerbo, quod egreditur de ore Domini. Primùm igitur quæramus regnũ Dei, & iusticiam eius, ut non solũ adijciantur nobis terrena bona, quæ sunt corpori necessaria, quæ & ipsa Deus clementer dabit ambulantibus in uocatione sua, & sperantibus in ipsum: sed etiam ut tribuantur nobis cœlestia & perpetua bona, per Iesum Christum Dominum ac seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Homines ad quod opus uocati sint.

HOMILIA XL.

CONCIONATVS est Christus de suo officio: Meus, inquiẽs, cibus est, ut faciam uoluntatẽ eius qui misit me, & perficiam opus eius: nunc autẽ concionatur de officio discipulorum suorum. Non emẽ uocauit eos ad se, ut essent œconomi rerum terrenarũ, & emerent cibos (quanq; & hoc aliquoties per occasionẽ fecerint) sed ut essent œconomi rerũ spiritualium,

tualium,& uocarent per Euangelion non Iudęos tantum,uerumetiam
» gentes ad communionem cœlestium bonorũ. Non'ne uos,inquit,dici-
» tis,adhuc quatuor mẽses sunt,et mesis ueniet? Ecce dico uobis,attolli-
» te oculos uestros,& uidete regiones, quoniã albæ sunt iam ad messem.
Ex his uerbis apparet, Christũ è Iudæa per Samariã, quo tempore hæc
Meßis in Iudæa concionatus est,profectum esse circiter mensem Nouembrẽ. Nam mes
sis solet in Iudæa mense Martio,aut paulo pòst esse: quippe quòd & cali
da sit regio,& Iudæi necesse habuerint altero die Paschæ (quod festum
celebrabatur decimaquarta die primi mẽsis, qui est Martius) manipu-
lum nouarum frugum offerre, quemadmodũ in Leuitico libro, capite
uicesimotertio scriptum est. A Nouembri autem usq; ad Martium nu
merãtur quatuor menses, December, Ianuarius, Februarius, Martius.
Confert autem Christus hoc loco antithesi messem terrenã cum spiri-
Apostoli meßores. tuali,& facit ex discipulis messores: Vos,inquiens,dicitis,adhuc quatu
or menses esse usq; ad messem. Et hoc quidem uerum est, si intelligatur
de terrena illa externarũ frugum messe. Ego autem loquor nunc de spi-
rituali messe, & affirmo eam nõ post quatuor menses futuram, sed iam
instare, & modo adesse. Regiones, seu agri albescunt, fruges peruene-
Meßis spiritualis. runt ad spicam,& ad maturitatem. Tempus est,ut demetãtur. Quæ est
ergo spiritualis illa messis,de qua Christus hic loquitur? Ea nimirũ est,
qua homines,tanquam fruges,cõgregantur per prędicationem Euan
gelij ad horreũ regni cœlestis. de qua messe etiã aliàs dicit: Messis mul
ta,operarij pauci. Christus enim uidet mox futurũ,ut Samaritani adue
niant magna multitudine è ciuitate sua ad audiendum Euãgelion Chri
sti,& ad accipiendam salutem. Hæc una est regio,unus ager,qui iam ad
messem albescit. Deinde uidet etiam futurum,ut Galilæi,qui uiderant,
quanta miracula edidisset Hierosolymis,excipiant eum paulo pòst magno honore & fide,quemadmodũ mox sequitur. Hæc est altera regio,
alter ager,albescens ad messem. Postremò uidet quoque iam hoc agi,ut
postquam resurrexisset à mortuis, & amandasset discipulos suos in uni
uersum mundum, gẽtes accepturę sint maxima alacritate & multitudi-
ne Euãgelion salutis. Hæ sunt magnę & multæ regiones, magni & mul
ti agri,ad messem albescentes. Cum igitur Christus hæc iam instare ui-
det,palàm profitetur,ueram messem nũc adesse. Qui ergo erunt messo-
res? & quia messem præcedit sementis, qui fuerunt antea seminatores?
» Sequitur: Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in ui-
» tam æternã,ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim
» est sermo uerus,quòd alius est,qui seminat, & alius qui metit. Ego mi-
» si uos ad metendum, quod uos non laborastis. Alij laborauerunt, &
» uos in labores eorum introijstis. His uerbis Christus haud obscurè si-
gnificat, seminatores fuisse patriarchas & prophetas: messores autẽ es-
Patriarchæ & prophetæ seminatores. se apostolos. Nam patriarchæ & prophetæ adnunciauerunt Christum
uenturum, qui restituat ueram iusticiam & salutem, ac instituerunt &
administrarunt politeian Israeliticam,ut in ea cõseruarentur & prędica
rẽtur promissiones de Christo, donec ipse ueniret, & diuulgaret Euan
gelion suum in omnes huius terræ politeias. Etsi autem patriarchæ &

prophetæ

prophetæ ſuſceperunt unius tantum Iſraeliticæ gentis curam, tamen quemadmodum ſementis multo maiori labore cõſtat, quàm meſsis (ager ſtercorandus eſt, terra proſcindenda, glebæ comminuendæ, ſemen iaciendũ, occandum, & zizania reuellenda) ita maximo ſudore conſtitit patriarchas & prophetas cõſeruatio Iſraeliticæ politiæ, quo & prædicatio promiſsionũ de Chriſto conſeruaretur. Multi ſæpe nimbi, multæ niues, & horrendę grandines inciderũt in hanc ſementẽ, ut de ſalute eius penè deſperaretur. Cogita quantæ molis fuerit Iſraelitas ex Ægypto educere, & cum ad eremum ueniſſent, in officio continere. Cogita, cum terram Canaan accepiſſent, quãto diſcrimine, imò quanto ſanguine tutati ſint fines ſuos à finitimis hoſtibus. Quid dicam de captiuitate Aſsyriaca & Babylonica? Hæ fuerũt horribiles grandines, quibus minima pars ſemẽtis reliqua uidebatur. Sed quid? poſtquam rediiſſent è Babylone, quãto ſudore reſtituta ſunt urbs & templum, quanta poſtea difficultate defenſa? Hæc fuerũt tempora ſementis, quibus promiſsiones de Chriſto in gente Iſraelitica cõſeruarentur, donec ueniret meſsis: hoc uidelicet tẽpus, quo ea quæ prædicata ſunt de Chriſto in una tantum gente, reuelarentur in toto orbe terrarũ inter omnes gentes. Tempus igitur meſsis hoc eſt, quo aduenit Chriſtus, & docuit Euangelion ſuum: ac miſit, poſtquã reſurrexiſſet à mortuis, apoſtolos ſuos ad prædicandum Euangelion in uniuerſo mundo. Itaq; Apoſtoli ſunt meſſores, qui meſſuerunt, quod patriarchæ & prophetæ ſeminauerunt: quia quas promiſsiones de Chriſto hi in una tantum gente prædicauerunt, eas apoſtoli inter omnes gentes prædicauerunt impletas: & quod prophetæ futurũ prædixerunt, hoc apoſtoli reipſa eueniſſe adnunciauerunt: adeóque accidit prophetis & apoſtolis, quod ueteri prouerbio dicitur, Alij faciũt ſementem, alij uerò metunt: Alij laborant, alij percipiunt emolumentũ. Quid ergo dicemus? Num prophetæ damnum aliquod contraxerunt, quod Chriſtus non ipſorum, ſicut apoſtolorum tempore uenerit, & quòd apoſtoli in ipſorũ labores intrauerint? Minimè omniũ. In meſſe quidem corporali aliquoties detrimentum accipit is, qui cum ſementem fecerit, non metit: in hac autem ſpirituali meſſe tam prophetæ ſeminatores, quàm apoſtoli meſſores fructum accipiunt. Qui metit, inquit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternã, ut & qui ſeminat, ſimul gaudeat & qui metit. Vnum enim eſt corpus, una unius Domini familia, prophetæ & apoſtoli: in qua familia, etſi alius alio fungitur officio, tñ una eſt omniũ merces, unus fructus, & unum gaudiũ. Quam ergo dicemus eſſe mercedẽ prophetarũ & apoſtolorũ? Primùm, quod prophetæ in una gente fecerũt, hoc fecerunt apoſtoli inter oẽs gentes. Illi concionibus promiſsionũ ſuarum de Chriſto congregarũt pios è gente Iſraelitica ad æternã uitã: hi ſimiliter Euãgelio ſuo de Chriſto, qui iam aduenerat, congregarunt pios ex omnibus gentibus ad uitã ęternam. Vides eandem mercedem, & eundem fructum laboris. Deinde prophetæ acceperunt etiam ipſi iuſticiam & hæreditatem cœleſtiũ bonorum per fidem, propter Chriſtum, quem uenturum adnunciauerunt. Sic & apoſtoli acceperunt iuſticiam & hę-

Meßis tẽpus.

ἄλλοι μὲν ἀπείρασιν, ἄλλοι δὲ ἀμήσουσιν.

reditatem

reditatem cœlestium bonorum per fidem propter Christum, quẽ iam uenisse adnunciauerunt. Vides iterum eandem mercedem, eundẽ fructum, & idem gaudium. Non enim existimãdum est, ꝙ cum Christus faciat hoc loco mẽtionem mercedis, sentiat prophetas et apostolos meruisse sua ipsorũ iusticia æternam uitam, cum scriptum sit, Non iustificatur in cõspectu tuo omnis uiuens. &: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Sed Christus nomine Mercedis intelligit fructũ, quem partim auditores, partim ipsi ex Euãgelio Christi perceperunt. Euangelion autẽ docet, nullũ hominem iustificari & seruari propter sua ipsius merita, sed tantũ ex misericordia Dei propter Christum, si in ipsum credideris. Quare tantũ abest ut defensores humanorum meritorum possint ex hoc loco errori suo patrocinari, ut potius ex eo refutentur. Quæ cum ita se habeant, uideamus nunc quã utilitatem nos ex hac concione Christi de apostolica messe capere debeamus. Ac initiò uaticiniũ Christi de aduentu Samaritanorũ & gentium ad communionem Euangelij, magnum est miraculũ, quo confirmatur ueritas doctrinæ & Euangelij Christi. Nam quæ Christus uaticinatus est, eare ipsa euenerunt. Samaritani mox magna ueniũt multitudine. Postea gẽtes suscipiunt prædicatione apostolorum Euangelion Christi. Sed & prophetę uaticinati sunt, quòd gentes recepturæ sint Euãgelion Messiæ. Fluent, inquit Esaias, ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi ac iterum: Videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuũ, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, & fortitudo gentiũ ueneritti bi. Cum igitur gentes acceperint hoc Euangelion, quod apostoli de Iesu adnunciauerunt, manifestũ est, hunc Iesum esse uerum illum Messiam seu Christum, de quo prophetæ uaticinati sunt, & qui est saluator mũdi. Deinde cognoscimus ex hac concione Christi de messe, ꝙ unà sit religio patriarcharum, prophetarũ, ac nostra. Prędicatio enim prophetarũ fuit sementis: prædicatio autem apostolorum, quã nos sectamur, est messis. Sicut autẽ messis colligitur ex eo semine, quod in sementem iactum est: ita nos eundẽ Christum agnoscimus, quem quõdam prophetæ adnunciarũt. Quare nostra religio, qua solum Iesum Christum credimus nostrũ seruatorem, non est noua, sed uetus: id quod & apostoli ipsi in cõcionibus suis manifestè docuerunt. Petrus in prima concione, quam habuit in die Pẽtecostes, allegat Ioelẽ & Dauidẽ, uidelicet quod hi seminarũt, hoc Petrus metit. In alia concione, quam habet ad gentes, dicit de Christo: Huic omnes prophetæ testimoniũ ferunt, ꝙ remissionem peccatorũ accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. An nõ & in hac cõcione Petrus metit, quod antè prophetę seminarunt? Audi & Paulũ ad Rom. ita scribentem: Paulus seruus Iesu Christi, uocatus ad munus Apostolicũ, segregatus in Euãgelion Dei, quod antè promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo. an nõ & hoc est metere, quod prophetæ antea seminarũt? Quare manifestũ est, unã esse nostrã & prophetarum ac patriarcharũ religionẽ. Monet & nos hæc concio de messe, ut in tẽpore expergiscamur, ac per resipiscentiã fructum spiritualis messis colligamus. Nam quemadmodum

Merces quid significet.

Religio una, nostra & patriarcharum.

politicus

politicus annus suas habet partes, uidelicet tempus semẽtis, tẽpus messis, & tempus percipiendi fructus, qui in messe collectus est: ita spiritualis annus (quo nomine complectimur uniuersum illud æuum, quod cœpit à cõditione mundi, & duraturũ est perpetuò) suas habet partes. Tẽpus enim quod fuit ante aduentum Christi in carnẽ, ab initio orbis, est tempus sementis. Quod autem est post aduentũ Christi, usq; ad nouissimum diem, uel priuatum uniuscuiusq; hominis, uel publicũ totius terræ, tempus est messis: quo tempore non solũ Apostoli & ministri Euãgelij congregant populos tanquam spicas & manipulos ad horreum cœlestis regni, uerumetiam populi ipsi, auditores Euangelij, suã habẽt messem, qua sibi quisq; congregat cœlestia bona ad perpetuam suam salutem. Fructus enim spiritualis messis, non solũ sunt homines Euangelio uocati, sed etiam spiritualia & cœlestia bona, quæ hominibus Euangelio credentibus donantur: remissio uidelicet peccatorũ, adoptio in filios & hæredes Dei, liberatio à morte, & perpetua fœlicitas in regno Dei. Hæ sunt spicæ, hi sunt manipuli, qui in hac messe congregantur. Porrò, quod post hanc corporalem uitam uenturum est seculum, hoc æuũ illud est, non quo fructus colliguntur, sed quo collecti fructus usu suo percipiuntur. Quid ergo hinc sequitur? Hoc nimirũ, quòd summa *nobis danda sit* opera, ut dum sumus in hac corporali uita, & hoc tẽpore, *quo Euãgelion* Christi nobis perspicuè adnunciatur, & quo uera est messis, nequaquã ignaui simus, ac cessemus: sed expergiscamur, colligamus spicas Euangelij, congregemus manipulos cœlestium bonorũ, ut cum uenerit tẽpus hyemis, quod est horror diuini iudicij, possimus indigentiam nostram collecto fructu sustentare. Nõ erit messis in futuro seculo, sed erit usus earum frugũ, quas in messe huius seculi congregauimus. Nam in hoc præsenti seculo messis est. Ac quemadmodũ in corporali messe cõgregatur tantũ fructus, & reponitur usq; ad id tempus, quo uti licet, interim autem messores uigilant, sudant, sitiunt, ac nihil nõ laboris perferunt, donec fructũ in horrea conuehant: ita & in spirituali messe, multa quidẽ cœlestia bona per Euangelion congregantur, interea autẽ tẽporis multæ & magnæ ferendæ sunt afflictiones, ut collectis frugibus suo tempore uti liceat. Meminerimus igitur, quod Salomõ dicit, Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autẽ stertit çstate, filius confusionis, ut excitati à somno, laboremus unusquisq; pro sua uocatione in agro Domini, & percipiamus fructum cœlestium bonorum. Postremò, prouerbium, quo Christus hoc loco utitur, Alius seminat, alius metit, non est oscitanter prætereundũ. Etsi enim hoc prouerbium ducit originem suam à supplicio impiorum, qui sic diuinitùs puniuntur, ut quæ ipsi iniquè acquirunt, ijs alij fruantur, tamen habet & locum suum inter pios. De qua re paucis dicemus. Nam quod ad impios attinet, hoc est legitimum eorũ supplicij, ut quod ipsi seminant, alij metant. Si audire nolueris, inquit Mose, uocem Domini Dei tui, ut custodias & facias omnia mandata eius: uxorem accipies, et alius dormiet cũ ea: domum ædificabis, & non habitabis in ea: plantabis uineam, & non uindemiabis eam: bos tuus mactabitur corã te, & nõ comedes ex eo. & Michææ

Temporis partes.

capite ſexto: Tu ſeminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non ungeris oleo: muſtum, & non bibes uinum. Cum igitur hoc ſit ſupplicium eorum qui impiè agunt, amabo te, quis ille furor, quæ illa inſania eſt, ꝙ noctu diu'q; hoc unũ agas, ut multas opes nugis, impoſturis, fraudib. periurijs & rapinis cõgreges? Hoc enim, quid aliud eſt, quàm alijs quidem, ijsq; quibus minimè faues, tranquillitatem, tibi ipſi autem magno labore & ſudore, non niſi exitium & internecionem parare? Si autẽ cupis ita ſeminare, ut & tu metas, age, da operã pietati, imitare prophetas: qui, etſi Apoſtoli introierunt in labores eorũ, tamen & ipſi perceperũt unà cum Apoſtolis fructum æternæ uitę. Qui ſeminat (inquit) & qui metit, ſimul gaudent. Nam prophetæ laborarunt iuxta uerbũ Domini, ambularunt in uocatione Dei, ſeminarunt uerum fructum iuſticiæ, ideo'que nullum damnum fecerunt: ſed magis fructum perceperunt, etiamſi Apoſtoli labores eorum meſſuerint. Reliquum igitur eſt, ut ſi imitatus fueris exemplum prophetarum, & ſeminaueris ueram iuſticiã, percipias etiam cum meſſoribus fructum perpetuæ fœlicitatis, in Chriſto Ieſu ſeruatore noſtro, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XLI.

DIximus Samaritanam mulierem factam eſſe Apoſtolam Chriſti ad ciues ſuos: audiamus igitur nunc, quid Apoſtolico mulieris officio apud Samaritanos effectum ſit. Ex ciuitate illa, inquit Euangeliſta, multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter ſermonem mulieris teſtificantis, quòd dixiſſet ſibi omnia quæcunq; feciſſet. Cũ ueniſſent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, ut apud ſe maneret. Et manſit ibi duos dies. Ac multo plures crediderunt propter ſermonem ipſius, & mulieri dicebant: Iam non propter tuam orationem credimus. *Ipſi enim* audiuimus, & ſcimus, quòd hic eſt uerè ſeruator mundi, Chriſtus. Hæc ſi diligenter excutias, inuenies non ſolum quæ admireris, uerumetiam quæ addiſcas. De Samaritanis ſuprà dictũ eſt, quòd fuerint apud Iudæos, qui habebant nomen populi Dei, tã uanitate q; impietate infames. Vanitatis enim & incõſtantiæ fuit, ꝙ quò ſe fortuna Iudęorum, eodẽ etiam Samaritani inclinabant. Nam ſi proſper erat Iudaicarum rerũ ſucceſſus, ſimulabant ſe Iudæos: ſi uerò Iudæi infœlices erãt, non habebant capitaliores hoſtes, q; Samaritanos. Impietatis autẽ fuit, ꝙ Samaritani non ſectabantur certam religionem, ſed collecticiam è Iudæorũ & gentium ſacris: nihilominus tamen Ieſus Chriſtus diuertit ad eos, & concionatur apud eos Euangelion ſuũ, manſitq; apud ipſos duos dies. Quod certè admiratione non indignũ eſt. Deinde, ſi conferas Samaritanos cũ Iudęis, in agnoſcendo Chriſto, multo uehementius admiraberis. Nam Chriſtus multo iam tempore fuerat inter Iudęos, ac ediderat etiã aliquot inſignia miracula: non tamen uel inuitãt eum, ut apud ſe maneat, uel credunt in eũ, ſed potius uitæ eius inſidiantur. Samaritani autem unius mulieris ſermone excitati, procedunt ei obuiam magna multitudine, excipiunt eum ſumma humanitate; & quanquam nul-

Samaritanorũ ingenium.

lum

lum adhuc uidissent miraculum ab ipso editum, sed tantum aũdiuissent testimonium mulieris, & conciones Christi: attamen tantam fidẽ in ipsum concipiunt, ut ingenuè ac publicè fateantur, hunc uerum esse Christum, seruatorem mundi. Quid his rebus admirabilius? Etsi autẽ Christus uetat aliàs Apostolos in ciuitatẽ Samaritanorum ingredi, id quod suo quodam consilio fecit, uidelicet ut primùm omniũ huic adnũciaretur populo, ex quo ipse secundum humanam naturã descendebat, & ad quem præcipuè missus erat (Nõ eĩm sum missus, inquit, nisi ad oues perditas domus Israel) tamẽ tãto fauore cõplexus est Samaritanos, ut post resurrectionem suam, non solũ nominatim iubeat Apostolos concionari Euãgelion in Samarita (Eritis, inquiens, mihi testes Hierosolymis, in uniuersa Iudæa, & Samaria) uerumetiam ornet eos per ministeriũ Petri & Ioãnis, admirabilibus illis spiritus sancti donis, quibus antea Apostolos in die Pentecostes ornauerat, quemadmodum testantur Acta apostolica, capite octauo. Itaq; Samaritani quondam abiectissimi, fiunt Deo acceptissimi, & ut Euãgelion loquitur, nouissimi fiunt primi. Qua quidem re manifestè reuelatur & commendatur nobis officiũ Christi. Etsi enim impij, ut aliàs calumniati sunt Christũ, q̃ diuerteret ad peccatores & publicanos, ita potuissent etiam nunc in pessimam partẽ interpretari, q̃ recepisset se ad Samaritanos, homines uanos & infidos: tamẽ *hoc est* præcipuũ officiũ Christi, & maxima gloria eius. An' non medici officiũ, imò gloria est, q̃ accedat ad ægrotos, & suscipiat morbos eorum curandos? Multo honestius est, si medicum apud ęgrotos, quàm si ipsum in publicis conuiuijs uideas. Christus autem uenit in hunc mundum ut medicus. Et ut ipse ait, non uenit ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam. Quod de medicò diximus, idem de regibus ac principibus dicendum est. Hi uidentur quidem in magno honore esse, cũ incedunt multis satellitibus comitati, & regijs diadematis ornati: sed maximus eorum honor est, cum audiunt & iudicant causam miseræ uiduæ ac pupilli, & tuentur pastores, abiectum hominũ genus, ab incursionibus latronum. Christus autem uenit in hunc mundũ, ut seruet miseros, & tueatur abiectos. Quare, cum diuertit ad contemptos & abiectos Samaritanos, tantum abest ut præter officium suum faciat, ut tum maximè partes officij sui impleuerit, & magna gloria celebrãdus sit. Ex hoc Christi seu exemplo seu officio primùm excitãda est fides in nobis, & succurrendum imbecillitati fidei. Nam, ut nullus est hominum, qui non sit peccator coram Deo: ita nullus est, qui in tentatione non fiat sibi conscius tam imbecillitatis fidei, quàm etiam impietatis. Dicit ergo Satan: Quid? Tu' ne sperare potes, quòd Christus te agnoscat, cũ manifestè sentias te minimam ac penè nullam habere fidem, ut nihil dicam de uanitate & inconstantia, ac mutabilitate mẽtis tuę, qua toties fidem uiolasti? In hac aut simili tentatione producendũ est exemplum Christi in Samaritanis editum, & cognoscendum est officium Christi. Quicquid enim uel antè actum sit, uel adhuc reliquũ imbecillitatis nobis inhęreat, non debet nos ita perturbare, ut deficiamus à Christo, & fugiamus eum: sed potius excitare nos debet, ut eo arctius ipsum complectamur.

Medicorum honor.

Regum maiestas.

Imbecillitatis fidei remediũ.

Etenim,ut tum maximè indigemus opera medici,cũ periculosè ęgrotamus,ita tũ præcipuè ad Christum festinandum est, cum obijciuntur nobis in conscientia,coram tribunali Dei,uetera peccata, & præsens imbecillitas. Nec est metuendum, quòd qui ad Christũ uel qualicunq; fide confugit, nõ recipiatur à Christo. Qui recipit Samaritanos,tam uanos homines,quem,obsecro,accurrentẽ ad ipsum repelleret? Calamum,inquit propheta, quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. dicit & Christus ipse: Venite ad me omnes,q laboratis & onerati estis,& ego refocillabo uos. ac Paulus: Certus,inquit,sermo & dignus quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mũdũ, ut peccatores saluos faceret. Quare si te inueneris in catalogo peccatorum,non dubitũ est,quin etiam in eorum sis numero, quos Christus uenientes ad se per fidẽ,obuijs,quod aiũt,ulnis excipiat. Deinde exemplum Christi in Samaritanis editum,docet nos modestiam erga proximos. Homines eñ natura sunt κακόλογοι & maledici, ac solet alter alteri uetera sua,aut etiam familiæ suæ delicta obijcere & exprobrare. Hęc est magna inhumanitas & crudelitas. Vide enim mihi exemplum Christi. Samaritani ueniunt ad Christum,et uocant eum ad urbem suam. Quid uicissim Christus? Non obijcit eis uel maiorum illorum impietatem & incõstantiam,uel ipsorũ uanitatẽ. Non ait, Apagete,homines estis impij, leues, inconstantes & mutabiles, nihil mihi negocij erit uobiscum: sed inuitatus complectitur eos tam humaniter, quàm si nihil unquam mali designassent. Et ut dicã quod res est,etsi Samaritani hactenus multa nefanda scelera perpetrauerunt,tamen postquã recipiunt nunc Christũ,omnia ea obtecta sunt,imò deleta & absterſa. Non enim est aliud uerius iniquitatis operculũ, quàm Iesus Christus,fide acceptus. Hypocritæ multa alia opercula quærunt, hic certa ieiunia, ille certas precatiunculas: hic peregrinationem ad sepulcra sanctorum, ille abstinentiam ab esu carnis. Adam assumebat perizoma ex foliis ficus cõsutũ,ut esset iniquitatis suæ operculum. Hæc autẽ omnia nunq; tam probè tegunt hominẽ, quin appareat nequam, & transluceat iniquitas. Solus Christus operculum illud est, quo iniquitas uerè etiam corã Deo & iudicio eius obtegitur ac deletur. Nõ enim existimandũ est, quòd Christus sic tegat peccata nostra,quemadmodum nonnunq; impij & hypocritæ dissimulant & abscondunt scelera sua honesta quadam specie corã hominibus, cum interim maneãt in sceleribus suis,& perpetrẽt ea occultè: sed Christus ita operit peccata nostra,ut quod præteritũ est, condonet: quod in præsentia adhuc reliquum est imbecillitatis in carne,nõ imputet,ac det spiritum sanctũ, quò & futura scelera pro uocatione nostra, & quantũ in hac corporali uita fieri potest,uitare queamus. Propitiabor,inqt, iniquitati eorum,& peccati eorũ non memorabor amplius. & iterum: Reuertet, & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. Audi ergo maledice: Qui quondã peccauit,fieri potest,ut resipuerit, & consecutus sit remissionẽ peccati à Deo propter Christũ. Vidisti peccatũ, Deus aũt uidit resipiscẽtiã,et oblitus est peccati eius. Quę est ergo illa immanitas, q cũ Deus ipse

Iniquitatis operculũ Christus.

Hier.31. Mich.7

ipſe non uelit meminiſſe peccatum illius, tu de eo in omnibus tonſtrinis declames? In cœlo magnum eſt ſilentiũ de hoc peccato, & tu tanto clamore audes hoc in terra uulgare? Hoc nõ eſt hominis, ſed Satanę negocium, cuius & membrum eſt, & hæres, maledicus. Ac finge mihi illum, cui tu exprobras uetera delicta, nondum egiſſe pœnitentiam, ne tamen ſic quidem licet tibi maledico eſſe. Tu enim quis es qui iudicas de alieno ſeruo? Proprio Domino ſtat aut cadit. Nolite, inquit, cõdẽnare, ut non condemnemini. Cur uides feſtucam, quę eſt in oculo fratris tui, trabem autem, quæ eſt in oculo tuo nõ animaduertis? Tu fide cõſtitiſti, ne efferaris animo, ſed timeas. Nã ſi proximus, qui eſt caro tua, cecidit, fieri poteſt, ut & tu cadas. Quare præterita delicta nõ ſunt proximo exprobrãda, ſed imitandũ eſt exemplum Chriſti, & tegenda ſunt aliena peccata coram hominibus, ut & noſtra per Ieſum Chriſtũ, in conſpectu Dei tegantur. Poſtremò obſeruandũ etiam eſt, quòd Samaritani de Chriſto prædicant: Ipſi, inquiunt, audiuimus & ſcimus, quòd hic eſt uerè ſeruator mundi, Chriſtus. Hæc eſt inſignis confeſsio de Ieſu Chriſto, & ſumma totius Chriſtianæ religionis. Multi fuerũt, qui iactarunt ſe Meſsias & ſeruatores, ſed hi ſeipſos ſeruare non potuerunt: hic autem Ieſus, uerus eſt Meſsias, uerus ſeruator. Et eſt ſeruator nõ Iudæorum tantũ, ſed MVNDI, hoc eſt, Samaritanorum, & omnium gentium in toto orbe terrarum: nec honeſtorum tãtum, ſed etiam inhoneſtorum, & abiectorum hominum, ſi modò ipſum per fidem agnoſcunt. Non enim tantum honeſti, ſed & inhoneſti & peccatores ſunt pars huius mundi. Quare Ieſus etiam horum ſeruator dicitur. Seruat autẽ hic Chriſtus, nõ pro more terreſtrium monarcharũ, ſed pro more cœleſtis regis. Expiat enim peccata, & reconciliat nos cũ Deo patre ſuo, ut adoptemur ab ipſo in filios & hæredes bonorum ſuorum. Expiato autẽ peccato, & aſſecuto iure cœleſtis hæreditatis, nulla calamitas tam grauis eſt, nulla mors tã terribilis, quæ poſsit nobis incommodum afferre. Nihil ergo nobis in hac terra prius, nihil poſterius agendũ eſt, q̃ ut hunc uerum ſeruatorem ſeruemus. Sed reuertemur nũc cũ Ieſu, & diſcipulis eius à Samaria ad Galilæam. ſic enim ſequitur: Poſt duos autem dies exĳt inde, & abĳt in Galilæã. ipſe enim Ieſus teſtatus eſt, quòd propheta in ſua patria honorem non haberet. Quid? ſi propheta nõ habet honorem in ſua patria, cur ergo Ieſus redit in Galilæam, quæ erat quaſi patria eius, propterea q̃ fuerat in Nazareth, urbe Galilęæ educatus? Sed quod Euangeliſta de patria Ieſu dicit, non eſt intelligẽdum de tota regione Galilęæ, ſed de una tantum urbe Nazareth. Sgnificat enim, q̃ Ieſus in profectione ad Galilæam, uel non diuerterit ad patriam ſuam Nazareth, uel q̃ non diu ibi manſerit, ſed contulerit ſe ad alia loca Galilęæ, propter impietatẽ & crudelitatem ciuium Nazarethanorum. Nam quãtum flagitĳ Nazarethani commiſerint in Ieſum ſuum ciuem, Lucas copioſè deſcripit cap. quarto. Cum enim Ieſus ſuſcepiſſet adminiſtrationem officĳ ſui, uoluit præ alĳs urbibus, etiam patriæ ac ciuibus ſuis benefacere. Itaq; diuertit ad eos, & concionatur eis Euangelion, ac offert ſe ad edenda miracula, hoc eſt, ad curandos ægrotos, & afflictos. Sed hi in tantum non receperunt

Ieſus ſeruator non unus tantũ hominis, ſed mundi.

Nazarethanorum ciuũ crudelitas in Ieſum.

eum,ut initiò deriſerint ipſum, atq; cõtempſerint. Non enim cõſidera-
bant in ipſo,quòd natiuitas eius magnis miraculis eſſet illuſtrata, quòd
publico ſpiritus ſancti, & Ioannis baptiſtæ teſtimonio eõmendatus eſ-
ſet,quodq; doctrina eius cœleſtibus miraculis cõfirmaretur: ſed his ne-
glectis conſiderabant in ipſo, quòd eſſet natus ex familia quõdam qui-
dem iluſtri,nunc autem contemptiſsima & abiectiſsima: quòd haberet
tenues & inopes cognatos, quòd eſſet pauper,quòd nulla prorſus potẽ
tia inter homines præditus eſſe uideretur:ac fortaſsis uiderãt ipſum ali-
quoties parentem ſuũ,in extruendis ædificijs(Ioſeph enim erat τέκτων)
adiuuare. Hæc & id genus alia,cum ſibi ob oculos ponerent, cogitabãt
id quod Chriſtus ipſe commemorat,Medice, cura teipſum:hoc eſt,ſi is
tantæ eſt autoritatis,quantam de ſe iactat, cur nõ facit cognatos ſuos lo
cupletes? (uulgus enim non niſi diuitias admirari ſolet) cur non reſti-
Mundus conſi derat externã ſpeciem, non dona Dei. tuit familiam ſuã in eum ſtatum,in quo erat tempore Dauidis aut Salo
monis? cur non recuperat regnum à maioribus ſuis amiſſum? Hæc cum
nõ faciat,ac ne ſeipſũ quidem & familiam ſuam ſeruare poſsit, quomo-
do nos aut alios ſeruaret? Habes riſum et contemptum,quo Nazaretha
ni Ieſum ciuem ſuum exceperunt. Hoc autem uſitatum eſt uitium homi
num,quod quæ maximè in altero conſideranda eſſent, ea magna negle
ctione prætereãt: quæ uerò prætereũda eſſent, ea ſola ſibi ob oculos cõ
ſpicienda ponunt. Maritus, exempli gratia, conſiderat in uxore ſua,nõ
q; ſit donum Dei,non quòd ſit adiutorium marito diuinitùs datum, nõ
quas habeat uirtutes:ſed conſiderat tantum uitia eius,& imbecillitates,
quibus aliquoties ipſi moleſta eſt. De his ſolum cogitat,de his tantũ lo-
quitur,& declamitat. Ac uiciſsim uxor non conſiderat in marito ſuo, q;
maritus ſit diuina autoritate caput ipſius, q; autoritas mariti tueatur i-
pſam,quòd multa alia beneficia propter maritũ cõſequatur: ſed cõſide-
rat tm̃ uel duriciem,uel importunitatem,uel alia quædam incõmoda in
marito,de quibus omnia paſsim loca querelis ſuis implet. Sic magiſtra-
tus in ſubditis,& parentes in liberis,ac uiciſsim ſubditi in magiſtratu,&
liberi in parentibus uitia tantum,& maleficia, nõ autem uirtutes & be-
neficia conſpicere ſolent. Hæc rerũ cõſideratio,ut eſt præpoſtera & ini
qua, ita occaſio eſt multorum malorum. Nam, quẽadmodum Nazare
thani debuiſſent in ciue ſuo conſideraſſe non externã illam perſonę hu
militatẽ,ſed dona Dei,quæ magno honore proſequenda fuiſſent:ita exi
git Deus, ut quas ipſe uirtutes in proximo conſpiciendas proponit,nõ
quæ in eo uitia celanda tolerat,aut quas imbecillitates ſuo quodam cõſi
lio ferendas imponit,conſideremus & aſſectemur. An non in ueſtitu in
duẽdo ſolemus ea quæ ſunt in ueſte aſpectu iniucũda & uilia introuer-
tere,quæ autem ſũt precioſa & oculis delectabilia palàm oſtẽtare? quin
nõ eadem prudentia utimur homine proximo noſtro, præſertim cũ no
bis duinitùs ſit propoſitus,ut in eo imaginẽ & ſimilitudinem Dei agno-
ſcamus? Cæterũ, q; Chriſtus maluerit in humili uitæ genere uerſari, q;
regia maieſtate in hoc mundo inſignis eſſe, ſuo quodam eoq; diuino cõ-
ſilio factum eſt: quod potuiſſent Nazarethani optimè cognoſcere,ſi tã
ſtudioſi fuiſſent prophetarũ,quàm uentris,de qua re nunc nõ eſt dicẽdi
locus.

locus. Deinde Nazarethani nõ ſolum derident Ieſum ciuem ſuum, ſed etiam eĩciunt eũ magno impetu ex urbe ſua, ut præcipitarent ipſum è ſupercilio mõtis, quemadmodum Lucas ſcribit. Hæc eſt maxima crudelitas. Ieſus enim reprehenderat tantum cõtemptum ipſorũ duobus exemplis, Eliæ uidelicet, ac Eliſæi: ipſi uerò ſic ira exardeſcunt, ut eum de uita quoq; tollere conentur. Quæ eſt iſta immanis barbaries? Et tamen tãta eſt bonitas Chriſti, ut nõ uiciſsim graſſetur in ipſos uel fulmine uel grandine: ſed relinquat ipſos ſuæ impietati, & deſerat eos, expectãs reſipiſcentiam ipſorum, hoc tãtum teſtatus, prophetam in ſua patria honorem nõ habere. Quid ergo? Chriſtus ne exigit à ciuibus ſuis honorem? Ambitioſi quærunt quidem externum & carnalem honorem, Chriſtus autem non hoc quærit, ut ciues corã eo adhuc in carne hac uiuẽti, genua ſua flectant: ſed quærit honorem prædicatori Euangelij debitũ, uidelicet fidem auditorum, & obedientiã erga Euangelion: quem honorem cum non poſſet apud ſuos Nazarethanos cõſequi, diuertit ad reliquos Galilæos, quibus aduentus eius ualde gratus erat. Sic enim ſequit: Cum ergo uenisſet in Galilæam, exceperunt eũ Galilæi, cum omnia uidiſſent, quæ fecerat Hieroſolymis in die feſto: & ipſi enim uenerant ad diem feſtum. Teſtantur & alij Euangeliſtæ, q̃ Chriſtus frequenter & libẽter in Galilæa uerſatus ſit, ac etiam cœperit in ea prædicare Euangelion ſuũ.

Honor prædicatorum.

De qua re idcirco admonemur, primùm, ut et hoc ſigno cognoſcamus, *hunc* Ieſum uerum eſſe Chriſtum, de quo Prophetæ uaticinati ſint. Nõ enim Galilæi tantum uiderunt Ieſum ſuo tempore miracula edere, et Euangelion cõcionari, ſed etiã ſpiritus ſanctus uidit eum multis annis anteqũ aſſumſiſſet hominem, Galilæam doctrina & miraculis illuſtrare. Eſaias enim ita dicit: Primo tempore cõtempta fuit terra Zabulon & terra Nepthalim, nouiſsimo aũt tẽpore glorificata eſt uia maris trãs Iordanẽ Galilęæ gentiũ. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Cum autem præter alia uaticinia, etiã hoc in Ieſum filium Mariæ natum ex ſemine Dauid competat, manifeſtum eſt, quòd ſit uerus ille ſeruator mundi, quem Prophetæ nobis commẽdarunt. Deinde admonemur de hac re, ut cognoſcamus hunc Ieſum Chriſtum eligere abiecta & humilia, quo homines abiecti, de ſalute ſua per Chriſtũ bene ſperent. Quæ eñ urbs, quæ regio fuit tempore Chriſti magis inſignis inter gẽtes, q̃ Roma? & inter Iudæos, quàm Hieruſalem? attamen Chriſtus maluit in Galilæa, regione hactenus ignobili & contempta, quàm in Roma aut Hieruſalẽ prædicationẽ Euãgelij ſui inchoare. Hac re non uoluit ſignificare, ſe in hoc uenisſe, ut quaſi uis obſcuras in terra regiones externa maieſtate illuſtret, ac corporale regnum in eis adminiſtret: ſed ut hoc argumẽto probet, ſe abiectos et neglectos homines magno fauore complecti, et ſeruare eos in ſummis periculis et aduerſis, ſi modò accipiant ipſum per fidẽ. Non eſt autem maius periculum, quàm mors: nec abiectior aut contemptior uidetur homo, quàm cum mortis tyrannide apprehẽditur. In hoc enim periculo, etſi fortaſsis amici lugent & cõdoleſcunt, tamen morientem nec adiuuare, nec in uita retinere poſſunt. Ac finge nonnullos com-

Abiecta eligit Deus.

mori, tamen ne hi quidem morientem suo periculo leuant. Itaq; omnes homines deserunt morientem, quamuis amicissimum, quamuis etiã totius terræ monarcham. Quid igitur abiectius, quid magis desertum homine moriente? At bene habet, quem homines deserunt, eũ haudquaquam deserit Christus filius Dei, per fidem acceptus: qui hoc nomine, hoc epitheto gloriatur, q; respiciat humilia, & eligat abiecta. Cõplectamur igitur filiũ Dei, & obediamus uocationi Euangelij eius, ut cùm in omnibus periculis, tum in morte per ipsum clemẽter & potenter seruemur, qui est Iesus Christus Dominus noster, unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLII.

PRofecti sumus unà cum Iesu Christo seruatore nostro è Iudæa in Samariam, in qua uidimus, quanta beneuolentia Samaritani Iesum exceperint, & quanta fide ipsum complexi sint: deinde profecti sumus cum ipso è Samaria in Galilæam. Videamus igitur nunc, quid mirabiliũ rerum ab ipso in Galilæa gestum sit. Commemorat autem Euangelista Iesum edidisse in Galilæa insigne atque obseruabile miraculum in filio Regij cuiusdã Capernaitæ. Ac priusquam hoc miraculum explicemus, admonendi sunt auditores, quòd huiusmodi narrationes Euangelistarum, de miraculis à Christo editis, lõgè alia obseruantia, & animi attentione cõsiderandæ sint, quàm historiæ Ethnicorum. Hi enim non semper laborarunt, quàm uerè, sed quàm disertè, quàm ornatè et eloquẽter dicerent: ac ex narrationibus eorum ciuilẽ tantũ fructum capimus, nisi si quando hæ sacrarum literarum administræ fuerint. Euangelistę autẽ hoc maximè omnium egerunt, ut uera & certa scriberent, & habent nõ Ecclesiam tantũ suorum temporum, sed etiam innumeros alios spectatores, narrationum suarũ testes. Præterea quæ de doctrina & miraculis Christi scripserunt, ea non solũ ipsi, uerumetiam multi alij tanta constantia affirmarunt, ut maluerint sanguinem suũ profundere, quàm ueritatem illã certissimè cognitam negare. Huc accedit, quòd hę narrationes sint tantus Ecclesiæ thesaurus, ut ex ipsis capiamus non ciuilem illũ & periturum, sed cœlestẽ & æternũ salutis nostræ fructum. Audi quid Euangelista noster propè in fine huius libri dicat: Multa, inquit, alia signa fecit Iesus, quæ nõ sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt. Ob quam, obsecro, causam? num ut in his seu legendis, seu audiẽdis traducamus tempus, & consumamus ociũ? Nihil quidem pio homini iucundius lectu est: non autem scripta sunt, ut tantum ciuilem uoluptatẽ afferant, sed ut CREDATIS, inquit, quòd Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes VITAM HABEATIS per nomen eius. Hic est spiritualis fructus. Hæc est cœlestis ac perpetua utilitas. Inter illa autem signa, quæ Euangelistæ commemorant à Christo edita, non postremum locum obtinet hoc, quod Ioannes in filio Regij Capernaitę editum esse scribit. Quare in hanc curam incumbendum nobis est, ut quod Christus ad consulendũ saluti nostræ gesserit, hoc omni studio cognoscamus. Venit ergo (inquit Euangelista) Iesus iterum in Cana Galilęæ,

Historiæ gentium, ciuilem fructũ habent.

Historiæ sacræ usus.

lilçæ,ubi fecerat ex aqua unum. Et erat quidam Regius, cuius filius in- «
firmabatur Capernaum. Hic cũ audiſſet, ꝙ Ieſus aduenisſet à Iudæa in «
Galilæã,abijt ad eum,& rogabat eum, ut deſcenderet, ac ſanaret ipſius «
filium: ſiquidem is agebat animã. Principiò,hic Capernaita,cuius filius «
laborabat febri,quemadmodum Euangeliſta poſtea ſignificat,uocatur
Regius,ſiue ꝙ eſſet generis regij,ſiue miniſterij regij. Quod utcunꝙ ſe
habeat,certè apparet eum fuiſſe uirũ magna dignitate & autoritate prę
ditum. Deinde,hic uir Regius,rectè quidẽ ac piè facit, quòd in ægrota-
tione filij ſui accedat ad Ieſum,& imploret auxiliũ eius: ſed quia mox re-
prehenditur à Chriſto,peccata eius diligenter cõſideranda ſunt,ut ex a-
lienis peccatis,noſtra corrigamus. Vnum eſt,ꝙ Regius non prius inuo *Regij peccata.*
cat opem Chriſti,cꝙ cum filius eius ageret animã, & in extrema eſſet ne-
ceſsitate(antè enim quàm filius periculoſè ægrotaret, nullã uidetur ha-
buiſſe rationem Chriſti) ſed tum demum feſtinat ad Chriſtũ, periculũ
artis eius facturus, cum uidet nihil aliarum rerum poſſe filium ſuum iu-
uare. Hoc eſt uulgare inter homines uitium. In ſanitate nullam aut igna
uam habent curam inuocationis diuini auxilij: in extrema autẽ ægrota-
tione, cũ omnia humana prius tentauerint, nec quicquã adiuti fuerint,
tum uel tandẽ attollunt oculos ad cœlum (ſi tamen id faciant) & ut ui-
deãtur *diuinũ* auxilium petere,petunt communionem cœnæ Domini-
cæ,idꝙ cum iam animã efflant: quale quid faciebant quondam, qui nõ
accipiebant baptiſmũ, niſi mox ſpiritum exhalaturi, quos uocabãt κλι- *Chriſtiani Clinici.*
νικούς. Non eſt quidem unꝙ, ne in extrema quidẽ neceſsitate à Deo de-
ficiendum, & de ſalute deſperandum, quemadmodũ mox docebimus:
ſed hæc ignauia & ſocordia, quòd non requiramus diuinum auxiliũ, ni
ſi in extrema neceſsitate,reprehenſione digniſsima eſt. Etſi enim nõ ſem
per percipimus præſenti ſenſu extremam & ſummam neceſsitatẽ, ea ta-
mẽ ſemp præ foribus noſtris accubat, & capitibus noſtris imminet. Si-
ue ſani ſumus,ſiue ſaturi,ſiue in dignitatibus huius ſeculi conſtituti,ſiue
poteſtate inter homines prædiți,ſemper manent nos maxima pericula.
Etenim natura noſtra nunꝙ non geſtamus in nobis peccatũ, in quo &
concepti ſumus & nati,& quod etiam noſtris ſceleribus cumulauimus.
Vbi autem eſt peccatũ,ibi ſunt & ſtipendia peccati,hoc eſt, mors & in-
fernus:quæ etiamſi hoc temporis momento nõ ſentiuntur reipſa, tamẽ
in ſinu noſtro ita præſtò adſunt propter peccatum, ut reuelatio eorum
nunquã non ſit nobis expectanda. Nam quẽadmodũ prægnãs mulier,
cum appropinquauerit tempus partus, etſi nõ ſentit hac hora dolorem
partus,ſed potius conuiuatur & ridet:neceſſe tamen habet quouis mo-
mẽto incurſum doloris expectare,quia fœtus, quẽ geſtat,maturus eſt:
ita omnes homines quia natura ſua prẽgnantes ſunt peccato,ſunt etiam *Homines ſunt prægnãtes peccato & inferno.*
prægnantes ſtipendijs peccati,morte & inferno:quæ etiãſi in præſentia
non ſunt moleſta,ſemper tamen ius inuadendi nos habẽt,& ſolẽt in ho-
mines,cum ſunt ſeuiſsimi,& longè aliud cogitantes, incurrere,aut po-
tius ſeſe reuelare. ad Cainũ dicitur,Si malè egeris,ſtatim in foribus pec-
catum aderit:hoc eſt,etiamſi peccatũ non ſtatim puniatur, iudicium ta-
mẽ, & ſuppliciũ eius prę foribus eſt,& ſuo tẽpore patefiet. & Paulus:

Per

Per peccatũ, inquit, peruasit mors in omnes homines. Cum igitur quouis tẽpore impendeat ceruicibus nostris summa & extrema necessitas, semper nobis in hanc curam incumbendum est, ut siue sani siue ægroti, nomen Domini ex fide inuocemus, & salutem nostram clementiæ eius per Iesum Christum uerum seruatorem nostrũ, commendemus. Alterum peccatũ Regij est, ꝙ etsi sentit Christum posse filio suo opem ferre, tamen perspicuè indicat se non credere, ꝙ Christus possit filium absentem, aut mortuum seruare: ideoq; urget eũ, ut festinet, ac descendat ad Capernaum, priusq; filius moriatur. Est & hoc peccatum inter homines uulgare. Alius em̃ in ægrotatione putat Deũ non iuuare, nisi ostendat externam medicinam: alius in rerum penuria existimat Deum non seruare egentes, nisi proponat abundantiam frumenti & uini. Sunt qui opinantur, eos tantum diuino auxilio conseruari, qui euadunt pericula mortis mirabiliter, ne moriantur. Cæterùm, eum qui moritur, sentiunt à Deo nõ esse adiutũ. Hæc est maxima fidei imbecillitas, quæ propemodum nihil ab incredulitate differt. Nam Dñs Deus noster est omnipotens rerũ administrator, qui pios, inuocantes ipsum ex fide, seruet in rerum penuria, tã sine frumento, q̃ frumento: & in ægrotatione tam sine externis medicinis, quàm medicinis. Deniq; eiusce modi est seruator, ut tueatur pios in media etiam nũ morte & putrefactione, quo & uiuãt cũ Christo, & excitentur suo tempore ad percipiendã etiã corpore perpetuã fœlicitatẽ: tm̃ abest ut qui moriuntur, non adiuuentur à Deo. Idem sentiendũ est de Christo filio Dei, qui cum sit diuina potentia & maiestate patris sui præditus, iuuare potest non solũ præsens præsentẽ, sed etiã absens absentem: seruare item potest, tam imposita manu, q̃ solo uerbo dicto. Quare reprehendit hanc incredulitatem Regij, & dixit ad eũ: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Hæc est grauis reprehẽsio, qua non Regius tantum, sed etiam Iudæi & Galilæi perstringuntur. Nam quod ad Regiũ attinet, etsi audiuit doctrinam Iesu, & quanta miracula Iesus ediderit tã in Cana Galilęæ, q̃ in Hierusalem: tamen his signis non ita mouetur, ut rectam fidem in Iesum concipiat, nisi plura & maiora signa uideat. Nam si suscepisset accuratam cõsiderationẽ de doctrina Iesu, et de miraculis, quę tã de Iesu in natiuitate eius, quàm ab ipso Iesu paulo antè edita fuerãt, potuisset facilè cognoscere, eum esse uerum Messiã, seu Christum per prophetas promissum. Quòd si est Christus, certè filius Dei est, sedẽs ad dextram Dei patris sui, & omnia ei subiecta sunt. Hoc em̃ scriptura de Christo testatur: Dominus, inquiẽs, dixit ad me, filius meus es tu. & iterũ: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. ac rursus: Gloria & honore coronasti eum, cõstituisti eũ super opera manuum tuarum, omnia subiecisti sub pedibus eius. His certè scripturę testimonijs, si diligẽter expẽdas, spiritus sãctus tribuit Christo æqualem maiestatem & omnipotẽtiam cum Deo patre suo. Quare si Iesus est Christus, manifestũ est, ꝙ possit filium febri laborantem, nõ solum corpore præsens, & imposita manu, sed etiã absens & solo uerbi sui mandato seruare, imò etiam mortuũ excitare. Hęc est uera de Iesu fides, quam cũ nõ habeat hic Regius, meritò reprehenditur. Sed cũ eam

Deus seruat uarijs modis.

»

Christi maiestas.

aliàs

aliàs habeat Centurio, qui dicebat, Tantũ dic uerbũ, & ſanabitur famulus meus, haud immeritò pleno ore à Chriſto cõmẽdatur. Quod aũt attinet ad Iudæos & Galilæos, ac præſertim ciues Nazarethanos, digni ſunt prę Samaritanis ſeueriſsima reprehẽſione. Samaritani em̃, quẽadmodum paulo antè explicatũ eſt, cum nulla uidiſſent ſigna & prodigia à Ieſu edita, ſed tantũ audiuiſſent doctrinam eius, tantam in ipſum fidẽ concipiunt, ut publicè & ingenuè fateãtur eum eſſe Chriſtum, ſeruatorem mundi. Et quanq̃ mulier cõmemorauerat de ipſo, q̃ narraſſet ei occultas uitæ ſuæ actiones: Samaritani tamen dicunt, Iã nõ propter tuam orationem credimus. Ipſi enim audiuimus & cognoſcimus, q̃ hic eſt uerè ſeruator mundi, Chriſtus. Iudæi autem & Nazarethani, etſi non ſolũ doctrinam Euangelij eius ſæpenumero audiuerant, ſed etiã quædam iã ſigna & prodigia uiderant, tamen ne ſic quidem credunt eum eſſe uerũ Chriſtum, niſi ea faciat ſigna & miracula, quæ ipſi pro ſuo arbitrio exigunt & præſcribunt. Quare haud iniuria etiã ipſi, unà cum Regio, propter incredulitatẽ reprehẽdũtur: nec immeritò Samaritanis inferiores habẽtur. Sed Regius pergit urgere Chriſtum, ut uelociter deſcẽdat. & dicit: Domine, deſcẽde, priuſq̃ moriatur filius meus. Hic magis prodit Regius ſuam ſeu incredulitatẽ, ſeu fidei imbecillitatem. Quid enim de Ieſu ſentis? cur ſic eum urges? An' nõ credis eum poſſe ſeruare filium, etiamſi non deſcendat? etiãſi filius moriatur? Sed hoc eſt ingeniũ eorum hominũ, qui non habent rectã de Deo, aut filio eius fidem. Inſtant, urgent, & feſtinant. Nec urgent promiſsionẽ Dei, aut clementiam & potentiam eius, ſed urgent eum ſubueniendi modũ & rationem, quam ipſi excogitarunt, ac Deo preſcripſerũt, et quaſi mandarũt. Hoc certè nõ eſt Deũ ex uera et obedienti fide inuocare, ſed eſt ferè aduerſus Deum tumultuari. Deinde Regius prodit etiam hac uoce magnitudinẽ doloris ſui, quẽ propter morbũ filij in animo ſuo cõceperat. Non. n. ſic urſiſſet Ieſum, niſi ſummo & incredibili, ut eſt natura parẽtum erga miſerias liberorũ, dolore affectus eſſet. Cũ igitur Chriſtus intelligeret nõ minus Regiũ imbecillitate fidei & dolore animi, q̃ filiũ morbo corporis ęgrotare, ſuſcipit ambos curãdos. & dicit ei: Vade, filius tuus uiuit. Vno hoc dicto ſanat Chriſtus duos, parentẽ uidelicet, ac filiũ: alterũ quidem animo, alterum aũt corpore ægrotũ. Nam parens concipit ueram fidem, & doloris ſui leuationem, filius uerò liberatur febri, quemadmodum mox ſequitur. Hic ergo conſiderandum nobis eſt, quanta beneuolẽtia Chriſtus cõplectatur Regiũ, & quo modo filiũ eius ſanitati reſtituerit. Nam hic Regius non affert ad Chriſtum ueram fidẽ, ſed tm̃ ſcintillam quandam fidei: ac nõ fuiſſet indignus, qui propter importunitatẽ ſuã à Chriſto repelleretur: ſed tantum abeſt, ut Chriſtus abijciat eũ propter fidei eius imbecillitatem & importunitatẽ, quam doloris magnitudo extorſerat, ut tanto clementius eũ ſuſcipiat, quanto maior eſt imbecillitas fidei, & dolor animi eius. Venit enim Chriſtus, nõ ut miſeros opprimat, ſed ut ſeruet. Calamum, inquit, quaſſatum non conteret, & linum fumigans nõ extinguet. & iterũ: Spiritus Dñi ſuper me, eo q̃ unxerit me, ad prædicandũ humilibus miſit me, ut mederer cõtritis corde, & prædicarem

Incredulitas feſtinat.

Imbecilles fide Chriſtus ſuſcipit.

rem captiuis liberationem. Vide mihi, quãta fuerit imbecillitas fidei in Petro ambulante ſuper aquas, ut ueniret ad Ieſum, quemadmodum in Matthæo cap. decimoquarto ſcriptum eſt? Nam cũ Petrus uideret uẽtum magno impetu in ſe ferri, ita dubitare cœpit, ut etiam mergeretur. Quid ergo fecit Chriſtus? Reprehẽdit quidẽ Petri dubitationem: Modicæ, inquiens, fidei, cur hæſitabas? non autẽ ſubmergit eum, ſed apprehendit eũ extenta manu, & ſeruat. Quid parẽs ille apud Marcum? Credo, inquit, Domine, ſuccurre incredulitati meæ. Hic ingenuè cõfitetur fidei ſuæ imbecillitatem, & tamen filius eius ſanatur. audi & Thomam: Niſi uidero, inquit, in manibus eius ueſtigium clauorum, & mittã manus meas in latus eius, non credam. Sed intantum nõ abijcitur propter hanc incredulitatem, ut Chriſtus ſuſcipiat propter ipſum admirabile genus reuelandæ & cõfirmandæ ſuæ reſurrectionis. Hoc officium Chriſti idcirco nobis explicatur, non ut approbemus imbecillitatẽ fidei, & blandiamur nobis in ea, ſed ut poſsimus reſiſtere diabolo in die malo. Deus enim adoptauit nos per Ieſum Chriſtum, in filios & hæredes bonorum ſuorum, & habemus propter Chriſtũ ius cœleſtis regni. Sicut autem magno labore cõſtat magiſtratum urbis, ut conſeruet ac tueatur iura ciuitatis ſuæ aduerſus finitimos regulos: ita magnæ molis eſt tueri ſpirituale ius cœleſtis regni aduerſus Satanam. Hic enim ſolet nobis coram tribunali Dei in conſcientia noſtra obijcere peccata noſtra: Tu, inquiens, peccator es, damnaberis igitur. Quod ſi tũ refutemus obiectionem eius, ac dicamus, nos non eſſe damnatos, propterea quòd Chriſtus, in quem credimus, expiauerit peccata noſtra: ſtatim excipere ſolet hãc uocem, & in nos retorquere, Rectè, inquiẽs Chriſtus expiauit peccata, ſed eorum qui credunt in eum: tu uerò non credis in eum, aut habes tã imbecillem fidem, ut ea ab incredulitate nihil differat. Pone tibi ob oculos ueteres illos ſanctos, Abrahamũ, Eſaiam, Paulũ, & alios qui habuerunt magnam & heroicam fidem, ac multa admiranda opera ex fide ſua fecerunt. Quorum cum nihil in te inuenias, quid reliquum eſt, quàm ꝙ ſis perpetuæ dãnationi obnoxius? In hac aut ſimili conſcientiæ diſputatione primùm diligenter cognoſcendum eſt, quòd inueniamus gratiã apud Deum patrem, per fidem quidem: non autem propter fidẽ (hęc enim nũquam eſt in hac mortali carne perfecta) ſed propter Chriſtum, qui fide, etiam imbecilli accipitur. Infirma quidẽ eſt fides, ſed nõ eſt infirmus Chriſtus, qui per fidem accipitur. Deinde cogitandũ eſt exemplum huius Regij, & alia quę ſuprà de officio Chriſti diximus. Ex his enim intelligimus, Chriſtum nõ abijcere imbecilles in fide, ſed potius eos ſeruare ac tueri. Quæ ſi forti & conſtanti animo retinuerimus, eã reportabimus uictoriam, non quidẽ, qua expugnamus Conſtantinopolin Turcarum: ſed quod maius, & ſaluti noſtræ plus neceſſarium eſt, infernum Satanarum, & intramus in ciuitatem angelorum, cũ Chriſto filio Dei & omnibus ſanctis, perpetuò & fœliciter uicturi. Cæterùm, nõ eſt tantum in hoc Regio conſiderandum, qua beneuolentia complectatur eum Ieſus, ſed quo etiam modo reſtituat filiũ eius ſanitati. Ablegat eum à ſe, Vade, inquiens. Nec ipſe proficiſcitur cum eo, nec dat ei aliquã medicinam,

Satanæ tentatio de imbecillitate fidei.

Infirma fides, ſed non infirmus Chriſtus.

medicinam, nec docet eũ, quid remedij filio aduersus febrim admouere debeat: sed tãtum proponit ei nudum uerbum, Filius tuus uiuit, hoc est, ualet & sanus est. Hæc est uetus Dei consuetudo. Nam quemadmodum Christus non proficiscitur corporali incessu cũ Regio, sed tantum dicit ei uerbum, Filius tuus uiuit, quo Regius cõtentus esse debuit, sicut & fecit: ita in administratione Ecclesiæ suæ non solet se suis uisibilem comitem adiũgere, aut externa auxilia proponere, sed dicit uerbũ, promittit se præstò adesse: quod fide excipiendũ est, & ex ea uocationi non aliter obediendum, quàm si Christus coràm uisibilis, & manibus tractabilis astaret. Misit quondã Mosen in Ægyptum, ad liberandos Israelitas: Veni, inquiens, mittam te ad Pharaonem, ut educas populum meum filios Israel ex Ægypto. Quid ergo? num profectus est unà cum Mose uisibili specie? an adiunxit ei exercitum militũ? Minimè omnium. sed dicit ei uerbum: Ego ero tecum. Et hoc uerbo amandat eum ad Ægyptũ. Sanctificauit quondam Hieremiam in prophetam, ut prædicatione sua euelleret, destrueret, disperderet, dissiparet, ędificaret et plãtaret regna. qubus uiribus? quo exercitu? Num comitabatur eum externa forma? Nihil minus. sed dicit ei uerbum: Tecum ego sum, ut eruam te. Misit etiam Apostolos in totum orbem terræ, ut prædicarent Euangelion suum: hoc est, ut demolirentur omnes gentium religiones, & instituerent ueram Dei cognitionem per Christum, inter medios hostes Dei. Non autem proficiscebatur cum ipsis uisibili specie, nec tradebat eis externã manum militũ: sed dicebat uerbum, Ecce uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi. Vocamur & nos per Euangelion ad accipiendã hæreditatem perpetuæ iusticiæ & uitæ in cœlesti regno. Sed quid fit? num Christus peccatũ & mortem è carne nostra ita euellit, ut ea nõ sentiamus? Profectò minimè. Sinit eñ peccatum in carne nostra hærere, & nos morte affici: sed dicit uerbũ, Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Hoc est uerbum, hoc est Euãgelion, quo cum Christus ipse nobis donetur, ita cõtenti esse debemus, ut etiamsi morte ipsa arripiamur, credamus tamen nos in Christo & propter Christum uiuere. Nec sentias, uerbum Dei imbecillius esse, quàm ut queat extremis periculis obiectum seruare. Etsi enim apparet nudũ esse & imbecille, ac omnium hominum ope destitutũ, tamẽ habet à parte sua omnes angelos, Deum ipsum, patrem, filium & spiritum sanctũ: quo quid est fortius, quid potentius? Quare perdurandum est in fide uerbi Dei, etiamsi omes creaturæ in cœlo & in terra diuersum sentire uideantur. Proponamus nobis ob oculos exemplũ huius Regij nostri, de quo ita sequitur: Credidit homo sermoni, quem dixerat ei Iesus, & ibat. Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerũt dicentes: Filius tuus uiuit. Scisciatus est autem horam ab eis, in qua melius habuisset. & dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quòd illa hora erat, in qua dixisset sibi Iesus, Filius tuus uiuit. et credidit ipse, & domus eius tota. Vidimus antea in Regio exemplum incredulæ, ut ita dicam, fidei. Videamus nũc in eo exemplum

Deus comitatur pios per uerbum.

Verbi Dei comitatus.

rectæ ac ueræ fidei. Nam Regius audit à Christo, Filius tuus uiuit, hoc
Regius est ueræ fidei exemplum.
est Regio iucundissimũ Euãgelion. Primùm igitur, etsi reliquerat domi filium agentem animam, nec uidebat eum coràm incolumem: tamen quia excepit hoc uerbum, ut uerbum Messiæ, filij Dei, & cœleste Euangelion, adhibet ei fidem suam, & repetit domũ magna animi lętitia, non dubitans, quin reperturus sit filium suũ fœliciter ualere. Deinde in itinere confirmat fidem suam, ex commemoratione seruorum: postremò narrat familiæ rem gestam, & facit prędicatione Euangelij huius totam domum suam Christianam. Memorabile factum, quo de nostro quoq; officio admonemur. Nã pij hominis est, ut cõtẽtus sit certo uerbo Dei, & Euãgelio Christi: nec hoc agat, ut mox coràm externo sẽsu percipiat res promissas, sed adhibeat uerbo Dei firmã fidẽ, etiamsi omnia alia contraria uideantur. Postea cõfirmanda est fides repetitione uerbi Dei, recordatione diuinorum miraculorum, & usu eorum sacramentorũ, quæ nobis Christus utenda instituit. Ad extremum, testemur fidem nostrã bonis operibus, quæ Deus præcepit, & prædicemus gloriam Christi, pro sua quisq; uocatione, ut & alij nostra uel doctrina uel exemplo excitati, Christum agnoscant, & salutem consequantur. Non enim satis defuncti sumus nostro officio, si tantum curemus, ut nos ipsi coram Deo iusti simus per Christum: sed danda est opera, ut per nos & alij cognoscant Christum. Magistratus curare debet, non ut ipse tantũ sciat Christum, sed ut & Christus adnuncietur subditis suis. Patrisfamiliâs est, nõ ut ipse solus cognoscat ueritatẽ Euangelij de Christo, sed ut etiam familia eius fiat Christiana, & ducat piam ac Christianã uitam. Priuati hominis est, ut nõ solum suæ salutis rationẽ abscondità habeat, sed ut manifesta uitæ suæ pietate Christum glorificet, & exemplo suo proximum ad sectandum Christum inuitet, ut inter homines huius seculi luceamus, quemadmodum Paulus ait, tanquam luminaria in mũdo. Porrò, quod
» addit Euangelista in fine huius capitis, Hoc iterum secundũ signum e-
» didit Iesus, cum uenisset à Iudæa in Galilæã, loquitur de ijs signis & miraculis, quæ publicè in Galilæa edita, & ab ipso cõscripta sunt. Primum enim signum edidit Iesus in Cana Galilęæ, quemadmodum suprà capite ij. scriptum est. Edidit & secundum in Cana Galilęæ, sed absente filio Regij. In singulis autem miraculorum Christi descriptionibus nõ incõ-
Miraculorum usus.
modè addetur, quod Ioãnes cap. xx. scribit: Multa, inquiẽs, & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut CREDATIS, quòd Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes VITAM HABEATIS per nomen eius. Hic est generalis usus omnium miraculorũ Christi, uidelicet ut miraculis admoniti & excitati cognoscamus doctrinã Iesu: ex qua manifestum nobis erit, quòd is sit uerus Messias, unigenitus filius Dei, solus & uerus seruator noster. Quę cognitio, cũ afferat nobis summam salutem, & æternam uitam, tanta cura, tanto studio apprehẽdẽda est, ut cogitemus, nos ad hoc solum creatos & recreatos esse, ut Christũ Dominum nostrum assequamur, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Caput

CAPVT V.

HOMILIA XLIII.

CVM tanta sit humanæ naturæ imbecillitas & fragilitas, ut cũ corpus graui & diuturno morbo afficitur, animus difficilioribus ac periculosioribus morbis, impatientia uidelicet, ac dubitatione de diuino fauore, tentetur: magna nobis cura & diligentia consideranda est ea historia, quę de paralytico ad piscinam Hierosolymitanam per Christum sanato conscripta est. Etsi enim uidetur in ea tractari tantũ de corporali sanitate, quam paraliticus beneficio Christi consecutus est: tñ si rẽ gestã probè perpendas, inuenies in ea proponi nobis in grauissimis quibusq; animi morbis cœlestem medicinam. Quare, cũ in corporalibus ęgrotationibus animus plus ferè ægrotare soleat, q̃; corpus ipsum, non est nobis committendum, ut hanc historiam, quæ de eo qui trigintaocto annis morbo affectus, & tandẽ à Christo sanatus fuit, sequitur, oscitãter præteramus. Posthæc, inquit Euãgelista, erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hierosolymam. Hunc festum diẽ alij sentiunt fuisse Pentecostẽ, alij Pascha illud, quod proximè secutũ est ei, quo Iesus eiecit Hierosolymis uendẽtes & ementes è templo. Est aũt Hierosolymis ad Probaticam piscina, quæ nominatur hebraicè Bethseda, quinq; porticus habens. In his iacebat multitudo magna languẽtium, cæcorum, claudorũ, aridorum, expectantium aquæ motum. Probatica deducitur à nomine προβατον, quod ouem significat. Fuit aũt uel domus ad custodiã ouium deputata, uel lacus, in quo oues ad immolationẽ selectæ, lauabantur. Iuxta hãc uel domum, uel lacũ, fuit piscina, quę dicta est Hebraicè, hoc est à populo Hebræorum, Bethzeda, uel Bethzaida. Nam בית beth significat domum, צירא zeda significat Syriacè (qua lingua Hebręi uulgò, post reditũ è captiuitate Babylonica utebãtur) piscationem, ut sit domus piscationis, pro piscina. Porrò in porticibus huius piscinæ magna iacebat multitudo hominũ, qui uarijs morborũ generibus affecti erant. Etsi aũt in Repub. bene cõstituta caueri debet, ne miseri illi homines, claudi, aridi, cæci, & alij passim in plateis, in triuijs & compitis iaceant (tanta eñ liberalitate cõferẽda est à pijs eleemosyna, ut hi miseri homines domi alãtur) tñ Deus ponit sanis tales, & tã calamitosos homines singulari quodam cõsilio ob oculos. Nam quod ad corpus attinet, non hi tñ ægroti, uerumetiam sani tam caducam tam q̃; fragilem carnem gestãt, ut & illis, & multo grauioribus morbis affici possint: nec ulla tãta est aut aridi aut claudi miseria, quæ nõ possit etiam in optima ualetudine affectum incidere. Quod autẽ ad meritũ attinet, omnes sumus in peccato concepti & nati. Quo igitur iure Deus immisit suam claudo aut arido afflictionem, eodem planè posset cuiuis, quantumuis aut sano, aut etiã infanti, immittere. Quare, cũ Deus proponit sanis hominibus languidos, cæcos, claudos, & id genus alios, uult nos docere et cõmonefacere, ut in alienis exẽplis cogitemus nostras miserias, & excitemur, nõ solum ut gratias aga-

Hieronymus de locis Hebraicis.

Aegroti, cæci, claudi, &c. quid nos admoneant.

mus pro beneficio, quòd Deus in nos immeritos contulit: sed etiam tã-
gamur misericordiæ affectu erga afflictos, & iuuemus eos liberaliter: ac
operemur, quemadmodum Paulus loquitur, salutem nostram cũ timo
re & tremore, quo Deus, aut seruet nos, ne tãtis miseriis obiiciamur: aut
si omnino libet Deo nos sic affligere, euentũ faciat, quo possimus suffer-
re. Sed uideamus nunc quam ob causam tanta multitudo languẽtiũ ia-
» cuerit Hierosolymis, in porticibus huius piscinę. Expectabãt, inquit, a-
» quę motũ. Angelus enim descendebat suo tẽpore in piscinam, & turba-
» bat aquam. Itaq; qui primus descendisset post turbationẽ aquæ, sanus
» fiebat, quocunq; morbo detinebatur. Magnũ hoc est miraculũ, sed ma-
ius penè uidetur, q; primus tantũ, non item secundus, & tertius, ac om-
nes ægroti, qui post aquę turbationẽ ingrediebantur, cõsecuti sint sani-
tatem. Quid enim? an manus Domini sic aggrauata fuit, ut non potue-
rit duos simul, aut tres, aut cẽtũ quoq; sanare? Nihil certè minus. Deus
condidit uerbo uniuersum mundum, quomodo ergo non potuisset e-
tiã absq; huius aquę turbatione omnes ægrotos sanare? Sed diuino cõ-
silio sic cõstitutum fuit, ut solus is qui primus post turbationem aquæ
in piscinam descenderat, sanitatem consequeretur. Nam initiò condidit
quidem Deus hominem integrum, firmũ, nullis morbis obnoxium, ac
immortalẽ: postq; autem homo peccauit, tunc unà cũ peccato intrauc-
Thermarum Hierosolymi-tanarum miraculum. runt in mundũ omnia genera morborum, ac mors etiam ipsa: quæ orbi
ita inuaserunt, ut ante nouissimum huius seculi diem, è dominatiõe su
non eijciantur. Nam quemadmodũ cunctis diebus terræ, non requie-
scent, ut scriptura loquitur, sementis & messis, frigus & æstus, æstas &
hyems, nox et dies: ita non requiescent lætitia & tristitia, sanitas & mor-
bus, uita et mors. Si aũt Deus cõderet eiuscemodi piscinas, aut thermas,
in quibus homines uel ab omnibus morbis præseruarẽtur, uel in omni-
bus curarentur, nõ esset iam amplius uetus illa, & cõfirmata huius exter-
ni & corporalis seculi cõditio, nec remaneret solennis ille huius mundi
cursus, qui unà cum peccato inchoatus, & constitutus est. Cum igitur is
ante extremũ diẽ mutari non debeat, uisum fuit Domino Deo nostro,
ut thermæ Hierosolymitanæ, nõ omnes ægrotos: sed solũ eum qui pri-
mus post aquæ motum in illas descendisset, sanarẽt. Voluit autẽ Deus
hoc miraculo significare & testari, q; adhuc habitet in hac Iudęorum re-
gione, & cõplectatur eam gẽtem suo fauore, ac excubet pro salute eius.
Nam Iudæi, post Aggæum, Zachariã & Malachiam, nullos habuerunt
prophetas, ex quorum prædicatione potuissent agnoscere præsentiã &
fauorem Dei. Deinde externi & ethnici principes dominabantur iã in
Iudæa, ac fiebat in ea terra colluuies Iudæorũ et Ethnicorũ. Quare po-
tuissent pij cogitare, Deũ prorsus dereliquisse hanc regionem, & dese-
ruisse totam gẽtem Iudæorũ. Reuelat igitur Deus sese hoc miraculo, in
thermis Hierosolymitanis, ut pij cognoscant ipsum adhuc amare poste-
ritatẽ patriarcharũ, & excubare pro salute eorum. Quod cũ satis signi-
ficaretur, si is miro quodam modo sanus fieret, qui primus post motum
aquæ in piscinam descendisset, uisum fuit Deo, ut & is solus cõsequere-
tur sanitatẽ: ne si omnes ægroti incolumes ex hac aqua egrederẽtur, sta-

tus

tus huius ſeculi mutatus eſſe uideretur. Atq; hoc quidem miraculo Deus manifeſtè oſtendit, quanta beneuolẽtia proſequatur poſteros patriarcharũ. Sed multo manifeſtius, multoq; illuſtrius oſtendit eam in unigenito filio ſuo, Dño noſtro Ieſu Chriſto. Is enim miſſus eſt à Deo patre ſuo in hunc mundũ, ut fieret caro, & indueret hominẽ: qua coniunctione filij Dei & hominis, ut nullũ eſt aliud nec in cœlo nec in terra admirabilius opus, ita Deus eo opere clariſsimè & certiſsimè teſtatur, q; ſempiterno fœdere coniunxerit ſeſe, non tm̃ cum populo Iudæorũ, ſed etiam cum toto humano genere. Nam cum filius Dei aſſumpſerit hominem, & collocauerit eũ in throno diuinæ maieſtatis, ſupra omnes cœlos & angelos: quid eſt aliud, q̃ q; Deus humanũ genus tãto fauore cõplectatur, ut omnes eos homines, qui fide ſua ſuſcipiunt filiũ eius Ieſum Chriſtum, adoptet in filios ſuos, & faciat eos hęredes omniũ cœleſtium bonorum, ut unà cum Chriſto filio Dei, ſempiterna gloria & fœlicitate fruantur? Quotquot, inquit, receperunt eum, dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri, uidelicet his qui credidiſſent in nomẽ eius. Quare, etſi illuſtre eſt miraculum, quod in thermis Hieroſolymitanis edebatur: multo tamẽ illuſtrius eſt miraculum, quod in filio Dei, Ieſu Chriſto, editum eſt. Vnde & Chriſtus præſentia ſua obſcurat, & quodãmodo abolet illud thermarum miraculum. Accedit enim ad ægrotum, iacentem ad thermas, ac expectantem motũ aquæ. Et quod ægrotus in trigintaocto annis conſequi non potuit, hoc tribuit ei Chriſtus uno uerbo. Quæ, quomodo acta ſint, cognoſcere operæprecium eſt. Erat, inquit Euangeliſta, « quidã homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Priuſq; « reliqua quæ ſequuntur cõmemoremus, cõſideranda eſt huius hominis miſeria. Primum uide mihi magnitudinẽ morbi eius. Tanta em̃ ægritudine affectus fuit, ut nõ potuerit ſolus ſine adiutore ad piſcinam in tẽpore ueuenire. Hoc em̃ ſignificat, cum poſtea cõqueritur, ſe non habere hominẽ, qui portet ipſum ad piſcinam, cum turbata fuerit aqua. Deinde uide etiã morbi diuturnitatẽ. Non enim una tantũ hebdomada, non uno anno, ſed trigintaocto continuis annis morbo tenebatur. Accedit huc quoq; infœlicitas eius. Hactenus enim nunq; tã fœlix eſſe potuit, ut alios ad piſcinam præueniret, ſed alij eũ ſemper præuenerunt. Poſtremò notanda eſt & paupertas eius, & deſertio ab amicis. Neq; enim famulũ neq; amicum habuit, qui ipſum ad piſcinã opportuno tempore ferret. Itaq; tanta eſt miſeria, tãta calamitas eius, ut tam à Deo, q̃ ab hominbus deſertus eſſe uideatur. Sed quid? num qui ſic humano iudicio deſertus eſſe uidetur, re ipſa à Deo deſertus eſſe cenſendus eſt? Num Deus obliuiſcitur eius, quẽ homines cõtemnunt? Num Deo non eſt curæ is, quẽ homines negligunt? Minimè omniũ. Deus optimè nouit morbũ huius ægroti. Et nunq; nõ uidit, q; alij ipſum præuenerint. Diſtulit autem ſanationem eius, non ut perderet eum, ſed ut opera filij Dei in eo manifeſtarentur. ſic enim ſequitur: Hunc cum uidiſſet Ieſus decumbentẽ, & co « gnouiſſet, quòd iã multũ temporis morbo teneretur, dicit ei, Vis ſanus « fieri? Quid hęc percunctatio ſibi uelit, mirum fortaſsis alicui uideri poſſet. Quid enim in hac porticu faceret ægrotus, ſi non maximo ſanitatis

Incarnationis Chriſti miraculum.

Aegroti miſeria.

desiderio teneretur? et Christus est cordiū scrutator. Cur ergo sic interrogat? Nō est stulta aut ociosa interrogatio. Sed Christus ꝓstringit primùm hac interrogatione eos mendicos, qui non cōcupiscunt firmā corporis ualetudinem, sed potius amāt & alūt morbos suos, ut hac occasione multam colligāt eleemosynā, & alienis sumptibus in ocio & ignauia nutriantur: quibus si sanitatem cōferres, existimarēt se potius maleficio quàm beneficio affectos. quęrit igitur Christus, Vis sanus fieri? hoc est, multo tempore hic decūbis, ut appareat te ex eorū numero esse, qui malunt esse ægroti, ut ociosi alantur, cꝫ ut sani necesse habeāt multo sudore uictum quæritare. Hi sunt ignauissimi impostores, & indigni qui uel eleemosyna uel sanitate fruantur. Dicito ergo ingenuè, num tenearis aliquo sanitatis desiderio? Deinde interrogat Christus ægrotū, ut magnitudo miseriæ eius, sua ipsius confessione, publicè nota fieret, & q̄d Christus optimè sciebat, hoc etiam alij cognoscerēt: quo disceremus, diuinū auxiliū tūc proximum esse, cum miseria maxima fuerit. Confitetur ergo
» languidus tam cupiditatem cꝫ calamitatē suam. & respōdit ei: Domine,
» hominem nō habeo, ut cū turbata fuerit aqua, mittat me in piscinā. Sed
» interim dum ego uenio, iam alius ante me descēdit. Magna quidē est infœlicitas huius languidi, & magnum uitiū corporis eius, interim aūt habet ipse suas animi uirtutes. Non execratur diem natiuitatis suæ, nō est maledicus in eos qui pręueniunt ipsum in piscinā, sed simpliciter narrat suam in fœlicitatē sine alterius cōtumelia. Hæ sunt uirtutes dignæ commendatione, sed nō sunt tanti momenti, ut propter ipsas languidus mereatur fauorē filij Dei, & tam admirabile beneficiū sanitatis. Nam Christus nō excitatur aliquo huius languidi merito, ut iuuet ipsum: sed excitatur sua ipsius clemētia, & miserrima lāguidi calamitate. & dicit ei: Surge, tolle grabbatū tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabbatū suū, et ambulabat. Hic nunc obserua mihi, quò euaserint magnitudo & diuturnitas morbi, ac miseria & infœlicitas huius lāguidi. Quid potuit ei iucūdius, quid admirabilius, ac etiā glorioſius contingere? Multo certè maiori lętitia ac iucunditate animi gestauit grabbatū suū, quàm si antè fuisset capiti eius imposita corona regia. Accedit huc, cꝫ pręter corporalē sanitatē, paulo pòst agnoscit etiā Christū, cuius cognitio, est uera iusticia & ęterna uita. Voluit autē Christus hoc miraculo reuelare, & testari potentiā maiestatis suæ. Non rogatur à paralytico, imò ne agnoscitur quidem ab ipso, quis sit, tantum abest ut initiò exceperit eū fide sua paraliticus, tancꝫ Christum. sic enim postea dicitur: Is qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Nihil ominus tamen Christus liberat eum à morbo, & confert in eum sanitatē, quemadmodum aliàs excitauit à mortuis adolescentē filiū uiduæ, nihil tale (mortuus enim erat) uel petentē uel cogitantem. Quid igitur? num incogitātes & increduli capiunt fructū beneficiorum Christi? Corporalia quidem beneficia contingunt aliquoties etiam ijs, qui nō credunt in Christū: uera autē, & spiritualia atcꝫ æterna nulli hominū possunt absqꝫ fide cōtingere. Fieri non potest, inquit Apostolus, ut quis sine fide Deo placeat. Nam quòd Christus cōtulit in quosdā, non agnoscētes ipsum, corporalia

Mendicorum iniquitas.

Virtutes ægroti.

poralia bñficia, hoc cõsilio fecit, ut significaret potentiã iuuandi & seruãdi in ipso, nõ in efficacia humanæ fidei sitam esse. Etsi. n. ad accipienda à Christo spiritualia & æterna bona, quæ sunt remissio peccatorũ, & uita æterna, necessaria est fides in Christũ: hæc tñ fides, quam nos habemus, non facit Christum omnipotentem seruatorem. sed cũ Christus reipsa sit omnipotens seruator, accipimus ab eo salutem per fidẽ, ut fides nostra nõ sit per se autor salutis, sed organõ quo salus à Christo accipitur. Hoc idcirco cognoscẽdum est, ut cum docemus hominem iustificari & seruari fide in Christum, nõ sentiamus nos aliquo nostri operis merito cõsequi iusticiam & salutem: sed sentiamus nos accipere quidem Christum per fidem, reputari autem iustos, & seruari gratis, tantum propter Christum fide acceptum. Deinde docet Christus hoc miraculo Ecclesiã suam, quid sint corporales ęgritudines, & diuturnę infœlicitates in hoc seculo. Nam, quemadmodum hic paralyticus nõ incidit in morbũ, nec tanto tempore laborauit ex morbo, nec alij toties eum in piscinã pręuenerunt, nesciente & ignorante: sed optimè cognoscente & administrate Domino Deo nostro, uidelicet nõ ut periret, sed ut tãto maiori suo cõmodo & gloria seruaretur, quanto grauior & diuturnior esset morbus: ita nihil aduersi, nihil infœlicitatis in hoc seculo accidit ijs q sunt mẽbra Ecclesiæ, sine uoluntate & administratione Dei. Quis est ille, inqt Hieremias, qui dixit, ut fieret, Domino nõ iubẽte? ex ore Altissimi nõ egredient nec mala nec bona? & Christus: Non'ne duo, inquit, passerculi minuto asse ueneunt, & unus ex illis nõ cadet in terram sine patre uestro? Vestri etiam pili capitis omnes numerati sunt. Quòd si aduersa incidũt in membra Ecclesiæ uoluntate Dei, & perdurant diuturno tẽpore prouidẽtiæ & gubernatione Dei, quomodo possent esse internecio? Deus enim fauet Ecclesiæ suę propter Christũ, & hoc unum agit, ut etiam ueram & perpetuam salutem cõsequatur. Quare si immiserit aduersa, certè non facit id hoc consilio, uel ut ipsam Ecclesiam, uel membrũ eius opprimat & perdat: sed ut seruet, ac maiorẽ & diuturniorem fœlicitatẽ donet. Scimus, inquit Paulus, q̃ his qui diligunt Deũ, omnia simul adiumento sunt in bonum. & iterum: Simul cum Christo patimur, ut & unà cum ipso glorificemur. Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Hęc & id genus alia diligenter cogitanda sunt, ut in grauibus & diuturnis aduersis cõpescamus impatiẽtiam animi, & contineamus nos ipsos in officio obedientię erga Deum: cũ nihil certius sit, q̃ Deum afflictis suis ita fauere, propter Christum, quod uelit temporarias illas calamitates ęterna fœlicitate cõpensare. Sed quid est, inquies, quòd Christus unum tantum paralyticũ sanauit? an'nõ erat in harum thermarum porticibus magna multitudo languentium? Potuisset autem Christus tam facilè omnes illos languidos, quàm unum sanare, cur igitur neglectis alijs, unum tantum curandum suscipit? Potuisset certè omnes illos sanitati restituere, sed quo cõsilio Deus uoluit eum tantũ, qui primus post motum aquæ, in piscinam descendisset, curare: eodẽ & filius Dei unum tantum illum, qui triginta octo annis ęgrotauerat, sanandum suscipit, uidelicet ut hoc miraculo

Fides non est autor, sed organon salutis.

Aegritudines corporales quid sint.

Impatientia quomodo compescenda.

teſtaret fauorẽ Dei patris erga miſeros homines, & cõfirmaret ueritatẽ Euãgelij ſui, quo prędicabatur, oẽs eos qui agnoſcunt ipſum uerum Meſsiam ſeu Chriſtũ, cõſequi iuſticiam, liberationem à morte, & cœleſtem hæreditatẽ. Chriſtus em̃, etſi multos ægrotos ſanauit, & obtulit ſe, dum adhuc in his terris uitã ageret, oẽs eos qui ad ipſum ueniũt, & credunt ſanaturũ, id quod etiã reipſa præſtitit: tñ non uenit in hunc mundum, ut inſtitueret tale aliquod miniſterium, aut pharmacopolion, quo oẽs ægroti conſequerẽtur corporalẽ ſanitatem: ſed ut inſtitueret miniſterium prædicandi Euãgelij, quo omnes Euangelio credentes, conſequerentur ſpiritualem ſanitatem, & cœleſtẽ fœlicitatẽ. Quod ut homines intelligerent, & Euangelio ſuo fidem adhiberent, addidit miracula, tanq; publicas, quas ſic uocant, campanas, quibus auditores ad concionem Euangelij conuocarentur, & ad attentionem ac fidem excitarẽtur. *Miracula ſunt loco campanarum.*

Cùm igitur Chriſtus id ſuum inſtitutũ uno tãtum paralytico ſanato, rectè hoc quidem tẽpore perfecerit, quemadmodum Euãgeliſta mox deſcribet: uiſum non fuit, ut & alios in porticibus decumbentes ſanitati reſtitueret, quanq; potuiſſent & ipſi eã conſequi, ſi modò cognouiſſent ex hoc miraculo Chriſtũ, & curaſſent ſe ad ipſum deferri, ac petijſſẽt ab eo ſanitatem per fidẽ. extat enim promiſsio Chriſti: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo uos. Cęterùm, cum iam ueritas Euangelij, tam multis & tam magnis miraculis cõfirmata ſit, ni hoc nunc agamus, ut corporis morbo laborantes mirabiliter ſanemus, ſed ut fidẽ adhibeamus Euangelio Chriſti, & perſeueremus in uocatione eius, quo in corporis morbo ſeruemur, uera ſpirituali & cœleſti ſalute per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cũ patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XLIIII.

AVdiuimus inſigne miraculum, quod edidit Chriſtus in eo paralytico, qui triginta & octo annos in graui morbo fuerat: audiamus nunc quam tragœdiã excitarint Iudæi, q; Chriſtus curaueratlanguidũ, & iuſſerat eum tollere grabbatum ſuum ſabbato. ſic enim ait Euangeliſta:

„ Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudęi ei, qui ſanatus fue
„ rat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabbatum. reſpondit eis, Qui
„ me ſanum fecit, is mihi dixit, Tolle grabbatũ tuũ, & ambula. interroga-
„ uerunt ergo eũ: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabbatum tu-
„ um, & ambula? Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. Ie
„ ſus enim ſubduxit ſe, q; turba eſſet in eo loco. Quod Ioãnes narrat de geſtatione grabbati in ſabbato, etſi hoc quod ab eo qui ſanatus fuerat, factum eſt, paruipenditur inter Chriſtianos, qui ſuam habẽt in diebus feſtis libertatem: tamẽ apud Iudæos fuit horribile ſpectaculum. Extant enim grauiſsima præcepta in Lege de obſeruatione ſabbati. & in Hieremia dicitur: Si non audieritis me, ut ſanctificetis diem ſabbati, & ne portetis onus, et ne inferatis per portas Hieruſalem in die ſabbati, ſuccendã ignem in portis eius, et deuorabit domos Hieruſalem, & non extinguetur. Ac Nehemias, cũ uidiſſet in Iuda calcantes torcularia in ſabbato, & portantes

Hier. 17.

Nehẽ. 13.

portãtes onera ad nũdinas, dixit: Quæ eſt hæc res mala, quam facitis & prophanatis diem ſabbati? Nunquid non hæc fecerũt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malũ hoc, & ſuper ciuitatẽ hanc? Quibus uerbis teſtatur Nehemias, ꝙ onera in die ſabbati portare, fuerit una ex his cauſis, propter quas Deus permiſit Chaldæis, ut urbẽ Hieruſalẽ deuaſtarent. Quæ præcepta de ſabbato, nõ habent hunc ſenſum, ꝙ nihil prorſum operis in ſabbato facere licuerit: ſed ꝙ non eſſet publicè tale opus faciendũ, quo ſabbatum aboleatur. Iudæi autem ſuperſtitioſiſsimè interpretabantur legẽ de ſabbato, & nouis ſubinde traditionibus cumulabãt ſuperſtitiones. Nam per Phariſaicam doctrinã nõ ſolum nõ licebat lectum de domo in domũ die ſabbati portare, ſed etiam non licebat lectũ ſternere. Poſtea addiderunt, in die ſabbati nõ eſſe ambulandum ſuper herbam, ne pedibus eam euellas, ſinapi nõ cõmiſcendum aqua aut uino, pulicem hinc inde ſaltantem non eſſe uenãdum, niſi te pungat, non eſſe pulſandum tintinabulo, ut puerum flẽtem demulceas, & multas id genus alias nugas, quas incertũ, ſtultas nè an inſanas traditiones dicas. Iam cõſidera mihi & hoc, ꝙ circa ſabbatum illud, quo is qui ſanatus fuerat, deportabat grabbatum ſuũ è porticu piſcinæ, celebratus ſit dies feſtus uel Paſchæ, uel Pẽtecoſtes: quo tẽpore maxima ſẽper hominum multitudo cõuenire ſolebat in urbe Hieruſalẽ. Autores quidã tradũt, ꝙ circa ea tẽpora, quibus Romani dominati ſunt Iudæis, cõuenerint aliquoties in diebus feſtis ad urbem Hieruſalem plusq̃ decies centena millia hominum. Vnde & Euangeliſta ait, turbã in eo loco fuiſſe. Cogita ergo, quale hoc fuerit ſpectaculũ, cũ is qui ſanatus fuerat, portauit publicè grabbatũ ſuũ in die ſabbati, per medium tantæ turbæ: in qua maxima pars ita ſuperſtitioſe affecti fuerũt, ut exiſtimauerint deportationem grabbati in die ſabbati, non ſolum ſcelus eſſe, ultimo ſupplicio expiandum, uerumetiam niſi ſeueriſsimè uindicetur, allaturũ toti genti præſentem internecionem: quemadmodũ quondam urbs Hieruſalem à Chaldæis, propter uiolationẽ ſabbati, deleta fuit. ſed hæc eſt prępoſtera religio, & meritò deteſtanda ſuperſtitio. In ciuitate Hieruſalem, & gente Iudaica, infinita erant immaniſsimorum ſcelerum genera, impietas, blaſphemia, contemptus Dei, inuidia, homicidium, latrocinium, auaritia, impoſtura, furtũ, rapina, impudicitia, ſcortatio, adulteriũ, & quis iſta omnia enumerare poſſet? Hæc Iudæi nõ faciebant ualde magna, nec ſentiebant ſibi propter illa imminere exitiũ: ſed ꝙ is qui triginta octo annos paralyticus fuerat, deportet lectum ſuum in die ſabbati è porticu, hoc demum ita nefariũ ſcelus uidebatur, ut iudicauerint urbẽ mox interituram, niſi in autorem grauiſsimè animaduerterint: cũ tamẽ hæc deportatio nõ fuerit aduerſus ſententiã diuinæ legis, ſed tantũ aduerſus Phariſaicas traditiões. Hęc uana ſuperſtitio, reprehẽſione digniſsima eſt. Nam debemus quidẽ, extra neceſsitatem, etiam humanis ordinationibus obedire, ne ſine iuſta cauſa offẽdiculũ præbeamus, & tumultũ excitemus. Sed maximè omniũ nos aſſuefacere debemus, ut ea coram Deo peccata eſſe iudicemus, & caueamus, quę Deus uerbo ſuo peccata uocat, & cauere præcipit. Cõſcientia cauterio, nõ ſpiritu ſancto notata eſt,

Sabbati obſeruatio.

Vide Ioſeph. lib. 7. cap. 17 de Bello Iudaico.

Peccata Iudæorum.

est,quæ trepidat timore, ubi non est timor, & quæ maiorẽ habet rationem humani, q̃ꝫ diuini mandati. Ac extat quidem in uerbo Dei etiã illud,Memento ut diẽ sabbati sanctifices:non extat autem in diuina lege, qꝑ deportare lectum de domo in domum, aut sternere, aut pulicẽ occidere,sit prophanare sabbatum. Sed de sabbati explicatiõe aliàs copiosius,nunc persequemur nostrum institutũ. Nam is qui deferebat lectum suũ è porticu,etsi grauiter à Iudęis increpatur,pergit tñ in media turba, onustus lecto suo, ambulare:exclamãs,se non temerè,sed mãdato eius, qui ipsum sanauerat,lectum sustulisse. Apagete,inquiens, cũ opportuna uestra prohibitione ac superstitione. Qui enim me sanum fecit,is mihi dixit, Tolle grabbatum tuum,& ambula. Necesse autẽ habui ei obedire. Nã si morbus meus tam diuturnus obedīt uerbo eius,& discesit, quis ego essem,qui uerbo eius nõ obedirem? Scilicet magis obsequerer uestris monitis,q̃ꝫ tãto benefactori? Nesciebat autem(inquit Euangelista)quis esset. Iesus enim subduxit se,qꝑ turba esset eo in loco. Subduxit autem sese,nõ qꝑ timeret turbam,aut diu latêre uoluerit:sed ut hac occasione miraculũ latius diuulgaretur, & homines ad inquirendum autorem excitarentur. Iesus enim profectus fuit hoc festo die ad urbẽ Hierusalem, ut cõcionaretur Euangelion suum. Non licuit autem ei publica, aut buccina,aut campana,ut uocant,auditores ad concionẽ uocare. Cõcionaturus ergo,edit miraculum,quo auditores non solum cõuocãtur, sed etiam ad diligentissimam attentionẽ mouẽtur. Quare,cum hoc miraculũ satis iam per paralyticum, & per lecti deportationem diuulgatũ esset,ac omnes autorem sollicitè inuestigarent & perscrutarẽtur,prodit tandem Christus in medium,ac primùm omniũ accedit ad eum, qui sanatus fuerat.sic.n.dicit Euãgelista:Postea reperit eum Iesus in tẽplo,& dixit illi,Ecce sanus factus es,ne posthac pecces,ne quid deterius tibi cõtingat. Reperit eum,inquit,in templo, non in foro, non in conuiuijs, ut hoc ipso admoneamur,post accepta Dei beneficia, gratias Deo agẽdas esse. Sed de hac re admonet Iesus paralyticũ,etiam uerbis: Ecce, inquiens,sanus factus es,ne posthac pecces, ne quid deterius tibi accidat. Ergo ne is antea peccauit,& morbi solẽt hominib.cõtingere propter peccata? Profectò dubitandum non est,quin Deus possit optimo iure,non adultis tantum, sed etiam infantibus immittere grauissimos quosque morbos. Nos enim omnes peccauimus in Adam,& meriti sumus propter peccatum,quemadmodum mortem & infernum,ita etiã morbos, qui sunt mortis præcursores: Dominus tamẽ Deus noster non semper immittit morbos hominibus propter peccatũ, sed etiam propter alias quasdam causas. Nam aliquoties affligit hominẽ ægrotatione, ut probet fidem eius. Exemplo est Iob, quem permisit Deus, ut percuteretur pessimo ulcere, non propter aliquod peccatum, sed ut innocentia eius probaretur. Aliquoties obijciuntur homines morbis,ut illustretur gloria Dei. Sic de eo qui à natiuitate cæcus fuerat, ait Christus: Neque hic peccauit,neqꝫ parẽtes eius,sed ut manifestẽtur opera Dei in illo. Sed & peccata aliquoties causa sũt, propter quam Deus affligit homines morbis. ad Ioram regem Iuda dicitur: Quia non ambulasti in uijs Ioſaphat patris

Morbi ex quibus causis accidãt hominibus.

patris tui,sed inceſsiſti p̃ iter regũ Iſrael,& fornicari feciſti Iudã & habitatores Hieruſalẽ:ecce Dominus percutiet te plaga magna, & ægrotabis peſsimo lãguore uteri,donec egrediant uitalia.& mox:Perculsit eũ Dominus alui lãguore inſanabili.huc facit, quod lex dicit:Si audire nolueris uocẽ Dñi tui,percutiet te Deus ulcere Ægypti,& ſcabie ac prurigine,ita ut curari non poſsis. Ac in ipſa quidẽ ægrotatione quacunq; de cauſa quis morbo detineat, dãda eſt gloria Deo, cõfitendũ eſt rectũ iudiciũ Dei: & ſiquidẽ manifeſta eſt nobis cauſa peccati, agẽda eſt pœnitẽtia,et concipienda fides remiſsionis peccati propter Chriſtũ,ut ſi non corporalẽ,at ſaltẽ ſpiritualẽ, cœleſtẽ & æternã ſalutẽ cõſequamur.Si autẽ non eſt manifeſta peccati cauſa, tamen ne ſic quidẽ aduerſus Deũ impatiẽtia & cõuiciis debacchãdũ eſt, ſed ferenda eſt manus Dñi obedienter:cogitãdũ eſt, Si iniquitates obſeruaueris Domine,Domine quis ſuſtinebit? & illud Pauli:Nihil mihi cõſcius ſum, ſed in hoc non ſum iuſtificatus.cõcipienda eſt certa fiducia,q̃ iuxta prophetã,Dominus qui ceperit,etiã ſit ſanaturus:& qui percuſſerit,etiã ſit curaturus. Dñs em̃ eſt, qui mortificat et uiuificat,& q̃ deducit ad inferos,ac reducit. Quod ſi uerò ęgrotationẽ ſecuta eſt ſanitas, ſemp̃ neceſſaria nobis eſt cohortatio illa Chriſti:Ecce ſanus factus es,ne poſthac pecces,ne deterius tibi cõtingat.Nec in accepta tantũ ſanitate,ſed quodcũq; beneficiũ à Deo acceperis:exempli gratia,ſi ex periculis aquarũ fueris ereptus, ſi incendiũ euaſeris,ſi victoriã ex hoſtibus reportaueris,aut aliud Dei beneficium conſecutus fueris,ſemper tecum admonitionem illã Chriſti (Ecce liberatus es è periculo, & accepiſti beneficium Dei, uide ne deinceps pecces, ne deterius tibi cõtingat) repoſitam conſerues,ut in officio gratitudinis erga Deum cõtinearis. Magna enim eſt inſolẽtia humani ingenĩ, & cum emerſerit ex periculis,ac peruenerit ad proſperũ euẽtum,exiſtimare ſolet,ſe deinceps nullius nec Dei,nec hominis auxilio indigere, ac licere ſibi facere,quodcunq; libeat:ut et publico prouerbio iactetur,hominem nunq̃ peiorem eſſe, q̃ cũ ex morbo euaſerit, & ſanitatẽ recuperauerit. Sed manè pauliſper, nondum perueniſti ad firmam & ſtabilem fœlicitatem,etiamſi conſecutus ſis corporalem ſanitatem,aut aliud quoddam externum beneficium.Sed tanto maiorem debes Deo obedientiã, quãto maius & gratius beneficium accepiſti. Primùm enim conſidera mihi magnitudinem & grauitatem eius peccati,quod poſt acceptum beneficium deſignari ſolet. Cum enim ante acceptum beneficium reputetur ſimplex peccatum, pòſt iudicatur eſſe duplex. Alterum enim eſt ipſum peccati opus, quod ſemper peccatum eſt, ſiue ante ſiue poſt acceptum beneficium committatur. Alterum eſt ingratitudo erga benefactorem, quę certè multo grauius reddit peccatum,quàm ſi nullum accepiſſes beneficium. Deinde cõſideranda eſt etiam magnitudo periculi ſeu ſupplicii, quod ingratis diuinitùs inferri ſolet. Ne quid deterius, inquit, tibi cõtingat. Nam qui poſt accepta beneficia peccat, nõ meretur corporale tantum,& temporale, ſed etiam ſpirituale & ſempiternum ſupplicium. Extrema,inquit Chriſtus,hominis illius fiunt peiora primis. Etſi em̃ opus & uoluptas peccati ſuum habent finem,ſupplicium tamẽ peccati nullum

In ægrotatiõne quid agendum.

Oſee 6.

Da der kranck genaß, ye beſſer er nie was:

lum unq̃ habebit finem. Discedite, inquit, à me maledicti in ignem eternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. & Paulus: Infligit ultionẽ his qui non nouerunt Deũ, & qui nõ obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luunt interitum æternũ. Nec iniquum est, q̃ temporario peccati operi reddatur sempiternũ suppliciũ. Nam qui peccant, & manent in peccato impœnitenter, hi etsi nõ sunt in perpetua actione peccati, habent tamen perpetuam uoluntatẽ peccandi. Adhæc, qui peccant, auertũt se peccato suo à perpetuo bono, Domino Deo nostro. Quare æquissimum est, ut peccatũ perpetuo supplicio puniatur. Quod cum ita se habeat, cauendum & prouidendum nobis summo studio erit, ne ingratitudine nostra, non solum amittamus acceptũ beneficium, sed etiam proñciamur in sempiternum interitum. Cæterùm is qui sanatus fuerat, postq̃ cognouit se à Iesu sanatũ esse, abiit & nunciauit Iudæis, q̃ Iesus esset, à quo sanatus fuisset. Quid? num is homo accusat & prodit benefactorem ac seruatorẽ suũ? Non prodit eum maleuolè, sed beneuolè: non hoc agit, ut Iudæi Iesum interficiãt, sed ut Iesum, tãti miraculi autorem honore prosequantur. Nunciauit Iudæis, ut nomẽ Iesu celebret, & gloriam eius illustret, quo auditores excitẽtur, ut & suam salutem in Iesu quærant. Sed uide Satanicum furorem Iudæorũ: Propterea, inquit Euangelista, persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant illũ occidere, q̃ ista fecisset in sabbato. Quid est insania, si hæc non est? De miraculo tacent, de sabbato tantum clamitant, nec admirantur potẽtiã Iesu, ut agnoscant diuinam eius autoritatem: sed sabbati tantũ uiolationem exaggerant, ut eum interficiant, cum tamen Iesus non uiolauerat legem Dei, sed tantum traditiones Pharisæorũ de sabbato. Sed hoc est uetus hypocritarum ingenium, malunt opiniones & superstitiones suas, etiã homicidijs tueri, q̃ uel ex uerbo Domini, uel ex miraculis ueritatẽ cognoscere. Quare haud immeritò ad Esaiã dicitur: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & cõuertat, & sanẽ eos. Habes & hoc loco sycophantarum & calumniatorum ingenium. Quod enim in facto Christi optimũ ac diuinissimum erat, uidelicet admiranda curatio paralytici, hoc dissimulãt: quod autem uidebatur illegitimum, uidelicet iubere lectum tollere in die sabbati, hoc exaggerãt, & amplificãt. Sic & calumniatores magno silẽtio prætereũt ea quæ sunt in aduersarijs digna laude, uociferãtur autem tragicè de his quæ habẽt inhonestam quandam speciem. Hoc est artificium diaboli, cum Christo ex diametro pugnantis. Nam Christus filius Dei interpellat pro credẽtibus in ipsum apud Deum patrem, & tegit uitia eorum sanguine suo. commemorat autem uirtutes ipsorum: Esuriui, inquiens, & dedistis mihi edere: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes erã, & collegistis me. Diabolus autẽ accusat homines apud Deũ, & tacet de uirtutib. aut extenuat eas, uitia uerò auget & amplificat, unde & nomen diaboli habet. Quam naturam, cũ calumniatores referant, quid reliquum est, q̃ p calumniatores sint membra diaboli, cuius etiam cohæredes erunt? Fugiamus ergo artificium diaboli, discamus autem artificium filij Dei, ut si aliena uitia

Peccato temporario redditur supplicium æternum.

Sycophantarũ ingenium.

tia tegamus, & uirtutes prædicemus, noſtra uitia in iudicio Dei per leſum Chriſtum tegãtur. Sed reuertemur ad propoſitum, & uidebimus, quomodo Chriſtus factũ ſuum defendat. Sequitur. n. Ieſus autẽ reſpõdit eis: Pater meus uſq; modò operatur, & ego operor. Cõſidera mihi, obſecro, maximã bonitatem Chriſti. Potuiſſet uno uerbo, ad unũ omnes uitæ ſuæ inſidiatores perdere, ſed maluit rationẽ facti ſui reddere, q̃; uiolenter eos opprimere. Potuiſſet etiam perſpicuis argumentis docere, ſe hac paralytici curatione & iuſsione non uiolaſſe ſabbatũ, quemadmodũ apud Mat. cap. xij. & apud Lucã cap. xiij. fecit: ſed uiſum eſt ei hoc loco ad autoritatẽ patris ſui appellare, perinde acſi uiolaſſet ſabbatũ, ut & ſuam maieſtatem exponat, & falſam Iudęorũ ſententiam de ſabbato reprehendat. Pater meus, inquiens, ad hoc uſq; tẽporis operatur, & ego operor: hoc eſt, Cur mihi nõ liceret in ſabbato operari, cum idẽ faciat cœleſtis meus pater? Nam Deus uerus ille pater meus, exercet opera ſua nõ tantũ feria, ut uocãt, ſecunda, aut tertia, aut quarta, aut quinta, ſed etiam die ſabbati. Poſtq; enim condidit mundum, non ſedet ocioſus in cœleſti throno, quemadmodũ carnales homines fingũt: ſed primùm portat, ut ita dicã, humeris ſuis cœlum & terrã, & omnia quæ in eis ſunt. Hæc enim, niſi potẽtia Dei ſuſtinerẽtur, iamdudum fuiſſent in nihilum collapſa. Deinde mouet nõ ſolum cœlum & cœleſtia lumina, ſolem, lunã & ſtellas, ut certo curſu ſine intermiſsione ferantur: ſed mouet etiã quęcunq; in aere, in terra, & in aquis naſcuntur & creſcunt. Non poſſet herba ex ſemine, culmus ex grano aſſurgere, niſi manibus Dei promoueretur. Nec infans adoleſceret, niſi diuina potẽtia erigeretur. Quod inter animantia uiuit, Dei opera uiuit. Quod ex ægrotatione conualeſcit, Dei opera cõualeſcit. Et hæc negotia exercuit Deus iam inde à rerum conditione: nec unq; ea intermiſit, ſed pergit ea ſemper exercere, ſiue noctu, ſiue interdiu, ſiue feſto, ſiue profeſto die. Cũ igitur hoc faciat meus ille cœleſtis pater, fieri non poteſt, quin ego filius eius planè idẽ faciam. Eadẽ enim eſt Dei patris & mea eſſentia, potentia & maieſtas. Duæ quidẽ perſonę ſumus, ſed unus tantũ Deus. Sciamus autem nũc, quod ſit maius & laborioſius opus. Deus pater, & ego filius eius, cõſeruamus & curamus etiã in die ſabbati, omnia animantiũ genera in ſua uita et incolumitate, cur ergo nõ liceret mihi unũ paralyticum in die ſabbati curare? Deus pater & ego filius eius portamus, etiam in die ſabbati, cœlũ & terrã, ac mouemus ſolẽ & lunã, ut in ſuo curſu ſine ulla intermiſsione ambulẽt: cur igitur nõ liceret mihi iubere unum paralyticũ portare in die ſabbati lectũ ſuum, & ambulare? Quæ enim eſt poteſtas Dei patris, eadẽ eſt & mea, qui ſum filius eius, ipſi ęqualis. Nã, q; Chriſtus hoc dicto (Pater meus operatur uſq; modò, & ego operor) ſignificet ſe eſſe Deo patri æqualẽ, non ſolũ teſtantur Iudæi, qui dictum Chriſti, ut mox ſequitur, ſic intelligũt, ac propterea quęrũt eum interficere: ſed etiã Chriſtus ipſe perſpicuè exponit in ea concione, quam Euãgeliſta paulo pòſt in hoc capite pluribus deſcribit. Sed quid? inquies, Si Deus ab initio conditionis rerum nunq; quieuit, ſed ſemper operatur, quomodo dictũ eſt, Requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere,

Dei patris operatio ſine intermiſsione.

quod patrauerat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificauit illũ: quia in ipſo ceſſauerat ab omni opere ſuo, quod creauit Deus ut faceret? De hac re ſic ſentiendũ eſt, ꝙ Deus dicatur ſeptimo die requieſcere, non ꝙ abiecerit curã adminiſtrationis huius mũdi, & ſedeat ocioſus rerũ ſpectator in cœlo, ſed ꝙ nõ condat alium mundũ. Videbant. n. ſpiritus nõ nullos futuros, qui cõfecturi eſſent, innumerabiles eſſe mũdos. Hos refutat ſcriptura, cum dicit, Deũ requieuiſſe die ſeptimo. Prẽterea ſignificat, Deum in hoc mundo à ſe cõdito ita acquieſcere, ꝙ uelit hunc mundum tueri, & per hunc mundum agnoſci & glorificari. Hæc eſt requies Dei, quæ tñ reipſa maxima omniũ eſt operatio. Nam ſabbati iuſtitutio in politeia Iſraelitica, ut fuit cerimonia, qua eo tempore piĳ admoniti ſunt, ꝙ hic mundus non fuerit perpetuus: ſed in principio ſex diebus à Deo creatus, ꝙ nõ ſit alius præter hũc, externus & corporalis mũdus, & ꝙ Deus hũc mundum adminiſtret, ac uelit per hũc mundũ illuſtrari: ita externa obſeruatio ſabbati nõ fuit diuinitùs tãta religione cõmendata, ut nõ licuerit eo die uel ægrotũ curare, uel lectum de domo in domũ deportare. Quod cũ magis perſpicuum ſit, cẽſ ut hoc loco pluribus explicari debeat, pergemus ad reliqua, ut audiamus, quo animo Iudæi acceperint dictũ Chriſti. Propterea ergo (inquit) magis quærebãt eum Iudæi interficere, quia non ſolũ ſoluiſſet ſabbatũ, ſed patrẽ ſuum dixiſſet Deũ, æqualem ſe faciens Deo. Iudæi optimè intelligunt dictum Chriſti. Nam Chriſtus ſignificat Deum eſſe patrẽ ſuum, non uulgari modo, qualiter eſt pater omniũ piorum, & qualem ſe ſignificat eſſe patrem Iſraelis, cũ ait, Filius meus primogenitus Iſrael: ſed ſingulari & proprio modo, uidelicet ꝙ pater & ipſe ſint eiuſdẽ eſſentiæ & maieſtatis, ut quẽadmodum pater eſt ab æterno, ita & filius: & quemadmodum pater eſt omnipotens rerum creator & adminiſtrator, ita etiam filius. Conſidera nũc mihi, quanta ſit cæcitas Arrianorũ, qui in uerbis Chriſti ne id quidem uidẽt & intelligunt, quod tamen impĳ & crudeles Iudæi uiderunt & intellexerunt. Dicunt Iudæos peruerſe intellexiſſe, aut calũniatos eſſe uerba Chriſti. Non nego Iudæos tanta inuidia flagraſſe in Chriſtum, ut omnẽ occaſionem captarint, quo ſermonem eius in peruerſum ſenſum detorquerent: ſed ꝙ hoc loco dictũ Chriſti rectè intellexerint, non ſolum ſignificat Euangeliſta, cum non reprehendit ſententiam eorum, quod aliàs, ubi opus eſt, facere ſolet: uerumetiã Chriſtus ipſe in ea quæ ſequitur concione apertè cõfirmat, cum ſe uerè Deo patri ſuo æqualem eſſe, pluribus exponit. Quare ſcelerati Iudæi hac quidẽ in parte multo melius intelligũt uerba Chriſti, cẽſ impĳ Arriani. Sed ut optimè intelligunt dictũ Chriſti, ita peſsimè faciunt, ꝙ quærãt ipſum interficere. Ac zelus quidẽ Dei uidetur, ꝙ cupiant gloriam Dei tueri, & blaſphemiam nominis eius uindicare: ſed hic zelus nõ eſt ſecundum ſcientiam, ideoq; fit nefariũ ſcelus. Primùm eñ, non inquirunt pro officio ſuo in hunc Ieſum, nũ, quod publicè iactabatur, ſit uerus Meſsias: ſed cõtinuò decernunt, eum tanẽſ blaſphemũ, occidendũ. Hoc certè non eſt gloriæ Dei fauere, ſed impio & crudeli animi ſui furori ſeruire: deinde manifeſtè indicant, ꝙ non intelligant dicta prophetarũ de Meſsia. Nam prophe-

Quies Dei in die ſeptimo.

Deus pater Chriſti.

Arrianorum & Iudæorum collatio.

tæ

tæ clarè docent, Meſsiam eſſe filiũ Dei, & ſedere ad dextram Dei. Dominus, inquit, dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. & iterũ: Dixit DOMINVS Domino meo, ſede à dextris meis. Sedere autem à dextris Dei, eſt æqualẽ habere cum Deo potentiam & maieſtatẽ. Quare, cum Iudæi ſentiant, eum qui ſe profitetur eſſe Meſsiã, blaſphemum & contumelioſum eſſe in Deũ, cum prædicat ſe Deo æqualẽ: haud obſcurè produnt imperitiam ſuam, & palàm ſignificant, ſe nondũ cognouiſſe ueram ſentẽtiam earum concionum, quæ de Meſsia in prophetis extãt. Sed abeant impĩ illi homines, indigni de quibus tot uerba faciamus. Nos autẽ maneamus in Ieſu Chriſto Domino noſtro, qui cum ſedeat à dextris Dei, & gubernet ac moderetur omnia uerbo potentiæ ſuæ, exhibuit ſemetipſum ſeruatorem omniũ credentium in ipſum, ut conſequamur cœleſtem ſalutem, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XLV.

MAGNA eſt impietas & crudelitas, qua Iudęi perſequuntur Chriſtum, & quęrunt ipſum interficere: ſed maior eſt pietas et bonitas, qua Chriſtus maluit aduerſariĩs ſermone reſpondere, cꝙ fulmine eos ferire. Sequitur enim apologia, in qua Chriſtus primùm exponit, opera ſua non eſſe humana, ſed diuina: deinde recenſet quædam diuinorũ operum genera, quæ ipſe à Deo patre ſuo facienda accepit: poſtremò commemorat aliquot teſtimonia, quibus manifeſtè probatur, cꝙ ipſe talis ſit, qualẽ ſe prædicat, uidelicet uerus Meſsias, & filius Dei. Hæc eſt ſumma totius concionis, quam Chriſtus habet uſcꝙ ad huius capitis finem. Erigamus igitur mentes & aures noſtras, & Chriſtũ Dominum noſtrum de rebus optimis, atcꝙ ad ſalutẽ noſtram maximè neceſſariĩs dicentẽ, attendamus. Reſpondit itacꝙ Ieſus, & dixit eis: Amen amẽ dico uobis, nõ poteſt filius à ſe facere quicq̃, niſi quid uiderit patrem facientẽ. Quæcunqꝙ enim ille fecerit, hæc ſimiliter & filius facit. Quod Ieſus dicit, hanc habet ſententiam: Vos exiſtimatis me hominem tantũ, ac mea opera, humana dũtaxat opera eſſe, ideoꝙ iudicatis me impiè agere, cꝙ & ſabbato curem ægrotũ, & affirmem, Deum proprium meum patrem eſſe. Ego autem nõ diſsimulo, ſed ingenuè fateor me uerum eſſe Meſsiam illum, quẽ prophetæ, autore ſpiritu ſancto, uenturũ promiſerũt: ideoꝙ dico, me uerum eſſe, & naturalẽ ac æternum filiũ Dei, & mea opera eſſe uerè Dei opera. nã de Meſsia in ĩ. Pſalm. ſic ſcriptũ eſt: Dñs dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. In hoc Pſalmo, qui manifeſtè de Meſsia ſeu Chriſto cõcionatur, Chriſtus clarè dicitur filius Dei. Non eſt aũt filius Dei, creatione, ut Deus dicatur pater eius, quemadmodũ in Iobe dicitur pater pluuiæ, & gignere ſtillas roris: nec eſt filius adoptione, ut Deus talis ſit pater eius, qualis eſt omniũ piorũ: ſed eſt filius Dei natura, ab æterno à Deo patre genitus, & eiuſdẽ cum Deo ſubſtantiæ, ſeu eſſentiæ ac maieſtatis. Cũ igitur Chriſtus ſit uerus & æternus filius Dei, fieri nõ poteſt, quin opera eius ſint Dei opera. Primùm. n. filius nõ poteſt facere quicquã, niſi uiderit patrem facientẽ. Natura etiã inter ho-

Chriſti opera diuina eſſe.

Chriſtus Dei filius quomodo.

Iob. 38.

mines fert, ut filius referat patrẽ ſuũ, multo magis hoc fit in diuina natura. Ac ſolet quidẽ inter homines aliquoties fieri, cp filius degeneret à patre ſuo, cuius rei multa ſunt exẽpla, & prẽcipua in filijs ſanctiſsimorũ uirorũ Samuelis & Dauidis. extat & publicũ dictum: Heroũ filij, noxæ. In diuina autẽ natura nullo modo fieri poteſt, ut filius degeneret à patre. Vna em̃ eſt, & eadẽ patris & filij eſſentia, poteſtas & maieſtas. Nec eſt ulla ibi trãſmutatio, aut uiciſsitudinis obũbratio. Quare nec fieri poteſt, ut filius quicquã aliud à ſeipſo excogitet aut faciat, cp quod uiderit
» patrẽ facientẽ. Deinde, Pater (inquit) diligit filiũ, & omnia demonſtrat
» ei, quę ipſe facit. Nã in humana natura patres tanto amore ſolẽt liberos ſuos, quos uel in literis, uel in opificio erudiunt, complecti, ut nihil eos, quod profuturũ ipſis intelligũt, celent: ſed omnia eis demõſtrent ac doceant. Longè aliter tractant ſeruos, quippe à quibus opera tm̃ exigunt, cũ filijs aũt, etiã arcana quæcp artis ſuę cõmunicant: quanto magis in diuina natura, pater tantopere diligit filiũ, ut omnia ei demõſtret? Acinterdũ fieri poteſt, ut inter homines tã inuidus, tam durus & crudelis ſit pater, qui nihil magis faueat filio cp ſeruo, ac nihilo plus arcana artis ſuę cũ illo cp cum hoc cõmunicet: in Deo aũt longè aliter res ſeſe habet. In diuina enim natura pater non differt eſſentia & maieſtate ſua à filio, ſed quicquid eſt Deus pater natura ſua, hoc totũ, ut ita dicam, effudit in filium, ut filius ſit ſplẽdor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ Dei. Quare opera quę filius facit, nõ ſunt humana opera, ſed uerè diuina: ideoq; minimè damnanda, ſed magna ueneratione ſuſpiciẽda. Habes unã partẽ concionis Chriſti, in qua, quia alius prędicatur pater, alius filius, manifeſtè traditur, patrẽ & filiũ in diuina natura, duas eſſe diſtinctas perſonas: quibus & aliàs accedit tertia perſona, quæ eſt ſpiritus ſanctus.

Patris & filij una eßentia.

» Sed quia prorſus eadẽ ſunt opera patris & filij & ſpiritus ſancti, ſequitur, has tres perſonas, non eſſe tres Deos, ſed unũ tantum uerũ & æternum Deũ, benedictum in ſecula. Videamus aũt nunc alterã partem cõcionis, in qua Chriſtus enumerat aliquot genera operũ, quæ Deus pa-
» ter ei demonſtrat: Pater, inquiens, omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit,
» & maiora his demõſtrabit ei opera, ut uos miremini. Quid ad hęc dicemus? Cũ pater demõſtret filio opera ſua, ergo ne filius minor eſt patre, & indiget præceptore, aut prędemonſtratore? Quod ad diuinã naturam attinet, certè filius non eſt minor patre, ſed eiuſdẽ cum patre eſſentię & maieſtatis. Vtitur aũt Chriſtus uerbo demõſtrandi, primùm, ut ſignificet, ſe filiũ Dei, non eſſe à ſeipſo, ſed à patre genitũ. Itacp in humana quidem natura, demonſtrare ſignificat ignorãtem docere: in diuina autem natura ſignificat, patrem ſuam potentiam et maieſtatem ab ęterno, cum filio, quẽ genuit, communicare. Filius enim Dei, æternus eſt Deus: hoc differens à patre ſuo, cp pater ſit genitor, ipſe autẽ genitus. In principio, inquit Ioannes, erat uerbum (quod eſt filius Dei) & uerbum erat apud Deũ, & Deus erat uerbũ. Deinde, cum Chriſtus filius Dei hæc loqueretur, aſſumpſerat iam hominẽ, qui etſi coniunctus eſt in unitate perſonæ, cum filio Dei: tm̃ profecit ſapientia, ætate & gratia apud Deũ & homines, quẽadmodũ Lucas loquitur. Quare, ut dicitur profeciſſe ſapiẽ-

Operum diuinorum genera.

Demonſtrare quid ſignificet.

tia,

tia, ita etiã rectè dicitur à Deo patre edoctus esse in edendis miraculis. Pater (inquit) omnia demõstrat ei, quę ipse facit, & maiora his demonstrabit. His uerbis cõfert Christus inter se ea miracula, quæ hactenus diuina potentia edidit, & ea quæ postea editurus est. Nam Christus fecit ex aqua uinũ. Hoc certè magnum & insigne opus est, quod ei pater demonstrauit, hoc est, quod Iesus fecit sua ipsius diuina potẽtia & natura, quã habet ab æterno, à Deo patre suo: præterea restituit paralytico triginta octo annorũ, repentinam sanitatẽ. Est & hoc magnũ opus, quod Deus pater demõstrauit filio suo. Atq; hæc quidẽ, & id genus alia, sunt magna & præclara opera: sed maiora, inquit, his demonstrabit ei, Iesus maiora edet miracula ex propria diuina sua uirtute. Quæ ergo sunt illa maiora opera? Sequitur: Sicut enim pater suscitat mortuos, et uiuificat, sic & filius quos uult uiuificat. Hic iterum uides duas personas, patrem & filium, sed unum ac idem opus, ut scias unam & eãdem esse naturam atq; essentiam patris & filij. Primùm ergo, maius opus mutatione aquę in uinũ, et curatione paralytici, est suscitare ac uiuificare mortuos. Sicut pater, inquit, uiuificat mortuos, sic & filius uiuificat, quos uult. Nõ deest filio potestas, si modò adfuerit uolũtas. Si uult tantũ, potest etiã, quia habet eandem naturam et essentiam cum Deo patre suo. Nec existimes hanc esse uanã iactationẽ. Filius enim Dei re ipsa probauit potestatem suã in resuscitandis mortuis. Reuocauit enim ad uitam mortuũ filium uiduæ, excitauit & Lazarũ iam quatriduanum, & alios, de quibus scribunt Euãgelistæ. Sed & prophetæ, inquies, suscitarũt mortuos, quemadmodũ scriptura testatur de Elia & Elizeo, & tamẽ hi non iactarũt se eiusdẽ esse cum Deo essentię & potentiæ? Rectè. Suscitarunt mortuos, diuina quidem, nõ autem sua propria, sed aliena & mutuatitia uirtute: Christus autẽ suscitauit mortuos sua ipsius propria uirtute. Pręterea illi suscitarunt alios mortuos, non potuerunt autẽ sese ipsos à morte suscitare: sed Christus suscitauit seipsum à morte, qua etiã re manifestè probauit & declarauit, q̃ quos antè suscitauerat mortuos, eos sua propria uerè diuina uirtute suscitauerit. Declaratus est, inquit Paulus, filius Dei potẽter, ex eo q̃ resurrexit à mortuis. Adhæc prophetæ suscitarũt quosdã mortuos, ad hanc corporalẽ & caducam uitã: Christus aũt non solum suscitauit quosdã mortuos ad hanc caducã uitam, sed etiam suscitabit omnes homines è puluere terræ, ut qui bona fecerint, habeãt æternam fœlicitatẽ: qui uerò mala, habeant æternam damnationem. de qua re Christus postea copiosè cõcionabitur. Hoc certè non est opus humanæ, sed diuinæ potentiæ. At hoc, inquis, opus nondũ uidetur, & incertum est num sit futurũ. Quam hic audio impietatem? Omnia alia quæ prophetæ de Christo prędixerũt, impleta sunt, & dubitas de huius impletione? Prophetę prędixerunt Christũ uenturũ, & uenit: prędixerũt Christũ editurũ miracula, & edidit: predixerunt eum moriturum quidẽ, sed iterũ à morte resurrecturũ, mortuus est & resurrexit, ac resurrectionem suã certissimis argumentis testatus est: prædixerunt Euangelion Christi uulgandũ esse in totum orbẽ terræ, & gẽtes recepturas Euangelion eius, uulgatũ est, & gentes receperũt. Quid? cum hęc omnia

Suscitare mortuos, opus Christi.

Prophetarum miracula.

manifestè impleta sint, diffidis generalē resurrectionem mortuorū, per
Ad Titum 3. potentiā Christi, uenturā? Scio pertinacibus & obstinatis impijs nūq̄ posse satis fieri, sed scio etiā, q̄ hi euersi sint, ac peccent proprio iudicio condēnati. Quare his suæ impietati relictis, persequemur nostrū institutū. Habes unū opus, uidelicet suscitare & uiuificare mortuos, quod maius est mutatione aquæ in uinum, & sanatione paralytici. Sequitur nūc aliud maius opus, quod est iudicare uniuersū mundū. dicit.n. Chri
» stus: Neq̄ pater iudicat quenq̄, sed omne iudiciū dedit filio, ut oēs ho-
» norent filiū, sicut honorant patrē. Qui nō honorat filiū, nō honorat pa-
» trē, qui misit illū. Sicut resuscitare mortuos excellit opus sanationis pa-
Iudicare mundū, opus Christi. ralytici, ita etiā iudicē esse uiuorū & mortuorū, excellit omnia alia miracula, & superat omnē humanam maiestatē. Pater aūt non solū demōstrat filio, ut resuscitet mortuos, sed etiā fecit eum iudicē uniuersi mūdi. Pater (inquit) nō iudicat quenq̄, sed omne iudiciū dedit filio. Quid aūt sibi uult hic sermo? An' nō antè dictū est, Non potest filius à se quicq̄ facere, nisi quid uiderit patrē facientem? Si ergo pater neminem iudicat, quomodo quēpiam iudicabit filius, cum non uideat patrē iudicantem?
Ioannis 12. Quid, quòd & postea dicit Christus: Non ueni, ut iudicem mundum? Hæc sunt digna accurata consideratione. Nā, quod dicitur, Pater nō iudicat quenq̄, sed omne iudiciū dedit filio, una est è præcipuis γνώμαις Euangelij, & continet statū totius Christianismi, certioresq̄ facit omnes in Christum credētes de uera & perpetua sua salute. Quare hac sen-
Pater quomodo iudicet. tētia nihil nobis notius, nihil cōmendatius esse debet. Quid ergo est, Pater nō iudicat quenq̄? Primùm, Ecclesiastici scriptores sic interpretantur, q̄ pater idcirco non iudicet quenq̄, sed omne iudiciū filio dederit: quia filius manifestus uenturus sit ad iudiciū, apparens in humano corpore, ut hominis forma uideatur à pijs & impijs, à iustis et iniustis, à cōfisis & cōfusis. Sentiūt.n. Christum uidendū in iudicio in humana forma à pijs et impijs, sed postea uidēdum tm̄ à pijs in diuina forma. Deinde nō intelligendū est, patrē omnino nullū iudicare: sed intelligendum est, patrē non iudicare de hominibus, sine unigenito filio suo. Iudicat.n. omnē terrā, ut Abrahā ait, sed iudicat per filiū, & iuxta sententiā ac doctrinā filij. Itaq̄ dicitur omne iudiciū dedisse filio, nō q̄ ipse omnino nō iudicet, sed q̄ ipse prorsus accōmodet iudiciū suum ad arbitriū, sententiā & doctrinā filij sui. Videamus ergo, quod sit arbitriū, quę sit doctrina filij Dei, ut & cognoscamus, iuxta quam legē seu doctrinā sententia nouissimi iudicij ferenda sit. Non possumus aūt id certius cognoscere, q̄ si cōferamus genera legū & doctrinarū cum eo officio, quo propriè filius Dei in his terris defunctus est. Ac primùm, unum genus legis seu doctrinæ est, quā uocamus legē naturalē. Hęc est humanę rationi diuinitùs insita, & quasi insculpta. Etsi.n. cognitio eius obscurata est per pctm̄ originis, tm̄ remanserunt etiā in hac uitiata natura uestigia quędā, ex quibus diuina impressio haud difficulter notari potest. Quid ergo dicemus? num sententia extremi iudicij pronunciabitur secundum hāc legē naturalem, ut qui eam seruauerit, seruetur: qui uerò uiolauerit eā, condemnetur? Posset quidem Deus iudicium secundum hanc legē fer-

re,

re, sed omne iudiciū dedit filio: qui etsi docuit & ipse aliquoties ea quæ naturali lege cōtinentur, uidelicet Deū esse bonum, Deum esse diligendū. &, Omnia quæcūq; uoluertis ut faciāt uobis homines, sic & uos facite illis: hęc tn doctrina nō fuit propriū illud officiū, propter quod filius Dei è cœlo in terrā missus est. Nā hæc doctrina extitit in terris, priusq; filius Dei hominē assumpsit, et si secundum eam sententiā extremi iudicij pronunciaretur, nullus hominum consequeretur salutem. Nullus enim hominū hanc legem perfectè seruauit, sed omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Quare si Deus non dedisset omne iudiciū filio suo, sed iudicaret secundum hanc legē, omnes homines sempiterno interitu perirent. Deinde aliud legis seu doctrinæ genus est, lex Mosi, quæ & exponit legem naturæ, & addit quædā politica & cærimonialia. Num ergo iudicabitur in nouissimo die iuxta hanc legem? Minimè omnium. Non enim dicitur, Pater dedit omne iudiciū Mosi: sed dicitur, Pater dedit omne iudiciū filio, FILIO inquam, nō Mosi. Etsi em̄ filius Dei fuit obediēs legi Mosi, & aliquoties explicuit eam copiosè & grauiter, non tn uenit in hunc mundū, ut esset doctor legis Mosaicæ: nec hoc fuit præcipuū eius officiū, propter quod è cœlo descendit, quia hęc lex erat antea tam per Mosen ipsum, q̄ per prophetas explicata: & sicut nullus hominū seruaretur, si Deus ferret extremū iudicium secundum legem naturæ, ita nullus seruaretur, si Deus pronūciaret sententiā extremi iudicij secundum legē Mosi, propterea q̄ & hæc lex cōtineat legem naturæ: & quæ sunt politica atq; cærimonialia eius, nō solum non obseruantur inter gētes, sed nec ab ipso quidē Mosaico aut Iudaico populo semper, ac perfectè unquā obseruata fuerunt. Accepistis, inquit Stephanus, legem per dispositiones angelorum, nec seruastis. Præterea aliud genus legis est, lex Romana, aut lex Attica, aut leges aliarum Rerumpublicarum & imperiorum in his terris, quæ continent quidem aliquam doctrinam ciuilis honestatis & tranquillitatis, nō pronunciabitur autem extremum iudicium secundū has leges. Nam præter hoc, quod gentium leges statuant aliquoties, aut iniqua, aut impia, non docent etiā, ubi optimè docent, nisi ciuilem quandā iusticiam, quæ in iudicio Dei non potest constare. Et quod maximum est, scriptura non ait, Pater dedit omne iudicium Solōni, aut Lycurgo, aut Iustiniano: sed ait, Pater dedit omne iudiciū FILIO suo. Numerantur & inter genera legum, Canones pontificij, sed nec secundum hos iudicabitur in nouissimo die. Tametsi enim Romani pōtifices gloriātur, se esse successores Petri, cui datę sunt claues regni cœlorū: tamen hæ claues longè aliud significant, q̄ quod pontifices de summa sua potestate, aut potius tyrannide in Christianorū imperio interpretātur: et sunt aliquot Canones, qui impia & manifestè cū uerbo Dei pugnātia docent. Quomodo igitur fieri posset, ut secūdum eos sententia extremi iudicij pronunciaretur? Huc pertinent etiā regulæ Monasticæ. Sed quid? num dicitur: Pater dedit omne iudiciū Francisco, aut Dominico? Hi fuerūt fortasis boni uiri. Pater autem non dedit iudicium suum horū decretis, aut successorum eorum constitutionibus, sed

Legis naturalis doctrina.

Legis Mosi doctrina.

Lex Romana.

Pontificij Canones.

Monasticæ regulæ.

Iudæorum Thalmud. Alcoranus.

dedit omne iudicium FILIO ſuo. Poſtremò in legum & doctrinarum ordine ſuum etiam locum uidẽtur habere Iudæorum Thalmud, & Saracenorũ ac Turcarum Alcoranus: ſed cum in his cõtineantur innumera, quę partim ſunt abſurda, partim iniqua, partim blaſphema et impia, indignum eſt ut legis nomine ornẽtur: ac manifeſtum eſt, cp pater non dederit iudiciũ ſuũ Rabbinis & Mahumeti, ſed ſoli unigenito filio ſuo, Domino noſtro Ieſu Chriſto. Quæ ergo eſt ſentẽtia, quæ eſt doctrina Chriſti filij Dei, ut ſciamus ſecũdum quam doctrinam extremum iudiciũ ferendum ſit? Multa quidem docuit Chriſtus ex lege Moſi & prophetis, ſed hec eſt propria eius doctrina, ad quam uulgandã è cœlo deſcendit, cp ipſe ſit uerus ille Meſsias filius Dei, qui uenerit in hunc mundum ad expianda peccata hominũ: & quòd omnis qui credit in eũ, non pereat, ſed habeat æternã uitam. Hæc ſola eſt doctrina illa, hoc ſolũ eſt Euangelion illud, iuxta quod iudicabitur in nouiſsimo die. Nõ audiet te iudex, ſi dixeris: Secutus ſum legem naturę, aut obediui legi Moſi, & ſuſcepi circũciſionem, aut ſeruaui leges Romanas. Multo minus audiet te, ſi dixeris, Duxi uitã ſecundum Canones põtificios, aut factus ſum monachus, aut ſectatus ſum decreta Rabbinorũ, ſeu Mahumetis. Rurſus, nõ reiiciet, non condemnabit te iudex, etiamſi conuictus fueris peccati, & fatearis te legẽ Dei uiolaſſe, ſi modò probaueris, te uerè in Chriſtum filiũ Dei credere. Nam eum tantum audit & ſeruat, qui eſt Chriſtianus, aut, ut nunc uulgò loquuntur, Euangelicus, hoc eſt, qui uerè in Chriſtum crediderit, & hunc ſolum ſuum ſeruatorem agnouerit. Patet enim omne iudiciũ dedit filio ſuo. Filius autẽ hoc publicè teſtatus eſt, quòd nullũ eorum qui in ipſum credũt, condemnet. Omnis, inquit, qui credit in filiũ, habet æternam uitam. & iterum: Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur inęternũ. Quid poteſt dici manifeſtius? Scio quidem multos fingere fidem, & interim ſcelera ſectari. Nos autẽ nunc non loquimur de ficta & hypocritica fide, ſed de uera fide in Chriſtũ, qua & Chriſtus apprehenditur ut iuſtificator & ſeruator: & ex qua etiam fit, ut renouemur, ac in nouitate ſpiritus ambulemus. Seruamur autẽ in iudicio Dei, non propter hanc noſtrã nouitatem, ſed tantũ propter Chriſtum, per fidem acceptũ: ideocp non dicitur, Pater dedit omne iudicium nouitati noſtræ, ſed filio ſuo, uidelicet ut quiſquis Euãgelio filij crediderit, & acceperit per Euangelion, Chriſtum, pro iuſticia & ſalute ſua, ſeruetur in iudicio Dei, ut non condẽnetur, ſed ſempiternam ſalutem conſequatur. Hoc idem docet aliàs Chriſtus, cũ affirmat apoſtolos ſuos iudicaturos mundum: Amẽ, inquiens, dico uobis, quòd uos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael: hoc eſt, extremum iudiciũ pronũciabitur, non ſecundum legẽ Moſi, aut Canones pontificũ, ſed ſecundum doctrinam apoſtolorum. Hæc autem eſt doctrina, propter quam apoſtoli miſsi ſunt in uniuerſum orbem terræ, quòd ſolus Ieſus Chriſtus ſit iuſticia, ſanctificatio et redẽptio noſtra, & cp hi ſoli qui in Ieſum Chriſtum credunt, ſeruentur propter Chriſtum.

Chriſti doctrina.

Iudicium extremum pronunciabitur iuxta ſententiã filij Dei.

Cum

Cum ergo omne iudicium datum sit filio Dei, Dño nostro Iesu Christo, quid nunc nobis faciendum erit? audi quid sequatur: Vt omnes, inquit, honorent filium, sicut honorant patrem. Qui nõ honorat filium, non honorat patrẽ, qui misit illum. Obseruabilis appẽdix, qua & excitantur homines ad credendũ Euangelio Christi, & refutatur eorũ impietas: qui etsi contẽnunt Christũ, tamen quia gloriantur de Deo, pollicentur sibi absq; Christo salutẽ. Nam honorare filium, est credere Euangelio Christi, q; ipse sit uerus filius Dei, expiator peccatorũ nostrorum, iustificator & seruator noster. Adhæc honorare filiũ, est ex fide in Christũ, facta carnis mortificare, in nouitate uitæ ambulare, ac diuinæ uocationi obedire. Nũc ergo uide mihi, quæ sit spes salutis eorum, qui gloriantur de Deo, & tamen non requirunt filium Dei, Iesum Christũ. Ethnici profitebantur quõdam Deum, ac dicebant eum esse optimum, maximũ, patrem hominum q; deũm q;, quem etiam suis sacris honorare uisi sunt: sed hæc professio nullã attulit eis salutem, propterea q; non honorarunt filiũ. Non enim crediderunt, quòd contingat ipsis benedictio per semen Abrahæ promissum, quod est Christus filius Dei. Qui autẽ non honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum: hoc est, frustra gloriatur de Deo, frustra iactat se Deũ habere propitium, frustra sperat à Deo salutem, qui ignorat, aut contemnit filium Dei. Iudæi, qui nũc sunt, multa & magna prædicant de Deo, creatore cœli & terræ, ac liberatore ipsorũ è seruitute Ægyptiaca atq; Babylonica: sed prædicatio eorũ uanissima est, nec quicquam eis ad salutem prodest. Non enim honorant filiũ Dei, sed potius proscindunt eum omnibus cõuicio rum & blasphemiarũ generibus. Qui autem non honorat filium, non honorat patrẽ, qui misit illum. Turcæ hoc unum semper in ore habent, Deus unus est, & insolentissimè iactant, se hunc Deũ, cõditorem mundi, colere et adorare. sed quid? nũ dicemus eos esse ueros Dei cultores? Minimè omniũ. Non.n. honorant filiũ Dei, quia etsi Alcoranus Turcarũ fatetur Christum esse uerbum Dei: tñ dicit eum fuisse legislatorẽ, & negat eum esse filiũ Dei, adeo q; uerum Deum. Quod certè est Christũ contumelia afficere, & honorem debitum ei detrahere. Qui autem nõ honorat filium, non honorat patrem, qui misit illum. In hoc catalogo ponendi etiã sunt hypocritæ inter Christianos, qui uidentur & Deum inuocare, & Christũ filium Dei adorare, & tamen iudicãtur impij. Quid ergo deest eis? Nõ honorant Christum, ut Christum, non tribuunt Christo filio Dei debitã maiestatem. Sentiunt enim sua opera esse merita remissionis peccatorũ & uitæ æternæ, ac Christum esse legis latorem & iudicẽ humanorum meritorum. Hoc est ex Christo condemnatorẽ facere, & meritis humanorũ operum maiestatẽ Messiæ tribuere: quæ quanta sit blasphemia, obscurũ non est. Quomodo ergo honorarent patrẽ, qui sic inhonorant filiũ? Postremò his annumerandi sunt scelerati homines, qui etsi designãt scelera impœnitẽter, & pergũt semper secundũ carnem uersari: tamen gloriantur de misericordia Dei, & iactãt se, inimicos quidẽ hominum, amicos autem Dei creatoris nostri. Sed hi, cũ manifestè indicent sceleribus suis, quòd non uerè credant in Christũ,

Filium honorare quid sit.

Christũ, & sordident nomẽ Christi impura & flagitiosa sua uita, in qua impœnitẽter & prẽfractè pergũt, frustra blandiũtur sibi de misericordia Dei. Qui. n. non honorat filium, nõ honorat patrẽ, qui misit illum. Nam Deus pater dedit propter hãc causam omne iudiciũ suum filio, ut excitentur homines ad honorandũ filium. Honoratur aũt filius, quemadmodum paulo antè indicauimus, cum Euãgelion eius excipitur fide, cum ipse agnoscitur per fidẽ, ut expiator peccatorũ & seruator, cum honesta agitur uita, in inuocatione Dei patris per filium. Hęc sunt uera sacra, quibus & pater & filius honorãtur. Amplectamur igitur filiũ Dei, & ut Psal. loquitur, osculemur eũ, ut tranquilla & secura conscientia ad iudicium Dei accedamus, & ueram ac perpetuam beatitudinem consequamur, per eundẽ filium Dei Dñm nostrum Iesum Christum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLVI.

EXPOSVIMVS duo excellentissima opera, quæ pater demonstrat filio suo: quorum alterum est, suscitare mortuos: alterum, iudicare mundum. Cum autem Christus dixisset, patrem dedisse filio omne iudicium, addidit: Vt omnes honorent filium, sicut honorant patrem. Considerandũ igitur nunc est, quid faciendum sit, ut filius honoretur, & quis sit honor, qui filio maximè omniũ placeat. Etsi autẽ diximus de hac re quędam in superiori Homilia, tamen ut iucundius, ita etiam utilius est, hoc ex ipsis Christi uerbis cognoscere. Audiamus ergo quæ Christus
» doceat: Amen amen dico uobis, qui uerbum meum audit, & credit ei
» qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium nõ uenit, sed transi-
» uit à morte in uitã. Hoc dictum multis nominibus obseruabile est, primùm, quòd nõ simplex homo, sed filius Dei, uerus Messias hoc loquatur: deinde, quòd non simpliciter hoc loquatur, sed cõfirmet iuramento, Amen, inquiens, amẽ dico uobis. Hæc est forma, qua Christus iurare solet. O nos fœlices, quorũ causa filius Dei iurat: ô nos miserrimos, si ne iurãti quidẽ credimus. Adhæc, docet hoc dicto, quid sit ipsum honorare. Postremò indicat etiã, quid honorans ipsum cõsequatur: Qui uerbũ, inquit, meum audit, & credit ei qui misit me. Honorare igitur filium, est audire uerbũ filij, & credere ei qui misit illum, hoc est, credere, ꝙ uerbum filij, sit uerè uerbum Dei. nam apud Mosen dicit Deus pater de filio suo: Ponam uerba mea in ore eius, & loquetur ad eos omnia quæ præcepero illi. Quare hic est honor, quem filius exigit, ut uerbum eius audiatur, non aũt habeatur pro humano, sed pro uerè diuino uerbo. Videndũ ergo nũc est, quod sit uerbũ illud filij Dei, quod audire, et cui, ut uerè diuino uerbo, fidẽ adhibere debeamus. Nã Christus filius Dei, uaria docuit, ac uniuersa quidem doctrina eius, pia est & recta: in hoc aũt loco nõ est nobis sermo de quouis uerbo, quod filius Dei in his terris locutus est, sed tm̃ de eo uerbo, quod fuit ei propriũ, & ad quod adnunciandũ missus est à Deo patre suo in hunc mundũ. Christus em̃ docuit aliquoties legẽ Mosi, & explicuit Decalogum. Quale illud est, quod apud Matthæũ dicitur, Audiuistis, ꝙ dictum sit ueteribus: Non occides.

Honor filij Dei.

occides. Quisquis aũt occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, ꝙ quisquis irascitur fratri suo, obnoxius erit iudicio, & id genus reliqua. Hoc uerbum, & hæc doctrina, etsi uerissima est, tñ non est ea, de qua nũc nobis fit sermo, quippe quę antè fuit per Mosen & prophetas adnunciata & exposita, priusꝙ Christus hominẽ assumpsit: & Christus non in hunc præcipuè usum uenit in terrã, ut hanc doctrinam adnũciaret. Deinde Christus alicubi uaticinatus est, uenturã deuastationẽ urbis Hierusalẽ. Quod naticinium uerissimum fuit, ac re ipsa sic impletũ est: in hoc autem loco nõ loquimur de isto uerbo, propterea quòd non fuit necessarium, ut ad adnũciandum hoc uerbum filius Dei homo fieret. Potuisset enim spiritus sanctus hoc per hominẽ quendam prophetam reuelare, quemadmodũ & id antè per prophetas, ac præcipuè per Danielẽ significauerat. Ciuitatem, inquit ille, & sanctuarium dissipabit *populus* cum duce uẽturo, & finis eius uastitas. Sed loquimur nunc de *eo uerbo*, quod est propriũ Christo, & ad quod prædicandum uenit *in hunc mundũ*. Quod ergo est illud uerbum? certè non est aliud ꝙ Euangelion Christi, in quo prædicatur, ꝙ ipse sit uerus filius Dei, ꝙ sit uerus Messias, quẽ spiritus sanctus per prophetas promiserit, ꝙ sit expiator peccatorum nostrorum, ꝙ sit iustificator & seruator noster. dixit eñ & *aliàs* Christus: Ego sum panis uitæ. aliàs: Ego sum lux mundi. aliàs: Ego sum resurrectio & uita. & rursus: Ego sum uia, ueritas & uita. In cõcione, quam habuit in patria sua, ex propheta Esaia perspicuè significauit, se esse Messiã illum, de quo Esaias scripsisset. Hoc nullus unꝙ uel patriarcharũ uel prophetarum de seipso cõcionatus est. Ac promiserunt quidẽ uenturum Messiã filium Dei, sed nullus corũ suæ personæ hanc maiestatẽ attribuere ausus fuit. Solus Iesus filius Mariæ, de semine Dauidis & Abrahæ, is est, cui licuit hæc de sua persona prædicare. Euãgelion igitur, in quo adnunciatur, ꝙ hic Iesus sit uerus Messias, filius Dei, uerbum illud est, quod & propriũ est Iesu, & ad quod prædicandũ uenit in hũc mundum: nec potest quispiam maiorem honorem exhibere Iesu filio Dei, quàm ut audiat hoc uerbũ, & adhibeat ei, ut diuino uerbo, fidẽ: hoc est, credat hunc Iesum esse, iuxta Euangelion suum, uerum Messiam filium Dei, propter quem Deus sit nobis reconciliatus, & adoptet nos in filios suos ac hæredes omniũ cœlestiũ bonorum. Non honoratur filius Dei triduanis aut quatriduanis ieiunijs superstitione susceptis, nõ honoratur chameunijs eremiticis, nõ monasticis obseruationibus sine uerbo Dei excogitatis: sed honoratur auditu & fide Euãgelij sui, uidelicẽt ut credamus, ꝙ ipse solus sit expiator peccatorũ nostrorũ, & redemptor ac seruator noster. Nã si hæc fides recta fuerit, fieri nõ potest, quin bonos fructus in homine proferat, & efficiat per spiritum sanctũ, ut homo obsequatur diuinæ uocationi, ac faciat ea opera, quæ Deus faciẽda prꝫcepit. Sed de operatione spiritus sancti, in homine credente in Christũ aliàs. Nunc audiamus, quid consequatur is qui sic honoret filium Dei: Qui audit (inquit) uerbum meũ, & credit ei qui misit me: hoc est, qui credit meũ uerbum esse uerè Dei uerbum, habet uitam æternã, & in iudiciũ non uenit, sed trãsiuit à morte in uitam. Tria dicit.

Luc. 4.

Euangelium, uerbũ Christi proprium.

Honorans filium, quid consequatur.

unum

unum est, Habet uitam æternam: alterum, In iudicium non uenit: tertiũ, Transiuit à morte in uitã. Quæ beneficia his maiora excogitari possunt? Quod postremò dicit, hoc primùm tractemus: Trãsiuit, inquit, à morte in uitã. Omnes enim homines obnoxij sunt propter peccatũ, duplici morti. Altera est corporalis, quæ in homine dissolutio tantũ est animæ & corporis ad tempus, uidelicet usq; ad generalem resurrectionem: altera est spiritualis, quæ est perpetua condemnatio hominis. Qui ergo accipit fide Euangelion Christi, & agnoscit Christũ seruatorem suum, is transiuit iam de morte ad uitã. Transiuit (inquit) non trãsibit: quia Christus, quem accepit fide, expiauit peccatũ, propter quod homo factus est morti obnoxius. Sed de qua morte transiuit? nũ de corporali? at manifestum est, omnes homines, non impios tantũ, sed etiam pios mori corporaliter. Nec id mirũ. Etsi enim credentibus in Christũ, peccatũ est remissum propter Christũ, manet tamẽ adhuc carni & sanguini inhærẽs. Quare necesse est carnem & sanguinem mori, ut & peccatum moriatur. Hæc autem corporalis mors in pijs, nõ est condemnatio: hoc est, non est spiritualis mors, sed potius liberatio à peccato, & afflictionibus eius. Peccatum enim non imputatur credenti. Vbi autem nõ est imputatio peccati, ibi non est cõdemnatio. Cum igitur is qui credit in Christũ, dicitur transijsse de morte in uitam, sentiendum est, eum iam effugijsse, etiam in hac uita spiritualem mortem, quæ est perpetua condemnatio: nec corporalem mortem tantarũ esse uirium, ut possit eum transmittere ad interitum, sed potius necesse habere trãsferre eum ad tranquillum & fœlicem rerũ statum, in quo certissimè expectet reuelationem gloriæ filiorũ Dei, & cœlestis hæreditatis. Quis hæc rectè per fidem cognoscens, ad mentionẽ aut etiam aduentũ corporalis mortis, tam horribiliter trepidaret? Quis non secura mente eam susciperet? Cum enim non imputetur ipsi peccatũ propter Christum, ac transierit iam à morte spirituali, seu damnatione ad ius æternę fœlicitatis: tantum abest ut possit ei corporalis mors officere, & fœlicitati eius obstare, ut magis sit iam uia ad cœlestia gaudia, quã ad inferni supplicia. Hæc nobis cogitanda, hæc meditãda sunt, ut discamus trãquilla conscientia ex hoc mundo, uocante Deo, discedere. Deinde, nõ uenit, inquit, in iudicium. Quid ad hoc dicemus? An' non statuemur oẽs apud tribunal Christi? Scriptũ est enim: Viuo ego, dicit Dominus, mihi sese flectet omne genu, & omnis linga cõfitebitur Deo. Quid ergo est, quod de credente in Christum dicitur, Nõ uenit in iudicium? Statuentur quidem omnes homines, siue impij, siue pij apud tribunal Dei: sed magna erit inter ipsos differẽtia. Nã impij, qui nõ agnouerunt Christum, quales sunt idololatræ, Iudæi, illi uidelicet, qui hoc tẽpore Iesum Christũ blasphemia afficiunt, Turcæ, hypocritæ, qui quondã fuerunt inter Iudæos, uel nunc sunt inter Christianos, & scelerati ac impœnitentes Christiani, hi omnes sic statuentur apud tribunal Dei, ut necesse habeãt de toto uitæ suæ genere, de omnibus factis, dictis & cogitatis, adeo'q; de quouis ocioso uerbo rationem reddere. Nolo hic fingas mihi, in extremo iudicio externũ quendam tumultũ, & longam uicissitudinem accusationũ, defensionum,

Mors duplex.

Mors corporalis uicta.

Roma. 14.

Iudicium extremum.

fenſionum, replicationū, duplicationum, & aliarū id genus turbarum, quales ſolent eſſe in humanis conſiſtorijs: ſed iudicium erit diuino modo, nunc quidē inenarrabili & incomprehenſibili, tunc autem manifeſto, ac impijs intolerando. Cū enim impij non afferant ſecū Chriſtum expiatorē peccatorum, & reconciliatorem, nō iudicabūtur ſecundum miſericordiam Dei, quam reiecerūt: ſed ſecundum ſeueritatem Dei, & iuſticiam operum ſuorum. Nullus autem hominum poteſt merito ſuæ ipſius iuſticiæ ſeuerū iudicium Dei perferre. Quare hi omnes ſic ſtatuentur apud tribunal Dei, ut etiam ueniant in iudicium: & cum nō poſſint factorū ſuorum rationem reddere, perpetuò condemnētur. Pij autē, qui agnoſcunt Chriſtum per fidem, ſic ſtatuentur, ut cum ſecum afferant Chriſtū expiatorem peccatorum, et ſeruatorem, non ueniant in iudicium. Necp enim exigitur ab ipſis factorum ratio, quippe quòd regiſtrum, ut uocāt, eorum obductum ſit atramento, ut ſic dicā, rubeo, hoc eſt, ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Cōdonauit, inquit Paulus, nobis omnia delicta, deleto, quod aduerſus nos erat, chirographo, quod erat contrariū nobis per decreta: & illud ſuſtilit è medio, affixū cruci. Cum igitur regiſtrū & chirographum piorum obliteratum ſit ſanguine Chriſti, in tantum nō ueniunt in iudiciū, ut etiam ipſi iudicaturi ſint unà cum Chriſto omnes impios, adeoq; uniuerſum mundū. de Apoſtolis Chriſtus ipſe ait: Amen dico uobis, q uos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. De alijs pijs, Paulus è ſpiritu Chriſti ait: An neſcitis, quòd ſancti mundum iudicabunt? & mox: An neſcitis, quòd angelos iudicabimus? Quanta hæc eſt, obſecro, dignita. quantas maieſtas? quam ſi quis diligēter perpenderet, quomodo poſſet unquam deiecto & triſti eſſe animo? Cogita enim mihi, quid hoc ſit beneficij, quòd qui Chriſtum habet, non neceſſe habeat corā tribunali Dei rationem factorum ſuorum reddere, ſed audiat omnium aliorum rationem: nec iudicetur, ſed iudicet potius ipſe? Quem hæc non in medijs etiamnum aduerſis exhilarant, putas ne eum habere fidem, aut credere Euangelio Chriſti? Rurſus, ſi quis cogitatione tanti beneficij, non excitatur ad ſummam reuerentiam & obedientiam erga Chriſtum Dominū ſuum, ne impietate & iniquitate admittat Chriſtum, quæſo te, num ſana mente eum præditum eſſe credas? Quare, cum Chriſtus tantorum bonorum autor ſit, maximam demus operam, ut eum pietate conſeruemus. Nam, qui habet eum per fidē, ut tranſiuit de morte ad uitam, & nō uenit in iudicium, ita habet, ut uno uerbo dicatur, æternā uitam: quo nomine tota perfecta, & perpetua fœlicitas ſignificatur. Quid nunc eſt quod amplius deſideres? Etſi enim credens in Chriſtū, nihil minus in hoc mundo ſentit, quàm uitam fœliciter conſtantem, ſed potius obnoxius eſt omnibus generibus afflictionum, calamitatum, ac mortis quoque: tamen ius illud æternæ fœlicitatis, quod iam in Chriſto poſsidet, intantū non aufertur per afflictionem & mortem, ut magis per mortē reueletur. Vita ueſtra, inquit Paulus, abſcondita eſt cum Chriſto, in Deo. Quandocunque Chriſtus manifeſtatus

Regiſtrum piorum obductū ſanguine Chriſti.

fuerit,uita uestra, tũc & uos cum illo manifestabimini in gloria. & Ioannes:Nũc,inquit, filij Dei sumus,& nondũ apparuit,quid futuri sumus: scimus autem,quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam uidebimus eum sicuti est. Nam quẽadmodum filius adhuc infans,etsi habet ius totius paternæ hæreditatis,ac etiam Dominus est earũ facultatum, quæ ipsi à parentibus relictæ sunt, tñ quamdiu est sub tutoribus, nihil propemodũ differt à seruo: nec traduntur ei paternæ facultates, ut eas pro sua libidine administret,sed traditur potius præceptori et uerbis et uerberibus erudiẽdus:ita hi qui in Christum credunt, quamdiu sunt in hoc seculo,infantes Dei sunt,nõ adulti uiri. Quare, etsi habent ius ęternæ fœlicitatis propter Christum, & sunt Domini cœlestium bonorũ, tñ dum sunt in hoc mundo,uelut sub tutoribus,uarijs aduersis erudiuntur,ut suo tempore hęreditatem Dei patris reipsa accipiãt. Habes quid faciẽdum sit, ut honoretur filius,quid item hi qui filium honorant,consequantur:quę tãto diligentius nobis cognoscenda sunt,& conseruanda,quanto maiorẽ & illustriorẽ nobis lucẽad percipienda cœlestia bona afferunt. Reuertamur nunc ad catalogum eorum operum,quę pater
» filio demonstrat: Amen amẽ, inquit,dico uobis,ꝙ ueniet hora,& nunc
» est, quãdo mortui audient uocẽ filij Dei, & qui audierint,uiuent. Cum
Suscitare mortuos, opus filij Dei. hic iterum fiat mentio suscitationis mortuorũ, posset quispiam putare Christũ id repetere,quod suprà dixit,Sicut pater suscitat mortuos,et uiuificat,sic & filius quos uult uiuificat. sed est triplex genus suscitationis mortuorũ. Vnum est,cum mortui suscitantur ad recipiendã et agẽdam hanc corporalẽ uitam,iterũ morituri, quemadmodum suscitati sunt filius uiduæ,& Lazarus. Alterũ est, cum mortui peccatis suscitantur ad
Suscitationis mortuorum tria genera. uitam iusticiæ,hoc est,cum impij iustificãtur. Tertium est,cum mortui corpore suscitabũtur in nouissimo die, in generali resurrectione,ut reportet unusquisqꝫ quod fecit, siue bonũ,siue malum. Ac de primo quidem genere Christus suprà dixit,cum ait:Filius,quos uult,uiuificat.De postremo deinde cõcionabitur.Nunc autem loquitur de altero illo genere,quo impij uiuificantur iusticia: Venit,inquiens,hora, & nunc est, quanto mortui audient uocẽ filij Dei,& qui audierint,uiuent. Mortui hoc loco dicuntur impij,ac præsertim gentes idololatrę,quòd & peccatis mortuæ fuerint,& nõ coluerint Deũ uiuentem, sed Deos mortuos, ac fictitios. Sic & Christus aliàs impios uocat mortuos: Sine ut mortui,inquit,sepeliãt mortuos suos. & Paulus: Expergiscere qui dormis, & surge è mortuis,& illucescet tibi Christus.ac iterũ: Cum essetis mortui per delicta & per præputiũ carnis uestræ,simul cum illo uiuificauit. Vox autẽ filij Dei est Euangelion, quod per Apostolos uulgatum est inter gentes. Vaticinatur ergo Christus de resipiscentia peccatorũ, ac præcipuè de uocatione gentiũ. Veniet, inquiens,hora,& nũc est,quando mortui audient uocẽ filij Dei,& qui audierint,uiuent:hoc est,Pater non solũ dedit mihi, ut resuscitem unum & alterum mortuum ad hanc corporalẽ uitam agendam, sed etiam dedit mihi, ut per Euãgelion meum iustificẽ impios. Nam iustificare impium,non minus opus est, ꝙ suscitare mortuũ. Ego uerò non uulgabo Euangelion meũ inter Iudæos

tantum,

tantum, ſed etiam inter gentes, quæ à uobis Iudæis, quaſi mortuę reputanturut: quotquot audierint fide ſua, uiuant, hoc eſt, reputentur corã Deo iuſti, quæ eſt uera & ſpiritualis uita. Magna hoc dicto Chriſti, & memorabilia docẽtur. Primùm, quod impios uocet mortuos, quã horribile ſpectaculũ nobis proponit, ſi multitudinem hominum ſpiritualibus oculis intueamur. Maxima enim hominũ pars impiĩ ſunt, qui & tanta potentia, ſcẽiẽtia, opulẽtia, amplitudine & dignitate præditi ſunt, ut ſoli in terris uiuere uideãtur: & tamẽ ſi rectè conſideres eos, non ſunt niſi cadauera per ſe quidem mortua, ſed in quibus uiuus Satã inter homines obambulat. Scio eos iuxta phyſicas rationes ueros eſſe homines, quòd cõſtent ex corpore & anima rationali: ſed ſi iudicabitur de eis ſecundum impietatem eorum, propter quam Satan in ipſos dominatur, profectò haud iniuria uocaueris ipſos ueluti cadauera mortua, quòd alieni ſint à Deo uiuente & tanquã larua Satanæ, quòd pro libidine Satanæ ad quæuis ſcelera impellantur. Quis autẽ ad tam fœdũ ſpectaculum nõ cohorreſceret? quis non contento curſu ſocietates, conſortia, ac etiã colloquia impiorum, quoad eius fieri poſſet, fugeret? Deinde, cum ait, Qui audierint, uiuent: hoc eſt, qui ex auditu Euangeliĩ filiĩ Dei, crediderint in ipſum, iuſtificabuntur, perſpicuè docet hominẽ reputari coram Deo iuſtũ, non propter merita operũ, ſed per fidem propter Chriſtum. Nam quod dicit, Qui audierint, uiuent, prorſus idem eſt, cum eo quod propheta ait: Iuſtus ex fide ſua uiuet. & paulus ad Romanos: Arbitramur fide iuſtificari hominem abſq; operibus legis. & ad Galatas: Scimus non iuſtificari hominem ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Hæc eſt illa doctrina, quæ in Chriſtianiſmo, hoc eſt, in ſola uera religione ſummũ locum obtinet. De qua, cum aliàs copioſè tractatũ ſit, agamus nũc id quod inſtituimus. Quid ergo cauſæ eſt, quòd qui audierit uocẽ filiĩ Dei, uiuat, hoc eſt, qui Euangelion Chriſti fide acceperit, reputetur iuſtus? Sequitur: Sicut enim pater habet uitam in ſemetipſo, ſic dedit & filio habere uitam in ſemetipſo. Habes & hoc loco duas perſonas, patrẽ & filium: ſed unam tantũ diuinam naturã, unumq; tantum Deũ. Quam enim uitam habet pater, eandem planè habet et filius. Vna eſt uita, una eſt natura, una eſt eſſentia. Porrò, cũ hoc loco ſit ſermo de iuſtificatione, perſpicuũ eſt, quòd & uita pro iuſticia intelligenda ſit. Sicut ergo pater habet in ſemetipſo iuſticiã, quia eſt ipſa iuſticia, ita dedit & filio haberee in ſemetipſo iuſticiam. Nã, quod ad diuinam naturam filiĩ Dei attinet, ita habet iuſticiam in ſemetipſo, ut ſit etiã ipſa iuſticia: quod autem attinet ad humanam eius naturam, peccatum non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Qui autem audit uocem eius, quę eſt uox Euãgeliĩ, & accipit eam fide, is efficitur per fidẽ membrum eius. Membrum autem participat naturam eius, cuius eſt membrum. Quare etſi homo natura ſua eſt iniuſtus, tamen ſi audit uocem filiĩ Dei, & fit membrũ eius per fidẽ, reputabitur coram Deo iuſtus propter filiũ, quia filius eſt uera & perfecta iuſticia. Niſi enim filius Dei haberet iuſticiã, credens in ipſum nõ iuſtificaretur. Nunc autem habet in ſeipſo iuſticiã, adeoq; eſt ipſa iuſticia: quia uerus eſt Deus, & impleuit, homi-

Impĩj mortui ſunt, etiam uiuentes.

ne assumpto, oēs partes perfectæ iusticiæ. Necesse igitur est, ut qui in ipsum credit, reputetur iustus, etiamsi in se fuerit iniustus. De qua re nō possunt tam pauca dici, quin afferant pijs maximam cōsolationem: nec possunt tā multa dici, quin plura supersint dicenda. Quare his nunc cōtenti, progrediemur ad ea quæ sequuntur: Et potestatē dedit ei iudicādi quoq;, quia filius hominis est. Pater, inquit, dedit filio habere uitam, hoc est, iusticiam in semetipso. Cui autem data est iusticia, ad eum pertinet quoque iudiciū. Quomodo enim iniustus posset esse iudex? Et iudiciū absque iusticia, non est iudicium, sed tyrannis & crudelitas. Quare cum pater dederit filio suo iusticiā, dedit etiam ei potestatem iudicij, quemadmodum etiam suprà dictum est, Pater omne iudicium dedit filio. Sed quid est, quod hic additur, Quia filius hominis est? Quin potius sentiēdum esset, patrem dedisse ei potestatem iudicij, quia filius Dei est? Nisi enim filius uerus esset Deus, homo ille à filio assumptus, nunquam potuisset tantam maiestatem iudicandi accipere. Quid ergo est, quod ait, Quia filius hominis est? Respōdebo uerbis Augustini, Potestatem (inquit ille) dedit ei iudicium faciendi, quod filius hominis est, quia in iudicio homo uidebitur: Deus autē non uidebitur, sed post iudicium uidebitur ab his qui uicerint in iudicio. Ab impijs autem nō uidebitur Deus. Et iterum hoc dictum est, quia hominibus in iudicio nō apparebit nisi filius. Pater occultus erit, filius manifestus. In quo erit filius manifestus? In forma qua ascendit. Nā in forma Dei cum patre occultus est, in forma serui hominib. manifestus. ac paulo pòst: Sic ueniet in forma humana. Hanc uidebunt & impij, uidebunt & ad dextram positi, uidebunt ad sinistram separati: sicut scriptum est, Videbūt in quem pupugerunt. Si uidebunt in quem pupugerūt, corpus ipsum uidebūt, quod lancea percusserunt. Hactenus Augustinus, qui sentit iudicandi potestatē idcirco filio hominis datam, quòd cum iudex debeat hominibus tam pijs, quā impijs manifestus & conspicuus esse, non possit conuenientius fieri, quàm si appareat in humana forma, qualē discipuli uiderunt in cœlum ascendentem. Bona sentētia. Sed quid si Christus hac appendice, Quia filius hominis est, respiciat ad uaticiniū prophetæ Danielis? Daniel enim de gloria & maiestate Christi prędicans, sic ait: Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. ac mox: Aspiciebā ergo in uisione noctis, & ecce cū nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierū peruenit, & in cōspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem & honorem & regnū, & omnes populi, tribus & linguæ seruient ipsi. Potestas eius, potestas æterna, quæ nō auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur. Hæc est concio Danielis de maiestate Christi, quē uocat filium hominis. Cum ergo Christus hic dicit, Potestatem dedit ei iudicandi quoque, quia filius hominis est, hāc uidetur habere sententiā: Is qui ægrotū triginta octo annorum restituit sanitati, accepit à Deo non solum potestatē iustificandi, sed etiā iudicandi homines, quia est filius ille hominis, quem Daniel uidit oblatū antiquo dierum, & datam ei esse omnem potestatē, honorem & regnum. Quæ cum ita se habeant, omnibus studijs

Potestas filij Dei, iudicare homines.

adnitendum

adnitendū est, uocem huius iudicis Domini nostri Iesu Christi clemen ter nos ad se in hoc seculo uocātis, audiamus: & Euangelion eius, quod est potentia Dei ad salutē omni credenti, obedienter suscipiamus, quo per fidē iustificati, in uocatione Dei ambulemus, & sancti ac irreprehē sibiles in conspectu eius compareamus, qui est unà cum patre & spiritu sancto, Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLVII.

OStendimus antea, tria esse genera resuscitationis mortuo rum. Vnum, quo mortui reuocātur in hanc uitam iterū morituri, quemadmodum filia archisynagogi, & Lazarus à morte excitati sunt. Alterum, quo mortui peccatis, hoc est, impij suscitantur ad uitam iusticiæ, quæ est spiritualis resuscitatio. Tertiū, quo mortui resuscitabūtur in nouissimo die ad perpetuā uel uitam, si bona egerunt: uel condemnationē, si mala egerunt. Ac de duobus quidē prioribus generibus suprà satis dictum est. Nunc autem Christus concionatur de hoc tertio genere, & ait: Nolite mirari hoc, quia ueniet hora, in qua oēs qui in monumētis sunt, audient uocē eius, & prodibunt, qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ: qui uerò mala egerunt, in resurrectionē condemnationis. Mirandum opus est, quòd Christus filius Dei reuocet mortuos in hāc corporalē uitam. Mirandū item opus est, quòd impios iustificet: sed longè magis mirandū est, q̄ suscitaturus sit omnes mortuos in nouissimo die, et unicuique redditurus iuxta facta sua. Hoc est illud opus, quo manifestissimè reuelabitur, quāta sit potestas, quanta maiestas Christi filij Dei. Singula aūt uerba, quæ Christus hic dicit, continent singulas res memorabiles. Veniet, inquit, hora. Quid? putas ne uanū esse, quod ex uerbo Domini deuentura generali mortuorū resurrectione & iudicio Dei commemoratur? Adhuc ne cū impijs dices, Vbi est pollicitatio aduētus eius? Siquidē ex quo die patres dormierunt, sic omnia permanent ab initio conditionis? Audi ergo nūc mihi Christum filium Dei: Veniet, inquit, hora. Quę hora? In qua omnes qui in monumētis sunt, prodibunt in resurrectionē uel uitæ uel cōdemnationis. Nihil ergo certius est, q̄ uenturam esse mortuorum resurrectionem et iudicium Dei. Quomodo enim filius Dei, qui est ipsa ueritas, mentiretur? Cœlū, inquit, & terra præteribunt, uerba autē mea nō præteribunt. Et reliqua omnia quæ prædixit, euenerunt ac impleta sunt: quomodo igitur hoc ab ipso prædictum, nō eueniret? nō impleretur? Incertū quidem est, quo anno, qua hebdomada, quo die, qua hora, quo horæ momēto mortui sint resurrecturi: nihil autem certius est, q̄ uenturam horam, qua mortui resurgent. Nō enim uanum esse potest, quod dicit filius Dei: Veniet hora. deinde addit: In qua OMNES. Non enim unus tantum & alter homo mortuus, sed OMNES homines, qui ab initio cōditionis mundi fuerūt & mortui sunt, quiq̄ adhuc erūt, & moriētur, siue pij, siue impij, siue pastores populorū, siue pastores ouiū, siue diuites, siue pauperes, resurgent à mortuis. Quid? existimas ne tantā hominum summā numerabilem esse? Nobis quidē innumerabilis, ac etiā incredibilis est: Domino autem Deo no-

De resurrectione mortuorum.

2. Pet. 3.

Resurrectio mortuorum certissimè uēitura est.

ſtro, qui numerat multitudinem ſtellarũ, & arenæ maris, hic numerus penitus perſpectus, planèq; cognitus eſt. Nemo autẽ ſit ſollicitus, quomodo cœlũ & terra poſsint tot hominum capacia eſſe. In reſurrectione enim, ut nec ducent uxores, nec nuptũ dabunt, ſed æquales erunt angelis: ita nec magna occupabunt ſpacia locorũ, ſed habebunt conditiones ſpirituum. Seminatur, inquit Paulus, corpus animale, ſed reſurget corpus ſpirituale: hoc eſt, ornatum conditionibus ſpiritus, ut nec ſit graue, nec uaſtũ. Quale autem hoc futurum ſit, humano captu in hac uita percipi non poteſt, ſed res ipſa ſuo tempore declarabit. Quare ſic inſtituamus uitã noſtram, ut quod futurum eſt, fœliciter comperiamus. Cæterùm, nec illud oſcitanter prætereundũ eſt, quod dicit, Qui in monumẽtis ſunt. Fuerunt enim, qui ſenſerunt, eam tantum eſſe reſurrectionem, qua anima reſurgit à peccato ad iuſticiam: ac putant tunc impletam eſſe reſurrectionem per Chriſtũ partam, cum impius iuſtificatur. Hæc quidem eſt ſpiritualis reſurrectio, & omnibus modis ad ſalutẽ neceſſaria, ſed non eſt ſola & ſufficiens reſurrectio. Hymenæus (inquit Paulus) & Philetus aberrarũt circa ueritatem, dicentes, reſurrectionẽ iam factam, & ſubuertunt quorundã fidem. Non enim ſufficit, ut anima reſurgat ab impietate ad pietatẽ, ſed etiam neceſſarium eſt, ut corpus à morte ad uitã reſurgat. ideoq; Chriſtus ait: Omnes, qui in monumentis ſunt. Num quid anima eſt in monumẽto? Nihil certè minus, ſed corpus. Reſurget igitur corpus, & iungetur ei anima in reſurrectione, ut totus homo uel perpetua fœlicitate propter Chriſtũ fruatur, uel perpetua infœlicitate propter impietatem condẽnetur. Sed quid? Num ſoli hi reſurgent, qui ſunt in monumentis, hoc eſt, qui terra obruti ſunt? Quid ergo fiet de aliis, uel crematis, uel in aere aut aqua putrefactis? Fuerunt enim uarij ritus ſepeliendi inter gentes ac populos terræ. Alij condũt defunctos ſuos in terram: & hic ritus eſt maximè humanus. Alij cremauerunt defunctos. Alij abiecerũt eos in mare. Alij maiorem in defunctos inhumanitatẽ exercentes, obiecerunt eos canibus uorãdos: quos canes ad hoc educatos, ſepulcrales uocarũt. Hæc magna fuit crudelitas. Alij, quod eſt execrandũ & deteſtãdum, deuorarunt ipſi mortuos. Exiſtimarunt enim, humanũ corpus in nullo ſepulchro honeſtius condi, quàm in humano corpore. Quid ergo de his fiet, qui nõ fuerunt in terra conditi? Sed & multi in crucem ſublati, computreſcũt in aere. An & hi reſurgẽt? profectò reſurgent omnes mortui, quoquo modo uel cõditi fuerint, uel computruerint. Nam cum Chriſtus dicit, Omnes qui ſunt in monumentis, per monumenta nõ intelligit tantum publicas illas ſepulturas, quas uocamus cœmeteria, hoc eſt, dormitoria: ſed omnia illa loca, ſiue in aere, ſiue in terra, ſiue in igne, ſiue in aqua, in quibus puluis humani corporis, uel ſparſus, uel collectus iacet. Debemus quidẽ uita defunctos honeſtè ſepelire, partim quòd corpora eorũ, qui in Chriſto obdoimiunt, ſanctæ ſunt reliquiæ: partim ut hoc argumento ſignificemus, aliã eſſe hominis, quàm beſtiæ mortem, & teſtemur ſpem futuræ reſurrectionis. Sed quod ad uita defunctũ attinet, omnis ei locus, ſi in Chriſto obdormiſcat, ſiue in aere, ſiue in igne, ſiue in terra, ſiue in aqua, ſanctum eſt cœmeteriũ. Domini

Reſurrectio è monumentis.

2. Timoth. 2.

Sepeliendi uarij ritus.

Sepultura honeſta ſit.

mini enim est terra, & plenitudo eius: si autē in impietate moriatur, nō effugiet manum Dei, etiamsi puluis eius per mille loca dispersus fuerit. Quare cū Christus ait, eos in resurrectione prodituros, qui sunt in monumentis: intelligit oēs eos resurrecturos, qui uita defuncti sunt, quocunq; modo, quocūq; loco in puluere iaceant. Iam monumenti nomine etiā hoc considerandū est, quòd in resurrectione, anima hominis, cū ea nunq; interierit, nec sit in monumēto, nō reuocetur in uitā, sed corpus tantū. Sunt enim qui sentiūt, animā hominis in morte extingui, ac hominem resurrecturum quidem anima & corpore in nouissimo die, sed animam interea temporis nō existere, donec cum corpore excitetur. Hoc si uerum esset, nō diceretur resurrectio, sed noua hominis creatio. Nec intelligunt illi, quantū sit discrimen inter mortem hominis, & bestiæ. Mors enim bestię, est interitus corporis & animę eius: mors autem hominis, dissolutio tantum est animæ à corpore. Cōditur quidem corpus hominis in monumēto, & computrescit, ac reuertitur in puluerem: anima autē deportatur uiua ad suum receptaculum. Nam animæ seu spiritus piorum seruantur apud Christum Dominum nostrum, in maxima ac certissima perfectæ fœlicitatis expectatione. Hoc em̄ illud est, quod Christus significat in parabola Lazari et diuitis: in qua dicit, Lazarum deportatum esse ab angelis in sinum Abrahæ. Per sinum autem Abrahæ intelligendus est Christus ipse, olim promissus Abrahæ, quòd de sinu, aut semine eius uēturus sit in hunc mundū, nunc uerò sedens ad dextrā De patris, & omnia gubernās. Idem etiam docet Stephanus, cum lapidaretur, & exclamaret, Domine Iesu suscipe spiritum meum. Vidit em̄ Stephanus cœlos apertos, & Iesum stantē à dextris Dei. Quare nisi sensisset spiritus piorum post mortē superstites manere, & conseruari à Iesu Christo Domino nostro, non commendasset ei suum spiritum. sed & paulus apertè dicit, Cupio dissolui & esse cum Christo: quibus uerbis haud obscurè definit, mortē piorum non esse animæ internecionem, sed tantum dissolutionem à corpore, & profectionem ad Christum seruatorem suum. Abijciamus hic carnales cogitationes. Animæ enim piorū, non sic Christum in cœlis circundant, quemadmodum nudi pueruli in terris circa parentes suos ludunt. Non sunt tam crassa uel loca uel spectacula in cœlesti regno. Nos quidē propter imbecillitatē nostram necesse habemus nostris uerbis uti, cum de tantis rebus loquimur: non autem sentiendum est, quòd ea, de quibus loquimur, fiant in cœlis, humano & carnali, sed cœlesti & diuino modo. Spiritus ergo piorū uiuunt cum Christo, nō carnalem, qualem infantes in his terris: sed cœlestē uitam, qualis est spiritibus conueniens. Spiritus autem impiorum deportantur in morte ad infernū, & ad consortium Satanæ. Significat & hoc Christus in parabola diuitis & Lazari, cum ait, diuitē ex inferno Abrahamū appellare. & Petrus dicit: Deus angelis qui peccauerant nō pepercit, sed catenis noctis in tartarū præcipiatos, tradidit seruatos in iudiciū. Si angeli Satanæ seruantur uincti in tartaro ad iudicium, certè etiam spiritus impiorum, qui sunt membra Satanæ, seruantur ad iudiciū in tartaro, in magna & horribili perpetuę infœlicitatis expe-

Anima uiuit etiam post mortem.

Abrahæ sinus.

Corporis humani resuscitatio.

ctatione. Cum autẽ aduenerit nouissimus dies, anima, quæ post mortẽ superstes mãsit, & interim suo receptaculo cõseruata est, iungetur corpori suo exuscitato. Quare non est sentiendum, quòd in resurrectione creetur nouus homo: sed corpus in puluerẽ resolutũ suscitabitur, idem quidẽ, quod antè fuerat, renouatum autem & spiritualibus proprietatibus excultũ, ut sic unusquisq; recipiat, quod uel boni nel mali fecerit. Deinde, quod Christus dicit, Audient uocem eius, admirabile fortassis uidebitur, quomodo mortuũ corpus sine sensu, sine auribus possit uocem audire. Sed hic iterũ abscienda sunt carnis figmenta. Nam audire

Vocem filij Dei audire.

uocem filij Dei, est reipsa potentiam eius percipere. Descendet, inquit Paulus, Dominus cũ hortatu & uoce archangeli, ac turba Dei descẽdet de cœlo: hoc est, Christus reuelabitur in nouissimo die, diuina maiestate & potẽtia præditus, qua mortui excitati, resurgent & prodibũt. Qui uerò in ea reuelatione adhuc uiuentes deprehendentur, hi nõ morientur, sed immutabuntur. Nõ omnes, inquit Paulus, moriemur, omnes tamen immutabimur, in puncto tẽporis, in momẽto oculi, per extremam tubã. Canet enim, & mortui resurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Audis, tubam Dei sonitura in nouissimo die: quę certè non erit externa aliqua ahenea aut ærea tuba, sed potẽtia & maiestas uocis illius humano captu in hoc quidẽ seculo imperuestigabilis, qua filius Dei in puncto temporis & mortuos excitabit, & uiuentes adhuc immutabit. Nam filius Dei hoc & uelle & posse facere, manifestũ est. De uoluntate sua non obscurè concionatur postea: Omnis, inquiens, qui uidet filium, & credit in eum, habet uitã æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Potestas autem eius patet tam ex ipsa rerum creatione, quàm

Creatio testatur de resurrectione.

ex conseruatione earum. Initiò enim Deus creauit per uerbum suum, quod est filius eius, cœlũ & terrã, & omnia quæ in eis. Et creauit ea ex nihilo. Dixit, & facta sunt: mandauit, & creata sunt. Si uerbũ Dei potuit in nihilo uidere, & è nihilo educere tantã cœli & terræ molem: quanto magis poterit in puluere terrę uidere, & ex eo educere humanũ corpus, ac animæ suæ coniungere? de tertio dixit Deus: Germinet terra lignum pomiferum, faciens fructum iuxta genus suum, cuius semẽ in semetipso sit super terram. Quid factum est? Verbum Dei tantæ est potentiæ, ut nõ solum eo tempore eduxerit è terra fructiferas arbores, uerumetiã adhuc semper educat è paruis admodum granis, exempli gratia, pomi uel pyri, tã patulas arbores, ut & in eius ramis aues nidificent, & sub umbra eius homines ac iumenta recumbent. Si uerbũ Dei uidet in tam paruo grano tantã ligni magnitudinem, & profert eam suo tempore in lucem, quomodo nõ uideret in puluere terræ humanũ corpus,

Eusebius in Ecclesiastica historia li. 5. cap. 2.

ut id suo tempore iterum resuscitaret? Tradunt Ecclesiasticæ historiæ, quòd Ethnici persequẽtes quondã Ecclesiam Christi, cremauerint corpora martyrum, ac sparserint puluerem in proflueutem: dicẽtes, se hac re adempturos ipsis spẽ resurrectionis, ex qua illi alacres sese morti offerebant. Sed non est consilium aduersus decretũ Domini. Filius enim Dei statuit excitare omnes mortuos. Hoc statutum eius nulla hominũ potẽtia, nulla impietas, nulla immanitas abolere potest. Etsi eñ puluis

humani

humani corporis diſperſus eſt in mari per mille aut amplius loca, uox tñ filij Dei nõ minus hunc in reſurrectione colliget, q̃ſi in tumba collectus iaceret. In hominũ quidem oculis, mille loca multũ inter ſe diſtant, in oculis autẽ filij Dei reſidentis ad dextram patris ſui, ut mille dies ſunt unus dies, ita et mille loca, unus ſunt locus. Quare fieri nõ poteſt, ut puluis in profluentẽ diſſipatus poſsit filio Dei impedimento eſſe, quo minus humanũ corpus ad uitam reuocetur. Poſtq̃, inquit Paulus, per hominẽ mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Chriſtũ omnes uiuificabuntur. Quid ergo fiet? num ſicut omnes per Chriſtũ uiuificabuntur, ita & omnes ſeruabuntur, & hæreditatẽ cœleſtis regni conſequentur? Hic uerò maximũ erit hominum à morte reſurgentium diſcrimen. De qua re Chriſtus ita cõcionatur: Prodibunt qui bona egerunt, in reſurrectionẽ uitæ: qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem condemnationis. Quid poteſt de differentia eorũ qui à mortuis reſurgent, apertius dici? Omnes quidẽ reſurgent, & reſurgent incorruptibiles: ſed aliud eſt præmium bonorũ, aliud malorum. Et ne quis exiſtimet, hęc magis ad deterrendos malos à ſceleribus ſuis cõficta eſſe, q̃ ad ueritatẽ dici, cõfirmantur multis ſacræ ſcripturæ, quæ nec fallit, nec mẽtitur, autoritatibus. apud Matthæum dicit Chriſtus: Cum uenerit filius hominis in gloria ſua, & omnes ſancti angeli cũ eo, tunc ſedebit ſuper ſedem gloriæ ſuę, & congregabuntur ante eũ omnes gentes, & ſeparabit eos alteros ab alteris. & his quidem qui à dextris ſibi erunt, dicet, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnũ, paratum uobis ab exordio mundi: his autẽ qui à ſiniſtris erunt, dicet, Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Duo hic obſeruabilia dicũtur. Alterũ, q̃ in reſurrectione magnum erit diſcrimen in præmio bonorũ & malorum. Boni enim accipient regnum cœleſte, mali autem accipient ſupplicium ignis inferni. Alterum, q̃ uel illorum præmium, uel horum ſupplicium, nõ erunt mutabilia & caduca, ſed perdurabunt firma atq̃ ſempiterna. Vt enim boni ſemper & perpetuò erũt fœlices, ita mali nunc̃q̃ inæternũ effugient ſuum ſupplicium, ſed neceſſe habebunt perpetuã ferre pœnam. ibunt, inquit, hi in ſupplicium. Quanto tempore duraturum? num aliquando deſiturum? minimè omnium, ſed æternum. Iuſti uerò ibunt in uitã. Quam? num eam quæ accipiet finẽ? Nihil minus. ſed ęternam. audiamus de hac re etiam Pauli cõcionem: Redditurus eſt, inquit, unicuiq̃ iuxta facta ſua, his quidẽ, qui perſeuerãtes in benefaciendo, gloriam, & honorem, & immortalitatem quærunt, uitã æternã: his uerò, qui ſunt contẽtioſi, & qui ueritati quidem non obtemperant, ſed obtẽperant iniuſticiæ, uentura eſt indignatio & ira, afflictio & anxietas, aduerſus omnẽ animam hominis perpetrantis malũ. & iterum: Iuſtum eſt apud Deum, reddere ijs qui affligũt uos, afflictionem: & uobis qui affligimini, relaxationem nobiſcũ, cum reuelabitur Dominus Ieſus de cœlo, cũ angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem his qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pœnã luunt interitũ AETERnum,

Reſurrectio mortuorum ſuam habet differentiam.

Rom. 2.

2. Theſſal. 1.

NVM, à facie Dñi, & à gloria fortitudinis illius. Sed quid, quod Christus ait, Qui bona egerũt, prodibunt in resurrectionẽ uitę: num homines possunt consequi fœlicitatem uitæ æternæ meritis suæ bonitatis? Quid ergo est, quod dicitur, In conspectu tuo nõ iustificatur omnis uiuens: & : Ex operibus legis nõ iustificatur omnis homo? Hic considerãda & ponderanda sunt uerba Christi. Non enim dicit, Qui meriti sunt bonis suis: sed ait, Qui egerunt bona. Aliud est mereri bonis, aliud agere bona. Merẽtur bonis suis hi qui perfectam iusticiã faciunt, & totã legem suis operibus perfectè implent. Nullus aũt hominum est, qui tale meritũ habere possit. Bona uerò agere, primùm est, Christum filiũ Dei per fidẽ ex Euangelio eius agnoscere. Hoc est & optimum & præcipuum bonum. Nã qui accipit Christũ per fidem, is reputatur corã Deo iustus, & adoptatur in filiũ Dei, ac efficitur hæres cœlestium bonorũ: idq; nullo humanæ iusticiæ merito, sed tantũ propter Christũ, qui solus est hominis corã Deo patre meritũ. Deinde bona agere, est ex hac fide in Christũ, facta carnis mortificare, & in uocatione Dei obedienter ambulare, idq; non ut merearis resurrectionẽ ad cœlestẽ uitam, cuius hæres iam antè per Christũ factus es: sed ut testeris grantitudinẽ tuam erga Deũ, & retineas Christũ seruatorem, qui obsequẽdo cupiditatibus peccati abñcitur. Mala aũt agere, primùm est ignorare Christũ, aut contemnere eũ. Hoc maximũ est malũ, quippe q; nulla sit nec iusticia, nec fœlicitas, ubi nõ est Christus. Deinde mala agere, est ex ignorãtia Christi aut impietate, uel obsequi cupiditatib. peccati, et designare scelera, uel hypocrisin sectari, & polliceri sibi cœlestem hæreditatẽ propteroperum suorum merita. Quare, ut pñ, bona agentes, gratis accipiunt regnũ cœlorum, propter Christũ: ita impñ, mala agentes, merito suo condemnantur, q; maluerint cupiditates carnis suæ sectari, q; Christũ gratis, cœlestia beneficia offerẽtẽ, agnoscere, et uocationi eius obedire. Sed nõ est, q; metuas, ne in resurrectione, in qua boni à malis separabuntur, cuiq; iniuria fiat. sic enim sequitur: Nõ possum ego ex meipso quicq; facere. sicut audio, iudico. Et iudiciũ meum, iustum est. Quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me, patris. Quod Christus dicit, hanc habet sententiã: In resurtectione ego ipse iudex ero, ac separabo iustos ab iniustis, ut hi eant in supplicĩ ę̃ternum, illi aũt in uitam æternam. Et in hoc iudicio, nulli hominum fiet iniuria. Meũ enim iudicium, nõ est humanum, sed diuinum. In humanis quidem iudicĩs solet aliquoties accidere, q; ei qui bonam habet causam, iniuria fiat, idq; uel propter suam ipsius imperitiam, qua non potest ę̃quitatem causæ suę exponere: uel propter aduersarñ eloquentiam, qua is iniustam suam causam, dicendo iustã reddere uidetur, uel propter testium uanitatem, uel propter iudicis aut simplicitatẽ aut iniquitatem: deniq; multa alia sunt, quibus fit, ut bonus, bonam habẽs causam, in humano iudicio succumbat, & uincatur. In resurrectione autẽ iudicium (quod sit nouissimum ac postremũ) erit iustissimum. Non enim possum ego ex me ipso quicquam facere, hoc est, non iudicabo iuxta carnales hominũ affectus, uel ex auaritia, uel ex inuidia, uel ex iniquitate, uel ex ignorantia: sed

Mereri bonis operibus, & facere bona opera, differunt.

sed ex uolũtate patris mei. Iudico sicut audio à patre meo, qui est Deus iustissimus, uel iudico sicut audio & cognosco rei ueritatẽ, & causæ uel æquitatem uel iniquitatem. quare nemo metuat ullam uel iniuriam uel tyrannidẽ in hoc extremo iudicio. Sed quis, inquies, mẽtione tam iusti iudicij, nõ cohoresceret? nõ obstupesceret? Nullus. n. hominum est, qui nõ sit sibi peccati conscius: nullus est, qui totus in se iustus & sanctus ad hoc iudiciũ accedat, quomodo igitur corde nostro non trepidaremus? Rectè dicis, oẽs homines esse peccatores, nihil ominus tñ, quo iustius erit hoc extremũ in resurrectione iudicium, eo minus causæ habemus, cur metuamus, & cohorrescamus. Metuant hoc iudiciũ, qui non renati ex aqua & spiritu, necesse habẽt gehennæ ignibus mãcipari. Metuant, qui nõ Christi passione et cruce censentur. Metuant, quibus necesse est de factis suis rationẽ reddere. Nobis certè debet esse expectatum ac desideratũ iudicium. Etsi enim designauimus multa & magna peccata, tamen quia sumus Christo per fidẽ inserti, non solum habemus propter ipsum expiationẽ peccatorum, sed etiam erimus assessores eius, & iudicabimus cũ ipso omnes aduersarios eius: tantumq; abest, ut si in Christo manserimus, exigatur à nobis factorum nostrorum ratio, ut potius impij omnes necesse habeant nobis suorum factorũ rationem reddere. Quare nõ metuamus iudicium filij Dei, sed metuamus impietatem, & sectemur uocationẽ Euangelij Christi, ut procedamus obuiam alacres & læti uenienti in maiestate sua Domino nostro Iesu Christo, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Iudicium extremum quibus metuendũ.

HOMILIA XLVIII.

PErcurrimus explicatione nostra duas partes concionis Christi, in quibus Christus exposuit, opera sua non humana, sed diuina esse: & recensuit quædam genera admirabilium operum, quæ facienda à patre suo accepit. Sequitur nunc tertia ac postrema pars huius concionis, in qua parte Christus cõmemorat testimonia, quibus probat se uera de se ipso dicere ac prædicare. Quæ pericope necessariò prioribus partibus additur. Nã Christus prædicauit hactenus de seipso, ea quę humanum modum excedũt. Dixit, se esse filium Dei, & haud obscurè significauit, se esse Deo patri æqualẽ. Dixit, potestatem sibi traditam à patre suo excitandi mortuos, iustificãdi impios, iudicandi mundum, & suscitandi à mortuis omnes homines: alios ad perpetuã fœlicitatem, alios ad perpetuam condemnationẽ. Hæc sunt admiranda & diuina opera, quæ Iesus sibi ipsi tribuit. Homines autẽ iudicant eum esse uanum, qui sibi multa arrogat, & seipsum laudat. Quare ne Iesus accusetur uanę & ambitiosæ iactantię, commemorat testimonia quibus ueritatem doctrinæ suę defendit: Si ego, inquiẽs, testimonium perhiberem de meipso, testimonium meum non esset uerum. imò uerissimum esset. dicit enim aliàs: Si ego testimonium perhibeam de meipso, uerum est testimonium meum. Quid ergo est, quod nunc ait, Nõ esset uerum? Alia est propria Christi autoritas, alia hominũ opinio. Christus aũt, cum hoc loco dicit, Si ego perhiberem testimoniũ de meipso, testimoniũ meum non esset uerum, «
« Ioan. 5.

non

non loquitur de propria sua autoritate & maiestate, qua certè testimoniū eius uerissimū est, etiamsi nullius uel hominis uel miraculi testimoniū accederet: sed loquitur de hominum opinione, & abiecta sua inter homines specie. Nā inter homines inciuile ac turpe est seipsum laudare, nec habetur talis laudatio alicuius momēti. Iudicant esse uanitatem. Dicunt eū qui seipsum laudat, habere malos uicinos: significantes non esse sapiētis, seipsum laudibus ornare. Primùm enim uirtutes laude dignæ, etiamsi sint in homine, tamen non sunt propriæ hominis, sed alienæ. dona Dei sunt, eaq; gratuita. Homo igitur non seipsum, sed Deum suū laudet. Deinde, quid est homine mutabilius? quas hodie habes uirtutes, fortasis cras amittes. Quid ergo tibi tuipse arrogas? Pręterea, etsi humanę uirtutes proponuntur aliquoties ad exemplū imitationis, proponuntur etiā nonnunquā utendæ: tamen iactantia est odiosa, propterea quòd qui sua impudenter iactat, non hoc agere uidetur, ut proponat suas uirtutes alijs utendas, sed ut cōparet aliquod gloriæ choragiū. Quid quòd & humanæ uirtutes aliquādo eiusce modi sint, ut quas hic habet, alteri nec prosint cognitæ, nec obsint ignoratæ. Quare, inter homines, ut quisq; sapientissimus est, ita modestissimè de seipso loqui solet. Longè autē alia ratio est de Deo, & unigenito filio eius, Dño nostro Iesu Christo. Nā quas filius Dei uirtutes habet, eas habet proprias & perpetuas, quæ & ignoratæ, relinquunt hominē in perpetuo statu exitio: cognitæ autem, afferunt homini perpetuam salutem. Adhęc etsi Christus est thesaurus omniū cœlestium uirtutum, in conspectu tamē hominū longè alius apparuit. Vidimus eum, inquit Esaias, sed nulla erat forma, quæ faceret, ut eū desideraremus. Despectus & nouissimus uirorū, plenus doloribus et infirmitatibus. Adeò contemptus, ut auerterentur uultus ab eo. Quare necesse fuit, ut Christus ipse maiestatē suam exponeret, nō ut carnalem gloriam ab hominibus uenaretur, sed ut hominibus salutem afferret. Ne enim homines, ut sunt suspicioſi, existimarent Christū magis ficta q̄ uera loqui, non est contentus nuda uirtutum suarum expositione, sed allegat etiā testimonia: Si ego, inquit, testimoniū perhiberem de meipso, testimonium meum non esset uerum. Scio turpe esse inter homines, si quis seipsum laudibus ornat. Scio uos eo ingenio prædituos, ut mea ipsius prædicatio leue apud uos autoritatis pondus habeat, nisi alia accesserint testimonia. Necessariū tamē est, ut meā ipse maiestatē uobis exponam. Hæc enim mea est uocatio, hoc meū officium, & propter hanc causam descendi de cœlo, ut Euāgelion meum, hoc est, maiestatē meam adnunciem. Sed ne existimetis me alienis testimonijs destitutū, agitedum, etiam hac in parte me uobis accommodabo. Recitabo enim nunc uaria maiestatis meę testimonia. Vnum est, Ioannes baptista: alterum, miracula: tertium, uox patris de cœlo: quartū, sacra scriptura. In ore duūm, inquit lex, aut trium stat omne testimoniū. Multo igitur pluris æstimāda est autoritas quatuor testimoniorum. Primùm ergo cōcionatur Christus de testimonio Ioannis baptistæ. Alius, inquit, est, qui testimonium perhibet de me, & scio uerū esse testimoniū, quod testificatur de me. Vos misistis ad Ioannem, & is

Laudare seipsum, turpe.

Christi maiestatis testimonia.

testimonium

teſtimonium reddidit ueritati. Ego autẽ nõ ab homine accipio teſtimo- "
nũ, ſed hæc dico, ut uos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardẽs & lucens. Vos "
autem uoluiſtis ad tempus exultare in luce eius. Hæc eſt concio de teſti- "
monio Ioannis baptiſtæ. ſenſus autem eius hic eſt: Ego non ſolus tantã de me maieſtatem prędico, ſed eſt & alius, nimirũ Ioannes baptiſta, qui prorſus eadem de me teſtatus eſt. Dixit enim publicè, nõ ſe, ſed me: ME, inquam, eſſe uerum Meſſiam ſeu Chriſtum. Cùm aũt prædicauerit me uerum eſſe Meſsiã, certè ſignificauit etiam me eſſe uerũ Dei filium, Deo patri æqualem, & omnẽ mihi poteſtatem excitandi mortuos, iuſtificandi impios, iudicandi mundũ, & ſuſcitandi omnes homines à mortuis in nouiſsimo die traditam eſſe. Nam hanc maieſtatẽ tribuit ſpiritus ſãctus Meſsiæ in ſacra ſcriprura. in Pſal. ij. Meſsias ipſe ſic loquitur: Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. In hoc Pſal. Meſsias uerus *Dei filius* dicitur. in alio Pſal. ait Dauid è ſpiritu ſancto: Dixit *Dominus* Domino meo, ſede à dextris meis. hic Meſsias Deo patri ſuo *æqualis* prędicatur. Eſaias de Meſſia ſic cõcionatũr: Deus ipſe ueniet, & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorũ, & aures ſurdorum patebunt. Tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, et aperta erit lingua mutorũ. In hoc Eſaiæ loco Meſsias prædicatur & Deus, & diuina miraula editurus. De iuſtificatõe Meſsię, iterũ ait Eſaias: In cognitione ſui iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorũ ipſe portabit. ac rurſus de iudicio eius: In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo iuſticię uerbũ, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu. Nã hęc eſſe uerba Meſsiæ, & ſignificare omnes ſtatuendos apud tribunal eius, Paulus ad Rom. ſcribens, perſpicuè teſtatur. Et quid plura? Daniel de Meſsia ſcribens, omnia ſimul cõplectitur: Dedit, inquiẽs, ei poteſtatẽ, & honorem & regnum, & omnes populi, tribus, & linguę ipſi ſeruiẽt. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnũ eius quod non corrumpetur. Quare cũ Ioãnes baptiſta teſtatus ſit Ieſum illum Mariæ filium, uerum eſſe Meſsiã, per prophetas promiſſum: manifeſtum eſt, ꝙ teſtatus etiã ſit de ipſo omnia ea, quæ prophetæ è ſpiritu ſancto tribuerũt Meſſiæ. Quis aũt de ueritate teſtimonij Ioãnis dubitaret? quis ad tãti uiri teſtimoniũ non aſſurgeret? Primùm enim, Ioannes non eſt à me humana calliditate ſubornatus, ut tale quid de me prędicaret. Quomodo. n. uir tantæ uirtutis ac cõſtantiæ, qui ne Herodi quidem ad ſua flagitia conniuere uoluit, uolũtati meę, ſi aliquid iniqui ab ipſo petiſſem, obſequutus eſſet? Nec eſt obſcurũ teſtimonium eius, quippe ꝙ de me teſtatus ſit coram publica ueſtra legatione. Vos enim miſiſtis ad illum legatos è cõcilio Hieroſolymitano, & detuliſtis ei honorẽ Meſsiæ, ac uoluiſtis in luce eius ad tẽpus exultare: hoc eſt, uoluiſtis autoritate eius abuti aliquanto tẽpore, donec ueſtræ cupiditati in adſequenda tyrannide ſatisfaceretis. Sed is tantæ fuit conſtantiæ, ut non ſolum non agnoſceret honorem Meſsiæ à uobis oblatum, uerumetiam in me manifeſtè transferret. Voluiſtis credere ipſum eſſe Meſsiã, ac decernere ab omnibus pro Meſsia habendum, ſi ipſe hoc agnouiſſet: cur ergo non creditis teſtificanti, non ſe, ſed me eſſe Meſsiam? Quid magis abſurdum, ꝙ quòd uolueritis cre-

Ioannis teſtimonium de Ieſu Chriſto.

Rom. 14.

dere Ioanni maiestatẽ Messiæ sibi sumpturo, & non uultis ei credere te
stificanti maiestatẽ Messię de alio? Deinde Ioannes erat lucerna ardens
& lucens, hoc est, fuit uir clarissimus, & tam natiuitate, quàm sãcto uitæ
genere, ac pia doctrina illustrissimus. Et quia fuit uir maxima apud om-
nes autoritate prędituſ, uoluistis & uos cum ipso amicitiam iungere, ut
& uos illustres gloria eius efficeremini. Quare, si iudicastis eũ uestra a-
micitia dignum, par est, ut & fidẽ habeatis testimonio, quod ipse de me
dixit. Non enim uerisimile est, quòd uolueritis cũ homine uano & mẽ-
dace amicitiam contrahere. Sed quid hoc, inquies, quòd Iesus Christus
ad confirmandã suam doctrinam, utitur testimonio Ioannis? num Ioan
nes maior & ueracior est Iesu Christo? Scilicet Iesus non esset Christus,
nisi Ioannes hoc testificatus esset? Absit. Nam Ioannes ipse ait de Iesu
Christo: Non sum dignus, ut soluam corrigiam calceamẽti eius. Vtitur
ergo Iesus Christus testimonio eius, nõ propter se, sed propter Iudæos.
Ego, inquiens, non accipio testimoniũ ab homine, sed hæc dico, ut uos
salui sitis: hoc est, allego testimoniũ Ioãnis propter uos, ut cũ habueritis
eum non solũ tanquam prophetam, sed etiam tanquam Messiã ipsum,
credatis etiam testimonio eius de Messia, quo ueram salutem cõsequa-
mini. Obseruabile dictum, quo utendum erit pro explicatione eorum,
quæ nobis de autoritate Ecclesiæ, & sanctorum ab aduersarijs obijci so-
lent. Nam cum Augustinus dicat, Euangelo non crederẽ, nisi me Eccle-
siæ catholicæ cõmoueret autoritas, fingunt autoritatem Ecclesiæ præ-
ferendam esse uerbo Dei, ac Ecclesiam posse mutare ea quæ in uerbo Dei
tradita sunt. Sed hoc Augustini dictum prorsus idem est, ac si quis dice-
Testimonij humani autoritas. ret, Non crederem Christo, nisi Ioanni baptistę & prophetis crederem:
quo dicto non certè hoc intelligit, humana testimonia excellere diuina,
& prophetas, ac Ioãnem maioris esse autoritatis Christo, ac in ipsorum
potestate situm esse, uel hunc, uel aliũ Christum, pro ipsorum libidine
hominibus adorandum proponere: sed intelligitur Christum excellere
quidem sua maiestate omnes homines, nec indigere, quantũ in ipso est,
ullo humano testimonio, homines autem intelligẽtia sua ita imbecilles
esse, ut necesse habeãt humana autoritate quasi manu duci ad cognoscẽ-
dam diuinam maiestatem. Hæc, inquit Christus, dico, ut uos salui sitis.
Non indiget Christus uel prophetarum uel Ioãnis testimonio, sed ho-
mines indigent ijs testimonijs, ut ex cognitis ad incognita, & ex ijs quæ
ipsis manifesta sunt, ad ea quæ per se quidem sunt manifestissima, sed
nobis hominibus obscura, perueniant. Sic etiam Euangelio, seu uerbo
Dei creditur propter testimonium catholicæ Ecclesiæ, nõ quòd diuina
ueritas pendeat ab humano testimonio: sed qꝝ maiores nostri tradide-
rint nobis in manus scripta Euãgelica, & testificati sint se ea accepisse ab
Apostolis & Euangelistis, ac re ipsa comperisse hæc ita & facta & docta
esse, quemadmodũ ab Apostolis descripta sunt. Hoc autem non est hu-
manam autoritatem anteferre diuinæ, nec est hominibus concedere ius
mutandi uerbi diuini: sed tantum per homines duci ad cognoscendum
diuinum uerbum; ut hoc omnibus humanis autoritatibus anteferatur.
Sicut & Ioannes idcirco testimonium tulit de Christo, non ut ipse præ-
feratur

feratur Christo, sed ut Christus omnibus præferatur. Illũ, inquit, oportet crescere, me autẽ minui. Quare, cum dicitur, nos credere Christo & Euangelio eius propter Ioannem & Ecclesiam, de Christo testificãtes, sentiendum est, nos his testibus credere: non ut his omnia, quę fortasis ex se fingere possent, sed ut soli Iesu Christo, de quo hi testificati sunt, credamus, & salutem nostram acceptam feramus. Deinde, nec hoc præterеundum est, quod Christus dicat, Iudęos uoluisse ad horam exultare in luce Ioannis baptistæ. Significat enim, hoc esse ingenium hominum in hoc seculo, quòd quò se fortuna, eódem etiam homines inclinant. Ioannes baptista fuit magnitudine autoritatis suæ nõ solum in uulgo, sed etiam apud principes illustris: Iudæi igitur decernunt eum Messiã, ac iubent eum hoc decretum agnoscere, ut & ipsi autoritate eius fiant illustres, ac cõsequantur per ipsum dominationem, quam iam dudum affectarunt, uidelicet ut fierent domini totius orbis terræ. Sed Ioannes reiecit sententiam eorum, nec agnouit maiestatem Messiæ, sibi delatã. Sciebat enim, primùm hanc maiestatem non competere sibi: deinde Iudæos non habere potestatem deferre maiestatem Messiæ, cui ipsi uellent, sed ei competere, cui diuinitùs esset data: postremò sciebat humanũ fauorem nõ esse firmum, ac nunc quidem Iudæos fauere ipsi, dum res fœliciter succederet, ac sperarent se p ipsum magna cõmoda accepturos: postquam autem percepturi essent aliquam infœlicitatem, primos eos fore, qui ipsum essent persecuturi & trucidaturi. Quare nullis promissis, nullis minis perpelli potuit, ut sibi oblatum Messiæ honorẽ sumeret. Memorabile exemplũ, quo docemur, quòd non debeamus ad seruiendum uel nostræ uel alienæ cupiditati suscipere dignitatem aut honorem, qui nobis non competit, & illegitimè nobis offertur. Primùm enim, honor, qui illegitimè & iniustè sumitur, sine Deo, aut fauore Dei sumitur. Vbi autem non est fauor Dei, quæ potest ibi esse fœlicitas? quis prosper rerum successus? Absolom sumpsit sibi honorem regiũ iniustè, sed pependit. Adonias aspirauit ad regiã maiestatem illegitimè, sed trucidatus est. Et ut de nostris temporibus loquar, Duces rusticorum in seditiõe acceperunt sine legitima uocatione gladium, & honorem ducatus, sed occisi sunt. Rex Anabaptistarum accepit honorem regium iniustè & illegitimè, sed miserrimè unà cũ sectatoribus suis perijt. Deinde, fieri solet, ut hi qui deferunt alicui honorem illegitimè, primi sint, qui deficiãt ab eo, & persequantur ipsum: uidelicet, cum intelligũt se commodorum suorum spe destitutos. Ciues Sichem creauerunt Abimelech regem suum, quod non licebat eis, in Israel. Sed paulo pòst primi sunt, qui non solum inuehuntur in eum omni genere contumeliæ, uerumetiã suscipiunt aduersus eum graue bellum, in quo & ipsi & rex eorum fœdissimè pereunt. Abner constituit mortuo Saule filium eius Isboseth in regẽ Israelis, quod erat contra diuinam ordinationem, qua Dauid in regem designatus erat: sed cũ Isboseth non seruiret affectui Abner, factus est Abner proditior eius. Itaq; euenit ut & Isboseth & Abner trucidarẽtur, iniustè quidẽ, quantum attinet ad percussores: sed nõ iniustè, quãtum attinet ad diuinum iudiciũ, corã quo Isboseth illegitimè acceperat maie-

Honorem alienũ suscipere.

Iudic. 9.

2. Regum 2. 3 & 4.

ſtatem regiam, quam ei Abner illegitimè obtulerat. Idē accidit nonnullis imperatoribus Romanis, qui per ſeditionem, à militibus electi, ab iiſdem paulo pòſt trucidati ſunt. Nam hæc eſt hominū huius ſeculi natura, quòd eum, à quo ſperant ſe magna beneficia cōſecuturos, in cœlo poſſuiſſe cupiant: ſed quū ſpe ſua fruſtrantur, deuoueant eum diris execrationibus, & conentur eum, ſi queant, in infernū deiicere. Quare fugiendus eſt honor illegitimè oblatus, nec confidendū eſt humano fauore, ut iniuſtè agas: ſed manēdum in legitima uocatione Dei, ut accipias ſuo tēpore cœleſtem & perpetuum honorem. Sed de Ioanne, & teſtimonio eius hactenus, de quo & aliàs multa dicta ſunt. Sequitur alterū teſtimo-
» nium, quod eſt miraculorum: At ego, inquit Chriſtus, teſtimonium ha-
» beo maius teſtimonio Ioānis. Opera enim, quę dedit mihi pater, ut per-
» ficiam, ea ipſa inquam opera, quæ ego facio, teſtificātur de me, q̄ pater
» miſerit me. Non reiicio teſtimonium Ioānis, ſanctiſsimi quidem & clariſsimi, hominis tamen: ſed huic præferendum eſt, q̄d pater ipſe, qui me Meſsiam fecit, de me teſtificatur. Hoc autē eſt patris teſtimoniū, quod per mea opera declaratur. Quæ ergo ſunt illa opera, quibus longè plus q̄ꝫ Ioānis teſtimonio probatur Ieſum eſſe uerū Meſsiam? Primùm ſunt miracula illa, quæ Ieſus in ſanādis ægrotis, in mundandis leproſis, in excitandis mortuis edidit. Sed talia etiam prophetæ quidam ediderunt. Quare addenda ſunt alia, eaq̄ maiora. Ergo uidendum eſt deinde, quæ Ieſus præter hæc mirácula fecerit: reſurrexit à mortuis, & aſcēdit in cœlum, quę certè nullus prophetarum fecit: poſtremò miſit diſcipulis ſuis ſpiritum ſanctū, ac uulgauit mirabiliter Euāgelion ſuum per totum orbem terræ, miniſterio Apoſtolorum, cōtra omnem huius mundi potētiā & tyrannidē. Hæc profectò manifeſta ſunt teſtimonia, quòd Ieſus ſit miſſus à patre, hoc eſt, q̄ ſit uerus Meſsias, filius Dei, quem pater iuxta prophetarum oracula, in hunc mundū ad ſeruādos omnes in ipſum credentes, miſit. Habes ſecundum genus teſtimonij, quod Ieſus allegat, ad teſtificandā doctrinæ ſuæ ueritatem, & ad comprobandam diuinam ſu-
» am maieſtatē. addit aūt Chriſtus in concione ſua: Et q me miſit pater, ip-
» ſe teſtificatus eſt de me. Poteſt & hoc intelligi, dictū eſſe de operib. ſeu miraculis, quæ Chriſtus diuina potētia edidit, ut ſit prioris dicti aſſeueratio. Sed rectè mihi interpretari uidentur hi q exponunt hoc de uoce Patris in baptiſmo. Nā, cū Ioānes Ieſum baptiſaret, uenit ſpiritus ſāctus in ſpecie colūbæ, ac ſedit ſuper Ieſum, & audiebatur uox de cœlis dicēs: Hic eſt filius meus dilectus, quo mihi bene cōplacitum eſt. Allegat igitur Ieſus nunc hoc cœleſte teſtimoniū: Qui miſit me, inquiens, pater, ipſe teſtificatus eſt de me, manifeſta uidelicet uoce in baptiſmo, q̄ ſim uerus Meſsias, filius Dei. Hoc aūt eſt tertiū genus teſtimonij, quod in hac cōcione recitatur. Sed priuſq̄ Chriſtus recenſeat quartum teſtimonium, refutat obiecta, quæ Iudæi aliàs quidē claris uerbis, nunc aūt cogitationibus ſuis cōmemorabant. dicebant em̄: Quid hic toties obtundit nos, ut adhibeamus uerbis eius fidem? An ſine ipſo nō poterimus eſſe ſalui? Quid? Qui prorſus ignorāt eum, num oēs pereunt? Maiores noſtri audiuerunt uocē Dei, cū in mōte Sinai recitaret Decalogū. Multi ex pro-

Miraculorum teſtimonia.

Vox patris teſtatur de Ieſu.

phetis

phetis noſtris, Eſaias, Ezechiel, & alij uiderũt ſpeciem quandã Dei. Et nos habemus adhuc uerbum Dei, quod patriarchis et prophetis diuinitùs reuelatũ eſt. An non hæc ſufficiunt nobis ad ſalutẽ? Quid ergo nobis opus eſt nouo illo homine, neſcio quo? Ad hęc reſpõdet Ieſus, et ait: Neq; uocem eius unquam audiſtis, neq; ſpeciem eius uidiſtis, & ſermonem eius non habetis in uobis manentẽ. Quia, quem miſit ille, huic uos non creditis. Non nego maiores ueſtros audiuiſſe uocem Dei in monte Sinai. Etſi enim, quod ad eſſentiam Dei attinet, nullus hominum in terris unq; potuit uocem Dei audire: tamẽ cũ Deus promulgaret Decalogum, aſſumpſit externam uocẽ, auditu quidem perceptibilem, humana autem uoce maiorẽ. Ecce, inquit populus Iſrael, oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam. Vocẽ enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, q̃ loquẽte Deo cum homine, uixerit homo. Quare fateor, quòd maiores ueſtri audiuerint uocẽ Dei in deſerto: nego autẽ, uos, uos inquam, poſteros eorum audiuiſſe unquam uocẽ Dei, etiamſi unà cum patribus ueſtris conſtitiſſetis ad radices montis Sinai, & audiuiſſetis ſonum uerborum Decalogi. Patres enim ueſtri, ſi qui fuerunt inter ipſos pij, ſic audiuerũt Decalogum, nõ ut contenti eſſent Decalogo, & ſentirẽt ſe operibus ſuis impleturos eum: ſed ut uehementer trepidarent, peccata ſua agnoſcerent, dãnationem ſuam uiderent, ac peterent & ſummè cõtenderent, ut Dominus alium, hoc eſt, meipſum mitteret, quem audirent, & per quem ſalutem cõſequerentur. ſic enim Moſes ait: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, IPSVM audies, ut petiſti à Domino Deo tuo in monte Oreb, quãdo cõcio cõgregata eſt, atq; dixiſti: Vltrà non audiam uocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum amplius non uidebo, ne moriar. Vos autem quid facitis? Primùm, exiſtimatis uos poſſe Decalogo ſatisfacere ueſtra iuſticia, ac cœleſtem hæreditatem mereri ueſtris operibus, quod planè ex diametro pugnat cum uoce Dei. Deinde, non creditis huic prophetæ, quem tunc patres ueſtri petierunt, & quem Deus nunc miſit, nimirum meipſum, qui hæc uobis cõcionor. Quare, ut uos ipſi nunq; audiuiſtis uocẽ Dei, nec intellexiſtis eam, ita nihil proderit uobis, q̃ maiores ueſtri uocem Dei audiuerint. Deinde non nego, quin Deus patefecerit ſeſe patriarchis & prophetis ueſtris uarijs uiſionibus & ſpeciebus. Vidit Iacob ſcalã ſtantem ſuper terram, cuius cacumẽ pertingebat ad cœlum, & DOMINVM Deum innixum ſcalæ. Vidit Eſaias DOMINVM ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum. Vidit Daniel antiquum dierum, & filiũ hominis peruenientem ad eũ, & accipientem omnem poteſtatem. Sed his uiſionibus & ſpeciebus reuelata eſt eis maieſtas Meſsiæ, hoc eſt, mea ipſius, quem etiam ardentiſsimo ſtudio expectarunt, & ut ſeruatorẽ ſuũ adorarũt. Vos autem damnatis me, qui ſum uera Dei ſpecies, ac expreſſa imago ſubſtantię Dei, & qui per has uiſiones ſum adumbratus. Quare etiãſi prophetæ ueſtri uiderunt ſpeciẽ Dei: uos tamen, ut nunquã eã uidiſtis, ita nec intelligitis ſententiã earum uiſionum: nec quicq; prodeſt uobis, q̃ prophetæ has uiſiones habuerint, propterea q̃ mihi, harũ

Audire uocem Dei.

Deut. 5.

Deut 18.

Deus patriarchis ſe pateſecit.

Meßias uera Dei ſpecies.

uisionum ueritati non credatis. Postremò, scio quidem uerbũ Dei, & sacram scripturam in Synagogis uestris tractari: nõ autẽ hoc agitis, ut cognoscatis uerum Messiam, qui est principalis totius sacræ scripturę status & scopus, sed ut affectibus uestris, impietati, auaritiæ & ambitioni seruiatis. Legitis & explicatis scripturam, non ut ueram iusticiam consequamini, sed ut uentri ac honori uestro consulatis. Quare etiamsi noctu diúq; in scriptura meditemini, tamẽ non habetis uerè in uobis uerbum Dei: propterea q; mihi, qui sum ipsum Dei uerbum, nõ credatis. Obseruabilis cõcio, qua perspicuè dãnantur impietatis quotquot de Deo, sed sine Christo filio Dei gloriãtur. Ethnici cõtenti humana ratione, iactarunt se colere Deum. Iudæi qui hoc tempore sunt, iurant etiamnũ se adorare unum & solum uerũ Deum. Mahumetistæ hoc nomine sibi mirè placent, q; sciant recitare, unum tantum esse Deum. Sed pars ignorãt Christum filium Dei, pars contẽnunt eum, pars proscindũt etiã ipsum cõuicijs: pars etsi aliquid ei tribuunt, non tamẽ tribuunt ei ueram suam maiestatem, ac putant se ad consequendam iusticiam & fœlicitatẽ cœlestem satis sua ipsorum prudẽtia, & suis legibus instructos. Quid ergo de his dicemus? Certè nihil aliud, q; quod hoc loco Iudęis dicitur. Nihil eĩm prodest his omnibus gloriatio de Deo, nihil inuocatio Dei, nihil humana prudentia, nihil leges etiam sapientissimæ: quia non credunt ei quem misit Deus, Iesu Christo Domino nostro, qui cum sit uerbũ Dei, & expressa imago substantiæ Dei, solus is est, per quem Deus uerè seipsum patefacit. Deũ, inquit aliàs Euãgelista, nemo uidit unq;: filius unigenitus, qui est in sinu patris, ipse enerrauit. & iterum: Nemo nouit filiũ, nisi pater: neq; patrẽ quisquã nouit, nisi filius, & cui uoluerit filius reuelare. Expergiscamur ergo, & complectamur fide Iesum Christũ, ut & per ipsum cognoscamus Deũ patrem nostrũ, quæ una & sola cognitio, uera est & perpetua nostra fœlicitas, quam largiatur nobis clemẽtia & bonitas Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Messias sacræ scripturæ scopus.

Deus non cognoscitur sine Christo.

HOMILIA XLIX.

QVOD faustum sit, protinus rem ipsam, quam tractandam suscepi, aggrediar. Supereſt enim explicãdum quartum testimonium, quod Iesus ad probandam maiestatem suam allegat, uidelicet sacra scriptura. Scrutamini, inquiens, scripturas, quia uos uidemini uobis in ipsis uitam æternam habere: & illæ sunt, quę testificãtur de me, nec uultis uenire ad me, ut uitã habeatis. Quod dicitur, Scrutamini, intelligitur à quibusdã magni iudicij interpretibus, nõ imperãdi, sed indicandi modo: ut sit sensus, Vos magna diligẽtia studetis in sacra scriptura. Putatis eĩm hoc opere uos consecuturos uitam æternam. Quid ergo? Si hæc est sentẽtia uerborum Christi, an nõ sic dici uidentur, perinde ac si non esset scrutanda scriptura, & errarent Iudæi, q; inquirerent in scriptura uitam æternam? Minimè omnium. Christus enim non reprehendit Iudeos, q; scrutẽtur scripturas. Omnino enim sacra scriptura cognoscẽda est, quia est thesaurus Ecclesie Dei, & cõtinet cœlestem doctrinam. Pręterea nec id reprehendit

Sacra scriptura testatur de Christo.

Sacræ scripturæ studium.

hendit Christus, quòd ludæi quærant uitã æternã inscriptura. Nam in scriptura patefit nobis uia & ratio consequendæ æternæ uitæ, quemadmodum mox sequitur: sed hoc reprehendit, ꝙ ludæi abutãtur scriptura ad impietatem. Multum quidem operæ ponũt in legendis, & honestè tractandis libris sacræ scripturæ. Instituerũt, ut singulis sabbatis aliquid ex scriptura publicè recitetur. In Actis apostolicis dicit Iacobus: Moses ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prę dicent in Synagogis, ubi per omne sabbatum legitur. & Paulus: Voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur. Hæc cõsuetudo legẽdæ & tractandę scripturæ in synagogis fuit cõmẽdatione digna. Posteriores ludæi suam quoꝙ diligentiam hac in parte ostẽtarunt. Numerauerunt enim in libris ueteris Testamẽti, non solum singulos uersus, sed etiam singulas dictiones & literas, ac perscrutati sunt quoties singulę alphabeti literæ in scriptura cõtineantur. Accedit & hæc reuerẽtia, ꝙ nõ patiãtur, ut in aceruo librorũ, alius liber ponatur supra librum scripturæ: nec impunè ferũt, si cui ex incuria liber scripturæ in terram decidat. Hęc si habeant pro puerili studio, fortasis tolerabilia sunt. Sed interim perniciose errant. Nõnulli enim putant se hac diligẽtia satisfacere diuinæ legi, & pollicentur sibi uitam æternam propter hanc diligẽtiam, nec habent ullam aliam pietatẽ. Non inuocant Deum ex fide, non benefaciunt proximis, sed furantur, nugantur, scortantur, nihilꝙ honesti agũt, præterꝙ quod sacrã scripturã externa quadam reuerentia colãt: quales sunt & inter Christianos, qui cum nullum non sceleris genus designẽt, hanc tantum honestatis speciem sectantur, quòd frequenter audiãt publicas conciones, & ad nomen Iesu genua sua reuerenter flectãt. Alij nõ quærunt nec inuestigant in scriptura principalem eius statum, ac uerũ eius finem: sed tãtum excerpunt ex ea quasdam honestas uirtutes, quas imitentur & faciant, & quarum meritis consequantur æternam uitam. Hi, etsi in hoc non errant, quòd discant ex scriptura bonas uirtutes, quæ non sunt quidem obtrudendæ Deo pro merito æternæ uitæ, omnino autem faciendæ sunt: tamen si nihil aliud in scriptura uideant, certè non uident uerum ac legitimum eius finem & usum. Quis est ergo præcipuus scripturæ usus? quis eius finis? De hac re docet Iesus Christus hoc loco perspicuè, & ait: Illæ sunt, quę testificantur de me. Recitaui antea tria genera testimoniorum. primum est, Ioãnes baptista: secundum, miracula: tertium, uox patris de cœlo. Nunc addo & quartũ, uidelicet sacram scripturam. Hæc enim est, quæ manifestè dicit testimoniũ de mea maiestate. Rectissimè ac uerissimè dictum. Tota em̃ scriptura hũc præcipuè finem sibi constituit, ut doceat, explicet, cõmendet, ac illustret Iesum Christum, seruatorem nostrum. Primùm enim manifestũ est, ac ne ipsi quidẽ ludęi hoc negare uel possunt uel audẽt, ꝙ in uniuersa scriptura ueteris Testamenti Messias promittatur uenturus: & ꝙ non solũ patriarchę expectarint ex diuina promissione Messiã uerum seruatorem, sed etiam Israel eductus sit ex Ægypto, & translatus in terrã Canaan, ut esset regnũ & πολιτεία, in qua publicè de Messia uenturo prędicaretur. Deinde manifestum quoꝙ est, si res gestas eũ scriptura de Messia cõfe-

Actо. 15.

Actо. 13.

Scripturæ abusus.

Sacræ scripturæ præcipuus finis.

ras, quòd nullus alius præter ſolum Ieſum Nazarenum filiũ Mariæ ſit uerus ille Meſsias, qui patriarchis promiſſus, & per prohetas prædicatus fuit. Nam omnia quæ ſcriptura de Meſsía tradit, in hunc ſolum Ieſum Nazarenũ competunt. Scriptura definit familiam, ex qua Meſsias ſit naſciturus, quæ eſt familia Abrahæ, Iudæ, & Dauidis. Definit tempus, quo ſit naſciturus, uidelicet eo tempore, quo ablatum fuit ſceptrũ à Iuda, & ſeptuaginta hebdomadis annorum, poſt ſecundum annũ Darij Longimani. Definit mulieris, ex qua ſit naſciturus, qualitatem, uidelicet ex uirgine, non ex muliere à uiro corrupta. Definit & locũ natiuitatis eius, uidelicet urbem Bethlehem. Præterea docet, eum editurum miracula, paſſurum mortẽ, reſurrecturũ à morte, & uulgaturum uerbum ſuum in omnẽ terram, & in fines orbis terræ. Dicit & regnum eius fore in medio inimicorum eius: hoc eſt, non fore mundanũ, ſed ſpirituale & cœleſte regnum. Hæc autem omnia competunt in ſolum Ieſum Nazarenum, qui natus eſt temporibus Octauiani Auguſti, & paſſus eſt, acreſurrexit ſub Pontio Pilato præſide Iudææ. Quod etſi negant Rabbini Iudæorum, homines uaniſsimi, & prorſus cæcati, nihil tamen eo certius eſt, id quod res ipſa comprobat. Quare tota ſcriptura teſtimoniũ dicit de hoc Ieſu Nazareno, quòd ſolus ipſe ſit uerus Meſsias, ſeruator noſter. Quid ergo factum eſt? Cum tot & tanta ſint teſtimonia maieſtatis Ieſu Chriſti, quibus nihil eſt firmius, nihil certius, nihil manifeſtius, nũ Iudæi uenerunt ad Ieſum, & agnouerunt eum pro uero Meſsia? Audi, quid Ieſus ipſe dicat: Nec uultis uenire ad me, ut uitam habeatis. Quantam ergo putas fuiſſe cæcitatem, quantam impietatem Iudæorũ, quòd ne tot quidẽ ac tantis teſtimonijs conuicti, crediderint in Ieſum? Necid impunè tulerunt. Nam cum abiecerint uitam, neceſſe habuerũt perpetua morte perire. Non uultis, inquit, ad me uenire, ut uitam habeatis. Ergo non uenire ad Ieſum Chriſtum, eſt nõ uenire ad uitam, hoc eſt, in morte perire. Venire autẽ ad Ieſum Chriſtum, eſt uenire ad uitã. Quomodo igitur uenimus ad Ieſum? Venimus fide, uidelicet, cũ credimus Euangelio eius, quòd ipſe ſit uerus Meſsias ſeu Chriſtus, filius Dei: q̃ propter ipſũ Deus nobis faueat, remittat nobis peccata, & adoptet nos in filios ac hæredes cœleſtium ſuorum bonorum. Sed obſecro te, quid cuſæ eſt, quòd Iudæi tot ac tantis teſtimonijs de maieſtate Ieſu obruti, non uenerint ad Ieſum, nec agnouerint eum uerum Meſsiam? Duæ hic recitantur cauſæ. Altera eſt, quòd non dilexerint Deum ac gloriã eius, ſed magis dilexerint ſeipſos, & ſuam externam atq̃ carnalem gloriam: altera, quòd non crediderint Moſi, etiamſi de eo plurimum gloriabantur. Priorem cauſam recitat Chriſtus, cum ait: Gloriã ab hominibus nõ accipio, ſed cognoui uos, quòd dilectionem Dei non habeatis in uobis. Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me: ſi alius uenerit nomine ſuo, illum recipietis. Quomodo uos poteſtis credere, qui gloriam à uobis inuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo proficiſcitur, nõ quæritis? Quod Chriſtus dicit, hanc habet ſentẽtiam: Ego, etſi magna et mirifica de me prædico, tñ hoc non facio ad captandam humanam gloriã. Non indigeo hominum laude, quippe quem etiam angeli adorant: ſed

Ieſum Nazarenum, uerũ eſſe Meſsiam.

Venire ad Ieſum quid ſit.

ueſtram

uestram salutem quæro. Ac audio quidem prolixã uestram iactationẽ, q̃ Deum diligatis ex corde, & q̃ solam gloriam eius quæratis, sed certo scio hanc iactationem esse uanissimam. Non enim diligitis Deũ uerè & ex animo, sed diligitis uos ipsos: non estis φιλόθεοι, sed φίλαυτοι: nec quæritis ex corde gloriã nominis Dei, sed quęritis tantum gloriam nominis uestri. Hoc unum agitis, huc solũ spectatis, ut inter homines glorioſi ſitis, & ab hominibus honore afficiamini: ideoq̃ non est mirum, q̃ nullã fidem adhibeatis meo Euangelio. Cum enim meũ Euãgelion uideatur aliquid detrahere de honore, de existimatione, & de gloria nominis uestri, odio illud peius cane & angue habetis. Sed ne uidear uos audacius q̃ uerius accusare cõtẽptus Dei, & ambitionis, agitè demõstrabo manifestius, uos nec Deũ diligere, nec gloriam eius quærere: sed potius Deum odio habere, & tãtum uestram gloriam quęrere. Ego enim ueni nomine patris mei, nec recipitis me. Veni in hanc terrã non temerè, sed a te à Deo promissus, ac nunc etiã ab ipso missus. Et hanc missionem seu legationẽ, autore Deo patre factã esse, publicè ac perspicuè probo, cuius rei testimonia iã primùm recitaui. Præterea, quę in hac mea legatione, quam uoluntate Dei patris suscepi, facio & doceo, illustrant gloriã nominis Dei: sano infirmos, reddo cæcis uisum, mũdo leprosos, & facio id genus alia miracula, quæ certè palàm demonstrant diuinã potentiã, & sunt beneficia ac opera hominib. utilia, sicut & Deus præcipit, ut homo homini benefaciat. Doceo aũt, Deũ remittere propter me Messiam peccata omnibus ijs, qui me recipiũt fide sua, & agnoscere eos hæredes cœlestium bonorum, ut seruẽtur in morte ad perpetuã fœlicitatẽ. Hæc certè doctrina est gloria Dei, primùm quidẽ gloria ueritatis Dei, q̃ seruet pactum suũ, & miserit Messiam, quem antè promiserat: deinde est gloria misericordię Dei, quòd gratis remittat peccata, propter filium suum. Est & gloria potentiæ Dei, q̃ eripiat potẽtia sua ex morte eos, qui uidentur corã mundo perire. Quare si diligeretis Deum, & gloriam nominis eius, profectò fieri non posset, quin me reciperetis. Nunc autem, quia persequimini me, uerum filiũ Dei, & uoluntate Dei in terram missum, manifestum argumentũ est, q̃ magis sitis osores q̃ amatores Dei. Sed q̃ plus affectetis gloriam nominis uestri q̃ gloriã Dei, ex eo perspicuũ fiet, quia si alius uenerit suo nomine, illum recipietis. Si alius quispiã, nulla certa uocatione Dei, nullo mandato Dei, sed suo tantũ ipsius arbitrio et cupiditate glorię sui nominis excitatus ad uos uenerit, & pollicitus fuerit uobis externam dominationem, & egregiã inter homines laudẽ, hunc, si uobis uel minimam spem ostenderit, obuijs, quod aiunt, ulnis excipietis, hũc amplectimini, huius dictis et mãdatis, sed maximo uestro exitio, parebitis. Videamus ergo, quõ ea quę Christus hic prædixit, re ipsa euenerint. Ac initiò, cum post resurrectionẽ Christi, & ascensum eius in cœlum, Iudæi pergerent Iesum Christum in discipulis suis persequi, uenit in Iudæam Ægyptius quidã pseudopropheta, promittẽs Iudæis, si se sequerẽtur ad montẽ Oliueti, muros ciuitatis Hierusalẽ mirabiliter casuros, ut liberè possint ingredi: ac oppresso Romanorum præsidio, urbem capere, & dominationem non solum in Iudęa, sed

Iudæi quare non agnouerint Iesum esse Messiam suũ.

Doctrina de Messia est gloria Dei.

Iudæi, reiecto Christo, receperunt alios.

etiam

etiam in omnibus gentibus consequi. Hic uenit suo nomine. Non enim missus erat à Deo, sed impulsus erat sua ipsius cupiditate. Cũ igitur magna pars Iudęorũ sperarent se hoc autore cõsecutores libertatẽ, dominationẽ & gloriã, cõiunxerũt se cũ ipso obedientissimè: sed pro gloria & libertate reportarunt non solum ignominiã, uerumetiã captiuitates et mortes. Deinde exoriebãtur in Iudęa multi autores seditionũ, quorũ ut quisq; poterat se maiori eloquentia & uerisimiliori specie pro Messia, hoc est, populi seruatore & liberatore iactare, eo plures sibi cõciliabat. Venerunt & hi suo ipsorum nomine. Non enim erant à Deo missi, nec poterãt uocationẽ suam certis ac firmis testimonijs probare, sed excitati erãt à Satana, & à sua ipsorum libidine. Et tñ Iudęi illecti spe cõsequendæ dominationis & gloriæ, recipiebant eos, ac agnoscebant ipsos seruatores suos. Quid ergo factum est? Nõ desinebant quosuis pro suo arbitrio Messias seu defensores & liberatores recipere, donec à Romanis horribiliter opprimerent, & urbs Hierusalẽ deuastaret. Et tñ ne sic quidẽ quiescebant. Nam quo tempore Adrianus administrauit Romanam monarchiã, Iudæus quidam, Cochab nomine, quod stellam significat, gloriabatur se uelut sidus è cœlo demissum, ut miseros Iudęos, qui multis iam annis in tenebris omnium calamitatũ quasi sepulti iacuissẽt, excitaret ac illustraret: quo non solum reciperent pristinam gentis suæ gloriã, uerumetiam extenderent famam nominis sui usq; ad fines orbis terræ. Etsi autẽ hic Iudæus non potuit ulla diuina autoritate uocationẽ suam probare, ac manifestè ueniebat suo ipsius nomine, uidelicet ut sibi dominationem & gloriã inter homines compararet: tamen reliqui Iudæi agnoscebãt eum Messiam suum, & coniungebant se cum ipso maxima multitudine. Sed hi paulopòst cũ suo Cochab, hoc est, sidere, ita extincti & deleti sunt, ut deinceps nullum prorsus fœlicitatis splendorẽ cõsequi potuerint. Adijciã his & illud quod Ecclesiasticæ historiæ tradunt Iudæis in Creta insula, eo tẽpore quo Valentinianus Romanarũ rerum potiebatur, contigisse. Iudæus quispiam, aut potius Satan, Iudæi habitu se uenditans, uenit in Cretam insulam ad Iudæos, qui ibi tũ habitabant: ac finxit se esse Mosen, promittens se educturum ipsos ex insula ad suam terrã Canaan, ut ibi fœlicitatem eis olim per prophetas promissam consequerẽtur. Hic manifestè uenit suo, imò Satanico nomine. Nulla enim potuit argumẽta diuinæ uocationis demonstrare. Iudæi tamen Cretenses tam cæci fuerunt, ut non solum reciperent eum pro suo Messia, uerumetiam præcipitarent se mandato eius, inuolutos, de excelsis rupibus. Persuasi enim erant, se de rupibus illæsos ad mare peruẽturos, & per mare in terram suam saluos ingressuros, sed statim patuit impostura. Qui enim sese deiecerant, hi partim saxis hærebant dilacerati, partim in mari natabant suffocati. Nõ minus horribile est, quod Iudæis qui sunt hoc tẽpore contingit, diuersa quidem ratione, non minori tamen ipsorum internecione. Nõ recipiunt Euangelion Iesu Christi, ueri seruatoris: necesse igitur habent recipere & agnoscere suos Rabbinos, sceleratissimos homines, qui uulgum Iudæorum ita captũ tenent, ut persuasi sint omnia Rabbinorum suorum somnia, quãuis manifestissima & impuden-

Ioseph lib. 2. cap. 12. de bello Iudaico.

Euseb. in Ecclesiast. histo. lib. 4 cap. 6.

Iudæi Cretenses.

Iudæi nostri temporis.

impudentissima mẽdacia, diuina esse oracula: quæ cum sectantur, quid aliud reliquum est, q̃ꝑ q̃ cõsciant sese in præsentem ac sempiternum interitum? Quod Iudæis, idem etiã Christianis contigit. Postq̃ eñ Christiani posthabuerunt Euangelion, quod Apostoli nomine Christi prædicauerunt, circumferebãtur quouis uento doctrinæ, & suscipiebãt canones pontificum, commenta eremitarũ, regulas monachorum, et quæuis somnia sacrificulorum: quæ hi prætextu quidẽ nominis Christi, sed reuera suo ipsorum nomine, Ecclesiæ Christi obtrudebant. Hoc est iustissimum supplicium, ut qui noluerit suscipere doctrinã ueritatis, necesse habeat suscipere mendaciũ. sic enim dicit Dominus per Ezechielem: Si homo alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ posuerit contra faciem suã, & uenerit ad prophetam, ut interroget per eum me, ego Dominus respõdebo ei per me: & ponam faciem meam super hominem illũ, & faciam eum in exemplũ, & in prouerbium, & disperdam eum de medio populi mei. ac mox: Iuxta iniquitatẽ interrogantis, sic erit iniquitas prophetæ. & Paulus: Pro eo, inquit, q̃ ueritatem summo amore dignam nõ receperunt in hoc ut salui fierent, mittet illis Deus efficaciam illusionis, ut credãt mendacio. Quare cum hoc tẽpore ueritas Euangelij Christi patefacta est iterũ beneficio Dei in Ecclesia, nihil nobis prius sit, q̃ ut eã obedienter suscipiamus: ne si abijciamus ueritatẽ, abijciamur & nos ipsi in extremas mẽdaciorũ tenebras. Sed hic paulo diligentius cõsiderandũ est, quam causam recitet Christus, cur Iudei nõ receperint ipsum nomine patris uenientẽ, & tñ alios receperint. Cognoui, inquit, q̃ nõ habeatis dilectionem Dei in uobis. & mox: Gloriã à uobis inuicẽ accipitis. Hæc nimirũ causa est, propter quam homines tã frigidè afficiuntur erga Euangelion Christi, nec adhibent ei fidẽ, quam debent: uidelicet q̃ non diligant Deum, nec quærant gloriam Dei, sed diligunt tñ seipsos, & quærunt suam gloriã, & sua externa cõmoda. Solus enim Dominus Deus noster est summũ bonum, & perpetua fœlicitas, quem qui habet, omnia habet: qui nõ habet, nihil nisi ignes inferni habet. Homo autẽ amisit Deum propter peccatum. Et tamen affectat bonum, & quærit fœlicitatem, ideoq̃ cũ careat Deo, uero bono, & uera fœlicitate, in hoc studiũ incũbit, ut quoquo modo possit, fœlicitatem ex alijs rebus consequatur. Itaq̃ alius quærit opes, alius uoluptates corporis, alius gloriã & nobilitatẽ, alius magnitudinem potẽtiæ, alius alia, quibus quisq̃ sperat se amissam fœlicitatem recuperaturum: sed longè falluntur opinione. Nihil enim, præter Deũ, potest humanam mentẽ explere. Nam quemadmodum si doctor quispiam dissipasset amplissimum patrimoniũ scortis, alea & conuiuijs, postea autem inopia rerũ pressus colligeret paleas, quisquilias, aut etiam obolos, ac speraret se his minutijs amissum patrimoniũ recuperaturũ, nunquid faceret operæprecium? Egestatem fortassis sustentaret: sed si ex his magnas diuitias speraret, omnibus esset ridiculus, ac etiamnũ insanire iudicaretur: ita homo, amisso propter peccatũ Deo, amisit cœlestem hæreditatem, ac ueram fœlicitatem. Nunc ergo circuit, alius quidẽ ad opes terrenas, alius ad honores ciuiles, alius ad uoluptates corporis,

Christiani, reiecta doctrina ueritatis, susceperunt canones pontificũ, &c.

Cur homines nõ afficiantur erga Euangelion Christi.

Deus solus summum & perfectum bonum.

ris,alius ad potentiã huius ſeculi,ut his rebus iterũ colligant eam,quam antè amiſerunt hæreditatem. Hæc eſt mera mẽdicitas. Terrena enim illa,oboli ſunt,paleæ ſunt,& quiſquiliæ, nõ ipſa uera & cœleſtis hæreditas aut fœlicitas. Quid ergo faciendum eſt,ut cœleſtem illam,ac uerã & perfectam fœlicitatẽ conſequamur? Homo non diligat ſeipſum carnali modo,non quærat carnalem ſuam gloriam:ſed diligat Deum,quærat gloriam Dei. Sic enim fiet, ut & excitetur ad recipiendũ Euangelion filij Dei,quo recepto,recipitur etiam uera & ſumma fœlicitas. Nam qui cõtempto Deo,immerſi ſunt cupiditatibus rerum huius ſeculi, nullam habent rationem ueræ religionis:ſed eam ſectantur,quam uident populares ſuos ſectari, & quam probat magiſtratus, adeoq; quam putat eſſe tutam inter homines,quibus cum uitam agunt. Viuunt inter Chriſtianos,uidentur igitur & ipſi religionem Chriſtianam ſectari. Si agerẽt uitam inter Turcas aut Iudæos,ſectarentur & illorum religionem. Quieiuſcemodi ſunt, quomodo obſecro, reciperẽt ſeriò Euãgelion Chriſti? de his Chriſtus etiam aliàs concionatus eſt:Semẽ,inquiens, quod in ſpinas cecidit, hi ſunt,qui audiũt, & à ſollicitudinib. & diuitijs ac uoluptatibus uitæ euntes ſuffocantur,nec referunt fructũ. Et iterum,cũ inuitati uocarentur ad nuptias, alius dicit, Villam emi:alius, iuga boum emi: alius,uxorẽ duxi,& ideo non poſſum uenire. Sed quid uiciſsim audiũt? Nemo uirorum illorum,qui uocati ſunt,guſtabit cœnam meam. Abijciamus igitur dilectionem noſtri,& cupiditatem rerũ terrenarum:recipiamus autem dilectionem Dei,& cupiditatem cœleſtis hæreditatis,ut & Euangelion filij Dei,q̃d eſt potentia ad ſalutẽ omni credenti,per fidẽ agnoſcamus, & obedienter ſectemur. Sed audiamus nũc alterã cauſam,

Veræ fœlicitatis conſequendæ ratio.

» propter quam Iudæi nõ crediderunt Euangelio Ieſu:Nolite,inquit,pu-
» tare,q; ego accuſaturus ſim uos apud patrẽ. Eſt qui accuſat uos Moſes,
» in quo ſperatis. Si emi credidiſſetis Moſi,credidiſſetis utiq; mihi. De me
» enim ille ſcripſit. Si autem illius ſcriptis non creditis, quomodo uerbis
» meis credetis? Sicut uos Iudæi iactatis,uos diligere Deum,ſed iactantia
ueſtra uaniſsima eſt. Si enim Deum diligeretis,certè diligeretis etiã me, ac meum Euangelion. Iactatis uos eſſe diſcipulos Moſi, & credere ſcriptis Moſi,ſed & hæc iactantia uaniſsima eſt. Si enim crederetis ſcripto Moſi,crederetis & meo uerbo,quia Moſes de me ſcripſit. Cum autem nullam adhibeatis fidẽ ſcriptis Moſi, quomodo meis uerbis adhiberetis fidem? Quid ergo? num Moſes antecellit autoritate ſua Ieſum Chriſtũ,q; Chriſtus de Moſe,quaſi de maiori dicat: ſi huic non creditis,multo minus mihi? Non profectò antecellit Moſes Ieſum Chriſtũ,ſed Chriſtus loquitur hæc pro Iudæorum opinione. Nam Iudæis notior & gratior erat Moſes,q; Ieſus:ac plura Moſi q; Ieſu tribuebãt, quanq; reuera Ieſus multo maior eſt Moſe. Rectè ergo dicit, ſi Moſi uobis notiori, & maioris apud uos autoritatis nullam fidem adhibetis,quomodo mihi ignotiori uobis,& minoris apud uos autoritatis,crederetis? Sed uidendũ hoc loco eſt, ubi nã Moſes de Ieſu Chriſto ſcripſerit. De me emi, inquit,ſcripſit. Ac manifeſtum quidem eſt, q; Moſes ſcripſerit de Meſsia: ſed ubi quæſo ſcripſit de Ieſu? Diximus ſuprà,& indicauimus,q; omnia

Moſes ubi de Ieſu Chriſto ſcripſerit.

ea

ea quæ de Meſsia in prophetis extant, cõpetant in Ieſum Nazarenum, filium Mariæ. Quare ubicunq; Moſes ſcripſit de Meſsia, ibi etiam ſcripſit de Ieſu illo noſtro, q̃ eſt uerus Meſsias filius Dei. Ac primùm Moſes ſcripſit de Ieſu Chriſto, cum recitauit ſemẽ mulieris contriturum caput ſerpentis. Deinde ſcripſit de eo, cum cõmemorat ſemẽ Abrahę allaturum benedictionem omnibus gentibus, ac uenturũ Silo, qui ſit gentium expectatio ſeu iuſtificatio. Scripſit etiam de eo, cũ inſtituit uaria genera ſacrificiorum, quæ fuerunt cõciones de Ieſu Chriſto. Maximè autem omnium ſcripſit de eo, cum ait: Prophetam de gẽte tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies. Hic propheta non eſt alius q̃ Ieſus Chriſtus. Ergo ne, inquis, Moſes proponit nobis Ieſum Chriſtum ut legislatorem? dicit enim: Prophetã ſuſcitabit ſicut ME? Moſes autem fuit legislator. Dicemus igitur & Chriſtũ eſſe legislatorem? Minimè omnium. Moſes enim docuit perfectam legẽ, ideoq; non fuit opus alio legislatore, ſed opus potius fuit redẽptore ab onere & grauitate legis. Sunt igitur in quibus Moſes & Chriſtus cõueniunt, ſunt & in quibus non conueniunt. Nam quemadmodum Moſes fuit mediator, doctor & ductor, ita & Chriſtus eſt mediator, doctor & ductor populi Dei. Et hactenus quidẽ conueniunt inter ſe: ideoq; dicit Moſes, Prophetam ſuſcitabit, ſicut ME. In perſonis autem, & rebus, quas adminiſtrarũt, maximè inter ſe diſtãt. Moſes enim perſona ſua ſeruus tantum fuit, Chriſtus autẽ Dominus eſt: Moſes homo tantum fuit, Chriſtus autẽ filius Dei eſt, ac Deus ipſe. Deinde Moſes mediator fuit inter Deum ac populũ in ferenda & explicanda lege, hoc eſt, in reuelando peccato, in patefacienda ira Dei, in oſtendenda perpetua damnatiõe propter peccatũ: Chriſtus autem mediator eſt inter Deum ac populum in remittendo peccato, in recõciliando Deo, in liberando à damnatiõe, & cõferendo regno cœleſti. Moſes fuit doctor legis, Chriſtus autẽ doctor Euangelij: Moſes fuit ductor populi ex Ægypto ad terrã Canaan, Chriſtus autem eſt ductor populi ſui ex hoc mũdo, in cœleſtem patriã, ex horroribus inferni, ad gaudia cœli, denicq; ex morte ad uerã & perpetuam uitam. Cum igitur Moſes intelligeret non ſolũ ſuo ſpiritu, ſed etiã acclamatione populi Iſraelitici, miniſterium ſuum eſſe plenum iræ & damnationis, nõ uoluit apud ſe detinere auditores ſuos, ſed amandauit eos à ſe ad prophetam illum poſt ſe uenturum: Ipſum, inquiẽs, audies. quaſi diceret, Ego mea prædicatione oſtẽdo tantũ tibi peccata, reuelo tibi irã Dei, & aperio tibi ianuas inferni: quod etſi, ut habent ſeſe res hominum, neceſſarium eſt, tamen eſt iniucundũ, & niſi aliter ſaluti hominum cõſulatur, exitioſum. Sed ſi uolueris ueram ſalutem cõſequi, audiendus tibi eſt alius propheta, qui cũ ante me fuerit, ſecuturus eſt me. Hic eſt Chriſtus, qui peccata quæ ego oſtendo, expiat, ac credentes in ipſum iuſtificat: qui irã Dei, quam ego patefacio, placat: qui ignes inferni, quos ego accendo, extinguit, & ianuas cœli aperit, ut quotquot in ipſum credũt, cœleſtia & perpetua gaudia cõſequantur. Habes, quomodo Moſes de Ieſu Chriſto ſcripſerit: habes & explicationẽ eius concionis, quam Chriſtus occaſione Iudaicæ perſecutionis ob editum in Sab-

Moſes ubi de Ieſu Chriſto ſcripſerit.

Moſi & Chriſti collatio.

bato miraculũ,habuit. Reliquum nunc est, ut hanc memorabilẽ & cœlestem concionem magna diligentia conseruemus, ut ex ipsa cognoscamus maiestatem Domini nostri Iesu Christi, & omnem salutis nostræ spem in ipso collocemus, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT VI.

HOMILIA L.

IN superiori capite Euangelista commemorauit principiò illustre miraculum, quod Iesus Christus in paralytico triginta & octo annorum edidit. Deinde recensuit excellentem concionem, quam Christus de maiestate sua, post editum miraculum habuit. Eundem planè ordinem seruat Euangelista etiam in hoc sexto capite. Initiò enim narrat memorabile illud miraculũ, quod Iesus pascẽdis tot millibus hominum in deserto edidit. Postea addit egregiam concionem, quam Christus de uera in ipsum fide habuit. Ac profectò apta hæc est, & cõgruens narratio. Nam Iesus Christus non uoluit doctrinã suam auditoribus nudã proponere, sed munitam uarijs miraculis, ut his tanq; cœlestibus testimonijs ueritas & autoritas eius tam patefieret, q; confirmaretur. Ostendimus & antea, quòd Christus aliquoties usus sit miraculis suis pro tintinabulis, quæ campanas uocant, quibus conuocaret auditores ad concionem, & excitaret in eis attentionem. Audiamus igitur & nos primùm omniũ sonitum campanę eius, hoc est, historiam miraculi in deserto editi, ut non tam ad hanc, quæ postea sequitur, concionẽ, q; ad uniuersam Christi doctrinã fide percipiendam, attentiores
» fiamus. Posthęc, inquit, abijt Iesus trãs mare Galilęæ, quod est Tiberia-
» dis, & sequebatur eum turba multa: quia uidebant eius signa, quæ facie-
» bat super his qui infirmabantur. Nõ est sentiendũ, q; Iesus statim post concionem, quæ in superiori capite descripta est, secesserit trãs mare Tiberiadis: sed quemadmodũ alij Euangelistæ testãtur, secesserit cum Apostolis in desertum locum, postq; antè emisisset eos ad prædicandũ Euãgelion, & dedisset eis potestatẽ ejiciendi dæmones, ac sanandi morbos, & illi reuersi essent, ac cõmemorassent, quæcunq; fecerant, & docuerãt. Tunc igitur Iesus assumptis his, secessit seorsum trans mare Tiberiadis in Galilæa, ad locum desertũ ciuitatis, quæ dicta est Bethsaida: & requiescite, inquit, paululũ. Erãt em̃, qui uenirent & abirent multi, ac ne cibũ quidem capere uacabat. Quare secessit cũ Apostolis à turba, ut recreati alacriores ad suam functionẽ redirent. Quid enim in hac humana imbecillitate, quam etiã Iesus ipse in se susceperat, durabile est quod alterna requie careat? Sed ne sic quidem potuit eis ociũ contingere. Cum em̃ populus sensisset Iesum cũ Apostolis suscipere profectionem ad desertum, tanto desiderio eius & uidẽdi & audiẽdi tenebantur, ut alij quidẽ præuenirent eum in desertũ, alij sequerentur. Itaq; factum est, ut magna hominum multitudo in desertum illud, ad quod Iesus quietis gratia secesserat,

ceſſerat, cõuenerit. Quid ergo de hac turba dicemus? Excitati quidẽ ſũt magnitudine miraculorum, ut Ieſum ſequerẽtur, ſed quo, obſecro, conſilio ſecuti ſunt eum? Non enim idem fuiſſe omnium conſilium, res ipſa demonſtrat. Nam alij ſecuti ſunt eũ ex curioſitate, ut uiderẽt inſolita miracula: alij ex ignauia & ſocordia, ut ocioſi cũ ipſo fœliciter in hac terra uiuerent. Iudicabant enim eũ eſſe Meſsiam, non quidem talem, qualem ſpiritus ſanctus docuerat: ſed qualẽ ipſi ſibi fingebant, nempe terrenum monarchã, qui aſſeclis ſuis omnem terrenam fœlicitatem tribueret. Alij ſecuti ſunt eum, ut captarẽt ex ſermone eius, quod nũciarent ſacrificulis & Phariſæis, atq; ex hoc officio beneuolentiam eorum conſequerẽtur. Pauciſsimi ſecuti ſunt Ieſum, ut reportarent ex ipſo ueram iuſticiam & cœleſtem ſalutẽ. ſic homines uulgò ſunt affecti. Maxima pars non niſi terrenas opes, & carnalem tranquillitatem quærunt. Putant ſe ſua ipſorum opera facilè poſſe cõſequi cœleſtem iuſticiam & ſalutem, ſi modò cõſequerentur terreſtrem fœlicitatem. Det uitam, inquiunt, det opes, animum mihi æquũ ipſe parabo. Sed hæc eſt corruptiſsima & deprauatiſsima opinio. Ea enim iuſticia, quæ in iudicio Dei cõſtat, nõ poteſt parari humanis uirib. nec inuenitur in opibus, in ocio, aut uoluptate huius ſeculi: ſed inuenitur tantũ in Ieſu Chriſto, & paratur per fidem, quæ Ieſu Chriſto & Euangelio eius adhibetur: nõ quidẽ, ut conſequaris ex eo terrenam fœlicitatem, ſed remiſsionem peccatorum, et cœleſtẽ ſalutẽ. Deus em̃ pater non propoſuit huic mundo filium ſuum ad hunc uſum, ut auaro det ſacculos plenos auri & argẽti, aut uoluptario uaria genera carnaliũ deliciarũ, aut ambitioſo magiſtratus & honores, aut ignauo ocia & cõuiuia: hoc eſt, non propoſuit eũ nobis, ut ſit carnalis & terrenus, ſed ut ſit ſpiritualis & cœleſtis Meſsias, qui largiatur peccatoribus remiſsionẽ peccatorũ & iuſticiam, ac perpetuę damnationi obnoxijs, credentibus tñ in ipſum, regnum & gaudiũ cœleſte. Quare non eſt abutendum Chriſto ad cupiditates carnis, ſed utendum eſt eo ad conſequẽda uera ac perpetua bona. Hæc cum ita ſe habeãt, audiamus nũc de miraculo: Subijt aũt Ieſus in montem, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. « Inſtabat autẽ Paſcha dies feſtus Iudęorum. Cum ſuſtuliſſet ergo oculos « Ieſus, & uidiſſet, quòd multa turba ueniret ad ſe, dicit ad Philippũ: Vn- « de ememus panes, ut edãt iſti? Hoc autẽ dicebat, tentans eum. Ipſe enim « ſciebat, quid eſſet facturus. reſpondit ei Philippus: Ducentorum dena- « riorum (qui ualent penè triginta aureis Rhenanis) panes non ſufficiunt « eis, ut unuſquiſq; puſillum quippiam accipiat. Dicit ei unus ex diſcipu- « lis ipſius, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer unus hic, q̃ habet quin- « que panes ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tã multos? « dixit autẽ Ieſus: Facite ut homines diſcumbãt. Erat autem gramen mul- « tum in eo loco. Diſcubuerunt ergo uiri numero fermè quinquies mille. «

Miraculũ, quo Ieſus pauit in deſerto quinq; panibus, ac duob. piſcibus, plusq; quinquies mille homines, & quod Euãgeliſta deſcribendum ſuſcepit, magnũ eſt, ac memorabile, & tanti etiam hominibus ipſis uiſum, ut eo excitati uoluerint Ieſum miraculi autorem, regẽ creare. Quare deſcriptio eius diligenter obſeruanda & excutiẽda eſt, ut ueritas ipſius no

Diſcipuli Chriſti uarijs affecti.

Hiſtoria miraculoſa de quinque panibus, &c.

bis certissima reddatur. Ac primùm de scriptore ipso, Ioanne apostolo & Euangelista, non est dubium, quin sit testis fide dignissimus. Et ad testimoniũ eius accedunt alij tres Euãgelistæ, Matthæus, Marcus, & Lucas, qui & ipsi singuli hoc miraculũ de quinq; panibus & duobus piscibus descripserunt. In ore duũm aut triũ stat omne testimonium. Descripserunt autem hoc miraculum non inter se cõfingentes & conferentes, sed diuersis locis ac temporibus: & præsertim ijs tẽporibus, quibus adhuc multi superstites erant, qui potuissent hos, si ista finxissẽt, mendacij conuincere. Deinde Ioannes cõmemorat magna diligẽtia omnes huius miraculi circumstãtias. Indicat locũ, uidelicet desertũ trans mare Tiberiadis in Galilæa. Indicat & tempus anni: Propè, inquiẽs, erat Pascha, festum Iudæorũ. Alij adnotarunt etiam diei tempus: Dies, inquiunt, cœperat iã declinare. sed & testes huius tanti miraculi indicãtur. Hic enim prẽsentes affuerunt Apostoli, inter quos Christus cũ duobus nominatim, uidelicet cum Philippo & Andrea, de hac re disputauit. Affuerũt etiam penè quinq; millia uirorum, ut interim non numerentur mulieres & pueri: qui certè omnes, si opus fuisset, potuissent publicum de hoc miraculo testimoniũ ferre. Ioãnes cõmemorat quoq;, qd eo loci terra protulerit: Erat, inquiẽs, gramen multum in eo loco. Has omnes circumstãtias Euãgelista tam diligenter recensẽt, ut perspicuè significet, se narrationẽ huius miraculi haudquaquã cõfinxisse, sed rem certissimè gestam literis mandare. Præterea describit etiam modũ, quo Christus suscepit hoc miraculum edẽdum. Potuissẽt eñ Christus hos omnes, qui ipsum ad desertum secuti sunt, inuisibili potẽtia sine externo cibo conseruare, ne fame perirent, quemadmodum quondã cõseruati sunt Moses & Elias, ac ipse quoq; in deserto quadraginta dieb. & quadraginta noctibus. Potuisset etiam inuisibili potentia unicuiq; panem ex improuiso in gremium suum deponere: sed uide quid faciat. Nouit quidẽ magnam esse hominum multitudinẽ, nouit quibus rebus homines famelici opus habeant: cogitauit etiã, quomodo eos pasturus sit. Hoc dicebat, inquit Euangelista, tentans eũ. Ipse eñ sciebat, quid esset facturus. non proponit autẽ continuò famelicis cibum, sed dissimulat omnia, ac ita se gerit, perinde ac si nullam prorsus curam huius rei suscepisset. Itaq; cum uespera appeteret, & Christus lõgè alia cogitare uideretur, ecce tibi, solliciti discipuli instant & urgẽt, ut dimittat turbas ad finitimos uicos, quò emãt sibi cibum. Attamen Christus ne sic quidem significat aliquam se curam de pascendis famelicis adhibere, sed pergit quasi contemnere: Date illis uos, inquiẽs, quod edant. Ex hoc igitur responso discipuli nacti opportunitatẽ explicandæ suæ prudẽtiæ, & exponendæ suæ penuriæ: Quid, inquiunt, nos ne tantã turbã pasceremus? Viginti aut triginta aurei numi uix nobis sufficerent, ut panes emeremus. Quis autem nobis tantam pecuniæ summã numeraret? ac etiamsi tanta summa reposita esset in nostro ærario, quid? iubes ne eam ad aliorũ usum insumere, ut nos postea egeamus? Hic Christus quasi & ipse dubitaret, ac indigeret alieno cõsilio, Philippum singulariter compellat: Vnde ememus, inquiens, panes, ut edant isti? quid tu censes faciẽdum? Philippus autem adscribit se sententiæ

Circumstantiæ miraculi.

Christi dissimulatio.

tentiæ collegarũ ſuorum. Idem planè, inquiens, cẽſeo, quod iſti mei collegæ. Nã etiamſi emamus panes triginta aureis numis, non tamen ſufficient, ut unuſquiſq; puſillum quippiã accipiat. Quot ergo, inquit Chriſtus, panes uos habetis? Et audit ex Andrea, puerum adeſſe inter ipſos, qui habeat quinq; panes ordeaceos, & duos piſces. Sed ne hac quidem ratione uidetur rebus conſultũ. Quid enim hæc ſunt inter tam multos? Animaduerte, obſecro, quàm conſtanter Chriſtus propſitum animi ſui diſſimulet, & quàm longis ambagibus utatur, priuſq; famelicos paſcat. Quid ergo dicemus? nũ Chriſtus tam longas deliberationes cum diſcipulis ſuſcepit, quòd aut neſcierit, quid deſit turbæ, aut nõ uoluerit, aut non potuerit fami mederi? Nihil certè minus: ſed uoluit manifeſtam & cognitã eſſe panis penuriam, ut magnitudo miraculi, quod editurus erat, probè agnoſceretur, & altius memoriæ infigeretur. Cũ enim Apoſtoli futuri eſſent doctores Euangelij Chriſti, & teſtes factorum eius, in toto orbe terrarum, neceſſaria erat, ut miracula Chriſti penitus cognita, perſpecta & explorata haberẽt. Eſt & aliud hic obſeruandum. Nam Chriſtus filius Dei docet nos hac ſua diſſimulatione et extractione edẽdi miraculi, quo conſilio Deus ſoleat nonnunquam, quamuis diu multis precibus imploratus & fatigatus, auxiliũ & liberationem in longinquum tempus differre. Deum, inquit Euãgeliſta, nemo uidit unquam, filius unigenitus, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. & iterum: Nemo nouit patrem, niſi filius. Quare in filio Dei, qui eſt Ieſus Chriſtus, cognoſcenda eſt uoluntas Dei, & perſpiciendum eſt conſilium eius. Videmus autem hoc loco filiũ Dei in paſcendis famelicis cunctari, & ita ſeſe gerere, perinde ac ſi nõ uellet, aut non poſſet eos paſcere, & tamen opportuno ſuo tempore paſcit eos mirãdo modo. Sunt ergo ĳdem planè mores Dei patris noſtri cœleſtis. Is enim ſolet ad piorũ preces ſurdus penè uideri, ac nullam prorſus curam de ſeruandis ipſis adhibere. Quo cõſilio id facit? num q̃ piorum preces nõ exaudierit, aut ſeruare non uelit? Abſit: Quæcunq;, inquit, petieritis in deprecatione, credẽtes accipietis. & iterum: Erit anteq; clamẽt, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, audiam. ac rurſus: Inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me. Deus igitur ex fide inuocatus nõ cunctatur in cõferẽdo auxilio, q̃ nolit ſeruare: ſed cũctatur primùm, ut dilatione excitet in afflicto maiorem ardorem inuocãdi ſe, hoc eſt, præſtandi ueri diuini cultus. Quo enim ardentius Deũ inuocas, eo maiorem præſtas Deo culum. Sumus autem in hũc uſum poſiti, ut colamus Dominum Deum noſtrum. Deinde cunctatur, ut præſtantiora beneficia afflicto cõferat, ex quo et afflictus maiorem cõſequatur fœlicitatem, & gloria nominis Dei clarius illuſtretur. Sicut enim granum agro iniectum, nõ amittitur, etiamſi terra obruatur, & interire uideat, ſed potius fœneratur, id quod tẽpore meſſis manifeſtè apparet: ita preces in ſinũ Dei ex fide depoſitæ, nõ ſunt uanæ, etiamſi uideãtur minimè exauditæ, ſed afferunt ſuo tempore uberrimum fructum: ac Deus tanto copioſius reddere ſolet beneficiũ, quanto altius dormitare uiſus eſt. Hoc cõſilium Dei in differendo ſuo auxilio, diligẽter eſt cognoſcendum. Nam quemadmodũ multum prodeſt

Cur ctus cum diſcipulis deliberarit.

Deus uidetur ad piorum preces ſurdus.

Preces ex fide. aſſimilãtur granoin terram condito ut fructificent.

ſeruo ad prestandū domino gratum obſequium, ſi rectè cognouerit uoluntatē & conſilia domini ſui: ita nos plurimum iuuat ad probè ſeruiendum Domino Deo noſtro, ſi in dilatiõe diuini auxilij, quod in afflictione implorauimus, cognoſcamus, quę ſit uoluntas, quod conſilium eius: uidelicet Deum non differre auxilium, ꝙ nõ uelit nos ſeruare, ſed ꝙ uelit glorioſius, & utilius, ꝙ quiſꝙ hominū cogitare queat, ſeruare. Quid ergo, inquies, prodeſt nobis hęc cognitio? Primùm cõſeruat in nobis tolerantiã, quæ ut eſt magna uirtus, ita eſt cultus Deo gratiſsimus. Nã q̃ perſuaſus eſt ſpiritu ſancto, ꝙ Deus differat auxiliũ ſuũ, non ut auferat, ſed ut copioſius roganti cõferat: fieri non poteſt, quin patienter toleret, quicquid aduerſi acciderit. Deinde hæc cognitio retinet precãtẽ in officio & perſeuerantia precãdi. Eſt & hęc magna uirtus, & Deo cultus acceptiſsimus. Qui. n. certa fiducia ſperat ſibi dilatiõe diuini auxilij beneficia cumulari, quomodo in precatiõe nõ perſeueraret? quomodo nõ cõſtanter pergeret? Poſtremò retinet precantẽ in obedientia eorum officiorum, quæ tam Deo ꝙ proximo ex diuina uocatione debet. Nam qui futurũ uidet per ſpiritum ſanctum, ut tanto maiora beneficia accipiat à Deo, quanto diutius protrahitur diuinũ auxiliũ: teneri nõ poteſt, quin uocationi Dei diligẽtiſsimè obſequatur, ne benefactore ad iracũdiã inobedientia prouocato, maleficiũ pro beneficio accipiat. Quod autem opus gratius eſt Deo, ꝙ obediẽtia? Melior eſt, inquit, obedientia, quã uictimæ. Quare, cũ aduerſa in nos inſurgũt & augentur, nõ exiſtimemus Deũ noſtri oblitum, aut non agere noſtri curam: ſed agnoſcamus, &c. ne conſideremus conſiliũ Dei, ut fide confirmati, in officio noſtræ uocationis pergamus. Cæterùm, ut miraculũ, quod Chriſtus editurus eſt, manifeſtius cognoſcatur, penuria panis non ſolũ Apoſtolis, uerumetiã turbæ nota eſſe debet. dicit ergo Ieſus: Facite, ut homines diſcumbant. Erat aũt gramen multũ in eo loco. Diſcubuerunt ergo uiri numero fermè quinquies mille. Alij Euangeliſtę cõmemorant etiã ordinem diſcubitus, uidelicet ꝙ diſcubuerint diuiſi in uiridaria centeni & quinquageni. Ac ſignificãt prẽter uiros numeros fermè quinquies mille, etiã mulieres ac pueros adfuiſſe. Quid ergo ſibi uult Chriſtus, ꝙ nõ diſtribuit panes, niſi diſcubuerint, idꝙ ſuo ordine? Nũ homines illi non potuerunt edere, niſi prius diſcubuiſſent? Potuerunt. Sed quemadmodũ iam diximus, penuria panis debuit etiã hominũ turbæ cognita eſſe, ut miraculũ fiat illuſtrius. Nã cum homines iuſsi eſſent diſcumbere, atꝙ iam ex ordine conſediſſent, excitati ſunt hoc ſpectaculo, ad quærendũ & inueſtigandũ inter ſe, quid hoc rei eſſet? quis daturus eſſet ipſis cibũ? unde panis ſumendus eſſet, ſ uidem nullus ipſorum ſecũ panes accepiſſet? Hic ergo patefacta eſt ipſorũ indigentia, & erecti ſunt ad expectationem cibi à Chriſto accipiendi. Sed & ordo ipſe diſcubitus fecit miraculum obſeruabilius, quod in turba inordinata non ſic animaduerti potuiſſet. Cũ igitur hęc ita præparata eſſent, aggreditur Ieſus ad miraculum. Accepit enim panes, cumꝙ gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis: diſcipuli uerò, diſcumbentibus. Similiter ex piſcibus, quantũ uolebat. Admirati ſumus, quid ſibi uellet Chriſtus mandato diſcubitus: nunc autẽ magis admiramur,

Cõſilij Dei cognitio, in differendo auxilio quid profit.

mur,quid ſibi uelit cerimonia gratiarum actionis. Non enim diſtribuit panes, niſi ſublatis antea in cœlum oculis, & actis publicè in conſpectu omniũ gratijs. Quid opus eſt Chriſto his ceremonijs? An non ipſe eſt uerbum Dei,ac Deus ipſe? Dixit,et facta ſunt:mandauit,& creata ſunt. Cur ergo & nunc nõ ſimpliciter dicit,ut panes multiplicẽtur? Potuiſſet quidẽ Chriſtus nõ expreſſo tantum uno uerbo, uerumetiam ſola uolũtate panes multiplicare: ſed uiſum eſt his cerimonijs uti, primùm ut in conſpectu turbę ſignificaret, ſe non docere alium Deũ,præterq; uerũ illum Deum creatorem cœli & terræ: nec miracula ſua edere præſtigijs, ſed cœleſti & diuina potentia. Deinde uoluit etiam docere, quid ſit gratiarum actio, & quantũ efficiat. Nam quod Ioannes dicit,Egit gratias: hoc alij dicunt,Benedixit. Ex hac enim gratiarum actione quinq; panes & duo piſces ita benedicti,aucti & multiplicati fuerunt,ut ex ipſis nõ ſolum quinquies mille uirorum, unà cum mulieribus & pueris, paſti ſint abundanter:ſed etiã collecti ſint duodecim cophini pleni fragmẽtis. Sic & in nouiſsima cœna accepit Ieſus panem,& quod alius Euangeliſta dicit,Egit gratias:hoc alius ait,Benedixit. Hac enim gratiarũ actiõe Chriſtus panem & calicem cœnæ ſuæ ita benedixit, ut eſſent credentibus in Chriſtum non ſolum cibus & potus corporis,ad conſeruandã uitã corporalem:ſed etiam cibus ac potus animæ,imò totius hominis, ad cõſeruandam uitã ſpiritualem & æternam. Gratias igitur Deo agere pro collatis & propoſitis beneficijs,eſt beneficia illa propoſita benedicere,fortunata efficere,augere & multiplicare: ideoq; qui tenet deſiderio augẽdi & multiplicandi bona ſua,quæ diuino fauore accepit, nõ poteſt id & magis piè,& cõmodius facere,q; ſi contentus propoſito beneficio,quãtumcũq; prauo,gratias Deo agat,et quoquo modo fieri poteſt,referat. Hęc ſunt diligenter animaduertenda,ut diſcamus ueram & piam rationem augendarum opum, aut aliorum beneficiorum Dei. Nã homines corrupta ſua natura ita affecti ſunt,ut quicquid beneficiorum diuinitùs acceperũt,exiſtimẽt ſe minus,q; par ſit,accepiſſe. Quare in hoc ſtudium omni cura & cogitatione incumbũt, ut quod acceperunt& habent, augeant: ſi non piè & iuſtè, at impiè,iniuſtè,& quoquo modo poſſunt,tm ut augeant. Sed hac ratione acceptũ beneficiũ magis maledicitur,q; benedicitur:& plus minuitur,q; augetur. dicit.n. ſcriptura: Si nõ audieris uocẽ Dñi Dei tui,ut cuſtodias & facias omnia mandata eius,maledictũ horreũ tuum,maledictæ reliquiæ tuæ. inter mãdata aũt Dei, etiam hoc continetur,Non fureris:quo & impoſturę, quibus homines ſolẽt opes ſuas augere,prohibẽtur.& iterum:Nũquid iuſtificabo ſtaterã impiam, & facelli pondera doloſa,quibus diuites repleti ſunt iniquitate? Tu comedes & nõ ſaturaberis,& humiliatio tua in medio tui. Quare impoſtura,& mali doli in negociationibus,nõ ſunt ea ratio,quibus opes uerè benedicũtur & augẽtur:ſed ut rectè hoc fiat,ab exẽplo Chriſti diſcendum erit. Sumpſit Chriſtus quinq; panes,& duos piſces in manus:& quanq; hic cibus,minimè uidebatur tantæ hominũ multitudini ſufficere,tñ pro hoc pauco admodum, egit Deo patri ſuo gratias. Qua gratiarũ actione factũ eſt,ut tot millia ex iſto paucisſimo cibo ſaturarentur. Faciamus

Gratias agit Chriſtus.

Gratiarum actio, eſt benedictio.

& nos ſimiliter. Sumamus pauca illa, quæ nobis Deus dedit in manus noſtras, fidēti animo: ſimus ijs, quāq; pauciſsimis contenti, agnoſcamus nos ne illa quidē meritos noſtra iuſticia, ſed cōſecutos ea ex liberali Dei clemētia, et agamus Deo gratias tā uerbis, q̄ operib. Sic em̄ fiet, ut et noſtra, quantūcunq; pauca multiplicētur, ac non tam nobis, q̄ toti familię noſtræ ſufficiant. Sed non ſum, inquis, Chriſtus, qui poſsim mea potentia panes aut alias res ſiic multiplicare, nec collatum eſt in me donū edēdorū miraculorū. Rectè dicis. Non es Chriſtus, ſed ſi crediderīs in Chriſtum, membrum es Chriſti. An putas nihil benedictionis à capite in mēbrum defluere? An non caput & membrū ita coniuncta ſunt, ut habeāt cōmunē uirtutem? Non multiplicabis panes tuos per gratiarū actionē, externo et uiſibili, ſed ſpirituali et cœleſti incremēto. Ecce ſerui mei, inq̄t, comedēt, & uos eſurietis: bibēt, & uos ſitietis: lętabuntur, & uos confundemini. & iterum: Non affliget Dominus fame animam iuſti. Quare ſi gratiarum actione panes tui ita aucti fuerint, ut non intereas fame, ſed conſequaris uerè & perpetuò fœlicem uitā, quid hoc incremēto poteſt eſſe copioſius? quid utilius? Sed perſequamur & reliqua. Vt autem impleti ſunt, dicit diſcipulis ſuis: Colligite, quæ ſuperfuerunt fragmēta, ne quid pereat. Collegerūt ergo, & impleuerūt duodecim cophinos fragmētorū ex quinq̄ panibus ordeaceis, quæ ſuperfuerant his qui comederāt. Quid hoc? dicit ſycophanta quiſpiā. An non hæc eſt auaricia, q̄ Chriſtus iubet tanta cura colligere fragmēta? Num & ipſe ſollicitus eſt in craſtinum? Quod Chriſtus facit, nō eſt auaritia, aut impia ſollicitudo (peccatum non fecit, nec eſt inuētus dolus in ore eius) ſed eſt magna & obſeruabilis prudētia. Primùm em̄ iubet colligere fragmēta, ut ueritas miraculi tam illuſtrior, q̄ probatior fiat. Nā ſi nō multiplicaſſet quinq̄ panes ueris panibus, & nō uerè pauiſſet tot homines, profectò non potuiſſent tam multa fragmenta colligi, ſed reipſa apparuiſſent præſtigiæ: nunc autem colliguntur fragmēta, & ſunt etiā ipſa eſui apta. Quare manifeſtum eſt, miraculū uerè eſſe editum. Deinde docet Chriſtus, prę ſentibus beneficijs Dei non abutendum eſſe, ac licere quidē nobis fructum eorum, quantum neceſsitas exigit, capere: ſed reliquias ipſorum, exēpli gratia, uel frumēti uel uini uel opum, non eſſe pedibus cōculcandas. Reliquiæ autē frumenti aut uini, & aliarum id genus rerum, pedibus conculcantur, non ſolum cum externis hominū plantis in terra cōtemptim proteruntur: ſed cum homines helluantur, cū epotandis poculis certāt, cū opes, quas à maioribus acceperunt, dilapidant. Hoc certè eſt fragmēta pedibus cōculcare, quòd cū fiat, uenit ira Dei in filios inobediētes, ut affligantur & bellis, & rerum penuria. Vę, inquit, qui conſurgitis manè ad ſectandam ebrietatē, & potandum uſq; ad ueſperā, ut uino æſtuetis. Cithara & lyra & tympanū & tibia & uinū in conuiuijs ueſtris, & opus Dñi nō reſpicitis, nec opera manuū ei9 cōſideratis. Propterea captiuus eſt ductus populus meus, quia nō habuit ſciētiā, & nobiles eius interierūt fame, & multitudo eius ſiti exaruit. Fragmenta igitur nō ſunt cōculcāda pedibus, ſed colligēda, ut beneficijs Dei rectè utētes, in die neceſsitatis cōſeruemur. Sed tēpus nūc eſt, ut de uſu huius miraculi aliquid dicamus.

Vera ratio multiplicandi panes.

Fragmēta colliguntur.

Vſus miraculi.

camus. Etsi enim facilè intelligi potest ex ijs quæ antè dicta sunt, q̃ multiplicẽ utilitatẽ afferat hoc miraculum Ecclesiæ Christi: tamẽ quia Christus ipse commemorat præcipuè duplicẽ eius usum, non est nobis committendũ, ut quicquid id est rei oscitanter prætereamus. Nam alterum recitat in ea cõcione, quæ postea in hoc capite describitur. Nõ enim sentiendum est, q̃ ediderit hoc miraculum, ut significaret se esse terrenum Messiam, & externum monarcham, qui sit in terra pro aliorum regum more dominaturus, & omnes qui ipsum agnoscãt, in ocio & rerũ affluentia fœlices in hac corporali uita conseruaturus. Non est quidẽ passus quamdiu ipse in hac terra uitã egit, ut hi qui ipsum sectabantur, alicuius necessariæ rei indigerent. Quando misi, inquit, uos sine sacculo, & pera, & calceamentis, num quid defuit uobis? non uoluit autẽ hoc miraculo testari, se esse terrenum monarcham, & afferre hominibus externam huius mundi fœlicitatẽ: sed potius uoluit confirmare ueritatem Euangelij sui, quo docebat se esse spiritualẽ & cœlestem Messiam, ac afferre hominibus spiritualia ac cœlestia bona, uidelicet remissonẽ peccatorum, reconciliationẽ cum Deo, adoptionẽ in filios Dei, liberationem in morte, & perpetuam in cœlesti regno fœlicitatẽ. Hic est panis, hic est cibus, quem Christus in se præcipuè quæri uoluit. Vnde & fugit, cũ animaduerteret uulgũ deliberare de creãdo ipso rege. & postea, cum magna hominũ multitudo ad ipsum rediisset, dixit: Amen amen dico uobis, quæritis me, nõ quia uidistis signa, sed quia comedistis de panibus, & saturati estis. hoc est, Quæritis me, non ut ex miraculo confirmetis fidem uestram, quam debetis Euangelio meo adhibere: quæritis me, nõ ut conseruamini in me ueram coram Deo iusticiam & salutẽ, ad quod quærendum uos miraculũ præcipuè uocat: sed quæritis me, ut apud me in ocio & ignauia uictum ac rerum affluentiam habeatis. Quæritis me, non ut menti, sed ut uentri consulatis. ego uerò dico: Operemini non cibũ qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quẽ filius hominis dabit uobis. His uerbis Christus manifestè docet, q̃ uoluerit hoc miraculo excitare homines, ut discãt Euãgelion suum, ex quo cognoscant ipsum esse uerum panem cœlestem: quo qui uescatur, hoc est, in Christum credat, conseruetur perpetua fœlicitate. De qua re, quoniã Christus postea copiosè concionabitur, non erimus nunc lõgiores. Alter usus huius miraculi extat apud Mat. cap. xvi. Cum enim discipuli de panibus solliciti essent, ait Christus: Quid cogitatis intra uos ipsos, ô parum fidẽtes, q̃ panes nõ sumpseritis? Nondum intelligitis, nec̃ memoria tenetis quinc̃ illos panes, cũ homines essent quinquies mille, & quot cophinos sustuleritis? Hic docet Christus, quòd ediderit miraculum de panibus etiam propter has causas: primùm ut significaret discipulis suis, q̃ quamdiu corporali præsentia cũ ipsis uiueret, nullum etiam corporale incommodum accepturi essent. Cum essem, inquit, cum eis in mũdo, ego seruabã eos nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, et nemo ex eis periit, nisi filius ille perditionis, ut scriptura compleretur. Huc etiam pertinet illud, quòd apud Marcũ exprobratur discipulis incredulus error, quo afficiebantur, cum uidebant Christum ambulantem super mare. Ve-

Euangelij cõgnoscendi grãtia, miracula edita sunt.

hemen-

hementer,inquit Euangeliſta,ſupra modum intra ſeſe ſtupebãt & admirabantur.Nõ enim intellexerant de panibus, erat enim cor eorũ obcæcatũ.hoc eſt,Etſi paulo antè uiderant miraculum de panibus, tamen nõ erant tam ingenioſi,ut ex eo intelligerent Ieſum eſſe uerum ſeruatorem, qui non ſe ipſe tantũ,ſed etiam omnes ſuos qui ſecum eſſent, tam in marinis fluctibus & tẽpeſtatibus, q̃ in omnibus alijs periculis ſeruare poſſet ac uellet.Deinde edidit hoc miraculum, ut confirmaret ueritatẽ huius dicti:Quærite primùm regnum Dei, & iuſticiam eius, & hęc omnia adijcientur uobis.Nam hoc miraculum eſt cœleſte ſigillum, quo Deus teſtatur ſe unicuiuis,ex fide in diuina uocatione ambulãti,ſufficientẽ uictum & amictum daturum. Quemadmodũ enim in familia rectè inſtituta, paterfamiliâs hoc à familiaribus ſiue liberis ſiue ſeruis exigit, ut unuſquiſq; ſuum faciat officium,& alius quidem colat agrum,alius putet uineam,alius ſecet ligna,alius uerrat domum:ipſe autem ſibi ſumit curã parandi alimenti, & id ſuo tempore ſingulis diſtribuendi, ſi nõ ſua ipſius manu,certè ſua ordinatione & iuſſione. Ac uide tu, quid peruerſius eſſet, q̃ ſi ſeruus negligeret præceptũ patrisfamiliâs,nec coleret agrum, interim autem ſuſciperet curã quærendi cibi, ex qua & ſurſum ac deorſum uagaretur,ut panẽ acciperet? Ita et Dominus Deus noſter,magnus eſt paterfamiliâs,nos autẽ homines,ſumus familia eius.Et unuſquiſque noſtrûm ſuam habet uocationem,ſuum officiũ, ad quod faciendum diuinitùs ordinatus eſt.Cũ igitur ſimus familia Dei, nõ debemus eſſe ſolliciti,quid edamus,quid bibamus,aut quibus ueſtiamur(hanc enim curam Deus,ut paterfamiliâs in ſe ſuſcepit)ſed ſolliciti eſſe debemus, q̃ diligẽter, q̃ obedienter, q̃ piè officiũ noſtrum faciamus.Hoc opus,hic labor noſter ſit,ut iuſticiam ſectemur.Non enim perdet, inquit, Deus fame animam iuſti.&:Nouit Dominus dies immaculatorũ, & hæreditas eorum inæternum erit.Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. Hæc tanto diligentius ſunt conſideranda & ſectanda,quanto plus uulgus hominum in parando ſibi uictu peccare ſolet.Homines enim ſic ferè affecti ſunt, quemadmodum uidemus Philippum & Andream in huius miraculi hiſtoria affectos fuiſſe. Vt eñ hi ſentiunt,nec paucã pecuniam,nec paucum cibum ſufficere ad paſcendã tantam populi multitudinẽ, & cũ nulla uideant alimenta ob oculos poſita, non habent, quò ſe uertant:ita homines,cum in parando uictu nihil uident reliqui eſſe in terra, putant etiã nihil reliqui eſſe in cœlo: & ubi deeſt humanum auxilium, exiſtimant etiã deeſſe diuinum. ideoq; non attollunt mentẽ ſuam ad Deũ,ſed potius uertunt ſe ad artes Satanæ:prædantur,furantur,nugãtur,dolis & impoſturis ſtudent, tantum ut quoquo modo poſſunt,alimenta ſibi parent. Et cum reprehẽduntur, excuſant,neceſſe,inquit quiſpiam, habeo me & meam familiam alere. Rectè dicis,familia omnino alẽda eſt: furari autem,& dolis ac impoſturis ſtudere,nõ eſt familiã alere,ſed eſt ſe ac familiã perdere. Dicit enim ſcriptura:Si non cuſtodieris mandata Dei (inter mandata autẽ Dei etiam hoc continetur, Non fueris) mittet Dominus ſuper te famẽ, & eſuriem, & increpationem in omnia opera tua.& iterum:Alij diuidunt propria, & ditiores

Deo patrifamiliâs curæ eſt familia.

Familia alẽda, ſed non peccandum.

ditiores fiunt. Alij rapiunt nõ sua,& semper sunt in egestate, ac rursus: Nescierunt facere rectum,dicit Dñs,thesaurisantes iniquitatem,& rapinas in ędibus suis. propterea hęc dicit Dñs Deus: Tribulabitur & obsidebitur terra,& detrahetur ex te fortitudo tua,& diripientur ędes tuæ. Vides ꝙ aliena rapere,& opes impostoris parare, non sit se & familiam alere, sed potius in egestatem & famem conñcere. Ambulare autẽ ex fide in uocatione Dei,& in negociis sectari iusticiam, hoc demũ est familiam alere. Iusti enim hæreditabunt terrã,et inhabitabunt in seculum seculi super eam. &: Salus iustorum à Dño, ac protector eorũ in tempore tribulationis. Fugienda est igitur omnis impostura, & facienda iusticia,ut in curã Dñi suscepti, conseruemur non solum alimentis corporalibus: sed etiã, quod maximũ est, spiritualibus ac cœlestibus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Impostura nõ sunt fœlices.

HOMILIA LI.

AVdiuimus,ꝙ liberaliter,ꝙ mirabiliter sese Christus gesserit erga turbam hominum, quæ secuta fuerat ipsum in desertum. Pauit emꝫ quinꝙ panibus & duobus piscibus, plus ꝙ quinquies mille homines. Audiamus nunc, quomodo uicissim sese turba erga tam admirabilem pastorẽ gerat. Illi ergo homines, inquit Euangelista, cum uidissent quòd signum « Iesus fecerat, dicebant: Hic est uerè propheta ille, qui uẽturus est in mũ- « dum. Iesus ergo, cũ cognouisset, ꝙ uẽturi essent, ac rapturi ipsum, ut fa- « cerent ipsum regẽ, secessit iterum in montem ipse solus. Duo sunt, quæ « homines isti ad significandum gratitudinis suę affectum erga Christum suscipiunt. Alterum est, ꝙ laudent ipsum uerbis, ac prædicent eũ,& publicè cõfiteantur eum uerè esse prophetam illum, quem Moses scripsit, uenturum in mundũ, & quem Iudæi eo tempore expectabant: alterũ, ꝙ deliberent secum de creando ipso rege. Nã cum de propheta illo scriptum sit, eum fore Messiam, seu regem (Messias enim unctus seu rex dicitur) sentiunt se maximum Deo cultum facturos, si hunc suffragijs suis in regiam maiestatem extollant. In his autem rebus gestis populi, alia quidem commendatione, alia reprehensione digna sunt. Commendandum est, ꝙ miraculo excitati assentiãtur doctrinę Iesu, ac sentiant ipsum esse uerum Messiã: sed grauiter reprehendendũ est, quòd existimẽt regnum Messiæ fore in hac terra corporale,& Messiã dominaturum more monarcharum huius mundi. ideoꝙ optimè nunc secum actũ putãt, ꝙ nacti sint regẽ, qui nõ solũ possit miraculis suis ad se congregare maximum exercitum,& debellare totum orbem, sed etiã apud quem nullo suo labore pascantur,& omnem terrenã fœlicitatẽ consequantur. Hæc opinio de regno Messię, carnalis est, et meritò dãnãda. Messias emꝫ, quẽ prophetę promiserunt, non est terrenus monarcha. Et fœlicitas nostra nõ in hoc consistit, ut bene sit corpori carnaliter,& ignauiter ociemur, atqꝫ gratis pascamur: sed ut bene sit nobis spiritualiter, et pascamur cibo ęterno, de qua re Christus ipse postea plurib. cõcionabit. Nõ solum aũt carnalis opinio populi de regno Messię, uerũetiam mobilitas, uarietas,

Messias non est terrenus monarcha.

&

& inconſtantia ac etiam præcipitantia populi reprehendenda eſt. Nam quem nũc, cũ paſcit, regem creare, & in cœlo poſuiſſe cupiunt, eum poſtea, cum captiuus ad crucẽ abducitur, aut faſtidioſè contẽnunt, aut cõtumelioſè deridẽt, aut unà cum aliis in crucem ſuffigendum clamant.

Multitudinis ingenium.

Hęc eſt multitudinis natura, ꝙ nũc ꝙꝫ ferè mediocribus ſtudiis aut benefactores in fauorem, aut quos putat malefactores, in offenſam excipiat. Morbus hic eſt, & furor, non iudicium, aut ſanitas. Etſi enim debemus eſſe grati erga benefactorem, & odiſſe mala: tamẽ gratitudo habet ſuos fines, ne uidelicet, quod Ethnici fecerũt, ex benefactoribus hominibus faciamus deos: aut qui mos fuit hypocritarum, è ſanctis faciamus redemptores & ſeruatores: malũ autem ſic odio habendum eſt, ut interim nõ obliuiſcamur officij, nec rependamus malũ malo, ſed bono. Quæ cum ſic ſeſe habeant, uideamus nunc, quomodo Chriſtus ſeſe erga hunc populi fauorem geſſerit. Cum cognouiſſet, inquit Euangeliſta, ꝙ rapturi eſſent ipſum, ut facerent eum regem, ſtatim compulit, quemadmodum Matthęus ait, diſcipulos ſuos, ut cõſcenderent nauim, ac pręcederent ſe in ripam ulteriorẽ: ipſe autem fugit, ac ſeceſſit iterum in montem ſolus.

Regia maieſtas, diuina ordinatio.

Quid hoc, inquis, rei eſt? Cur fugit Chriſtus? Cur nõ accipit regiam maieſtatem, quę ipſi à populo defertur? Num regius magiſtratus tã abominabilis eſt coram Deo, ut nõ liceat pio homini eum ſuſcipere ac gerere? Nihil certè minus. Nõ eſt poteſtas, inquit Paulus, niſi à Deo. Et quę ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt. Quare, qui legitimè ad functionem regiæ maieſtatis uocatur, poteſt in eo uitæ genere bona cõſcientia uerſari. Sed quid? num Chriſtus hac ſua fuga uoluit ſignificare, ꝙ etſi regius magiſtratus ſit per ſe Deo acceptus, tamẽ pij debeant ex humilitate humanam gloriam & maieſtatẽ fugere, ac ſeſe in ſordida uitę genera cõijcere, quemadmodum Chriſtus aliàs dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde? Nec hoc docet fuga Chriſti. Etſi enim Chriſtus iubet nos exemplum humilitatis ſuæ ſequi, tamẽ humilitas non eſt, legitimam ſuam uocationem temerè abijcere, & ſuſcipere abiectius genus uiuendi ſine mandato Dei: ſed uera humilitas eſt, diuinę uoluntati & ordinationi in quauis uocatione, ſiue illuſtri ſiue abiecta, obediẽter ſeruire. Sic humilis fuit Iob, hoc eſt, uolũtate Dei obediẽs tam in diuitijs, ꝙꝫ in paupertate, cum diceret, Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomẽ Domini benedictum. Sic Dauid humilis fuit, hoc eſt, diuinæ uoluntati obediẽs, ſiue in regno ſiue in exilio. Dicebat enim, Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me: ſi autem dixerit mihi, Nõ places, pręſtò ſum, faciat quod bonum eſt corã ſe. Sic & Chriſtus ipſe, uerus Dauid, humilis fuit. Vocatus enim diuinitùs ad ferendam crucem, tulit eam obediẽter: uocatus poſtea ad recipiendam maieſtatem cœleſtẽ in regno patris ſui, accepit & hanc obedienter. Hæc eſt uera humilitas, qua nõ fit, ut abijcias legitimam uocationẽ, ſed ut in quauis legitima uocatiõe Domino Deo tuo obedias. Quare Chriſtus nõ uoluit hac fuga pios docere, ꝙ aut nõ debeãt ſuſcipere functionem regij magiſtratus, ſi ad eam legitimè uocẽtur: aut debeant eam temerè, et ſine uocatione Dei abijcere, ſi antè ſuſceperint eã. Quid ergo eſt, ꝙ ipſe fugerit, nec uoluerit rex creari? Ac profectò,

Humilitas non eſt, ſuam uocationem deſerere.

Humilitas uera quæ ſit.

fectò, si doctrinam eius consideraueris, multo maiora & illustriora sibi sumpsit, quàm si se externum regem Israelis iactasset. Prædicauit se esse lucem mundi, se esse uitam & resurrectionem: dixit, se esse filium Dei, adeoq; Deo ipsi æqualem. Hæc certè multo maiora & prestãtiora sunt, quàm si suscepisset regiam inter homines maiestatẽ. Quid igitur est, q̃ hoc recusat, illa autem suscipiat? Vocatio Dei in causa est, & officium. *Christi uocatio.* Nam Christus non erat ad hoc missus è cœlo in hãc terram, ut fungeretur regio magistratu in hoc seculo, ac dominaret in terra pro more monarcharum: sed missus erat, ut esset propheta, & concionator Euangelij in Israel: & quemadmodum Paulus eum uocat, minister circumcisionis pro ueritate Dei, ad confirmandas promissiones patrũ. Dicit enim Dominus per Mosẽ, de Christo: Prophetam suscitabo eis de medio fratrũ suorum, similem sui, & ponam uerba mea in ore eius, loquetur q̃ ad eos omnia quæ præcepero ei. Prophetam, inquit, suscitabo, hoc est, cõcionatorem, non mundanum regem seu monarcham. &: Ponam, inquit, uerba mea in ore eius, non corporalem gladium in manu eius. Ac loquetur ad eos, non ait, Coercebit eos externa & corporali uiolentia. & in Esaia: Spiritus, inquit, Domini super me, eo quòd unxerit me, ad euangelisandum humilibus misit me. non ait, Misit me ad dominandum inter homines more regio: sed, Ad prædicandum Euãgelion miseris & afflictis. Etsi enim prophetæ regnum Christi aliquoties sic describunt, perinde acsi esset corporale regnum: tamen ea descriptio circunstantijs ita munita est, præsertim cum dicũt, regnum eius fore æternum, ut necesse habeas intelligere regnũ eius non esse corporale, sed spirituale: nec esse terrenum, sed cœleste: & daturum ipsum nõ externa, sed æterna bona, uidelicet remissionem peccatorum, æternam iustitiam, æternam uitã ac fœlicitatẽ. Quare quòd Christus non gerat morem uoluntati populi, & nõ suscipiat regiã huius seculi maiestatem, & tamen interim doceat se esse uerum Dei filium, adeoq; Deum ipsum, quod maius est omni humana maiestate, utrunq; facit pro suo officio, & diuina uocatione. Ac docet nos exẽplo suo, ne quis obsequatur cupiditati uulgi, ut peccet aduersus Deum, neue suscipiat alienam uocationem sine mãdato Dei. Fieri enim non potest, ut qui alienæ libidini, sine Dei uocatione, in suscipiendis administrationibus publicarũ functionum seruit, fœlicem ac prosperum habeat instituti sui successum. Quid enim posset esse fœlix absq; Deo? Regnauerunt, inquit, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui. & additur: Nunc recordabitur iniquitatis eorũ, & uisitabit peccata eorum. ac mox: Mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius. Quare in hoc studium unicuiuis incumbẽdum est, ut quicquid suscepe rit, ex uocatione Dei suscipiat, quo possit Deũ ex fide inuocare: & in eo quod administrandum suscepit, bona conscientia uersari. Audiuimus quid gestum sit in terra, audiamus nunc quid in mari gestum sit. Vbi « iam uespera esset, inquit Euangelista, descenderunt discipuli eius ad ma « re: & conscensa naui, uenerunt traiecto mari ad oppidum Capernaum. « Postquam enim Christus animaduertit propositum uulgi de creando ipso rege, non uoluit cõmittere, ut discipuli sui manerẽt cum uulgo: sed

ſtatim cõpulit eos, quemadmodum Matthæus & Marcus inquiunt, ut conſcenderent nauim, & præcederent ſe in ripam ulteriorẽ, donec dimiſiſſet turbas. Videbat enim fortaſsis futurum, ut ſi diſcipuli manerent, ſe abſente, in turba, fierent adiutores ſeditionis in eligẽdo rege, propterea quòd & ipſi ſentiebant regnum Chriſti fore mundanum. Quare etſi iudicabant cõſultius eſſe, ut uel in turba, uel cum Chriſto maneant, cogun tur tamen contra ſuam uoluntatem & nolentes diſcedere, idq; optimo cõſilio Chriſti: partim, ne fierẽt cum populo ſeditioſi: partim ut ortis in mari tempeſtatibus, potẽtiã & maieſtatem Chriſti rectius cognoſcerẽt. Quo exemplo admonemur, ut æquo animo feramus, ſi ſentẽtiæ, ac uoluntati animi noſtri, quę nobis bona uidetur, diuina adminiſtratiõe obſiſtatur. Deus.n. eſt, qui ut omnia adminiſtrat, ita etiã omnia prouidet. Et cum cõplectatur omnes qui in Chriſtũ filiũ ſuum credunt, paterno affectu tãta cura eos tueẽ, ut diu antea prouideat, ne quid eis, quod ſaluti eorũ aduerſum ſit, cõtingat. Quare ſi alicubi obſiſtit uolũtati eorum, non hoc agit, ut malè eis faciat: ſed ut bene faciat, & maiora cõmoda eis afferat, q̃ quæ præſenti cogitatione cõprehẽdere poſsint. An' nõ uides, quanta ſeueritate parẽtes carnales extorqueant è manibus infantiũ ſuorum acutos cultros aut gladiolos, quos fortè illi apprehẽderint? Acplorant quidẽ illi, & repugnant, quibus modis poſſunt: parentes autẽ pergunt uoluntatem eorum frangere, non q̃ odio habeant infantes, ſed q̃ ament eos, & metuant, ne ſe imprudẽter gladiolis uulnerent, aut etiã interficiant: ſic & Deus pater obſiſtit cupiditati filiorum ſuorum, non ut perdat, ſed ut ſeruet eos. Reliquũ igitur eſt, ut cum repugnat Deus inſtituto noſtro, quantumuis bono, agnoſcamus paternũ eius affectum, & feramus patienter manũ eius. Porrò, Ieſus ablegatis diſcipulis ad nauim, & dimiſsis turbis, aſcendit ſolus ipſe in montẽ oraturus. Diſcipuli autẽ, imminẽte iam nocte, incipiunt traiicere mare, uerſus oppidum Capernaũ. Audiamus ergo, quid ipſis, abſente Chriſto, in mari acciderit:

Diuinæ uoluntati non obſiſtendum.

» Iam tenebræ, inquit, erãt, nec uenerat ad eos Ieſus. Mare aũt, uento ma-
» gno flãte, intumeſcebat. Cũ remigaſſent ergo fermè ſtadia uiginti quin-
» que aut triginta (quæ faciũt propemodum miliare Germanicum) uidẽt
» Ieſum ambulantẽ ſuper mare, et appropinquantẽ naui, ac timuerunt. il-
» le autem dicit eis: Ego ſum, nolite timere. Voluerunt ergo recipere eum
» in nauim, & illico nauis appulerat terrę, ad quam ibãt. Recitauimus quę Ioannes paucis perſtringit, ſed adiungemus etiã ea quæ alij Euãgeliſtæ de hac hiſtoria copioſius ſcribunt, ut multitudinẽ miraculorũ, quæ hic edita ſunt, & maieſtatem Chriſti diligẽtius cognoſcamus. Diſcipuli ergo coacti à præceptore ſuo, traiiciũt mare. Sed ecce, cũ iam in altũ peruenſſent, ac magnæ eſſent tenebræ, oritur ingens uentus, & mare intantum intumeſcit, ut diſcipuli in extremo diſcrimine uerſarẽtur. Quas putas hic diſcipulos habuiſſe cogitationes? quę ſuſcepiſſe cõſilia? Veriſimile certè eſt, tale quid ueniſſe in mẽtem eorum: En, præceptor ille noſter, importuno ſuo mandato cõiecit nos in tãta pericula: expulit nos à ſe, ut in his fluctibus periremus. Stultiſsimi ergo mortaliũ omniũ ſumus, qui & antè ſectati ſimus doctrinã eius, & nunc paruerimus mandato ipſius.

Quo

Quò eñ adducti ſumus, niſi in præſentẽ noſtram internecionem? Sed Chriſtus, etſi longè aberat, & craſsiſsimæ erant tenebræ, tamen uidet in quanto periculo ſint diſcipuli ſui: ac meruerant quidem illi, ut in hoc diſcrimine derelinquerẽtur, & ſubmergerẽtur, propterea q̃ obliti doctrinæ & miraculorum Chriſti, animum deſpõderant: Chriſtus autem maiorem habet rationẽ ſuæ ipſius clementiæ & bonitatis, q̃ꝫ meriti illorũ. Quare, cum iam magno conatu & ſtudio remigaſſent triginta plus minus ſtadia, accedit Ieſus ad eos, ita ſuper mare ambulãs, perinde ac ſi ſolidam terram calcaret. Quo miraculo nõ ſignificat, ſe nõ habere uerum ac naturale hominis corpus, ſed ſignificat ſe, ut cœli & terræ, ita etiã maris Dominum eſſe. Quid ergo diſcipuli? Non agnoſcunt initiò Ieſum Chriſtũ, ſed putãt eſſe ſpectrũ: exiſtimant eſſe incorporatum dæmonẽ, qui aduẽiat erepturus ipſis omnem uitam & ſalutẽ, ideoq̃ꝫ duplicatur metus, & horribiliter exclamãt. Hic nulla eſt fides, nulla inuocatio, ſed habebãt cor ut occæcatũ, ita & deſperatũ. Non. n. intellexerant (ut Marcus ait) de panibus, hoc eſt, nondũ cõceperant ex miraculo, quod eo die quinq̃ꝫ panibus & duobus piſcibus editũ erat, tantam cognitionẽ Chriſti, ut confiderent ſe cura, potẽtia & præſidio eius tutos eſſe tam in periculis maris, q̃ꝫ etiã in medio agmine diabolorũ. Sed quos Chriſtus mandato ſuo in pericula cõiecerat, eos quoq̃ꝫ ſeruat. Reuelat ergo ſeſe uoce ſua, exclamans uiciſsim, EGO ſum, nolite metuere. Qua uoce, cùm diſcipuli omines erecti, tũ præcipuè Petrus: Dòmine, inquit, ſi tu es, iubeto me ad te uenire ſuper aquas. Ac rectè quidẽ, & prudẽter Petrus, q̃ non niſi iuſſus & uocatus à Chriſto, uelit ſeſe in aquas maris demittere. Nullum enim periculum temerè, & ſine uocatione Dei adeundũ eſt. Vocat igitur Ieſus Petrum, et ambulat iam ille ſuper aquas: ſed irruente in eum ualido uẽto, ita territus eſt, ut & fiducia excideret ipſi, & inciperet demergi. Inuocato igiẽ auxilio Chriſti, increpatur quidẽ, q̃ hęſitauiſſet, & imbecillis fuiſſet fidei: apprehendit autẽ manu Chriſti, & ſeruatur. Itaq̃ꝫ ambo ingrediuntur in nauim ad reliquos, & ibi tum ſtatim nõ ſolũ conquieuit tẽpeſtas, ſed etiam nauis erat in portu, & applicuerat ad eius terræ litus, à qua longè adhuc, cum Chriſtus aduenit, abfuerant. Habes hic miraculorũ aceruum. Ieſus longè abeſt à diſcipulis, & erant craſsiſsimæ tenebræ noctis, uidet tamẽ, in quanto diſcrimine maris uerſentur. Hoc cõuenit cũ illo miraculo, quo Ieſus uidit Nathanaelem ſub ficu, quo & uidit Lazarum mortuum, cum à Iudęa, in qua Lazarus moriebatur, abeſſet. Deinde ambulat ſuper aquas maris, ueluti ſuper aridam, quod certè ſtupendum eſt miraculum. Nec ſolum ipſe ſuo corpore hoc fecit, ſed etiã iubet Petrum idem facere: & Petrus uerbo eius obediens, ſimiliter ambulat ſuper aquas, ac cõſeruatur, ne ſubmerſiõe pereat. Quo miraculo manifeſtè probatur potẽtia Chriſti. Adhæc, ſedat præſentia ſua tempeſtatẽ maris, quod & ipſum argumentum eſt maieſtatis Chriſti, cui etiam mare ac uenti obediũt. Poſtremò nauis ex improuiſo eſt in eo portu, ad quem antè magno labore peruenire non poterãt. Hæc ſunt tanta miracula, ut diſcipuli, qui ſunt in naui, meritò adorẽt eum (quemadmodum Matthæus ſcribit) & confiteantur eum uerè eſſe Dei filiũ. Porrò

Chriſtus mari inambulat.

Miracula Chriſti uaria.

aũt non eſt ſentiendũ, ꝙ hæc tm̃ propter diſcipulos illos paucos geſta, & literis mãdata ſint, ſed pertinẽt ad uniuerſam Eccleſiam: et proponũt imaginem rerũ, quę omnibus ætatibus & ſeculis in Eccleſia Dei gerun-
tur. Etſi. n. nõ ſunt hic in naui admodũ multi diſcipuli, tm̃ hi ſunt Eccle-
Eccleſia in una naui. ſia Dei, ſunt populus à Deo electus. Eſt & hoc loco Chriſtus ipſe, Eccle
ſiæ caput. Quare, quod hic geritur, imago eſt earum rerum, quę ſemper inter Eccleſiã & Chriſtum, caput eius, geri ſolẽt. Mare, hic mundus eſt. In hoc aũt mundo, eſt Eccleſia Dei. Nõ rogo, inquit, ut tollas eos è mun
do, ſed ut ſerues eos à malo. In mari exoriuntur uenti, & tempeſtates. ſic & Chriſtus ait: In mũdo habebitis afflictionem. & iterum: Plorabitis & lamentabimini uos, mũdus autẽ gaudebit. ac Paulus: Oportet nos per multas afflictiones ingredi in regnũ Dei. Porrò Chriſtus abeſt in mon-
te, et tm̃ uidet diſcipulos in maximo periculo cõſtitutos. Etſi. n. Chriſtus
Eccleſia ſemper in oculis Chriſti. aſcendit in cœlum, & eſt nũc corporalibus oculis inuiſibilis, Eccleſia tm̃ in periculis cõſtituta nõ eſt ipſi inuiſibilis: ſed Chriſtus præſtò adeſt Ec
cleſiæ, afficitur cura eius, & reſpicit omnes labores ac ęrũnas eius, ut ad-
iuuet ac ſeruet eam. Sedet. n. ad dextram Dei, & eſt omnipotẽs rerũ gu-
bernator. Quare nec altitudo, nec lõgitudo, nec profunditas poteſt eũ impedire, quo minus ſuccurrat laborãti Eccleſiæ ſuæ. Sed quẽadmodũ uenit ad diſcipulos in media tẽpeſtate, & iudicat̃ eſſe ſpectrũ dæmonia-
cũ, quod ſit ipſos in aquis ſubmerſurũ: ita uenit in hoc quidem mundo cruce comitatus, & uarijs afflictionibus cõtectus. Itaqꝫ ingraueſcẽtibus aduerſis exiſtimãt homines imbecillis fidei, non adeſſe Chriſtũ ſeruato-
rem, ſed legionẽ diabolorũ, qui preſens exitiũ inferre uelint. Non enim adhibent firmã fidẽ huic promiſsioni Dei, quæ in Pſal. nonageſimo ex-
tat: Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiã eum, & glorificabo eũ: ſed quia in præſentia nõ uidẽt niſi aduerſa, putant in his multo magis Satanã op-
preſſorẽ, cꝫ Chriſtũ liberatorẽ eſſe. At uerò Chriſtus reuelat ſeſe diſci-
pulis uoce & alloquio ſuo, Ego, inquiens, ſum, nolite timere: ita etiã re-
uelat ſeſe Eccleſiæ Euãgelio ſuo. Nam Euangelion, uox Chriſti eſt, qua expoſuit ſeſe in hoc miſſum, ut omnis qui in ipſum eredat, nõ pereat, ſed habeat uitam æternã. dicit & aliàs: Ego ſum reſurrectio & uita. Qui cre
dit in me, etiãſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, nõ morietur inæternũ. Quare exortis calamitatibus, attẽdẽdum eſt ad uocem Chriſti, ad Euangelion eius, ut ex eo cõſolationem capiamus, & ſeruemur. Cæterùm, ſicut Chriſtus nõ ſolus ambulauit ſuper mare, ſed etiam uocauit Petrũ ut idem faciat. Etſi autem is irruente uento incipit hæſitare & ſubmergi, tamẽ cũ inuocaret auxilium Chriſti, ſeruatur ma-
nu Chriſti apprehenſus: ita Chriſtus non ſolus prædicauit Euangelion ſuũ, & miraculis cõfirmauit, ſed cooptaui ſibi collegas Apoſtolos, qui-
bus etiã ipſis dedit donum edendorum miraculorum. Hos ſequuntur
Chriſtus ſeruat miniſteriũ Eccleſiæ. deinde miniſtri Eccleſiæ, qui Euangelion ab Apoſtolis acceptũ adnun-
ciãt. Quid ergo accidit? Quod ad Apoſtolos dictũ eſt, Ecce ego mitto uos in medio luporũ, hoc dimanat nõ tã ad miniſtros, cꝫ ad ipſum mini-
ſteriũ Euangelicæ prædicationis. Nam in hoc ſeculo ſolent tam graues cooriri calamitates aduerſus miniſteriũ Eccleſię, ut ab exitio parum ab-

eſſe

esse uideatur. Itaq; hi qui sunt paulo infirmiores, uariè afficiuntur, & tãtum nõ despondent animum. Sed bene habet, Christus præstò adest, & inuocatus extendit manũ, ac seruat ministerium Ecclesiæ, quod alijs perire uidetur. Portæ, inquiens, inferi non prævalebunt aduersus eam. & Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationẽ seculi. Postremò, Christo in nauim recepto, fit summa tranquillitas, et nauis cõtinuò est in portu. Nam, qui Christum ex Euangelio agnoscit, & per fidem accipit, quomodo nõ in tuto esset, ac uerè in portu, quod dicitur, nauigaret? Vbi enim Christus est, ibi necesse habet tẽpestas ipsa esse trãquillitas, et mors uita. Qui credit (inquit) in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Suscipiamus igitur Christum obediẽti fide in nauim nostram, ut tutò per procellas omnis afflictiõis & mortis ad portũ ęternæ uitæ perueniamus, gratia & præsidio Iesu Christi Domini nostri, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Christum recipientes sunt in tuto.

HOMILIA LII.

MAGNA sunt, & excellentia miracula, quæ hactenus Euangelista commemorauit, & nos utcunq; explicuimus: sed multo maior & excellentior est concio illa, quã Christus occasione corporalis panis, quem turba hominum magis quàm spiritualem sectabatur, habuit. De hac concione nunc nobis dicendũ est, si prius perstrinxerimus ea quæ post traiectionem discipulorũ & Christi acciderunt. Postero die, inquit Euangelista, turba, quę stabat trans mare, ut uidit, quòd nauicula alia nõ esset ibi, nisi una illa, in quam ingressi fuerãt discipuli eius, & q̃ non introijsset cũ discipulis suis Iesus in nauiculã, sed soli discipuli eius abissent, aliæ uerò superuenerunt nauiculæ à Tiberiade iuxta locũ ubi comederãt panem, posteaquam gratias egisset Dominus. Cũ ergo uidisset turba, q̃ Iesus nõ esset ibi, neq; discipuli eius, ascenderũt & ipsi in nauiculas, & uenerunt Capernaum, quærẽtes Iesum. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc uenisti? Quæ miracula in mari sunt edita, ea testibus tantum discipulis edita sunt. Nunc autẽ turba hominũ cognoscit etiam, Iesum non sine miraculis in alteram ripam peruenisse. Quare cum quærunt Iesum, quãdo aut quomodo huc peruenerit, significant se maiestatẽ potentiæ eius agnoscere, ac plurimum admirari. Sed Iesus longè aliter respondit ipsis, cõq; expectauerant. dixit enim: Amen amen dico uobis, quæritis me, nõ quia uidistis signa: sed quia comedistis de panibus, & saturati estis. Hæc est grauis & seuera reprehẽsio, q̃ abutantur miraculo. Edidi, inquit, miraculum quinq; panibus & duobus piscibus, nõ ad hunc usum, ut significem me mundanum regem fore, & afferam sectatoribus meis fœlicitatem huius corporalis uitæ, ac pascã eos ocioso atq; ignauos: sed ut hoc signo ac miraculo excitati cognoscãt ueritatẽ doctrinæ meæ, & quærant cibũ ueræ ac perpetuæ uitę. Vos autem sectamini me, nõ quia uidistis signa, hoc est, nõ ut rectè utamini miraculis, & quęratis in me cibũ æternæ uitæ, sed ut in ocio & ignauia corpus saginetis. Non quæritis iusticiã, sed crapulam: non curatis cœlum, sed uentrẽ. Apagete ergo cum uestro uẽtre. Lõgè alios sectatores mihi

Capernaitæ uentris causa sequũtur Christum.

» dari cupio, q̃p quibus aluus tm̃ curæ est. Quid igit̃ nos facere iubes? Se-
» quitur: Operemini non cibũ, qui perit, sed qui permanet in uitam æter-
» nam, quẽ filius hominis dabit uobis. hũc.n. pater cõsignauit Deus. Ne-
cessaria admonitio. Homines.n. peccato ita corrupti sunt, ut multo ma-
iorẽ curam habeant alendi uẽtris, q̃p alendæ mentis: & magis sectentur
corporalẽ, ac periturũ panem q̃p cœlestem & æternum panem. Sed hæc
Hominis conditio. est præposterа & peruersa rerũ cura. Homo.n. cõditus est, non ad simi-
litudinẽ boum, porcorũ, & aliarũ bestiarum, quę tantum uentri studẽt,
& hoc unum agunt, ut corporalem cibum assectẽtur: sed cõditus est ad
imaginem & similitudinem Dei, uidelicet ut agnoscat Deum, & studeat
rebus diuinis ac æternis. Siue.n. intuearis humanũ corpus, siue animũ,
monemur ex ipsa harum rerũ specie & natura, ne belluarũ more cibos
tm̃ corporales quæramus. Reliqua animãtia uẽtri dedita, spectant pro-
na ad terram: homo autẽ erecti corporis est, ut cœlũ uideat. Homo igi-
tur cœlestia, nõ terrestria curare debet. De animo autem quid plura di-
cendũ est? Præcipua hæc pars est hominis, quæ certè non conseruatur
corporali alimẽto, sed alio longè prę̃stantiori, nempe cœlesti ac diuino.
Quare siue corpus siue animũ hominis consideraueris, nulla ratione cõ
gruens est, ut præcipuè ac maximè omniũ corpori cõseruando & exco-
lendo studeas. Quod si homo non peccasset, eam duxisset uitã, quæ nul-
lis prorsus afflictionibus fuisset obnoxia: & cibo corporali ita usus esset,
ut interim omni mente & cogitatione, curáq̃p in contẽplatione rerũ cœ-
lestium ac diuinarum uersatus esset. Hæc fuisset uita in paradiso. Postq̃p
autẽ homo peccauit, ciectus est propter peccatum è paradiso, in hãc ca-
lamitosam uitam: nõ ut in ea perpetuò hæreret, sed ut aliquanto tempo-
re, tanq̃p in carcere & ergastulo cõcluderetur, quo conciperet desideriũ
Ignauia hominum in sectandis rebus cœlestibus reprehenditur. liberationis, & cogitaret amissam fœlicitatẽ recuperare. Qui autem se-
se totum immergit in curam corporalium ac terrenarũ rerum, obsecro
te, quid aliud agit, q̃p si quis contrusus & inclusus in horrendũ carcerẽ,
nõ hoc laboraret ut dimitteretur, sed potius ut ibi diu commoraretur,
ac squalore & sordib. delectaretur? Quid hoc stultius, ac magis insanũ
esset? Atqui idem prorsus faciunt hi, qui contemptis & neglectis cœle-
stibus, immergunt sese totos in hæc terrestria. Sed tu uide mihi, quid si-
bi uelit primum ac præcipuum præceptũ Dei: Ego sum, inquit, Domi-
nus Deuus tuus, Non habebis alienos deos coram me. & iterũ: Diliges
Dominum Deũ tuum ex toto corde, ex tota anima, & tota fortitudine
tua. Hoc præceptum, etsi nullus hominum in hac terra perfectè implere
potest, admonet tamen unumquemuis hominẽ sui officij, ut cognoscat
Finis hominis. quid uero Domino Deo suo debeat. Docet enim hoc esse hominis offi-
cium, nõ ut uentrem suum pro Deo colat, & commodo tantum uentris
more porcorum seruiat: sed ut uerum, omnipotentem, cœlestem Domi
num Deum nostrũ colat, et cœlestia ac diuina toto animo sectetur. Hoc
obsequiũ debemus Deo, primùm ex creatione, q̃p creauerit nos homi-
nes ad imaginẽ & similitudinem suam: deinde ex recreatione, q̃p recre-
auerit, & redemerit nos per unigenitum filiũ suum Dominum nostrũ
Iesum Christum, per quem eripuit nos à potestate tenebrarũ, & transtu-

lit

sit nos in regnum eius. Quid igitur turpius, quid fœdius, q̄ contempto Deo, & neglecto officio, quod debemus Deo, sectari tātū humana, corporalia et terrena? Age uerò, numerabimus aliquā partē tēporis uitę nostræ, & conferemus cum ea studium nostrum, ut conspicuum fiat, quanta sit ignauia, quanta socordia nostra in cognoscendis & considerandis ijs rebus, quæ ad ueram, cœlestem ac perpetuam nostram salutem pertinent. Vna hebdomada constat septē diebus, & unus dies naturalis constat uigintiquatuor horis. Numera nūc horas unius hebdomadę, & habebis centum sexaginta octo horas. Quid ergo fit? Tantus est in uulgo hominū neglectus diuinarū rerum, ut in tot horis unius hebdomadæ, non sumant sibi unam & alteram horam, in qua seriò de cœlesti sua salute cogitent. Sed dicamus etiam de anno. Vnus annus communis cōstat trecentis sexaginta quinq̄ diebus. Et cum unusquisq̄ dies cōstet uiginti quatuor horis, numerātur in uno anno octies mille, septingētę et sexaginta horæ. Inuenias autē, qui in tot millibus horarum, non sumāt sibi tres aut quatuor horas, in quibus tota mēte, totaq̄ cogitatione cœlestia uel secū ipsi tractent, uel à ministris Ecclesiæ publicè tractari audiāt, cū interim omnes horas impēdant sumno, cibo, labori manuum, cōuiuijs, balneis, colloquijs de rebus uanissimis, deābulationibus, profectionib. mercimonijs emēdis aut uēdēdis: & q̄s corporales hominū occupationes omnes enumerare posset? An non hoc nō solū est turpissimū, uerū etiā pernicioſissimum? Ecclesiasticæ historię testantur Pambum quendam eremitā, uenisse hortatu Athanasij, ex eremo ad Alexādriā. Is cum uidisset ibi mulierem theatralē, ut uocant, multo auro & gemmis ornatā, illachrymatus est. Rogatus cur id faceret: Duę, inq̄t, me res mouerūt. Vna, illius mulieris interitus: altera, q̄ ego non tantum studeo placere Deo seruatori meo, quantū illa nefarijs hominibus. Piè admodū Pambus, sed hoc non fictis lachrymis deplorandū est, quòd nō solum una & altera mulier, uerum uniuersum penè hominū genus curis & cogitationibus suis in hoc tantū euigilent, ut bene sit uentri: quod quid aliud est, quàm ad præsentem suum interitum tendere? Escæ, inquit Paulus, uentri destinatæ sunt, & uenter escis: Deus autē & hunc, & illas abolebit. & iterum: Complures ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autē & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum DEVS VENTER: & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. & Christus: Quid prodest, inquit, homini, si totū mundū lucratus fuerat, animę uerò suæ iacturam fecerit? Quid itē prodest, corpus omni genere delicatissimarū escarum saturatum habere, interim autem mētem ieiunitate cœlestis cibi, qui perpetuò seruet, cōtabescere? Considera em̄ mihi, obsecro, quis sit horum studiorū exitus. Nam si opereris, ut Christus loquitur, aut secteris tantū eum cibum qui perit, hoc est, corporalē seu terrenū: uideris quidem conseruare corpus ad tempus aliquod, idque minimè diuturnū, paulo pòst autem amissurus es unà cum uita corporis, totam ac perpetuam salutem. Itaque corpus & anima simul pereunt. Si autem opereris cibum qui permanet in uitam æternam, tunc etsi corpus aliquoties esurit, addo etiam, perit, seruatur tamē anima. Serua-

Pambus eremita.

ta autem anima, ſeruatur & corpus, per Dominum Ieſum Chriſtũ, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, ut cõforme reddat corpori ſuo glorioſo ſecundum efficaciam, qua poteſt ſubijcere ſibi omnia. Quare hoc unum ſit ſtudiũ, hæc cura, hæc cogitatio noſtra, ut operemur cibũ, qui permanet in æternã uitam. Sed quid? nihil' ne aliud agendum eſt in hac terra? an' non licet corporalem cibum quærere? Sic inepti quidã hypocritæ ſentiebant, qui cum concluſiſſent ſe in ſua conclauia, ſumebant ocioſi ab alijs cibũ. Non hoc docet Chriſtus. Cum enim iubet orare, Panem noſtrũ quotidianũ da nobis hodie, perſpicuè ſignificat, etiam corporalem cibum quærendum eſſe, pro ſua quidem ratione. & Paulus: Cũ eſſemus, inquit, apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut ſi quis nollet operari, is nec ederet. et ſequitur: Audimus quoſdam uerſantes inter uos inordinatè, nihil operis facientes, ſed curioſe agentes. His autem, qui ſunt eiuſmodi, prȩcipimus & obſecramus, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut cum quiete operantes, ſuum ipſorum panem edant. Quid ergo eſt, quod ait Chriſtus: Operemini nõ cibum, qui perit? Nõ damnat honeſtũ modum quærendi corporalis uictus, ſed damnat hominum præpoſterum ac peruerſum ſtudium. Solent homines maiorẽ habere rationẽ quærendi corporalis, cȝ ſpiritualis uictus: & plus curãt ſalutem corporis, cȝ animæ. Atqui hæc oportuit facere, illa autem non omittere. Vt cõſerũeris ad cœleſtem & perpetuam uitam, neceſſarium eſt, ſi modò ſaluus uelis: ut autem conſerueris in hac corporali uita, non eſt neceſſarium. Primùm, inquit, quærite regnum Dei, & iuſticam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. &: Non in ſolo pane uiuit homo, ſed in omni uerbo, quod egredit de ore Dei. Hæc terra nõ eſt uera noſtra patria, ſed eſt aliena, in qua peregrinamur. Quemadmodum autem ſi quis in exteris regionibus peregrinetur, hoc unum ſibi agẽdum agnoſcit, ut confectis rebus ſuis, propter quas peregrinationem ſuſcepit, ad domũ quamprimùm reuertatur. & quanquã interea tẽporis diuertit aliquoties ad amicos, & contemplatur alienarũ urbium ædificia, tamen hoc prȩcipuum inſtitutum eius eſt, ut ad ſua redeat: ita cũ in hac uita peregrinamur, ut ad cœleſtem patriam redeamus, etſi corporalem cibum tam cȝ in diuerſorio, quærere licet, maximè tamen omnium quærendus eſt cœleſtis cibus, quo ad perpetuam uitã conſeruemur. Huius enim gratia hæc peregrinatio ſuſcepta eſt. Sed quis eſt, inquies, is cibus, qui permanet in æternam uitam? EGO ſum, inquit Chriſtus, panis uiuus, qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet inæternum. De qua re, quoniam poſtea pluribus diſſeretur, non erimus nunc longiores: ſed perſequemur, quod in præſentia nobis propoſitum eſt, & uidebimus, quis hunc cibum ſeu panem nobis porrigat. addit enim Chriſtus: Quẽ filius hominis dabit uobis. hunc enim pater conſignauit Deus. Hæ per antitheſin dicta eſſe, clarè demonſtrabunt ea quæ paulo pòſt ſequentur. Filius eȝ hominis, qui eſt Meſsias, opponitur patriarchis, Moſi, prophetis, circũciſioni, & uniuerſæ legi. & eſt ſenſus: Nec patriarchæ, nec Moſes, nec prophetæ ſunt perſona illa, propter quam homines iuſtificãtur & uiuificantur. Næc circunciſio, nec uniuerſa lex, ſunt res illa, propter quam

Ignauia hypocritica damnatur.

Peregrini in terra ſumus.

Chriſtus ſolus eſt ſalus noſtra.

quam homines consequuntur iusticiam coram Deo, & uitam ęternam: sed solus filius hominis, qui est Messias, Iesus Christus Dominus noster, persona illa est, & res, propter quam homines seruãtur, hoc est, reputantur coram Deo iusti, & accipiunt sempiternam salutem. Magnus quidem usus est patriarcharum, prophetarum, & legis: sed solus Messias uera est salus. Abrahã fuit patriarcha sanctissimus, & laude dignissimus, propter Abrahamum autem nullus hominum consequitur remissionem peccatorum. Moses fuit optimus legislator, & dux Israelitarum fortissimus, propter Mosen autem nemo seruatur in morte. Prophetæ fuerunt doctissimi & sanctissimi cõcionatores uerbi Dei, propter prophetas autẽ nullus hominum assequitur regnum cœleste. Circuncisio fuit utilissimum sacramentum, sed nulli hominum contigit propter circuncisionẽ æterna salus. Sabbatum, sacrificia, & alia opera legis habuerunt *suam* utilitatem, sed propter ipsa nemo peruenit ad sempiternã salutem. Solus filius hominis, solus Messias est panis uitæ, propter quem *cõtingit* omnibus credentibus in ipsum, remissio peccatorum, iusticia, *salus* & uita. neqꝫ id immeritò. Is enim est, quem Deus pater consignauit. Primùm enim Deus pater consignauit eũ ab æterno sua ipsius imagine, ut sit unà cum ipso uerus & æternus Deus, eiusdem substantiæ & maiestatis. Ipse est, inquit Apostolus, imago Dei inconspicui. et iterum: Splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius. Quare, cum sit diuina potẽtia consignatus, non est mirũ, quòd possit credentes in ipsum seruare, & tribuere eis æternã uitam. Deinde postquam factus est filius hominis, consignauit eum Deus apertis testimoniis, quòd ipse sit uerus Messias, & seruator omniũ credentium in ipsum. Nam quemadmodũ sigilla publicarum literarum testificantur de rebus gestis, quæ in literis commemorantur: ita Deus pater testificatus est multis miraculis, tanꝫ cœlestibus sigillis, de Iesu filio Mariæ, quòd miserit & unxerit ipsum in uerum Messiam, & datorem æternæ uitæ. Missus est angelus Gabriel, qui adnunciaret conceptionem & natiuitatem eius. Natus est ex muliere uirgine. Prædicatus est ab angelis. Visitatus & adoratus à magis. Et cum baptisaretur à Ioãne in Iordane, audita est uox Dei patris, palàm de cœlo testificantis, hunc esse filium suum dilectum, in quo ipsi complacitum sit. Venit & spiritus sanctus in specie columbæ. Postea, cum prędicaret Euangelion suum, edidit maxima & clarissima miracula. Hæc omnia sunt cœlestia sigilla, quibus Deus pater testificatus est, se hunc Iesum misisse & confirmasse, ut esset uerus humani generis seruator. Quæ sigilla postea resurrectione à mortuis, ascensu in cœlum, missione spiritus sancti in discipulos, & diuulgatione Euangelij in totũ orbem terrarum ita roborata sunt, ut nullus iam dubitãdi locus relinquatur, quin hic sit uerus ille Messias, propter quem solum homines consequantur perpetuam salutem. Quare etsi suus labor, & sua cura debetur corporali cibo, qui usu suo perit, tamẽ maximè omnium in hoc nobis elaborandum est, ut comparemus cibum manẽtem in æternam uitam, qui est Iesus Christus Dominus noster, unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Etsi

HOMILIA LIII.

ETSI uenter auribus carere dicitur, Iudæi tamen uentri dediti, non uidentur concionem Christi surda aure percepisse. Cum enim Christus reprehenderet eos, quòd magis sectarẽtur cibum corporalem, q̃ cœlestem, & cohortaretur ipsos, ut operarentur cibum permanentem in æternam uitã: rectè intelligunt, se uocari ad faciẽdam ueram iusticiam, & peragendum hunc diuinum cultum, quo cõsequantur cœlestia & perpetua bona. Dixerunt ergo ad eum: Quid facimus, ut operemur opera
» Dei? Siue hoc ioco, siue serio interrogent, certè hæc est ipsorum senten-
» tia: Quid tu nobis concionaris de operando cibo permanenti in eternã uitã, hoc est, de sectanda iusticia, & faciẽdo diuino cultu, quo perueniamus ad perpetuam beatitudinem? An non satis iusti sumus operibus legis nostræ? an nõ possumus ad sempiternam fœlicitatem peruenire meritis eorum diuinorum cultuum, quos nobis lex nostra præscripsit? Sumus circumcisi, obseruamus sabbatũ, offerimus sacrificia, nõ furamur, non latrocinamur, damus decimas, damus eleemosynas, ieiunamus statis tẽporibus, & facimus multa alia bona opera. Quid amplius à nobis requiris? aut qd possemus facere, ut essemus iustiores, & Deo acceptiores? En hæc est uetus & innata humanæ naturæ cæcitas & ignorantia, quòd existiment diuinam legem humanis nostris operibus impleri posse: ac se coram Deo satis iustos esse, si ciuilem honestatem uitæ sectentur. Etsi autem diuinæ legi semper pro uirili obediẽdum est, & suus est unuscuiusque boni operis, quod Deus exigit, usus: tamen nullus est hominum, qui possit suis operibus legi satisfacere. in Genesi capite octauo dicitur: Sẽsus & cogitatio humani cordis, ab adolescẽtia sua malũ sunt. diuina autem lex exigit sensum & cogitationem hominis bonam. Quare fieri nõ potest, ut quamdiu hęc naturalis malicia homini inhæret (inhæret autẽ propter originale peccatum, homini etiam pio & renato per spiritum sanctum, usque ad mortem) legem Dei perfectè impleat. Psalmus ait: In cõspectu tuo non iustificatur omnis uiuens. Atqui lex requirit ad sui impletionem homines uerè iustos & sanctos. Cum igitur nullus hominum sit natura sua corã Deo iustus & sanctus, manifestum est, nullum hominem posse legi perfectè satisfacere. Lex, inquit Paulus, spiritualis est, ego autem sum carnalis. &: Noui, quòd non habitet in carne mea bonum. Si non est in carne, etiam pĩj hominis, bonum, quomodo bonam legẽ impleret? & iterum: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem. Etsi autem affectus carnis non dominatur in homine pio, tamen manet in eo, quamdiu agit uitam in hoc seculo. Nunc̃ ergo implet legem. ac rursus: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc inter se mutuò aduersantur, ut nõ quæcunq̃ uolueritis, eadem faciatis. Audis perpetuam esse pugnam carnis & spiritus, nõ quidem in impijs, qui toti obsequũtur affectibus carnis, nec habent spiritum sanctum: sed in pijs, qui sunt spiritu sancto prędditi. Lex autem Dei non fert ullam rebellionem aduersus spiritum sanctum, sed exigit perfectã obedientiam.

Iustus perfectè nullus hominum.

Quare,

Quare,cũ in homine quãtumuis pio ſit perpetua rebellio carnis & ſpiritus,perſpicuum eſt, q̃ legẽ Dei nũnq̃ perfectè ſuis operibus impleat. Quæ cum ita ſeſe habeant,manifeſtè uides q̃ longè & pernicioſè errent hi ſiue Iudæi,ſiue Chriſtiani hypocritæ,qui putant ſe ſuis ſacris & bonis operibus legi Dei ſatisfacere,& coram Deo iuſtos eſſe. Quid ergo faciẽ dum eſt, ut operemur opera Dei,hoc eſt,ut uerã faciamus iuſticiam, & cultum Deo acceptiſsimũ,ac ut legem Dei impleamus? De hac re audiendus eſt Chriſtus. reſpondit enim,& dixit eis:Hoc eſt opus Dei,ut credatis in eum,quem miſit ille. Si uultis maximum & præſtãtiſſimum cultum Deo præſtare,ſi uultis ueram iuſtitiam coram Deo aſſequi,& ſalui eſſe,hoc opus, hoc ſacrũ, hic cultus Dei faciẽdus eſt, uidelicet ut credatis in eum quem miſit ille. Credere,inquam,in Ieſum,cultus ille diuinus eſt,quo Deus ita delectatur, ut reputet credẽtem tam iuſtum, q̃ ſi totã legẽ ſuis operibus impleuiſſet. Quid ergo eſt,inquis, credere in Ieſum? Hoc ut ſimpliciſsimè deſcribatur,eſt credere Euãgelio eius,& illud fide excipere. Ieſus autem prædicauit hoc Euangelion, q̃ ſit à Deo miſſus, q̃ ſit uerus ille Meſsias, q̃ per prophetas promiſſus eſt. Quare credere in Ieſum,eſt tribuere ei honorem & maieſtatẽ Meſsiæ, hoc eſt, agnoſcere eum expiatorem peccatorum,placatorẽ iræ Dei, ſeruatorem in morte, autorem uitæ & fœlicitatis noſtræ, adeoq̃ collocare in eo omnem ſalutis fiduciam. Hæc enim prophetæ tribuunt Meſsiæ. Sed hic conſideran dum eſt nobis,cur credere in Ieſum Chriſtum ſit maximũ opus,& præſtantiſsimus cultus Dei. Ac primuùm,fides in Ieſum Chriſtũ idcirco dicitur præſtantiſsimus Dei cultus,quòd ſit organon, quo apprehẽditur Chriſtus: & quo is qui credit,inſeritur Chriſto. Nihil autem poteſt nobis nec maius, nec fœlicius cõtingere, q̃ q̃ Chriſtus fiat noſter, & nos Chriſti. Nam ſi Chriſtus noſter eſt, & nos Chriſti,quid reliquũ eſt, niſi ut omnia bona Chriſti,noſtra ſint:& omnia mala noſtra, bonitate Chriſti abſorbeant? Itaq̃ noſtra eſt p̃fecta iuſticia, ſanctitas & fœlicitas Chriſti,præ quibus peccata noſtra nõ imputãtur nobis:& mors noſtra,quæ eſt ultimum in his terris genus infœlicitatis, non eſt oſtium inferni, ſed regni cœleſtis,propter Chriſtũ. Quare, cum Chriſtus accipiatur & inſeratur nobis per fidem,manifeſtum eſt, q̃ nõ poſsimus præſtantius & melius ſacrum facere, q̃ credere in Ieſum Chriſtum. Ac eatenus etiã dicimur per fidem iuſtificari, non q̃ fides in Chriſtum per ſe ſit opus tantæ dignitatis,ut merito ſuo iuſtificet nos corã Deo: ſed q̃ accipiat Chriſtum,propter quem ſolum reputamur corã Deo iuſti,& adoptamur in filios ac hæredes Dei. Deinde fides in Chriſtũ dicitur præſtantiſsimus cultus Dei, q̃ reddat Deo honorẽ ueritatis promiſsionum ſuarum, & agnoſcat Deum eſſe ueracem. Deus enim etſi multa alia tam corporalia q̃ ſpiritualia promiſit,tamen hoc eſt p̃cipuũ inter promiſsiones eius, quòd miſſurus ſit Meſsiam in hunc mundũ. Et palàm comprobauit ac declarauit magnis & multis teſtimoniis, hunc Ieſum Nazarethanũ eſſe Meſsiam illum,antea promiſſum. Quare qui in ipſum credit, dat Deo gloriam ueritatis. Sic autem Deum glorificare,Deo longè omnium gratiſsimum eſt. Placet quidem Deo,ſi iuxta legem ambules, & opera legis facias:

Fides, præſtantiſsimus Dei cultus.

Credere in Ieſum quid ſit.

Fide iuſtificamur quomodo?

facias: sed ita, si hoc ex fide feceris, hoc est, si Deũ ueracem in promissione sua de Messia agnoscas. Quis enim honor Deo acceptus esse posset, si eum in corde tuo uanum ac mendacem iudicaueris? Homo non agnoscit capitis tui humiliationes, genuflexiones, & de uia cessiones, si intelligat se haberi à te uanum & mendacem, & Deus agnosceret? Cum igitur fides reddat Deo honorem ueritatis, meritò antefertur omnibus alijs sacris & cultibus Dei. Postremò, cum fides in Iesum Christum, accipiatur nà cum Christo etiam spiritum sanctum, qui est innouator hominis, & creator obedientiæ in homine: perspicuũ est, quòd fides sit fundamentum & initiũ omnium piarum uirtutũ, & bonarum actionum. Alij, qui non habẽt fidẽ in Christum, alijs interdum uirtutibus ornati sunt. Hic iustus est in contractibus ciuilibus, ille patiẽs in aduersis: hic castus, ille in alloquio humanus: hic misericors erga afflictos, ille in dictis uerax, & promissi seruans. Hæ sunt diuersæ uirtutes, & qui una præditus est, fieri potest, ut omnibus alijs careat. Inuenias enim, qui cum sint seruantes promissi, tamen sunt crudelissimi erga miseros. Inuenias alios, qui cum præstent ciuilem castitatem, tamen sunt uanissimi. Sed qui habet fidem in Christum, is etiam habet spiritum sanctũ, qui ducit eum in omnia genera bonarum uirtutum & actionũ. Etsi enim fides non eatenus iustificat hominem coram Deo, quatenus est inchoatio bonorum operum in homine, & magna semper reliqua est infirmitas in carne, quãdiu in hac terra uitam agimus, etiamsi spiritus sanctus hominem gubernet: tamẽ is fidei spiritus nõ est ociosus & ignauus, sed est efficax, mortificat affectũ carnis, & producit uaria genera uirtutum, charitatẽ, gaudium, pacẽ, lenitatem, benignitatẽ, bonitatem, ueritatem, mansuetudinem, temperantiam, castitatẽ: & quis omnes fructus spiritus enumerare posset? Quare hoc etiam nomine fides in Christum, est præstantissimus cultus Dei, q̃ sit initiũ & commendatio omnium bonorũ operum: & q̃ uult maximũ Deo sacrũ facere, necesse habebit hoc opus operari. Hic cm̃ est ille summus cultus Dei, quem patriarchę, prophetæ, & omnes pij prę̃stiterunt. Hoc cultu cõsecuti sunt iusticiam & salutẽ, quotquot Deo accepti fuerunt. Nõ sunt iustificati merito circumcisionis, sabbatorũ, sacrificiorũ, nec etiam moralium uirtutũ: sed iustificati sunt hoc cultu, uidelicet fide in Christum, idq̃ non propter meritũ operis fidei, quod opus etiam ipsum in credente infirmũ esse solet: sed propter solum Christum, qui homini per fidem inseritur, & applicatur. Sed quid? inquies, Si credere in Christũ sũmus est ac prę̃stantissimus cultus Dei, nihil facilius est, quàm hũc cultum Deo præstare, prę̃sertim nobis qui ab ineunte ætate imbuti sumus symbolo Apostolorum, in quo doctrina fidei summatim cõtinetur? Sic quidem apparet hominibus, extra tentationes, et in omnium rerum fœlicitate. Sed res ipsa probat, fidem in Christũ, nõ tam frequentem esse in hominibus, q̃ frequens est de ea sermo inter homines. Nam si Satan homines oppugnat, perspicuè uidere licet, fidem nõ esse omnium, quemadmodũ Paulus loquitur, & pauciss imos esse credentes. Oppugnat autẽ Satan homines uarijs modis. Aliquoties enim sollicitat eos proposito inimico, ad cupiditatem uindictę: similiter propositis opibus,

Virtutum uariæ species.

Fides uera paucorum est hominum.

bus,ad auariciam aut impoſturam: adhęc obiecta aliena muliere ad libidinem, præterea oſtentato magiſtratu ad ambitionem, & ad infinita id genus opera carnis. Quotus autẽ quiſq; eſt,qui nõ ſuccumbat? qui non tradat ſeſe Satanæ captiuum? qui nõ obſequatur affectui carnis,per Satanam excitato? Qui uerò ſuccumbunt,hi aut nõ credunt in Chriſtum, aut fidem amittunt. Qui in carne ſunt, inquit Paulus, Deo placere non poſſunt. &: Si ſecundum carnem uixeritis,moriemini. & Chriſtus ipſe: Omnis qui facit peccatũ,ſeruus eſt peccati. ac Ioannes: Omnis qui non facit iuſticiã, non eſt ex Deo. Aliquoties obiiciuntur nobis perſecutores Euãgelij Chriſti, per quos Satan ſollicitat homines ad abnegationẽ Chriſti, & ad impietatem. Manifeſtum autem eſt, quàm pauci ſemper cõſtiterint in confeſsione Chriſti,præſertim ſi perſecutiones fuerũt crudelitate inſignes: abnegare uerò Chriſtum in perſecutione,manifeſtum argumentũ eſt,aut fidem nõ fuiſſe certam,aut Chriſtum abiici. Aliquoties proponuntur nobis Iudæi, Turcæ,cõtemptores religionis, & Epicurei: per hos efficit Satan, ut impietas multitudinis reuellet. Cum enim hi iactent proſperum rerum ſuarũ ſucceſſum in ſua impia aut nulla religiõe: & dicũt, Quid? ſi tuus Chriſtus eſt uerus Deus, et curat res humanas,cur non uos Chriſtianos iuuat? cur nõ uos defendit? quotuſquiſq;, obſecro,eſt in hominum uulgo,qui ad has quamuis manifeſtè impias et blaſphemas uoces non incipiat de ueritate Chriſtianiſmi dubitare, & ſi urgeatur perſecutione,ad impietatem, & cõtemptum Chriſti deficere? Hoc perſpicuum ſignum eſt, multitudinem hominũ inter Chriſtianos non uerè agnoſcere Chriſtum,ſed tantũ ſomniare. Ac poſtremò omnium obiiciunt nobis in cõſciẽtia,peccata,mors & dolores inferni. Quot putas in his grauiſsimis tentationib. & in ſeuero Dei iudicio ſuccũbere ac perire? Nã ſi multitudo non conſtat ad ridiculam,ac manifeſtè impiã obiectionem Turcæ cuiuſdam, aut Epicurei, aduerſus doctrinã Euangelij Chriſti, quomodo conſtaret aduerſus ignita tela Satanæ, quæ ille corã horrendo illo tribunali Dei contra homines eiaculari ſolet? Quare fides in Chriſtũ, nõ eſt res tam facilis & uulgaris, quàm facilè & uulgariter de ea loquimur: ſed ut eſt cultus Dei præſtãtiſsimus,ita ſuperat omnes humanas uires: ac neceſſe eſt,ut accipiamus eam de cœlo,& potẽtia ſpiritus ſancti in nobis excitetur. Caro & ſanguis, inquit Chriſtus,non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis. Inuocemus igitur Deum patrẽ,per Ieſum Chriſtum, ut ſpiritu ſuo accendat & inflamet corda noſtra uera fide, qua iuſtificati, ſalutẽ conſequamur per filium Dei,Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LIIII.

MAGNA & eximia concionatus eſt de ſeipſo Ieſus: Filius hominis, inquiens, dabit uobis cibum, qui permanet in uitam æternam. &: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Quo ſermone ſignificauit, optimum & præſtantiſsimum cultum Dei eſſe, audire ipſum, & credere in ipſum. Hoc certè eſt extollere ſeſe nõ tantum ſupra uulgarẽ ho-

minū ſortem, uerumetiam ſupra omnes patriarchas & prophetas. Nullus enim unq̄ uel patriarcha uel propheta tantum ſibi arrogauit, nec tā ta de ſe beneficia auditoribus ſuis promiſit. Audiamus igitur nūc, quomodo Iudæi hanc concionē, aut ut ipſi iudicabant, arrogantiam excepe-
» rint. Dixerunt ergo ei: Quod tu ſignum facis, ut uideamus & credamus
» tibi? quid operaris? Patres noſtri manducauerūt mān: in deſerto, ſicut
» ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis ad edendū. Quod Iudæi reſpondent, hanc habet ſententiam: Tu iactas maxima te beneficia nobis daturum, & ſignificas te prophetam eſſe illum quem Moſes audire iuſsit, & Meſsiam, in quem prophetę credere iuſſerunt: ſed nondum ſignis probaſti, nec reipſa declaraſti te talem eſſe, qualem te prædicas. Si dares nobis manna cœleſte, quemadmodum patres noſtri comederunt in deſerto, iuxta illud Pſal. lxxvij. Pluit illis manna ad manducandū, & panē cœli dedit eis: ac liberares nos hac duriſsima ſeruitute, qua à Romanis opprimimur, ſicut Moſes liberauit nos Ægyptiaca ſeruitute, crederemus te à Deo miſſum, & uerū eſſe Meſsiam. Nunc autem, cū tu ipſe uir ſis abiectus, & quanquam paueris nos uno ueſpero, tamen hodie nihil minus ieiuni ſimus & egentes ac miſeri, non poſſumus te pro tanto heroe, & pro uero Meſsia agnoſcere. Hic iterum uides, Iudæos non niſi corporalia bona ſpirare, ac terreſtre tantum regnum, & carnalē fœlicitatem in Meſsia quærere. Rem miſerā, & nō fictis lachrymis deplorandam, quòd homines hoc ſolum agere ſoleant, ut bene ſit corpori: acexiſtiment, omnia reliqua ſalua eſſe, ſi modò corporalia bona ſalua ſint. Nā ſi tantum terreſtrem conſequantur fœlicitatem, ſentiunt cœleſtem ſua ſponte ſequi: ideoq̄ nihil non curæ, ſollicitudinis, moleſtiæ, laboris, addo etiam, iniquitatis & impietatis ſuſcipiunt, ut cōparent ſibi terreſtria bona. Accedit huc, q̄ eos ſolos admirentur ac uenerentur, quos uident his terrenis bonis fœlices eſſe, & quos ſperant autores, ut & ipſi hæc bona cōſequantur. In magno erāt precio apud Iudęos Theodas, Iudas Galilæus, et poſtea etiam Cochabas, q̄ pollicebātur terrenam fœlicitatem, & liberationem à Romana ſeruitute: cū interim aqua & igni interdiceretur Apoſtolis, qui prędicabant ueram ac cœleſtē fœlicitatem, & promittebant ęterna bona. Quid dicā de Ethnicis? Hi non humanis tantū, uerumetiam diuinis honoribus affecerunt eos qui attulerunt ipſis aliquam corporalem utilitatem. Bacchum conſecrarunt in deum, q̄ oſtendiſſet culturā & uſum uini. Cererem adorarūt ut deam, q̄ docuiſſet culturam & uſum frumenti, cum antè ueſcerentur glādibus. Hercules relatus eſt inter deos, q̄ ciues ab hoſtib. oppugnatos ſeruaſſet, q̄ exules regnis ſuis reſtituiſſet, q̄ terram à latronibus, & mare à piratis tuta reddidiſſet. Hę etſi ſunt magnę, et principe dignę uirtutes, tñ quia Ethnici cōſecrarunt Herculem propter has uirtutes in deum, haud obſcurè ſignificarunt, animū ſuum in bonis tantum terreſtribus eſſe. Dicam, quod uix honeſtè in publica Eccleſia dici poteſt, & tamen dicēdum eſt, ut uideas homines nihil penſi habere, tantummodo ut terrenis bonis fruantur. Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet, populum Rom. ſcripſit hæredem, certam pecuniā reliquit, ex cuius annuo fœnore natalis

Meßias corporalis quæritur.

Corporalia bona putantur ſumma.

Lactantius de Falſa rel. libro 1, ca. 29.

lis eius dies celebraretur, & ederẽtur ludi, quos Floralia uocant. Quid ergo factum est? Num Romani tam fœda, tam turpia agnouerunt? Nõ agnouerunt tm̃ cupidè, uerumetiam cõsecrarunt Floram in deam, quæ floribus præsit. O' sterquilinia, ô detestandos homines, qui etiã scortis diuinos honores tribuerunt, cp accepissent ab ipsis corporale beneficium, cũ interim honestissimos uiros, uel oratores illos, uel philosophos, qui uirtutem docebant, magno despectui habuerint, aut etiã nonnullos eorum occiderint. In hac autem re non soli Ethnici peccarunt, sed etiam Christiani ipsi. Nam in cultu sanctorum, quẽ hypocritæ ut magno studio, ita & magna impietate sectati sunt, eos sanctos præcipuè uenerati sunt, quorũ beneficio sperarunt se uel bona corporalia accepturos, uel mala declinaturos. His instituerũt dies festos, templa, oblationes, peregrinatiões, societates, & quas ita uocãt, fraternitates. Quid plura? Maxima pars, etiam eorum qui Christiani audiunt, tanta terrestrium & tẽporaliũ bonorũ cupiditate flagrãt, ut Satanam ipsum pro sancto aut Deo colerẽt, si modò pecuniam numeraret, ac corporalia beneficia cõferret. Quod certè uel ex hoc perspicuũ est, quia etsi nihil est notius, cp̃ impostoras, nugas, mẽdacia & periuria esse scelera, & Satanæ opera: tm̃ homines ad parandas opes, & consequenda corporalia bona, tãta animi prõptitudine sectãtur scelera, ut nulla nec honestatis ratione, nec diuini uerbi admonitione, nec etiam suppliciorũ seueritate retrahi queant. Quid est, si hæc nõ est cæcitas, & impietas? Tam cæcati enim sunt homines, ut existiment hæc corporalia & tẽporalia bona ueram esse fœlicitatẽ. Audiamus igitur quid Iesus Iudæis corporalem tãtum cibum, & terrenam liberationem desiderantibus, respondeat. Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, non Moses dedit uobis panem de cœlo (uidelicet uerum) sed pater meus dat uobis panẽ de cœlo uerũ. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat uitã mũdo. Hæc est collatio Mosi & beneficiorum eius cum Messia, & beneficijs, quæ Messias credentibus in ipsum cõfert. Vos, inquit, plurimũ gloriamini de Mose, ac de beneficijs quæ per ipsum uobis exhibita sunt. Primùm autem, etsi Moses fuit magnus propheta, & fidelis minister Dei, tm̃ non fuit persona illa, propter quam homines ueram salutem cõsequuntur: sed Messias, quẽ prophetæ promiserunt, et de quo Moses ipse cõcionatus est, quem cp̃ Deus iam de cœlo in terram misit, persona illa est, propter quã uera salus hominibus cõtingit. Deinde beneficia, quæ Deus per Mosen præstitit, magna quidẽ sunt, & præclara, sed nec perpetua nec sufficiẽtia. Moses ministrauit uobis diuina liberalitate manna de cœlo, hoc aũt mãna nõ fuit uerus cibus, qui per se cõseruauerit uescentes ad æternam salutẽ. Omnes Israelitę comederũt manna in deserto, nihilominus tm̃ et omnes mortui sunt, & plures illorum nõ approbauit Deus, qui & perpetuò interierunt: sed Messias, qui est naturalis filius Dei, & quem pater eius de cœlo in terrã iam misit, qui hoc tẽpore uitam inter homines agit, uerus est cibus: qui omnes uescentes ipso, hoc est, credẽtes in ipsum, ita conseruat, ut nunc̃p moriantur, sed etiamsi uideãtur mori, tamẽ seruẽtur in æternã uitã. Moses liberauit Israelitas Ægyptiaca seruitute, & duxit eos per desertũ usc̃p

Floralia.

Sanctorum cultus.

Mosi & Messiæ beneficia.

ad terram Canaan. Hoc excellens quidē & afflictis Israelitis gratissimū fuit beneficium, non fuit autē uera liberatio: quia etiamsi liberati erant Ægyptijs tyrannis, non tamē liberati erant spiritualibus tyrannis, uidelicet peccatis, Satana, morte & inferno. sed Messias affert ueram liberationem. Remittit enim credentibus in ipsum peccata, & efficit, ut hi qui accipiunt ipsum per fidē, reputētur coram Deo iusti. Vincit Satanam, & seruos Satanæ ita liberat, ut adoptētur in filios Dei. Vincit mortem, & efficit, ut morte obnoxij nunq̄ moriātur, sed perpetuò uiuant. Expugnat infernū, ut qui erant inferno obnoxij, ingrediantur cœlum, & fruantur cœlesti fœlicitate. Hæc demū uera sunt beneficia, quę ut cum corporalibus illis nullo modo sunt conferēda, ita afferunt perpetuā salutē. Descendit (inquit) de cœlo. Affert erga cœlestia & perpetua, nō terrestria & caduca bona. Et dat uitam, non dat pecuniam, quam auari quærunt: non frumenta, quæ fœnatores coaceruant: non uinū, quod bibones sectantur: non terrena imperia, quorū cupiditate homines huius seculi flagrant. Sed dat VITAM, uidelicet perpetuò fœlicem. Et dat eam MVNDO, offert eam per Euangelion suum non Iudæis tantum, non Gentibus tantū, sed uniuersæ creaturę: hoc est, tam Iudæis q̄ gentibus, tam honestis q̄ inhonestis, tam diuitibus q̄ pauperibus, tam sanis q̄ infirmis, tam principibus q̄ subditis, breuiter toti mūdo. Quare etsi corporalia & terrena bona suum habent usum, & sunt Deo pro ipsis, si contigerint, gratiæ agendæ, tamē his non est cor apponendum, ut Psalmus loquitur: sed in hoc studium toto pectore incumbēdum, ut uera & cœlestia bona in Messia consequamur. Hæc nō obscurè quidem significat Christus, cum ait, Pater meus dat uobis panem de cœlo uerum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat uitā mundo. Iudæi autem ad
» huc somniant corporalia bona. Dixerunt ergo ad eū, Domine, semper
» da nobis panem istum. Quod suprà mulier Samaritana Christo de fonte aquæ salientis in uitam æternā prædicanti respōdit, Domine, inquiens, da mihi istam aquam, ut non sitiam, neq̄ ueniam huc ad hauriendū: idem respondent nunc Iudęi Christo prædicanti de pane, qui dat mundo uitam: ac ridiculè petūt, ut efficiat, quo uiuificus ille panis copiosè de cœlo pluat, se ambabus manibus, & explicato sinu eū excepturos. Præterea, nō obscurè significant, se uerba Christi ita intelligere, q̄ doceat se ministrū tantum esse panis uiuifici, qualis Moses fuit minister mannæ, non panem ipsum. Semper, inquiunt, da nobis panem istū. Videmus te esse hominem, qui imbecillitate nihil à nobis differat, uidemus nihil humani à te alienū esse. Quòd si magnus quispiā es, certè nō potes aliquid plus esse, q̄ minister Dei, quales fuerunt patriarchæ & prophetæ. Quare si accepisti hoc ministerium à Deo, ut porrigas nobis nouum manna, quo semper in hac uita cōseruemur, age obsecro, da q̄ accepisti, ut hoc cœlesti beneficio per te fruamur. Hic cōsidera mihi, q̄ uaria sint iudicia de doctrina Christi. Alius intelligit promissiones eius carnaliter, alius iudicat eas ridiculas, aut etiā uanas & mendaces, quippe quas putet nō posse impleri: alius, qui de Iesu bene sibi sentire uidetur, existimat eas à propheticis concionib. nihil differre, propterea q̄ sentiat hunc doctorē

seu

ſeu promiſſorem, non eſſe ſaluatorẽ ipſum, ſed tantum ſalutis miniſtrũ, ſicut & prophetæ fuerunt. Chriſtus autẽ, qua eſt bonitate, corrigit hos errores Iudæorum humaniſsimè. & dixit eis: Ego ſum panis uitæ. Qui « uenit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet unq̃. Vos panẽ « uiuificum ita à me petitis, ut palàm declaretis, uos iudicare me tantũ eſſe huius panis miniſtrum. Ego uerò, quod in me eſt, non patiar uos errare. Nõ ſum, ſicut putatis, talis miniſter uiuifici panis, quales fuerũt prophetæ, qui & ipſi de cõſequẽda uera ſalute prædicauerunt: ſed ego ſum panis ipſe uiuificus, & affero ueſcenti hoc pane, nõ talia bona, qualia Iſraelitis contigerunt per manna Moſi in deſerto, ſed affero bona cœleſtia et æterna: imò ego ipſe ſum bonum illud cœleſte & æternũ, quod qui conſecutus fuerit, nihil ei fœlicitatis deeſſe poteſt. Percurre omnia alia bona, quę in his terris nominari poſſunt, nullũ tñ ex eis inuenies, q̃ ſit panis, *qui* omnẽ tollat eſuriem: & potus, qui omnem extinguat ſitim. *Liberatio* ex Ægyptiaca ſeruitute magnum fuit beneficiũ, ſed non fuit *panis ille* qui Iſraelitis famẽ expleuerit. Multa enim adhuc defuerunt eis, tã corporalia q̃ ſpiritualia. Manna quod pluit in deſerto, & aqua quæ effluxit è petra, fuerunt admirãda dona Dei, ſed non depulerunt per ſe ueram famem & ſitim Iſraelitarũ. Nam, ut nihil dicam de alijs corporalibus rebus, quibus indiguerũt, quot obſecro, ipſorum perierunt in deſerto, non ſolum externa, ſed etiã æterna morte? quot ſunt in perpetuos inferni carceres propter impietatẽ coniecti? Quid autem dicam de uulgaribus iſtis in hac terra bonis, de corporali uidelicet ſanitate, de agris, de pecunia, de ciuili honore, & magiſtratu? Dicam potius de regno ipſo et imperio huius mundi, quod cum non depellat famem et ſitim hominis, quæſo te, quid eſt, quod inter terrena bona hoc facere queat? Alexãder cognomẽto Magnus, quum audiſſet Anaxagoram philoſophum diſſerentẽ, innumerabiles eſſe mundos (hæc enim quorundam philoſophorũ impia fuit opinio) illachrymaſſe dicitur. Rogãtibus, quid ſibi hoc fletu uellet: An' non uideor, inquit, meritò flere, qui quum mũdi ſint innumerabiles, nos nondũ unius domini facti ſumus? Rem admirãdam. Imperiũ totius ferè orbis terræ, quo iam Alexander potiebatur, nõ potuit animũ eius exatiare. Et tñ, ſi dicendum eſt, quod res eſt, minimè hoc admirandũ. Neq̃ enim imperium huius terræ panis ille eſt, qui famem hominis expleat. Solus autem Ieſus Chriſtus, panis uitæ eſt, quo qui ueſcitur, nunq̃ inæternũ eſuriet. Quomodo ergo, inquis, ueſcimur hoc pane? Sequitur: Qui uenit ad me, non eſuriet. Venire ergo ad Ieſum Chriſtum, eſt hoc pane ueſci. Non eſt autem ſentiendũ, q̃ fiat nunc ſermo de eo aduentu, qui fit corporalibus pedibus. Etſi eñ eo tẽpore, quo Chriſtus prędicauit Euangelion in hac terra, etiam externis pedibus accedẽdum fuit ad Chriſtũ, ut conciones eius audirentur: tamen nunc non loquimur de corporali, ſed de ſpirituali acceſſu, qui fit per fidem. Sic enim Chriſtus ipſe exponit, cũ addit: Qui credit in me, non ſitiet unq̃. Venire ergo ad Chriſtũ, eſt credere in ipſũ, q̃ ſit factus nobis ſapiẽtia à Deo, iuſticiaq̃, & ſanctificatio, & redemptio. Nam, qui ſic uenit ad Chriſtũ, quomodo, obſecro, eſuriet? quomodo ſitiret? aut qd ei deeſſet? Si pau-

pertas grauis est, Christus diues est, qui se totum unà cum omnibus diui
tijs suis credẽti donauit. Si peccata minantur nobis iram Dei, & damna
tionem, Christus expiauit peccata, placuit Deũ, & redemit nos à dam
natione. Si mors minatur perpetuũ interitũ, Christus uicit mortem, &
parauit uenientibus ad ipsum per fidem, cœlestem ac perpetuam uitã.
Quid? nũ sanitas corporis? nũ pecunia? num magistratus? num honor
politicus? nũ regna & imperia possent nobis tãta bñficia cõferre? Quid
hęc sine Christo prosunt? Quid illa aduersa, paupertas, & mors cũ Chri
sto obsunt? Veniamus igitur ad Christum, & accedamus ad eum, per fi
dem, ut hoc pane & potu omnẽ esuriem & sitim nostrã ita expleamus,
ut inæternum uiuamus per Iesum Christum seruatorem nostrũ, qui est
unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LV.

VErsamur adhuc in explicatione eius colloquij, ac disputa
tionis, quam Iesus Christus, occasione panis, cum Iudæis
susc pit. Hæc autem disputatio, non est de asini, quod a
iunt, prospectu, sed de rebus grauissimis, & ad salutẽ no
stram cognitu necessarijs, instituta. Docet enim discrimẽ
inter Mosen & Christũ, docet longè alia esse beneficia Christi, ꝙꝫ Mo
si, docet de uero officio Christi: uidelicet ꝙ Christus in hũc usum de cœ
lo descenderit, non ut afferret caduca & mũdana, sed perpetua & cœle
stia bona. Quare hæc disputatio tanto diligẽtius obseruanda est, quan
to cœlestis salus nobis magis necessaria est. Ac antè quidẽ clarè exposuit
Christus, se esse uiuificum illum panem, quo qui uescatur (uescimur aũt
eo, si in Christũ crediderimus) nunꝙꝫ nec esuriat, nec sitiat, sed exatiatus
perpetua salute fruatur. Nunc aũt instituit querelã aduersus Iudæos, ꝙ
quanꝙꝫ nõ obscurè de sua persona & officio concionetur, & confirmet
publicè suas cõciones & magnis & inusitatis miraculis, tñ nõ adhibeant
» ipsi fidem, nec agnoscant ipsum Messiã. Sed dixi (inquit) uobis, ꝙ etiã ui
» distis me, nec creditis. Si libet sententiã huius dicti paulo altius repete
re, sic intelligendum erit: Habeo quidem, quæ de uestra impietate & in
credulitate conqueri possem, sed ea mihi nec noua est, nec mirãda. Dixi
enim, & prædicaui iamdudũ per prophetas, ꝙ etiamsi ueniã ad uos Israe
litas, & proponam me uobis uisendum, contrectandum & audiendum,
adeoꝙꝫ magna miracula edam, nõ tñ sitis me suscepturi, aut meo Euan
gelio credituri. In Psalmo dixi me lapidẽ fore, quẽ ædificãtes reprobẽt.
in Esaia uocaui me lapidẽ offensionis, & petram scandali duabus domi
bus Israel, & laqueum ac ruinam habitantibus Hierusalem. & additur:
Offendẽt ex eis plurimi, cadent, cõterenť, irretientur & capiẽiur. ac ite
rũ: Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius clau
de, ne fortè uideat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelli
gat, & conuertatur, & sanẽ eum. Hęc multis annis, priusꝙꝫ in hanc terrã
ueni, de uestra incredulitate concionatus sum. Quare etsi dolet mihi ue
stra impietas, tñ ea mihi nec est improuisa, nec inopinata. Quod si aũt li
bet hoc dictũ simpliciter intelligere, hæc erit sententia: Ego quidem fa
cio quod mei est officij, prædico Euãgelion meũ, & confirmo illud mi

raculis.

raculis. Quid autẽ uos uicissim? Dixi aliàs, ꝙ etsi opera, quę dedit mihi pater, ut perficiam ea, testificantur de me, ꝙ pater miserit me, uos tamen huic quem misit ille nõ creditis. dixi etiam, Ego ueni nomine patris mei, nec recipitis me. Idem & nũc dico, ꝙ etiamsi uideretis tot mea miracula, quibus Deus ipse de cœlo cõfirmat ueritatem doctrinæ meæ, ac patefacit meam maiestatem, nullam tñ mihi fidem habeatis. Rem non ipsi quidem Christo nouam, sed alioqui uerè admirabilem. Christus promissus est ab initio orbis terræ, & expectatus est tot millibus annorũ. Cum autem uenisset, ac prædicaret Euangelion suũ, & ederet miracula in eo ipso populo, in quot tot promissionibus adnũciatus, tot sacris adumbratus fuerat, nõ tamen crediderunt. In sua, inquit aliàs Ioãnes, uenit, & sui eũ non receperunt. Obsecro te, quæ est tantæ cæcitatis causa? Primùm, homo retinuit quidem post peccatum aliquam cognitionem diuinæ legis, nullam autẽ habet natura sua cognitionẽ Christi seruatoris, sed necesse habet Christũ cognoscere ex uerbo seu promissione Dei, per spiritum sanctum. Deinde, etsi Iudæi habuerunt uerbum & promissiones Dei de Christo, tamen non rectè intelligebant regnum eius, sed somniabant Christum dominaturum in terra regio more, & pollicebantur sibi in regno eius terrenam fœlicitatem. Quare, cum uiderent Iesum nõ respondere carnali suæ expectationi, ita contempserunt ipsum, ut tandem eum in crucẽ sustulerint. dices igitur, Cur ergo Iesus non coegit eos Euãgelio suo credere? Si est diuina potẽtia præditus, cur non attraxit eos etiã uiolenter ad fidem, ut necesse habuissent ipsum recipere? De hac re concionatur Christus, cũ addit: Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet, & eũ q uenerit ad me, nõ eiicio foras. Quia descendi de cœlo, nõ ut faciam uoluntatẽ meam, sed uoluntatẽ eius qui misit me. Hæc est autem uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdã ex omnibus quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Hæc est autẽ uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eum, habeat uitam æternã, & ego suscitabo eũ in nouissime die. Hæc est memorabilis concio, & habet hanc sententiam: Possem quidem omnes Iudęos, imò omnes homines cogere, ut sese mihi adiungerent, ac me reciperent (sum enim uerus Dei filius, æqualis natura, maiestate & potẽtia patri meo) non ueni autẽ in hunc mundũ, non assumpsi hominem, ut in hoc primo meo aduentu ostentẽ & exerceam publicè hanc meam diuinam maiestatem, nisi quatenus edenda sunt miracula ad testificandam ueritatem doctrinæ meæ: sed ueni ut assumpta serui ac legati forma, obediã uolũtati domini mei, qui me in hanc terram misit. Serui officium est, non ut faciat, quod ipsi, sed quod domino suo libet. Legati munus est, nõ ut faciat quod potest, sed quod licet, & ab eo qui misit ipsum, mandatum est. Quare, cum ego assumpserim formam serui & legati, nullum hominem cogo, ut me recipiat, sed pẽdeo ex uoluntate Dei patris mei, qui me ut seruum & legatũ suum in hanc terrã misit, & expecto quos ipse mihi adducat. Nam quoscunq; ille mihi dederit, hos omnes, sicut ad me ueniunt, & me agnoscũt, ita etiam ego agnosco & recipio. Et ut nullũ ego uiolenter cogo, ita nullum eorum quos pater ad me adducit, abiicio. Omnes illos recipio, siue

Ioan. 5.

Incredulitatis causa quæ sit.

Serui formam sumpsit Christus.

sint Iudęi siue gẽtes, siue illustres siue obscuri, siue honesti siue peccatores. Recipio autẽ eos, non ut faciã ex ipsis reges huius terræ, sed ut tuear eos, ne pereant. Recipio eos, nõ ut nihil afflictionis in hoc mundo patiantur, aut ut morte non obruantur: sed ut etiãsi affligantur, & mori uideantur, nõ tamen pereãt, sed conseruentur æterna uita. Ego enim suscitabo eos in nouissimo die, ut mecum in cœlesti regno inæternum fœlices uiuant. Habes sententiam concionis Christi. Nunc perstringemus partes eius. Ac primùm docet Christus, ꝙ non uenerit in hunc mundũ, ut accipiat & propaget regnum suum externa, corporali & uiolẽta potentia. Iudæi enim expectauerunt talem Messiam seu Christum, qui adiuncto sibi exercitu Iudæorũ, circumferat arma per omnes regiones, & peragret regio apparatu uniuersum orbẽ terræ, ut subĳciat sibi omnes gentes, quãuis repugnantes, qualis aut Cyrus, aut Alexander Magnus, aut alius quispiam monarcha fuit. Mirantur & imperiti homines, qui fiat, quòd cũ Christus sit diuina maiestate prędituś, non efficiat omnipotentia sua, ut aut omnes aduersarĳ & blasphemi in nomen eius fulmine pereant, aut admirabiliter trahantur ad credendũ & obediendum Christo. Sed Christus refutat hoc loco uanissimam Iudæorum expectationem, & exponit rationem, cur neminem uiolenter cogat, ut sese ipsi subiciat. Omne, inquiens, quod dat mihi pater, ad me ueniet: & eum qui uenerit ad me, nõ eĳciam foras. hoc est, Non ueni in hunc mundũ, ut subĳciam mihi homines uiolẽta potestate, sed respicio in manum Dei patris mei, & pendeo ex illius uoluntate. Quẽcunqꝫ ille mihi dederit, & quem excitarit spiritu suo per Euãgelion meum, ut me agnoscat, is me recipit, & ego uicissim eũ recipio, & tuear. Quid autem causæ est, ꝙ non cogas homines regia potestate, ut te agnoscant, et se tibi subĳciãt? Quia descẽdi, inquit, non ut faciã meam uoluntatem, sed uoluntatẽ eius qui me misit. Descendi è cœlo, nõ ut dominus, sed ut seruus. Serui autem officium est, nõ ad suum ipsius, sed ad domini sui arbitriũ & nutum sese accõmodare. Descendi è cœlo, nõ ut ἀυτοκράτωρ seu imperator, sed ut legatus. Legati autem officiũ est, non suas opiniones, sed mandata eius qui misit ipsum, sectari, atqꝫ perficere. Quare nõ licet mihi in hac mea legatione aliquid præter uoluntatẽ patris mei, cuius legatus sum, agere. Amabimus ergo te, dic nobis, quæ est uoluntas patris tui? Hæc, inquit, est uoluntas eius qui misit me patris, ne quid perdã ex omnibus quę dedit mihi, sed resuscitem illa in nouissimo die. Voluntas Dei nõ est, ut suscipiã regiam dominationem in orbe terrarũ, & subĳciam mihi homines uiolenta manu, sed ut seruẽ eos quos ipse mihi spiritu suo adduxerit, & defendam eos, ne pereant: sed etiamsi uideantur mori, resuscitentur tamẽ, & uitam perpetuò fœlicem agant. Huc pertinet, quod & aliàs Christus de suo officio dicit: Filius hominis non uenit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utqꝫ daret anima suam redemptionem pro multis. hoc est, Christus non uenit, ut equites & milites pugnarẽt pro ipso, ac parent ipsi uita & sanguine suo uictoriã, quo ipse regio more in terra dominaretur, quemadmodũ exercitus Imperatoris suum effundit sanguinẽ, ut Imperator defendatur, & reportet incolumis uictoriã ab hostib.

Christus non est terrenus monarcha.

sed

ſed uenit,ut ipſe ſuam animã,ſuam uitam det,ac ſuum ſanguinem effundat,quo ĩ qui ipſum agnoſcunt, ab hoſtibus redimãtur & ſeruentur. Et in alio loco, cum diſcipuli hortarẽtur Chriſtum ad uindicandos contẽptores,igni de cœlo,reſpondit: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non uenit ad perdendum animas hominum, ſed ad ſeruandũ. Quare obedientia diuinæ uocationis eſt, ꝙ non ſubĩciat ſibi homines regia & uiolẽta poteſtate. Sed enim, inquies, Chriſtus aſcendit nunc in cœlũ, & depoſuit ſeruilẽ formã, ac ſedet in gloria Dei patris ſui, cur ergo hoc tempore fert blaſphemos? cur nunc tanta maieſtate præditus, nõ cogit uiolenter aut omnipotenter inobedientes ad Euãgelĩ ſui obediẽtiam? de hac re Petrus ita concionatur: Oportet Ieſum Chriſtum cœlum accipere, uſq; in tempora reſtitutionis omnium, quæ locutus eſt Deus per os omnium ſanctorum à ſeculo prophetarum. Etſi enim Chriſtus ſedet ad dextram Dei, & habet omnipotentem maieſtatem, tamẽ non uult eam *maieſtatem* publicè coram mundo, ante nouiſsimum diẽ, oſtentare: *ſed uult* Eccleſiam ſuam ex uniuerſo mundo per Euãgelion ſuum colligere, donec aduenerit nouiſsimus dies, quo manifeſtus ueniet, & inimicos quidẽ ſuos ita ſibi ſubĩciet, ut in perpetuos carceres, nunc̃q; emitten di contrudantur: amicos autem, & credentes in ipſum, ad perpetuã regnum & gaudium exaltet. Oportet, inquit Paulus, eum regnare, donec poſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos. Tunc autem ponentur omnes ſub pedes eius, cũ mors, quæ eſt nouiſsimus hoſtis, abolebitur. Quare, dum hoc ſeculum ſteterit, & Chriſtus non apparuerit manifeſtus (apparebit autẽ in extremo die) non cogit homines ad obedientiam fidei, mũdana potẽtia, ſed uocat eos per prędicationẽ Euangelĩ ſui, ut quotquot ſpiritu ſancto excitati, recipiũt ipſum, ſeruẽtur. Quid ergo dicemus de magiſtratu, & patribus familiâs? An quia Chriſtus nõ ſubĩcit ſibi homines uiolenta manu, nõ eſt etiam pĩ magiſtratus, ut cogat ſubditos ſuos honeſtam uitã agere, & audire Euangelion Chriſti? non eſt & boni patris familiâs, pueros ſuos nolẽtes et repugnãtes in Catechiſmo Chriſtianæ doctrinæ, minis ac uirgis erudire? Abſit. Alia. n. eſt, quantum quidẽ ad hoc inſtitutũ attinet, uocatio Chriſti, alia magiſtratus & patris familiâs. Chriſtus. n. non uenit in hunc mũdum, ut fungeretur externo magiſtratu: ſic nec miſit Apoſtolos ſuos in mundũ, ut ſuſciperẽt externã dominationem. Quare nõ fuit officĩ eorũ, ut cogerẽt homines uiolẽta manu ad obediendũ Euangelio. Magiſtratus autem, & paterfamiliâs primùm quidem debent cognoſcere ueritatem Euangelĩ Chriſti, ut & ipſi per fidem in Chriſtũ conſequantur iuſticiam & ſalutem: deinde hic debet familiam ſuam ad diſcendam uerã Chriſtianiſmi doctrinã inſtituere, ac nolentes etiam, pro ſuæ uocationis ratione, ad ſectãdam pietatem cogere: ille uerò pro uirili ſua curare debet, ut in Eccleſĩs ſuæ regionis, recta & ſana doctrina Chriſti tradatur, ut blaſphemi puniant̃, & tã doctores ꝙ auditores piæ doctrinæ ab incurſu ſeditioſorum & latronum defendantur. Manifeſtum quidẽ eſt, fidem in Chriſtum nõ poſſe humana uiolẽtia humano cordi infigi: nec hoc agitur, ut homines cogãtur ad ſuſcipiendã fidẽ Euangelĩ Chriſti poteſtate magiſtratus, ſed externa &

Magiſtratus et patris familiâs officium.

mani-

manifesta idololatria abrogari ut potest, ita & p magistratũ debet. Potest etiã & debet institui pia doctrina publicè prædicãda: potest quoq; & debet cõseruari publica trãquillitas: potest itẽ & debet manifesta blasphemia puniri, ne imbecilles offendãtur, né ue Deus propter inultã & notam blasphemiam ad iracũdiã excitetur, & totam gentẽ deleat. Dixit enim Esaias, Reges fore nutricios, et reginas nutrices Ecclesiæ. Iussit Psalmus reges intelligere, erudiri eos qui iudicant terram: & osculari filium Dei, ne quando irascatur, & pereãt de uia iusta. Iussit item principes terræ attollere portas urbiũ suarum, ut ingrediatur rex gloriæ. Quare etsi nemo potest humana potẽtia cogi, ut uerè credat in Christũ, magistratus tamẽ & patresfamiliâs suũ officiũ facere debẽt, ut abrogata manifesta idololatria, Euãgelion Christi locum habeat, & aduersarij sanæ doctrinæ, ac blasphemi coerceãtur & reprimãtur. Deinde, docet Christus in hac cõciuncula, se indiscriminatim omnes, quotquot dantur ipsi à patre, agnoscere, ac recipere. Iudæi existimãt Messiã solos Iudæos pro populo suo agnoscere, & si quis ex gentibus uelit beneficijs Messiæ frui, eum necesse habere circuncisionem suscipere, & fieri Iudæum. Hypocritæ putant Messiam eos tm̃ homines recipere, q̃ sacris multũ dediti sint: ac multas faciant cerimonias. Alij homines sentiunt, eos tm̃ Messiæ gratos esse, qui in hoc seculo sunt diuites, nobiles, ac potẽtes. solent enim dicere, Qui in hoc seculo mendicat, is necesse habet in altero seculo panẽ ostiatim colligere: hoc est, Qui in hoc mundo est infœlix, is etiam erit in futuro infœlix. Sed has uanissimas opiniones refutat Christus, cum ait, Omne quod dat mihi pater, uenit ad me: & eum qui uenerit ad me, non ejjciã foras. Omne, inquit. Nullũ hic discrimẽ facio, siue quid ex Iudæis, siue ex gentib. siue ex honestis, siue ex peccatoribus, ad me uenerit, agnoscam illud, & recipiam. ac mox: Ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi. & iterum: Vt OMNIS, OMNIS inquam, qui uidet filium, & credit in eũ, habeat uitam æternã. Huc pertinet etiam, quod Paulus ad Romanos scribens: Euangelion, inquiẽs, est potẽtia Dei ad salutem. Quid? num uni tantum hominum generi? Nequaq̃, sed OMNI credenti, Iudæo primùm, simul & Græco. & postea: Omnis qui fidit illi, nõ pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi uel Græci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. ac rursus: Concluſit Deus omnes sub incredulitatẽ, ut omnium misereatur. Quorum? num Iudæorum tantũ, aut honestorũ hominum? Minimè. Sed omnium, siue Iudæorum, siue Gentium, siue honestorum, siue inhonestorum, siue potẽtum, siue afflictorum, si modò dati fuerint Christo à Deo patre, & uenerint ad Christũ. Quæso igitur te, quos dat pater filio suo Christo, et qui sunt, qui ueniunt ad Christum? Non opus est ut magna sollicitudine circunspiciamus, quid respondẽdum sit. Christus ipse in hac conciuncula satis perspicuè hoc explicat. Cũ enim dixisset, Hæc est uoluũtas eius qui misit me patris, ne quid perdam ex omnibus, quę dedit mihi: mox addit, ut exponat, qui sint illi quos dat ipsi pater, & qui ueniãt ad ipsum. Hæc, inquiens, est uoluntas eius qui misit me, ut omnis qui uidet filiũ, & credit in eum, habeat uitam æternam. Quare pater hos dat filio, & hi ueniunt

Messias quos homines agnoscat.

ad

ad filiũ, qui audiunt Euãgelion filij, & cognoscunt eum per Euãgelion, atq; credunt in ipsum, q̃ sit uerus seruator. Nã in hac carnis nostræ imbecillitate non licet nobis accedere thronũ diuinę maiestatis, ac perscrutari imperuestigabilia eius iudicia, quippe q̃ inhabitet lucẽ inacessam: sed accedendum nobis est ad præsepe illud, de quo angelus pastoribus concionatur: Inuenietis infantem fascijs inuolutum, positum in præsepi. Accedẽdum nobis est ad Iesum Christum, qui se assumptione humanæ carnis, prædicatione Euãgelij sui, & miraculis manifestauit, quiq; se adhuc Ecclesiæ suæ proponit quasi sensibilem, Baptismo, Euãgelio, & cœna Dominica. Hæc sunt facies Christi, qua Deus ipse uidet, & uoluntas eius manifestè cognoscitur. Deũ, inquit, nemo uidit unq̃. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. & iterum: Philippe, qui uidet me, uidet & patrem meum. Quare hoc unum nobis agendum est, ut audiamus Euãgelion Christi, & accipiamus Christum per fidem. Nam si *inuenerinus* nos per fidẽ in Christo, nihil iã certius, nihil uerius erit, q̃ q̃ *pater* nos dederit filio, & uenerimus ad filium. Itaq; dubitari non debet, quin filius curet ne pereamus. Hęc em̃, inquit, est uoluntas eius qui *misit* me patris, ne quid perdam ex omnibus quæ dedit mihi. Postremò docet etiã Christus, se non conferre mundana & caduca, sed cœlestia & ęterna beneficia. Iudæi expectauerũt, & adhuc expectant in suo Messia bona corporalia, & dominationẽ in hoc seculo. Carnales homines, qui uidentur Christum agnoscere, sentiunt se perire, si Christus conniueat, ut paupertate premantur, & morte obruantur. Ac tum demũ Christus gratus ipsis esset, si daret eis terrenas diuitias, & diuturnã in hoc mundo uitam. Christus autem manifestè docet, se cœlestia & perpetua bona dare: Non perdam, inquit. &: Habet uitam æternam. &: Ego suscitabo eũ in nouissimo die. Etsi. n. cõniuet, ut credẽtes in ipsum opprimãtur paupertate, morbis & morte, tamẽ non sinit ut pereant, sed efficit ut habeãt æternam uitã: ac resuscitat eos in nouissimo die, ut cũ ipso perpetua fœlicitate regnẽt. Magna hæc est consolatio, magna salus omnium eorum qui credunt in Christum. Quid enim est quod iã metuant? Affliguntur rerum inopia, sed habẽt Christum obediẽtem patri suo: cuius uoluntas est, ne quid perdat ex omnibus quæ dedit ei. Tenẽtur graui morbo, sed Christus curat ne in morbo pereãt. Dãnantur peccati, sed Christus expiauit peccatum. Moriuntur, & in puluerem reuertuntur, sed Christus conseruat ad uitã æternam, & resuscitabit eos in nouissimo die. Quare, etsi omnia huius seculi mala in nos incurrunt atq; incidunt, bene tamen confidendum, & cognoscendum est, q̃ ea nobis adiumẽto sint in bonũ, per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Deus qua facie uideatur. fo: 1.

HOMILIA LVI.

DE murmure Iudæorum aduersus doctrinam Christi nũc disseremus. Etsi enim Iudæi, qui hoc murmure ruditatem, ignorantiam, atq; etiam impietatem suam prodiderunt, indigni sunt ut de uanis ipsorum uerbis aliquam curam suscipiamus: tamen, quia hac occasione Christus

exci-

excitatur, ut Euangelion suum clarius exponat, nõ est quicquid id fuerit, oscitanter prætereundũ. Audiamus igitur, quid Euãgelista scribat:

» Murmurabãt, inquit, Iudæi de illo, ꝙ dixisset, Ego sum panis ille qui de
» cœlo descendi. & dicebant: Non'ne hic est Iesus, filius Ioseph, cuius nos
» nouimus patrem & matrẽ? Quomodo ergo dicit hic, De cœlo descẽdi?

Nõ dubito, quin si Christus concionatus esset uel de furto, uel de homicidio, uel de adulterio, aut de alia quadam id genus parte legis, non solũ intellexissent concionem eius, uerumetiã si qui fuissent inter ipsos amantes honestatis, laudassent eũ. Humana enim ratio, etsi uitiata & corrupta est peccato originis, tñ retinuit aliquã naturalis legis intelligentiam. Nunc autẽ, quia Christus docet ueram religionem de Messia, & de æternis eius beneficijs, non solũ non intelligunt ea, sed etiam murmurãt & cõtradicunt. Quanꝯ eñ Iudęi multa audiuerant ex cõcionibus prophetarũ de Messia, tñ quia non erant illustrati luce spiritus sancti, non intelligunt uerã Messiæ & regni eius rationem. Animalis homo, inquit Paulus, nõ percipit ea quę sunt spiritus Dei. Stultitia siquidem illi sunt, nec potest cognoscere. Spiritualiter enim dijudicantur. Præterea Iudęi somniabant, regnum Messiæ fore imperium mundanũ. Qua opinione imbuti, nõ potuerunt intelligere, quæ de spiritualibus beneficijs regni Messię dicebãtur. Huc accedit, ꝙ uulgus Iudęorũ existimauerit Messiam suum, fore quidem magnũ heroa, & de familia Dauidis nasciturum: hominẽ aũt, non item uerũ ac naturalẽ filium Dei, quemadmodũ apud Matthæum interrogati, cuius'nã filius sit Christus: respondẽt, Dauidis, hoc est, hominẽ tãtum ex homine. Quare cũ Iesus multo alia de Messia doceret, sic offendũtur, ut sentiãt doctrinam eius esse uanissimã. Quid, inquiunt, etiamsi hic Messias esset, de quo intelligimus eũ gloriari, tamẽ nõ satis mirari possumus, quid sibi uelit, quod affirmet se descendisse de cœlo. Num arrogat sibi diuinitatẽ? Messias certè homo erit. Nouimus & huius Iesu familiam. Nouimus parẽtes eius, homines tenues & abiectos. Qua fronte igitur audet se Deum profiteri? Duplex error: alter, ꝙ de Messia per prophetas promisso, nihil altius sentiãt, cõꝯ de homine prę stantissimo quidem, solum autem homine, cum tamen Deus apertè uocet eum singulari quodam modo, filium suũ: Tu es, inquiẽs, filius meus, ego hodie genui te. Et Dauid agnoscat eum afflatu spiritus sancti, Dominum suũ, & collocet eum ad dextram Dei patris. Alter, ꝙ de Iesu iudicent secundum externam speciem familiæ eius, quasi uerò non & Dauid, tantus hæros, fateatur familiæ suæ ignobilitatẽ, & de Messia è Dauidis semine nascituro scriptũ sit: ꝙ ascendat sicut uirgultum, & sicut radix de terra arida: nec sit ei forma ac decor, sed sit despectus & nouissimus uirorũ. Cõsideremus igitur, quam causam Iudaici erroris Christus

Messias uerus filius Dei.

» cõmemoret. Respondit Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare inter uos.
» Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eũ, & ego su-
» scitabo eum in nouissimo die. est scriptum in Prophetis: Et erũt omnes
» docti à Deo. Omnis ergo, qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me: nõ
» ꝙ patrẽ uiderit quisquam, nisi is qui est à Deo, hic uidit patrem. Memo-

rabilis cõcio, quæ etsi dura uidetur, tamen cognitu necessaria est, & si re-

cte eam intelligas, utiliſsima. Non eſt, inquit, quod quiſquam mihi refe rat ſententiã murmuris ueſtri. Scio, & cp murmuretis, & quid murmu retis. Hoc offendit uos, quòd dixi me de cœlo deſcendiſſe. Non eſt aũt nec nouum, nec mirum, cp me, hoc eſt, uerum Meſsiam non agnoſcatis. Nemo enim poteſt uenire ad me, nemo poteſt uerũ Meſsiam agnoſce re, & beneficia eius participare, niſi cœleſtis pater traxerit eũ. Cognitio Meſsiæ, non eſt humanæ prudentiæ, nõ eſt carnalis rationis, nec huma norum meritorũ, ſed eſt diuinæ clementiæ, & opus ſpiritus ſancti. Vos autem Iudæi caretis ſpiritu ſancto, nec trahit uos pater cœleſtis. Quare non eſt mirum, cp me, hoc eſt, uerum Meſsiam non agnoſcatis. Sed quo modo probaẽ hoc, quod Chriſtus ait: Nemo poteſt uenire ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum? Etſi Chriſtus tanta autoritate prędituſ eſt, ut omnia dicta eius, etiamſi nõ habeant adiunctam probationẽ, pro cœleſtibus oraculis ſuſcipienda & conſeruãda ſint, tamẽ adducit hoc lo co in teſtimonium dicta Prophetarum. In Prophetis, inquiens, ſcriptũ eſt: Erũt omnes docti a Deo. Omnis ergo qui audiuit a patre, & didicit, uenit ad me. Quæramus nunc in quibus Prophetis hoc ſit ſcriptum. Ac manifeſtum quidem eſt, cp hoc dictum contineatur in Eſaia capite quin quageſimoquarto. Cum enim is Propheta deſcriberet regnũ Meſsiæ, ac enumeraret beneficia, quę conferuntur in ſubditos huius regni, inter reliqua etiam hoc recenſet, cp omnes, qui ad hoc regnum pertinent, do ceantur diuinitus, & illuſtrẽtur ſpiritu ſancto. Ponam, inquit, omnes fi lios tuos, diſcipulos Domini. Deus enim ipſe erit pręceptor eorum, & ſpiritus ſanctus docebit eos, ut & uerum Meſsiam cognoſcant, & uera Meſsiæ beneficia conſequantur. Cum hoc dicto cõſentit & illud, quod idem Propheta aliâs ſcribit: Fluent, inquiens, ad montẽ Domini (reue lato uidelicet regno Chriſti) oẽs gẽtes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob, & doce bit nos uias ſuas. Docebit (inquit) nos Dominus ipſe uias ſuas, ut oẽs fiant a Domino docti. Huc accedit etiam Hieremias cap. 31 Poſt dies il los, dicit Dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorũ, & in corde il lorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populũ. Et non docebit ultra uir proximum ſuum, & uir fratrem ſuum dicens, Co gnoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſq; ad maximum. Hoc certe illud eſt, quod & Eſaias antè dixerat: Erunt om nes à Deo docti. Extant etiam in ſcriptis Euangeliſtarum, & Apoſtolo rum, quæ cũ his propheticis dictis conueniunt, & quibus perſpicuè in dicatur, quòd ut omnes ad regnũ Meſsiæ pertinentes doceantur diuini tus, ita nemo poſsit Meſsiã agnoſcere, niſi cœleſti doctrina illuſtretur. Apud Matthæum ait Chriſtus: Nemo nouit filium, niſi pater, neq; pa trem quiſquam nouit, niſi filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Ac paulo poſt, cum Petrus cõfiteretur & ſuo & reliquorũ Apoſtolorũ no mine de Ieſu: Tu es, inquiens, Chriſtus ille filius Dei uiuentis, reſpon dit ei Ieſus: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Hic apertè dicitur, quòd cognitio Meſsiæ, quæ eſt uera noſtra ſa lus, & ut Chriſtus ipſe ait, æterna uita, non pendeat ex humana ratione

Cognitio Meſsiæ opus eſt ſpiritus ſancti.

Ἐνθύμημα.

Meſsiam nemo cognoſcit niſi diuinitus edoctus.

aut industria, nec ex humanis meritis, sed tantum ex cœlesti doctrina, & gratuita clementia Dei. Nõ est, inquit Paulus, uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei. Et ad Mosen dicitur: Miserebor cuiuscunq; misereor, & præstabo misericordiam, cui uoluero. Sunt & alia id genus multa dicta scripturæ, quæ testantur, homines posse cognitionẽ Messiæ, & salutem suam consequi tantũ ex gratuita misericordia Dei, qui trahat spiritu sancto suo, quemcunq; uoluerit ipse, & libeat. Hîc nunc quæstionũ mare exoritur, & habent tam imperiti, q̃q; periti, tam impĩi, q̃q; pĩi, quæ in hoc argumẽto disputent. Alĩ enim dicunt: Si necesse habent omnes diuinitus doceri, quid opus est audire conciones ab hominibus? ad quid prodest externa Euangelĩ prædicatio? Non audiam ergo amplius, quę mihi homo quispiam dicat, sed expectabo reuelationẽ cœlestem, ut illustrer spiritu sancto. Alĩ obĩciunt: Si nemo potest uenire ad Christum, nisi trahatur diuinitus à patre, culpa incredulitatis non erit in hoie, qui si traheretur, necesse haberet trahenti Deo, hoc est, omnipotenti uirtuti obedire. Cur enim Deus nõ trahit omnes homines, cũ id facere posset? Cur traxit Iacob, & non Esau? Cur traxit Paulum, et nõ Caiapham? Alĩ cogitant: Si salus hominum pendet è sola & gratuita misericordia Dei, qui eligit, quos uult, quid si tu nõ esses in numero eorum, qui diuinitus sunt electi? quid si Deus abiecisset te, cum initio selegit suos, anteq̃ iacerentur fundamenta mundi? Hæc & multa alia solent disputari ab hominibus, cum audiunt, neminẽ uenire ad Christum, & consequi salutẽ, nisi sit à Deo electus, & trahatur ac doceatur diuinitus. Principio igitur, pro indubitato tenendũ est, q̃ tota sacra scriptura, in qua & illud, de diuina prædestinatione, continetur, ad hunc præcipuè usum diuinitus inspirata sit, & literis mandata, ut reuelet Christum, doceat Christum, illustret Christum, & suscitet, accendat, confirmet ac cõseruet fidem, quę est in Christum. Non est obscurum, quod Moses, qui est primus sacræ scripturę minister, amandet à se populum suum ad Christum: Prophetam, inquiens, de gente tua et de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus Deus tuus, IPSVM AVDIES. Et Petrus: Omnes, inquit, Prophetæ à Samuele, & deinceps quotquot locuti sunt, etiam adnunciauerunt dies istos. Nõ .n. aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Quare quicunq; scripturæ locus uidetur nobis aut tollere Christum, aut infirmare & frangere fidem in Christum, sentiendũ est, cum uel non recte à nobis intelligi, uel tentationẽ esse spiritus Satanæ. Fieri .n. non potest, ut is sit sanctus spiritus, qui homines à Christo, & fide, q̃ est in ipsum, abducit. Deinde, quòd Christus ait, Neminẽ uenire ad se, nisi tractum à Deo patre: Et Esaias, Oẽs à Deo doceri, nõ abolet externũ ministeriũ prędicandi Euangelĩ, sed cõfirmat potius. Nam quos trahit pater, eos per prędicationẽ Euangelĩ trahit. Et quos docet Deus, eos per externum, seu, ut dici solet, uocale uerbũ docet. Ite, inquit Christus, in uniuersum mundum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Cur Christus tãta grauitate, & tanto etiã Apostolorũ suorũ periculo instituceret in toto orbe terrarũ, publicam Euangelĩ sui prædicationẽ, si ea ad discendam ueram pietatem, & consequendã cœlestem fœlicitatẽ nullius

Scripturæ finis.

Euãgelĩ ministerium necessarium.

lius esset usus? Maiestas quidem et autoritas docendi ac reuelandi Christi, hoc est, tribuēdę ueræ salutis per Christum, est penes solum Deū patrem, ac spiritum eius sanctum. Ministerium autem & organon, quo spiritus docet ac reuelat Christū, est externa & uocalis prędicatio Euangelij. Deum. n. hoc uti organo, & per hoc esse in hominibus efficacem, res ipsa cōuincit, & testātur multa loca scripturæ. Cōstitui uos, inquit Christus ad Apostolos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus uester maneat. Manifestum aūt est, ꝙ Christus miserit Apostolos suos ad prędicandū Euangelion suum. De hoc ergo ministerio dicit, ꝙ afferat fructū, qui & maneat. Ac Paulus: Euangelion, inquit, est potentia Dei ad salutē omni credenti. Et rursus: Fides ex auditu est, auditus aūt per uerbū Dei. Et iterū: Agimus gratias Deo indesinēter, ꝙ cum acciperetis sermonē à nobis, quo discebatis Deum, accepistis nō sermonē hominū, sed sicut erat uerè, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Duo dicit Paulus de prędicatione Euangelij, Alterum, ꝙ non sit sermo hominum, sed sermo *Dei*. Alterū, ꝙ sit in ijs, qui fide accipiūt, efficax. Quid posset de hoc *ministerio* excellentius dici? Audiamus & Petrū: Renati, inquit ille, nō ex semine mortali, sed ex immortali per sermonē uiuentis Dei, & manētis in æternum. Et addit: Hic aūt est sermo, qui ad uos per Euāgelion delatus est. Vides Petrum tribuere organo externę prędicationis Euangelij, renascentiam, sine qua nullus hominum salutem cōsequitur. Nō omnes quidē renascuntur, qui audiunt Euangelion: & infantes, qui nondū per ætatē possunt Euangelion audire, renascuntur clemētia Dei per baptismū. Hi em̄, etsi nondū sunt capaces externi uerbi, sunt tn̄ capaces spiritus sancti, id quod probat exemplum Ioannis Baptistę. Nos aūt nunc loquimur de ordinario accipiēdæ salutis organo. Nā ꝙ alij, etiamsi audiant Euangelion, nō renascantur: alij, etiamsi externam Euangelij uocē nō audiant, singulari Dei potentia renascātur, nihil de dignitate & utilitate eius ministerij, quod magna autoritate à Christo institutū & commendatum est, detrahit. Multi faciunt sementem, quæ nullum affert fructum, & tn̄ sementis bona est, bonum est et semen. Ego, inqt Paulus, plātaui, Apollo rigauit, sed Deus dedit incrementum. Et quanꝯ sequitur: Neꝯ qui plantat est aliquid, neque qui rigat, tn̄ & mox additur: Dei sumus cooperarij, uidelicet, plantator aut rigator nihil quidē est, si autoritatem incrementi respicias, multū autem est, si organon, si ministerium, si plantationem & rigationem, per quam Deus solet incremētum dare, consideraueris. Ex altera uero parte, uirga Aheronis floruit sine plantatione & rigatione. Quid ergo dicemus? Tollemus ne idcirco omnē plātationē & rigationē, ꝙ Deus sine his aliquoties efficax sit? Minime omnium. Quin potius adoranda est potentia Dei in miraculis suis: utendū autē est propositis organis, ut nos nostræ uocationi seruiamus, & Deo patri ac spiritui sancto eius per Christū nos formādos exhibeamus. Ac de usu quidē externæ prędicationis Euangelij hactenus. Inquiramus autem nunc, cui imputanda sit culpa ignorantię & incredulitatis. Si enim, inquiūt, nemo uenit ad Christum, nisi pater traxerit eum, quis alius autor erit incredulitatis, q̄ Deus ipse, ꝙ non trahat omnes homines, cū id

Infantium salua.

Trahit Deus quomodo?

facere posset? Immane, quãta hęc est blasphemia? Deus.n.non est autor impietatis, sed pietatis, non uitiorũ, sed uirtutũ. Nam, quod ad Deum attinet, trahit quidẽ ipse, & docet omnes homines, sed maxima hoim pars sese retrahit, ac doctrinę Dei obsistit. Quoties, inquit, uolui congregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennas, & noluistis? Et Stephanus: Duri ceruice, & incircũcisi corde & auribus, uos semper spiritui sancto restitistis, sicut et patres uestri, ita et uos. Quid ergo est, inquis, cp Deus non mutet uoluntatem eorũ, & faciat ex nolentibus, uolentes, ẽ duris ceruice, flexibiles? Quis.n. oipotentiæ eius obsistere posset? Hoc uero est uelle Deũ in ordinẽ redigere, & humanæ prudentiæ subiicere. Non est dubium, quin Deus tam potuisset mutare uoluntatẽ Caiaphæ, q̃ mutauit uoluntatẽ Pauli, sed hęc arcana Dei cõsilia tum patefiẽt, cùm uidebimus eum in futuro seculo, sicut est, & cùm cognoscemus eũ, quemadmodum ipse nos cognouit. Nunc aũt, quod ad hęc mysteria attinet, exclamandũ est cum Paulo: O profunditatem diuitiarũ & sapiẽtię & cognitionis Dei, q̃ inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Manifestum.n.est. cp per unius delictũ, ut Paulus ait, malũ propagatũ sit in omnes homines ad condemnationẽ. Quare Deus nullo iure posset reprehẽdi, ac iniusticiæ accusari, etiãsi nullius hominis uoluntatem mutaret, sed omnes in perpetua cõdemnatione, quã suo malo meriti sunt, derelinqueret. Quòd aũt nonnullos liberat, ac seruat, gratia est, clemẽtia est, misericordia est, quã agnoscere & laudare, nõ abnẽre, nec uitio dare debemus. Tanta.n.est beneuolẽtia Dei erga homines, ut etiamsi nihil debeat ipsis, exponat tñ ueram & cœlestem salutem oĩbus hominibus accipiendam, et uelit, quantum per spiritum sanctum nobis in scriptura reuelauit, omnes homines saluos facere. An nõ ab initio orbis terræ, postq̃ homo peccasset, & meritus esset perpetuam internecionem, proposuit Christum filium suum, fide accipiendũ, ut homines per eum salutem, quam amiserant, recuperarẽt? Quæ cõcio de Christo, uulgata est primum inter Patriarchas, qui nõ fuerunt tantum Patres Iudęorum, sed etiam gentium. Sunt & postea Iudęi, apud quos depositę erant promissiones de Christo, uarĩs occasionibus dispersi inter gentes, ut et ab his gẽtes cognoscere possent, quid de Christo diuinitus promissum esset. Ac postremo, cũ Christus aduenisset, & cursum suum in his terris consummasset, exiuit in omnẽ terrã sonus Apostolorũ, & in fines orbis terræ uerba eorum. Quare quod ad Dñm Deum nostrum attinet, nihil unq̃ defuit homini ad cognoscendũ Christum, & ad consequendã in eo salutem. Quòd aũt nõ omnes homines uel assecuti sint, uel assequantur cognitionem Christi, & salutem, nõ Dei, sed hominum culpa est. Hi eñ propositum Christum, & oblatam salutem, ut non accipiunt, ita nec uolunt accipere, imo nec cupiunt quidem uelle. Quid igitur faceret Deus? num obtruderet sua beneficia nolẽtibus, inuitis, ac quanta possunt contentione obsistentibus? Caiaphas audiuit Euangelion de Christo, uidit ipse & coram collocutus est cũ Christo. Nõ dubito, quin & Nero Pauli interfector, audiuerit dici de Christo. Sed quid factũ est? Hi nõ solũ nõ uoluerunt ueritatẽ de Christo cognoscere, sed tanta fuerunt impietate,

Christus uulgatus inter homines, ab initio orbis.

ut etiã nec desiderauerint uelle, ac si quis recepisset se precaturæ ipsis meliorem uoluntatẽ, etiã hoc abominati fuissent. Quare culpa internecionis impiorũ nõ est adscribẽda diuinæ maiestati, sed illorũ impietati, qui cum trahuntur & docentur à Deo, repellunt à se non manibus tm̃ ac pedibus, sed etiam toto pectore, salutẽ. Iam uero quid de his dicendũ, qui cũ sint imbecilles fide, reddunt se cõsideratione huius negocij imbecilliores? Cogitant.n. secũ: Si nemo uenit ad Christũ, nisi quẽ pater traxerit, qd si & tu nõ esses ex eorũ catalogo, quos pater trahere solet? Pater.n. trahit quos uult, & quos pro sua misericordia eligit. Quid ergo, si tu nõ esses electus? Sic em̃, etiamsi uidereris tibi credere in Christũ, tm̃ uel tandẽ deficies à Christo. Præterea conferunt se cũ tot potentibus, sapiẽtibus, doctis & honestis in hoc seculo, & cogitant: Quid? tu ne solus, cum paucis, ijsq; alioqui cõtemptissimis & abiectissimis hominibus, esses Ecclesia Dei electa, & tot illi potentissimi Monarchæ, tot sapientissimi rerũpublicarum gubernatores, tot excellentissimi in omni uirtutũ genere uiri, qui nõ agnoscunt Euãgelion Christi, essent à cœlesti salute alieni? Hos ne Deus despiceret, te autẽ et alios paucos quosdam curaret? In his ergo & similibus tentationibus, diligenter considerandum est, quod supra ostẽdimus, uidelicet diuinã electionem in sacra scriptura traditam esse, non ut infirmet, sed ut confirmet fidem piorũ in Christum. An non insanę est temeritatis, gladio, qui tibi ad tuendam uitã porrigitur, ad eripiẽdam ipsi tibi uitam abuti? Hoc uerbum, quod dicitur: Miserebor cui uscũq; misereor. Et, Non est uolentis, nec currẽtis, sed miserentis Dei, gladius est spiritus, qui nobis ad hos usus porrigit, primum, ut cũ manifeste sentiamus nostram iusticiã esse impuriorem, q̃ cuius merito queamus cum Deo reconciliari, et nostras uires esse imbecilliores, q̃ quibus possimus in cœlũ ascendere, confugiamus ad gratuitã misericordiam et electionẽ Dei. Sed ignotũ, inquis, nobis est, quem Deus elegerit. Absit. Deus uoluntatẽ et electionẽ suã manifestissime reuelauit in Christo Iesu Dño nostro. Ac siquidẽ tentaueris ad Deũ accedere absq; Christo, non potes arcana eius consilia scrutari. Si aũt Christo comitatus accesseris, non amplius erit obscura et ignota electio. Nihil.n. certius est, q̃ q; Deus elegerit sua misericordia hunc, qui unigenito filio Dei Iesu Christo cõfidit. Hęc, inquit, est uolũtas eius qui misit me, ut OMNIS, qui uidet filiũ, et credit in eum, habeat uitã ęternam, & ego suscitabo eũ in nouissimo die. Et iterũ: Huic omnes Prophetę testimonium ferunt, q; remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, QVIS QVIS crediderit in eum. Ac rursus: QVOTQVOT receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, nimirũ his, qui credidissent in nomen ipsius. Quid plura? Hic est prȩcipuus totius Euangelij de Christo status, q; Deus sic dilexerit mundum, ut filium suũ unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitã æternam. Quare qui se inuenit in Christo per fidem, is certe inuenit quoq; se in gratuita illa & misericordi electione Dei. Iesus enim Christus, liber cœlestis uitę est, in quẽ qui per fidẽ inscriptus fuerit, dubiũ non est, quin sit in corde ipso Dei inscriptus, & ad congregationem cœlestium ciuium pertineat. Sed metuo, inquis,

Scripturæ finis, ut confirmet fidem.

Prædestinatio Dei in Christo reuelata.

Liber uitæ, Christus.

ne fides mea uel non ſit ſyncera, uel tandē labefiat. Quid? num exiſtimas Deum confringere calamū quaſſatum, & extinguere linum fumigans? Mater non reiicit infantem ſuum, aut adhuc ætate tenerū, aut ex morbis imbecillem, ſed tanto maiori cura eum complectitur, quanto grauiores ſunt morbi, & Deus Pater humana matre durior eſſet, aduerſus eū, quātumuis in fide infirmum, cui in filio ſuo Chriſto, omnem clementiā promiſit? Neſcis, quo te illud dictū uocet, Credo Domine, adiuua incredulitatem meam? Non eſt igitur metuendum, ne Deus abiiciat te propter imbecillem fidem, ſed potius danda eſt opera, cōtinenti tractatione uerbi Dei, precatione, & obedientia, ut fides, autore ſpiritu ſancto, ſubinde magis ac magis augeatur. Quid autem illud eſt, ꝙ ſollicitus ſis, de tua in fide perſeuerantia? Tu tuum in præſentia facito officium, reliqua Deo curæ erunt. An neſcis, fidelē eſſe Deum, qui non ſinit nos tentari ſupra id quod poſſumus, ſed facit unà cum tentatione euētum, quo poſsimus ſufferre? Oues meæ, inquit Chriſtus, uocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt inæternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea. Tu uero nunc factus es ouis Chriſti, quia agnoſcis Chriſtum per fidem. Quid igitur metuis, ne quis rapiat te de manu Chriſti? De uoluntate quidem Chriſti toto Euangelio teſtificata dubitare nō potes. An fortaſsis dubitas de eius poteſtate? Sed addit: Pater, qui dedit mihi, maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu patris mei. Quid? putas ne precationem Chriſti fuiſſe uanam & inefficacem? Nō pro eis, inquit, rogo tantum, ſed & pro iis, qui credituri ſunt per ſermonē eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te. Sed & Paulus ait: Perſuaſum habeo mihi, ꝙ neꝙ mors, neꝙ uita, neꝙ angeli, neꝙ principatus, neꝙ poteſtates, neꝙ inſtantia, neꝙ futura, neꝙ altitudo, neꝙ profunditas, neꝙ ulla alia creatura poterit nos ſeparare ab ea dilectione, qua Deus nos complectitur, propter Chriſtum Ieſum, Dominum noſtrū. Audi & propheticum illud: Montes commouebuntur, & colles cōtremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nō mouebitur, dixit miſerator tuus Dominus. Quare pro certò habendū eſt, Deum, qui tibi donauit filium ſuum, & quem per fidem iam accepiſti, curaturū quoꝙ, ut hunc filiū, in media etiamnum morte retineas, aut ut rectius loquar, ab ipſo retinearis, & cōſerueris. Deinde ſpiritus ſanctus patefecit in ſcriptura doctrinam de gratuita electione Dei, ad hunc uſum, ut pii non offendant ſua uel paucitate, uel imbecillitate, uel abiectione, ſed cōfidant: impii autē non inflentur ſua multitudine, potentia, ſapientia, & maieſtate, quam habent in hoc ſeculo, ſed timeant. Si em̄ conferas inter ſe Eccleſiā piorum & impiorū, in hoc mundo, inuenies impios ſemper ferè loco, numero, dignitate, honore, amplitudine, & aliis rebus ſuperiores eſſe. Initio orbis terræ, Eccleſia Cainica uidebatur præſtātiſsima, & ſola poſſeſſura orbem, Eccleſia autē piorum Patriarcharum ut numero erat parua, ita iudicabatur abiectiſsima. Abraham, cū uocaretur è patria, nō habebat magnam inter gentes autoritatem, & tamen is cū Melchiſedeco, & paucis aliis, erat uera Eccleſia Dei. Reliquæ autem gentes præſtabant

multitudine,

multitudine, potentia & sapientia, & tamen erant à Deo abiecte. In AEgypto, Israelitæ erant Ecclesia Dei, qui etsi aucti fuerant numero, tamen opprimebantur seruitute, Aegyptijs interim, qui fuerunt impiorũ ecclesia, late dominantibus, & maiestate huius seculi illustrissimis. Quid dicam de exemplis eorum temporum, quæ postea sunt secuta? In populo ipso, qui nomine Dei uocabatur, alia fuit uera Dei Ecclesia, alia ficta. Cum Ahab rerum Israeliticarũ potiretur, Ecclesia Dei uidebatur Rex, Regina, Aulici, Sacrificuli, & totus Israel: pauci uero alij, uidelicet Elias, Abdias, & nonnulli per Abdiam in speluncis absconditi, uidebantur à Deo abiecti. Sed hi erant uera Dei Ecclesia, illi autem ficta. Quo tempore Christus natus est, iudicabantur Ecclesia Dei Pontifices, Scribæ, Pharisæi, & quotquot horum autoritati ac doctrinę fauebant: Zacharias autem, Elizabeth, Maria, Ioseph, Simeon, & pauci alij, ut præ aliorum multitudine & maiestate nullo ferè loco digni putabantur, ita nec pro uera Dei Ecclesia habebantur. Sed aliud est iudicium Dei, aliud hominum. Ac postea, Ioannes Baptista, Christus, Apostoli, & nonnulli alij erant uera Dei Ecclesia, cũ interim Annas, Caiaphas, Pontifices, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, & reliqua tota Iudæorum turba summum locũ in Ecclesia tenerent, præ quibus, illi iudicabantur prorsus abiecti. Hæc certè solent pijs magno esse offendiculo. Vident se paucos et cõtemptos esse, nec habere aliquam speciem Ecclesiæ Dei: aduersarios autem esse multos, magnos, potentes, sapientes, ac non titulum tantum Ecclesiæ, sed etiam præcipuum in Ecclesia locum obtinere. Proposuit ergo Deus doctrinam de gratuita sua electione, & consolatur pios, ac iubet eos bene cõfidere, quippe cp æterna salus non constet humana autoritate, multitudine, potentia, et sapiẽtia, sed tantum diuina, eacp gratuita electione. Cum autem Deus selegerit ipsos, (id quod ex eo manifestũ est, cp cognoscant Iesum Christum filium Dei, & credant in ipsum) nõ debent aduersariorum maiestate terreri, & à uera pietate deficere, sed tanto firmius constare, quãto abiectiores in oculis hominũ uideantur. Gratias, inquit Christus, ago tibi Pater Dñe cœli & terræ, quòd abscõderis hæc à sapiẽtibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Certe Pater, sic fuit bona uoluntas apud te. Et iterum: Noli timere pusille grex, quia complacitũ est patri uestro dare uobis regnũ. Et Paulus: Videtis, inquit, uocationem uestram, quòd non multi sapientes secundum carnem, nõ multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundũ delegit Deus, ut pudefaceret sapientes. Quare, quo certius est, Deum eligere Ecclesiam suam, nõ iuxta humana merita, aut carnalem maiestatẽ, sed iuxta sui ipsius animi propositũ, eo maior debet esse fiducia piorũ, quòd cum cognoscant CHRISTVM, in quo Deus reuelauit ipsos esse electa membra Ecclesiæ, non dubium sit, quin perpetuò seruentur, etiamsi uniuersus mundus contradicat & diuersum minetur. Sed de hac re nunc satis: reuertemur autem ad institutum. Omnis, inquit, qui audiuit & didicit à Patre, uenit ad me. Et additur: Non quòd Patrem uiderit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic uidit Patrẽ. Quid ergo dicemus? Si nullus alius uidit Deum Patrem, præter eum, qui est à Deo, hoc est, le-

Ecclesia Dei, alia uera, alia ficta.

Prædestinationis Dei causa.

ſum Chriſtum, unigenitum filiũ Dei, q̃ eſt in ſinu Patris, quid reliquũ eſt, niſi q̃ nullus alius audiat etiam Deum, & diſcat aliquid ab eo, nec cõ ſequatur ſalutem? Quid igitur ſentiendum eſt de Moſe, & alijs Prophe tis, de quibus ſcriptura teſtatur, q̃ uiderint Deũ, & multa ab eo didice rint? Sed magnum eſt diſcrimẽ inter uiſiones Prophetarum, & Chriſti. Nam Prophetæ dicuntur quidem uidiſſe Deum, non uiderunt autẽ eſ ſentiam Dei, ſed tantum quædam ſigna præſentiæ eius. Chriſtus aũt uidet eſſentiam Dei, adeoq̃ unus eſt Deus cũ Patre ſuo. Adhæc, Prophe tæ audiuerunt uocem Dei, non ipſam naturalẽ, ſed pro tempore aſſum ptam, qua uoluntas Dei exponeretur. Chriſtus autem eſt ipſa naturalis uox Dei, & uerbum eius perpetuum. Poſtremo, Prophetæ & alij pij cõ ſequuti quidem ſunt ſalutem, non autẽ ſuo merito, ſed alieno beneficio. Chriſtus autem ſalus ipſa eſt, ab æterno, quia uerus eſt Deus. Reliquum igitur eſt, quod qui cupit uidere & audire Deum, ac diſcere à Deo, ne ceſſe habeat uidere & audire Chriſtũ, & Euangelion eius diſcere, ac per fidem tenere, ut ueram ſalutem accipiat. Nemo unquam, inquit aliàs, ui dit Deum, Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Et ite rum: Nemo nouit Patrẽ, niſi filius, & cuicunq̃ uoluerit filius reuelare. Ac rurſus: Philippe, qui uidet me, uidet & Patrem meũ. Quare, in deſi derio uidendi Dei, audiendæ doctrinæ cœleſtis, & cõſequendæ ſalutis, non eſt opus ut dicamus, (quemadmodum Moſes ſcribit) Quis noſtrũ cõſcendet in cœlum, ut uideat & audiat Deum? ſed uidendus & audien dus eſt Chriſtus, credendum eſt in Chriſtum, per Euangelion eius. Hic enim eſt facies Dei, hic eſt expreſſa imago ſubſtantiæ Dei, hic eſt uox & uerbum Dei, hic præterea eſt uita ipſa & ſalus, ut quicunq̃ in ipſum cre diderit, habeat uitam & ſalutem, quippe quod ſit unà cum Patre & ſpiri tu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Prophetarũ, & Chriſti uiſionum diſcrimen.

Deut. 29.

HOMILIA LVII.

REdit Chriſtus, poſt refutationem Iudaici murmuris, ad inſtitutam ſuam cõcionem. Redeamus & nos ad explicationẽ eius, ut meditatione uerbi Dei, noſtrum officium faciamns, & ſpiritui ſancto nos ad ueram pietatem formãdos exhibea
„ mus. Amen, amen, inquit, dico uobis, qui credit in me, habet uitã æter
„ nam. Quod Chriſtus ſupra aliquoties commemorauit, hoc nunc ſim plicibus & apertis uerbis repetit. Et hæc eſt ſumma non ſolum huius cõ cionis, quam Chriſtus hoc loco habet, uerumetiã totius Euãgelij Chri ſti. Moſes uocauit nos ad audiẽdas cõciones Chriſti ante ſeſquimille an nos, q̃ Chriſtus natus eſſet, HVNC inquiens, AVDITE. Et Chriſtus miſ ſus eſt à Deo Patre ſuo ad hoc officium, ut adnunciaret Euangelion ſu um, nosq̃ hoĩes ad hoc ſumus uocati, & ad hunc uſum uerſamur in ter ris, ut per Euangelion agnoſcamus Chriſtũ ſeruatorẽ noſtrũ. Quare cũ hoc dictũ Chriſti, quod propoſuimus, ſit ſumma totius Euangelij eius, tanta obſeruatione ſuſcipiendum eſt, ut ſingula eius uerba cõſideranda ſint. Ac primum uide mihi, quanta aſſeueratione Chriſtus dictũ ſuum affirmet. Amen, amen (inquit) dico uobis. Hoc eſt iuramentũ Chriſti, quo ſignificat, q̃ hoc dicto nihil ſit firmius, nihil uerius, nihil certius.

Quantam

Quantam ergo impietatem designat is, qui filio Dei ne iuranti quidem fidem adhibet? Deinde nullum facit personarum discrimẽ. Qui credit, inquiens, in me, siue is sit Iudęus, siue Gręcus, siue circumcisus, siue incircũcisus, siue uir, siue mulier, siue diues, siue pauper, siue dominus, siue seruus, siue honestus, siue inhonestus, si credit, inq̃, in me, habet uitam æternam. Reipsa cõperio, inquit Petrus, ꝙ non sit personarũ respectus apud Deum. Sed in quauis gẽte, qui timet ipsum, & operatur iusticiam, (hoc aũt nemo recte facere potest, nisi credat in Christũ) is acceptus est illi. Et Paulus: Quicunqꝫ (inquit) baptisati estis, Christũ induistis. Non est Iudæus, necꝫ Græcus, nõ est seruus necꝫ liber, nõ est masculus ac fœmina. Omnes. n. uos unus estis in Christo Iesu. Præterea, cum Christus docet in hoc loco de consequenda & habenda uita æterna, nõ exigit circumcisionem, nõ sabbatismum, non sacrificia, non alia id genus Leuitica sacra, quæ fuerunt suo quidem tempore cultus Dei, et habuerunt piũ usum, sed non fuerunt merita æternæ uitæ. Nec dicit Christus: Qui honorauerit parentes, qui non occiderit, qui non furatus fuerit, qui miser tus fuerit pauperis, habet uitã æternam. Etsi enim hæc bona opera sunt à Deo præcepta, quibus etiam præceptis necessario obediendum est, & ista opera mererentur ęternam uitã, si homo esset iustus, ac uerè spiritualis, & faceret hæc opera perfectè, sicut lex Dei ea exigit, quemadmodum & aliâs Christus dicit: Si uis ingredi in uitam, serua mandata: tñ quia homo est carnalis, uenditus sub peccatũ, & non facit hæc bona opera perfectè, fieri non potest, ut mereatur ęternam uitam. Quid ergo dicit Iesus? Qui credit, CREDIT (inquit) in ME. Fidem exigit, quam ipsi præstare debemus. Ecquæ est illa fides? ecquid est credere in Iesum? Paucissimis id exponemus, quippe ꝙ aliàs copiose de hac re dictũ sit. Nam credere in Iesum, est credere ꝙ Iesus ille Mariæ filius, sit uerus Messias seu Christus, filius Dei, qui factus sit pro peccatis nostris uictima, et expiatio, quique factus sit nobis, ut Paulus ait, sapientia à Deo, iusticiaqꝫ & sanctificatio & redemptio. Itaqꝫ credere in Iesum, est totam fiduciam suã collocare in Iesu, ut uero Christo, ita & uero redemptore & seruatore. Hoc autem, inquies, haud difficulter præstabimus. Quid enim facilius est, præsertim inter Christianos, quàm credere hunc Iesum esse uerum Christum, & expiatorem peccatorum nostrorum? Bene igitur nobiscum agitur, quòd tam facile paratur uita æterna. Sic caro doctrinam Euangelij de fide in Iesum Christum, aut suauiter aliquoties ridet, aut impiè ea ad suam licentiam abutitur. Sed res ipsa docet, fidem in Christum longe aliud opus esse, quàm quod caro fingit. & multa testantur, quàm difficile, imo quàm impossibile sit carni, credere in Iesum Christum. Considera enim mihi, quanta autoritate Christus ipse, unigenitus filius Dei, docuerit Euangelion suum, & quantis miraculis ueritatem eius confirmauerit, quotusquisqꝫ autem est, qui ei fidem adhibuit? In populo Iudaico, fuerunt tot sapientes, tot prudentes uiri, qui certè, si fides in Christum potuisset carnali ratione, & uiribus humanę sapientiæ concipi, magna obedientia Christum suscepissent. Fides enim non nascitur in carne, sed spiritus sanctus dat eam per Euangelion è cœlo. Ne,

Fides in Iesum Christũ quæ sit.

Credere in Christũ, est paucissimorũ hominũ.

mo poteſt, inquit Chriſtus, ad me uenire, niſi pater, qui miſit me, traxerit eũ. Et ad Petrũ dicitur: Caro et ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. Huc accedit, ꝙ ſapientes in hoc ſeculo, nõ ſolum nõ crediderũt in Chriſtum, ſed etiã perſecuti ſunt omni, qua potuerũt, crudelitate hanc fidẽ & profeſsionẽ, tam inter Iudæos, q̃ inter gentes. Quòd ſi tam facile eſſet, in Ieſum Chriſtũ credere, q̃ caro fingit, quis citius his ſapientibus fidem cõcepiſſet? Propone etiã tibi ob oculos quanta hominum multitudo ſoleat in perſecutionibus fidẽ in Chriſtum abnegare. Nam ut quondã Iudæi & Ethnici, ita nunc Põtifices & Turcę perſequũtur doctrinã de Chriſto, & fidem in Chriſtum. Sed quemadmodũ olim maxima uulgi multitudo inter Iudæos & Ethnicos, à Chriſto in perſecutionibus defecerunt, ſic & his tẽporibus ſub Pontificibus & Turcis, nullo aliquoties uiolenter eos cogente, deficiunt, q̃d certe manifeſtũ argumentum eſt, fidẽ in Chriſtũ non eſſe omnium, quemadmodum Paulus loquitur. Deinde numera mihi hypocritas, inter Chriſtianos ipſos, qui collocant ſpem ſuã, in meritis ſuorũ operũ: numera etiã ſceleratos, ac impœnitentes, qui pergũt uitioſam ſemper, et flagitioſam uitã ducere: nũ putas & illos & hos tam impie acturos, ſi uera fides in Chriſtũ tam uulgaris eſſet, q̃ uulgare eſt inter Chriſtianos fidei nomen? Quid ergo faciendum eſt? Nõ eſt ſentiendum fidem in Chriſtum naſci in humana carne, & poſſe humanis uiribus cõcipi, ſed dari, autore ſpiritu ſancto, ecœlo, per Euangelion. Quare in hoc euigilent curę & cogitationes noſtrę, ut Euangelion cognoſcamus, & Dominũ inuocemus, quo ſpiritus ſanctus in nobis efficax ſit, ac nõ ſolum tribuat nobis ueram fidem in Chriſtum, ſed etiã conſeruet & augeat eã, ut in uocatione Dei obedienter ambulemus. Sed audiamus nunc, quid conſequantur, quid habeant hi, qui credunt in Ieſum. Quid ergo dicit? num dicit eos cõſequi imperiũ mundanũ? num diuitias huius ſeculi? num alia bona terrena? Sunt quidẽ & hæc dona Dei, & habent ſuum in his terris uſum, non ſunt aũt uera fœlicitas. Nec Chriſtus uenit in hũc mundũ, ut daret credentibus in ipſum terrena, ac euanida, ſed potius ut daret cœleſtia, ac perpetua bona. Qui credit, inquiẽs, in me, habet uitã. Qualẽ? nũ caducã? nũ paulo poſt interituram? Minime oĩm, ſed AETERNAM. Porro noĩe uitæ æternæ intelligũtur, & cõprehenduntur oĩa quę ad uitã æternã pertinẽt, uidelicet, Remiſsio peccatorũ, Adoptio in filios et hęredes Dei, Iuſticia corã Deo, ſpiritus ſanctus ducẽs ad obedientiã diuinę uocationis, Liberatio, & cõſeruatio in morte, denicꝙ cœleſte ac ſempiternũ regnũ. Quare q̃ credit in Ieſum Chriſtum, habet remiſsionem peccatorũ, adoptatur in filiũ Dei, reputatur iuſtus corã Deo, donatur ſpũ ſancto, ut obediat uocationi Dei, ſeruatur in morte, & accipit hæreditatẽ cœleſtis regni, quo & perpetuò fruetur: quibus bonis nihil põt nec maius, nec excellẽtius dici. Sed obſecro te, quid illud eſt, cuius merito is, q̃ credit in Ieſum Chriſtũ, cõſequitur uitã æternã, & tãta bona eius? num hoc fit merito & dignitate fidei, eius nimirũ operis, quod homo facit? Nihil profecto minus. Qui credit in Ieſum Chriſtum, conſequitur quidẽ æternam uitam, & bona eius per fidem, non aũt propter meritum ſeu dignitatem fidei, quippe quod in hac

Credentes in Chriſtũ quæ bona conſequantur.

hac carne fides ſemper ſit imbecillis, nec unq̃ tanta, quantam uerbũ Domini exigit, Sed cõſequitur ea propter Ieſum Chriſtum, fide acceptum. Sic enim additur: Ego ſum panis uitæ, hoc eſt: Qui in me credit, idcirco habet uitam ęternam, quia ego, quem fide accipit & poſsidet, ſum panis uiuificus. Ego ſum uita ipſa & perpetua ſalus. Quare qui me habet per fidem, is etiam habet perpetuam uitam & ſalutem. Quid igitur deeſt credenti in Chriſtum? Non habet locupletem domum in hac terra, ſed habet Chriſtum, Dominum cœli & terræ, propter quem factus eſt hæres omnium cœleſtium bonorũ. Nõ eſt ornatus illuſtri uitæ genere in hoc ſeculo, ſed ornatus eſt Chriſto, propter quem illuſtris eſt non coram angelis tantum, uerumetiam coram ipſa diuina maieſtate in cœlis. Nõ habet firmam ualetudinem corporis, & diuturnam uitã in hoc mũdo, ſed habet Chriſtum, qui eſt perpetua uita & fœlicitas. Nihil ergo eſt uerorum bonorum, quod credenti in Chriſtum deſit. Nihil contra eſt horũ bonorum, quod ei, qui non credit in Chriſtum, adſit. Habet diuitias terrenas, ſed quia caret Chriſto, diuitiæ magis ſunt exitio, q̃ utilitati. Habet illuſtre genus in hoc ſeculo, ſed quia caret Chriſto, non ſolum eſt obſcurus coram Deo, uerumetiã obruetur perpetuis tenebris. Habet bonam corporis ualetudinem, & ducit iucundã uitam in hoc ſeculo, ſed quia caret Chriſto, audiet tandẽ id quod Abraham ad diuitem epulonẽ dicit: Fili, inquiens, recordare q̃ receperis bona tua in uita tua, ideoq; nunc cruciaris. Quare in hoc ſtudiũ tota mẽtis cogitatione incumbendũ eſt, ut Chriſtum per fidem agnoſcamus, & agnitum conſeruemus. Cæterũ, poſtq̃ Chriſtus iterum facit mentionem panis, cũ ait: Ego ſum panis uitæ, ſtatim uenit Iudæis in mentem Mannę, quemadmodum et ſupra, ut cogitent ſecum: Quid? Tu iactas te eſſe panem uitæ, qui de cœlo deſcenderit, quid ergo dicendũ erit de Manna, quod noſtri patres ederunt in deſerto? Num tu dabis nobis præſtantiorem panem, q̃ Moſes dedit patribus noſtris? De hac re Chriſtus etiam antea concionatus eſt, ſed & nunc repetit collationem Mannæ cũ ipſo, ut maieſtas ipſius clarius illuſtretur. Patres, inquiens, ueſtri comederunt Manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis ille, de cœlo deſcendens, ut ex ipſo edat aliquis, & non moriatur. Ego ſum panis uiuus qui de cœlo deſcẽdi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet inæternum. Quod Chriſtus dicit hanc habet ſententiam: Magnum eſt diſcrimen inter manna, & meum panem, hoc eſt, me ipſum. Nam manna nõ attulit ueſcentibus uitã. Qui enim ederunt manna, omnes mortui ſunt. Meus aũt panis, ſeu ego ipſe, affero ueſcentibus me, uitam. Nam qui meo pane, hoc eſt, meipſo ueſcũtur, nunquam moriuntur, ſed perpetuò uiuunt. Ac uidetur quidẽ Chriſtus, cũ dicit: (Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ex ipſo edat aliquis, & nõ moriatur. Et addit: Ego ſum panis uiuus, qui de cœlo deſcendi, Si quis ederit ex hoc pane, uiuet inæternum) plane idem repetere: hæc autẽ repetitio non eſt nec ocioſa, nec ſuperuacanea, ſed alterum dictum alterius eſt interpretatio. Nam edere Chriſtũ, ſeu panẽ Chriſti, hoc loco eſt credere in Chriſtum, quemadmodũ poſtea ſequitur. Cum ergo ait: Hic eſt panis de cœlo deſcẽdens, ne quis intelligat hoc dictũ, uel de pane illo, quo Ieſus pau

cc *Beneficia quæ per fidẽ accipiuntur.*

cc

cc

cc

cc

Manna non dedit ueſcentibus uitam.

Chriſtum edere, eſt credere.

Io ante quinq; milia hominum pauerat, uel de alio corporali & terreno pane, mox addit: Ego sum panis uiuus, q̃ de cœlo descendi, ut manifestè intelligamus ipsum, de seipso loqui. Et cum postea dicit: Vt ex ipso edat aliquis & non moriatur, mox interpretatur, quid sit, non mori, & ait: Si quis ederit ex hoc pane, uiuet inæternum. Nõ enim mori, est inæternũ uiuere. Quid ergo adhæc dicemus? Si in hac collatione Mannę cũ Christo, sermo est de uita spirituali & cœlesti, quomodo hoc q̃d dicitur: Patres uestri comederunt Manna in deserto & mortui sunt, uerum erit, de Mose, de Aherone, de Pinehas, de Iosua, de Caleb, & multis alijs pijs Israelitis, qui & ipsi comederunt unà cũ reliquis Manna, et tamen nõ sunt mortui spiritualiter, sed sicut Abraham, Isaac & Iacob uiuũt corã Deo, ita & hi uiuunt? Quòd si autẽ sermo est de uita & morte corporali ac terrena, quomodo hoc dictũ, Si quis ederit ex hoc pane, non morietur, sed uiuet inæternum, uerũ erit de Ioanne Baptista, & postea de Petro, decq; alijs Apostolis ac discipulis Christi? An nõ hi omnes ederunt de Christo, hoc est, crediderunt in Christum, & tñ non solum corporaliter mortui sunt, sed etiã crudeliter ab aduersarijs trucidati sunt? Quid ergo est, quod dicitur: Patres, qui ederunt manna, mortui sunt, qui autẽ edit hũc panem, non moritur, sed uiuet inæternũ? Hìc initio dicemus de Mose, & alijs pijs, qui ederunt manna in deserto. Hi enim seruati quidem sunt in morte, & uiuunt coram Deo, non autem seruati sunt, nec uiuunt propter manna, quod ederũt, sed propter Iesum Christum, in quem uelcentes Manna crediderunt, per promissiones de Christo dictas. Nisi enim hũc unà cum Manna, uel sub manna ediſſent, certe cũ impijs etiam ipsi perpetua morte interijssent, de quibus Paulus dicit: Omnes eandẽ escã spiritualem comedebant, & omnes eundẽ potum spiritualem bibebãt: bibebant enim de spirituali, quæ illos comitabatur petra, petra aũt erat Christus. Sed plures illorum nõ approbauit Deus. Prostrati sunt enim in deserto. Nunc autem quia Moses & alij pij in esu Mannę etiã in Christum promissum crediderunt, idcirco propter Christũ seruati sunt in morte, & consecuti sunt æternam uitam. Quod de Manna diximus, hoc idem de cœna Dominica sentiendũ est. Panis enim et uinum cœnæ Dominicæ sunt cibus & potus cœlestis, quia sanctificata sunt institutione Christi, ut sint corpus & sanguis eius. Etsi autẽ omnes sumunt cœnam dominicam, nõ tamen omnes seruantur in morte, & habent æternã fœlicitatem. Alij enim sumunt quidem cœnam Domini, nõ credunt autẽ uerè in Christum, non fidunt corpore & sanguine Christi, quæ in sacramento accipiunt. Quare sicut impijs nihil profuit esus Mannę, ita incredulis & impœnitentibus nihil prodest esus cœnæ Dominicæ. Alij autẽ non tantum sumunt cœnam Dominicam, sed etiam uerè credunt Christum tradidisse corpus suum pro peccatis ipsorũ, & effudisse sanguinẽ suum, ut à peccatis corã Deo emundarentur. Hi ergo seruantur in morte, & uiuunt perpetuò, non quidem propter ipsam cœnæ sumptionem, sed propter Christum, in quẽ uerè credunt, & in cuius fide, sacramento cœnæ confirmantur. Solus enim Christus, fide per Euangelion, uel cũ sacramentis, uel sine sacramẽtis acceptus, is est, propter quem homines

Cœnæ Dominicæ esus.

Sacramenta nõ conferre salutẽ.

Christus solus, est salus.

ueram

ueram & perpetuam ſalutem conſequuntur. Sacramenta habent quidē ſuum in confirmanda fide accipiētis ea, uſum, & ſumenda ſunt diligēter & obedienter, noſtra aūt ſalus non eſt ſita in ipſa ſacramentorū ſumptione, ſed in ſolo Ieſu Chriſto per fidem accepto. Hic enim eſt panis uiuus, de cœlo deſcendens, ut quiſquis ex ipſo ederit, ſeu in ipſum crediderit, nō moriat̄, ſed uiuat in æternū. Deinde, quod dicitur de morte Ioannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum, ac aliorum piorum, qui crediderūt in Chriſtum, ſentiendū eſt, q̄ etſi trucidati ſunt, & uiſi ſunt hominibus mori, tamen non ſunt mortui coram Deo. Nam coram illo adhuc uiuunt. Non enim periit anima eorū, quia Chriſtus cōſeruat eam: nec periit corpus, quia etſi reuertitur in puluerem, tamē reſuſcitabitur in nouiſsimo die, ad ęternam uitam. Cum igitur Chriſtus ait patres mortuos eſſe, etiamſi ederint manna, eos autem qui in ipſum credūt, nō mori, ſignificat & docet, eſum Mannæ, nę Moſi quidem, & alijs pijs, attuliſſe per ſe uitam & ſalutem, (Si enim tantum Manna ediſſent, fuiſſent & ipſi unà cū impijs perpetuò mortui) ſed ſolum ipſum, uerū uidelicet Meſsiā fide acceptū, eſſe uitæ & ſalutis autorem. Cæterum, quia Chriſtus uocat ſe panem uitæ, exponit etiā modum, quo panis (hoc eſt, uita & ſalus noſtra) factus eſt. Panis, inquiens, quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi uita. Feci hactenus mentionē panis mei, & pollicitus ſum uitam ei, qui hoc pane ueſcatur. Quare, ne erretis, & ne expectetis talē à me panem, qualem Moſes dedit uobis in deſerto, aut qualem paulo antè, cum duobus panibus pluſcq̄ quinq̄ milia hoīm paui, accepiſtis, agitedum, explicabo uobis manifeſte, quid per panē intelligā. Panis enim, de quo nunc loquor, eſt mea caro, quam dabo ad acquirēdam uitā mundo. Veni in hunc mundum, aſſumpſi hominē, aſſumpſi & omnes humanas imbecillitates, nō ut unà cum hominibus peccem, ſed ut paſsione & morte mea hominum peccata expiem, & reconciliem homines cū Deo Patre, quo conſequantur non ſolum remiſsionem peccatorum, ſed etiam uitā æternam. Mea igitur paſsio, quam ſuſcipiam carne, ſeu iuxta humanitatem, eſt liberatio mundi: & mea mors, quā perferam, eſt uita mundi, ut quotquot in me credunt, ſeruentur & uiuant perpetuò. Hoc certè illud eſt, quod Chriſtus dicit: Panis quē ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro uita mundi. Pauciſsima ſane uerba, ſed quibus et ſumma totius Euāgelij Chriſti cōprehenditur, & maxima beneficia Chriſti nobis ob oculos ponuntur. Primum enim cum dicit, Dabo carnem meam pro uita, ſignificat mortē ſuam eſſe noſtrā uitam. Et haud obſcure diſtinguit mortem ſuam à morte omnium aliorum hominū, ſiue Patriarcharū & Prophetarum, ſiue Apoſtolorum & martyrum. Etſi enim & hi crudeliter occiſi ſunt ab impijs, nec meriti ſunt corā hominibus, aut impietate aut ſceleribus, ut tam indignè necarentur, mors tamen eorū nō eſt uita noſtra. Abel iuſtus & ſanctus, trucidatus eſt à fratre. Eſaias dicit̄ à rege Manaſſe in duas partes ſectus. Hieremias à ſuo populo lapidibus obrutus. Horum mors fuit quidē in conſpectu Dei precioſa, & affert Eccleſiæ Dei ſuam utilitatē. Docet enim, ſanctos in hac terra affligi: docet regnū Chriſti nō eſſe de hoc mundo: docet aliam eſſe uitā poſt hanc uitam, alioqui

Mors Chriſti noſtra uita.

Sanctorum mors quam habeat utilitatem.

ſancti in hac uita fuiſſent fœlices: hortat̃ item exẽplo, ut afflictiones huius ſeculi patienter feramus: non eſt aũt expiatio peccatorum noſtrorũ, non eſt uita & redẽptio noſtra, imo mors ſanctorum ne ipſis quidẽ ſanctis, ſua expiauit peccata, nec uitam eis attulit, quãtum quidem ad illius mortis naturam attinet, ſed ſola Chriſti mors expiat peccata hominũ, & affert eis uitam. Quare, cũ obiicimur periculis mortis, ut nõ eſt ſentiendũ, nos morte noſtra ſatisfacturos pro peccatis noſtris, ita mors illa nõ eſt aſpicienda & conſideranda, iuxta ſuam naturã, quam habet ex peccato, ſed iuxta mortem Chriſti, in quam baptiſati & ſepulti ſumus. Sic em̃ fiet, ut quemadmodum inſiticij facti ſumus morti Chriſti, ita & reſurrectionis eius participes efficiamur. Deinde, Chriſtus non ſimpliciter dicit, Dabo carnem meam pro uita, ſed addit, MVNDI. Quo uerbo ſignificat ſe ſubiturum mortem, non tantum pro Iudæis, ſed etiam pro Gentibus, ac hominibus totius mundi, quocunq; illi tempore, quocunq; loco, quacunq; natione, in mũdo fuerint. Moriturus, inquit aliàs, erat pro Gente (uidelicet Iudaica) & nõ tantum pro Gente, ſed ut filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in unum. Ac rurſus: Ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, nõ pro noſtris aũt tantum, ſed pro totius mundi. Quid ergo eſt, q; nõ totus mundus ſeruatur, ſed maxima hominũ (qui nomine mundi ſignificant) multitudo perit? Hic interitus nõ paſſioni et morti Chriſti, ſed impietati hominum imputandus eſt. Quod enim ad mortem ipſam Chriſti attinet, ſufficiens eſt expiatio pro oĩbus omnium hominum peccatis, & omnibus accipienda per Euãgelion expoſita: homines autem non omnes eam, per fidem agnoſcere & accipere uolunt, ſed malunt in impietate ſua perire, quàm per mortẽ Chriſti ſeruari. Quid autem ſtultius, quid magis inſanum eſt, q; propoſita ſalute ſectari interitum, porrecta uita, eligere mortem, & patefacto cœlo, ingredi infernũ? Quid item furioſius eſt, q; ſi te tua dubitatione, aut incredulitate à Chriſto, ſumma uidelicet fœlicitate, ſeparet, cũ ipſe te à ſe nõ ſeparet, nec reiciat? Dabo, inquit, carnem meam pro uita mundi. An non & tu mundi pars es? imo mũdus tu ipſe es. Recte enim ueteres hominem uocarunt, paruũ mundũ. Si aũt pars es mundi, aut mundus ipſe, certè dedit Chriſtus carnem ſuam etiam pro te, ut & tu uitam haberes. Non enim reges tantum, non principes, non ſapientes tantum, mundus ſunt, ſed & abiectiſsimi quiq; homines, qui et in hoc mundo, tanto conſpectiores ſunt Deo, quãto altius ille habitat. Excelſus Dominus, inquit Pſalmus, & humilia reſpicit. Et: Suſcitat de terra inopem, & de ſtercore erigit pauperẽ. Cum igitur Chriſtus beneficijs ſuis nunq; nobis deſit, committendum non eſt, ut nos noſtram ſalutem ipſi negligamus, ſed ut propoſitã uitã obedienter per fidem excipiamus, in Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Sola christi mors ἀντίλυτρον

Homo, μικρὸς κόσμος.

HOMILIA LVIII.

MVltę ſunt hominũ curę, multę actiones, & occupationes, ſed nullæ ſunt hoĩe digniores, ac utiliores, addo etiã magis neceſſarię, q; quę ad tractandũ uerbũ Dñi ſuſcipiuntur. Beatus uir, inqt Pſalmus, cuius eſt uoluntas in lege Dñi, & q in lege

eius

eius meditatur die ac nocte. Cum igitur hodierno die cõuenerimus ad percipiẽda ea, quæ ſpiritus ſanctus tradidit nobis per Ioannem Euãgeliſtam, agite, amiciſsimi, attendamus nunc ea, quæ poſt concionẽ Chriſti, ſuperioribus diebus à nobis pro noſtra mediocritate explicatam, ſequuntur. Dixit enim Chriſtus: Panis, que ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi uita. Quomodo ergo Iudæi hoc dictũ exceperunt? "De certabant, inquit, Iudæi, inter ſe dicẽtes: Quomodo poteſt hic nobis dare carnem ſuam ad edendum? Recte Salomon dixit, Si ſtultum cõtriueris piſtillo, ceu triticum in mortario, nõ diſcedet ab eo ſtulticia. Ieſus in hac concione, quã habuit in ciuitate Capernaum, toties admonuit Iudęos de fide in ipſum, & haud obſcurè ſignificauit, ſe nomine eſus panis loqui de fide, quæ in ipſum, ut uerum uiuificatorem, habenda ſit, nõ fiunt tamen ſapientiores, ſed perſeuerant & pergunt in ſtulticia ſua, qua ſomniant carnalem lanienam de carne Chriſti. Quid? inquiunt, Cum exiſtimemus hunc eſſe Meſsiã, polliciti nobis ſumus, quòd cõſequamur per ipſum libertatem, rerum omniũ in hoc ſeculo abundantiam, regna mũdana, & ſummam huius terræ fœlicitatem. Nunc autem in hac tanta expectatione obtrudit nobis carnem ſuam edendã. Quid hoc eſt abſurdi? Si omnino carne ueſcendum eſt, malumus uitulinam quàm humanam. Obſecro te, quid eſt inſcitia, quid uecordia, ſi hæc non eſt? Iudęi uiderãt paulo antè miraculum, quod Ieſus in deſerto, de quinq; panibus & duobus piſcibus ediderat, & confeſsi erant, ipſum eſſe uerum illum Prophetam, quem ſcriptura aduenturum promiſit, nunc autẽ ob unum aut alterum uerbum, ut ipſis quidem uidebatur, abſurdum, iudicant eum prorſus ſtultũ ac inſanum. Quid poteſt eſſe ineptius, aut impudentius? Quare, cum Ieſus tantam Iudæorum ruditatem perſpiceret, nõ ſtatim hoc agit, ut explicet uerba, quæ uidebant ipſis obſcura & abſurda, ſed pergit magis abſurda dicere, ut ſtulticia ipſorũ digna pœna afficiatur, & ut iuxta Prophetam, cor populi huius excæcetur, & aures eorum aggrauentur, & oculi eorum claudantur, quòd quæ potuiſſent, ſi diligenter obſeruaſſent, perſpicuè intelligere, maluerint prauè interpretari & cõtemnere, quàm probè cognoſcere. Cum enim Ieſus antea de eſu carnis ſuæ ita diſſeruiſſet, perinde ac ſi indifferens, & liberum eſſet carne ipſius uel ueſci uel non ueſci, nunc exigit hunc eſum, tanquàm ad conſequendam ueram uitam & ſalutem neceſſarium. Dixit enim eis Ieſus: Amen amen dico uobis, niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habetis uitam in uobis. Qui edit meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, habet uitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Vides, quanta aſſeueratione affirmet neceſſarium eſſe eſum carnis, et potũ ſanguinis ſui. Non ſimpliciter dicit, Niſi ederitis & biberitis, non habetis uitam, ſed addit iuramentum, (Amen amẽ dico uobis) ut nõ tam ueritas huius dicti confirmetur, q̃ neceſsitas huius eſus & potus ſignificetur. Et ne quis dubitet, de qua uita loquatur, exponit illud mox clarius: Qui edit, inquiens, meam carnem, & bibit meum ſanguinẽ, habet uitã ęternam. De uera enim & ęterna uita loquitur, nõ de hac caduca & mortali uita. Vnde etiam addit, Et ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Etſi

Eſus cărnis Chriſti quid ſignificet.

Ioan. 6.

Esum carnis Chri necessarium esse

enim hi, qui uescuntur carne Christi, & bibunt sanguinem eius, uidentur in oculis hominum mori, conseruantur tamẽ uerè coram Deo in uita, quę & in nouissimo die per resurrectionem reuelabitur. Vita uestra, inquit Paulus, abscondita est cum Christo in Deo. Quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Cæterum, sunt qui hoc dictum Christi, de esu carnis suæ, & potu sanguinis eius, detorserunt ad sumptionem cœnæ Dominicæ: & quia uiderunt ex hoc dicto Christi esum carnis et potum sanguinis eius necessarium esse ad habendã uitam, idcirco statuerunt cœnam Dominicam etiam infantibus dandam esse. Sed Christus hoc loco prorsus nihil loquitur de sumptione cœnæ illius, quam postea ad cõmemorationem mortis suę instituit. Nam is esus carnis Christi, et potus sanguinis eius, de quo in præsentia sermo est, pronũciatur planè necessarius ad salutẽ, Amen, amen, inquit, dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitam in uobis. Quid potest de necessitate huius esus & potus manifestius dici? Sumptio autẽ cœnæ Dominicæ, non est simplicite. ad salutem necessaria. Magna quidem utilitas est illius cœnæ, & omnino, cùm licet, sumenda est, idq; iuxta Christi institutionem, adeoque magnæ gratiæ Domino pro hoc dono agendę sunt, sed usus eius non est simpliciter necessarius. Dicit enim Christus apud Paulum: Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem. Non ait, Nisi ederitis hunc panem, & biberitis hoc uinum, non potestis salutem habere, sed ait, Quotiescunque feceritis, uidelicet significans Ecclesiam debere quidem uti hoc sacramento, usq; ad nouissimum aduentum eius, non autem tantam esse usus illius necessitatẽ, ut nisi quis eo utatur, non possit in Christo per fidem salutem consequi. Infantes hoc tempore non utuntur isto sacramento, Ergòne si moriuntur in infantia, damnabũtur omnes, etiamsi Christo per baptismum sint inserti? Quid posset iniquius, aut crudelius de his infantibus dici? Et qd si adultus quispiam baptisatus in Christũ, abduceretur ab hostibus in Turciam, priusquam sumeret cœnã Dominicam, ac retineret in media etiam Turcia fidem in Christũ, nec tamen posset unquã hoc sacramento uti, adiudicabimus ne ipsum inferno? Certè si usus huius sacramenti simpliciter ad salutem necessarius esset, fieri nõ posset, ut is, qui eo nunq; uteretur, uitam haberet. Vera autem salus sita est in Christo ipso, ac in fide, quæ in ipsum habetur, non in externa cœnæ Dominicæ sumptione. Non est, inquit Petrus, in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Etsi enim distribuitur in cœna Dominica corpus Christi & sanguis eius, tamen Christus nõ ita alligauit se cum corpore & sanguine suo ad cœnã suam, ut non possit, nisi in cœna sumi. Nam sumitur etiam in prædicatione Euangelij sui, imo nisi prædicatio Euãgelij accederet ad cœnã, nulla esset ibi distributio corporis & sanguinis Christi. Sumitur quoq; in Baptismo. Quicunq; n. baptisati estis, inquit Paulus, Christũ induistis. Hæc non eò dicuntur, ut nõ frequẽter & obedienter utamur cœna Dominica: Pio enim, eoq; afflicto uarijs calamitatibus, ut iucundissimũ, ita

Augustinus de peccatorũ meritis et remissione lib. 1, ca. 20.

Cypri. Aug.

Carnis Christi esus necessarius ad salutem.

Cœnæ Dominicæ usus.

Christus quã uarie sumatur.

&

& utilissimum est, conscientiam suam usu huius cœnæ cõsolari & sustẽtare: sed idcirco commemorantur, ut cognoscamus dictũ Christi, quod in cõcione huius sexti capitis de esu carnis & potu sanguinis sui recitat, non esse intelligendum de sumptione cœnæ Dominicæ, & ut sciamus magnum esse discrimen inter Christũ ipsum, qui solus est salus nostra, & cœnam eius, quæ est quidem utilis, non autem solum organon, quo Christum accipiamus. Quod autem ad infantes attinet, etsi manifestum est, quòd Cypriani & Augustini temporibus data sit infantibus cœna Dominica, nec debet hoc factum sanctorũ Patrum temerè damnari, tamen non est sentiendum, quòd necessariũ sit, ut infantibus detur cœna Dominica. Instituta enim est præcipuè ad agnoscẽdam beneuolentiam Christi erga nos, & ad cõfirmandam fidem in tẽtationibus. Infantes autem, qui inserti sunt Christo per baptismum, etsi habent suo quodã modo fidem, ideoq; suo etiam modo edunt carnẽ Christi, & bibunt sanguinem eius, illo uidelicet modo, quem Christus in hac concione exigit, tamen nondum intelligũt nec fidem nec tentationes fidei. Quare usus cœnæ Dominicę non est eis necessarius. Sed ut reuertamur ad institutum, uerba Christi, quæ hoc loco de esu carnis & potu sanguinis eius dicuntur, non sunt intelligenda de externo aliquo esu & potu, sed de fide ipsa in Christum, quæ in hac concione metaphoricõs uocatur esus & potus. Cum enim Christus susceperit hanc concionẽ occasione eius panis, quo pauerat plusq; quinq; millia hominũ in deserto, & qualem quærebant hi, qui conuenerant ad ipsum in Capernaum, utitur etiã nomine panis, pro carne sua, & nomine potus pro sanguine suo. Sic & occasione huius metaphoræ utitur uerbo edendi & bibendi, pro uerbo credendi, ut cũ dicat, Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, nõ habetis uitã in uobis, hæc sit uera eius sententia, Nisi credideritis in me, qui dabo carnem meam pro uita mundi, & effundam sanguinẽ meum in expiationem peccatorũ eius, nõ consequemini ueram salutẽ: adeoq; Christus hac metaphora planè idẽ intelligit, quod antea simpliciter dixit: Omnis qui uidet filium & credit in eum, habet uitam æternam. Et mox: Amen amen dico uobis, qui confidit mihi, habet uitam æternam. Manifestum enim est, q; Christus sentiat hunc esum, & hunc potũ, quẽ hoc loco exigit, necessarium esse ad uitã & salutem. Nisi ederitis, inquiens, carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habetis uitã in uobis. Si autem dicendũ est, quod res est, nihil aliud nobis ad salutẽ simpliciter necessarium est, q; fides in Christũ. Sunt & bona opera suo quodã modo necessaria, sed nos loquimur nunc de ea re, qua corã Deo iustificamur & seruamur. Iustificamur aũt solo Christo, & sola fide, qua Christum suscipimus, imo potius ab ipso suscipimur, & ipsi, ut ita dicã, incorporamur. Iustus, inquit Propheta, ex fide sua uiuit. Et Paulus: Arbitramur hominẽ iustificari fide absq; operibus legis. Ac iterũ: Scimus nõ iustificari hominem ex operibus legis, nisi per FIDEM Iesu Christi. Quare manifestum etiam est, q; Christus per esum carnis suæ & per potum sanguinis sui hoc loco non aliud intelligat, q; fidẽ, quę habenda est de carne & sanguine eius, uidelicet ut credamus carnẽ eius pro nobis ad

Infantibus cœna Dominica data.

Probet autem seipsũ homo. 1. Cor. 11.

Infantes etsi habent, non tamẽ intelligunt fidem.

Bona opa esse necessaria

Abac. 2. Rõ. 4.

Edere carnè Christi.

habendam uitam, in mortem traditam, & sanguinẽ eius pro nobis ad remissionem peccatorum effusum esse. Sic enim edere carnẽ Christi, & bibere sanguinem eius, hoc est, credere in Christum, ad salutem planè necessarium est. Nec ullus unq̃ hominum sine hoc esu & potu, aut iamdiu tè consecutus est, aut adhuc cõsequetur salutem. Adam ipse, primus homo, etsi tempore uitæ eius nondum aduenerat Christus, tamen edit carnem, & bibit sanguinem eius, quia credidit uenturũ Christum, qui carne & sanguine, hoc est, morte sua expiet peccata. Ederunt & carnẽ Christi, ac biberunt sanguinem eius Noe, Abraham, & reliqui Patriarchę & Prophetæ, quia crediderunt se consequi salutem per Christum, passurum carne pro peccatis, & expiaturum sanguine suo iniquitates ipsorum. Sic & omnes pñ, qui post aduentum Christi uitam in terris agunt, etiamsi non semper sumant cœnam Dominicam, tamen semper edunt carnem Christi, & bibunt sanguinẽ eius, quia credunt, quòd Christus expiauerit sanguine & morte sua peccata ipsorum. Sed audiamus nunc, ob quam causam hic esus & potus, qui est fides in Christum, afferat nobis, aut si ita dicere libet, accipiat uitam & salutem. Sequitur: Caro enim „ mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Qui edit meã carnẽ, „ & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Hæc est collatio cibi & potus corporalis cum carne & sanguine Christi. Et constat hæc collatio partim dissimilitudine, partim similitudine. Dissimilitudo est, quòd etsi cibus & potus corporalis alunt hominem, & sustinent uitam eius, non tamen sunt uerè cibus & potus, quia non cõseruant hominem perpetuò, sed tantum ad tempus in corporali & caduca uita. Caro autẽ & sanguis Christi, si accipiantur fide (hoc est, si credideris carnem Christi in mortem pro peccatis traditam, & sanguinem eius in remissionem peccatorum effusum) sunt uerè cibus & potus, quia conseruant hominẽ in perpetua uita. Nam, qui in Christũ credit, uidetur quidem mori, ut alij homines, mors autẽ eius non est mors, sed somnus, propterea quòd uita eius abscondita sit cum Christo, & conseruetur à Christo, donec resuscitetur in nouissimo die. Similitudo autem est, quòd quemadmodũ succus cibi ac potus corporalis transmittitur in omnia hominis mẽbra, & uertit habitum totius corporis, in sui naturã, ut si quis utatur cibo nimis humido, efficiatur & corpus humidũ, si frigido, efficiatur & corpus frigidum: ita etiam caro & sanguis Christi uertunt sumentẽ, hoc est, credentem in suam naturam. Qui edit (inquit) meam carnem, & bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in eo, hoc est, una efficimur caro, unus sanguis. Et quam habent naturã mea caro & meus sanguis, eandẽ etiã consequitur is, qui me uescitur. Caro aũt Christi est uita. Dabo (inquit) carnem meam pro mundi uita. Caro item Christi nõ potuit perire in morte, sed resurrexit à morte. Et sanguis Christi expiat peccata, quia est iustus & innocens sanguis. Quare qui hoc cibo & potu utitur, is ut reputatur iustus corã Deo, ita etiã uiuificatur, ne pereat in morte, sed resurgat, & habeat ęternam uitam. Hoc aũt cibo & potu, qui est Christus ipse per fidẽ acceptus, quid potest homini contingere utilius, quid magis salutare? Sed obsecro te, unde habent caro & sanguis Christi tm̃ uirium, q̃ ue

Caro Christi qualis sit cibus.

scentẽ uiuificent,ac cõseruent eum in perpetua uitã. De hac re Christus ipse sic concionatur:Sicut misit me uiuens pater,& ego uiuo propter patrem,ita & qui ederit me,ipse quoq; uiuet propter me. Obseruabile dictum,quo Christus non solũ exponit causam,propter quam caro & sanguis eius afferant uescenti,hoc est,credenti in ipsum, ueram uitã & salutem,sed etiã indicat,quanta sit credentiũ in ipsum maiestas. Misit me(inquit)pater in hũc mundũ,ideoq; factus sum filius hominis, ac uerus homo,habens carnem & sanguinẽ. Non solum aũt misit me pater, sed etiã uiuo propter patrem,hoc est,non tantum sum filius hominis,ac homo, sed etiã sum filius Dei,ac uerus Deus, habens naturam ipsam diuinitatis. Veni quidem in hunc mundum,ut homo,ut seruus,ut legatus, nihilominus tamen uiuo propter patrem,habeo Deum patrem, à quo ab ęterno uerus Deus genitus sum. Eodem modo,qui edit me, seu credit in me,is etiam uiuit propter me. Sicut enim ego, quia natus sum ab ęterno à Deo patre meo,uiuo propter patrem,& sum uerus Dei filius,ac Deus ipse:ita & hi,qui credunt in me,quia renascuntur in me per fidem,uiuũt etiam propter me, nec manent tantum homines, sed fiunt etiã filij Dei, adeoq; dij ipsi. Quid ergo ad hæc dicemus? num qui credit in Christũ, ita uiuit propter Christum, ut fiat & ipse propter Christum Deus? Tot ergo erunt dij, quot credentes. Accusamus Ethnicos impietatis, quòd multos deos finxerint:Nos autẽ nunc multo plures facimus. Quid magis absurdum dici potest? Sed bene habet. Non sectamur Ethnicam impietatem,sed Christianam pietatem. Nam qui credunt in Christum,tales fiunt dij,qualis est conditio eorum. Non fiunt naturales dij, qui ab ęterno fuerint,(sic enim tres quidem sunt personæ,unus autem tantum Deus) sed fiunt dij adoptiui. Nam quemadmodũ in ordine Principũ, alij sunt natiuitate Principes, alij electione, quos dicere posses, principes factícios:ita inter filios Dei,unus tantũ est naturalis ab æterno filius Dei, alij autem fiunt filij Dei electione & adoptione, quos & ipsos posses factícios Dei filios dicere. Quotquot,inquit, receperunt eum, dedit eis, ut liceret filios Dei fieri,his qui credidissent in nomẽ ipsius. Qui autem est filius Dei,certè Deus est. Sicut enim eum, qui est hominis filius, hominẽ esse necesse est, ita & eum qui est Dei filius, Deum esse necesse erit. Quod de carne nascitur,caro est. Ergo quod de Deo nascitur, Deus est. An non ab initio homo sic conditus est,ut esset Deus,nõ quidem increatus,sed creatus? Dixit enim Deus: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinem nostram. Hoc certe est deliberare de faciendo seu creando Deo. Et si homo perstitisset in obedientia,et in iusticia,in qua creatus erat,uidisses ipsum in terris, ut Deum, incedere. Nunc autem hæc maiestas amissa est per peccatum & inobedientiam, sed recuperata est hominibus per Christũ,ut quotquot in ipsum credunt, recipiant diuinam maiestatem,ac fiant filij Dei,hoc est, dij ipsi. Ego dixi, inquit Psalmus,Dij estis,& filij excelsi omnes. Quid ergo faciamus? num credẽtes in Christum ornantur tanta maiestate & nobilitate,ut carnaliter inflati, alios homines præ se cõtumeliose fastidiãt? Nihil certe minus. Sed ut discant ea uti aduersus Satanam & peccatum,& cõseruent salutẽ in Chri-

Christus uerus homo, et uerus Deus.

Homines dij fiunt.

Dij adoptiui homines.

Homo Deus creatus.

sto exhibitam. Primum enim utendum est cõsideratione huius maiestatis ad repellẽdos assultus Satanæ, in grauissimis quibusq; tẽtationibus. Nã conscij nobis sumus, q̃ multa & magna peccata designauerimus, & reipsa sentimus, q̃ peccatũ inhæreat adhuc carni nostræ, ideoq; reuelato in nobis iudicio Dei, uidemus damnationẽ nostram, uidemus ignẽ inferni ad deuorãdos nos accensum, & sollicitat nos Satan ad desperandum de salute nostra. Quo ergo in tantis angustijs nos uertemus? Cõsideranda est per fidem maiestas nostra, q̃ propter Christum adoptatisimus in deos. Dij aũt nullum habent peccatũ. Et ignis inferni nullum habet ius in deos. Diuersum quidem reipsa in nobis apparet, magis autẽ iudicãdum est nobis secundũ ueritatem nostræ adoptionis, q̃ secundũ externam ac sensibilem rerum speciem. Veritas autem est, q̃ uerus ac æternus Deus agnoscat nos propter Christum, filios suos, hoc est, deos ipsos. Quare, etsi iudicium peccatorũ nobis molestum est, tñ nullum potest nobis incõmodum propter Christũ afferre. Sunt quibus grauis est paupertas, aut morbus, aut alia quædã calamitas in hoc seculo. Hi cogitare solent, has calamitates sibi perpetuo fore exitio, ideoq; mirũ in modum perturbantur. Quid igitur faciant? Cõsiderent maiestatem suã, q̃ facti sint dij propter Christum. Dijs aũt nihil potest ab ijs corporalibus calamitatibus noceri. Quare bono sint animo, quicqd acciderit, magis erit adiumentum q̃ detrimentum. Alij mortẽ ita horrent, ut sentiant sibi per mortem in æternas tenebras & cruciatus ingrediẽdum esse. Quo ergo hi confugiant? Tutissimum asylum erit, si confugiant ad considerationẽ suæ maiestatis. Adoptati.n. sunt per Christum in deos. Mors autẽ nullum habet ius in deos. Sunt enim immortales, & ducũt uitam perpetuò fœlicem. Confidendũ igitur est, q̃ mors in his, qui credunt in Christum, non sit uia ad interitum, sed potius uia ad uitam, cum Christo inæternum fœliciter agendam. Deinde utendũ est cõsideratione huius maiestatis, ad excitandam & cõseruandam in nobis obedientiam erga Deum, & ad ducendam honestamuitam. Si enim facti sumus propter Christum filij Dei, seu dij ipsi, nõ debemus ducere uitã sicut filij Satanæ, aut sicut Satan ipse, sed sicut decet filios Dei, aut deos. Nam quemadmodũ turpe est, si Princeps faciat ea, quę sunt indigna principe, ita multo turpius est, si filius Dei faciat ea quæ sunt filio Dei indigna. Obsecro aũt te, cõmemora mihi quędã, quę sint filio Dei indigna. Sed qd pluribus opus? Vide, quæ Deus uerbo suo uetuerit: Deum cõtumelia afficere, Deũ iudicare mẽdacem, odisse proximũ, inuidere proximo, dare operã imposturis, helluari, & alia id genus plurima, ea demũ sunt indigna filijs Dei, & qui hæc sectatur, non agit uitam, sicut filius Dei, aut Deus, sed sicut filius diaboli, aut diabolus ipse. Hæc emm̃ sunt diaboli opera, quę qui facit, eum ex patre diabolo esse, necesse est. Quare fugienda sunt opera diaboli, sectanda autẽ sunt opera Dei, ut quam diuinã maiestatem in Christo per fidem consecuti sumus, eam etiã retineamus. Postremo, quod Chri
„ stus addit: Hic est panis ille, qui de cœlo descẽdit, nõ sicut comederunt
„ patres uestri manna, & mortui sunt. Qui ederit hunc panẽ, uiuet in æter
„ nũ: conclusio est huius totius concionis, in qua cõclusione repetit Chri-

stus

ſtus principalem concionis ſuę ſtatum, ĩſdem pene uerbis, quibus eam antè propoſuit. Cum.n. Chriſtus ſit uerè cibus & potus, ac nõ tantum ſit filius hominis, ſed etiã filius Dei, qui propter patrẽ uiuat, ac ſit uita ipſa, manifeſtũ eſt, ꝙ longe excellentior ſit panis, cꝫ Manna in deſerto, quo etiamſi patres ueſcebantur, tamẽ moriebãtur: hic autem Ieſus Chriſtus, talis eſt panis, ut qui ipſo ueſcitur, aut in ipſum credit, nunc̃ꝫ moriatur, ſed perpetuò uiuat. Hæc cũ antea ſatis copioſe explicata ſint, ſuperuacanea uidetur longior de ipſis oratio. Quare, nihil nobis prius ſit, cꝫ ut nobis in hac miſerrima iuſticiæ & uitæ noſtræ fame, hũc panem per fidem adhibeamus, qui eſt Ieſus Chriſtus ſeruator ac uiuificator noſter, unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LIX.

QVam Chriſtus concionem de eſu carnis & potu ſanguinis ſui habuit, interpretatione noſtra ſatis, quãtum quidem ad hoc inſtitutum noſtrum attinet, explicuiſſe uidemur. Nam præcipuus huius concionis ſtatus hic eſt, quòd non Moſes, ſed Ieſus Chriſtus ſit uerus ſeruator noſter, & ꝙ qui in Ieſum Chriſtũ credit, (hoc enim eſt ueſci carne Chriſti, & bibere ſanguinem eius) conſequatur ueram ac æternã uitam. Hęc eſt ſumma totius Euangelĩ Chriſti, quæ cum aliàs ſępe ac multum in hoc Euangeliſta, quem interpretandum ſuſcepimus, repetitur, non cõmorabimur diutius in hac parte, ſed percurremus ea, quæ Ioannes poſt hanc concionem deſcribit. Hæc (inquiens) dixit Ieſus in Synagoga docens in Capernaum. Euangeliſta nõ tantum deſcripſit cõcionem Chriſti, ſed addit etiam locum, in quo hæc concio dicta fuit, uidelicet in Capernaum, prẽcipua urbe Galilææ, & in Synagoga, hoc eſt, frequentiſsimo eius urbis loco. Qua deſcriptione Euangeliſta non ſolum ſignificat, hanc concionẽ certò dictam eſſe, ſed cõmendat etiam ueritatem doctrinæ Chriſti. Quæ enim Chriſtus docuit, ea non communicauit cum paucis tantũ, in ſecretioribus locis, quod hæretici & ſeditioſi facere ſolent, qui cum intelligant ipſi doctrinam ſuam eſſe falſam, odio habent lucem, ſed docuit ea palàm in ſcholis & in templo. Videamus igitur, quomodo auditores Chriſti exceperint hanc cõcionem. Proponitur autem hoc loco magna auditorũ differentia, & diuiduntur in duas partes. Alĩ em̃, ĩjcꝫ pauciſsimi, uidelicet, duodecim tantum, accipiunt cõcionem Chriſti æquo animo, & perdurant in audienda doctrina eius, quemadmodũ paulo poſt ſequitur. Alĩ autem, ĩjcꝫ maxima præcipuorum auditorum pars, execrantur hanc cõcionem, & deficiũt à Chriſto. Multi, inquit Euãgeliſta, ĩs auditis, ex diſcipulis eius dixerũt: Durus eſt hic ſermo. Quis poteſt eum audire? Quæ offendicula antea ſigillatim commemorata ſunt, nunc cõiunctim recitantur. Duo enim ſunt, quibus auditores in hac cõcione offendebantur. Alterũ eſt, ꝙ dixerat Ieſus, ſe deſcendiſſe de cœlo, quo ſignificauerat, ſe filium Dei, ac Deum ipſum eſſe. Alterum eſt, quod dixerat carnẽ ſuam manducandam, & ſanguinẽ bibendum eſſe. Quæ igitur auditores antea ſigillatim ſecũ murmurauerant, ea nunc cõprehenſim repetunt: Durus, inquiunt,

Capernaitæ offendũtur.

est hic sermo. Gloriatur se de cœlo descendisse, hoc est, se esse Deũ, nos autem uidemus, & scimus eũ esse hominem, ex hominibus. Quid ergo fieret nobis si sectaremur eum, tam blasphema docentem? Certe inferremus nosipsos in periculum, & discrimen, non solum uitæ nostræ corporalis, sed etiam perpetuę salutis. Lex em̃ extat: Si surrexerit in medio tui prophetes, & prædixerit signum ac portentum, & euenerit, quod locutus est, ac dixerit tibi, eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, nõ audies uerba Prophetæ illius, sed Propheta ille interficiatur. Cum igitur is Iesus, multa quidẽ & magna miracula ediderit, obtrudat autem seipsum nobis pro Deo, qui nõ agnoscimus nisi unum Deum creatorẽ cœli & terræ, agite dum amici, fugiamus procul ab hoc doctore, ut nõ solum tam blasphema nõ audiamus, sed etiam ne unà cũ ipso à gente nostra trucidemur. Deinde durum & hoc est, ꝙ exigat à nobis esum carnis suæ, & potum sanguinis sui. Quid? An conatur abrogatis nostris legibus, mores Scytharum, aut Indorũ, in nostra repub. insti-

Scytharum mores.

tuere? Non procul à Scythia dicuntur esse populi, quos à uescendis humanis carnibus ἀνθρωποφαγους, hoc est, hominũ deuoratores uocãt. Et in

Parentes suos mactant Indi.

India aiunt esse gentem, in qua solenne sit, ut liberi mactent parentes suos, ac uelut in hostias cædant, & deinde carnibus eorũ uescantur, quod quidem apud illos nõ immanitas, sed pietas iudicatur. Cum ergo Iesus iubeat nos uesci sua carne, num faciet ex Iudęis Indos, & ex Israelitis Scythas? Quod autem commemorat de potu sanguinis sui, nõ minus absurdum, quàm periculosissimum uidetur. Nam, quãtum nobis, inquiunt, est iudicij, significat se hoc potu exigere à nobis pactum coniurationis.

Herodotus in θαλείᾳ.

In alijs enim gentibus, alij sunt ineundorum pactorũ mores. Inter Arabes, statuitur medius quispiã inter eos, qui fœdus ferire uolunt, qui primum uolam, iuxta pollices ipsorũ acuto lapide dissecat, deinde accepta stupa ex utriusq; uestimẽto, ungit eo sanguine septem lapides in medio

Cornelius Tacitus.

positos. Ex qua cõsuetudine uides fœdera nõ sine sanguine eorum, qui iungebantur, sancita fuisse. In alijs quibusdam gentibus, solenne fuit, in faciendis fœderibus sanguinem nõ solum fundere, sed etiã bibere. Qui em̃ societatẽ inibant, solebãt dextras pollicesq; inter se uincire, nodoq; constringere, deinde sanguinem ad extremos artus coactũ, leui uulnere elicere ac lambere, Id fœdus habebatur arcanum, ac firmissimũ, quippe quod mutuo cruore sacratũ esset. Romana historia testatur in seditione Catilinaria, uulgatũ fuisse, ꝙ Catilina autor seditionis circumtulerit in pateris sanguinem humani corporis, uino permixtũ, & potauerit eo omnes coniurationis conscios, ut hoc potu mutuum iusiurandum confirmaretur, & ipsi inter se magis fidi essent. Habes potũ humani sanguinis in feriẽdis fœderibus, & faciendis cõiurationibus solennẽ fuisse. Quare cum Capernaitæ audirent Iesum concionari de potu sanguinis sui, non dubito, quin uenerit eis in mentẽ huius cõsuetudinis, & existimauerint Iesum exigere ab ipsis tale fœdus, quo se cum ipso ita deuinciant, ut non tantum periculo fortunarũ, sed etiam uitę, ac sanguine suo iuuent ipsum ad accipiendam mundanam in toto orbe terrarũ dominationẽ. Etsi aũt Iudæi tenebantur magno desiderio mundani regni, & hoc præcipuè in

Messia

Meſsia ſuo quærebant, ut in hac terra dominarẽtur, tñ quia exiſtimant Ieſum hoc agere, non ut quieſcentibus ipſis, & extra teli iactum cõſiſtentibus terrenam fœlicitatem pararet, ſed ut maximis ipſorũ periculis regnum acciperet, abominantur cõcionem eius, & deliberant de diſceſſu. Quid? inquiũt, Sperauimus fore, ut cum profiteatur ſe eſſe Meſsiã, faceret nos ſine omni incõmodo noſtro in hac terra beatos. Nũc aũt, qa intelligimus eum quærere cõſpirationem, ut potu ſanguinis eius in uerba eius iuremus, & uelle nobis extrema quæuis pericula creare, quis poteſt eius eſſe diſcipulus ac ſectator? Dicit em̃: Qui edit meã carnem, & bibit meum ſanguinẽ, in me manet, & ego in illo. Quid hoc aliud eſt, q̃ ſi diceret, qꝺ debeamus nos cũ ipſo ita deuincire, ut adhæreamus ipſi indiuidua cõiunctione, & ſectemur ipſum, quocunqꝫ nos ſiue per tela, ſiue per ignes, ſiue ad oppugnandã urbem Hieruſalẽ, ſiue urbem Romam duxerit? Fugiamus igitur, & relinquamus ipſum ſuo ſanguini, ne unà cum ipſo, *quod* alijs ſeditioſis contigit, etiam noſtrum ſanguinẽ, noſtramqꝫ uitam amittamus. Vides hîc magnam quidem, ſed carnalem & impiã Capernaitarum prudentiam. Nam prudentia eſt, nõ participare alienã impietatem, & nõ inire fœdus cum ſeditioſis: ſed impietas eſt, quòd quem ſciebant habere teſtimonium Ioannis Baptiſtæ, uiri ſanctiſsimi, & quẽ uidebant autoritatẽ doctrinæ ſuæ tantis miraculis confirmare, eum nõ proſequantur tanta fide, ut credant concionem eius ueram eſſe, etiamſi non intelligant: nec dignentur eũ tanto honore, ut reuerenter quærant de uera concionis eius ſententia. Quare digni ſunt non ſolũ grauiſsima reprehenſione, ſed etiã ſeueriſsima pœna. Et tamen Chriſtus qua eſt humanitate, tractat eos clementer. Sciens enim Ieſus apud ſemetipſum, qꝺ murmurarẽt de hoc diſcipuli ipſius, dixit eis: Hoc uos offendit? Si ergo uideritis filium hominis aſcẽdentem eò ubi prius erat: ſubintelligendũ eſt, reipſa ſentietis me uera dixiſſe. In hoc loco primũ ſignificatur occulta hominũ Chriſto Domino noſtro nota eſſe. Etſi enim auditores eius non obijciebant ipſi manifeſtè abſurditatem cõcionis, ſed inter ſe clam murmurabant, tamen uidet & audit cogitationes & murmura eorum. Admonemur ergo, ut corã maieſtate Chriſti, qua nunc cœlum & terra impleta ſunt, nõ ſolum nihil turpiter faciamus, ſed etiam ne cogitemus quidem. Deinde ſignificat Chriſtus, ſe cõcionis ſuæ ueritatem reipſa cõprobaturum. Dixit, ſe de cœlo deſcẽdiſſe. Hoccine ergo, inquit, uos tantopere offendit, ut uelitis à me deficere? Sedẽquo animo ſitis. Quod uerbis dixi, rebus probabo. Nemo enim aſcendit in cœlum, niſi qui è cœlo deſcendit, quemadmodum ſupra dictum eſt. Ego autem aſcendã in cœlum. Quare, ſi uideritis me aſcẽdentem in cœlum, tunc reipſa comperietis me deſcendiſſe de cœlo. Sed ut recte intelligamus, quod de deſcenſu è cœlo, & aſcenſu in cœlum dicitur, obſeruandum eſt, quòd in hac concione deſcendere è cœlo ſit natura ſua cœleſtẽ & diuinam habere originem, hoc eſt, uerum eſſe Deum. Niſi enim hæc eſſet ſententia deſcenſus è cœlo, quomodo Iudæi fuiſſent offenſi? Non eſſent offenſi, ſi intellexiſſent Ieſum ita è cœlo deſcendiſſe, ut haberet cœleſtem uocationem, qualis fuit uocatio Moſi, aut Eliæ, aut aliorum Prophetarum. Cum au-

E cœlo deſcendere.

tem hac locutione tantopere offendantur, ut etiam deficiant à Iesu, dubium non est, quin intellexerint Iesum his uerbis tribuere sibi diuinitatẽ. Quod cum iudicent esse impium ac blasphemũ, putant nihil saluti suæ cõsultius esse, ꝙ ut Iesum unà cum sua doctrina deserant. Ascendere uero in cœlum hoc loco, non est de tali ascensu intelligendũ, quali Elias in cœlum ascendit: nec de eo tantum ascensu Christi, qui factus est in monte Oliueti, quadragesimo die post resurrectionem eius, sed hic ascensus, de quo in præsentia sermo est, cõprehendit omnia, quibus Christus diuinitatem suam comprobauit, uidelicet, ꝙ resurrexerit tertia die à mortuis, ꝙ ascẽderit quadragesimo die post resurrectionẽ in cœlũ, quòd miserit spiritum sanctum, ꝙ ediderit nomine suo magna & multa miracula per Apostolos, ꝙ uulgauerit ministerio Apostolorũ Euangelion suum in totum orbem terrarũ, & defenderit illud in medio persecutorũ, tam Iudæorum, ꝯ Gentium, adeoꝯ ꝙ sedeat à dextris Dei, ac dominetur in medio inimicorum suorũ, & iustificet, uiuificetꝯ omnes credentes in ipsum. Hæc eñ certa sunt, & firma argumenta, quibus reuelata & cõprobata est diuina maiestas Christi. Cum ergo dicit, Si uideritis filiũ hominis ascendentem eò, ubi prius erat, hanc habet sententiã, Dixi, me descendisse è cœlo. Nolite ergo hoc uerbo ita offendi, ut à me deficiatis. Nam quod dixi uerbo, probabo re ipsa. Ascendã iterum eò, ubi prius eram, & reuelabo cœlestem ac diuinã meam maiestatẽ, ut perspicuè cognoscatis, meam doctrinam ueram esse, ac me uerè de cœlo descẽdisse, hoc est, hominem quidem assumpsisse, uerum aũt esse Deum. Huc pertinet etiam, quod Iesus aliàs, cũ coram Concilio à Caiapha interrogaretur, num esset Christus, filius Dei, respondit, Amodo, inquiens, uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. hoc est, Videor quidẽ nunc esse in oculis uestris abiectus homo & captiuus, ab hoc autem tempore maiestatem meam ita reuelabo, ut manifeste comprobaturus sim, me nõ solum esse uerum Messiam seu Christum, sed etiam uerum Deum, eiusdem cum Deo Patre essentiæ atꝯ potentiæ. Ac de eo quidem, quod Iesus dixit, se de cœlo descendisse, hactenus. Nunc audiamus etiam de illo, quod dixit, carnem suam manducandam, & sanguinẽ bibendum esse. Hoc, inquit, uos offendit, ꝙ iussi uos edere meam carnem, & bibere meum sanguinẽ? Existimatis fortasse me hac doctrina uel anthropophagian, seu humanæ carnis dilaniationẽ instituere, uel mutuam coniurationẽ ad inuadenda imperia huius mundi exigere. Itaꝯ metuitis, ne excitata seditione conjciã uos mea doctrina in extrema uitę pericula. Sed bono sitis animo. Si uideritis me ascendentem eò, ubi prius eram, reipsa cõperietis meam doctrinam nullum afferre exitium. Declarabo enim ascensu meo in cœlum, ꝙ regnũ meum nõ sit mundanum, sed cœleste regnum. Quare non est uobis metuẽda seditio, qua inuadam mundana regna. Nec metuẽdum est, ne mea doctrina afferat uobis aliquam perniciem. State tãtum, & permanete: sentietis reipsa, uos ex mea doctrina uitam et salutem accepturos. Videamus ergo, quomodo probet Iesus suam doctrinã magis salutis q̃ internecionis, & plus uitæ ꝯ mortis autorẽ esse. Spiritus (inquit) est, qui uiuificat. Caro

Ascẽdere in cœlum quid sit.

non

nõ prodeſt quicq̃. Verba, quę ego loquor uobis, ſpũs ſunt, et uita. Hunc locũ alij aliter intelligunt, ſed nos ſequemur ſimpliciſsimã ſententiã, & quam res ipſa indicat. Nam ſi conſideraverimus, quo in ſtatu cõſtet hęc controuerſia, quæ inter Chriſtum & Iudæos orta eſt, manifeſtum eſt, ꝙ ſit contentio de doctrina Chriſti, qua Iudęi quidẽ offenduntur, et quam reprobant, Chriſtus autem defendit. Sed & Chriſtus ipſe cum ait: Verba, quæ loquor uobis, ſunt ſpiritus, perſpicuè ſignificat, ſe hic loqui de ſua doctrina, & exponere, qualis ſit ea doctrina. Iudæi enim metuebant, ne ſi pergerent eſſe auditores & ſectatores Chriſti, conijcerentur doctrina eius in omnia genera malorum, & in mortẽ ipſam. Sed hunc metum refutat Chriſtus, & docet, doctrinã ſuam nõ mortificare, ſed uiuificare, non afferre perniciẽm, ſed ſalutem. Spiritus enim in hac locutione ſumitur pro ſpirituali & cœleſti ac diuina doctrina, Caro aũt pro carnali & terrena ac humana doctrina. Itaq̃ breuis quidẽ eſt, ſed obſeruabilis ratiocinatio: Spiritus, inquiẽs, hoc eſt, ſpiritualis & cœleſtis doctrina uiuificat, Caro aũt, hoc eſt, carnalis & humana doctrina, qualis eſt uel Phariſæorum, uel ſeditioſorũ, nihil prodeſt, quia affert exitium, & mortificat. Sed mea uerba, ſunt ſpiritus, hoc eſt, ſunt doctrina ſpiritualis, & non carnalis: Quare ſunt etiam uita, & non afferunt mortẽ aut exitium, ſicut uos iudicatis. Habes ratiocinationẽ Chriſti. Percurramus nunc partes eius. Spiritualis (inquit) & cœleſtis doctrina uiuificat, & affert ſalutem. Carnalis autem & humana doctrina mortificat, & affert exitiũ. Quid ergo dicemus de Lege Domini, quæ &ſi eſt ſpiritualis & cœleſtis doctrina, tamẽ mortificat, ſeu ut Paulus ait, occidit? Quid itẽ de multis humanis doctrinis, de mathematica, de medicina, deq̃ alijs artibus, quę ad humanam uitã partim ſunt utiles, partim etiam ſuo quodam modo neceſſariæ? Nũ dicemus & has nihil prodeſſe, ſed potius conijcere homines in internecionem? De lege igitur Dei ſic ſentiendum eſt, quòd mortificet quidem, & occidat hominem, hoc autem nõ fit legis, ſed hominis uitio. Si enim de ipſa diuinæ legis natura per ſe loquendum eſt, certè quia eſt doctrina ſpiritualis & cœleſtis, habet etiã naturam uiuificandi, & ſalutem afferendi. Cuſtodite, inquit, leges meas, & iudicia, quę faciens homo uiuet in eis. Afferunt igitur natura ſua uitam. Et cum Moſes abſoluiſſet miniſterium ferendę legis, ait: Cõſidera ꝙ hodie propoſuerim in conſpectu tuo uitam & bonum. Dicit & Chriſtus: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata Dei. Et Paulus: Lex ſancta eſt & præceptum ſanctum, ac iuſtum & bonũ. Sed & Stephanus: Accepit, inquit, Moſes ſermonẽ uiuum, ut daret nobis. Quare, quãtum ad naturam eius attinet, ut eſt doctrina ſpiritualis & cœleſtis, ita affert etiam uitam ſpiritualem & cœleſtem. Sed quia homines ſunt carnales, uenditi ſub pctm̃, idcirco fit, ut doctrina legis afferat homini magis mortem q̃ uitam, & potius damnationem, q̃ ſalutẽ. Quod cum non ſit legi, ſed homini & pctõ eius imputandũ, firmum adhuc fixumq̃ manet, ſpiritualẽ doctrinam uiuificare. De humanis autem artibus, quę ad conſeruandam humanam uitã in hac terra utiles ſunt, nullus hic fit ſermo. Nam alia eſt corporalis et terrena ſalus, alia eſt ſpiritualis & cœleſtis ſalus. Si de corporali ſeu terrena ſa

Spiritus & caro.

Syllogiſmus.

Maior.

Spũs eſt qui uiuificat, caro non prodeſt quicq̃.

Minor.

Sed uerba quæ ego loquor, ſunt ſpiritus.

Concluſio.

Igitur ſunt & uita.

Eadẽ cõcludẽdi forma Ioannes etiã ſuprà uſus eſt, cũ ait: Pater talis quærit qui adorent ipſum. Spũs eſt Deus. Et eos q adorãt eũ, ſpũ ac ueritate oportet adorare. In qua locutione, cũ dicit, Et eos qui adorãt ipſum, etiam utitur cõiunctione (Et) pro Igitur, ut ſit ſenſus: Spũs eſt Deus, igitur oportet eos, qui adorant ipſũ &c. Sic & hoc loco, Verba mea quæ loquor, ſunt ſpiritus

& uita, hoc est, Igitur sunt uita. Et Ioānis 15. Nō est seruus maior domino suo, Si me persecuti sunt, & uos psequentur, hoc est, ergo uos etiā persequentur.

lute loquendum est, multæ & uariæ sunt doctrinæ, quæ plurimum prosunt. Medicina prodest ad conseruandam aut recuperandā bonam corporis ualetudinem. Mathematica prodest ad cognoscēdos admirabiles illos motus corporum cœlestium, & ad dimetiendā terram. Agricultura prodest ad colēdam terram. Et quis breuibus posset humanarum artium utilitatem enumerare? Si autē loquendū est de uera spirituali, cœlesti, & perpetua salute, nulla certe alia doctrina prodest, præter spiritualem & cœlestem. Omnes carnales doctrinę, quantumuis alioqui utiles, sunt pernicioſæ & mortiferę, si iudicētur perfecta esse ratio ad cōsequendam cœlestē salutē. Inter carnales uero doctrinas maximè omniū mortiferæ sunt doctrinæ Phariſæorum & seditioſorum. Phariſæi docent ꝙ homines satisfaciāt diuinæ legi suis externis operibus, & ꝙ mereantur sua obedientia coram Deo iusticiam & uitam æternam. Hęc est uerè carnalis doctrina, quæ ducit homines in perpetuam internecionem. Seditioſi docent, ꝙ tributa nō sint danda Romano Imperatori, ꝙ capienda sint arma aduersus Romanos, ut Iudęi, eiectis è sua regiōe Romanis, uindicent sese in libertatem, & subijciant sibi etiam alia mūdana regna. Hęc est uerè carnalis doctrina, quæ ducit homines in periculum omniū fortunarum & bonorum. Cum igitur duo sint genera doctrinæ, aliud spirituale, quod uiuificat, & seruat: aliud carnale, ꝙd mortificat, & perdit, in quo, obsecro te, genere cōtinetur doctrina Christi? Verba mea, inquit, quæ loquor uobis, sunt spiritus. Doctrina mea non est caro, non est carnalis, sed est spiritus, est spiritualis. Manifestū igitur est, quod sit etiam uita. Dixi simpliciter: Qui in me credit, habet uitā æternam. Hęc est doctrina spiritualis, cœlestis & diuina. Quare qui accipit eam, accipit & uitam. Dixi metaphoricē, sed eodē sensu, Ego sum panis uiuus, ꝙ de cœlo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet inæternum. Et iterum: Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, nō habetis uitam in uobis. Est & hæc doctrina spiritualis & diuina. Reliquum igitur est, ꝙ sit uita, ꝙ uiuificet, ꝙ conseruet homines accipientes eam, ut cōsequantur sempiternam salutem. Sed cur nō recensemus, uel paucis, species doctrinæ Christi, ut cognoscamus uerum usum eius? Primum enim, Christus interpretatus est aliquoties legem Dei, quemadmodum apud Mat. cap. 5. & 6. & in alijs locis Euangelistarū scriptum est. Ad hanc speciem pertinent comminationes, reprehēsiones, & uaticinia de uenturis malis. Hæc doctrina nō est quidem propria Christi, sed Mosi, dicitur tamen & ipsa uiuificare, ꝓpterea ꝙ ꝓposita magnitudine & grauitate peccati, excitet homines ad quærēdam iusticiam & uitam in Christo, unico nostro seruatore. Deinde docuit aliquoties, salutem nostrā nō pendere ex humanis meritis, sed ex diuina electione. Nemo, inquiēs, potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum. Et iterum: Nō uos me elegistis, sed ego elegi uos. Viuificat & hæc doctrina, si quis eam rectè intelligat. Confirmat. n. fidē eorum, qui credunt in Christum, ut salutem suā certam & exploratam habeant. Nam si salus nostra penderet ex humanis meritis, nunq̄ possemus confirmato esse animo, quippe ꝙ hominū merita sint, ut imperfecta, ita & incerta. Et in Psalmo perspicuè dicit: In

Lex uiuificat & mortificat.

Doctrinæ Christi, i genera.

conspectu

conſpectu tuo nõ iuſtificatur omnis uiuens. Nunc aũt quia pendet è ſola & gratuita miſericordia Dei, quæ in Chriſto filio eius nõ ſolũ pateſacta, ſed etiam cõfirmata eſt, nõ poteſt eſſe incerta ſalus eius, qui in Chriſtum credit. Montes, inquit, cõmouebuntur, & colles cõtremiſcent, miſericordia aũt mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nõ mouebitur, dixit miſerator tuus Dñs. Quare cum hæc doctrina eximat è corde credẽtis dubitationẽ de ſalute ſua, manifeſtũ eſt, q̃ uiuificet eũ ſpirituali recreatione, & cõſeruet eum, ne deſperãdo inæternũ pereat. Poſtremo docuit Chriſtus Euangelion ſuum, q̃ uenerit in hũc mundũ, & reconciliet homines cũ Deo patre ſuo, ut omnis, q̃ credit in ipſum, nõ pereat, ſed habeat æternã uitam. Hæc eſt propria doctrina Chriſti. Et hæc eſt doctrina illa, quæ uerè uiuificat. Varia ſunt afflictionũ & mortis genera inter homines. Alius affligitur, ac penè moriẽ magnitudine inopiæ ſuæ, ſed ſi hanc Euangelij doctrinã accipit, & agnoſcit Deum ipſi propicium eſſe propter Chriſtũ, fieri nõ poteſt, quin ita uiuificetur, ut manifeſtè ſentiat ſe *in eorũ* eſſe numero, de q̃bus Paulus dicit: Quaſi pauperes, multos tñ *ditantes*, ut nihil habentes, & tñ omnia poſsidẽtes. Alius turbatur agnitione peccati, & emoriẽ præ grauitate iudicij eius. Sed ſi Euãgelio Chriſti fidẽ adhibuerit, & cognouerit peccatum ſuũ remiſſum eſſe propter Chriſtũ, è morte ad uitã ita emergit, ut qui antè uelut mortuus nõ audebat præ peccato ſuo oculos ad cœlum tollere, nunc audeat ad thronũ diuinæ maieſtatis intrepidè & alacriter accedere. Alius cõcutitur horrore mortis & inferni, ac putat ſe perpetuæ dãnationi obnoxiũ eſſe. Sed ſi audierit Euãgelion Chriſti, & crediderit in Chriſtũ, q̃ ipſe ſit uictor mortis ac inferni, & redemptor omnium ſperantium in ipſum, nõ ſolum ſeruatur in ipſa morte, ſed etiã ſuſcitabiẽ in nouiſsimo die, ut accipiat unà cum Chriſto omnium cœleſtium bonorũ hæreditatem. Quare conferamus in hanc rem omnes curas & cogitationes noſtras, ut doctrinã Euãgelij Chriſti obediẽti fide ſuſcipiamus, quo in omni genere afflictionis & mortis uiuificemur. Etſi aũt Chriſtus perſpicuè oſtẽdit, doctrinã ſuã nõ eſſe pernicioſam & mortiferam, ſicut illi iudicabant, ſed eſſe ſpiritualem & ſalutarẽ, uidet tñ eam nullũ habere locum apud maiorem auditorum ſuorum partem, ideoq̃ addit: Sed ſunt quidã ex uobis, qui non credunt. Nouerat emi ab initio Ieſus, qui eſſent nõ credentes, & quis proditurus eſſet ipſum. Et dicebat: Propterea dixi uobis, q̃ nemo poteſt uenire ad me, niſi fuerit ei datũ à patre meo. Vaticinatur Ieſus de defectione ſuorũ auditorũ, ac de proditione quoq̃ Iudæ Iſchariotis. De qua re, quoniam Ieſus iterũ admonebit diſcipulos ſuos mox in fine huius capitis, reiiciemus ad eum locum, quicquid nobis de hac re dicendũ uidebitur. Repetit aũt hic cauſam incredulitatis, quam & ſupra cõmemorauit. Nemo, inquit, poteſt uenire ad me, hoc eſt, in me credere, niſi fuerit ei datũ à patre meo. Dices ergo: Si res ita ſe habet, culpa incredulitatis in hominibus, magis Dei Patris eſt, non dantis fidẽ, & nõ trahentis ad Chriſtũ, q̃ hominum? Abſit. Pater, qui uult omnes homines ſaluos fieri, omnibus offert fidem, & omnes trahit, quantũ ad ipſum attinet, ad Chriſtũ, ſed nõ omnes accipiunt fidem, nec omnes obediunt uolũtati, & tractio-

Euangelion propria eſt doctrina Chriſti.

Incredulitatis cauſa.

ni patris. Scio neminem posse obsistere omnipotentię Dei, sed maxima hominum pars obsistit uoluntati Dei, quã ipse uerbo suo reuelat. Quoties uolui, inquit, cõgregare filios tuos, & noluisti? Ac iterum: Vos semper spiritui sancto restitistis, sicut patres uestri, ita & uos. An nõ in parabola de rege, qui fecit filio suo nuptias, & de homine qui parauerat cœnam magnam, plurimi inuitati sunt? & reliqui, qui nõ erant inuitati, uocantur tamen, adeoq; nonnulli eorum compelluntur. Sed ecce hominũ ignauiam & impietatem. Alij cõtemnunt, & abeunt ad sua negocia, alij afficiunt etiã cõtumelijs et occidunt seruos qui uocant ipsos ad nuptias. Alij etsi accedunt, tamen non afferunt secum uestem nuptialem. Quare culpa incredulitatis nõ est adscribenda Deo, sed impiæ uoluntati hominis, qui bonum, quod Deus clementer offert, furiose reijcit. Nam quod Christus dicit: Nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo, non significat Deũ esse autorẽ impietatis in hominibus, sed significat se obedire quidẽ uolũtati patris sui, nec susci pere externã dominationem, qua homines uiolẽter ad se recipiendum cogat, Deum aũt patrem non esse personarum respectorem, sed adducere ad filium, & dare filio eos, qui Euangelion filij per fidem accipiunt, qualescunq; alioqui persona sua uideantur. Deus enim non respicit multitudinem, non potentiã, non sapientiam, non externam sanctitatem & honestatem hominũ, sed respicit tantum suam ipsius misericordiam, qua eos eligit, qui electionẽ suam suscipiunt, & uocationi eius obediũt, siue illi pauci, siue abiecti, & ab omnibus alijs hominibus cõtempti fuerint. Gratias, inquit, ago tibi pater, Dñe cœli & terrę, q; abscõderis hęc à sapientibus & prudentibus (hi enim nolunt ea recipere) & reuelaris ea paruulis. Certe pater, sic cõplacitũ est tibi. Nullus igitur moueri debet uel multitudine, uel potentia, uel sapiẽtia, uel sanctitate incredulorũ & impiorum, ut Euangelion Christi abijciat, & sectetur unà cum incredulis alienam doctrinam, sed agnoscat Euangelion Christi per fidẽ, & perduret in eo constanti fide. Hoc si fecerit, nõ dubiũ est, quin Deus pater ita eũ filio suo Christo dederit, ut nunq; in æternum sit salutẽ amissurus. Sed cum hoc dictũ Christi etiam suprà explicuerimus, pergamus nunc, quę reliqua sunt percurrere. Ex eo (tempore) multi discipulorũ eius desciuerunt eo relicto, nec amplius cum illo ambulabant. Quod Christus futurum uidit, & uaticinatus est, hoc nunc reipsa euenit. Maxima auditorũ & discipulorũ pars deficiunt à Christo. Soli duodecim manent. Hic ergo cõsidera mihi hominum partim impietatem, partim ingratitudinem. Impietas est, q; nõ adhibeant fidem ei, qui tot habet autoritatis suæ testimonia. Sed hęc est solennis fortuna Christi, ac Euãgelij eius, q; homines deficiant ab eo, cũ nõ uident sibi affulgere ex ipso spem mundanæ fœlicitatis. Ingratitudo est, q; propter uerbum paulò durius, ut ipsis quidem uidebatur, cõtemnant & deserant benefactorem. Acceperunt enim paulo antè à Christo magnũ beneficium in deserto. Nec dubito, quin multi in hac turba fuerint, qui consecuti sunt ab ipso sanitatem. Nam priusq; Christus ediderit miraculum de quinq; panibus & duobus piscibus in deserto, & habuerit hanc concionẽ, sanauerat oẽs qui ad ipsum uenerãt malè habẽtes, uarijs

Multitudinis defectio scandalosa.

morbis

morbis ac torminibus affectos, dęmoniacos, lunaticos, & paralyticos. Ecce aũt hi omnes tam ingrati sunt, & morosi, ut ne asperum quidem & horridum uerbũ in benefactore ferre queant. Ac finge mihi, finge inq̃ (re em̃ ipsa nihil tale de Christo dici, ac ne cogitari quidẽ potest) Christum sermone suo uel paululũ à recto aberrasse, uel uehementiorẽ & duriorem fuisse, q̃ par esset, an non debuissent tantillum erratũ tot & tantis beneficijs cõdonare? Sed maxima est hominũ ingratitudo. Nisi semper pergas beneficia beneficijs cumulare atcp adaugere, nõ agnoscũt ea, & tamẽ ne hoc quidem, etiãsi feceris, agnoscunt. Ac ueriſsimũ est illud, quod in nostra regione uulgo iactatur, Tantam esse hominũ ingratitudinem, ut si quẽ humeris tuis ad Romam usq̃ ferres, & deponeres eum paulo iniquius aut indignius, tunc totũ beneficium amitteres. Quid ergo faciamus? debet ne hominũ ingratitudo tãti apud nos momẽti esse, ut nulli benefaciamus? Absit, faciamus nos nostrum officium, quod Deus iubsit. Etsi em̃ homo est ingratus, DEVS tamen est gratiſsimus, apud quem reposita est copiosa omniũ piorum officiorũ merces. Videamus autẽ nunc, quid Christus aduersus hos defectores agendum suscipiat. Fortasis ferit eos fulmine, aut grassatur in eos gladio? Nihil certè minus. Nam cum Dominus apud Mosen dicat: Qui uerba eius, quę loquetur in nomine meo, audire noluerit, Ego ultor existã. Tradit Christus ultionem DEO patri suo, & uertit ipse se ad duodecim illos Apostolos, qui ex omni discipulorũ numero soli remanserãt, ac dixit ad eos: Num «
& uos uultis abire? Interrogat autem eos, non q̃ ignoret animi eorum «
propositum, sed ut hac occasione exponant ipsi suam fidem, & confirmẽ «
tur in ea. Respõdit ergo ei Simon Petrus: Domine ad quẽ ibimus? Ver- «
ba uitæ ęternę habes. Et nos credimus & cognouimus, q̃ tu es Christus «
filius Dei uiui. Hæc est egregia cõfessio de Iesu Christo, cuius similis ex «
tat etiã apud Matthęũ cap. 16. Primum autẽ, q̃ Petrus solus respondeat Christo, non significat eum fore Monarcham in Ecclesia Christi, sed significat eum esse aliorum collegarũ suorũ os, & ut uocant, procuratorẽ. Nam quod dicit, non suo tantum nomine, sed etiam collegarum suorũ nomine dicit. Deinde commendat & illustrat cõfessione sua tam doctrinam, q̃ personam Iesu. De doctrina ait: Verba uitæ æternæ habes. Magna hæc est, & obseruabilis commendatio Euangelij Christi. Quo ibimus? inquit. Num ad Pharisæos? Sed illi nõ nisi nugas suas de fimbrijs, de lotionibus manuũ, de decimationibus anethi, & cymini, & de alijs id genus rebus nobis inculcant. Ac doctrina eorũ, etiamsi aliquid ex lege docẽdum susceperint, neq̃ calidos nos, neq̃ frigidos reddit: imo sic docẽt opera legis, ut si quis opiniones eorum sectetur, perpetuo intereat. Num ad Mosen ibimus? Hic docet quidẽ diuina & cœlestia, sed nos imbecilliores sumus, q̃ ut queamus doctrinę Legis eius perfectè obedire, ideoq̃ addicit nos morti, & sempiternæ damnationi. Quare nõ quęremus alium doctorem, sed manebimus apud te. Tua enim doctrina uera afiert, eamq̃ æternam uitam. Nam aliorum hominũ doctrina, aut est utilis tantum ad hanc corporalem uitam, aut ducit auditores ad mortem. Sola autẽ tua doctrina ducit ad æternam uitam. Cum hac Petri cõ-

Ingratitudo hominum.

fessione de Euangelio Christi conuenit & illud, quod aliàs Christus ait: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Et Paulus: Euangelion (inquit) est potentia Dei ad salutẽ omni credenti. Maneamus igitur & nos in doctrina Christi, ut morte liberati, uitam & salutem cõsequamur. De persona autem Iesu ait Petrus: Tu es Christus filius Dei uiui. His paucissimis uerbis tribuit Petrus

Messiæ maiestas.

personæ Iesu duplicem, & summam omnium maiestatẽ. Alteram, q̃ Iesus sit uerus Messias seu Christus, de quo Prophetę uaticinati sunt. Hęc est maiestas, quæ superat gloriam omnium monarcharum huius seculi. Alteram, q̃ Iesus sit filius Dei uiui, hoc est, q̃ sit uerus ac æternus Deus. Duplices. n. sunt filij. Alij sunt naturales, alij sunt adoptiui. Christus aũt

Christus filius Dei naturalis.

non est adoptiuus Dei filius, quales fiunt homines qui credunt in Christum. Christus enim nõ est adoptatus, sed genitus à Deo. Ego hodie, inquit, genui te. Quare est naturalis filius Dei. Si naturalis, reliquum est, q̃ cum à Deo non gignatur nisi Deus (sicut ab homine nõ gignitur nisi homo) Christus sit uerus & æternus Deus. Hæc est maiestas, quæ superat non solum gloriam regni huius terræ, sed etiã gloriam omniũ creaturarum, tam in cœlo q̃ in terra. Quid ergo faciamus nos? Hæc illa est confessio & doctrina, qua fundata est Ecclesia Christi, & quę proprie dicitur Apostolica. Teneamus igitur hanc confessionẽ tanta firmitudine, ut eam nobis è corde & fide, nulla persecutorũ tyrannide, nullis hæreticorum dolis, nulla Iudæorum uanitate, nulla Mahumetis & Turcarum crudelitate, nullis denique Satanę mendacijs excuti finamus. Sed hic uide mihi admirabilem Christianismi fortem. Inter tot millia hominum, soli duodecim retinent ueram doctrinam de Christo. Et tamen ne hi quidẽ duodecim oẽs synceri sunt. Sed unus eorum, ut Christus ipse loquitur,

» diabolus est. Sic enim sequitur: Respõdit eis Iesus: Nonne ego uos duo
» decim elegi, et ex uobis unus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Ischariota. Hic em̃ erat proditurus eum, cũ esset unus ex duodecim.

Supra admonuit Christus discipulos suos de defectione multitudinis, nunc admonet eos, q̃ ne inter paucos quidẽ omnes synceri esse soleant, ac uaticinatur de proditione Iudę. Non existimes autem Christum hoc sine summo consilio & antè dixisse & nunc repetijsse. Primum em̃, Christus concionatur de his rebus, partim ut declaret uentura sibi nota esse, quo miraculo confirmet etiam autoritatem suæ doctrinæ: partim, ut cũ uaticinatur de Iuda, significet se nõ coactũ humana proditione, sed sua sponte & diuino consilio suscepturum passionem & mortem suam. Deinde meminit defectionis, ut & hi qui credunt, discant timorem Dei, & caueant ne securè stertant, & à Satana præoccupentur. Non solum enim inter multos, multi à salute excidunt, sed etiam inter paucos, eosque selectos, solent ij excidere, qui acceptam salutem nõ diligenter custodiunt. Quare pij in hoc studiũ omni cura incumbere debent, ut in timore Dei ambulent, & uocationi Dei sollicitè obediant, ne si securam uitã ducant, acceptam salutem ignauia sua amittant. Præterea, monet Christus pios, ut siue multi inter multos, siue præcipui inter paucos ab Euãgelio deficiant, non offendantur, sed perseuerent, & constent in agnoscenda & cõfi-

tenda

tenda Euāngelij ueritate. Etsi enim maxima pars discipulorum discesserat, propter hos tamen nō reijcit duodecim, qui remanebant, sed eo maiori dilectione eos complectitur, quo plures defecerant. Et quanq̄ inter duodecim etiam, unus erat diabolus, nō natura quidem, sed impietate, qua futurus erat proditor, tamē reliqui undecim tanto acceptiores sunt Christo, quanto sceleratior erat duodecimus. Nihil ergo moueamur multitudine impiorū, sed sentiamus nos, si sectamur Euangelion Christi, Deo gratissimos & acceptissimos esse, siue multi siue pauci credant. Deinde docet etiam hoc exemplū Christi modestiam. Solenne enim est apud imperitos homines, cp propter unum aut alterum sceleratum condemnent omnes, qui sint eiusdē uel familiæ uel opificij. Si, exempli gratia, unus & alter, aut mercator, aut sarctor, aut pistor, aut molitor fuerit impostor, dicere solent, omnes alios eiusdem opificij esse impostores. Sed heus tu, si generaliter iuxta hanc tuam legem iudicādum esset, quis, obsecro, honestus haberi posset? imo necesse habebimus, etiā teipsum *in catalogo* nebulonum recensere. Quod enim est genus uitæ, quis hominum ordo aut status, in quo non inueniantur homines sceleratiꝰ Postremo, Christus uaticinatur de defectione incredulorum, ac de proditione Iudæ, ut incredulos, & Iudam ipsum, Apostolum suum, in tempore moneat, quo resipiscant, & supplicīū impietatis effugiāt. Christus n. habuit hanc concionem, duobus, ni fallor, annis ferè, anteq̄ proditus est à Iuda, & crucifixus. Significat ergo in hoc colloquio, unum è duodecim Apostolis proditorē fore, ut Iudas, qui nomine diaboli notatur, habeat spacium pœnitentiæ, & caueat, ne, q̄d uerbo audit, reipsa scelere suo impleat. Hoc exēplum obseruatione dignissimum est. Nam scriptura quæ est oracullum spiritus sancti, uaticinatur de postremis temporibus, in quibus nos nunc uitā agimus, cp multi sint defecturi à Christo, & sectaturi impietatē. Filius hominis, inquit, cum uenerit, an reperturus est fidē in terra? Et iterū: Lata est porta, et spacioſa uia, quę abducit in exitiū, ac MVLTI sunt, qui ingrediunt per illam. Ac rursus: Multi Pseudoprophetæ surgent, ac seducent MVLTOS. Et aliàs: MVLTI primi erunt nouissimi. Hæc & his similia in nostri admonitionem prædicta sunt, ut omni, qua possumus, diligentia & obediētia caueamus, ne unà cū MVLTIS illis seducamur, & in exitium abducamur, sed ut in uera Euangelij fide perduremus, & cum pijs, siue multis siue paucis, cœlestem hæreditatem consequamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT VII.

HOMILIA LX.

ON dubito, quin si quis diuinarum rerum ignarus percurrat lectione sua ea, quæ in hoc septimo capite Ioannis Euangelistæ describuntur, sentiat prorsus Iudaica esse, nec ullum habere in Ecclesia Christi usum. Tractatur enim hic de Iudaico festo Tabernaculorum: renoua-

tur cõtentio de uiolatione Sabbati: fit & mentio circumcisionis, quę etsi habuerunt suum usum in Israelitica politia, tamen postq̃ aduenit Christus, et Euangelion eius diuulgatum est in totum orbem terrę, hęc Iudaica & Israelitica sunt abrogata. Quare imperiti iudicare possent explicationē harum rerum in Ecclesia Christi superuacaneā & inutilē esse. Sed nobis multo aliter existimandum est. Etsi enim occasio harum cõtentionum & rixarum, quas Iudæi cum Iesu Christo in hoc capite suscipiunt, oritur ex Iudaicis ritibus, tñ nos admonemur hîc de rebus grauissimis, & disputat̃ de uero Messia, de doctrina Messiæ, deq̃ multis alijs id genus rebus, quæ ad cognoscendā uerā religionē, & ad consequendā cœlestem salutem, necessariæ sunt. Quare sentiendū est, q̃ ea quæ hîc tractantur, non pertineant tm̃ ad Iudaicum populū, sed ad Ecclesiā omniū
» temporum & ætatum. Versabatur, inquit Euangelista, post hęc Iesus in
» Galilæa. Non. n. uolebat in Iudæa uersari, quia quęrebant eum Iudęi in
» terficere. Quid? metuit ne sibi Iesus, filius Dei, rex cœli & terrę, ab aduersarijs hoibus? Et si nunc Iesus declinat pericula, cur paulopost proficiscitur ad Iudęā, in die festo Tabernaculorę, & concionatur publicè Euāgelion suū Hierosolymis, in pręcipua Iudęorę metropoli, & frequētissima Iudęorū turba? Quod Iesus fecit, nec est cõdemnandus metus, nec incõsiderata temeritas. Metuit sibi à Iudæis, non solū ut significaret se suscepisse nostræ salutis gratia humanas imbecillitates, sed etiam ut doceret suo exemplo, pericula non temerè esse subeunda. Reuertitur tamen ad Iudæos, ac prędicat Euangelion suum, ne discederet ab officio, ad quod à Deo Patre suo missus erat, & ut suo exemplo testaretur, propter pericula non esse deserendam & abijciendam legitimam ac diuinam uocationem. Vocatio enim Dei necessariò sectanda est, etiamsi extrema pericula immineant. Nam ut uiuas corpore in hoc seculo, non est necessarium. Vt autem obsequaris uoluntati & uocationi Dei, omnino necessarium est. Quòd si in aggrediendo & suscipiendo negocio metuis pericula, & cupis ea declinare, certe maiora & grauiora pericula plus metuenda & declinanda sunt q̃ minora & leuiora. Quod autem maius est periculum, quod grauius, q̃ quod imminet inobedienti, & deserenti uocationem Dei? Hîc enim obijcit sese iræ Dei, exponit sese periculis ęternæ mortis & cõdemnationis, cum interim pius quispiā, qui perdurat in uera Dei obedientia, etsi creat sibi pericula quędā in rebus corporalibus, tamen conseruatur diuinitus, & effugit non solum summa pericula, sed etiam extremam internecionem. Quare pericula nõ sunt quidē temere suscipienda, si possunt iustè declinari, nõ tamē discedendū est propter externa illa & corporalia pericula, ab officio legitimæ uocatiõis. Sed au
» diamus qua occasione Iesus iterū ad Iudæam redierit. Erat, inquit Euan
» gelista, in propinquo dies festus Iudæorum, Scenopegia. Hæc sunt feriæ tabernaculorum, de quibus in Leuitico lib. ca. 23. ita scriptum est: A
Scenopegia. decimo quinto die Septembris, quando cõgregaueritis omnes fructus terræ uestræ, celebrabitis ferias Dñi septem diebus, die primo & die septimo erit sabbatū. Et additur: Habitabitis in umbraculis septē diebus. Quæ aũt fuerit causa huius institutionis, scriptura ipsa non obscurè tradit.

dit. Dicit. n. Omnis qui est de genere Israel, manebit in tabernaculis, ut DISCANT POSTERI uestri, q̃ in tabernaculis habitare fecerim filios Israel cũ educerẽ eos de terra Aegypti. Hic perspicuè docet Moses, q̃ hi festi dies tabernaculorũ instituti fuerint in monumentũ oĩm eorũ beneficiorũ, quæ Deus contulit Israelitis in deserto, & quibus cõseruauit eos inter pericula tã multa & tam magna. Esurierunt, et Deus dedit eis Manna de cœlo, & coturnices. Sitierunt, & Deus dedit eis potũ ex petra. Derat pannus & calceus, & Deus effecit ut uestimẽtum eorũ uetustate nõ deficeret; nec pes eorũ contereretur. Errauerũt in deserto, & Dñs prȩcessit eos ad ostendendã uiã, interdiu columna nubis, noctu colũna ignis. Hostes incurrerũt in eos, & Dñs defendit eos magnis miraculis. Breuiter, etsi non solum fuerunt omnium hominum auxilio destituti, sed etiã fuerunt omnibus gentibus maximo odio, Deus tñ cõseruauit eos in medio inimicorũ, & dedit eis terrã Patriarchis promissam. Itaq̃ Deus uoluit Israelitas celebratiõe feriarũ tabernaculorũ admonere de eo, q̃d Moses aliàs dilertè dicit: En quadragesimus annus est, ut recogites in corde tuo, q̃ sicut erudit filiũ suum homo, sic Dñs Deus tuus erudiuit te, ut custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in uĩs eius, & timeas eum. Porro, spiritus sanctus tanti momẽti iudicauit has ferias tabernaculorũ, ut cũ per Zachariã concionaret de Christianismo, iusserit oẽs gẽtes celebrare eas, etiã in Christianismo. Omnes, inquiẽs, qui reliqui fuerint de uniuersis gentibus quæ uenerunt cõtra Hierusalem, ascẽdent ab anno, in annum, ut adorent regem Dñm exercituum, & celebrent festiuitatẽ tabernaculorũ. Et mox: Erit ruina, qua percutiet Dominus oẽs gentes, quæ non ascenderint ad celebrandã festiuitatẽ tabernaculorum. Quid ergo? dices, An Christiani necesse habẽt quotannis tabernacula extruere, & septem diebus in eis Iudaico more habitare? Non impium quidẽ per se est, in tabernaculis & umbraculis uel septẽ, uel decem, uel etiã pluribus diebus habitare, nõ exigit aũt spiritus sanctus per Zachariam, ut post aduentũ Christi feriæ tabernaculorũ celebrẽtur Iudaicè, sed exigit ut celebrent Christianè. Iudaicum est, decimoquinto die Septembris ex præcepto Mosaicę legis circũferre ramos arborum, offerre holocausta, & in umbraculis habitare septẽ diebus. Hæc si quis uellet Ecclesiæ Christi seruanda obtrudere, audiat, q̃d Paulus dicit: Ne quis uos iudicet in cibo & potu, aut in parte diei festi, aut nouilunĩ, aut sabbatorũ, quę sunt umbra rerũ futurarũ, corpus aũt Christi. Audiamus igiť, quomodo feriæ tabernaculorũ celebrãdę sint Christiano more. Ac primũ Deus defendit Israelitas errãtes in deserto, ut testaret, q̃ quemadmodũ cõseruauit Israelitas in deserto admirabiliter, ita cõseruaturus sit Ecclesiã suam, oĩbus temporib. & in oĩbus periculis quantũcunq̃ grauibus. Hæc oĩa inqt Paulus in figura contigerũt illis. Scripta uero sunt ꝓpter nostri admonitionẽ, in q̃s termini ętatũ inciderunt. Quare is dicit ferias tabernaculorũ Christianè celebrare, q̃ reuocat in animũ exẽpla diuinè clemẽtię, quib. semper Ecclesia cõseruata est, et confirmat ñs fidẽ suã in pñtib. periculis, q̃ Deus ꝓpter Christũ filiũ suũ nõ est deserturus Ecclesiã, ac ne unũ q̃dẽ mẽbrũ eius, sed sit ea perpetuò cõseruaturus. Deinde Deus uo-

Zacha. 14.

Feriarũ tabernaculorũ Christiana celebratio.

luit Israelitas obseruatione harum feriarum excitare ad fidem & gratiarum actionem, ut cū iam in terra patribus promissa celebrarent festiuitatem tabernaculorum, meminissent Deum esse ueracem & seruantem promissionum suarum, ac præstarent ei propter maxima beneficia, quę nullo suo merito acceperunt, obedientiā. Postquam autem Christus aduenit, impletū est, quod apud Hieremiam scribitur: Ecce dies uenient, dicit Dominus, & feriā domui Israel & domui Iuda fœdus nouum. Nō secundum pactum, quod pepigi cum patribus uestris, in die, qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Aegypti, pactū quod irritum fecerūt, ad cuius obedientiā necesse habebā cogere eos, dicit Dominus, sed hoc erit pactum, quod feriam cū domo Iuda: Post illos dies, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorū scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populū. Nam Christus, qui per Prophetas promissus est, liberauit Ecclesiam à tyrannide Satanæ, & peccati, ac conseruat eā in deserto mortis & inferni, ut nō solū non intereat, sed etiam habeat æternam uitā, ac possideat cœlestia bona. Hęc sunt longe maiora beneficia, q̄ liberatio ex Aegypto, conseruatio in deserto Arabię, & possessio terrę Canaan, de quibus admonebat Mosaica festiuitas tabernaculorū. Quare is dicitur Christianè has ferias celebrare, qui in animum suum reuocat beneficia Christi, & gratias agit Deo, q̄ Christū filium suum miserit, iuxta uaticinia Prophetarę, in hanc terrā, & q̄ Christus expiauerit peccata, ac uicerit mortem, ut omnis qui credit in ipsum, consequatur & possideat cœleste regnum. Hæc cum nunq̄ non sint pio homini cogitanda, & meditāda, ut & fides accendatur, & obediētia fidei excitetur, perspicuum est, q̄ festiuitas tabernaculorū non in Septembri tantū, sed toto anno, & singulis diebus apud Christianos sit celebrāda. Sed de hac festiuitate nunc satis, audiamus propter quā causam Ioānes faciat eius mentionē. Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Transi hinc, & uade in Iudęā, ut & discipuli tui uideāt opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, & quærit ipse palàm esse. Si hæc facis, declara teipsum mundo. Nam ne fratres quidē eius credebant in eum. Hîc mihi uide sortem Christi in hoc mundo. Christus enim tam odiosus & cōtemptus est in hoc mundo, ut nō solum alieni persequantur ipsum, sed etiam fratres eius (sic enim scriptura uocat cognatos & affines Christi) derideant & fastidiant eum, nec credant ipsum esse uerum Messiam. Itaque iubent ipsum, si uerus sit Messias, ad diem festum tabernaculorum in Hierusalem proficisci, ut cum in ijs ferijs maxima hominum multitudo cōueniat, publicè ostentet maiestatem suā. Transi hinc, inquiunt. Si enim uerū est, quod affirmas te esse Messiam, cur tamdiu inter nos paucos & infirmos homines uersaris? cur sic te in Galilæa quasi abscondis? Qui uult clarus & illustris esse, non abdit se in latebras, sed procedit in publicum, & facit egregia strategemata, ut multitudo populi nō solum admiretur & faueat ei, sed etiam adiungat se illi, & conferat ad eum omnem potentiam suam. Quare, si tu es talis, qualem te prædicas, abeundum tibi est è Galilæa ad Iudæam, ut patefacta maiestate tua in populi multitudine, congreges exercitum, & accipias mūdanum regnum,

Cognatorū Christi impietas.

quod

quod iamdudum optauimus ut Israeli restituatur, & nos in terrena fœlicitate trãquillam uitam ducamus. Hæc est natura humani ingenij. Nõ uidet externas uires. Desperat igitur de successu instituti. Non sperat externam & mundanam fœlicitatem. Contemnit igitur & fastidit promittentẽ cœlestia bona. Sed hic magnus & perniciosus est error. Quid? nõ sunt externæ & humanæ uires, ergo nec spirituales & diuinæ? Quid potest absurdius dici? Et quia fallit spes in cõsequendis terrenis bonis, nõ est adspirãdũ ad cœlestia? Certè ad hoc nascimur & renascimur, ut post habitis terrenis, superna & cœlestia quæramus. Sed libet magis uerba Christi seruatoris nostri, q̃ cognatorum eius, ineptorum hominũ, audire. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meũ nondũ adest. Tempus aũt uestrũ semper est paratum. Non potest mundus odisse uos, Me aũt odit, Quia ego testimonium fero de illo, q̃ opera eius mala sint. Vos ascẽdite ad diem festum hunc. Ego nondum ascẽdo ad festum hoc, quia meum tẽpus nondũ impletum est. Grauissima, sed & modestissima reprehensio, qua Christus arguit impietatem cognatorũ suorum. Nondum, inquiens, integrum mihi est, & opportunũ, ut proficiscar ad ferias tabernaculorum. Vobis autem nõ hoc tantum tempore, nec solum in Iudæam ad Hierusalem, sed etiam omni alio tempore, & ad quemcunq; locum libet, integrum est, & tutum proficisci. Nam tradidistis uos totos huic mundo, & agitis uitam in morem omnium impiorum hominũ. Maxima hominum pars contemnit ueram religionem, & sectatur illam, quam uidet esse tutã, siue uera sit, siue falsa. Idem & uos agitis. Non requiritis, qua religione consequamini ueram salutem, sed qua ducatis securã & tranquillam uitam. Maxima Iudæorum multitudo audit Pharisaicam doctrinã, & contemnit Messiam, nisi si præstet corporalia bona. Idem & uos agitis. Placet uobis Pharisaica doctrina, displicet autem Messias, quòd nõ uideatur uobis carnali uestro affectui satisfacere. Vulgus hominum dat operam imposturis, helluatur, & colit uentrem suum pro Deo: Hi sunt & uestri mores. Pares aũt cũ paribus, inquiunt, facillime congregantur. Cum igitur uestra uita prorsus conueniat cum alijs impijs, quorum ubique maxima est multitudo, nihil uobis ab ijs, quibus similes estis, & qui uos propter morum similitudinem amant, metuẽdum est, sed patet uobis semper tutus accessus uel ad Hierusalem, uel ad alias Iudæorum ciuitates. Res autem meæ in alio sunt statu. Ego enim nec doceo, nec uiuo, sicut impij Pharisæi ac reliqui Iudæi docent ac uiuunt, sed reprehẽdo doctrina mea impietatem eorum, & perspicuè demonstro magnitudinem scelerum eorum. Quare prosequuntur me maximo odio, & uitæ meæ ita insidiantur, ut nõ liceat mihi tutò inter eos ambulare. Memorabilis concio, qua Christus perspicuè docet quæ sit fortuna piorum & impiorum in hoc seculo. Hi enim ducunt securam in hoc mundo uitam, & sunt publica ubique fide in tutò: illi autem nullam habent tranquillitatem, sed expositi sunt in hac terra maximis quibusq; periculis. Etsi enim scriptum est de impijs, Non est pax impijs: De pijs autẽ: Israel habitabit confidenter, tamen res ipsa docet, longe alium esse rerum euentum. Impij enim securè uiuunt, & in publica ubiq; fide ambulant, primum, quia

Piorum & impiorum fortuna.

cõparant ſe ad aliorum hominum mores, Sectantur publicam & uſitatam religionem, ſiue ea uera ſit, ſiue falla. Maledicunt cum maledicentibus, Nugantur cum nugantibus, Helluantur cũ helluantibus, & omnino extra publicam uiam, ſiue ea recta ſit, ſiue praua, non deflectunt. Similitudo autem eſt beneuolentiæ mater. Et uulgo dicunt, Simile gaudet ſimili. Quare, cum impij ſequantur ſtudia impiorum, & obſequãtur affectibus eorum, conſequuntur etiam inter ipſos publicam ſecuritatẽ. Deinde impij ſeruiũt Satanæ, qui eſt Princeps huius mundi. Quare Satan, pro more principum, hoc præcipuè agit, ut ſerui ſui publicam habeãt ſecuritatẽ. Sed quid? num hæc ſecuritas perpetuò eſt duratura? Nihil certe minus. Non eñ durat, niſi uſq; ad reuelationem diuini iudicij. Vidi, inquit Pſalmus, impium ſuperexaltatũ & eleuatũ ſicut cedros Libani. Tranſiui, & ecce non erat, quæſiui eum, & nõ eſt inuentus locus eius. Et aliàs. In labore hominum non ſunt, & cum hominibus nõ flagellantur. Sed ſequitur: Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubito defecerũt, perierunt propter iniquitatem ſuam. Et Paulus, Cum dixerint, inquit, pax & tuta omnia, tunc repentinus ſuperueniet interitus. Fugiẽda igitur eſt impiorum ſecuritas, ne etiam unà cum impijs ſubitò pereas. Pij aũt non habent in hoc ſeculo tranquillitatem, nec fruuntur publica fide. Nõ eſt ſeruus, inquit Chriſtus, maior domino ſuo: ſi me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Nec mirum eſt, quòd Chriſtus, unà cũ pijs ſuis non fruãtur publica huius mundi ſecuritate. Principio enim, Chriſtus arguit ſtudia & opera huius mundi. Teſtimonium, inquit, fero de mundo, quòd opera eius mala ſint. Et aliàs, Spiritus ſanctus arguit mundũ de peccato, de iuſticia, & de iudicio. Idẽ & pij omnes faciũt. Alij, qui uocati ſunt ad docendum Euangelion, arguũt opera huius mũdi, doctrina & uita, uerbis & factis. Alij, qui priuatam agunt uitam, arguunt mundum, ſi nõ publica doctrina, attamen exemplis uitę ſuę. Idololatras arguunt, cum ipſi ſectantur uerũ unius Dei, patris domini noſtri Ieſu Chriſti cultum. Blaſphemos arguunt, cum ipſi de Deo pia loquuntur. Helluones arguunt, cum ipſi ſobriè uiuunt. Impoſtores arguunt, cum ipſi iuſtè negociãtur. Inuidos & detractores arguunt, cum ipſi proximum ſuum amore cõplectuntur, & honeſta de eo dicunt. Breuiter, arguunt uniuerſum mundũ, cum ipſi nõ comparant uitam ſuam ad mores huius mundi, ſed ad regulam uerbi Dei. Et hoc eſt præcipuũ officium piorum, nõ ut in omnibus conuiuijs & tonſtrinis declamitent importunè in publica hominum uitia, ſed ut honeſta uita ſua teſtentur ſibi diſplicere impietatem & iniquitatem huius ſeculi. Hæc eſt uitiorum repræhenſio, pio homine digniſſima. Quis aũt patienter ferre ſolet repræhenſorem? Quis non odio proſequitur accuſatorem, caſtigatorem, & cõdemnatorem? Cum igitur pij ſint tam doctrina, cũ uita ſua repręhenſores & condemnatores huius ſeculi, fieri non poteſt, quin incurrant in maximũ odium & offenſionem eorum, qui ſe totos huic ſeculo dediderunt, nec uſquam inter eos tutum locum inueniant. Deinde, pij nõ ſunt ciues, ſed peregrini & hoſpites huius terræ. Non habemus, inquit, hîc manentẽ ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Peregrinis autem & hoſpitibus non conceditur à ciuibus, ut fruantur

ὁμοιότης φιλότητος μήτηρ.

Pij arguunt mundum, quomodo?

Pij ſunt hoſpites in hoc mundo.

fruantur publicis bonis ſuæ ciuitatis. Ac poſſunt quidē ciues aliquoties ferre, ut peregrini ad ipſos diuertant, non poſſunt autē ferre, ut peregrini reprehēdant publicos ciuitatis ſuæ mores, & inuadant eiectis ipſis, in bona ipſorum. Qui enim, cū peregrinus ſit, hoc in aliena ciuitate conatur, gladijs & fuſtibus coerceri ſolet. Cum igitur pij ſint peregrini huius terræ, & reprehendant mores ciuium huius ſeculi, ac glorientur fructū omnium bonorū ad ſe pertinere, nō eſt mirum, q̄ inueniant inimicos, nec ullam habeant inter ciues huius mundi trāquillitatē. Si de mundo, inquit, eſſetis, mūdus quod ſuū eſt, diligeret. Quia uero de mundo non eſtis, ſed ego ſelegi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Poſtremo, Satan eſt princeps huius ſeculi, pij aūt ſunt hoſtes Satanæ, quippe quo cum in lauacro regenerationis publicum bellum ſuſceperūt. Quis uero poſſet tutam & tranquillam agere uitā in media regione eius principis, quo cum inimicitias exercet, & bellum gerit? Quare pij, qui in hoc ſeculo, q̄d eſt principatus Satanæ, ætatē ſuā agunt, non poſſunt eſſe tranquilli, & perturbatione ac periculis carere. Sed q̄d, nū hęc pericula ſunt *perpetua*? num pijs in his periculis eſt pereundum? Minime oīm. Pericula ſunt momentanea, Salus aūt eſt æterna. Ad punctū, inquit, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis cōgregabo te. Ac rurſus: Plorabitis & lamentabimini uos, mundus cōtra gaudebit, Vos aūt mœrore afficiemini, ſed mœror ueſter uertetur in gaudiū. Et mox: Gaudebit cor ueſtrum, & gaudium ueſtrum nemo tollet à uobis. Quod cū certo ita ſe habet, nō eſt à pietate deficiendū propter præſentia pericula, ſed potius in uera pietate propter certiſsimam liberationem cōſiſtendū eſt, ut perpetuam cōſequamur tranquillitatem. Pergamus autē ad reliqua. Hæc cum Ieſus dixiſſet illis, manſit in Galilæa. Vt autem aſcēderunt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad feſtum, nō manifeſte, ſed uelut in occulto. Hic nunc perſpicuè uides, metū Ieſu, quo cauit ſibi ab aduerſarijs & inſidiatoribus uitæ ſuæ, non fuiſſe carnalē formidinē, ſed piam & ſpiritualem prudentiam. Etſi em̄ non uerſatur in Iudęa publicè, nec peragrat eam manifeſtè, hoc uidelicet agens, ne temere ſe exponat periculis, tamē non diſcedit ab officio, ſed cum neceſsitas exigeret, ut Euangelion ſuū, iuxta patris mandatum, prędicaret, non ſolū non fugit Iudæā, ſed etiam ſiſtit ſe in inclytiſsima Iudęæ urbe, & in frequētiſsima Iudęorū turba. Itaque fugienda quidē ſunt pericula, dum per uerbū Dei, & uerā pietatē licet: ſed ſubeūda ſunt quæuis pericula, cū ad ea officio, quod Dño Deo noſtro debemus, uocamur. Porro, priuſq̄ Ieſus ueniſſet ad diem feſtū, Iudæi (inquit Euangeliſta) quærebant eum in feſto, & dicebant: Vbi eſt ille? Et murmur multum erat in turbis de eo. Quidā enim dicebant, bonus eſt. Alij autē dicebant, Non, ſed ſeducit turbam. Nemo tn̄ palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorū. Quæſo te, quanta hęc eſt rerum inuerſio? Qui eſt iudex uiuorū & mortuorū, is iudicatur nunc non à principibus tantum populi, ſed à uiliſsimis quibuſq̄ hominibus. Alij iudicant eum eſſe doctorem ueritatis, alij aūt ſeductorem & hęreticum. Et quanq̄ nonnulli uiderent optime de ipſo ſentire, nō tamē audebant præ metu ſuam ſententiam liberè & ingenuè confiteri, ne haberentur &

Pericula fugienda, ſed non eſt ab officio decli nandum.

ipſi hęretici. Admonemur ergo ex hoc loco, ne offendamur diſſenſionibus, quæ ſolent eſſe in doctrina religionis. Si em̃ Chriſto ipſo docente Euangelion ſuum, & confirmante illud magnis ac multis miræculis, alij aliud de doctrina eius iudicârunt, quid mirum ſi hoc diſsidiũ in poſteritatem etiã redundet? Quare, qui non prius uolunt accedere ad Euangelion Chriſti, q̃ publica religionis cõcordia inſtituatur, nę illis expectandum erit uſq; ad nouiſsimũ diem, in quo manifeſta quidem erit certitudo ueræ religionis, ſed ſerius erit q̃ ut ceſſatoribus & cõtemptoribus liceat tum ſeſe meliori parti adiungere. Audient enim: Diſcedite à me maledicti in ignem æternũ, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Deinde uides & hoc loco, Eccleſiam Dei non eſſe uulgum ipſum, qui habet titulum populi Dei, ſed latere uulgo. Hi enim omnes qui conuenerunt ad diem feſtum tabernaculorum, erant Iſraelitæ, aut Proſelyti, quorum cœtus habitus eſt pro populo & Eccleſia Dei electa. Et tñ uides, q̃ pauci ſint inter ipſos, qui ſint uera membra Eccleſiæ. Principes perſequuntur Chriſtum, & quærunt eum interficere. Tales autem non eſſe membra Eccleſiæ manifeſtè patet. Maxima uulgi multitudo aut nõ requirit Chriſtum, aut pendet ex iudicio principum, & ſentit eum eſſe hæreticũ. Quare nec hi ſunt uera Eccleſiæ membra. Nonnulli bene quidem ſentiũt de Chriſto, ſed non audent Chriſtum confiteri præ metu. De his bona quidem ſpes concipi poteſt, ſed niſi diſcant Chriſtum etiam coram hominibus confiteri, nõ confitebitur eos Chriſtus coram patre ſuo. Pauciſsimi ſunt, qui uerè & ingenuè agnoſcunt doctrinam Chriſti, & eam etiam periculo uitæ ſuæ confitentur. Hi ſunt uera Eccleſiæ membra, ſed in turba ita latent, ut in nullo habeantur numero. Quid ergo faciamus? Non moueamur nec potentia & autoritate hominum, qui perſequũtur piam doctrinam, nec multitudine uulgi hominum, qui cõtemnunt eam, ut deſeramus officiũ noſtrũ, ſed moueamur potius potentia & autoritate Dei, ac multitudine angelorum Dei, ut officium noſtrũ retineamus, & in amplectenda uera Euãgelij doctrina pergamus, quo cum paucis illis ueris Eccleſiæ membris cœleſtem hæreditatẽ accipiamus, per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Eccleſia Dei quæ ſit.

HOMILIA LXI.

PRofecti ſumus ſuperiori die cum Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro è Galilęa, ad Iudęam, in urbem Hieruſalem. Aſcendamus hodie cum ipſo ex ea urbis parte, quę ad radicem montis Zion ſita eſt, ad templum, quod in monte fuit ędificatum, ut conciones eius, quas in templo habuit, audiamus. Sic enim ait Euangeliſta: „ Cum iam dimidiũ feſti (nam tabernaculorũ feſtiuitas durabat „ octo diebus) peractum eſſet, aſcendit Ieſus in templũ, & docebat. Quid enim aliud ageret, quàm ut doceret? Non enim erat miſſus in terrã ut regio more dominaretur, nec erat miſſus, ut pecora in templo ſacrificulorum more mactaret, ſed ut Euangelion ſuum doceret. Ego, inquit, cõſtitutus ſum rex ab eo ſuper Zion mõtem ſanctum meum. Sed qualis rex? num mundanus? num qui, ut monarcha, externum gladium geſtaret, et ſubiectos

Chriſtus qua re miſſus in terram.

ſubiectos uiolenter coerceret? Minime omniũ, Sed qui prędicaret mandatum Dei. ſequitur em̃: Prędicans præceptũ eius: hoc uidelicet, q̃d Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Et apud Eſaiã: Spiritus Dñi, inquit, ſuper me, eo q̃ unxerit me. Num ad accipiendũ regnum mundanum? Minime, ſed ad adnunciandum Euãgelion afflictis, ut mederer contritis corde, & prędicarem captiuis indulgentiã, & clauſis apertionem. Quare, etſi miniſteriũ concionandi in templo conſtabat Ieſum periculo uitæ ſuæ, tamen quia miſſus fuit, & uocatus diuinitus, ut Euangelion ſuũ publicè cõcionaretur, maluit pericula ſubire, q̃ ab officio diſcedere. Quid ergo auditores? Et mirabant̃, inquit Euangeliſta, Iudæi dicentes: Quomodo hic literas ſcit, cũ non didicerit? Perſonam reſpiciunt, doctrinã non obſeruant. Non eſt, inquiunt, Phariſæus, nõ Rabinus. Neceſſe igit̃ eſt, q̃ â ſeipſo loquatur, ideoq̃ doctrina eius debet nobis merito eſſe ſuſpecta. Sed hoc eſt præpoſterũ & peruerſum iudicium. Veritas enim aut falſitas doctrinæ nõ eſt iudicanda è perſonæ conditione, ſed potius perſona è doctrina. Cum uenirẽ ad uos, inquit Paulus, non ueniebam cũ eminentia ſermonis aut ſapientię adnuncians uobis teſtimonium Dei. Ac mox: Ego per infirmitatẽ & cum timore ac tremore multo apud uos uerſatus ſum, & ſermo meus ac p̃dicatio mea non erat in perſuaſorijs humanæ ſapientiæ uerbis. Quare ſi de doctrina Pauli iudicandum fuiſſet ex cõditione perſonæ eius, nihil debuiſſet ea haberi contemptius & abiectius. Sed bene habet. Veritas doctrinæ non conſtat humana, ſed diuina autoritate. Vnde & Ieſus reſpondit Iudæis, et dixit: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Quod doceo, nõ dici ab hoĩe, nec finxi ex meipſo, ſed didici à Deo patre meo, q̃ me, ꝓpter hanc cauſam miſit in terras, ut hãc doctrinam uulgarem. Itaq̃ doctrina mea, nõ eſt humana, ſed diuina. Quid ergo docuit Ieſus in templo, ut cognoſcamus huius cõtrouerſiæ ſtatum? Etſi fieri potuit, q̃ Ieſus in hac cõcione, quam in feſto tabernaculorum habuit in tẽplo, expoſuerit uel aliquam partem legis, ſicut aliàs nonnunq̃ docuit, quẽadmodũ apud Matthæum cap. 5. & 6. ſcriptum eſt, uel aliquod propheticum uaticinium de Meſsia, ſicut fecit in patria ſua apud Lucã cap. 4. tamen facile conĵci poteſt, concionem eius hoc præcipuè ſpectaſſe, ut ſignificaret ſe eſſe uerum illum Meſsiã, quẽ Deus per Prophetas populo ſuo promiſit. Hæc em̃ eſt propria doctrina Ieſu, quam cum nullo hominum communem habet. Tametſi em̃ Patriarchæ & Prophetæ multa concionati ſunt de Meſsia, nullus tamen eorum docuit ſeipſum eſſe Meſsiam. Sed hęc doctrina ſolius fuit Ieſu filĵ Mariæ, quam nõ didicit ab alĵs hominibus, ſed attulit eam ſecum è cœlo, & accepit eam à Deo patre ſuo. Nemo ſibĵpſi, inquit Apoſtolus, uſurpat honorẽ, ſed qui uocatur à Deo, quemadmodũ & Aheron, ita & Chriſtus, non ſemetipſum glorificauit, ut fieret Pontifex, ſed is, qui dixerat illi, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quid ergo ad hæc dicemus? Nũ exegit Ieſus ab auditoribus ſuis, ut cũ doceret, ac ſignificaret, ſe eſſe uerũ Meſsiam, per Prophetas promiſſum, his nudis uerbis continuo fidem abhiberent? An nõ fuerunt etiam alĵ, Iudas uidelicet Galilæus, & Saddocus, qui iactarunt ſe à Deo miſſos, & ſignifi

Chriſti doctrina propria quæ ſit.

carũt se esse Messias, hoc est, liberatores populi? Quare Iudęi potuissent Iesu obijcere: Quid? uis ne, ut cp primũ tu p̃dicas te esse à Deo missum, & uerum esse Messiã, uerbis tuis credamus? Multi fuerunt olim pseudo prophetę, qui & ipsi gloriati sunt se à Deo missos, sed euentus aliter docuit. Multi etiam nostris tẽporibus fuerũt, qui gloriati sunt se à Deo uocatos, ut liberarẽt populũ, hoc est, ut essent Messiæ, sed reipsa cõpertum est, cp institutum eorum fuerit humanum somnium, & nõ diuina uocatio. Perierunt. n. miserrimè unà cum sectatoribus suis, & nõ audiunt seruatores patriæ, sed potius seditiosi. Quare apage cũ tua doctrina & pollicitatiõe. Piscator ictus (ut dici solet) sapiet. Nostri amici & cognati crediderunt magno suo malo uerbis seditiosorum, & adiunxerunt se cũ ipsis, sed tm̃ abest, ut consecuti sint liberationẽ, quam sperauerant, ut etiã uitam suam amiserint. Nihil fœlicius nobiscum res ageretur, si nos tuis istis uerbis fidem adhiberemus. Hæc certè Iudęorũ obiectio, quam fortassis uel inter se mutuo cõtulerunt, uel tacitè secum cogitarũt, habet aliquam speciem prudentiæ. Non. n. est temerè cuiuis doctrinę, sine cognitione, assentiendũ. Et Ioãnes postea scripsit: Ne cuiuis spiritui credatis, sed probate spiritus, nũ ex Deo sint, quoniã multi pseudoprophetę exierunt in mũdum. Quare ne quis existimet Christũ exigere assensum suæ
» doctrinæ, sine recta cognitione, addit. Si quis uoluerit uoluntatẽ eius fa
» cere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Hoc ferè sic exponi solet, cp doctrina Christi non possit intelligi, nisi antea fide accipiatur. Et citatur illud Esaiæ: Nisi credideritis, non intelligetis. Bona sentẽtia. Sed & sic dici uidetur, ut Christus significet, se nõ hoc agere, ut Iudęi suam doctrinã temerè absq; cognitione accipiant, sed postulare, & iubere, ut diligentissimè in eã inquirãt, quo reipsa cõperiant, eam non esse humanã, sed diuinam: Si quis, inquiẽs, uoluerit uoluntatẽ Dei facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar. hoc est, Affirmo meã doctrinã esse cœlestem ac diuinam. Nõ aũt postulo, ut temerè mihi fidem habeatis. Scio multos fuisse impostores, quorũ doctrinæ cũ sine iudicio accesseritis, plurimũ damni cõtraxistis, Sed omnino uolo, & exigo, ut cp exacto potestis iudicio, de doctrina mea cognoscatis. Et hoc edico uobis, cp qui uoluerit uoluntatẽ Dei facere, qui uoluerit officiũ Deo gratissimũ præstare, & cultũ Deo acceptissimum peragere, is magna diligentia considerabit, & iudicabit de mea doctrina. Nam quemadmodũ Deo nihil magis placet, cp ut filius eius audiatur, ita omnium hominum officium est, ut rectè ac probè cognoscãt de doctrina, quę nomine filij & uerbi Dei, ac uerę religionis iactatur, ne prætextu diuini nominis in errorem ac interitũ abducant. Iustus em̃, inquit Propheta, ex fide sua uiuit. Fides autẽ est ex auditu, Et auditus per uerbum Dei. Quare de uerbo Dei, num uerè id sit, quod dicitur & iactatur, diligenter cognoscendũ est. Adhæc, exigitur in primo decalogi precepto, ut nõ colamus alienos deos, sed tantũ unum & uerũ Deum. Non potest autem coli, qui sit ignotus. Cognoscitur autem per uerbum. Cognoscendum igitur est uerbum, cognoscẽda est doctrina uerbi, num sit uera, et diuina, ut et uerus Deus cognoscatur. Dices autem: Homo sum,

Doctrina uerbi Dei cognoscenda est.

nulla

nulla prædituſ ſapientia,& neceſſe habeo alimenta corporis magno labore quærere.Quomodo igitur licebit & uacabit mihi,de doctrina uerbi Dei & religionis multa cogitare? Sed tu qualis qualis ſis,uel ingenio, uel externo uitæ genere,certè homo es, ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei cõditus.Chriſtianus es,in Chriſto per baptiſmum renatus,& expectas hęreditatẽ cœleſtem. Vide nunc mihi,quot nominibus admonearis,ut nihil tibi ſit prius,nihil poſterius,q̃ ut omnem tuam curam & cogitationem,ad cognitionem doctrinæ de Deo,de filio Dei,hoc eſt,de uera religione cõferas.Nec potes uoluntati Dei magis obtemperare,& pręſtantiorem cultum Dei facere.Habent quidẽ ſacrificia, ocia ſabbati, & alia Leuitica quandan diuini cultus rationem, in Iſraelitica politia, Sunt & in Chriſtianiſmo ſua ſacra.Sed hic eſt præcipuus cultus Dei,hoc eſt maximum ſacrũ,ut uera & recta doctrina religionis cognoſcatur, & ei per fidem obediatur.Conquereris te eſſe hominem miſerum. Quę eſt ergo illa inſipientia & inſania, neglectu & contemptu cognitionis de uerbo Dei,miſeriam miſeria cumulare? Num hoc agis,ut ſicut in hoc ſeculo uideris miſer ac infœlix,in altero ſeculo fias multo infœlicior? Quin potius in hãc curã tota mente incumbendum eſt,ut cum ſis in hoc ſeculo miſer,cõſequaris ueram è miſeria liberationẽ. Non potes autem hanc conſequi,niſi ut cognoſcas doctrinã de uero Deo,& filio eius. Hæc, inquit, eſt uita ęterna,ut cognoſcant te uerum Deum,& quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum.Quare hoc unum ſit propoſitum noſtrum,quò intueamur,et quò curſum noſtrum dirigamus, ut doctrinã religionis maxima cura percipiamus,& perceptam cõſeruemus.Cæterum, poſtq̃ Chriſtus oſtendit Iudæis,q̃ gratiſsimus Deo cultus ſit,ut de doctrina ſua cognoſcant,et ſignificauit ſe hoc poſtulare,ut non temere uerbis ſuis fidẽ adhibeant,ſed q̃ diligentiſsime iudicẽt,dubitabit fortaſsis quiſpiã, quo modo aut qua ratione Iudęi potuerint de doctrina Chriſti,num ſit humana an diuina, iudicare.Quare addit Chriſtus:Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit.Qui aũt quærit gloriã eius,qui miſit ipſum,hic uerax eſt, & iniuſticia in illo non eſt.Hic eſt Canon,ad quem ſi exigatur doctrina Chriſti,ueritas eius non difficulter cognoſci poteſt.Ac potuiſſet quidẽ Chriſtus hoc loco longã inſtituere concionem de ueritate doctrinę ſuę, qua prædicabat ſe eſſe Meſsiam per Prophetas promiſſum (de hac eñ doctrina nunc agit) his uidelicet argumẽtis, q̃ tempus de aduẽtu Meſsiæ à Prophetis prædictum:adhæc familia & perſona matris, è qua Meſsias ſit naſciturus:prętęrea locus natiuitatis Meſsię,in ipſum ſolum competant:quodq̃ Ioãnes Baptiſta,cuius autoritas ab omnibus habita ſit ſacroſancta,publicè teſtimonium dixerit,nõ ſe,ſed ipſum Ieſum,eſſe Meſſiam:& q̃ magnis ac multis miraculis,quæ ſunt cœleſtia teſtimonia,doctrinã ſuã confirmet.Hæc & id genus alia argumenta potuiſſet Ieſus in medium proferre,ſed quia Iudęi cõferunt ipſum cogitationibus ſuis cũ ſeditioſis,quemadmodum ſuprà indicauimus,ac metuunt interitũ ſuũ, ſi ſe coniungant cum ipſo,ſicut interierunt hi,qui Iudę Galilęo et alijs ſeditioſis adhæſerunt,idcirco utit̃ eo argumento,quo ſe à ſeditioſis diſtinguat,et ueritatem ſuę doctrinę probet.Quare quod hoc loco dicit,hanc

Liberatio uera è miſeria quomodo cõ ſequenda.

“ “ “

Doctrinæ Chriſti ueritas.

habet ſententiam: Seditioſi cõcionati ſunt ſe eſſe à Deo miſſos, & ſe eſſe Meſsias, hoc eſt, ſeruatores populi Dei. Ego idẽ cõcionor, uidelicet, me eſſe à Deo miſſum, & me eſſe Meſsiam, ſeu ſeruatorẽ populi Dei. Quo igitur argumento deprehendetis meam concionem eſſe ueram, illorũ aũt uanam & falſam? Hic animum mihi ueſtrum aduertite. Inter iuſtos & iniuſtos legatos, qui ab alijs emittũtur, hoc eſt diſcrimen, quòd is qui quærit gloriam & utilitatem eius, à quo emiſſus eſt, ſit iuſtus legatus, & probè fungatur ſuo munere: qui autem neglecta domini ſui gloria, quærit tantum ſui nominis gloriã, is nõ loquitur ea, quę dominus eius mandauit, ſed loquitur à ſemetipſo, loquit mendacia: nec eſt uerax, ſed mendax & iniuſtus legatus, qui legati nomen prætexit tantum, cum interim ſuas res, nõ eius, cuius nomine gloriatur, agat. Nunc ergo, amabo uos, conferte meas actiones, cũ ſeditioſis, & manifeſtè cognoſcetis, quis noſtrum ſit uerus Dei legatus. Hi enim, prætenderunt quidẽ nomen Dei, & dixerunt ſe à Deo miſſos, non quæſiuerunt autem gloriam Dei, non quæſiuerunt, ut homines agnoſcerent clementiã ac miſericordiam Dei, ut fierent iuſti coram Deo, ut obedirent mandatis Dei, ut ſeruarẽtur in morte, & acciperent cœleſtem hæreditatem Dei, ſed quæſiuerunt tantũ ſuam externam dominationem, & mundanũ regnum, ut liberarentur à tyrannide Romana, & ducerent in hac terra fœlicem uitã. Hoc fuit eorũ propoſitum & inſtitutum, ideoq; digniſsimi ſunt, qui pro furibus & latronibus iudicentur. Etſi enim iactarunt ſe à Deo in ſalutem populi miſſos, hoc tamen egerunt, ut ipſi gloriam, potentiam, & dominationem in hac terra conſequerentur. Ego uero, quid, obſecro uos, aliud ago, quàm ut gloria Dei patris mei, qui me miſit, promoueat? Non quęro regnum mundanũ. Scitis ipſi, cùm me uelletis regem creare, me fugiſſe. Non cõgrego exercitum, ut inuadam externã dominationem, ſed obedio illis mandatis, quæ Prophetæ teſtati ſunt Deum daturum Meſsiæ, quem ſit in hãc terram miſſurus. In Moſe ſcriptum eſt de Meſsia: Prophetam, inquit Dominus, ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum, ſimilẽ tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos oĩa quæ præcepero illi. Quæ ergo præcepit Dominus Meſsiæ ſuo? Primũ, ut adnunciet Euangelion de remiſsione peccatorum. Spiritus Dñi, inquit, ſuper me, ideo unxit me, ad prædicandum humilibus miſit me, ut mederer cõtritis corde, ut prædicarẽ captiuis liberationẽ, uidelicet à peccatis, & clauſis, hoc eſt, uinctis carcere legis, apertionem. Deinde præcepit ei, ut edat miracula, in miſeris & afflictis hoĩbus. Tunc aperientur, inquit, oculi cæcorum, & aures ſurdorũ patebũt, tunc ſaliet ſicut ceruus, claudus, & aperta erit lingua mutorum. Poſtremo præcepit ei, non ut regio more dominetur in terra, ſed ut ſeruili more ſubĩciatur & affligatur, ac etiã pro peccatis hominũ occidatur. Verè, inquit, lãguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et mox: Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Hæc ſunt pręcipua mandata, quæ Prophetæ teſtantur Deum Meſsiæ legato ſuo daturũ. Maxima autem hæc eſt gloria potentię & clementię Dei, q̃ Meſsias nomine Dei cõſoleť afflictos peccatis, ſubueniat miſeris, & ſeruet homines à morte &

perpetua

Legatorum diſcrimen.

Meſsiæ functio in terris

perpetuo interitu. Cum igitur ego (inquit Iesus) quæro nõ meã gloriã, aut dominationẽ, sed gloriã Dei, & obedio mandatis Dei, ac defungor eo officio, quo Prophetæ Messiam defuncturũ prędixerunt, nihil aliud certè reliquũ est, cp̃ cp̃ doctrina mea, qua me affirmo esse Messiã, sit uera & diuina. Habes paraphrasin uerborũ Christi. Proponit aũt hoc loco Christus obseruabilem Canonem de cognoscẽdis ueris ac falsis legatis Dei. Multi enim solent sese iactare nomine Dei. Dicunt se missos diuinitus, & prædicare mandata Dei. Inter Iudæos fuerũt Pharisæi, qui gloriabantur de doctrina sua, quòd esset mandatũ Dei. Inter Christianos sunt Pontifices & Monachi, qui affirmãt decreta sua, esse decreta spiritus sancti. Quid ergo faciamus? Num doctrinæ eorũ temerè & sine iudicio accedendũ est, cp̃ iactent se esse uel legatos, uel uicarios Dei, et afferre mandata Dei? Nihil certe minus: sed quod docẽt, cõferendum est cũ eo uerbo Dei, quod per Prophetas & Apostolos est adnunciatum, & diuina autoritate confirmatũ. In humanis legationibus diligẽter solent inspici publicæ literæ legationis, quas uocãt Instructiones. cp̃ si legatus aliquid ab his alienũ, aut diuersum cõmemorauerit, nõ solũ nõ agnoscitur, sed etiam legatus ipse ignominia notari solet. In religione autem habemus Prophetica, ac post reuelatum & uulgatum Euangelion Christi, etiã Apostolica scripta. Hæc sunt publicæ literæ, & ut uocant, Instructiones diuinarum legationũ. Quare si quis gloriat̃ se legatũ Dei, & iactat uerbũ suũ esse uerbũ Dei, cõtinuo exigendũ est ad instructiones illas Propheticorũ & Apostolicorũ scriptorũ. Quòd si cũ his nõ cõueniat, habendum erit pro anathemate, etiãsi angelus id adnũciauerit. Sed nõ dubito, quin Iudæi reprehenderint cogitationibus suis hanc, ut ipsi iudicabãt, iactantiam, qua Iesus gloriabatur se gloriã Dei quærere. Quid? quomõ quæris gloriã Dei, cũ manifestè uioles legem Dei, præsertim eam, quæ extat de Sabbato? Tu sanas hoĩes in die Sabbati, & iubes eos eodem die auferre grabbata sua. Quare tm̃ abest, ut sis ex Deo, & quæras gloriã Dei, ut potius uoluntati Dei obsistas, & maiestatem legis eius cõtumelia afficias, ideoq; dignissimus, qui aut lapidibus obruat̃, aut in crucem agatur. De hac re pergit Iesus cõcionari. Et ait: Nõne Moses dedit uobis legẽ, & tm̃ nemo ex uobis factis præstat legem? Quid me quæritis interficere? Scio quidẽ quòd accusetis me iniusticiæ aduersus legẽ Mosi, propterea cp̃ sanauerim languidũ in Sabbato, sed ego uicissim affirmo me iustè fecisse, & legẽ uerè obseruare, uos aũt iniustè facere, & legẽ uiolare. Hic ergo cõsiderandũ est, cp̃ cũ Christus dicit: Nemo ex uobis præstat factis legem, primum quidẽ intelligat de speciali lege: Non occidas. Hanc enim legẽ uiolabant Iudæi, dum quærebant Iesum, uirum innocentẽ occidere: Deinde intelligat de tota lege, ut sit sensus: Vos dicitis me esse iniustum, at ego p̃ certo dico, me iustũ esse, uos aũt oẽs esse iniustos, nec ullũ uestrũ uerè seruare legẽ. Accepistis legẽ à Deo, docetis legẽ, auditis legẽ, explicatis legẽ, sed nemo uestr̃ p̃stat legẽ factis. Ac fieri põt, ut homo quispiã externã honestatẽ legis sectetur, & uideatur corã alĳs hoĩbus iustus, nullus aũt implet legẽ iuxta uerã sentẽtiã spũs sancti, nec ullus potest esse actionibus suor̃ oper̃ corã Deo iustus. Nã manifestũ est discrimẽ inter

Prophetico-rum & Apostolicorum scriptorũ authoritas.

Christi & aliorum hominum discrimen.

Christũ & omnes alios homines. Christus enim totus est iustus ac sanctus, & implet legem perfectissimè. Peccatum non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Nec debuit Christus hoc de seipso dissimulare, propterea ꝙ oporteat alios homines iusticia Christi fieri iustos. Quare iustitia eius debet esse uulgata, & omnibus nota. Alij autẽ omnes homines sunt natura iniusti, nec faciunt legem perfectè. Omnes declinauerũt, nõ est qui faciat bonum, nõ est usq; ad unum. Et: Omnes peccauerũt, ac destituuntur gloria Dei. Iudęi igitur rectè accusantur à Christo, ꝙ nullus eorum præstet legẽ factis. Atq; hæc quidem est sententia ueterum interpretum, de hoc loco. Sed quid, si Christus his uerbis respiciat ad ea, quę mox de circumcisione recitabit, ac reprehendat Iudæos imperitiæ & imprudentię, ꝙ cum accusent ipsum uiolatę legis de sabbato, propterea ꝙ sanauerit languidũ in sabbato, multo magis accusent seipsos uiolati sabbati, ꝙ pueros suos sabbato circũcidant. Nã hæc disputatio suscepta est cum Iudęis, occasione eius miraculi, quod Christus in eo ędidit, qui triginta & octo annos morbo fuit detentus, quemadmodum suprà capite quinto scriptum est. Et quia Iudæi sentiebant Christum eo facto uiolasse legem, ideo iudicabant eum morte dignum, & quærebant ipsum interficere. Propter quam causam aliquandiu non est uersatus in Iudæa, sed tantum in Galilæa. Dicit ergo: Nonne Moses dedit uobis legem, uidelicet, de sabbato, & tamen uos non seruatis eam legem. Si enim ego sanatione hominis languidi uiolaui legẽ de sabbato, certè uos multo magis uiolatis eam circumcisione uestra, quemadmodum mox sequitur. Quare si iudicatis me dignum morte, & uultis me interficere propter sanationem, multo magis uos morte digni estis, propter circumcisionem, quam sabbato facitis. Hæc summa non uidetur ineptè cohærere, cũ his
" quæ mox de circumcisione sequuntur. Respondit autem turba & dixit:
" Dæmonium habes, Quis te quærit interficere? Hæc siue ab ea turba dicantur, quæ ignorat consilium Iudęorum de interficiendo Christo, siue ab ijs qui huius cõsilij cõscij fuerunt, certe temerè & impudenter dicuntur. Quid enim uerisimilius est? num Iudæos homicidijs Prophetarum assuetos, meditari homicidium, an Iesum tot testimonijs commendatũ, & tantorum miraculorum operatorem dęmonio ac furijs agitari? Maxima igitur temeritas est, quòd tanta præcipitãtia iudicauerint Iesum esse dæmonio obsessum. Et hoc est uulgare hominũ uitium, quòd re nec explorata nec cognita, pronunciare soleant, quod nõ dico in mentem, sed in buccam uenit. Si autem Iudæi fuerunt huius iudicij conscij, & nihilominus dixerunt Iesum dęmonio agitari, quid, obsecro, potest dici impudentius? Negarunt enim fortasis se meditari homicidium aduersus Iesum, ne sibi confessione sua periculum à reliqua turba, quę uidebatur le-

Impiorum ingenium.

su fauere, & eum pro Messia habere, crearent. Sed uides hîc extremam maliciam humani ingenij. Primum enim homines natura tam peruersi sunt, ut non uereantur innocentissimos quosque infamia notare, & qui busuis malis afficere, tantummodo ne ipsi periculis obijciãtur. Deinde hoc est uetus ingenium impiorum, quòd suam impiam doctrinam adscribant Deo, doctrinam autẽ uerè piam, dęmonio. Sed audi quid Psal-

mus

mus dicat: Vidi impium superexaltatũ & eleuatũ sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eũ, & non est inuentus locus eius. Quare nõ moueamur aliena peruersitate, & impietate, ut deseramus nostrum officiũ, sed sectemur exemplum Domini nostri Iesu Christi, quẽ nulla Iudæorum impudentia & insania à sectanda uocatione sua abstertuit: Verùm dissimulata cõtumelia, pergit suam causam, quam tractandam suscepit, exponere. Et dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moses dedit uobis circumcisionem, non quia ex Mose sit, sed ex patribus, & tamẽ in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut nõ soluatur lex Mosi, mihi indignamini, quòd totum hominẽ sanum fecerim in sabbato? Nolite iudicare secũdum aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Suprà dixit Christus, ꝙ si Iudæi sentiunt ipsum sanatione sua uiolasse legẽ de sabbato, multo magis sabbatũ ab ipsis uioletur. Nunc ergo exponit, quo facto uiolent sabbatum, si quidem obedire uoluntati et uocationi Dei sit sabbatum uiolare. *Vnum*, inquiens, opus feci, unum hominem tot annis morbo detentum, curaui in sabbato, & omnes miramini, omnes obstupescitis, oẽs indignamini, omnes grauissimè fertis, & iudicatis me legem de sabbato non solum neglexisse, uerumetiam quãtum in me sit, abrogasse, cum tamen uos ipsi singulis sabbatis eam negligatis, si modo id est negligere, quod uos dicitis. In quo ergo negligimus eam? In circumcisione. Nam Moses præcepit uobis circumcisionem, non quidem, ꝙ ante Mosen nõ fuerit instituta, sed ꝙ eã à patribus acceperit. In eo præcepto iubetur circumcisio fieri octauo die. Infans, inquit, octo dierum circũcidetur in uobis. Solet autem sæpe ac multum cõtingere, ut mulier pariat filiũ in die sabbati. Itaq; octauus dies incidit in sabbatum, quod proximè sequitur. Quid ergo fit? Vos certè soletis puerum in sabbato circumcidere. ne lex illa, quę apud Mosen de circumcisione à patribus accepta extat, soluatur & negligatur. Cur ergo tam uehementer in me insultatis, ꝙ hominẽ tot annos languidum, & tam graui morbo detentũ in sabbato curauerim? Dicitis, legem Dei iubere puerũ octauo die circũcidere, nulla habita sabbati ratione, ideoq; hoc uobis diuina autoritate licere: at uicissim ego dico uobis, ꝙ & lex Dei patris mei iubeat me infirmos curare, quocũq; tẽpore mihi oblati fuerint. Quare q̃d facio in die sabbati, paterna autoritate facio. Testantur Euãgelica scripta, ꝙ sabbatum multum negocij exhibuerit Iesu Christo inter Iudæos. Et tñ, qui uenerat, ut esset subiectus legi, ac impleret legem, nunq̃ neglexit sabbatum, iuxta diuinã eius legis sententiã, sed tantum iuxta Pharisaicas & superstitiosas opiniones. Quare uaria extant argumẽta apud Euãgelistas, quibus Christus tuetur suã innocentiam, & reprehẽdit uanas de sabbato superstitiones. Nam aliàs citat indefinẽtem actionem patris sui. Pater meus, inquit, operatur usq; nunc, & ego operor: aliàs citat exemplũ Dauidis, qui necessitate famis coactus edit panes propositionis: aliàs producit in medium ouẽ quę sabbato incidit in foueam & educitur: aliâs bouem aut asinũ, qui soluitur, & ducitur aquatum: aliàs mactationẽ hostiarum, quæ fiebat singulis sabbatis à sacrificulis in templo. His exemplis et rationibus Christus nõ ab

Sabbati uiolatio superstitiosa.

Sabbati obseruatio.

rogat ſabbatum in politeia Moſaica, ſed oſtendit uerã de ſabbato ſenten
tiam, & damnat phariſaicam ac Iudaicam ſuperſtitionem. Nam ſabbatũ
Sabbatũ quare inſtitutũ. fuit in politeia Moſaica magnis & grauibus cauſis inſtitutũ, nec debuit,
in ea politeia, quę erat legitima, & diuinitus ordinata, ꝓphanari. Primũ
em̃ inſtitutum fuit, ut eſſet monumẽtum creationis huius mundi. Nam
ſpũs ſanctus uidit futurũ, ꝙ humana ratio excogitatura eſſet uarias opi-
niones de conditione mundi. Alĩ em̃ ſenſerunt mundum nõ incepiſſe,
ſed fuiſſe ab æterno. Alĩ dixerunt incepiſſe quidem, ſed non ex nihilo.
Alĩ docuerunt eum ſua ſponte natum. Quare cũ Moſes educeret Iſrae-
litas ex Aegypto, ac recẽs adhuc eſſet memoria creationis huius mundi,
à Patriarchis (qui quo propius aberãt ab ortu & diuina progenie, eo cer
tius cognoſcebãt initium mundi) ad poſteros propagata, iuſsit ſpiritus
ſanctus inſtituere ſabbatum, ut eſſet publicum monumẽtum, quo poſte
ri cognoſcerent mundum nõ fuiſſe ab æterno, ſed eſſe ab initio, ex nihi-
lo diuinitus creatum. In præcepto.n. de ſabbato diſertè additur: Sex die
bus fecit Deus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Et re
quieuit die ſeptimo. Quibus uerbis ſabbatũ perſpicuè cõmendatur, ut
ſit monumentũ creationis. Deinde inſtitutum eſt ſabbatũ, ut eſſet ſacra-
mentum, & admoneret Iſraelitas, ꝙ ſolus Deus qui creauit mundum, &
promiſit ſemen mulieris cõtriturum caput ſerpentis, ſit ſanctificator &
ſeruator ipſorꝝ. Dedi, inquit, ſabbata mea eis, ut eſſet ſignum inter me et
eos, ac ſcirẽt, quia ego Dñs ſanctificãs eos. Quare Deus uetuit Iſraelitas
in die ſabbati facere opera ruſtica, & opificia, ut ocioſi cõuenirẽt in unũ
cœtum, audirent uerbum Dei, et facerẽt ſacra, ex quibus Deum uerè ag-
noſcerent, fidem ſuam confirmarent, & uno omnes ore Deũ laudarent.
Nullum opus, inquit, facias in eo, neꝙ tu, neꝙ familia tua, neꝙ iumẽta
tua. Ergo nec loquendum eſt, aut ſtandum, aut aliquò uſꝙ progredien-
dum, aut ne cogitandum quidem aliquid? nam & hęc ſunt opera. Abſit.
Principio.n. ocium ſabbati ciuiliter, non ſuperſtitioſe intelligendũ eſt,
de ceſſatione uidelicet ab ĩjs operibus, quibus celebritas ſabbati aut im-
pediretur, aut abrogaret. Deinde intelligendum eſt, de generali, non de
Vocationum diuerſitas. perſonali uocatione. Aliud eſt, generalis uocatio, aliud perſonalis. Ge-
nerali uocatione iubentur oẽs homines hanc legem: Nõ occidas, obſer
uare. Perſonali aũt uocatione, iubetur Magiſtratus ſceleratos punire, &
pro ſceleris qualitate, occidere. Ita & generali uocatione prȩceptum erat
omnibus Iſraelitis, ut in ſabbato nulla facerent opera, talia uidelicet, ciui
lia aut ruſtica, qualia ſolent fieri profeſtis diebus. Perſonalis aũt uocatio
erat, ꝙ ſacerdotes in templo mactabant pecora, ad facienda ſacra: perſo
nalis uocatio erat, ꝙ in ſabbato circumcidebat infans: perſonalis uoca-
tio erat, ꝙ boues & oues aut ducebantur aquatum, aut educebantur è fo
ueis, in quas ceciderant: perſonalis uocatio erat, ꝙ Ieſus curabat in die
ſabbati infirmos: perſonalis uocatio erat, ꝙ Matathias inĩt pugnam ad
1. Macha. 2. uerſus hoſtes in die ſabbati, ut tueretur eã politeian, in qua & ſabbatũ et
aliæ leges obſeruari poſſent. Quare, etſi generali uocatione nõ licuit in
die ſabbati quęuis facere opera, tamẽ perſonali uocatiõe multa licuerũt
quæ alioqui erant illicita. In Chriſtianiſmo autẽ nullus quidem iudica-

ri

ri debet, in parte diei festi, aut sabbatorum, quemadmodum Paulus ait, sua autem debet esse dierum festorū obseruatio, ut publicus fiat conuentus ad cognoscenda beneficia Dei per Iesum Christū nobis præstita, & ad laudandum nomen Domini. De qua re cū aliàs copiosè dixerimus, audiamus nunc exhortationem, quam Christus ad finem concionis suę addit: Nolite, inquiens, iudicare secundū aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Ostēdi nunc ex lege de circumcisione, ꝙ iudicetis de meo opere, non secundum rei ueritatem, & rectam legis sententiam, sed tantū secundum externā operis speciem, & humana uestra somnia. Nā si rectè considerauerit is quid sit Sabbatum, & quę sit uera sententia eius legis, iudicabitis potius, me sabbatū obseruasse, ꝙ prophanasse. Peccatum autem est in iudicio, ut personam respicere, ita etiam externam tantum speciem rei considerare. Nolite ergo sic secundum aspectum iudicare, sed iusto iudicio iudicate. Obseruabile præceptum, tam magistratui ꝙ priuatis, *idq;* nō in ciuilibus tantum, sed in Ecclesiasticis, adeoq; omnibus *negocijs.* Nam secundum aspectum iudicare, est in iudicio considerare, *non* ueritatem, sed speciem tantum rei, ut si quis, exempli gratia, in ciuili *iudicio*, consideret in accusatore non causam ipsam, & omnes circumstātias eius, sed uel externam tantum facti absurditatem, qualis sese prima facie in reo offerret, uel accusatoris eloquentiam, ac pronunciet ex eo pro accusatore aduersus reum: aut si quis ex scriptura, sentiat Deum externos pedes habere, ꝙ scriptura dicat Deum descendisse de cœlo, & uidisse ędificium turris Babylonicę: aut si quis de proximo suo iudicet, secundum unius aut alterius inuidi maledicentiam. Quis autem sic temerè iudicans, non facile deciperetur, ac a uera uia aberraret? Quare adhibenda est summa in iudicando diligentia, ut in recta semita iusticię ambulemus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Festorum dierum obseruatio in Christianismo.

Iudicare secundum aspectum.

HOMILIA LXII.

AScendimus his diebus cum Christo in templum Hierosolymitanum, & audiuimus concionem eius, qua & ueritatem doctrinę suæ affirmauit, & opus miraculi, quod in die sabbati ediderat, defendit. Audiamus nunc, quàm uaria iudicia de Iesu Christo Iudęi fecerint. Ac initio audiamus sententiam ciuiū Hierosolymitanorum. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitanis: Nonne hic est, quem quęrunt interficere? Atqui ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nū uerè cognouerūt principes hunc esse uerè Christum? Sed hūc nouimus unde sit, Christus autem cum uenerit, nemo scit, unde sit. Pauca uerba loquuntur ciues Hierosolymitani, sed produnt magnā suā imperitiam de Christo, & pertinaciā in sua impietate. Etsi enim habitārunt in urbe sancta Hierusalē, in qua erat templum, & in qua religionis doctrina atq; uaticinia de Christo maximè omnium explicabātur, tamēne ea quidem, quę de Christo in Prophetis passim obuia erāt, cognoscebant. Christus, inquiūt, cum uenerit, nemo scit, unde sit. Quid ergo est, ꝙ Prophetę toties dicunt, Christū nasciturum ex familia Dauidis: quid ꝙ manifestè dicit Micheas, Christum nasciturę in urbe Bethlehem, quē

admodum & alĩj Iudæi, qui paulo eruditiores erant, paulopoſt affirmabunt, & Pontifices antè in aduentu Magorũ, Herodi indicauerant? Sed hoc illud eſt, quod uulgato prouerbio iactatur: Quo quis propius Romam habitat, eo peior eſt Chriſtianus: ita quo quis propius urbem Hieruſalem habitauit, eo peior & imperitior fuit Iudæus. Nam cũ maxima ſemper multitudo Iudæorum, diebus præſertim feſtis ad Hieruſalẽ conuenerit, ut ſacra ſua peragerent, dubiũ non eſt, quin ciues poſthabita cura & ſtudio audiendę ſacrę doctrinæ, dederint operam excipiẽdis ettractãdis hoſpitibus, ac ſectati ſint ſua cõpendia in extrudendis mercibus, ac rebus ad ſacrificia neceſſarijs. Itaq; factũ eſt, ut nullam prorſus ueram cognitionem de Meſsia ſuo, ſeu Chriſto, niſi ſi quę forte inter pocula audiuiſſent, conſecuti fuerint, ac rudius et ineptius loquantur de Chriſto, q̃ ulli extranei Iudęi. An non et hi ſunt noſtrorũ ciuiũ mores? In diebus feſtis multò maior habetur cura excipiẽdorũ peregrinorũ, qui huc conuenire ſolent, et extrudẽdarum merciũ, q̃ audiendi Euangelij. Putas autem fore, ut Deus tãtam oſcitantiam, & neglectum Verbi ſui diutius ferat? Vide mihi exemplũ ciuium Hieroſolymitanorum. Hi maluerunt dare operam ſuo compendio, q̃p ueram doctrinã de Chriſto cognoſcere. Fructus igitur Chriſti, qui eſt theſaurus omniũ cœleſtium bonorũ, translatus eſt ab eis ad extraneos, ipſi autem tam horribiliter perierunt, ut facti ſint opprobrium, et blaſphemia, exemplũ & ſtupor in omnibus gentibus, quemadmodum Propheta ait. Quare cauendũ eſt, ne noſtra culpa fiat, ut alieni nucleum, ut ita dicam, piæ doctrinæ auferãt, et nobis putamina tantum, hoc eſt, famem Verbi Dei, ac perpetuũ interitum relinquant. Deinde Hieroſolymitani produnt etiã his uerbis pertinaciã animi ſui impietate. Cum em̃ dicunt: Num uerè cognouerũt principes, hunc uerè eſſe Chriſtum? Sed hunc nouimus unde ſit, ſignificãt ſe exiſtimare, q̃p ipſi non ſolũ rectius iudicent de Meſsia, q̃ principes, uerumetiam, q̃p quanq̃ principes agnoſcerent hunc Ieſum pro Meſsia, ipſi tamen non uelint eum agnoſcere. Sciebant em̃, q̃p Ieſus grauiſsime reprehẽderet ſuperſtitiones & impietates Iudęorũ. Viderunt eum è templo eĩcere mercatores, & ſubuertere menſas numulariorum. Ex his autem nũdinationibus faciebant maximum quęſtũ ac lucrum. Cum igitur intelligerent doctrinam Ieſu eò tendere, ut quæſtus ipſorũ aboleatur, malunt etiam principum ſuorũ iudicium contemnere, q̃ hunc Ieſum pro Meſsia agnoſcere. Hic conſidera mihi, quantę ſint ſordes humani ingenij, q̃p nihil penſi habeat, modo lucrũ faciat. Homines enim tanto animi ardore conſectantur opes, ut aliâs ſeſe non niſi ad principũ ſuorum religionẽ, ſiue ea uera ſit, ſiue falſa, modo ſit tuta, & ad facienda compendia utilis, cõparent: aliâs principum ſuorum religionẽ magno ſtudio contẽnant, ſi in ea non affulgeat ipſis ſpes aliqua lucri. Sed quid? Sterquilinia ſunt, non homines: deum uentrem, non Deum uerũ colunt. Pecora ſunt, porci ſunt, imo melior eſt porcorũ conditio, q̃p iſtorum hominũ. Nam porci, dum uiuunt, fruuntur ſuo luto, pòſt, cũ mactantur, abit anima eorum in nihilum, nec quicq̃ aduerſi amplius patitur. Iſti autem homines, cum adhuc uiuũt, nõ fruuntur ſuis opibus, ſed abutũtur uel tenaciſsima auaritia,

Verbi Dei neglectus.

Vulgi ſordes & impietas.

ritia,uel perditissimo luxu, cũ uerò mortem oppetunt, obĳciuntur per petuis cruciatibus. Quid ergo his aut miserius,aut etiã turpius, quibus porci uidentur beatiores? Sed relinquamus istos (siquidem hoc unum spectant)suo uentri,nos uerò audiamus,quę Iesus respõdeat. Clamabat ergo Iesus in templo docens ac dicens: Et me nostis, & unde sim nostis, & à meipso non ueni,sed est uerus,qui misit me, quem uos nõ nouistis. Ego uero noui eum,quia ab ipso sum,& ille me misit. Clamabat,inquit. Maxima enim Iudæorum multitudo conuenerat hoc tempore Hierosolymis,& uolebat Iesus doctrinam suam,manifestam,et omnibus notam esse. Quod autem dicit,hãc habet sententiam: Vos musitatis inter uos, quòd cum ueniat Messias, nemo sciat, unde sit. Ego uero inscitiã uestrã mirari satis non possum. Manifestissimum enim est ex Prophetis,quòd Messias,quantum quidẽ ad diuinam eius naturam attinet,sit ab ęterno genitus,à Deo patre suo. Dominus dixit ad me,inquit,filius meus es tu, ego hodie genui te. Et: Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Quod autem attinet ad humanam eius naturam, manifestissimũ est, ꝙ Prophetæ prædixerunt eum nasciturũ ex familia Dauidis,in urbe Bethlehem. Non potest quidem negari, quin scriptum sit, Messiam fore despectum,& nouissimum uirorum,& uenturum pauperem, insidentem asello,hoc autem intelligendum est de abiecto uitæ eius genere inter homines,uidelicet,ꝙ non sit dominaturus regio more in terra, sed multa aduersa passurus, interim tamen nequaq̃ erit obscurus, sed clarissimus omnium,tam prædicatione Euangelĳ sui,q̃ operatione miraculorum. Quare si uos ciues Hierosolymitani cõferretis diligenter (id quod ratio salutis uestrę postularet) Prophetica dicta de Messia,cum mea persona, & meis actionibus,profecto fieri non posset,quin cognosceretis me, ꝙ nõ essem uanus quispiam homo,qui mihi temerè arrogem maiestatem Messiæ,sed ꝙ essem uerus ille Messias,quẽ & uerus Deus in hunc mundum,iuxta prophetica uaticinia,miserit. Quid aũt multis opus est? Vos etsi plurimum gloriamini de Deo,tamen non nouistis Deum,homines estis impĳ,& Dei contemptores. Ego uero noui Deum,ꝙ et ab ipso sim ab ęterno genitus, & ille me miserit in hũc mundum,ut assumam hominem,& defungar officio Messię, quo uerus Deus reueletur & cognoscatur. Quare,fieri nõ potest,ut cum ego à uobis contemnar,ueram habeatis noticiam Dei. Ad hæc ergo quid dicemus? Christus palàm accusat ciues Hierosolymitanos,ꝙ nullam habeant Dei noticiam. Quem uos,inquit,non nouistis. An non uidebant esse populus Dei? An non gloriabantur de Deo? An nõ habebant in urbe sua templum Dei? Nihilominus tamẽ accusantur, ꝙ nõ cognoscant Deum. Vnde ergo hoc accidit? Certe nõ aliunde,q̃ ꝙ non uerè cognouerint Christum. Non enim potest Deus cognosci, nisi cognito Christo. Ergo, inquis, nec Iudæi, qui nunc sunt,nec Turcę,cognoscũt uerũ Deũ,etiãsi multa de Deo iactent? nõ enim agnoscunt Christum. Recte. Et addam aliquid amplius. Nec Christianorũ uulgus uerum Deũ agnoscit,quia etsi tenet nomen Christi,tamen nõ intelligit uerum officium Christi. Dicunt quidem,Deum esse misericordem & clementem,& uidentur Deũ in precibus suis inuo

Dei uera noticia nulla est nisi per Christum.

care,ſed cũ interrogãtur,propter quam cauſam Deus ſit miſericors,& qua fiducia inuocent nomen Dei,ibi tum attoniti obſtupeſcunt,ac neſciunt,quò ſe uertant.Nec uix aliter loqui ſolent de Deo,cꝫ Iudęus quiſpiam,aut Turca.De Chriſto filio Dei,nulla penè mentio,niſi fortè per occaſionem.Sed quid de Deo gloriaris abſcꝫ Chriſto? Deum,inquit Ioannes,nemo uidit unquam.Filius unigenitus,qui eſt in ſinu patris,ipſe enarrauit,quomodo igitur abſcꝫ filio poſſes uel Deum accedere,uel Deum cognoſcere? Non eſt aliud nomen (ut Petrus ait) ſub cœlo datũ inter homines,in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quare ſiue Deum uoluueris rectè cognoſcere,ſiue ſalutem ab ipſo ſperare & conſequi, nõ poteſt tuæ uoluntati ſatisfieri, niſi audias & agnoſcas filium Dei Ieſum Chriſtum,quem pater nobis propoſuit mediatorem et ſeruatorem.Nec ulla eſt ignorantiæ excuſatio.Ante aduentũ Chriſti,ſatis perſpicua erat promiſsio de ſemine Abrahæ,quæ diſperſis Iudęis,etiã inter gentes uulgabatur.Poſt aduentum autem Chriſti, Euangelion eius nõ ſolum prędicatum fuit in toto orbe terrarum,ſed etiam cõfirmatum eſt multis & magnis miraculis.Quare,quod ad doctrinam ſalutis attinet,nihil unquam defuit,nec deerit humano generi. Quod autem maxima hominũ multitudo,Ethnici,Iudęi,Turcæ,& qui ſunt inter Chriſtianos impĳ, malunt ſua terrena negocia agere,cꝫ ueram cœleſtis ſuæ ſalutis uiam,ea diligentia,quam neceſsitas exigit,inquirere,impietas eſt hominum,nõ uitium diuinæ doctrinæ.Quid enim ad ſolem,cꝫ noctuæ,ueſpertiliones,& bubones,ſplendorem eius non uideant? Sol aũt cœleſtis doctrinæ Euãgelĳ de Ieſu Chriſto lucet in toto orbe terrarũ.Fama enim nominis Chriſti non eſt incluſa in unum tantum angulum terrę,ſed eſt diuulgata tam inter Iudęos,cꝫ inter Turcas,qui & poſſent,ſi haberent ſeriã ſalutis ſuæ rationem,ea quę de Chriſto extant,uerè cognoſcere,Sed libet eis magis cęcis,inſcĳs & impĳs eſſe,cꝫ ut hanc cœleſtem lucem aſpiciant,& ueritatem diſcãt.Pereunt igitur ſuo merito,& damnatio eorum eſt iuſtiſsima.

» Porro,cum Ieſus in templo publicè cõcionaretur,Quærebãt, inquit Euangeliſta,apprehendere eum,& nemo miſit in illum manus, quia nondum uenerat hora eius.In hoc capite ſæpe fit mentio periculorum Chriſti,& tñ Chriſtus ſemper in tuto fuit,etiã cum uerſaretur inter hoſtes ſuos, ac tũ quocꝫ, priuſq; aſcendiſſet in cœlũ,dominatus eſt in medio inimicorum ſuorum,quemadmodum Pſalmus dicit. Additur autẽ cauſa, Nondũ,inquit,uenerat hora eius.Non deerat impĳs Phariſęis & Principibus ſacerdotum uoluntas occidẽdi Chriſti,nõ deerat eis externa poteſtas,nõ etiam deerat opportunitas,ſed deerat eis hora Chriſti.Ecquæ eſt illa,inquies, hora? Accipiamus duplicem horã Chriſti in hac terra, Altera eſt hora uiuendi & prædicandi Euãgelĳ ſui.Hanc horã aliàs uocat lucem:Adhuc breue tempus,inquit, lumẽ uobiſcum eſt. Ambulate donec lucem habetis,ne uos tenebræ occupent.Hęc hora complectitur totũ tempus miniſterĳ,quo Chriſtus ambulauit in terra, & prædicauit Euangelion ſuum.Altera eſt hora crucifigendi & moriendi.Hanc horã uocat Chriſtus horã Iudęorum,& poteſtatem tenebrarum.Hæc eſt,inquiens,hora illa ueſtra,& poteſtas tenebrarum.Quare, cũ docente Ieſu

Chriſti hora quæ ſit.

in

in festo tabernaculorum, nondum uenerat hora eius crucifigendi et moriendi, sed erat adhuc hora Euangelij sui prædicandi, nõ potuerũt eum aduersarij cõprehendere. Sed hoc, inquies, accidit Iesu filio Dei, qui habuit potestatem ponendi animam suã, et rursus sumendi eam, ideoq; potuit coercere aduersarios, ne ante tempus inijcerẽt in ipsum manus suas. Nos autẽ sumus homines imbecilles, nec ea sumus potestate prediti, ut queamus aduersariorũ manus à ceruicibus nostris auertere, & conatũ eorum frustrari. Quid igitur nobis prodest hoc exemplũ Christi? Multum per omnem modum prodest. Etsi enim nõ sumus natura filij Dei, sicut est Christus, adoptamur tamẽ in filios Dei, propter Iesum Christũ, in quem credimus. Inter naturales aũt & adoptiuos filios solet paterna hæreditas æqualiter pro sua cuiusq; conditione distribui. In bonis uero cœlestis hereditatis, etiam hoc cõtinetur, q; Deus tueatur filium suum, nec sinat eũ inter manus aduersariorũ perire. Angelis suis, inquit, mandauit de te, ut custodiant te in oĩbus uĩs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidẽ pedem tuum. Et iterum: Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Quare sicut Deus defendit Christũ filium suum, in medio hostium suorũ, ita etiã defendit unũquemuis credentem in Christum, propterea q; is propter Christum sit in filiũ adoptatus. Accedit huc, q; q; in Christũ credit, fit membrum Christi per fidẽ. Quo autem caput peruenit, eo necesse est membra sequi. Cum igitur caput Ecclesiæ, qui est Iesus Christus, euaserit insidias hostium suorũ, fieri non potest, quin & membra eius, qui sunt credentes in ipsum, euadãt. Vide mihi, q; admirabiliter sæpenumero Deus seruauerit Dauidẽ, iam ab aduersarijs circundatũ, Elizeum, Petrum, Paulum, & alios pios, qui cum fuerint adoptati in filios Dei propter Christum, habitarunt etiã in adiutorio altissimi, & cõmorati sunt in protectione Dei. Quid ergo ad hæc dicemus? num Deus dicitur hos tunc conseruasse, cum elapsi sunt è manibus hostium, & liberati sunt per angelos è carceribus: tunc autẽ deseruisse, cum postea in manus hostium suorum peruenerunt, & ab aduersarijs sunt occisi, aut alioqui morte extincti? Nihil certè minus. Deus tã admirabiliter, imo multo admirabilius seruat suos in morte, q; ante mortem. Postq; enim peccauimus, ea facta est conditio humanæ naturę, ut nobis ex hac corporali uita per mortem emigrandũ sit. In sudore, inquit, uultus tui uesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus es. Itaq; duo sunt, iuxta generalem ordinationem, hominis tẽpora, quemadmodum paulò antè indicauimus. Alterũ est tempus huius corporalis uitæ. Alterum est tempus mortis, discessus uidelicet ex hac uita. Hanc ordinationem Deus, quandiu hoc seculũ steterit, non immutat, at tamen promittit utroq; tẽpore, suam opem & defensionem per filiũ suum Iesum Christũ. In tẽpore igitur corporalis uitæ, Deus semper admirabiliter defendit homines, ac præsertim pios, ut etiã externa & corporalia aduersa effugiant. Satan. n. tam uirulẽtus est hostis humani generis, præcipuè autẽ piorum hominũ, ut nisi Deus tueretur eos in hac corporali uita, nullus eorũ posset euadere ex insidijs Satanæ, & aliquãdiu in uita perdurare. Cum uero aduenit mortis tẽpus, sicut pij antea singulari

Christus seruatur, ergo & credẽtes in ipsum seruantur.

Pij semper & ante mortẽ, & in morte seruãtur.

Pij quomodo conseruentur in morte.

Dei auxilio conseruati sunt in uita corporali, ita etiã cõseruantur in media morte, ne pereant, sed habeant æternã uitam. Nam, cũ dicimus Deum tueri pios in medio inimicorum suorum, nõ intelligimus tm̃ de externis & corporalibus inimicis, sed intelligimus maximè omniũ de spiritualibus inimicis, qui sunt Satan, & Mors. Nouissimus hostis, inquit Paulus, aboletur Mors. Ac Christus filius Dei, cũ hoc hoste idcirco cõgressus est, & suscepit mortẽ, ut per mortẽ aboleret eum, qui mortis habebat imperiũ, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicũq; metu mortis per omnẽ uitam obnoxij erãt seruituti. Et in hoc Christus mortuus est, ac reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominaretur, hoc est, ut nõ in uita tm̃ corporali, sed etiã in morte ipsa cõseruaret suos ad uerã & perpetuam uitam. De Christo dictũ est: Non derelinques animã meam in inferno, nec dabis sanctũ tuum uidere corruptionem. Et quod de Christo est prędictũ, hoc suo tempore est impletũ. Hęc hęreditas Christi pertinet etiã ad pios, qui sunt cohęredes eius. Etsi em̃ pij nõ statim resurgũt tertia die à mortuis, sicut Christus surrexit, tamẽ & caro ipsorũ requiescit in spe, & uiuunt, etiã in morte, cum Christo, ut suo tempore in Christo resurgãt. Cum igitur, siue uiuamus, siue moriamur, Domini simus, agite amicissimi, non metuamus minas aduersariorum, non auertamur crudelitate hostium à sectãda uocatione Dei, sed faciamus pertinaci studio nostrum officium, certò confisi, q̃ tam in uita q̃ in morte Dominus Deus noster, sit per Christum filium suũ seruator noster. Percurramus autem & reliqua. De turba multi crediderunt in eum, ac dicebant: Christus cum uenerit, num signa plura edet ijs, quæ hic edidit? Audiuerunt Pharisæi turbam murmurantem de illo hęc, & miserũt Phariseĩ ac Principes Sacerdotum ministros, ut apprehenderent eum. Etsi turba hominum non rectè credit in Christum, & Pharisæi sunt crudeles persecutores Christi, tamẽ habes in utroq; horum hominum genere, quod sit observatione dignum. Nam cum hi qui credunt, ex turba, dicũt: Christus cum uenerit, num plura edet signa? manifestè significant, publicã fuisse famam inter Iudæos, Christum fore miraculis illustrem, & doctrinã suam miraculis confirmaturum. Cum igitur nullus alius hominũ maiora ediderit miracula, eo tempore, quod Prophetæ de aduentu Christi determinarunt, q̃ Iesus filius Mariæ, cui Ioannes Baptista testimonium dedit, sentiamus nullũ alium præter hunc, pro uero Christo agnoscendũ esse. Quid aũt dicemus de impijs Phariseis & sacerdotum principibus? Hi tantæ sunt cæcitatis, ut nec miracula Iesu, nec tempus aduentus Christi inter se conferant, sed malint Iesum cõprehendere & occidere, quàm exemplo turbæ in eum credere. Metuunt enim quæstui & compendio suo, ideoq; student impia crudelitate cauere, ne doctrina Iesu promoueat. Sed quod metuit impius, accidit ei. Pharisæi enim & Põtifices Iudęorum, meriti sunt impietate sua, ut nõ solum ipsi à quæstu suo exciderint, uerum etiam unà cũ sua gente horribiliter perierint. De qua re aliàs sæpe dictum est. Audiamus igitur nunc cõcionem Christi. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc pusillum temporis uobiscum sum, & abeo ad eum, qui me misit. Quæretis me, nec inuenietis. Et ubi ego sum, eò uos non potestis uenire.

uenire. Dixerunt ergo Iudęi inter ſeſe: Quò hic iturus eſt, quòd nos nõ "
inueniemus eum? num in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus "
gentes? Quis eſt hic ſermo, quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis, "
& ubi ego ſum, eò uos non poteſtis uenire? Non intelligunt Iudęi, quæ "
Chriſtus hic loquitur. Putant aũt ipſum ſignificare, quòd ſit relicturus terram Iudæorum, & abiturus ad Gentes, quæ in aliis regionibus diſperſim habitabant. Sed quid ſibi uelit Chriſtus his uerbis, facile intelligi poteſt ex his, quæ aliàs Chriſtus ad diſcipulos ſuos ait, capite decimo tertio, quo in loco & hoc dictum citat: Filioli, inquiens, adhuc pauliſper uobiſcum ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis, quò ego uado, uos nõ poteſtis uenire, ita & uobis dico nunc. Et mox ad Petrũ: Quò ego uado, non potes me nunc ſequi, ſequeris autem poſtea. Fx his manifeſtum eſt, ꝙ Chriſtus loquatur de cruce & morte ſua, qua abiturus eſt ex hoc mundo. Quod ergo hoc loco ad Iudæos dicit, hanc habet ſententiam: Intelligo quidem multos ex uobis credere me eſſe uerũ Meſsiam. Dicitis eñ: Meſsias cũ uenerit, num ſigna plura edet iis, quæ hic edit? Exiſtimatis autem me fore mundanum regem, & ſuſcepturum regnum in hac terra perpetuũ, ideoq; quæretis me, ſectabimini me tãquam diſcipuli, & ſubditi, hoc conſilio, ut cõſequamini per me terrenam fœlicitatem, & mundanam dominationem. Sed ego uos errare non patiar. Non ſuſcipiam perpetuum in hac terra regnum, nõ cohabitabo uobiſcum hac externa cõuerſatione in ſempiternum, ſed manebo quidem aliquãdiu adhuc uobiſcum in hac terra, paulò poſt autem crucifigar, & moriar, ut redeã per mortem ad Deum patrem meum, qui me in hãc terram miſit, & accipiã regnum cœleſte. Itaq; quæretis me, ero uobis gratus & acceptus, & ſequemini me, dum ſperabitis uos per me aſſecuturos corporalia bona, nõ inuenietis autem ea, quæ uos animo ueſtro cõcepiſtis. Non eñ ueni ut tradam meis aſſeclis terreſtria, ſed cœleſtia bona. Et ueni, nõ ut agam in hac terra fœlicẽ & tranquillam uitã, ſed ut ſufferã crucẽ, & patiar mortem. Poſtq; igitur reipſa comperietis, uos non aſſecuturos per me terreſtria, quæ ſola ſpectatis, bona, cõtinuo abibitis & derelinquetis me. Ad crucem enim, & mortem, quò ego uado, & ad quę ſuſcipienda me paro, uos præ ueſtra imbecillitate & incredulitate nõ poteſtis me ſequi. Qua re deficietis à me, & tantũ abeſt, ut iudicaturi ſitis me eſſe uerum Meſsiam, ut iuxta Prophetã, auertatis à me uultus ueſtros. Quod Chriſtus dixit de Iudæis, qui uidebãtur credere ipſum eſſe Chriſtũ, hoc poſtea tam in his Iudæis, q̃ in diſcipulis omnibus impletum eſt. Sperauerunt enim in Chriſto mundanũ regnum. Poſtq; autem uiderunt ipſum ab aduerſariis captum, & ſe ſpe ſua fruſtratos, diſcipuli omnes deſeruerunt eum, reliqui autem Iudæi damnarunt eum, ac pronunciarunt dignũ eſſe extremo ſupplicio. Vide ergo mihi, quanto ardore, quanta cupiditate humana mens feratur in terrenam fœlicitatem. Non ſolum enim quærit eam in hoibus huius ſeculi, ſed etiã in Deo ipſo, ac Meſsia eius, quam ſi pro ſua opinione aliquo modo inuenerit, ibi tum Deus magnus eſt, & Meſsias eius acceptus. Quòd ſi aũt non inuenerit, immanè ꝙ uirulento odio debacchetur in Deum ipſum ac Meſsiam eius: Tolle (exclamans) tolle

Chriſtum dare quid ſignificet.

crucifige eum. Quid autem est insania, si hęc nō est? Res enim ipsa testatur, ꝙ terrena bona, non sint uera & perpetua fœlicitas. An non manifestum est, plurimos in maximis huius terrę bonis longe omnium infœlicissimos esse? Vidi, inquit Salomon, magnā miseriam sub sole, ꝙ diuitiæ asseruatæ sint domino suo pernicioſæ, & pereant magna calamitate, sic, ut nihil inde perueniat ad hæredē ex illo natū. Et Dauid: Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorū multas: Quoniam brachia peccatorum cōterentur, cōfirmat aūt Dominus iustos. Deinde, terrena bona sunt quidem & ipsa beneficia Dei, Deus aūt non est tantum Deus huius terræ, sed etiā est Deus cœli, & misit Christū filium suum in hanc terram, nō ut distribuat terrestria, sed cœlestia bona. Quare, etiamsi uideamur ab externis ac terrenis bonis destituti, tñ Deus cœlestium bonorū author nō est mortuus, nec Christus filius eius interijt, sed uiuit adhuc, & habet cœlum omnibus perpetuis bonis plenum. A seculo, inquit, nō audierunt, neꝙ auribus perceperunt. Oculus non uidit, Deus, absꝙ te, quæ pręparasti expectantibus te. Hæc ergo bona optanda, hęc quęrēda sunt, ut cōsequamur ea, & fruamur ipsis per Iesum Christum Dominū nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXIII.

DE ferijs tabernaculorum in lege scriptum est: Septem diebus erunt feriæ tabernaculorum Domino. Dies primus uocatur celeberrimus atꝙ sanctissimus. Erit & dies octauus celeberrimus ac sanctissimus, & offeretis holocausta Domino. Erit enim dies magnæ congregationis. Cum igitur audiuerimus eas conciones, quas Christus habuit Hierosolymis, à dimidio festi tabernaculorum: audiamus nunc eam concionem, quam habuit in ultimo ac
» celeberrimo huius festi die. Dicit enim Euangelista: In nouissimo die
» magno festi stabat Iesus & clamabat. Euangelista his singulis uerbis monet lectorem & auditorem, ut attento animo excipiat concionem, quam est descripturus, Stabat (inquit) Iesus. Quam concionem recitabo, non habuit unus quispiam è uulgo hominum, sed Iesus ille tot miraculis illustris, & uerus Messias, seruator noster. Et habuit eam in die festo, non quouis uulgari, sed nouissimo illo & magno tabernaculorū, quo semper maxima hominum multitudo conuenire solebat. Vnde & hic dies dictus fuit, dies cœtus, seu congregationis. Et erat idoneum tempus conueniendi. Hoc enim festum celebrabatur, postquam omnes fructus terræ collecti fuerunt. Quare conuenerunt Iudæi maxima multitudine, ut lætarentur coram Domino, & agerent ei gratias, pro beneficio fructuum terræ. Cum igitur Christus susceperit habendam concionem tali die, & in tanta hominum frequentia, non est dubium, quin obseruabile sit & eximium, quod est concionatus. Additur & hoc, quòd steterit. Stabat (inquit). Non est enim intelligendum de uulgari modo standi, sed significatur, quòd steterit in tanta hominum turba, uelut heros quispiam, constanter atque intrepidè. Etsi enim Principes & Pharisæi quęrebant ipsum non capere tantum, sed & interficere, tamen ipse nullam

dabat

dabat significationem ullius metus, sed magno & planè heroico animo ac uultu, in omniũ conspectu stabat. Additur & illud, quòd clamauerit. Non enim uoluit doctrinam suam esse ignotam, aut à paucis intellectã, sed omnibus manifestam, perspicuam & uulgatã. Et clamor significat, doctrinã ex animo proficisci, & seriò dici. Audiamus igitur magna animi attentione, quid Iesus sit concionatus. Si quis sitit, ueniat ad me, & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hæc est cõcio, aut potius summa eius cõcionis, quam Christus in nouissimo die tabernaculorum habuit. Proponit aũt in hac concione eam doctrinam, qua uera & perpetua salus nostra constat. Primũ enim palàm & publicè affirmat se esse uerum illum Messiã, de quo Prophetæ sint uaticinati. Deinde promittit ea beneficia, quæ per Messiam, credẽtibus in ipsum, cõferenda sunt. Qui credit, inquiens, in me, fluent de uentre eius, flumina aquæ uiuę, sicut scriptura dicit. hoc est, qui meus est discipulus, & coniungit se mecum, per fidem, is consequetur omnia ea beneficia, quæ scriptura testatur populo per Messiam exhibenda, & tantis donis ornabitur, ut nõ ipse tãtum fiat fœlix, sed etiam faciat alios homines fœlices. *Messiæ beneficia.*

Audiamus ergo quanta copia Messias exhibiturus sit beneficia sua. Esaias ait: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. *Esa. 12.* Quò loco significat Propheta, Messiam saluatorem, aperturũ tales & tam abundantes fontes, ut qui bibant ex ijs, nunquam sitiant, sed perpetuam habeant salutem. Sicut & paulò antè dixit: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Et iterum: Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporũ fontes. Ac mox: Ponã desertum in stagna aquarum, & terram inuiã in riuos aquarũ. *Esa. 41.* Hac metaphora docet Esaias, q̃ Messias effecturus sit, ut omnis rerum benedictio & abundantia profluat, non ad Iudæos tantum, sed etiã ad Gentes, in toto orbe terrarum. Et rursus: Effundam aquas super sitientẽ, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionẽ meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices, iuxta præterfluentes aquas. Hic iterũ docet Esaias metaphora fluminum & aquarum, q̃ Messias allaturus sit miseris & afflictis hominibus (qui per sitientem & aridam terram intelliguntur) tantam bonorũ abundantiam, ut qui ante erant abiectissimi, fiant beatissimi. Audi & Ezechielem: Effundam, inquit, super uos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis uestris, & ab uniuersis idolis uestris mundabo uos, & dabo uobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio uestri. Et apud Ioelem: Effundam spiritũ meum super omnẽ carnem, & prophetabunt filij uestri & filiæ uestræ. Quibus uerbis Ezechiel & Ioel significant, Messiam effusurum tam copiosam in terra benedictionem, ut quotquot eam percipiunt, fiant non iusti tantum, sed & Prophetæ, ac omnino fœlices & beati. Quid autem plura? Tota scriptura testatur de Messia, q̃ aperturus et effusurus sit in terra uelut fontes, riuos, flumina, & mare omnium bonorũ. Orietur, inquit, in diebus eius iustitia, & abundantia pacis. Et iterum: Ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem, gloriam Gentium sugetis,

Iesum esse Messiam.

Habes quanta copia Messias sit effusurus beneficia sua, in terra. Iesus autem tribuit sibi in hac concione eam autoritatem exhibendorum beneficiorum, quam Prophetæ tribuerunt Messiæ. Quare manifestè concionatur se esse uerũ illum Messiam, quem tot retro seculis Prophetæ uenturum promiserunt. Qui sitit, inquiens, uenit ad me & bibit. Quid hoc aliud est, q̃ quod Esaias ait: Omnes sitientes uenite ad aquas, & qui non habetis argentũ, properate, emite, & comedite? Quid ergo fiet ei, qui ex hoc fonte biberit? Sequitur: Qui credit in me (hoc enim est ex isto fonte bibere) fluent de uentre eius flumina aquæ uiuæ. De Messia enim scriptum est, quemadmodũ paulò antè recensuimus, quòd sit aperturus flumina in collibus, & fontes in medio camporum, hoc est, quòd sit effusurus in terra abundantiam omnium bonorum. Qui ergo in me credit (inquit Iesus uerus Messias) efficiam, ut non solum ipse expleat sitim suam, & consequatur fœlicitatem, sed etiã tantis bonis eum cumulabo, ut profluant ex ipso quasi flumina bonorum, quibus & alij sitim suam expleant, & fœlicitatem cõsequantur. Porrò, cum ea quæ Prophetæ scribunt de beneficijs Messiæ, & quæ Iesus etiam ipse in hac concione loquitur, sic dici uideant, perinde ac si intelligenda essent de corporalibus beneficijs, de mundana fœlicitate, de externa rerum abundantia, & de terreno imperio, quale Iudæi de suo Messia somniant, Euãgelista interpretatur
» dictum Christi, & ait: Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant
» credentes in ipsum. Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus non
» dum erat glorificatus. Iudæi, ac etiam discipuli Christi, inebriati adhuc expectatione mundani regni, & terrestris fœlicitatis in Messia consequendæ, intelligebant non solum dicta Prophetica, sed etiam hanc concionem Christi, de fluminibus, hoc est, abundãtia & affluentia terrenorum bonorum. Sed Christus, inquit Euangelista, locutus est de spiritu, quem acceperi erant credentes in ipsum, hoc est, non est locutus de carnalibus donis, sicut Iudæi hanc cõcionem intellexerunt, sed locutus est de spiritualibus donis, quæ Christus post resurrectionem & ascensum suum in cœlum dedit discipulis suis in die Pentecostes, & locutus est de ministerio prædicandi Euangelij in toto orbe terrarum, quod institutũ & confirmatum est in die Pentecostes, admirandis illis donis spiritus sancti, quibus Christus discipulos, ac præsertim Apostolos suos ornauit. Christus enim non uenit in hunc mundum, ut instituere mundanã Monarchiam, dominaretur regio more in terra, ut quisquis ipsum agnosceret, consequeretur externam et carnalem in hoc mundo tranquillitatem: Sed uenit, ut reuelato Euangelio suo, & expiatis peccatis nostris, ac deuicta morte, ipse quidem cœlum acciperet, usque ad tempora restitutionis omnium, quemadmodum Petrus loquit, in terra autem instituere publicam prædicationem Euangelij sui, in toto orbe terrarum, et daret Ecclesiæ suæ spiritum sanctum, spiritualia uidelicet, ac cœlestia bona. Hic est fons, hoc est flumen aquæ uiuæ, quod Prophetæ dixerunt Messiam effusurum in terra. Qui ex hoc fonte biberit, non solum ipse sitiabit cupiditatem sitis suę, sed etiam effluet ex ipso flumen, quod totam terram irriget, & non tam Iudæis, q̃ Gentibus omnẽ bonorum affluentiam

tiam exhibeat. Sed ut quicquid id sit rei, melius intelligamus, cõferendi sunt cum hoc fonte, etiam alij fontes, quos homines ad explẽdam sitim suam sectari solent. Sunt enim tres præcipuè fontes, quibus homines potunt aquam fœlicitatis. Vnus est, Regnum mundanũ, seu dominatio politica. Alter est, Lex Mosi. Tertius est, Spiritus sanctus, seu ministerium Euangelij de Christo, quod est admirandis donis spũs sancti in die Pentecostes institutũ, & per quod spiritus sanctus est in hominibus efficax. Ad hos fontes suum quodq́ hominũ genus properat. Nam fons mundani regni habet dulcissimam in suo genere aquam. Ex hoc enim fonte manat externa pax, & tranquillitas, ut parẽtes liberos suos honestè educare, mercatores securè negociari, opifices sua opificia quietè exercere, & agricolæ imperturbatè agros suos colere possint. Quare qui sitiũt ciuilem honestatẽ, tranquillitatem, diuitias, potentiã, & alia id genus corporalia bona, ad hunc fontem properare solent, ut expleant suam sitim. Sed quid fit? num cupiditatẽ suam ex hoc fonte satiare possunt? Nihil certe minus. Qui biberit ex hac aqua, tantum abest, ut profluat ex eo flumen bonorum, ut nec suam ipsius sitim explere queat. Siue enim regem ipsum, qui dominatur, siue subditos eius consideraueris, hoc planè accidit eis, quod Esaias dicit: Sicut somniat esuriens, & comedit, cum autem fuerit expergefactus, uacua est anima eius. Et sicut somniat sitiens & bibit, & postq́ fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius uacua est: ita tam Magistratus ipse, q̃ subditi eius dimittũtur ab omnibus corporalibus suis bonis uacui & inanes. Pollicentur quidem sibi magnam fœlicitatem, si consequantur pacem, diuitias, potentiam, & quæ sunt id genus alia. Sed primum hæc bona nec sunt firma, nec diuturna: deinde, etiam si adsint, nõ tamen satiant cupiditatem, Diuitiæ non explent auaritiam, Potentia non explet ambitionẽ. Notum est exemplum Alexandri Magni, qui cum audiuisset multos esse mundos, ingemuit, q̃ nõ & illorum potiretur. Quid potuisset cupiditatẽ hominis explere, cui nec uniuersus hic mundus sufficiat? Cogitemus & illud de regũ & principum maiestate, q̃ quo illustriorẽ eam reddũt, eo grauiora onera subditis imponi solent. Quanta, obsecro, fuit maiestas regni Salomonis, quãta prædicatur fœlicitas eius? attamen subditi palàm clamant ad Roboam filiũ Salomonis: Pater tuus imposuit nobis durissimũ iugum. Finge autem mihi clementissimum regem, qui cupiat omnibus benefacere, attamen fieri non potest, ut is reddat omnes subditos suos tranquillos, diuites, sanos, & seruet eos ne morte pereant. Semper maior hominũ pars in humanis imperijs, infœlicẽ agit uitam. Et qui uidentur beati opibus, honore, ac potentia, hi tamen sua eaq́ tanta habent incõmoda, ut si cui sana mente prædito electio daretur, non susciperet commoda eorum, cũ tot & tantis incõmodis cõiuncta. Quare cum hic fons politicæ dominationis non queat nec principum nec subditorum sitim explere, nõ est in eo acquiescendum, sed ad alium est accedendum. Quærentibus igitur aliũ fontẽ, ex quo sitis fœlicitatis depellatur, offert sese lex Mosi. Ex hoc fonte uidẽ primo aspectu & gustu iucundissima & dulcissima aqua fluere. Lex em̃ Mosi præcipit honestissima & diuinissima opera, quæ afferunt

Fõtes ex quibus homines cupiũt explere sitim suã.

Fons regni mundani.

Der Gottlosen Herrnpracht / ist der armen leut onmacht.

Fons Legis Mosi.

omnibus faciẽtibus ea ueram iuſticiam,ac perpetuam uitam &fœlicitatem.Si uis,inquit Chriſtus,ad uitã ingredi,ſerua mandata. Sed quo magis ex hoc fonte biberis,eo plus ſities.Etſi enim lex præſcribit tam iuſta & bona opera,ut ſi quis ea perfectè faceret, aſſequeretur omnem abundantiam cœleſtium bonorum,tamen quia inuenit homines peccato obrutos,& poteſtati Satanæ traditos,tantum abeſt,ut expleat ſitim,ut eam potius augeat,& quãtum in ipſa eſt,homines ſiti enecet.Facit enim peccatum, quod inuenit, mirũ in modũ peccans (ut Paulus loquitur) peccatum,& oſtendit iram Dei.Itaq; occidit homines,& abĩcit eos ad æternam damnationem. Vide igitur,q; quęrẽtibus depulſionem ſitis in fonte Legis multo aliter res cadat atq; ipſi ſperauerint.Quærunt iuſticiam, ſed inueniunt peccatum.Quærunt fauorem Dei,ſed inueniunt irã eius. Quærunt tranquillitatem cõſcientię ſuæ,ſed inueniunt maximam tempeſtatem.Quærunt uitam,ſed inueniunt mortem:ac breuiter,quærunt cœlum,ſed inueniunt infernum. Quo igitur nos uertemus? Quid faciemus,ut uel tandem expleamus ſitim noſtram? Accedendũ eſt ad tertiũ fontẽ.Hic eſt fons iſte,quem aperuit ſpiritus ſanctus in die Pẽtecoſtes. Aperuit autẽ & illuſtrauit maieſtatem Ieſu, & declarauit magnis ac publicis miraculis,q; ſolus Ieſus ſit uerus Meſsias,et q; prętер hunc non ſit aliud nomẽ hominibus datum,in quo oporteat eos ſaluos fieri. Quare non eſt alius fons,præterquam Ieſus ille, quem Deus fecit Dominum & Chriſtum,quærendus.Sed quid fiet ei,qui ex hoc fonte bibit,& in Ieſum Chriſtum credit? Fluent,inquit,de uentre eius flumina aquæ uiuę. Non faciam ex eo regem mundanum,nõ emittam eum in orbem terrarum,ut externo gladio dominationem in hoc mundo accipiat,nõ effundam in eum multam uim pecuniæ, ſed faciã ex eo regem cœleſtẽ,& effundam in eum tanta dona ſpiritus ſancti,ut non ſolum ipſe cõſequatur beatitudinẽ,ſed reddat etiã alios beatos.Primum aũt omniũ, intelligendum eſt hoc de Apoſtolis,qui cum credidiſſent in Ieſum Chriſtũ, tanta ſpiritus opulẽtia in die Pẽtecoſtes donati ſunt,ut & ipſi ſatis ex Chriſto uero fonte biberint,& effuderint ex ſe flumina, quibus alĩ hoĩes ſitim ſuam explerent.Nam in die Pentecoſtes inſtitutum & confirmatum eſt per ſpiritum ſanctum in Apoſtolis miniſterium Euangelĩ de Ieſu Chriſto,ut Apoſtoli diuulgarent Euangelion in toto orbe terrarum.Conſtituit,inquit Chriſtus,uos,ut eatis & fructũ afferatis,& fructus ueſter maneat.Et iterum:Accipietis uirtutẽ,poſteaquam ſpiritus ſanctus aduenerit ſuper uos,et eritis mihi teſtes non ſolum Hieroſolymis,uerumetiam in uniuerſa Iudęa,Samariaq;,denicq; uſq; ad extrema terrę.Hoc teſtimonium,hoc Euangelion,hoc miniſteriũ eſt flumen illud, ſicut ſuprà diximus,quod fluxit de uentre Apoſtolorũ,& repleuit totum orbem terrarum.Proferamus in medium,exempli gratia,Apoſtolum Petrum. Hic bibit ex fonte Chriſto,& credidit in Chriſtum. Quid ergo factum eſt? Primum Petrus reputatus fuit iuſtus corã Deo,propter Chriſtũ.Deinde adoptatus eſt in filium & hæredem bonorum Dei,idq; ſimiliter propter Chriſtũ.Quid igitur adhuc ſitiret Petrus? Num iuſticiam? ſed habet eam affluentem in Chriſto. Num uitam? Sed qui Chriſtũ habet, uera

Fons Euangelij Chriſti.

Petri Apoſtoli flumen.

ram uitam habet. Num fœlicitatẽ? Sed Christus, quẽ possidet, ipsa est fœlicitas. Quare quod ad Petrum attinet, expleuit iam omnem suam sitim. Deinde nõ ipse tantum suam expleuit ex hoc fonte sitim, sed ortum est ex ipso flumen, quod emanauit in totum orbem terræ, & factũ est ita potabile & nauigabile, ut & gentes ex eo depellant sitim suam, & negocientur in eo nauibus suis. In die em̃ Pentecostes ornatus est Petrus admirandis donis spiritus sancti, & ex eo cœpit publicè prędicare Euangelion de Iesu Christo, nõ in Hierusalem tantum, & inter Iudæos, sed etiã inter Gentes. Nec prædicauit Euãgelion Christi uoce tantum, sed mandauit etiam illud literis, ijs uidelicet Epistolis, quas posteritati reliquit, quibus accedunt & hæ conciones Petri, quas Lucas in Actis Apostolicis cõscripsit. Hæc certè sunt flumina aquæ uiuæ, quæ initio fluxerunt de Petro in urbem Hierusalem, deinde in Samariam, & Galilæam, Postremo in omnes Gentes, nõ eas tantum, ad quas Petrus ipse profectus est, sed ad quas Euangelion eius delatum est. Nec adhuc hodie desinit hoc flumen fluere, sitientes potare, & nauigari. Manet enim Euangelion quod Petrus de Christo prædicauit, & quo Spiritus sanctus efficax est in tota Ecclesia, ut quotquot fide accipiant illud, donẽtur Spiritu sancto, reputentur iusti coram Deo, fiant cohæredes Christi, & consequantur cœleste regnum. Hic est potus, qui ex illo flumine hauritur. Hæc est negociatio, quæ in illo flumine exercetur. In Petro igitur uerissimè impletum est, quod Christus hoc loco dicit, uidelicet, quòd cũ crediderit in Iesum Christum, cœperint ex eo, in die Pentecostes, flumina aquæ uiuæ fluere, in totum orbem terrarum. Idem planè dicendũ est de Ioanne nostro, cuius flumine nũc & sitim nostram explemus, & nauigamus. Similiter & de Matthæo, ac alijs Apostolis, qui etsi nõ omnes mandarunt Euangelion literis, tamẽ nihil certius est, quàm quòd omnes uno ore id Euangelion Ecclesiæ tradiderint, quod omnium ipsorũ nomine adstantibus & affirmantibus ipsis, Petrus in die Pentecostes Hierosolymis publicè prædicauit. Nam concio illa, quam Lucas Petrum in die Pentecostes habuisse scribit, uerè est aureum illud flumẽ, quod à Hierosolymis defluxit per Apostolos in uniuersum mundum, ac uerè tum impletum est, quod Esaias ait: De Zion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Et iudicabit Gentes, & arguet populos multos. Dicamus etiam de Apostolo Paulo. Hic etsi non fuit inter duodecim Apostolos, in die Pentecostes, tamẽ quia postea credidit in Iesum Christum, fluxerunt etiam ex ipsius uentre flumina aquæ uiuæ. Primum em̃, adoptatus est propter Christum, in filium & hæredem Dei, & reputatus est propter iusticiam Christi, quam per fidẽ accepit, dignus æterna uita. Quam ergo aquam deinceps sitiẽs? Deinde non ipse tantũ expleuit sitim suam, sed etiam ortum est ex eo flumen, quod impleuit nõ Hierusalem tantum & circumiacentes regiones, uerũ etiam permanauit usq; ad Illyricum. Sed quid dico? Non solũ tunc impleuit illas regiones quas recitauimus, sed adhuc hodie rigat & implet uniuersam Ecclesiã Christi in toto orbe dispersam. Quare in Paulo quoq; impletum est, quod hoc loco Christus dicit: Qui credit in me, fluent de uentre eius flumina aquæ uiuæ. Et hæc

Ioannis Apostoli flumen.

Pauli Apostoli flumen.

Rom. 15.

ſunt flumina, quæ Prophetæ dixerunt Meſsiam aperturũ in medijs col
libus,& effuſurum in deſerto,in terra inuia, ſuper ſitientem & aridam.
Apoſtoli enim miſsi in uniuerſum mundum,impleuerũt quaſi flumini
bus prædicatione Euangelij de Ieſu Chriſto,totum orbẽ terrę, qua præ
dicatione obtulerũt omnibus gentibus maximã omnium rerum abun/
dantiam & copiam.Nam qui ex his fluminibus biberunt (biberũt aũt,
quotquot Euangelion Apoſtolorum de Ieſu Chriſto per fidem accepe/
runt)hi nunquam deinceps ſitierunt.Non defuit eis iuſticia. Qui enim
in Chriſtũ credit,poſsidet totam iuſticiam Chriſti, quæ eſt longe omni
um perfectiſsima & abſolutiſsima.Non defuit eis uita,quia qui in Chri
ſtum credit,etiamſi moriatur,uiuit tamẽ.Non defuit eis fœlicitas, quia
qui in Chriſtum credit,habet propter Chriſtum,cœleſtem & perpetuã
fœlicitatem.Quibus adſunt hęc bona,quid, obſecro,deeſt eis, etiãſi ui/
deantur in hoc mundo pauperes,abiecti,morientes, & pereuntes? Qui
bus aũt deſunt,quid, obſecro,prodeſt eis,etiamſi uideantur diuites,po
tentes,& maieſtate ſua oĩbus reliquis hominibus præſtantes? Dices au
tem,Quid? Num quod Chriſtus ait:Qui credit in me, fluent de uentre
eius flumina aquæ uiuæ,de Apoſtolis tantum intelligendum eſt,quiac
cepto in die Pentecoſtes ſpiritu ſancto impleuerunt orbem terræ Euan
gelio quaſi fluminibus? Primum quidẽ & præcipuè de Apoſtolis intel/
ligendum erit. Deinde aũt de omnibus etiam his, qui per miniſterĩ
Apoſtolicum credunt in Ieſum Chriſtum.Nõ pro eis tantum rogo, in/
quit Chriſtus,ſed & pro ijs,qui credituri ſunt per ſermonem eorum in
me.Et iterum: Thoma,quia uidiſti me,credidiſti.Beati,qui nõ uiderũt,
& credunt.Nam qui adhibent fidẽ Euangelio de Ieſu Chriſto,quod A/
poſtoli in terra uulgarũt,hi initio ſuam explent ſitim ex hoc fonte, quia
conſequuntur iuſticiam in Chriſto,reputãtur coram Deo iuſti propter
Chriſtum,& adoptantur in filios Dei, ut fiant hæredes omniũ cœleſtiũ
bonorũ. Deinde effundũt etiã de ſe flumina, ex quibus alij bibant,quia
accipiunt dona ſpiritus ſancti,ut confiteantur Chriſtum coram homini
bus,ut doceant Euangelion Chriſti familiã ſuam,ſi quã habent,ut mor/
tificent opera carnis,ut ducant piam uitam,quo homines uideant bona
Serui ſuam afferunt uti litatem Eccleſiæ. ipſorum opera,& glorificent patrẽ,qui in cœlis eſt.Paulus de ſeruis ſcri
bit:Quicunq;,inquiens,ſub iugo ſunt ſerui,ſuos dominos omni hono/
re dignos ducãt,ne nomẽ Dei & doctrina malè audiat.Si Paulus docet,
nomen Dei & doctrinam Euangelij malè audire propter ſeruorum ino
bedientiã & inſolentiam,certe ſignificat eam doctrinam benè audire a/
pud incredulos dominos,propter ſeruorum pietatem & obedientiã.Er
Mulierum officium. go etiã ex ſeruis oriuntur flumina aquæ uiuæ.Petrus hortatur Chriſtia
nas mulieres: Vxores,inquit,ſubditæ ſitis ueſtris uiris,ut etiam, qui nõ
obtemperant ſermoni,per uxorum cõuerſationem abſq; ſermone lucri
fiant,dum conſiderant cum reuerentia caſtam cõuerſationem ueſtram.
Vides etiam ex pijs mulieribus,quibus tamen non permittitur,ut in Ec
cleſia publicè doceant,flumina aquæ uiuæ oriri,ut ijs uiri,imo tota fami
Euſeb.lib. 9.cap.8. lia rigentur,& afferãt cœleſtẽ fructũ.Eccleſiaſtica hiſtoria teſtatur,eo tẽ
pore quo Maximinus perſecutus eſt Eccleſiam Chriſti,tãtam famem &

peſtem

peſtem inuaſiſſe Ethnicos, ut alij inedia, alij lue mortui, iacerent inſepulti. Chriſtiani autem, etſi maximis malis erant ab Ethnicis affecti, tamen paſcebant famelicos, curabant ægros, & ſepeliebant mortuos. Quid ergo factum eſt? Clamare Ethnici: Non eſſe alium Deum, præter Deum Chriſtianorũ, nec eſſe ullam aliam ueram & ſanctam religionem. Hoc uerè erat flumen de uentre Chriſtianorum inter Ethnicos ortum. Hæc ſunt uerè opera ſpiritus ſancti, quibus tanq̃ fluminibus pñ rigant uniuerſam terrã. Spiritus ſanctus enim, ut in baptiſmo Chriſti apparuit in ſpecie, nõ plumbeę aut mortuæ, ſed uiuæ & uolantis columbæ, & in die Pentecoſtes apparuit in ſpecie linguarum, nõ pictarum, aut torpentiũ, ſed ignearum, & flagrantiũ, ita nõ eſt ipſe ociоſus aut ignauus ſpiritus, ſed efficax & operoſus. Nam cuicunq̃ datus fuerit, eũ accendit, ut ardeat ſtudio propagandę gloriæ Dei, & liquefacit eum, ut effundat ex ſe flumina tam piæ doctrinæ, q̃ bonorum exemplorum. Quare exhibeamus nos Deo obſequentes auditores Euãgelij de Ieſu Chriſto, ut accepto ſpiritu ſancto, fiant & in nobis flumina aquæ ſalientis in æternã uitã. Quæ ſo autem te, quid illud eſt, quod Euangeliſta hoc loco dicit: Nondũ erat ſpiritus ſanctus, quia Ieſus nondũ erat glorificatus? An ſpiritus ſanctus non prius cœpit eſſe, q̃ Ieſus reſurrexit à mortuis & aſcẽdit in cœlum? Quomodo ergo erit uerus ab æterno Deus? Nõne ſpiritus ſanctus fuit etiam in Prophetis? nõne cum Petrus apud Matthæũ dixit: Tu es Chriſtus filius Dei uiui, habuit ſpiritum ſanctum? Nemo enim poteſt dicere Dñm Ieſum, niſi per ſpiritũ ſanctum. Quid ergo ad hęc dicemus? Quid niſi illud, quod cum tota ſcriptura cõuenit, & quod Euangeliſta ipſe perſpicuè ſignificat. Tota.n. ſacra ſcriptura docet, ſpiritum ſanctum non ſolum fuiſſe in Prophetis, ſed etiam eſſe uerum ab æterno Deum, & tertiã in diuina natura perſonam. Quare fieri nõ poteſt, q̃ Euangeliſta loquatur hoc loco de ſubſtãtia, aut de perſona ſpiritus ſancti. Hęc ut nunq̃ cœpit eſſe, ita nunquam deſinet eſſe. Eſt em̃ uerus & æternus Deus. Sed loquitur de admirandis illis donis, quibus ſpiritus ſanctus ornauit Apoſtolos in die Pentecoſtes, & inſtituit ac confirmauit miniſterium prædicandi & diuulgandi Euangelij de Ieſu Chriſto in uniuerſo mundo. Vnde & additur: Quia Ieſus nondum erat glorificatus. Etſi enim Ieſus edidit multa & magna miracula, priusq̃ ſuſciperet mortem, & à mortuis reſurgeret, tamen hæc non erant uera eius glorificatio, propterea q̃ etiam Prophetæ multa miracula ediderant, nullus tamen eorũ fuit uerus Meſſias, & unigenitus filius Dei. Poſtq̃ autem reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, & miſit ſpiritum ſanctum, ibi tum publicè & manifeſtè reuelata, declarata, comprobata & cõfirmata eſt gloria ac maieſtas eius, uidelicet, q̃ ipſe ſolus ſit uerus Meſsias, & uerus Deus, unigenitus ueri Dei filius. Declaratus eſt, inquit Paulus, filius Dei cum potentia, ſecundum ſpiritum ſanctificantem, ex eo q̃ reſurrexit à mortuis. Quare, cum Ieſus adhuc ageret corporalem uitam in terris, nõdum fluebant flumina illa de uentre Apoſtolorum, in orbe terrę, ſed dicebatur: In uiam gentiũ ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne ingrediamini. Poſtq̃ aũt maieſtas Ieſu declarata fuit, miſſo in die Pentecoſtes ſpiritu ſancto, tunc ſta

Spiritus ſanctus an fuerit ante Chriſti glorificationem.

tim incepit flumẽ Euãgelij̃ tanta abũdantia fluere, ut à Hieruſalẽ uſq; ad extrema terræ percucurrerit, & aduexerit ſecum omnẽ cœleſtiũ bonorũ copiã. Cum igitur hoc flumen diuina clementia copioſe & abundanter in noſtra regione hoc tẽpore fluat, agite amiciſsimi, non ſinamus illud fruſtra p̃terlabi, ſed hauriamus ex ipſo aquas, bibamus ex eo plurimũ, ut depulſa omni ſiti, cœleſti gaudio fruamur. Atq; hæc quidẽ eſt cõcio, quã habuit Chriſtus in nouiſsimo die tabernaculorũ, in maxima hominũ frequentia. Sed uide mihi, q̃ uarias opiniones homines de ipſo acceperunt. Euãgeliſta em̃ ſic ait: Multi ergo de turba, cũ audiſſent hunc ſermonem, dicebant, Hic eſt uerè Propheta. Alij̃ dicebãt, hic eſt Chriſtus. Quidam aũt dicebant, Num à Galilæa uenit Chriſtus? Nonne ſcriptura dicit, q̃ ex ſemine Dauid, & de Bethlehẽ caſtello, ubi erat Dauid, uenit Chriſtus? Diſſenſio itaq; orta eſt in turba propter eum. Quidã aũt ex ipſis uolebant apprehendere eum, ſed nemo cõiecit in eũ manus. Obſecro te, ne hunc locum oſcitanter prætereas. Iudaica hæc eſt controuerſia de Ieſu Chriſto, ſed quæ ducitur inter homines, oĩbus huius ſeculi temporibus. Alij̃ ſentiũt eum Prophetam, eximium quidem, nõ autem ſummum. Alij̃, ſed pauciſsimi, ſentiunt eum eſſe ſummum, hoc eſt, Meſſiam ipſum. Alij̃ prorſus negant eum eſſe Meſsiam, idq; conantur autoritate ſcripturæ probare. Alij̃ autem putant eum eſſe ſeditioſum, impiũ, & de terra tollendũ, ideoq; dignũ qui apprehendatur & occidatur. An non eadẽ adhuc habetur cõtrouerſia de Ieſu Chriſto? Mahumetiſtę ſentiunt Ieſum fuiſſe Prophetã, nõ tñ tribuunt ei uerum honorem Meſsię, & negant eum eſſe filium Dei. Iudæi nec Prophetã nec Meſsiam cũ agnoſcunt, ac nituntur, ut ipſis quidem uidetur, autoritate ſcripturæ. Inter Chriſtianos, alij̃ etſi gloriantur nomine Chriſti, & profitentur ſe glorię eius fauere, tñ non tribuunt ei uerum honorẽ Meſsiæ, nõ quærunt in ipſo gratuitam remiſsionem peccatorũ, ſed quærunt eam in meritis ſuorũ operũ, ideoq; perſequũtur Euãgelion Chriſti, quod promittit remiſsionem pc̃tõrum gratis, propter Chriſtũ, ac ſentiunt profeſsores & confeſſores huius Euangelij̃, ad unũ oẽs trucidandos. Alij̃, ñq; pauciſsimi, rectè ſentiũt de Chriſto. Tribuunt.n. ei ueram maieſtatẽ Chriſti. Credũt eum eſſe ueꝝ Deum, ueri Dei filium, qui ſuſcepta carne, expiauerit pc̃ta noſtra, & reconciliauerit nos cũ Deo patre, ut quotquot eo cõfidunt, cõſequãtur remiſsionẽ pc̃tõrum gratis per fidẽ, & fiant hęredes regni cœleſtis. Hęc controuerſia de Ieſu Chriſto nobis non ſine magna cauſa ob oculos ponit. Primũ, ut hac occaſione admoneamur, ne offendamur diuerſitate opinionũ & iudiciorũ huius mũdi de Chriſto. Hoĩes.n. ſuas ſolẽtes in hoc ſeculo agere, nõ ſunt ſoliciti de regno cœleſti, ſed de regno terreſtri, ſectantur ſua carnalia deſideria: &, q̃ uidentur optimi inter eos, laudant & ſeruant externã honeſtatẽ, de uera aũt corã Deo iuſticia, nullam ſuſcipiunt curã. Quare cũ fit ſermo de Chriſto, ſentiunt de eo iuxta rerũ euentũ, q̃ eſt ſtultorũ magiſter, & loquũtur de ipſo, quod in buccã uenit, & quod tutũ, aut his, quibus ſeruiũt, gratũ uidetur. Quod cũ ita ſe habeat, quis tam inſanus eſſet, qui ſe ad uanas hoĩm opiniones cõpararet? Non enim ſentiendũ eſt de Chriſto, quod hoĩes fingunt, ſed q̃d ſpi-

De Chriſto uariæ ſemper controuerſiæ.

ritus

ritus ſanctus docuit. Habemus prophetica & Apoſtolica ſcripta, ex iſs petēda eſt cognitio de Chriſto, nō ex hoim opinionib. & ſermonibus. Nam quæ hæc ſcripta de Chriſto tradunt, ita uera, certa & firma ſunt, ut etiāſi uniuerſus mundus, ac angeli quoq; ipſi contradicerent, tamē ſalus continget ei, qui his fidem adhibet, pereuntibus interim oībus impiis, & aliud de Chriſto ſentiētibus. Deinde, monemur ex hoc loco, ne patiamur nobis imponi ſcripturis falſo citatis. Iudæi cōtendūt Ieſum nō eſſe Chriſtū, & allegant ſcripturam, quę docet Chriſtum uenturū è Dauid et Bethlehem. Putabāt aūt Ieſum ueniſſe è Galilęa, & Nazareth. Vides igitur incogitantiā, & inſcitiā Iudæorū. Ac rectè quidē dicunt de ſcriptura, nō inquirūt aūt de perſona Ieſu, q̄d inquirere debuiſſent. Sic. n. certo deprehendiſſent, q̄ tā familia eius, c̄ locus, in quo natus erat, planè cū ſcriptura cōueniret. Talis eſt impoſtura hæreticorū, & omniū eorū, qui pugnant autoritate ſcripturę cum ueritate Euangelij Chriſti. Hi em̄ ſolent deprauare ſententiam ſcripturæ, & ad ſua figmenta torquere. Sed ſi diligenter *rem* neceſſaria ſunt, excuſſeris (hoc. n. eſt officium omniū eorū, qui uerā ſalutem affectant) facile intelliges impoſturam. Quare non eſt in legenda & audiēda ſacra ſcriptura oſcitandū, ſed eſt in ea magna cura meditandum, ut non tantum ſciamus aduerſarios homines, ſed etiā aduerſarium Satanam, quo cum cuiuis pio cōgrediendum eſt, conuincere, & victoriam reportare, per Ieſum Chriſtum Dn̄m ac ſeruatorem noſtrū, qui eſt unà cū patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Scripturæ ſtudium incumbē dum.

HOMILIA LXIIII.

Miranda fuerunt hominum, eorumq; non Ethnicorū, ſed Iudæorum, qui ſe populum Dei gloriabātur, iudicia de Ieſu Chriſto. Alij enim ſentiebāt eum eſſe Prophetam, alij Meſsiam, alij negabant utrunq;, alij perſequebantur eum, ut impoſtorem, & inſidiabantur uitæ eius. Sed quod ſequitur, magis mirandum eſt. Etſi enim quidam ex ipſis uolebāt apprehendere eum, nemo tamen, inquit Euāgeliſta, coniecit in eum manus. Venerunt ergo miniſtri ad Pōtifices & Phariſæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis illum? Reſponderūt miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo. Hoc miraculum non eſt oſcitanter cō ſiderandum. Miniſtri, qui ablegati erāt à Pōtificibus, ad capiendū Chriſtum, fauebant cauſę dominorum ſuorum, & ſtatuerant ſe Chriſtum capturos. Erant & multi alij, qui, cum Chriſtus uidebatur ipſis ſeductor et hæreticus, non ſolum non prohibuiſſent miniſtros Pontificum, uerum etiā ſi opus fuiſſet, adiuuiſſent eos: Chriſtus tn̄ omnibus tam formidabilis & terribilis apparet, ut nullus eorū audeat manus in ipſum inijcere. Quæramus ergo, quid illud ſit, quod Chriſtum prorſus, quod ad externam faciem attinet, inermem, aduerſarijs ſuis tam formidabilē reddiderit. Neq; enim dici poteſt, turbam eorum hominū, qui audiebant cōciones Chriſti, deterruiſſe miniſtros, ne caperent Ieſum, quippe q̄ etſi nōnulli ſentiebāt de ipſo prę clarè, tamen maxima pars aut contēnebant eum, aut nō tanti faciebāt, ut propter ipſum ſubirent pericula aduerſus

Chriſtus formidabilis ad uerſarijs ſuis.

principes Hierosolymitanos. Nec ministri dicunt, se præ turba non potuisse ipsum comprehendere, sed cõmendant autoritatem, & quasi diuinitatem concionis eius. Reliquũ igitur est, ꝙ Iesum reddiderit aduersarijs suis formidabilem, uocatio seu mandatum Dei Patris. Quod eñ Iesus agebat, quod prædicabat, nõ erat humanũ institutum, sed diuinum mandatum. Quare, cum Iesus ambularet in diuina uocatione, & conficeret mandatum Dei, fieri non potuit, quin diuina protectione etiã in medio hostium suorum tutus esset. Dices aũt: Hoc contigit Christo, qui nõ homo tantum fuit, sed etiã uerus Deus, ideoꝙ potuit diuina sua potentia aduersarios ab incepto deterrere. Nos aũt sumus homines imbecilles, qui nõ possumus hostes occulta quadã potentia à ceruicibus nostris amouere. Quid igitur de nobis in talibus periculis fiet? Nihil profecto magis uerum est, ꝙ Christum nõ esse tantum hominem, sed etiam uerũ Deum. Obseruandum aũt est, principio, ꝙ Christus cum esset in forma Dei, quemadmodum Paulus ait, non rapinã arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus ut homo, humilẽ præbuit semetipsum, factus obediẽs usꝙ ad mortẽ crucis. Quare etsi erat uerus Deus, tamen in hoc negocio nõ est usus diuina sua & admirabili omnipotẽtia, sed cõiecit se in humanas imbecillitates, & permisit Deo patri suo defensionem. Deinde Christus uenit in hunc mundũ, ut nos reconciliaret cũ Deo patre, & faceret nos cum ipso cohæredes diuinorum bonorũ, ac ut Deus susciperet nos in tutelam suam & præsidiũ. Itaꝙ impetrauit Christus, ut Deus nõ solum ipsum, sed etiam omnes in ipsum crediẽtes, ac in uocatione Dei ex fide ambulantes in omnibus periculis defenderet atꝙ tueretur. Necessarium aũt est, ut Deus nunꝙ non defendat pios, & conseruet eos. Satan enim semper insidiatur pijs, ac nisi cõsilium & conatus eius diuina potẽtia frangeretur, fieri nõ posset, ut pius quispiam homo, uel unam tantũ horam incolumis maneret. Cum igitur Deus sit pijs per Christum reconciliatus, suscipit etiam ipsos, in uocatione eius ambulantes, & mandata eius exequentes, tuendos. Tuetur & impios, non aũt perpetua salute, nisi resipiscant ab impietate, sed pios tuetur perpetua salute, quippe ꝙ susceperit eos publica fide defendẽdos. Si audieris, inquit, uocẽ Dñi Dei tui, ut facias et custodias omnia mandata eius, benedictus tu in ciuitate, benedictus in agro, benedictus eris ingrediẽs & egrediẽs. Et iterum: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorũ. Ac rursus: Salus iustorum à Dño, & protector eorũ in tempore tribulationis, & adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos. Hæ & id genus aliæ promissiones sunt cœlestes literæ, seu testimonia, quibus Deus suscipit iustos (hoc est, credentes in Christum, & exequẽtes mandatum Dei) in publicã tutelam, & defensionẽ suã. Itaꝙ iusti fiunt terribiles hostibus, non carnali potẽtia, sed spirituali & diuina defensione. Huc pertinent exẽpla, quæ nobis sacra scriptura proponit. Patriarcha Iacob abrogauit in familia sua idololatriã, hoc enim erat mãdatum Dei, ex quo etiã necesse habebat proficisci, & habitare in Bethel. Finitimæ aũt ciuitates prosequebantur Iacobum magno odio, propterea ꝙ uidebatur publicè dam-

Pij & impij defenduntur diuinum.

Iacob Patriarcha terribilis.

cè damnare abrogatione idolatriæ in ſua familia, omnium aliarꝝ gentiũ religionem, ideoq; iudicauerũt eum dignũ, qui unà cũ ſua familia, quo quo modo fieri poſſet, è medio tolleretur. Quid ergo fit? Etſi Iacob inermis erat, tñ ſcriptura ait: Cum profecti eſſent, terror Dei inuaſit oẽs per circuitũ ciuitates, & nõ ſunt auſi perſequi recedentes. Vnde igitur inermis Iacob tam terribilis? Certe nõ aliunde, q̃ꝫ q; exequẽdo diuinũ mandatum, ſuſceptus erat in publicam Dei tutelã & defenſionem. Moſes rediit ex uocatione Dei ad Aegyptum, & non ſolum iuſsit tyrannũ dimittere Iſraelitas, ſed affecit etiam ipſum ac totum regnũ eius uarijs ſuppliciis. Quis autem talia faciens, poſſet eſſe in regno tam potentis tyrãni tutus? Et tamen Moſes non ſolum fuit tutus, ſed etiã ſeruis Pharaonis formidabilis. Dicit. n. ſcriptura: Moſes fuit uir magnus ualde in terra Aegypti corã ſeruis Pharaonis & omni populo. Quid ergo faciebat eum tam formidabilẽ? Quid? niſi illud, quod Deus dixerat: Ego ero tecũ. Hæ. n. erant literæ, quibus Deus teſtabatur ſe recepiſſe Moſen exequentẽ mandatum ipſius, in publicã & cœleſtẽ tutelam. Videamus & Iſraelitas. Hi etſi erant miſeri & inermes homines, tñ cum ex mandato Dei proficiſcerentur ex deſerto ad terram patribus promiſſam, tam terribiles erãt omnibus finitimis gentibus, ut nulla earꝝ auſa fuerit bellum aduerſus ipſos ſuſcipere. Erant autẽ terribiles, non ſuis armis, ſed defenſione Dei, in cuius uocatione ambulabant. Sic em̃ dicebat Deus: Hodie incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuã, in populos qui habitant ſub omni cœlo, ut audito nomine tuo paueant, et in morem parturientium contremiſcant. Quid dicam de Apoſtolis? His datum erat diuinum mandatũ, ut prædicarent Euangelion Chriſti. Hoc mandatũ cũ Hieroſolymis exequerẽtur, tam formidabiles facti ſunt Põtificibus, q; etſi antè occiderãt Chriſtum, quem Apoſtoli adnunciabant, tñ nõ potuerunt ullam inire rationẽ, qua & Apoſtolos occiderent, quia cum conficerent mandatum Dei, ambulabant in publica eius protectione. Poſſet aũt quiſpiam admirari, quomodo fieret, q; tam multi, q in diuina uocatione & tutela ambulant, capiantur & occidãtur. An nõ Chriſtus ipſe, qui hoc loco tam terribilis eſt, ut nullus aduerſariorũ auſus fuerit in ipſum manus inijcere, poſtea capitur et crucifigitur? An nõ Apoſtoli, qui aliquoties mirabiliter è carceribus ſunt liberati, paulopoſt crudeliter ſunt trucidati? Hoccine eſt ambulare in publica tutela Dei? hoccine eſt à Deo ꝓtectore, inter medios hoſtes cõſeruari? De hac re diximus quædã ſupra. Sed & nunc pauca dicenda ſunt, ut rationẽ diuinæ defenſionis rectius intelligamus. Nã qui ambulant in uocatione Dei, ijſdẽ propemodũ cõditionibus ſolent à Deo in tutelã & defenſionẽ ſuſcipi, quibus hi, quos Principes huius ſeculi, publicè in itineribus tuendos ſuſcipiũt. Quẽ enim principes publica fide tuentur, eũ hoc pacto tueri debẽt, ut ſi à prædonibus, aut latronibus uel capiatur uel ſpolietur, totis uiribus, quo ad eius fieri poteſt, iterꝝ à latronibus eripiatur, & ſi quid ablatum eſt, reſtituatur. Hoc eſt pactũ publicæ fidei in regno bene conſtituto, quod etſi nõ ab oĩbus ſeruat, magna enim eſt hominũ in ſeruanda fide mobilitas & inconſtantia, tñ ęquitas ipſa, & pactum inter defenſorem & eum, qui in publicam defenſionẽ

Moſes formidabilis.

Iſraelitæ terribiles.

Apoſtoli terribiles.

Defenſionis diuinæ doctrina.

ſuſcipitur,initum,hanc defenſionis cõditionem,firmam exigit. Eodem modo et pacto Deus ſuſcipit ſuos defendẽdos,uidelicet,ut ſi latrones in uadant ipſos,ſe omni cœleſti potentia eos iterum à latronibus erepturæ, & ſi quid reæ ſuaæ ablatum fuerit, ſe id centuplum redditurũ. Nec tam inconſtans & mendax eſt Deus,quemadmodũ homines eſſe ſolent, ſed quod promittit,& paciſcitur,hoc etiã cõſtantiſsimè ſeruat: Cœlũ & terra, inquit,tranſibunt, uerba mea nõ tranſibunt. Itaq;, ſi quis in publica Dei tutela ambulat,primũ, nõ poteſt à prædonibus & latronibus capi, ſpoliari,& occidi,niſi Deus prudentiſsimo ſuo cõſilio cõniueat, & tempus definierit. Veſtri etiã pili capitis(inquit) omnes numerati ſunt. Deinde,quod Deus ſinit auferri, hoc iuxta pactũ reſtituit plusq; cẽtuplum, Vide mihi Ieſum ipſum,filiũ Dei.Hic quia ambulauit in uocatiõe Dei, ad exequendum mandatũ eius,ambulauit etiã in publica tutela & defenſione Dei.Accidit aũt,ꝙ ſit à latronibus captus, ac nõ tantum ſpoliatus tunica,ſed etiam uita ſua.Quid ergo adhæc dicemus? Primum,nõ potuit capi,niſi definito Dei cõſilio.Deinde,quæ ablata fuerũt, reſtituta ſunt ei ut copioſiſsimè,ita & glorioſiſsimè.Deus enim ita eripuit Ieſum filiũ ſuum de manibus latronũ,crucis,mortis & inferni,ut reddiderit ei non tantum uitam perpetuò fœlicem, ſed etiam nomẽ quod eſt ſupra omne nomẽ,ut in nomine Ieſu flectat ſe omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorũ.Accipe & Stephanum.Hunc ambulãtem in uocatione & defenſione Dei abduxerunt latrones, & ſpoliauerunt eum uita ſua.Quid igitur factum eſt? Num Deus uiolauit in Stephano pactum publicę ſuę defenſionis,ꝙ permiſerit,ut latrones tam crudeliter in ipſum graſſaren tur? Minimè omnium uiolauit, ſed cõſtantiſsimè ſeruauit.In hoc enim Stephani periculo miſit Deus filium ſuum,cũ toto cœleſti exercitu, qui Stephanum è manibus latronum eriperent.Id aũt ſic confectũ eſt, quòd Ieſus apparuit Stephano in maieſtate ſua ad dextram Dei patris,& receperit ſpiritum Stephani ad ſe,atq; conſeruet ipſum in media morte, ad accipiendum cœleſte regnum. Itaq; Stephanus ſpoliatus quidẽ eſt corporali uita,ſed recepit à Deo defenſore cœleſtem uitam,Eiectus eſt è terra,ſed receptus eſt in cœlum.An non hæc eſt copioſa eorum,quę ablata ſunt,reſtitutio? Quare pericula nõ ſunt ita metuenda,ut ad uitãda ea impiè faciamus,ſed cum Deus ſuſceperit nos in ſuam fidem & tutelã, ac pactus ſit nobiſcum,ſe ablata abundãtius,q; humana ratio ſperare uel poſſit uel audeat,redditurum,pergẽdum eſt in uocatione Dei, & mandatũ eius obedientiſsimè eſt exequendum.Hæc autem doctrina, nõ tantum pertinet ad unum genus mandati Dei, de cõfitendo Chriſto & Euangelio eius, coram aduerſarijs, ſed patet latiſsimè ad omnia eius mandata. Perſtringamus igitur nonnulla.Mandatũ Dei eſt: Non fureris,hoc eſt, Non des operam impoſturis,Non utaris iniquo & illegitimo pondere ac menſura.Quicquid enim opum cõſequeris impoſturis & illegitimis nondinationibus,furtum eſt & rapina.Accidit autẽ forte, ut habeas malas merces, quas poſſes quidem carè extrudere, ſi addideris uanitatẽ orationis,neceſſe autem habebis damnum facere, ſi ueritatem fueris confeſſus. Quô igitur te uertas? Nõ certè ad impoſturas, & nugas. Hoc em̃

Doctrinæ de defenſione diuinæ uſus.

Impoſturæ uitandæ.

Deus

Deus prohibuit. Sed si, inquies, iustè negociatus fuero, magnum damnum faciendum erit? Imo maius damnum est faciendũ, si fueris negociatus iniustè. Illic amittis pecuniã, hîc animam: illic uideris perdere opes terrenas, hîc perdis opes cœlestes. Sequenda igit̃ est uocatio Dei, & exequendum est mandatũ Dei. Hoc si feceris, ambulas in publica fide & tutela Dei. Quare etsi uideris in negociatione iusta damnum facere, Deus tamen, qui te suscepit in suam tutelam, restituet illud copiosissime. Fieri enim non potest, ut qui spoliatur in tutela & defensione eius, non in integrum restituatur. Aliud mandatum Dei est: Non occidas, quo præter prohibitionem externi homicidij, præcipitur etiam, ne quis seipsum ulciscatur. Affectus igitur es à uicino quodã iniuria, Hic si teipsum ulciscaris, promittis tibi deinceps securitatem. Si autẽ remiseris ei iniuriã, metuis, ne des ei occasionem plura & maiora mala tibi inferẽdi. Quid ergo facias? Nõ est quærenda priuata ultio. Hanc emẽ Deus abominatur. Sed subeũda mihi sunt, inquis, maiora pericula, si remisero iniuriam priuatam. Sic quidem tibi uidetur, cũ te maioribus periculis obijcias, si teipsum contra præceptum Dei ulciscaris. Remittenda igitur est iniuria, & condonanda, ut exequaris mandatum Dei. Quod si feceris, habes Deũ defensorem & protectorem, qui efficiet, ut etiamsi plura & maiora mala in te irruãt, tu tamẽ potenter seruieris, & recipias uicissim æterna bona.

Vindicta priuata prohibita.

Sed reuertemur ad Euangelistam. Ministri, inquit, responderunt: Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo. Cõsidera hîc obsecro, ꝙ seruí multò sint honestiores dominis suis, ac Põtificibus. Hi cupiunt Christum extinctum, illi admirantur eum, ut eximium doctorem: hi proscindunt eum omnibus generibus conuiciorũ, illi ornant eum summis laudibus. In hoc autem seculo solenne est, ut dominis frugi cõtingant serui nequam, & dominis nequam, cõtingant serui frugi. Quod qualecunq; fit, & sæpe fallat, certè seruis hoc agendum est, ut cum iubentur à carnalibus dominis impia facere, magis obediant p̃ceptis Dei, ad pia, q̃ preceptis carnaliũ dominorũ ad impia uocantibus. Maiorem emẽ debent obedientiam Deo, cõditori & seruatori ęterno, q̃ homini, benefactori caduco & incerto. Quare laudãda & imitanda est honestas Põtificiorũ seruorum, de quibus nunc fit mentio, ꝙ maluerint Christũ & cõcionem eius magna laude coram Pontificibus ornare, q̃ exemplo Põtificum execrari, & ex mandato eorum Christum in uincula ducere. Sed operæpreciũ est audire, quomodo hi serui à dominis suis excepti fuerint. Responderunt eis Pharisæi, Nũ & uos seducti estis? Num quis ex principibus credidit in eum, aut ex Pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, execrabiles sunt. Vetus & usitatum hoc est, ꝙ impij allegẽt maiorum autoritatem, ad refutandam piam doctrinã. In Amos dicit Sacerdos Amazias ad Amos: Nõ adijcies ultra ut prophetes in Bethel, quia est sanctificatio regis, & domus regni. hoc est, Religio, quæ in Bethel obseruatur, instituta est à regibus, quam & multi reges confirmârunt, & defenderunt. Quæ ergo tua est temeritas & insania, quòd eam damnes religionem, quæ est tanta principum autoritate fundata? In Hieremia dicunt: Veni te, cogitemus contra Hieremiam cogitationes. Non enim peribit lex à

Herodotus in Vrania.

τῖσι μὲν χρηστοῖσι δούλοισι ἀνθρώπων καὶ λοῦλοι φιλέσσι γενέσθ. τῖσι δὲ κακοῖσι χρησοί.

ſacerdote,neq; conſiliũ à ſapiente,nec ſermo à Propheta.hoc eſt,Quid? errarent ne tot ſacerdotes,qui legem Dei docent? tot ſapientes, qui rem pub.gubernant? tot Prophetæ,qui nobiſcum conſentiunt,& ſolus Hieremias ſaperet,ac uera doceret? Hoc planè cum eo cõuenit,quod Phariſæi ad miniſtros dicunt,Num uos prudẽtiores eſtis tot Principibus,& Phariſæis? (horum enim maxima erat autoritas inter Iudæos) Et tamen quis eſt inter hos, qui agnoſcat hunc Ieſum pro Meſsia? Nullus adiungit ſe cum illo,præter execrabilem uulgum,& abiectiſsimos nebulones, qui nullam habent diuinæ legis cognitionẽ. An non eædem propè uoces his noſtris temporibus audiuntur? Cum eñ doctrina Euangelij reuelata ſit diuina clemẽtia,& reprehendatur impietas Pontificum ac Monachorum,qui defendunt impiam doctrinam,ſolet nobis autoritas maiorum, adeoque ipſius Eccleſiæ obij̃ci. Pontifices gloriantur ſe eſſe ſucceſſores Apoſtolorum,& legitimos præpoſitos Eccleſiæ. Dicunt ſpiritum ſanctum non derelinquere Eccleſiam, Præpoſitis obediendũ eſſe, & Eccleſiam audiendam. Et quemadmodum Iudæi de ſuis Rabinis affirmant,quòd tanta ſit eorum autoritas, ut ſi dicant, dextrum eſſe ſiniſtrũ, & ſiniſtrum dextrum,non ſit reprehendendum,ſed conſentiendum,ita Pontifices de ſua autoritate prædicãt,quòd quæ ſentiunt,cõſtituunt,& decernunt,hæc ſint,ut diuina mandata,accipienda. Itaq; ſplendor nominis Eccleſiæ,Principum,& Pontificum,perſtringit oculos multorũ imperitorum. Obſerua igitur,quod nõ ſit dubium, quin magna ſit autoritas maiorum,ſapientum,& Principum populi. Corã cano capite,inquit ſcriptura,aſſurge. Et: Fili mi, inclina aurem tuã, & audi uerba ſapiẽtum. Qui cũ ſapientibus graditur,ſapiens erit. Et de ſummi ſacerdotis ſententia dicit Moſes, Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, ex decreto iudicis moriatur. Dicit & Epiſtola ad Hebræos: Obedite præpoſitis ueſtris, & ſubiacete eis. Ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus ueſtris reddituri. Quare nequaquam committẽdum eſt, ut à ſententia maiorum,ſapientum,& Principum temerè diſcedamus. Sed ſi quidẽ ſermo eſt de ciuili dominatione,& in rebus ciuilibus, tunc Deus ita ſubiecit nos autoritati maiorum,& imperio Principum,ut ſententiã eorum etiam iniquam propter publicam tranquillitatẽ feramus. Famuli,inquit Petrus, ſubditi ſint cum timore dominis, non ſolum bonis & humanis,uerumetiam prauis. Nam hæc eſt gratia, ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias,præter meritum affectus malis. Ac peccant quidem maiores & Principes grauiſsimè, cum imponunt iniqua onera: ſed cum tantum de rebus mundanis & corporalibus agitur,melius eſt ea patienter ferre,ut pax,quam Deus exigit,ſeruetur,quàm ut diſſidia,rixæ,& ſeditiones,quas Deus prohibuit, excitentur. Si autem ſermo eſt de rebus ſpiritualibus,de rebus cœleſtibus,de religione,& de uera ac perpetua hominis ſalute,tũc Deus nulli homini quantũuis ſapienti,& potenti ita nos ſubiecit,ut neceſſe habeamus quamuis eius ſententiam,propter ipſius autoritatem & potentiam, agnoſcere, ſed alligauit nos tãtum ad cœleſte ſuum uerbum. Et ut dicam quod res eſt, Deus nõ collocauit ueritatem Religionis, & doctrinam perpetuæ ſalutis, nec in

Pontificum gloriatio.

Maiorum autoritas.

Religionis doctrina in quo collocata.

multitudine,

multitudine, nec in paucitate, nec in sapiẽtia, nec in stultitia, nec in potẽtia, nec in autoritate, nec in imbecillitate, nec in abiectione hominũ. Doctrina em̃ religionis nõ idcirco uera aut falsa est, q̃ uel multi, uel pauci, uel sapientes, uel stulti, uel potentes, uel abiecti eam aut amplectãtur, aut aspernẽtur. In quo ergo collocauit Deus ueritatẽ doctrinæ de perpetua nostra salute? In solo uerbo suo, q̃d est diuinitus è cœlo cõfirmatum. Dedit nobis scripta Prophetica & Apostolica, quæ habent cœlestia ueritatis testimonia. Conciues, inquit Paulus, estis sanctorũ, ac domestici Dei, superstructi super fundamentũ Apostolorum & Prophetarũ, summo angulari lapide ipso Iesu Christo. Et iterum: Fundamẽtum aliud nemo potest ponere, præter hoc quod positũ est, quod est Iesus Christus. Is autem explicatur & illustratur scriptis propheticis & Apostolicis. In Iobe dicitur: In antiquis (quemadmodum uos amici iudicatis) est sapiẽtia, & in multo tempore prudẽtia, (At ego dico uobis) apud ipsum Deum est sapientia & fortitudo, & ipse habet cõsilium & intelligentiam. Deus autem patefecit suam sapientiã, suam sententiã & uoluntatem scriptis Prophetícis & Apostolicis. Quare his cedere debet omnis humana autoritas, sapientia, & potentia. An non Hieremias necesse habuit discedere à sententia Regis, Principum, Sacerdotum, & aliorum, qui & ipsi iactabãt se esse Prophetas? Quid ita? quia habebat uerbũ Dei, cui obsequendũ erat. Apostoli quoq; opposuerunt se sententiæ totius concilij Hierosolymitani, & dicũt: An iustum sit in conspectu Dei uos potius audire, q̃m Deum, iudicate. Etsi em̃ sapientes & principes suam habent autoritatẽ, tamen usitatum est, quòd & sapiẽtes fiant stulti, & Principes à Deo abijciantur. Occidit, inquit Psalmus, pingues eorũ, & electos Israel impediuit. Et iterum: Reprobat consilia Principum. Dicit & Christus ipse: Gratias ago tibi Domine Pater cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelaris ea paruulis. Et Paulus: Sapiẽtia huius mundi est stultitia apud Deum. Scriptum est em̃: Qui comprehendit sapiẽtes in astutia ipsorum. Quare in doctrina religionis, de uera hominis salute, non est confidendum iudicio, autoritate & potentia hominum, sed tãtum autoritate & ueritate uerbi Dei, quod scriptis Propheticis et Apostolicis continetur. Quid autem, si & ipsi aduersarij ueritatem horum scriptorum fatentur, dissentiunt autem in eorum sentẽtia, & uoluntaliud his scriptis doceri, quàm tu sentias? An nõ in tali casu audiendum est humanum iudicium? Minime omnium. Sed scriptura cum scriptura cõferenda est, & obscurior locus scripturæ illustrandus est per clariorem, ac omnino tenẽda est summa, firma & certa regula fidei, quã tradunt scripta Prophetica & Apostolica. Ad hãc regulã, si exigatur, quod de sententia unius aut alterius obscuri loci controuertitur, non difficulter potest uera, aut saltem non falsa, & non impia eius sententia cognosci. Nam quod ab hac regula, quæ manifestè & perspicuè in his scriptis traditur, dissentit, hoc habendum est pro anathemate, non solum si id Pontifices, ac Principes, sed etiam si angeli ipsi affirmarent. Considera ergo mihi, quantum periculum subeant contemptores & neglectores uerbi Dei, qui cum necesse habeant, ad cõseruandam suam salutem, sese

Veritatis cognoscenda regula.

tam ſapientiſsimorum hominum, q̃ etiam angelorũ, ſi ita res ferat, iudicio opponere, ne poſsint quidem, aut ſciant, præ ſua ignauia, minimum fidei ſuæ articulum, aduerſus obiectiones etiam imperitiſsimorũ hominum tueri. Quomodo hi conſtabunt in certamine quod ſuſcipiendũ eſt cum Satana, ſi non poſſunt coram imperito homuncione conſtare? Sed redeundum eſt ad concilium illud, quod Pontifices et Phariſęi hoc loco aduerſus Chriſtũ congregauerant. Poſtq̃ enim miniſtri non adduxerũt Ieſum captiuum, conferunt inter ſe conſilia, quid deinceps ſit faciendũ, ac magna eorum pars condemnat, & decernit eũ è medio tollendũ, quo quo modo id fieri poſsit. Nicodemus aũt opponit ſe horũ ſententię. Dicit enim Nicodemus ad eos, is qui uenerat ad eum nocte, qui erat unus de numero eorum: Num lex noſtra iudicat hominẽ, niſi prius audierit ab ipſo, & cognouerit, quid faciat? Honeſtiſsime loquitur Nicodemus, ſed non tam fortiter, q̃ uera pietas exigit. Nam ſi ingenuè cõfeſſus eſſet, ſe agnoſcere Ieſum, aut uerum Meſsiam, aut ſaltem eximiũ Prophetam, & cohortatus eſſet, ut & reliqui eum talem agnoſcerent, non tantum fuiſſet honeſta, uerumetiam fortis ac planè heroica ſententia. Cæterũ, quã legem allegat, communi omnium hominũ iudicio probatur, & ſcripta eſt in Deut. ca. 1. Ita paruũ audietis ut magnum, nec accipietis cuiuſquã perſonam, quia Dei iudicium eſt. Iniquiſsimum enim eſt, reum non auditum cõdemnare. Ioſaphat rex pius dixit ad Iudices: Sit timor Domini uobiſcum, & cum diligentia cuncta facite, qua admonitione cohortatur eos, ut in iudicio nõ unam tantũ partem, ſed utranq; magna diligentia audiant. Alexander Magnus rex Ethnicus, cũ in cauſis capitalibus ſederet iudex, occludebat alterã aurem oppoſita manu. Rogatus, cur id faceret, alterã, inquit, integram ſeruo reo. Itaq; qui cõdemnat reum nõdum auditum, is non ſolum non ſectatur eam æquitatem, quam probant pij, ſed etiam quam probant Ethnici. Et tamen Phariſęi, qui uidebãtur eſſe obſeruantiſsimi legis, uehementer indignãtur ſe de hac lege admoneri. Reſponderunt enim Nicodemo & dixerunt: Nunquid & tu ex Galilæa es? Scrutare & uide, quòd à Galilæa Propheta non ſurrexit. Vide, obſecro, quam mercedem reportet Nicodemus pro honeſtate ſua. Dicit ſententiam equiſsimam, ſed reliqui Phariſæi uiciſsim referunt conuicia iniquiſsima. Cõtumelioſe interrogant, num & ipſe ſit ex Galilæa, perinde ac ſi nihil unquam egregium & excellens ex ea regione ortũ eſſet. Hoc autem ſolẽne eſt in hoc ſeculo, ut pro benedicto reportes maledictum, & pro beneficio, maleficium. Quid ergo faciamus? num nec benedicendum, nec benefaciendum eſt? Abſit. Nos noſtrum officium facere debemus. Etſi enim homines ſunt ingrati, Deus tamẽ eſt gratiſsimus, qui tanto maiori mercede repẽdit benefacta, quãto ingratiores ſunt homines. Sed uideamus, quæ ſit tandẽ ſententia, aut quis ſit Receſſus (ſic. n. nũcluquuntur) huius concilij. Profectus eſt, inquit Euangeliſta, unuſquiſque in domum ſuam. Quæſo te, num ouum ouo tam ſimile eſt, quàm ſimilis eſt receſſus horum comiciorum, receſsibus eorum, quæ iam aliquot annis ad dijudicandam controuerſiam de religione coacta fuerunt? Cõuenerunt Principes &c. Phariſæi ut cognoſcant de Ieſu Chriſto, Sed cũ aliquandiu

Μηδὲ δίκαν δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Comiciorum Receſſus.

quandiu inter se rixati fuissent, discedunt domum, re prorsus infecta, cõ uenturi aliàs iterum. Sic & his temporibus, multi & magni sunt conuen tus, qui in hoc instituuntur, ut fiat cognitio de doctrina religionis. Sed quoties, obsecro, iam est discessum, reiectis semper in aliud tempus deli berationibus? Postquam enim partes inter se aliquãdiu rixatæ fuerint, proficiscitur unusquisque, indictis alijs comitijs, domum suam. Hæc id circo commemorãtur, ut perspicuè intelligamus, quàm stultè, quàm pe riculose faciant hi, qui in agnoscenda & restituenda uera doctrina Chri stianismi, expectant hominum comitia & iudicia. Deus enim proposuit nobis comitia Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, in qui bus iamdudum autoritate cœlesti, iudicatum, definitum, cõfirmatũ, & diuulgatũ est, ex qua doctrina salus nostra pendeat, uidelicet, quòd non sit aliud nomẽ, quàm Iesus Christus, sub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri. Huic enim omnes Prophetæ, inquit Pe trus, testimonium ferũt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius, quisquis crediderit in eum. Hæc doctrina tenenda, hęc sectanda est. Aduersus hanc ne angelus quidem de cœlo est audiendus. Nam, qui huic doctrinę fidem adhibet, eamq; non tam cõfessione oris, quàm honestate uitæ profitetur, is testimonio omnium Patriarcharũ, Prophetarum, & Apostolorum cõsequitur ueram & æternam salutem per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiri tu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT VIII.

HOMILIA LXV.

TSi nonnulli existimant historiam, quæ de adultera se quitur, non esse ab Euangelista Ioanne literis mandatã, sed ex Euangelio, quod secundũ Hebræos fuisse inscri ptum dicunt, in hunc locum transpositam, tamẽ memo rabilis est historia, & dignissima, quæ ab interitu sit uin dicata. Docet enim, quod sit proprium officiũ Christi, & concludit om nes homines sub peccatum, ut omnes salutem suam è Christo petant. Quare hæc historia excipienda & cõseruanda est, ut uerè Apostolica & Euangelica. Iesus, inquit, perrexit in montem Oliuarum, & diluculo ite rum uenit in templum, cunctusq; populus uenit ad eum, & sedens doce bat eos. Alij Iudæi profecti sunt in domum aut diuersorium quisq; suũ, daturi fortasis operam conuiuijs aut somno. Iesus autẽ abijt ex urbe in montẽ Oliuarum, orandi gratia, ut & nobis oratione sua placaret patrẽ, & suo exemplo nos ad orationẽ excitaret. Nec statim à festo tabernacu lorum reliquit Iudæam, sed mane redijt ad templũ cõcionaturus. Quã quam enim sciebat Pharisæos insidiari uitæ suæ, maluit tamẽ fiducia di uinæ defensionis mandatum Dei patris sui, quod erat, ut doceret ac uul garet Euangelion suum, conficere, q; metu periculorum ab officio decli nare. Reuertitur ergo ad templum diluculo, & cum iterum conuenisset

Eusebius lib. Ecclesiastica historia, lib. 3. cap. 39.

maximus auditorum numerus, cõcionatus est sedens. Solenne eñ erat, ut interpretes legis docerent sedendo, & haberẽt auditores ad pedes suos. Sed quid fraudis aduersus Christum nõ excogitat impietas? Scribæ & Pharisæi, cum nõ successisset antea consilium de occidendo Iesu, alia uia aggrediuntur eum, ut quoquo modo fieri posset, uel saltẽ calumnijs opprimãt ipsum. Ecce enim tibi, cum Iesus cõcionaretur in maxima hominum frequentia, ex improuiso irrumpunt. Et adducunt ad eũ Scribę ac Pharisęi mulierem in adulterio deprehensam, & cum statuissent eam in medio, dicunt ei: Magister, Hæc mulier deprehẽsa est in ipso facto, adulterium cõmittens. In lege autem Moses prȩcepit nobis, ut huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis? Priusq̃ exponamus cõsilium Pharisęorũ, pauca quędam dicẽda sunt de lege adulterij, de qua nobis hic locus admonet. In Decalogo enim extat hęc lex: Non committas adulterium. Videndum igitur erit, quid hac lege prohibeatur, quid item præcipiatur. Ac primũ, prohibetur in ea externum & uulgare illud adulterium, quod cum alterius uxore designatur. Et hoc adulteriũ sua habet tã corporalia cȝ spiritualia, tam externa, cȝ ȩterna supplicia. Nulla .n. unq̃ fuit honesta etiam inter gẽtes politia, in qua hoc genus adulterij nõ fuerit iudicatũ dignum graui ac seuero supplicio. Alicubi quidẽ mitiores, alicubi seueriores fuerunt leges. In nullo autẽ bene constituto imperio leges nõ insurrexerunt in adulteria. Aliàs notârunt adulteros & adulteras publica infamia. Aliâs affecerunt eos pœna capitali. Romanæ leges puniunt temeratores aliarum nuptiarum gladio. Mosaicæ leges obruunt eos lapidibus. Si dormierit (inquiunt) uir cũ uxore alterius, uterq; morietur, tã adulter, q̃ adultera. Et mox: Lapidibus obruẽtur. Ac Deus tanto odio prosequitur adulterium, ut etiãsi cessauerit magistratus, qui est legum administrator, ipse tamen Deus nõ cesset, sed animaduertat in illud suis quibusdã supplicijs grauissimè. Vide mihi Dauidẽ. Hicet si erat rex, et Deo alioqui acceptus, tñ cum designasset adulterium, tanta seueritate punitus est à Deo, ut eiectus sit è regno in exilium, et uxores eius publicè fuerũt à suo ipsius filio (ô nefandũ scelus) cõstupratę. Quòd si Deus & regi, & sibi tã dilecto, nõ pepercit, sed puniuit in eo adulteriũ seueriſsimè, qd nõ supplicioꝝ immitteret alijs hominibus, huic sceleri obnoxijs? Nec cõtẽtus est Deus externo supplicio, sed punit adulteros, nisi resipiscant, perpetua pœna. Maledictus, inquit, qui dormit cũ uxore proximi sui. Et dicat omnis populus, Amen. Et Paulus: Necȝ scortatores, necȝ molles, necȝ adulteri, regni Dei hereditatẽ accipient. Quid autẽ hac pœna grauius? Deinde prohibet in hac lege quæuis scortatio. Etsi autem magistratus ciuilis nõ solet punire uulgarem illam scortationẽ hominis liberi cũ libera, capitali supplicio, imo aliquoties ne requirit quidẽ, in tanto tamen odio est apud Deum, ut puniat eam in hoc seculo, maledictione corporalium bonorꝝ, in futuro autẽ, perpetua condẽnatione. Qui socius est, inquit Salomon, scortorũ, perdit opes. Quomodo enim consequeretur in rebus suis benedictionẽ, qui scortationis fœditate repellit à se Iesum Christum, unà cum spiritu suo sancto, q̃ est omnis benedictionis autor? An nescitis, inquit Paulus, q̃ corpora uestra

Pharisęorũ consilium nouum contra Christum.

Adulteriũ.

Leui. 20. Deut. 22.

Scortatio prohibita.

ſtra ſint membra Chriſti, & templũ habitantis in uobis ſpiritus ſancti? Qui autem ſcortatur, tollit membra Chriſti, & facit illud membrũ ſcorti, ac prophanat templum ſpiritus ſancti, ut fiat hoſpitium ſpiritus Satanæ. Quæ ergo poteſt ibi eſſe benedictio, ubi ſpiritus ſanctus eſt expulſus, & dominatur ſpiritus Satanę? Aç tolerabile eſſet, ſi ſcortatio puniretur tantum corporali maledictione. Nunc autem tam horrẽdum ſcelus eſt, ut puniatur etiam ſpirituali & æterna maledictione. Scortatores, inquit Paulus, non accipient regni Dei hæreditatẽ. Ex iterum: Hoc ſcitis, ꝙ omnis ſcortator aut immundus, non habet hęreditatẽ in regno Chriſti & Dei. Præterea, in hac lege de adulterio prohibet omnis mollicies, omnis immundicia, quę honeſtè nõ poteſt nominari, omnis item impudicus ſermo, omnis impudicus geſtus, omnis impudicus inceſſus ac ueſtitus. Hæc nõ iudicantur quidẽ ſemper ab hoĩbus pro adulteriis ſupplicio dignis, Deus autẽ, qui eſt abſoluta honeſtas, multo aliter iudicat. Deponite, inquit Paulus, omnẽ turpiloquẽtiam ab ore ueſtro. Et ſi reddenda eſt ratio de ocioſo uerbo, quãto magis de impudico & turpi uerbo. Quòd ſi impudica cupiditas cordis digna eſt ęterno ſupplicio, quomodo non eodem ſupplicio dignus eſſet impudicus ſermo, aut geſtus? Nam in hac lege, Non cõmittas adulterium, prohibetur etiã omnis impudica cupiditas in animo. Sic eñ Moſes ipſe in Decalogo exponit, cũ ait: Non concupiſcas uxorem proximi tui. Et Chriſtus: Quicunq; aſpexerit uxorem alterius ad concupiſcendam eam, iam adulterium cũ ea cõmiſit in corde ſuo. Si autem cupiditas eſt genus adulterij, certẽ debetur etiã ei ſuppliciũ adulterij, quod eſt æterna maledictio & damnatio. Maledictus enim (inquit lex) omnis, qui non ſeruauerit totam legẽ. Poſtremo prȩcipitur & exigitur hac lege omnis honeſta & ſancta cupiditas pudicitiæ, ex toto corde, omne odium & deteſtatio impudicitię ex toto animo, omnis ſermo & geſtus ſanctus & pudicus, omnia opera ſancta & pudica, ex ſpiritu ipſo ſancto, ut nihil impudicitiæ nec in cogitatiõe, nec in ſermone, nec in actionibus inueniatur. Lex enim, inquit Paulus, eſt ſpiritualis. Quare exigit totum hominem ſpiritualem, honeſtum, ſanctũ & pudicum. Nullus aũt unquam homo fuit, præter leſum Chriſtum, qui hanc legem perfectè ſeruauerit, nec ullus eſt, qui eam natura ſua perfectè ſeruare queat. Affectus carnis, inquit Paulus, inimicitia eſt aduerſus Deum: nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidẽ. Dices ergo, Cur nobis hæc lex proponitur, cur obſeruatio eius à nobis exigitur, ſi nullus homo poteſt eã ſeruare? Graues & honeſtę ſunt huius rei cauſæ, Primum enim proponitur nobis hæc lex, Non committas adulteriũ, & alia quæ ad huius legis genus pertinent, ut publica honeſtas in hominũ politia conſeruetur. Etſi enim homines non poſſunt natura ſua hanc legem perfectè ſeruare, tamẽ poſſunt eam, adhibita diligẽti cura, & ſobrietate, ciuiliter ſeruare, & aut honeſtũ cœlibem, ſi ita res ferat, aut honeſtũ coniugem agere. Itaq; Paulus aliâs dicit: Iuſto lex non eſt poſita, ſed iniuſtis, prophanis, ſcortatoribus, & ſi quod aliud eſt, quod ſanæ doctrinæ aduerſatur. Deinde hæc lex proponit nobis, ut ex ipſa agnoſcamus corruptionem naturę noſtræ, magnitudinem peccati hærentis in carne nõ

Mollicies prohibita.

Cupiditas impudica prohibita.

Legis uſus.

ſtra,& grauitatẽ diuinæ iræ,quam propter peccatum meriti ſumus.Homines enim natura ſua hoc ingenio præditi ſunt,q̃ q̃ primum audiunt legem Dei,putant ſe poſſe eam ſuis uiribus implere,& exclamãt cum Iſraelitis:Omnia uerba,quę Dominus locutus eſt,faciemus.Sed quemadmodum hi,cum audirent Decalogum,tanto pauore concuſsi ſunt,ut retroceſſerint,ac dixerint ad Moſen,Loquere tu nobis,& audiemus,Nõ loquatur nobis Dominus,ne forte moriamur: ita & nobis proponitur & exponitur uera & ſpiritualis ſentẽtia huius legis, ut cũ eam audimus, agnoſcamus,quanta peccati ſeruitute captiui teneamur,& q̃ longe abſimus à uera & perfecta iuſticia,quodq̃ digni ſimus,propter peccatũ,perpetuò ſupplicio.Peccatum,inquit Paulus,non cognoui, niſi per legem. Nam & concupiſcentiã non nouiſſem,niſi lex diceret,Non cõcupiſces.

Lex de adulterio non cõmittẽdo quo modo impleatur.

Reuelat autem & oſtendit nobis hæc lex peccatũ impudicitiæ,non ut in hoc peccato pereamus, ſed ut excitemur ad quærendã & cõſequendam ueram & perfectam iuſticiam ac pudicitiã in Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro.Nam,qui credit in Chriſtum, huic donatur Chriſtus unà cum omnibus ſuis bonis.Itaq̃ condonatur ei peccatum, quod & ante deſignatũ eſt opere,& adhuc carni inhæret,ac imputatur ei tota pudicitia Chriſti, quę eſt perfectiſsima.Prẽterea donatur ei ſpiritus ſanctus, qui reliquias impudicitiæ expurgat, ac reddit hominem pudicitiæ ſtudioſiſsimũ, ut aut honeſtam in cœlibatu uitam agat,aut honeſtum connubium ſuſcipiat.Poſtq̃ enim hęc lex ablegauit nos ad Chriſtum,& nos per Chriſtũ accepimus ſpiritum ſanctum,tunc docet nos, qui ſint fructus ſpiritus ſancti,quæ opera placeãt Deo,quibus ſacris debeamus Deo ſeruire, uidelicet, q̃ is uere bona opera faciat, qui ſectetur pudicitiã ſiue in cœlibatu, ſiue in coniugio.Hæc enim,inquit Paulus,eſt uoluntas Dei, Sanctificatio ueſtra,ut abſtineatis à ſcortatione,& ſciat unuſquiſq̃ ueſtrum ſuum uas poſsidere cũ ſanctificatione & honore, nõ cũ affectu cõcupiſcentię, quemadmodum gentes,quæ nõ nouerunt Deum. Sed de hac lege, Nõ committas adulterium,hactenus.Reuertemur nunc ad Scribas et Phariſæos,q̃ hoc loco de ſupplicio adulterij ſic tractant, perinde ac ſi ipſi nulla parte aduerſus hanc legem,Non cõmittas adulterium,peccaſſent,ſed eſſent tam coram Deo, q̃ coram hominibus pudici & ſancti, Sola autẽ hæc mulier eſſet digna adulterij ſupplicio.Itaq̃ adducunt eam captiuã, & irrumpunt,ut apparet,magno tumultu in mediam concionem,ac poſtulant è Chriſto ſententiã ſuam de ea:Hæc mulier,inquiunt, deprehenſa eſt in ipſo adulterio,& cõuicta.Non hoc agimus, ut exquiratur num ſit adultera,quemadmodũ neceſsitas poſtulat, ſi non certò conſtat adulterium eſſe cõmiſſum.Multæ iudicantur adulterę è ſolis ſuſpicionibus, & maleuolorum ſermonibus,quę tamen ſunt innocentes,quod iudiciũ fatemur ipſi eſſe illegitimum & iniuſtum. Hanc autem mulierem cõperimus ipſa re,& optimè ſcimus eſſe adulterã,quia deprehenſa eſt in ipſo
» adulterij facto. Quid igitur dicis? Lapidabimus ne eam iuxta legẽ Mo-
» ſi? Hoc aũt dicebant,inquit Euãgeliſta,tentantes eum, ut poſſent accuſare eum.Non quærunt ſententiam Chriſti, uel honoris gratia, uel utrectè docerẽtur,uel q̃ tam uehemẽti zelo tenerentur,ut adultera iuſtè puniretur,

niretur,ſed potius hoc agũt,ut Ieſus ipſe lapidaretur,aut ut ſaltem auto-
ritas eius apud uulgum eleuaretur. Videbant eñ eum haberi pro Meſ-
ſia. De Meſsia aũt ſcriptũ eſt:Spiritus Domini ſuper me, eo ꝙ unxerit
& miſerit me ad prędicandum captiuis indulgentiam, & clauſis apertio
nem.Quare,ſi Ieſus non dimitteret captiuam,ſed cenſeret eam lapidan-
dam,ſperarũt ſe occaſionem habituros uociferandi,eum nõ poſſe Meſ-
ſiam eſſe,quippe ꝙ nõ liberaret captiuos, ſed obĳceret potius eos extre
mo ſupplicio.Si autem cenſeret eam impunem dimittendam,ſperarunt
ſe occaſionem nacturos accuſandi eum uiolatæ legis diuinæ.Sed & hoc
cogitabant,Si iuberet adulteram punire, amitteret in uulgo laudem cle
mentiæ & miſericordiæ,quæ plurimum in eo commendabatur.Si autẽ
iuberet eam dimittere,uideretur fauere adulterio,& occaſionẽ dare per
petrandæ impudicitiæ.Quid ſi & aliud fuerit ipſorum conſilium? Quis
enim non ſuſpicaretur peſsimos nebulones,peſsima quæq; conſilia ad-
uerſus Chriſtũ agitaſſe? Nam eo tempore, quo hæc facta ſunt, admini-
ſtratio gladĳ non erat penes Iudæos,ſed penes Præſides Romanos.No
bis,inquiunt ad Pilatum,non licet interficere quenquam.Et tamen ſen-
tiebant,iniquiſsimum eſſe; ꝙ Ethnici dominarentur in populo Dei, &
in ea regione, quam Deus ipſe ſibi præ alĳs elegerat,ideoq; expectabãt
aduentum Meſsię,ut ipſos è Romanorum tyrannide liberaret. Quærũt
igitur ſentẽtiam Chriſti de ſupplicio adulteræ inferendo,ut ſi iuberet e-
am lapidari, poſſent eũ apud Præſides accuſare, ꝙ arrogaret ſibi ius ad
miniſtrandi gladĳ in ea urbe,quæ ſit ſubiecta Romanis,ideoq; condem
nãdus ſeditionis.Si autẽ iuberet eam duci ad Præſides Romanos, ut ex
ipſorum ſententia de ea ſtatueretur, uideretur tyrannidem Romanorũ
approbare, eamq; ob cauſam populo inuiſus fieri.Breuiter,ſcelerati ho
mines hoc maximè omnium egerũt,ut hac quæſtione Chriſtum uel po
pulo uel Præſidibus iugulandum obĳcerent.Hic enim,quia docebat re
miſsionem peccatorum & iuſticiã non contingere hominibus, propter
merita ſacrificiorum aut aliorum operum,ſed tantũ propter miſericor-
diã Dei,per fidem in ipſum,erat ficus,ſeu ut ſcriptura loquitur, ſudes in
oculis eorũ.Audiamus ergo,quid Chriſtus & fecerit & dixerit.Ieſus aũt ‹‹
inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terram. Initio nihil reſpondet ‹‹
Phariſæis,ſed ut erat ſedens,inclinauit ſe,& ſcripſit digito in terram. Et
tamen hæc ſcriptio,erat quodammodo reſponſio. Quid ſcripſerit digi-
to,non eſt curioſe perſcrutandum,ſed quo conſilio ſic ſcripſerit. Primũ
eñ ſcribendo in terrã ſignificare uoluit, hos impios nebulones dignos
eſſe confuſione,quorũ nomina non debeant ſcribi in cœlo, ſed in terra,
ut deleantur ac pereant,ſicut ea quæ in puluere terrę ſcribũtur,leui uen-
to diſperguntur.Non ſic impĳ,ait Pſalmus,ſed tanq; puluis, quẽ proĳ-
cit uentus à facie terrę.Et Hieremias: Omnes qui te derelinquunt, con-
fundentur,recedentes à te in terra ſcribẽtur.Deinde ſcribit in terram,ut
aliud agendo ſignificaret ſe non ueniſſe in hunc mundũ, ut iudicaret de
ciuili ſupplicio ſceleratorum.Auertendo enim ſe facie ſua à Phariſęis,&
inclinando ſe in terram ſic quaſi dicere uidetur:Quis me conſtituit iudi
cem de ueſtris ãdulteris? Ergone,inquis,damnat externa iudicia? Nihil

certè minus. Cum enim aliàs mittit leprosos ad sacerdotes, & aliàs iubet dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, approbat politicas ordinationes. Sed quemadmodum non uenit in hunc mundum, ut administraret mundanum regnum, ita nec uenit ut esset iudex ciuilium controuersiarum. Maius & excellentius est officium Christi. Venit enim ut expiaret peccata nostra coram Deo, ut reconciliaret nos cum Deo, ut uinceret mortẽ, & daret omnibus in ipsum credentibus hæreditatem æternæ uitæ. Quare auertit se à Pharisæis, & scribit in terram, ut significaret se longe alio consilio & usu uenisse in terram, quàm ut suscipiat id genus quæstiones pro more ciuilium magistratuum dijudicãdas. Quo exemplo partim docet Christus, quid in ipso quærendum sit. Etsi enim exigit inter homines ciuilem honestatem & tranquillitatem, tamen si proprium eius officium, propter quod suscepit hominem, cõsideraueris, nõ uenit ut administrator externæ & terrenæ tranquillitatis, sed ut autor cœlestis & perpetuæ pacis atque fœlicitatis: partim monet nos, ne simus ἀλλοτριεπίσκοποι, ne suscipiamus administrationem earum rerum, ad quas non sumus legitimè uocati, sed contineamus nos in finibus nostræ uocationis, ut oĩa suo ordine gerantur. Quid ergo ad hæc Pharisæi? Postquàm uident Iesum aliud agere, existimant suum consilium promouisse, & se iam uictores, quòd putent Iesum dubitare, quid sit respondendum, ideoq; instant, & urgent, ut aliquid dicat. Sperant enim fieri nõ posse, quin coram tot milibus hominum pudefiat. Sed quo magis putãt se Iesum pudefacturos, eo magis ipsi pudefiunt. Cum enim perseuerarent interrogare, erexit se, & dixit eis: Qui uestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat. Et quo hæc sententia altius in animum eorum demitteretur, atque infigeretur, nõ addidit plura, Sed iterum se inclinans, scribebat in terra. Quid autem ad hæc dicemus? an nullus potest bona conscientia esse aliorum hominũ iudex, nisi sit innocens, & ab omni peccato immunis? Profecto necessarium est Iudici, ut si ueram ac perpetuam salutem à Domino sperauerit, agat, cognito Christo per fidem, honestam, innocentem ac irreprehẽsibilem uitam. Nec tolerandum est, in repub. bene constituta, siquidem hoc legitimè caueri potest, ut adulter de adultero, homicida de homicida, raptor de raptore, publicũ iudicium ferat. Proꝛide, inquit Iethro ad Mosen, de omni plebe, uiros sapiẽtes, & timentes Deum, in quibus sit ueritas, & qui oderint auariciam, & cõstitue ex eis, qui iudicẽt populum omni tempore. Quod autem ad officium attinet, etiamsi iudex fuerit & ipse eius criminis, de quo faciẽdum est iudicium, reus, ac sibi conscius, tamẽ eo ipso iustè facit, quòd pronunciet legitimã sententiam aduersus reum. Hæc enim sententia, non est hominis, sed diuinæ legis, cuius iudex est administrator. Et iudex in iudicio sedens, nõ assidet ut homo priuatus, sed ut publicus Dei minister. Moses dicit ad Iudices: Ita paruum audietis ut magnũ, nec accipietis cuiusquam personam, quia DEI iudiciũ est. Et Iosaphat, præcipiens iudicibus: Videte inquit, quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Quare, etsi sceleratus iudex impiè agit, quòd eadem scelera sectetur, quæ reus ad iudicium adductus designauit, & tanto grauius punietur à Domino,

Christi officium.

Exod. 18.

Iudex sit innocens.

Deut. 1.

Domino,propter ipsius scelera,quanto honestius est officiũ iudicandi, tamẽ in hoc sectatur uocationem Dei,si cum necesse habeat sententiã de reo ferre,pronunciet de eo iuste & secundum diuinam legem atq; ordinationem.In hac autẽ sententia,Qui immunis est à peccato, primus mittat in eam lapidẽ,Christus nihil prorsus concionatur de officio publici Iudicis,sed reprehendit tantũ impiam Pharisæorum hypocrisin,& exequat eos iuxta ueram & spiritualem sententiam diuinæ legis,cum mulier adultera.Adduxerunt enim hanc mulierem captiuam,non tantũ hoc cõsilio,ut puniretur,sed ut publicè quasi iactarent suam iusticiam & pudicitiam,ac significarent se non esse adulteros & iniustos coram Deo, sicut hęc mulier,sed uiros longe omnium honestissimos & sanctissimos. Et quanq; de adultera tantum uideantur uerba facere,tamen reipsa secũ sentiunt, quod Pharisęus apud Lucam dicit:Deus gratias agimus tibi, q̃ nõ sumus sicut cæteri homines raptores,iniusti,adulteri, ueluti etiam hæc impudica mulier.Hanc impiam Pharisæorum sentẽtiam reprehendit Christus,cũ ait,Qui immunis est à peccato, primus mittat in eam lapidem.Non nego,quin hæc mulier sit peccatrix.An putatis autem eam solam esse peccatricẽ? Non,dico uobis,imo & uos estis peccatores maximi,& nisi resipueritis,nõ digni tantum estis supplicio externo,sed etiam æterno.Cõcludit enim scriptura omnia sub peccatum. Maledictus, inquiens,omnis,qui non seruat totam legem.Lex autem est spiritualis, nos uero sumus carnales,uenditi sub peccatum.Non enim exigit tantũ externa opera honesta,sed etiam spiritum sanctum in toto corde hominis,& in tota anima eius.Homines autẽ carent natura sua spiritu sancto. Quare omnes homines,nõ inhonesti tantum,sed etiam honesti, sunt iuxta legis diuinæ sententiã peccatores.Et ut de lege adulterij dicamus,cuius toties iam facta est mentio, Dominus Deus noster nõ inuenit tantũ in muliere inhonesta & impudica, uerũetiã in honesta & pudica, quod sit perpetua damnatione dignũ,si de ipsis iuxta huius legis exactam sententiam iudicauerit.Omnes eĩ declinauerunt,simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum,non est usq; ad unum. Sed quid? inquies, An non ista periculose in publica hominũ frequentia adnunciantur? Quid nõ offendiculorũ ex huiusmodi concionibus tam inter honestas,q̃ inhonestas mulieres oriri posset? Honestæ enim mulieres,cum audiũt,q̃ cũ ipsis exequentur scorta,an non cogitant se frustra dare operam honestati,& sumũt hinc occasionem laxandi frenos impudicitiæ? Scorta autem gaudent in suo catalogo recensęri etiam honestas mulieres,& blandiuntur sibi in sua impudicitia. Quis hæc ferre posset? De hac re ita sentiendum est,quòd hęc doctrina de exequatione honestorum & inhonestorum hominum in diuina lege, necessaria est ad agnitionem peccatorũ, & ad cõsequendam ueram salutem. Nisi enim cognoscamus peccatum nostrum,quod nobis per legem reuelatur,non dolemus de peccato nostro,non quęrimus misericordiam Dei,nec curę nobis est,ut cognoscamus Christum per fidẽ, & habeamus Deum propicium propter Christum.Quare,etsi hęc doctrina offendit imperitos & impios, tamẽ, quia est ad salutem nostrã necessaria,non potest in Ecclesia omitti aut celari,

Adultera nõ sola est peccatrix.

Peccatores & honesti exæquantur quomodo?

Ac si rectè intelligitur, nõ offendit nisi eos, qui sua culpa offendi uolũt. Quanꝯ enim Dominus Deus noster, si legem suam respiciat, & consideret, tã inuenit in muliere pudica, quod damnet, ꝙ in muliere impudica, ut hac quidem in parte inter se exęquentur, tamen maximum alioqui est discrimẽ inter pudicam & impudicam mulierem. Nam si pudica mu-

Pudica mulier.

lier fuerit pia, & crediderit in Christum, tunc etiam si gestet adhuc in carne & sanguine naturalem impudicitiam, tamẽ quia facta est membrum Christi per fidem, non imputantur ei coram Deo reliquiæ carnis, & donatur spiritu sancto, quo possit huic peccato dominari, ac honestam pudicitiam conseruare. Si uero pudica mulier fuerit impia, (fuerunt enim multę honestę ac pudicę mulieres inter Ethnicos & Idololatras, quę nõ agnouerunt Christum, sed manserunt in impietate sua) tunc etiam si nõ habet remissionem peccati sui coram Deo, nec consequitur ęternam fœlicitatem, tamẽ coram hominibus laudatur, cõmendatur, honoratur, & consequitur multa alia corporalia beneficia, quę Deus confert etiam impijs, propter externam uitę suæ honestatem. Quid autem dicendum est de mulieribus impudicis? Hæ enim, quia sectãtur impudicitiam, nõ habent Christum, nec sanctum eius spiritũ, ideoꝯ nec habent remissionẽ peccati sui, nec sunt hæredes æternæ uitæ, sed uiuentes, mortuæ sunt. Si enim secũdum carnem, inquit Paulus, uixeritis, moriemini. An nõ hoc

Pudicæ & impudicæ mulieris discrimen.

est maximũ inter pudicas & impudicas mulieres discrimen? Fingamus honesto patrifamilias proponi duos, fœda & cõtagiosa scabie ęqualiter infectos, quorũ alter sit filius, qui cupiat curationem, & petat eã à parente, alter autem sit alienus, qui ita insaniat, ut ne cupiat quidem, nec petat curationem. Hos si inter se cõtuleris, similes sunt fœditate scabiei, sed si cõtuleris eos ad patrem familias, & iudicaueris de affectu eorum, longe omnium dissimilimi erunt. Alter enim nõ est patrifamilias abominabilis propter fœditatem, propterea ꝙ sit dilectus filius, alter autẽ magno est horrori patrifamilias, propterea ꝙ sit alienus. Huc accedit, ꝙ de altero bona spes concipiatur, quia petit medicinã, de altero autẽ nulla prorsus sit spes, quia ita insanit, ut reijciat omne genus remedij. Eodẽ modo sentiendum est de muliere pudica & impudica. Illi enim, quia est pia, fauet Deus cœlestis pater, et quanꝯ eadem naturali fœditate laborat, qua impudica, tamen cõdonatur ei propter Iesum Christum, in quẽ credit: huic autem Deus minimè fauet, nec remittit ei suam fœditatem, propterea quòd sit prorsus à Deo aliena. Pręterea, illa dominatur per spiritum sanctum naturali suæ impudicitiæ, hæc autẽ tradidit se totam impudicitiæ suæ captiuam: ideoꝯ illa perpetuã consequitur uitam, propter Christum, hęc autem, quia est impœnitens, necesse habet perpetua morte perire. Quid potest hoc discrimine maius excogitari? Quare honestæ mulieres non debent offendi, ꝙ aliqua ex parte exęquẽtur cum inhonestis, sed tanto magis danda est opera honestati, quanto apertius cognoscunt peccatum natura inhærens, ut dominentur ei per spiritum sanctum, & pergant pudicam uitam agere, quo in Christo seruentur. Quæ cum ita

,, se habeant, reuertemur ad Pharisæos. Qui audientes hæc, singulatim ali
,, us post alium exibãt, initio facto à Senioribus, & relictus est solus Iesus,

ac

ac mulier in medio stans. Hoc est æquissimũ fraudulenti consilij supplicium. Capiẽtur, inquit Salomon, iniqui in insidijs suis. Et Dauid: Lacũ aperuit, & effodit eũ, & incidit in foueam, quam fecit. Nam Pharisei uenerũt ad Iesum cum muliere captiua, ut pudefacerent eum, Sed ecce ipsi paucissimis uerbis Iesu in maxima hominum, qui aderant, frequentia, ita pudefiunt, ut confestim subducant sese è conspectu hominum. Non enim dubium est, quin uerba Christi non inciderint tantũ in aures ipsorum, sed etiã penetrauerint in intimos recessus ac latebras cordis eorũ, & reuelauerint ipsis immundiciem & impietatem suam. Fieri autem nõ potest, ut qui uerè agnoscit suam iniquitatem, consistat aperta fronte & tranquilla mente siue coram Deo, siue coram hominibus. Sic Adam audiens uocem Domini Dei sui ambulantis in Paradiso, & agnoscens peccatum suum, metuit, fugit & abscondit se à facie Domini. Sic Cain, postquam occidit fratrem suum, & agnoscit peccatum, trepidat & fugit à facie Domini, nec audet oculos suos attollere corã Ecclesia Dei. Quid ergo? num qui propter peccatum fugiunt faciem Dei & hominum, effugiunt peccatum & supplicium eius? Nihil certè minus. Possunt quidem fugere conspectum hominum, sed nõ possunt effugere nequam suum, quem in sinu gestant. Ac fugiunt quidem externam Dei Ecclesiam, sed non possunt uerum iudicium Dei effugere. Nullæ enim sunt latebræ, nulli sunt recessus, in quibus possis esse in tuto, si tecum feras peccatum, Nõ est pax impijs, dicit Dominus. Solus autem Iesus Christus propositus est nobis, ut in ipso habeamus remissionem peccatorũ. Et solus is in tuto est, qui ad hunc per fidem confugerit. Ac uide mihi maximam Pharisæorum inscitiam & imprudentiam. Pudefacti enim agnitione peccati, fugiunt Christum. Quin potius tempus iam fuisset accedendi & festinandi ad Christum. Nemo em̃ potest à peccato & supplicio cius liberari nisi ad Christum confugiat. Nam is uerus est agnus, qui tollit peccatum mundi. Multo prudentius agit misera mulier. Hæc enim non fugit Christum, sed manet cum Christo. Quare consequitur etiam liberationem. Nam cum erexisset se Iesus, & neminem (uidelicet eorum Scribarum & Pharisæorum, qui mulierem captiuam adduxerant) uideret præter mulierem, dixit ei, Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te cõdemno. Vade & posthac ne peccaueris. Ergo ne Christus approbat adulterium, quòd dicat: Nec ego te cõdemno? Absit. Non approbat peccatum, sed primum significat se non esse ciuilem magistratum: Non em̃ uenit in hunc mundũ, ut fungeretur officio ciuilis iudicis, sed ut concionaretur Euangelion suum. Quare non licet prætextu Christianismi aut Euangelij suscipere administrationem politici regni. Licet quidẽ Christiano politicum regnum accipere & administrare, non autem prętextu ministerij Euangelij, sed ciuilibus ac legitimis ordinationibus. Deinde dimittit, quantum in ipso est, mulierculam liberam, & addit, Ne posthac peccaueris, ut doceat, se remittere peccata, non ut peccetur amplius, sed ut non peccetur. Donat enim sese totũ his, qui in ipsum credũt, ut & habeant in ipso remissionem peccatorum suorum, & accipiant spiritũ

Peccati agnitio affert fugam.

ſanctũ,quod dominentur peccato,ac expurgent,quo ad eius in hac mortali uita fieri poteſt,reliquias peccati. Quare, qui uoluerint fructum beneficiorꝫ Chriſti capere,neceſſe habent peccata fugere,& ueram iuſticiã ſectari,ut conſeruent ſecum Chriſtũ,ac uiciſsim cõſeruentur à Chriſto, uero noſtro ſeruatore, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula,Amen.

HOMILIA LXVI.

QVæ ſequitur concio,una eſt è præcipuis concionibus,quas unquam Ieſus Chriſtus filius Dei in terris habuit,& eſt epitome totius Euangelij Chriſti. Quare tanta diligentia obſeruanda eſt,quantę nobis cœleſtis & perpetua noſtra ſalus cu
»» ræ eſt. Iterum ergo Ieſus locutus eſt eis,dicens. Ego ſum lux mundi. Qui
»» ſequitur me,non ambulabit in tenebris,ſed habebit lumen uitæ. In hac breui quidem,ſed maximè omnium memorabili concione Ieſus perſpicuè prædicat ſe eſſe uerum illum Meſsiam ſeu Chriſtum, quem ſpiritus ſanctus uenturum promiſit. Nam in Eſaia capite 42. dicit Dominus de Meſsia ſuo. Dedi te in fœdus populi, in LVCEM gentium, ut aperires oculos cæcorum,& educeres de concluſione uinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris. Et capite 49. Parum eſt, ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael conuertendas. Dedi te in LVCEM gentium,ut ſis ſalus mea uſqꝫ ad extremum terræ. Ac negari nõ poteſt,quin hæc de Meſsia intelligenda ſint,& uocatur Meſsias, LVX gentium,& ſalus uſqꝫ ad extrema terræ,quod certè nihil aliud eſt, q̃ ſi diceres, Lucem MVNDI. Quod autem ſpiritus ſanctus de Meſsia dicit,hoc Ieſus in hac concione ſibi tribuit: Ego, inquiens, ſum Lux mundi. Quare manifeſte fatetur ſe eſſe uerum Meſsiam,ſeu Chriſtum,quem Prophetæ uenturum promiſerunt. Quod cum ita ſe habeat, uideamus nunc,qualis lux ſit Ieſus Chriſtus. Ac initio, manifeſtum eſt, quòd nullus hîc ſermo fiat de externa & corporali luce, quam præbet nobis uiſibilis ille ſol in cœlo. Chriſtus enim non eſt talis externa lux. Deinde nõ eſt talis lux,qualis eſt Moſes,& Lex Moſi. Nam legi Moſi ſua quoqꝫ lux eſt,quippe qꝫ altero ſuo officio luceat ad cognoſcenda & intelligenda præcepta Dei,altero autem luceat ad agnoſcenda peccata noſtra, qua luce,quantum quidem in ipſa eſt,abducuntur homines potius ad ęternas tenebras,q̃ꝫ ad ſplendorem cœleſtis fœlicitatis. Per legem, inquit Paulus,agnitio peccati. Et iterum: Peccatum non cognoui, niſi per legem. Vbi autem peccatum agnoſcitur, ibi patefiunt etiam portæ regni tenebrarum. Quare lux legis, quantum in ipſa eſt, ducit homines ad moleſtas potius & pernicioſas tenebras,q̃ꝫ ad iucundum ſplendorem. Manifeſtum quidem eſt, quod Chriſtus etiam ipſe docuerit aliquoties legẽ, non aũt docuit eam, quòd ad hunc præcipuè uſum uenerit in hũc mundum,ſed ut repurgaret eam à ſordibus Phariſaicis,& ut explicatione legis ac reuelatione peccati,peruenire ad conficiendum ſuum proprium officium,quod eſt,peccatum remittere,& cõdonare. Præterea Chriſtus non eſt talis lux, qualis eſt humana ratio. Hęc enim, etſi eſt illuſtre donum Dei,& lucet partim ad cognoſcendum aliquo modo Deum ex rebus

Meſsias lux Gentium.

Lux Chriſti.

Lux Moſi.

Rationis humanæ lux.

bus ab ipso cõditis, partim ad inueniendas & exercẽdas uarias artes huic uitæ utiles ac necessarias: partim etiam ad agendam inter homines honestam uitam, non tamen lucet ad cognoscendum Deum perfectè & cõstanter: nec lucet ad inueniendam & exercendam artem, qua consequamur æternam iusticiam & uitam. Postremo Christus, non est talis lux, qualis sunt Apostoli: nam & hi dicuntur L V X mundi. Magnum autem est discrimen inter ipsos & Christum. Dicuntur enim lux, nõ quòd ipsi natura sua sint uera lux, sed quòd fuerint ueluti candelabra, quibus uera lux gestata & in toto orbe terrarum circumlata fuit. Et quod Euangelista de Ioanne Baptista dicit, hoc idem intelligendum est de Apostolis: Non erant illi uera lux, sed missi, ut testarẽtur de luce. Ac docuit quidem Christus Euangelion in Iudæa, sicut & Apostoli docuerunt, unde & Paulus uocat Christũ, ministrum circumcisionis, hoc est, doctorem & concionatorem Iudæorum. Apostoli autem fuerunt tantũ doctores, non autores salutis, Sed Christus non fuit tantũ externus doctor. Quid ergo de ipso dicendum est, aut qualis lux est Iesus Christus? Hic nobis prius considerandum, quæ sint ueræ illæ tenebræ, de quibus in præsentia sermo est. Nam hæc consideratio demonstrabit nobis, qualis lux sit Christus. Primum ergo, Tenebræ dicuntur, Ignoratio Dei. Hæ sunt spirituales tenebræ, quibus omnes homines natura immersi & obscurati sunt, ac necesse habent in his, nisi illustrentur, perpetuò interire. Etsi eñ humana ratio habet aliquam cognitionem Dei, tamen ea, ut non est perfecta, ita in grauibus tentationibus facile excutitur, & redit tandem humana ratio eò, ut neget esse Deum, præsertim cum uidet bonos affligi, & nullum apparere auxilium in aduersis. Concionatur etiam Decalogus, qui est totius legis compẽdium, de Deo, & illustrat maiestatem eius, sed id facit more legis, uidelicet, quòd Deus seruet seruantes legem, & puniat uiolãtes legem. Ego sum, inquit, Dominus Deus tuus fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in filijs, in tertia & quarta generatione eorum, qui oderunt me, et faciens misericordiam in milia, his qui diligunt & custodiunt præcepta mea. Hæc magna quidẽ lux est, sed quemadmodum antè diximus, ducit nos magis ad tenebras inferni, quàm ad lucem regni cœlorum. Cum enim non seruemus legem Dei perfectè, manifestè agnoscimus ex hac doctrina, quòd Deus uisitaturus sit nostram iniquitatem, & puniturus eam perpetuò supplicio. Christus autem uera est lux, quæ has tenebras ignorãtię Dei dispellit. In Christo. n. filio Dei, reuelatur Deum ita misericordem esse, ut etsi homo non custodiuit præcepta eius, tamẽ si credit in Christũ, Deus suscipiat eum in gratiam, adoptet ipsum in filium, & donet ei hæreditatem cœlestis regni. Hęc est uoluntas eius (inquit) qui misit me, ut omnis qui uidet filiũ & credit in eũ, habeat uitam æternam, & ego suscitabo eũ in nouissimo die. Et Ioannes in Epistola sua ait: In hoc apparuit caritas Dei, quòd filium suum unigenitum misit Deus in mundũ, ut uiuamus per eum. In hoc est caritas, nõ quòd nos dilexerimus Deum, sed quòd ipse dilexerit nos, & misit filiũ suũ propiciationem pro peccatis nostris. Cognitio huius diuinæ uolũtatis & caritatis, uidelicet, quòd Deus seruet nos gratis sine respectu no

Tenebræ quæ sint.

ſtrorum meritorꝝ,ſed tantū propter Chriſtum filium ſuum,ſi credimus in eum,hęc inquã cognitio,eſt uera Dei cognitio,qua ſola ſeruamur.Reliquæ cognitiones de Deo,de diuina eſſentia,de diuina maieſtate, de diuina iuſticia,de diuina etiam miſericordia erga ſeruantes legẽ ſuam,habent quidem ſuam laudem & utilitatem,ſed ut non ſunt perfectæ in homine,ita ſi ſolę fuerint abſqꝫ uera illa diuinę caritatis & uolũtatis,de qua modo diximus,cognitione,obĳciunt hominẽ tam tetris tenebris, *ut ne* ceſſe habeat perire. Cum igitur Chriſtus filius Dei reuelet nobis hãc cognitionem de Deo,quòd Deus ſeruet clementer abſqꝫ ullis operibus legis,aut meritis operum,omnes qui credunt in filium ſuum Ieſum Chriſtum,manifeſtum eſt,Ieſum Chriſtum eſſe ueram lucem, qua illuſtrati, perueniamus ad hęreditatem cœleſtis regni. Deinde, Tenebrę ſunt peccatum. Vnde & qui peccant,dicuntur filĳ tenebrarum. Et Paulus iubet nos abĳcere opera tenebrarum,hoc eſt,peccata. Hæ tenebræ abducunt homines in perpetuũ ignẽ inferni.Et ex his tenebris nõ poteſt nos educere nec Lex Moſi,nec humana ratio,nec humana uel ſapientia, uel potentia,uel iuſticia.Solus autem Ieſus Chriſtus uera lux eſt,quia expiauit peccatum,& reconciliauit nos cũ Deo patre,qui remittit credentibus in Chriſtum peccata gratis,tantum propter Chriſtum.Eſt & Chriſtus perfecte iuſtus, ac donat ſe totum unà cum omnibus bonis ſuis credenti in ipſum.Perfecta autem iuſticia,uera eſt lux,perducens ad ſempiternã uitam.Quare cũ Chriſtus ſit recõciliatio noſtra,& perfecta iuſticia,perſpicuum eſt, ꝙ ſit etiã uera lux, quæ ubicunqꝫ lucet, diſſĳciat tenebras peccati.Huc accedit,quod iuxta phraſin ſacrę ſcripturæ,Lux dicatur fœlicitas,Tenebræ autem infœlicitas. In Iobe dicitur, Poſt tenebras ſpero lucem,hoc eſt,poſt infœlicitatem ſpero fœlicitatem.Et iterum: Nõne lux impĳ extinguetur,nec ſplendebit flãma ignis eius? hoc eſt,fœlicitas impĳ uertetur in infœlicitatem.Et in Pſalm.Lux orta eſt iuſto, hoc eſt,fœlicitas contigit iuſto.Cum igitur tenebrarum nomen cõprehendat in ſe omnia infœlicitatum genera, mors autẽ & infernus ſint extrema infœlicitas,conuenienter uocantur mors & infernus, Tenebræ. Vnde & Iob deſcribens has tenebras:Antequam uadam,inquit, ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine,terram miſeriæ & tenebrarum,ubi umbra mortis,et nullus ordo,ſed ſempiternus horror inhabitans.His tenebris,& hac infœlicitate homines ita obruti ſunt propter peccatũ,ut nullus poſsit ſuis uiribus ex illis ad lucem uitę & cœleſtis gaudĳ emergere. Solus autem Ieſus Chriſtus eſt uera lux,quia uicit mortẽ, & dolores inferni.Excitatus,inquit Paulus,à mortuis,nõ amplius moritur, mors illi non amplius dominabit.Et apud Prophetã:Ero mors tua ò mors,morſus tuus inferne.Sed quid? nũ Ieſus Chriſtus retinet ſibi ſoli hãc lucem? aut affert eam uni tantum Iudaicæ gẽti? Minime omnium, Sed affert eã uniuerſo mũdo.Dicit em̃:Ego ſum lux MVNDI. Non dicit, Ego ſum lux unius tantũ Iudaicæ gentis,aut Principum tantum, & Phariſæorũ, Hi enim exiſtimabãt Chriſtum, cum aduenĳret, ad ſe ſolos pertinere,& ſi aliæ gentes uellent beneficĳs Chriſti frui, putabant neceſſariũ eſſe, ut fierent Iudæi. Vnde & in Actis Apoſtolicis reprehendunt Petrũ,quòd introieris

introierit ad uiros habentes prępucium. Et alij dicunt: Nisi circumcidamini secundum morem Mosi, non potestis esse salui. Christus autē non dicit se esse lucem Iudæorum tantum, Sed MVNDI, hoc est, tam Iudæorum, q̄ Gentium, quemadmodū & supra ex Esaia retulimus, apud quē Dominus de Christo suo dicit: Dedi te in lucem gentiū, ut sis salus mea usq̄ ad extremum terræ, uidelicet, non in uno tantum angulo terræ, in quo Iudæi habitant, sed in toto orbe terrarum, ubicunque homines habitauerint. Hoc & Christus aliàs docuit, cum ad Apostolos dixit: Ite in mundum uniuersum, & prędicate Euangelion omni creaturę. Et iterū: Eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq̄, deniq̄ usq̄ ad extrema terræ. Quid ergo ad hæc dicemus? num Christus, qui est uera lux, ita illuminat uniuersum mundum, ut omnes homines, siue agnoscant, siue non agnoscant ipsum, illustrentur splendore eius? Quantum quidem in ipso est, proponit suam lucem omnibus hominibus, sed nō omnes accipiūt eam. Vnde & addit hoc loco, *Qui* sequitur me, nō ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ. *Nam* qui uoluerit beneficijs Christi frui, is necesse habet sequi Christū. *Qui* non sequitur eum, non fruitur luce eius. Etenim, quemadmodū is qui sequit̄ lumē huius uisibilis solis, tantisper ambulat in luce, dum solē sequitur. Quòd si possibile esset, ut tanta celeritate sequeretur solē in terra, quanta ipse in cœlo circuit totam terram uigintiquatuor horis, profecto nunq̄ offunderentur ei tenebræ noctis, cum semper haberet præeūtem solem: ita qui sequitur Iesum Christum, uerā lucem, fieri nō potest ut tenebris inuoluatur. Sequi autem Iesum, quod quidem ad hunc locum attinet, non est imitari uirtutes eius. Ac omnino quidem uirtutes Christi sunt imitādæ. Christus fuit sobrius, fuit mitis, fuit uerax, fuit patiens, fuit innumeris alijs uirtutibus ornatus. Hęc exēpla sequenda sunt pio homini. Necesse em̄ est, ut studeamus sobrietati, ut loquamur ueritatem, ut simus patiētes in aduersis, & ut aliàs bonas uirtutes imitemur. In hoc aūt loco sequi Iesum, est credere, q̄ ipse sit uerus Christus, expiator peccatorū nostrorę, & seruator noster. Nam qui sic sequitur Iesum, is primū rectè cognoscit Deum, q̄ sit misericors, q̄ sit clemens, non propter merita operę, sicut lex cōcionatur de Deo, sed propter filium suum, quem dedit propiciationē pro peccatis. Hoc est uerę lumē uitę. Deinde, q̄ sic sequitur Iesum, reputatur corā Deo iustus, quia donatus est tota & perfecta iusticia Christi. Splēdor huius lucis tantus est, ut possis eo prælucente peruenire ad cœleste regnum. Ad extremum, qui sic sequitur Iesum, seruatur in oībus tenebris afflictionum, in morte deniq̄ ipsa, & in ferni horroribus. Maiores nostri cōsueuerunt morituris iam, & animā efflaturis in manus dare lumē accensum. Ac hypocritę & imperiti abusi quidem sunt hac cōsuetudine ad superstitionē, & putauerunt hoc lumē aliquid facere ad absterrendū Satanā, & illustrandam uiam per mortē: hæc aūt est mera superstitio. Neq̄ em̄ Satan fugat̄ externo lumine, nec tenebrę mortis disijciuntur corporali luce: sed qui hac cōsuetudine tolerabiliter usi fuerunt, hi dederunt lumē morituris in manus, ut hoc signo admonerent eos, quo reciperēt ad se per fidē Iesum Christū, qui se lucē

Iesum Christum sequi quid sit.

Mundi uocauit, ut hac luce illustrati, possint tenebras mortis euadere. Non enim est alia lux, quæ possit mortis tenebras, & principem ipsum tenebrarum fugare, præterq; Iesus Christus filius Dei. Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Quare hoc unũ in tota uita nostra agendum est, ut cognoscamus Euangelion Christi, & accendatur in nobis lux Christi, per fidem, qua disiũciantur tenebræ peccati, mortis & inferni, ac euadamus ad splendorẽ & gloriam cœlestis uitæ & fœlicitatis, per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cũ patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXVII.

MAgnam nobis lucem salutis nostræ attulit Iesus Christus filius Dei in ea concione, in qua prædicauit se esse lucem mundi. Ex hac enim cognoscimus uiam, qua euadamus non solum è peccato ad iustiçiam, uerumetiam è morte ad uitã, & ex horroribus inferni ad gaudia cœlestia. Sed quãto magis hęc lux illustrat pios, tãto plus cęcat impios. Postq; enim Pharisæi audiuerunt Iesum prædicare se esse lucem mundi, ac polliceri assectis suis gloriam æternæ uitæ, intellexerunt quidem docere ipsum, q; sit uerus Messias, non adhibuerunt autẽ huic doctrinæ ullam fidem, sed potius reprehenderunt, ac Dixerũt ei: Tu de teipso testificaris, testimonium tuum nõ est uerum. Hæc uidetur esse honestissima aduersus doctrinam, seu ut Phariseis uidebatur, iactantiam & arrogantiam Iesu obiectio. Nam si de priuatis colloquijs dicẽdum est, magna habetur uanitas, si quis sui ipsius tibicẽ fuerit. Ac solet in glorioſos iactatores uulgo dici, quòd habeãt malos uicinos. Laudet te, inquit Salomõ, alienus, & non os tuum, extraneus & nõ labia tua. Si autem dicendum est de publicis iudicijs, nõ agnoscitur unius tantum hominis de alio testificantis sermo, quãto minus agnoscitur sermo prædicantis & laudãtis seipsum. Quare, quod Phariseι obijciunt Iesu Christo, magnam habet speciẽ prudentiæ. Christus autem refutat illud perspicuè. Respondit enim & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeam de meipso, uerum est testimoniũ meum, Quia scio unde ueni & quò uado. Vos autẽ nescitis unde uenio & quò uado. Vos secũdum carnem iudicatis, ego non iudico quenquã. Porro & si iudicem ego, iudicium meum uerum est, quia solus nõ sum, sed ego, & qui misit me pater. Et in lege uestra scriptum est, q; duorũ hominum testimonium uerum est. Ego sum, qui testimonium fero de meipso, & testimoniũ fert de me, qui misit me pater. Hæc est refutatio Phariſaicę obiectionis. Constat autem duobus argumentis. Alterum ductũ est à persona Christi, qua ipse distinguitur ab alijs hominibus. Alterũ ductum est ab officio & negocio Christi, quod longe differt ab officijs & negocijs ciuilibus. Si ego, inquit, testimoniũ perhibeam de meipso, uerum est testimoniũ meum. Scio uani esse hominis, seipsum laudare. Sed magnũ est discrimen inter me & uos, aut alios homines. Vos nescitis, unde uenio, & quò uado. Vos ignoratis meam diuinã uocationem

& legationem, nec scire laboratis. Vos estis impietate cęcati, & ut postea sequitur, uos ab infernis & de hoc mũdo estis. Sic & de alijs hominibus sentiendum est. Omnes enim alij homines in peccatis cõcepti sunt, & nati. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, nõ est usq; ad unum. Et iterum: Omnis homo mendax. Quare nõ est mirum, q; testimonium hominis de seipso non habeatur fide dignũ. De me autem longe aliter sentiẽdum est. Scio unde uenio, & quò uado. Certus sum me esse filium Dei, et à Deo patre in hanc terram missum, ut assumpto homine, defungar officio Messię, et reuertar per mortẽ in gloriam patris mei, & sedeam à dextris eius perpetuò. Missus aũt sum, non ut mutus in terra obambulem, sed ut mandatũ meæ legationis adnuncie m, ut officium Messiæ, quod mihi est à patre impositum, prędicatione mea illustrem. Hoc tam uerè, tam indubitanter scio, ut nihil mihi sit nec certius nec manifestius. Quod igit alijs hominibus seipsos laudantibus datur uitio, hoc meũ est officium, mea est uocatio, mea necessitas: ut interim non & hoc addam, q; omnes alij homines sint mendaces, me autẽ ueritatem ipsam. Quare, etsi alijs hominibus de seipsis testimonium ferentibus non solet adhiberi fides, mihi tamẽ meipsum prædicanti fides est adhibẽda. Atq; hæc est prior pars refutationis, ex qua illud nobis cõfiderandum uenit, q; quemadmodum Christus profitetur se de sua legatiõe, seu uocatiõe & officio certũ esse, ita necessitas exigit, ut & nos certissimus de fide nostra, q; hic Iesus sit uerus Messias, seruator noster. Dicit enim paulopost: Nisi credideritis, q; ego sim, moriemini in peccatis uestris. Sed unde, inquies, cõsequemur hãc certitudinem fidei? num ex humanis opinionibus? num ex maiorum traditionibus? num aliorum hominum exemplo? Tradiderũt quidem nobis maiores nostri, Iesum esse uerum Christum filiũ Dei, & multa sunt piorum exempla, qui in hunc Iesum Christum credunt, certitudo autem fidei nõ pendet ab humana autoritate (nam & Ethnici potuerũt gloriari de maiorum suorum traditionibus, & multorũ exẽplis) sed à diuina autoritate, uidelicet, à uerbo Dei, cœlestibus miraculis comprobato. Primũ ergo, nihil est certius, q̃ q; Prophetica scripta, quæ sunt uerbum Dei, doceant & testificentur, ab initio orbis terræ promissum esse Christũ, qui sit credentibus in ipsum allaturus æternam iustitiam, uitam & fœlicitatẽ. Deinde hæc scripta definierunt certam familiam, ex qua Christus sit nasciturus, certũ etiã tempus, ac locũ, in quo sit nasciturus. Postremo testificãtur scripta Apostolica, quæ & ipsa sunt uerbum Dei, cœlestibus testimonijs comprobatũ, q; nullus alius sit aut fuerit, in quem, tanq; in uerum Christum, competant prophetica scripta, q; in Iesum quem uocarũt Nazarenum, natũ ex familia Dauid, ex Maria uirgine, in urbe Bethlehẽ. Hoc probat doctrina Iesu, hoc probãt miracula eius, resurrectio eius à mortuis, diuulgatio Euangelij eius in orbem terrę per Apostolos, miracula etiam, quę Apostoli nomine eius ędiderũt. Quibus rebus nihil certius est, q; quòd Deus hunc Iesum, quem Iudæi crucifixerũt, fecerit Dominum ac Christũ, quemadmodũ Petrus loquitur. Hæc si diligenter considerauerimus, & inter se contulerimus, spiritus sanctus mentẽ, imo fidẽ nostram, ita con-

Fides in Chrm stũ sit certa.

firmat,ut nec Pontifices et Monachi,qui obtrudunt nobis in locum offi cij Christi,Sanctos mortuos, ficticium ignem, quẽ purgatoriũ uocant, & uaria hypocritica opera:nec Alcoranus Saracenorũ,qui obtrudit ho minibus legem Mahumetis,pro Christo:nec Rabini Iudæorũ,qui pro uero Christo,pollicentur suis uanum quẽdam Christum adhuc uentu rum,eumq; rege.n mundanum:nec angeli Satanę,queant nos à fiducia, quam habemus in Iesum Christum,unum & solum seruatorem nostrũ, auellere.Sed audiamus nunc alterum argumẽtum refutationis.Hoc dic tũ est ab officio & negocio Christi. Vos, inquit, iudicatis secundũ car nem,ego nõ iudico quenquam. Vestra negocia,quæ inter uos tractatis, sunt carnalia,sunt humana, sunt politica & ciuilia. Quare iudicatur etiã de ipsis secundum carnem,hoc est,secũdum leges carnales, humanas & politicas,quę nullam tribuunt autoritatem unius tantum hominis testi monio,sed dicũt: In ore duum aut trium stabit omne uerbum. Meũ au tem negociũ,quod ago, est spirituale, cœleste ac diuinum. Nec ueni in hunc mundum,ut suscipiam administrationem carnalis politię,& mun dani regni,ac exerceam in homines forensia iudicia. Quare nõ debet de meo negocio iuxta forẽses uestras leges & humana testimonia,sed iuxta cœlestia testimonia,iudicari. Non iudico,inquit,quenquam. Regnum igitur Christi non est mundanum. Nam si esset mundanũ, necesse habe ret Christus leges forenses ferre, & forensia iudicia exercere. Nunc aũt perspicuè affirmat,se non iudicare quenquam,hoc est,se non tractare e iusmodi negocium,nec fungi tali officio,quod humanis legibus,& ci uilibus ordinationibus constet. Quare regnum eius non est humanum aut ciuile. Hoc dictũ Christi admonet nos de multis rebus obseruatu di gnissimis. Primum enim,docet Christum nõ esse legislatorem,qualem eum finxerunt ignarę ueræ doctrinæ Christianismi. Quæ igitur docuit Christus de lege,ea nõ docuit hoc consilio,ut ferret nouã legẽ, sed ut ue terem interpretaretur,& hac occasione ostẽderet hominibus peccata,& inuitaret eos ad petendũ proprium suum officium,quod est, peccata re mittere. Deinde,quia regnũ Christi non est mundanum,non debemus offendi,quòd sapientes & potentes in hoc mundo non agnoscant illud, sed potius persequantur. Animalis homo,inquit Paulus, nõ accipit ea, quę sunt Spiritus Dei. Stulticia siquidẽ sunt illi, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicãtur. Prętera, etsi aduersarij opprimunt Chri stum & Ecclesiam eius carnalibus armis,nõ tamen possunt interitum e ius facere. Sicut enim Christus uiuit etiam in morte,& resurgit à morte, ita & Ecclesia etiãsi opprimatur & occidatur,uiuit tamen & regnat pro pter Christum. Huc accedit,quòd cum regnum Christi non sit munda num, non pronunciabitur in iudicio Dei nouissima sententia de homi bus secundum legem uel Mosaicam,uel aliã politicam aut mundanam, sed tantũ secundum Euangelion Christi,ut q crediderit in Christũ,ser uetur,qui aũt non crediderit,cõdemnetur. Sed quid? num tanta est dif ferentia negocij Christi,seu Euangelij eius,& politicarę ordinationum, ut nulla prorsus inter ea possit esse cõmunio? Absit. Sequitur enim: Si iudicem ego,iudiciũ meum uerum est,quia solus nõ sum,sed ego & qui

Christus non est legis la= tor.

misit

misit me pater: hoc est, etsi non subijcio meam doctrinam humano iudicio, nec patior, ut de Euãgelio meo iudicetur secundũ forenses leges, tñ si mihi omnino agenda esset causa doctrinę meæ corã humano iudicio, possem ueritatem eius, aliquo modo etiam ex autoritate forẽsium legũ ostẽdere. Audiamus igitur quomodo Iesus hoc ostẽdat. In lege, inquit, uestra scriptum est, ꝙ duorum hominũ testimonium uerũ est. Hæc est una è forensibus legibus, ex quibus dijudicantur controuersiæ politicę. Et scripta est hęc lex in Deut. cap. 17. & cap. 19. In ore, inquit, duorum aut trium testiũ stabit omne uerbũ. Possunt quidem etiam duo aut tres, & mille homines mendax testimonium dicere, sed quod ad iudicem attinet, nõ debet unius tantum hominis testimonio reum damnare, sed audienda sunt ad minus duorũ aut triũ testimonia. Quod si & hi falsum dicant testimonium, iudex innocens quidẽ est, si modo omnibus diligenter perscrutatis, nõ inueniat testium mendacia. Si deprehenderit autem mẽdacia eorũ, reddat eis, inquit Lex, sicut fratri suo facere cogitauerũt, & auferes malum de medio tui. Habes Legem. Nunc audi quomodo Iesus accommodet eam ad suam causam: Ego, inquit, nõ sum solus, sed nostrum sunt duo, qui de hac mea doctrina testimonium ferant. Alter, ego ipse sum. Alter est Pater, qui me misit. Cum igitur nostrum sint duo, & in ore duum aut trium stet omne uerbum, profecto manifestũ est, ꝙ ueritas meæ doctrinæ etiam autoritate uestræ legis cõstet. Hic initio significat Christus ꝙ maximus & præcipuus usus politicæ legis sit, nõ ut dominetur, sed ut seruiat uerbo Dei, & Euangelio Christi. Quod de politica lege dicitur, hoc etiam de magistratu ipso politico intelligendum est. Magistratus enim ad hũc usum institutus & confirmatus est à Deo, non ut sit Magister, sed minister Dei, ut puniendo malos, & defendendo bonos tueatur Ecclesiam Dei, & seruiat glorię Dei. Reges, inquit Psalmus, intelligite, erudimini qui iudicatis terrã. SERVITE Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quare peccat magistratus, q̃ sumit sibi dominationem in uerbum Dei, & existimat, ꝙ quemadmodũ licet ipsi aliquoties politicas suas leges mutare, ita liceat etiã uerbũ Dei pro sua libidine mutare. Deinde uides hoc loco, ꝙ Christus manifestè distinguat suam personam à persona patris. Cum eñ lex dicat, In ore duum testiũ, stabit omne uerbũ, exigit duos testes personis inter se distinctos. Christus aũt numerat se & patrem pro duobus testibus. Ego sum, inquit, qui testimonium fero de meipso, & testimonium fert de me, qui misit me pater. Quare Christus & pater eius, natura quidẽ & essentia sua, unus tantum sunt Deus, duæ autem sunt distinctæ personæ. Sed consideremus nunc quod sit illud testimonium, quod Deus pater perhibuit de Iesu, ꝙ sit Christus, & quòd uera sit doctrina eius, qua se Christũ professus est. Non dicemus iam de ijs testimonijs, quæ Deus pater de Iesu dedit, cum misit angelum ad Mariam uirginẽ, & promisit ei, ꝙ Christus ex ipsa sit nasciturus: & cum postea iussit angelos adnunciare pastoribus Christũ esse natum in Bethlehem: cum etiam excitauit Magos per stellam, ut Christum quærerent ac adorarent. Hæc testimonia Dei patris de Iesu, etsi magna sunt, & illustria, tamen & infanti contigerunt, & uidebantur

Magistratus officium & usus.

Pater & filius duæ personæ distinctæ.

à priuatis tantũ hominibus iactata esse,& iam temporis diuturnitate pe nè obliterata.Hęc em̃ de Iesu gesta erant ante triginta annos, & Iesus interim delituerat inter suos obscurus.Quare,cũ Iesus hoc loco citat testimonium patris sui,sentiẽdũ est, ꝙ prȩcipuè loquatur de eo testimonio, quod Deus ipsi dedit, quando suscepit & administrauit publicè officiũ Christi.Primũ igitur pater testificatus est de Iesu,ꝙ sit Christus,cum Iesus baptisaretur à Ioanne. Tunc em̃ spiritus sanctus uenit super Iesum, in specie colũbæ,& audita est uox Dei patris de Iesu : Hic est filius meus dilectus,in quo mihi bene cõplacitũ est. Deinde,testificatus est de ipso, cũ dedit ei potestatẽ tam magna & multa miracula inter homines ędendi.Opera,inquit,quæ dedit mihi pater,ut perficiam ea,ipsa, inquam,opera quæ ego facio,testificantur de me,ꝙ pater miserit me.Et iterum:Si mihi nõ credatis, operibus credite. Sed de miraculorũ Christi ratione aliàs sȩpe diximus.Ac ocioſum quidem & superuacaneũ hoc prȩsertim tempore uidetur,multum laboris & diligẽtiæ sumere, ut explicemus & probemus,Iesum Nazarenum esse uerum Messiam seu Christũ, quem Deus per Prophetas promiserat.Sed si considerauerimus,quanto conatu laboret Satan,nunc per Rabinos Iudæorꝫ, nunc per Mahumetẽ Saracenorum,nunc per Hypocritas & Monachos Christianorꝫ,nunc per afflictiones piorꝫ,ut deiȩciat Iesum è throno maiestatis Christi, & efficiat, ne credatur esse uerus Christus & seruator, profecto manifestũ erit,ꝙ necessarium sit,ut quæ de Iesu tradũtur in scriptis Apostolicis,& rerum gestarũ historiȩs,diligentissimè cognoscant̃.quo fides nostra per spiritũ sanctũ firmissime corroboretur.Quæ cũ ita se habeant,audiamus, quid
» Iudæi respõderint Iesu.Dixerũt ergo ei: Vbi est pater tuus? Iesus citauit testimonium patris sui,Iudȩi aũt ridẽt eum. Quid tu nobis de patre tuo prædicas? Si loqueris de patre homine, nõ agnoscimus hominis patris de filio suo testimonium.Amor.n.cęcat parẽtes, ut non possint syncerũ testimoniũ de liberis suis ferre.Si aũt loqueris de patre Deo,age, ostende nobis Deum,adduc eum in mediũ, ut uideamus , & audiamus eum. Absurdum.n.est,ut adhibeamus fidẽ testi,nec uiso nec audito. Sic cœlestis & diuina concio Christi rhonchis & sannis ab impiȩs excipitur. Sed Christus reprehendit ignorãtiam & impietatem eorum grauissimè. Et
» respõdit:Neqꝫ me nostis,neqꝫ patrem meum.Si me nouisſetis,& patrẽ
» meũ nouisſetis.Quid potuisset aduersus Iudæos grauius dici? Volebãt uideri populus Dei,arrogabant sibi cognitionem Dei,prȩ omnibus gẽtibus terrȩ. Ecce, inquit Paulus , tu Iudȩus cognominaris , & acquiescis in lege,& gloriaris de Deo,& nosti uoluntatẽ,ac probas eximia,instituꝫ ex lege,confidisqꝫ teipsum esse ducẽ cæcorum,lumẽ in tenebris uersantium, & eruditorem insipiẽtium. Atqꝫ hæc quidẽ tribuebant sibi Iudæi. Iesus autem accusat eos nunc publicè, ꝙ prorsus ignorent Deũ,& sint diuinarum rerum imperitissimi.Neqꝫ me nostis,inquiens, neqꝫ patrẽ meũ.Nullã habetis uel Dei, uel Messiæ seu Christi eius cognitionẽ. Quid ergo est,aut unde accidit, ꝙ populus ipse Dei non habeat ueram Dei cognitionem? unde hæc ignorãtia,& cæcitas? Additur causa.Si me nouisſetis,& patrem meũ nouisſetis.Est & hoc unum è prȩcipuis dictis,

Patris testimonia de filio suo.

quæ

quæ in omnibus Apoſtolicis ſcriptis continent. Quare nō eſt oſcitāter conſiderandum. Habet aūt hanc ſentētiam. Nemo poteſt Deum cognoſcere, niſi cognoſcat Ieſum Chriſtū. Deū nemo uidit unq̄, unigenitus filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Primum. n. Deus non eſt uiſibilis, natura ſua. Poſtq̄ aūt filius Dei, qui eſt unà cum patre eiuſdē eſſentiæ & maieſtatis, aſſumpſit hominē, Deus factus eſt quodāmodo uiſibilis. Deinde Deus non eſt uiſibilis, aut cognoſcibilis, uolūtare ſua. Etſi enim cognoſcitur ex lege, q̄ Deus uelit punire malos, & ſeruare bonos, tamē cum omnes homines ſint natura ſua mali peccatores, nō cognoſcitur ex lege; niſi ſeuera & irata Dei uolūtas erga homines. In Chriſto autē, qui ab initio mūdi promiſſus fuit, & in plenitudine tēporis hominē aſſumpſit, cognoſcitur clemēs Dei uolūtas, & gratuita eius miſericordia erga omnes, qui credunt in Chriſtū. Quid ergo dicemus? Gloriātur de Deo Ethnici, Iudæi, Saraceni, Turcæ, hypocritæ, ſcelerati, impœnitētes. Sed cum horum alij ſimpliciter ignorent Ieſum Chriſtum, alij negent Ieſum eſſe Chriſtum, alij etſi fatentur uerbis eum eſſe Chriſtum, tamen nō tribuunt ei ueram Chriſti maieſtatē, profecto uaniſsima eſt gloriatio ipſorum de Deo, ac Dei cognitione, quippe q̄ nemo poſsit Deum, & gratuitam eius clementiā cognoſcere, niſi cognoſcat Ieſum Chriſtū filiū Dei. Itaq̄ ſoli pij, qui in Ieſum Chriſtum uerè credunt, cognoſcunt uerū Deum, & clementem eius erga homines uoluntatem. De qua re quoniam aliàs copioſe diximus, pergemus nūc ad ea quæ ſequūtur. Hęc uerba locutus eſt Ieſus in Gazophylatio, docens in tēplo: Et nemo apprehendit eum, quia nondū uenerat hora eius. Euāgeliſta iterū ſignificat Ieſum inter Iudæorū inſidias tutū fuiſſe, ac recenſet illud magni miraculi loco. Ieſus. n. accuſauit Iudæos ignorātię Dei, idq̄ nō priuatim, corā uno aut altero auditore, nec in loco priuato, ſed corā magna hominū multitudine, publicè, in Gazophylatio, hoc eſt, in exteriori illa tēpli parte, ad quā Iudæi cōferebant ſua munera in uſum Eccleſiaſtici miniſterij, aut pauperum diſtribuenda, quēadmodum in Nehemia cap. 10. ſcriptū eſt, in quā etiam templi partem licebat non ſacerdotibus tm̄, ſed & uulgo Iudæorū ingredi, nihilominus tamen nemo iniecit manus ſuas in Ieſum, etiāſi Iudæis nec uolūtas, nec poteſtas, nec opportunitas defuerit. Hoc ad noſtri conſolationem ſcriptum eſt, ut cum ambulamus in uocatione Dei, nō ſinamus nos ab obediētia abduci periculis & inſidijs aduerſariorū, ſed rectà pergamus mandatū Dei conficere. Sicut enim Chriſtus filius Dei tutus fuit in medio hoſtium ſuorum, ita etiā impetrauit à Deo patre ſuo, ut quiſq̄s in ipſum crediderit, et ambulauerit in uocatione Dei, ſeruetur in omnibus periculis, de qua re ſuprà pluribus. Etſi autē Ieſus nō ignorabat inſidias ſibi à Iudæis parari, tm̄ quia mandatū patris erat, ut Euangelion ſuum prædicaret, ſuſcepit aliam cōcionem in Hieruſalem habendam. Sic enim ſcribit Euangeliſta. Dixit ergo iterū eis Ieſus. Ego uado, & quęretis me, & in peccato ueſtro moriemini. Quo ego uado, uos non poteſtis uenire. Quæ ſit huius dicti ſententia, ex collatione ſimilium locorum facile intelligi poteſt. Suprà cap. 7. & poſtea cap. 13. ſimilia penè dicuntur. Docet enim Chriſtus his uerbis, quòd non ſit ſuſcepturus in

Deus non cognoſcitur, niſi per Chriſtum.

Ioſeph. lib. 8. cap. 11. de bello Iudaico.

hac terra mundanum regnum, quemadmodū Iudæi de Meſsia ſomnia bant, ſed quòd ſit moriturus, & accepturus regnum cœleſte. Quæretis, inquit, me, hoc eſt, nonnulli ueſtrū putabunt me eſſe Meſsiam, ſed tantiſper, dum ſperauerint ſe meo beneficio cōſecuturos terrenam fœlicitatem. Ego autem uado, ego crucifigar, ego occidar, ego moriar, Et quo ego uado, uos non poteſtis uenire, quia cum uideritis uos ſpe ueſtra fruſtrari, & me crucifigi, non credetis amplius me eſſe Meſsiā, ſed iudicabitis me eſſe uaniſsimum hominem, & digniſsimum, qui à terra tollatur. Itaq; moriemini in peccato ueſtro, & inæternum peribitis. Sed Iudęi nō
» intelligūt hoc dictum. Dicebant ergo, Nū interficiet ſemetipſum, quia
» dicit: Quo ego uado, uos non poteſtis uenire? Suprà cap. 7. intelligunt tale dictum, de diſceſſu Ieſu ad gentes, hic autem intelligunt de ſui interfectione. Ignauiſsimi & impiiſsimi homines, qui etſi uidebāt Ieſum maxima autoritate docentem, nō tamen hoc agunt, ut diſcant pietatem, ſed ut uerba eius aut magno faſtidio rideant, aut peruerſe interpretentur. Quare Chriſtus inuehitur in eos ſeueriſsimè, & explicat cauſam copioſius, propter quam ſint inæternum perituri. Dicebat enim eis: Vos ab
» infernis eſtis, Ego de ſupernis ſum. Vos de mūdo hoc eſtis, ego nō ſum
» de hoc mundo. Dixi ergo uobis, quòd moriemini in peccatis ueſtris. Si
» eīm nō credideritis, quod ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris. Nihil poteſt hac ſeu cōmination ſeu uaticinio horribilius excogitari. Dixi, inquit, uos in peccatis ueſtris morituros & inęternum perituros. Hoc uerbum non eſt mihi natum in ore, nō ſomniaui, ſed eſt ueriſsimum, ac certiſsimum. Neceſſe enim eſt, ut qui ſunt ab infernis, & de hoc mundo, ac non credunt, quòd ego ſim uerus ille Meſsias, filius Dei, moriantur in peccatis ſuis. Vos autem eſtis ab infernis, et de hoc mundo, nec creditis, quòd ego ſim uerus Meſsias, uerus Dei filius. Neceſſe igitur eſt, ut moriamini in peccatis ueſtris. Sed hæc deſiderant copioſiorem explicationem. Videamus igitur, quid ſit eſſe ab infernis & de hoc mūdo, ut etiam intelligamus, qd ſit eſſe de ſupernis, & non eſſe de hoc mūdo. Itaq; ab infernis & de hoc mundo eſſe, nō eſt naſci ex homine in hac terra, alioquin enim Chriſtus ipſe eſſet de hoc mūdo, ſed eſt in peccato cōcipi & naſci, ac eſſe natura filium iræ, & carere ſpiritu ſancto. Tales autem non ſunt tantum Iudæi, ſed omnes homines. Reuelatur enim, inquit Paulus, ira Dei de cœlo aduerſus omnem impietatem, & iniuſticiam hominū, qui ueritatem in iniuſticia detinent. Et iterum: Omnes peccauerunt, ac deſtituuntur gloria Dei. Quid igitur dicemus? Si non Iudæi tantum, ſed etiā omnes alij homines ſunt ab infernis & de hoc mundo, profecto nihil aliud reliquum eſt, quàm quòd neceſſe quoq; habeant in peccatis ſuis mori? Quomodo enim fieri poſſet, quòd qui in peccatis cōcipiuntur, naſcuntur, & uiuunt, non etiam in peccatis moriantur? Hîc, ut reſpondeamus, conſiderandum erit, quod Chriſtus hoc loco addit: Ego non ſum, inquiens, de hoc mūdo, ſed de ſupernis. Nam omnes alij homines ſunt ab infernis & de hoc mūdo, hoc eſt, ſunt in pctis, ſunt in ira Dei, & carēt ſpiritu ſancto. Solus aūt Ieſus Chriſtus eſt de ſupernis, non de hoc mundo, hoc eſt, ſolus ipſe eſt in uera iuſticia, eſt in gratia Dei, & habet natura

Ab infernis & de hoc mundo eſſe quid ſit.

ſua

ſua ſpiritum ſanctū. Ecce puer meus, inquit, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. Et iterum: Peccatū nō fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Ac rurſus: Requieſcit ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Sed quid? num Chriſtus fruitur ſolus tantis bonis, nec habet ea cōmunia cū reliquis hominibus? Certè in hunc uſum proponit nobis Chriſtus, nō ut ipſe tm̄ his cœleſtibus bonis fruatur, ſed ut cōmunicet ea cum omnibus, qui credūt in ipſum. In cognitione ſui, inquit, iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorū ipſe portabit. Et iterū: Finem accipiet peccatū, delebitur iniquitas, adducetur iuſticia ſempiterna, uidelicet, per Chriſtum, quem Propheta uocat Sanctū Sanctorū. Quare, qui credunt in Ieſum Chriſtū, etſi habēt adhuc peccatū in carne, tm̄ quia conſequuntur peccati remiſsionē propter Chriſtum per fidem, nō moriuntur in peccato, ſed in iuſticia. Qui aūt non credunt in Chriſtum, neceſſe habēt in peccato mori. Si nō crediderit is, inquit, q̄ ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris. Pauca uerba, ſed quæ res ſummas & maximas cōprehendāt. Nihil grauius, nihil horribilius eſt, q̄ in peccato mori. Nulla eſt calamitas, nulla infœlicitas, quæ hanc exuperet. Sunt em̄ uaria calamitatum genera, quæ hominibus tam uiuendo, q̄ moriendo accidūt. In hac corporali uita, alius eſt pauper, alius captiuus, alius ægrotus, alius infamis. Hæc habentur quidē in numero infœlicitatis, non ſunt aūt ſumma & extrema infœlicitas. Sunt & in moriendo uarij caſus. Alius moritur in aqua, alius in igne, alius in cruce, alius gladio, alius lapidibus, alius diutino morbo afflictus, alius inopinato, & ex improuiſo. Hęc ſpectacula incutiunt his, qui ea uident, magnū horrorē, & iudicantur eſſe grauiſſima calamitas, nō aūt ſunt maxima et extrema calamitas. Quaqua em̄ uitæ infœlicitate affligaris, & quoquo mortis genere pereas, tm̄ poteſt adhuc reliqua eſſe cœleſtis & perpetua fœlicitas. In peccatis aūt uiuere, & in peccatis mori, ea demum eſt ſumma, maxima, extrema & nunq̄ finienda infœlicitas. Amâbo ergo te, quid eſt in peccatis uiuere, & mori? Nū eſt peccata habere in carne, & peccata ſecum ad ſepulchrū ferre? Sed ſic etiā pij uiuunt, & moriuntur in peccatis, & tamē ſeruantur. Etſi enim habent remiſsionem peccati, propter Chriſtū, & dominantur peccato per ſpiritum ſanctum, tamen manent in carne reliquiæ peccati uſq̄ ad mortem. Quare hoc loco in peccatis uiuere & mori, non eſt peccata in carne habere, et ea ſecum uſq̄ ad mortem geſtare, ſed eſt cupiditatibus peccati ſeruire, & nullam habere peccati remiſsionem. Vbi aūt peccatum nō eſt remiſſum, ibi eſt ira Dei, perpetua condemnatio, & æternū in gehenna tormentum. Hęc demum eſt maxima omnium calamitas & infœlicitas. Nam aliæ calamitates, ſiue in uita, ſiue in morte, etſi interdum ſunt graues & horribiles, tamen non ſunt perpetuæ. Hæc autem eſt perpetua & nunq̄ finienda. Et in hanc maximam calamitatē conijciuntur omnes hi, qui in peccatis ſuis moriunt. Obſecro igitur te, qd faciamus, ne in peccatis moriamur? Quid faceremus aliud, q̄ ut quæramus & conſequamur peccatorū remiſsionem. Vbi em̄ eſt peccati remiſsio, ibi etiā eſt ſumma

In peccatis uiuere & mori maxima omnium infœlicitas.

& perpetua beatitudo. Beati, inquit, quorũ remiſſæ ſunt iniquitates, & quorũ tecta ſunt peccata. Sed quomodo, inquis, conſequimur remiſsionem peccatorum? Hic maximum eſt diſcrimen humanorum ſtudiorũ. Ethnici, Saraceni, Turcæ, Iudæi, & hypocritæ quærunt uarias rationes, quibus expient peccata ſua, & aſſequãtur peccatorum remiſsionem, ne moriantur in peccatis. Omnes hi obtrudũt Deo actiones & merita ſuorum bonorũ operum, pro peccatis, ſed à uera conſequendę remiſsionis peccatorum ratione longiſsime aberrãt. Vna.n. ſola uera eſt ratio, fides in Ieſum Chriſtũ. Niſi crediderit is, inquit, q̃ ego ſum, morieminiin peccatis ueſtris. Ergo ſoli hi, qui credũt in Ieſum, q̃ ſit uerus Chriſtus, expiator peccatorũ ſuorum, & ſeruator, non moriuntur in peccatis, ſed habẽt peccatorum remiſsionem & æternã uitam. In Ieſu aũt Chriſto, ut nõ eſt circumciſio, nec præpucium, nec maſculus, nec fœmina, ita nec eſt paupertas, nec diuitiæ, nec ſanitas, nec morbus, nec fama, nec infamia, nec diuturna ægritudo, nec repẽtina mors. Quare ſiue qs uiuat pauper aut diues, ſiue moriat̃ lento, uel honeſto, aut repẽtino uel inhoneſto mortis genere, ſi credit in Ieſum Chriſtum, non moritur in peccatis ſuis, ſed uiuit æterna uita ac fœlicitate. Dices igitur, Si res ita ſe habet, quid opus eſt, ut me affligam actione bonorũ operum? Viuam pro mea libidine, & cum ſenſero mortem prope adeſſe, cõuertam me ad Chriſtum, & credã in eum, ut nõ moriar in peccatis, ſed in peccatorum remiſsione. Hęc & multa id genus alia ſolent aduerſus prædicationem de gratuita remiſſione peccatorum per Chriſtum, ab impijs Euangelij deriſoribus, & ſceleratis hominibus obijci. Ac fieri quidem poteſt, ut qui ſemper fuit impius & ſceleratus, conuertatur in fine uitæ ſuæ ad Chriſtũ ſeruatorẽ noſtrum, ſed audi tu, cui datum eſt in tempore cognoſcere Chriſtũ, & pœnitentiam agere. Primum enim, fides in Chriſtum non eſt humanũ, ſed diuinum opus. Non igitur licet homini fidem in Chriſtum arripere, cũ humano arbitrio libet, ſed cum ſpiritus Dei offert, & tradit. Traditaũt, cũ uocat per Euãgelion ad pœnitentiã. Deinde, is qui cũ nouerit credendum eſſe in Chriſtum, & tñ uiuit interim ſcelerate, non ſolum tentat Deum, ſed etiã irridet eum, ac exponit ſe ſua temeritate maximis periculis. Qui aũt amat pericula, ſolet etiã in illis perire. Et qui ridet, ſolet uiciſsim rideri. Quare pœnitentia & fides in Chriſtum, nõ eſt reijcienda uſq; ad finem uitæ, ſed ſuſcipienda in tempore, cum Chriſtus ſeſe per Euangelion ſuſcipiendum proponit, ut conſequamur remiſsionem peccatorũ, et æternam iuſticiam in Ieſu Chriſto Dño ac ſeruatore noſtro, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LXVIII.

T ſi Ieſus his uerbis, Si non crediderit is, q̃ ego ſum, moriemini in peccatis ueſtris, uidetur oſcitãtibus tenuia & exigua dicere, tamen ſi ea diligenter perpendas, compertes ipſum tribuere ſibi ſummam omnium maieſtatem, ac non ſolum ſignificare ſe eſſe uerum Meſsiam, ſed etiã uerum Dominum ac Deum noſtrum. Eſaias eñ de Meſsia dicit: Poſuit in eo Dominus iniquitatem omniũ noſtrũm. Et mox: In cognitione ſui iuſtificabit

iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorũ ipse portabit. In alio autem loco inducit Esaias Dominũ Deum nostrum ita dicentem: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Cum igitur Iesus his uerbis, (nisi crediderítis in me, & ego sum, moriemini in peccatis uestris) tribuat sibi hãc maiestatẽ, quòd qui in ipsum credũt, accipiant ab ipso remissionẽ aut deletionẽ peccatorũ, & ueram uitã, perspicuum est, quòd his uerbis doceat se esse uerum Messiã, ac uerum Dominum Deum nostrum. Hęc cum non sint obscura, præsertim his, qui habeńt aliquam cognitionem earũ promissionũ, quæ in Prophetis de Messia extant, audiamus, quid Iudęi, qui gloriabantur de cognitione scripturæ, ad ea responderint. Dicebant ergo ei, Tu quis es? Hic est extremus cõtemptus. Etsi enim Iesus manifestè significauit, quis sit, tamen cum uident personam eius non respõdere tantæ maiestati, concionem eius non aliter accipiunt, q̃ si audirent quendam nugiuendum spermologum. Ridiculè igitur & contemptissimè quærunt quis sit. Sed Iesus serio respõdet, ut & mandato Patris sui obediat, qui iussit filium suum hanc de se maiestatem publicè uulgare, & impietatem Iudæorum reprehendat. Et dicit eis: Quàm primum, quia & loquor uobis. hoc est. Etsi iam manifeste dixi, quis sim, tamen statim, primo quoq; tẽpore, manifestius id dicam aut reuelabo, propterea quòd propter hanc causam uobiscum loquar, ut meã maiestatẽ in mundo per Euãgelion meum patefaciam, & illustrem. Sed ò nobis longe omnium exoptatissime Iesu, quid est, q̃ Iudæos, tã impios & fastidiosos uerbi tui contemptores, nõ afficis pro tua potentia repentino aliquo & stupẽdo supplicio? Vides uerba nihil proficere, facta expediẽda essent, & supplicia immittenda, ut reipsa sentirent te eum esse, quem iam prędicasti, uerum uidelicet Messiã, ac uerum Dominum Deum nostrum. Ad hæc respondet Iesus. Multa habeo, quę de uobis loquar ac iudicem, Sed qui misit me, uerax est, & ego quę audiui ab eo, hęc loquor in mũdo. Horum uerborũ hæc est sentẽtia: Possem quidẽ uobis uestram impietatem & contemptum, non uerbis tantum declarare, uerumetiã factis punire, & grãdine, fulmine, hiatu terræ, aut igni de cœlo uindicare, quemadmodum Dathan & Abyrõ perierunt, & quinquagenarij cũ militibus suis, qui deridebãt Eliã, ab igne deuorati sunt: Veni autẽ in hunc mundum, nõ ut externis & repentinis supplicijs grasser aduersus inobedientes & cõtemptores, sed ut adnunciẽ uerbum Dei Patris, qui me in hunc mundum misit. Is cum sit uerax, necesse est, etiam meam cõcionem ueracem esse. Non enim concionor publicè inter homines ea, quæ per somnium conficta sunt, sed cõcionor uerbum Dei, quod à patre Deo ipso audiui. Quare siue rideatis, siue contemnatis, tamen scio me ueritatem docere, quo etiam officio defungar, non per ostentationem externæ maiestatis, qualem uos in Messia requiritis, sed per obedientiam, & humilitatem, quam Deus pater à me exigit. Hoc de officio & uocatiõe Christi diligẽter est considerandum. Iudęi enim expectauerunt Messiam, qui susciperet regnum mundanum, & peragret orbem terræ potẽtissimo exercitu, ut subijciat imperio suo omnes gentes, & qui nõ agnoscant ipsum, con-

Τὴν ἀρχὴν. *Sicut apud Xenophõ.* Τὴν ταχεῖαν. *uelocißime, τὴν σοβαρὰν. per compendium, celeriter, ita & τὴν ἀρχὴν aduerbialiter, pro, quãprimũ, statim, sine ulla mora, gleich uonstundan. Sub intelligẽdum aut est, dicã, aut exponam, aut reuelabo.*

tinuo pereant. Sic enim falso interpretabãtur illa Prophetica de Messia: Percutiet terram uirga oris sui, & spiritu labiorũ suorum interficiet impium. Ac rursus: Gens & regnum quod nõ seruierit tibi, peribit, & gentes solitudine uastabuntur. Nec Iudæi tm̃ somniauerunt Messiã, qui sit mundanus princeps, & subĵciat sibi aduersarios uiolẽta manu, sed etiã nos ipsi, q̃ Iesum Christũ agnoscimus, sæpenumero admirari solemus, quomodo fiat, q̃ Christus, cum sit rex regnantium, & Dominus dominantiũ, tulerit hactenus, aut adhuc ferat tot cõuicia, & blasphemias, quibus impĩ grassati sunt in ipsum, & adhuc grassant. Cogita mihi, q̃ uirulenta cõuitia aduersus Christũ non confinxerint tantum, sed etiã literis mandarint Rabini Iudæorum, in eo libello, cui titulum fecerunt, Tholdoth Ieschu, hoc est, Generationes Iesu? Quid Ethnici? Hi non tantum debacchati sunt uarĩs, ĩsq̃ crudelissimis generibus suppliciorũ, aduersus eos, qui profitebantur & confitebantur Iesum Christum, uerumetiã ẽdiderunt contra eum scriptum conuicĩs plenissimum, & quod diciso let, plaustrum blasphemiarum. Huic scripto titulum fecerunt, Acta Pilati. Quantum item publicè conati sunt maiestati Christi detrahere Arriani? Quid faciunt Turcæ, Arrianorũ proles? Vt alia taceam, in expugnatione Constãtinopoleos Turca iussit erigi imaginem Christi crucifixi, & luto conspergi. Hoc non idcirco fecit, ut significaret tantum se damnare abusum imaginum, sed ut esset cõtumelios⁹ & blasphemus in Christũ ipsum. Sed q̃d necesse est de his dicere, quãtus est inter Christianos ipsos contemptus, quantum fastidium Christi? Obsecro igitur te, quid est, q̃ Christus ad hæc omnia tacitus conniueat, & nõ eiaculetur fulmina? Posset quidẽ cœlũ terræ miscere, & blasphemos omnes uno spiritu perdere, sed qui misit me (inquit) uerax est, & ego quæ audiui ab ipso, loquor in mundo. Quibus uerbis docet se in terrã missum, nõ ut coerceat impios & blasphemos corporali potẽtia, sed ut doceat ueritatem uerbi Dei, ut fungatur officio & ministerio prędicãdi Euãgelĩ. Vnde & aliàs dicit: Filius hominis nõ uenit ad perdendũ animas hominũ, sed ad seruandum. Quam uocationẽ Christus tanta fide & diligentia sectatus est, ut nec antè passionem, nec post passionem & resurrectionem suã uiolenter & hostilẽ in modũ grassatus sit in aduersarios suos. Nã priusq̃ mortem obiret, passus est sibi strui insidias, se contẽni, rideri, cõtumelios⁹ dictis & factis sordidari, cõprehendi, ligari, percuti, conspui, flagellari, & cruci affigi. Contrà autẽ ipse non uicissim contẽnere & percutere, sed benefacere, docere Euãgelion suũ, ędere miracula, infirmos sanare, leprosos mũdare, mortuos suscitare, & p̃ persecutoribus orare, atq̃ adeo pro impĩs mortẽ suscipere. Postq̃ uero resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, ac sedit ad dextram Dei, tum ne eo quidẽ tempore fecit hostiles incursiones in aduersarios suos, sed misit spiritum sanctũ discipulis, dedit eis potestatem ędendorum miraculorum, & curauit, ut Euangelion suũ diuulgaretur in totũ orbem terræ, & uocarentur omnes gentes ad suscipiendam salutem. Inter hæc, etsi totus mundus cooriebatur aduersus Euangelion suũ, & cupiebat illud extinctum, tamẽ reliquit ultionem Domino Deo patri suo, ipse aũt interim curauit, ut sine uiolẽta manu, & externa

Eusebius hist. Eccles. lib. 9. capite 5. & 7.

Impĩ cur nõ uiolenter à Christo compescantur.

terna hostium suorũ cæde conseruaretur Euãgelion in mẽdio inimicorum suorum. Hoc eñ est, quod Psalmus ait: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorum. Virgã uirtutis tuę emittet Dominus ex Zion, dominare in medio inimicorum tuorũ. Quibus uerbis significatur, Christũ habere quidem diuinam maiestatẽ, non opprimere autẽ hostes suos externa & mũdana potẽtia, sed relinquere ultionem Deo Patri suo, ac ipsum dominari in terra, inter aduersarios suos, uerbo tantũ Euangelij sui, quod in die Pẽtecostes publicè in Zion magnis miraculis uulgari cœpit, & ab eo loco sparsum est in totũ orbem terræ. Huc accedit & Petrus, qui in Actis Apostolicis de Christo ita cõcionatur: Hunc oportet cœlum accipere, usq; in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium sanctorũ suorũ à seculo Prophetarũ. Docet & hic Petrus, q; Christus dominetur quidem in cœlesti regno, sed nõ appareat in hoc mũdo manifesta & externa maiestate, donec ueniat nouissimus dies, quo omnia reformabuñ. Quare nõ est nobis in hoc seculo expectanda mundana & externa piorum, credẽtium in Christum, liberatio, & impiorũ, cõtemnentium & blasphemantiũ Christum deletio, sed discẽda est in hoc seculo ueritas Euangelij Christi, & agenda est pœnitentia, quam Euãgelion Christi exigit, ut superatis omnibus huius seculi difficultatibus, cõsequamur in futuro seculo ueram liberationẽ, & fœlicitatẽ. Atq; hoc sibi uelle uidetur Christus, cum ait: Multa habeo quæ de uobis loquar ac iudicem, sed qui misit me, uerax est, &c. Quæ sententia, ut nõ pugnat cũ his uerbis, ita optimè conuenit cum uera ratione officij Christi in hoc seculo. Sed qd si hęc uerba simpliciter ita acciperemus: Possem quidẽ multa de uestra doctrina cõcionari, & eam publicè mendacij cõuincere, sed quid opus est nũc multa de uobis, & de uestra doctrina dicere? Dicã de me & mea doctrina: Scio me uera docere, scio meum uerbũ esse uerbũ Dei. Scio me ea cõcionari inter homines, quæ audiui & didici à Deo Patre meo. Deus aũt uerax est. Quare & mea cõcio uera est. Hęc est cõgruentissima cum ijs, quæ in hac Christi concione tractantur, sententia. Dices aũt, Quid nobis profuerit, q; tu scias te uera docere? An nõ hoc etiã nobis probandũ & confirmandũ est, ut & nos sciamus, si modo exigis à nobis fidẽ? Sed hoc & res ipsa probat, & hactenus probauit Christus, ac probabit etiãnum postea. Primũ eñ doctrina Iesu conuenit cum oraculis & uaticinijs Prophetarum, qui promiserũt hoc tempore, quo fuit Iesus in terris, uenturum Christũ, & ex hac familia, & in hac urbe, ex qua natus est Iesus, nasciturũ Christum. Deinde Iesus testatus est miraculis ueritatem suæ doctrinæ, uidelicet, quòd ipse sit Christus, quem Prophetæ promiserũt. Postremo testatus est post mortem suam, resurrectione à mortuis, ascensu in cœlũ, missione spiritus sancti, ac diuulgatione Euangelij sui in orbem terræ. De hac re mox cõcionabitur Iesus. Dicit eñ: Cum exaltaueritis filiũ hominis, tunc cognoscetis, q; ego sum. Sed priusquam hæc perstringamus, audiamus quid Euãgelista de Iudæis interponat: Non cognouerũt (inquit) q; ipsis de patre locutus esset. Quid est inscitia, quid contemptus, si hic non est? Iesus perspicuè significauit, se à

Christi dominatio in medio inimicorum.

Deo missum,& Deum patrem suum uocare. Et tamẽ tanta est oscitantia Iudæorum,ut nõ cognoscãt,de qua re loquatur. Hoc inde adeo accidit, q̃ cõtemnant ipsum magno fastidio,nec existiment se audire cœlestem cõcionatorem,sed nugacem quẽdam impostorem. Concionabatur em̃ nõ de libertate carnis,non de regno mundano,non de externa dominatione in orbe terrarum,nec de frumento,uino & oleo,Nam talia concionum argumẽta facile intelligere poterant,quippe q̃ totus animus eorũ erat in rerum terrenarum fœlicitate,sed cõcionabatur cœlestia, de uera & perpetua salute. Quare ut Iudæi his concionibus non afficiebãtur,ita nec curabant admodum,quid aut qua de re diceretur. Nõ dissimile est exemplum in uulgo huius temporis. Non intelligunt ullam concionẽ, nisi dicas de uino,de frumẽto,deq̃ alijs corporalibus rebus. Spiritales res surdissima aure excipiunt. Ac planè accidit eis,quod noctuis. Hę,cũ ad lumẽ cæcutiant,in nocte clarè uident,ita isti in rebus spiritualibus ac cœlestibus sunt planè stupidi & prorsus cæci,in rebus autem huius seculi,quæ sunt obscurę tenebræ,oculatissimi sunt. Profecto non hac itur ad cœlũ: Ne sitis,inquit Paulus,pueri sensibus, sed malicia pueri sitis, sensibus uero perfecti. Hoc enim nostrum est officium, & in hoc uocati sumus,ut discamus uerbum Dei,& cognoscamus filium Dei. Nõ agimus uitam,ut edamus tãtum & bibamus, sed maximè omniũ, ut meditemur in uerbo Domini die ac nocte,ac uerã Dei cognitionem per Euãgelion Christi assequamur. Agite ergo,nõ imitemur in audiẽda cõcione Christi oscitãtiam Iudæorũ,sed meminerimus nos audire cœlestem cõcionatorem,de quo Deus pater ipse dixit, HVNC audite. Dixit ergo eis Iesus. Cum exaltaueritis filium hominis,tũc cognoscetis,q̃ ego sum,& q̃ ex meipso facio nihil,sed ita ut docuit me pater,hæc loquor. Et qui misit me,mecum est. Non reliquit me solum pater, quia ego quæ placita sunt ei,facio semper. Suprà dixit se primo quoq; tempore reuelaturũ & probaturum,quis sit: nunc igitur exponit,quando hoc sit futurum. Cum exaltaueritis,inquit,filium hominis,tũc cognoscetis,q̃ ego sum. Obsecro igitur te,quæ est illa exaltatio, qua reuelatur & probatur maiestas Iesu? num est exaltatio in regium thronum terrenę dominationis? at Iesus nũquam uoluit regiã dominationẽ in hac terra suscipere. Filius hominis, inquit,nõ uenit,ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret, utq̃ daret animam suam redemptionẽ pro multis. Quare exaltatio illa, de qua hic fit sermo,non est exaltatio in regium thronũ,sed in crucem,ut sit sensus: Cũ crucifixeritis me, cognoscetis quòd ego sum. Primũ igit̃ his uerbis concionat̃ Iesus,quòd nõ sit dominaturus in terra regio more,sed quòd sit passurus multa aduersa,& moriturus: nam si regnũ eius esset de hoc mundo,certe ministri eius,quemadmodum ad Pilatũ dicitur,decertassent pro eo,ne traderetur Iudæis, ut interficeretur. Et cum Propheta de Messia dicit,Regni eius non erit finis,ipse aũt docet se moriturum,profecto manifestè significat regnum suum non esse mundanum, sed cœleste. Sic em̃ potest esse perpetuum. Deinde his uerbis significat etiã qualis mortis genere sit moriturus,uidelicet, crucifixione, genere mortis longe omniũ turpissimo. Vnde & capite 12. ait: Ego si exaltatus fuero à terra,

Exaltatio Christi quæ sit.

ra,omnes traham ad meipsum.Et addit Euangelista, Hoc autē dicebat, significans qua morte esset moriturus. Quid ergo fiet,cū Iesus fuerit exaltatus,hoc est,crucifixus? Cognoscetis,inquit,q̄ ego sum, uidelicet, q̄ doctrina mea sit uerè diuina,q̄ sim uerus Messias,& uerus Deus. Dubitabit autem quispiam,quomodo hæ res longè omnium maximæ patefactæ sint & probatæ cruce Iesu? Certè crux ipsa per se non est tanti momēti,ut possit probare,crucifixum esse Messiam ac Deū ipsum. Multi ēm crucifixi sunt,qui tamen non fuerunt Messiæ.Et si iuxta legem Dei iudicandum est,probatur potius ex cruce, crucifixum esse à Deo abiectū, q̄ esse Messiam Deo acceptum.Dicit enim lex:Maledictus à Deo,qui pendet in ligno.Quid igitur est,quod dicit:Cū exaltaueritis,hoc est, crucifixeritis filium hominis,tunc cognoscetis,q̄ ego sum? Non loquitur Iesus de ipsa crucis morte per se,sed de his,quę mox crucem cōsecuta sunt. Postq̄ ēm Iesus crucifixus est, tunc mox tertia die resurrexit à mortuis, & cum aliquot diebus testatus esset ueritatem suæ resurrectionis, ascendit in cœlum,misit dona spiritus sancti,dedit discipulis suis potestatem ut crederent in nomine ipsius miracula, uulgauit Euāgelion suum per Apostolos in totum orbem terrę,ac defendit illud & cōseruauit in medio omnium hostium suorū. Nam q̄ Christus cōcionetur hoc loco de sua resurrectione à mortuis, haud obscure significatur, cū additur:Qui misit me,mecum est.Nō reliquit me solum Pater.Quorum uerborum hęc est sententia:Ego crucifigar quidem & moriar, sed mecū est Deus Pater meus,qui nō derelinquet me in morte,sed excitabit me ad uitam,& collocabit me in sede maiestatis suæ.Non derelinques (inquit in Psalmo,è quo hæc sumpta uidentur) animam meam in inferno, nec dabis sanctū tuum uidere corruptionem.Ab eo igitur tempore, quo Iesus crucifixus est & resurrexit à mortuis, manifestè cognita est maiestas Iesu: & q̄ post mortem eius consecuta sunt,perspicua sunt argumēta,quibus patefactū & comprobatum est, q̄ Iesus nō solum sit uerus Messias seu Christus, sed etiam uerus Dominus Deus noster.In concilio Pontificum interrogatur Iesus publicè,num sit Christus filius Dei.Et respōdet:Amodo uidebitis filium hominis sedentem à dextris uirtutis, & ueniētem in nubibus cœli:hoc est,Etsi nūc nihil minus uobis uideor, q̄ Christus & filius Dei,seu uerus Deus,tamen ab hoc tempore manifestè comprobabitur me habere diuinam maiestatem,& datā mihi esse iuxta Danielis uaticinium,potestatem,honorem & regnū,ut omnes populi,tribus & linguę mihi seruiant.Et Paulus ad Rom.scribens:Declaratus est (inquit) filius Dei cum potentia,secundū spiritum sanctificationis, ex eo q̄ resurrexit à mortuis. Et ad Ephesios. Vnicuique (inquit) nostrum data est gratia iuxta mensuram donationis Christi. Quapropter dicit, Cum ascendisset in altum,captiuam duxit captiuitatē,& dedit dona hominibus. Hæc scripta sunt in Psalmo sexagesimo septimo, & manifestè dicunt de uero Domino Deo nostro.Dominus(inquit)in eis in Sinai in sancto.Ascēdisti in altum,cepisti captiuitatē, accepisti dona in hominibus. Cum igit hæc impleta sint resurrectione Iesu à mortuis, ascensu eius in cœlum, & missione spiritus sancti in nomine eius,perspicuè reuelatum & compro-

batum est, qꝫ Iesus sit uerus Messias, Dñs Deus noster. Certò sciat, inqt Petrus, tota domus Israel, qꝫ Dñm & Christū fecerit, hoc est, declarauerit Deus hunc Iesum, quē uos crucifixistis. Quęso aūt te, quo merito suo impetrauit Iesus tantam maiestatē à Deo patre suo? Quid fecit, qꝫ sit collocatus in throno Dei? Qua quidem Deus est, habuit diuinā maiestatē ab æterno, quia est naturalis unigenitus & æternus filius Dei. Itaqꝫ cum habeat eā natura, nulla est amplius reliqua, hac quidē in parte, quæstio de meritis. Qua aūt homo est, assumptus fuit in unitatem personæ cum Deo, & obediuit Deo in oībus præceptis eius perfectissimè. Qua obedientia Deus in tm delectatus est, ut iusserit eum sedere à dextris suis, & habere ęqualē cū ipso maiestatem. Non reliquit me solum Pater. Quā ob causam? Quia ego, quæ placita sunt ei, semper facio. Obseruabile dictum, quo Christus primum ostēdit causam, propter quam Deus Pater nō dereliquerit ipsum in morte, sed exaltauerit ipsum à morte resuscitatum, in thronum diuinæ maiestatis. Exaltauit enim ipsum, propterea qꝫ fuerit ipsi longe omnium obedientissimus. Deus mandauit ei, ut prædicaret Euangelion inter Iudæos, Et obediuit, quanqꝫ maximis uitę suę periculis. Deus mandauit ei, ut benefaceret hominibus, ędēdis miraculis. Et obediuit, ut qui maximè. Deus mandauit ei, ut non susciperet regnū mundanum, sed ut humilem uitā in terris ageret. Et obediuit obsequentissimè. Deus mandauit ei, ut suæ ipsius uitæ non parceret, sed traderet eam uictimā pro peccatis totius humani generis, Et obediuit. Breuiter, Christus semper fecit, quæ placita fuerūt Domino Deo Patri suo. Quid ergo consecutus est sua obedientia? Hoc nimirum, quod Paulus ad Philippenses scribens: Iesus Christus, inquiens, cum esset in forma Dei, inaniuit semetipsum, forma serui assumpta, & factus est obediens usqꝫ ad mortē, mortem aūt crucis. Quapropter & Deus extulit illum in summā sublimitatem, ac donauit illi nomē, quod est super omne nomē, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestriū, & infernorum. Deinde Christus distinguit se hoc dicto ab Adamo, & omnibus posteris eius, hoc est, ab oībus hominibus. Adam em fuit Deo inobediens, nec fecit quæ Deo placita fuerunt. Vnde & per inobedientiam eius introijt peccatū in mūdum, ac per peccatū mors, & sic in omnes homines mors peruasit, quatenus omnes peccauimus. Christus aut fuit Deo obedientissimus, & semper fecit, quæ Deo placita fuerunt. Etsi autem Christus distinguitur hac in parte ab omnibus alijs hominibus, tamen obedientia eius cedit in utilitatem & salutem omnium eorum hominum qui credunt in ipsum. Deus enim pater intantū delectatus est obedientia Christi filij sui, ut propter ipsum remittat omnibus qui credūt in eum, peccata, reputet eos iustos, adoptet ipsos in filios, & tribuat ipsis hęreditatem cœlestis regni. Sicut per unius delictum, inquit Paulus, propagatum est malum in omnes homines ad condemnationē, ita & per unius iustificationem propagatur bonū in omnes homines ad iustificationem uitę. Et quemadmodum per inobedientiam unius hominis, peccatores cōstituti fuimus multi, ita per obedientiam unius, multi constituuntur iusti. Quid ergo? Deus nō agnoscit te iustum, & hæredem æternorꝫ bonorū

Christi obedientia.

propter

propter Adamũ,nec propter Abrahamũ,nec propter Moſen, nec propter Dauidem,nec propter Prophetas,nec propter Apoſtolos,nec propter martyres,ſed tantum propter Ieſum Chriſtum unigenitum filium ſuum.In hunc igitur ſolum confidendũ,huic ſoli ſit gloria in ſecula.Sed priuſquam ab hac concione diſcedamus,cognoſcendum eſt, quem fructum hæc concio inter auditores attulerit.Dicit ergo Euãgeliſta.Hęc illo loquente,multi crediderunt in eum.Etſi enim maxima Iudæorũ multitudo contemnit Ieſum,& concionem eius,tamen aliqui credunt.Quo exemplo monemur,ut de fructu uerbi Dei non deſperemus. Non credunt,nõ reſipiſcunt omnes,credunt tamen & reſipiſcunt nõnulli.In parabola de faciente ſementem,cadit quidem aliud ſemẽ iuxta uiam,aliud in loca ſaxoſa,aliud in ſpinas.& hæc nullum afferunt fructum: aliud aũt cadit in terram bonam,& affert fructum copioſiſsimum.Quare non eſt committendum, ut propter multitudinem impiorũ palàm uerbũ Dei irridentium & contẽnentium,deſeramus officiũ prędicandi Euangelij, ſed pergendum et inſtandũ eſt,ut ſi non omnes,ſaltem aliqui ſeruentur.

Cæterum,quia non eſt ſatis,ut bene incipias,niſi etiam in bono incepto perſeueres,idcirco Ieſus priuatam habet concionẽ ad eos, qui credebãt in ipſum,ac monet eos,ut perſeuerẽt.Dicebat ergo Ieſus ad eos,qui crediderant ipſi,Iudæos.Si uos manſeritis in ſermone meo, uerè diſcipuli mei eſtis,& cognoſcetis ueritatem,& ueritas reddet uos liberos.Hęc eſt cohortatio ad perſeuerantiã in Euangelio Chriſti.Si manſeritis,inquit, in ſermone meo.Sermo Ieſu,eſt Euangelion eius,quo cõcionatus eſt, ſe eſſe uerum Meſsiam ſeu Chriſtum,qui expiet peccata,& ſeruet etiam in morte omnes qui in ipſum credunt. Manere igitur in Euãgelio Ieſu, eſt ei ita fidem habere,ut non ſinas te quouis uento circumferri, ſed perdures in audiendo & credendo ipſo,etiamſi non ſtatim intelligas,nec uideas,qua ratione euentus reſponſurus ſit promiſsis eius.Non mãſit in ſermone Ieſu,qui nunc Ieſu,nunc Phariſęorũ doctrinam ſectatus eſt. Non manſit,qui tantiſper audijt cõcionem Ieſu,dum uidit eum miracula edere, poſtea ſuas res egit. Manſit autem Petrus,manſit Iacobus,manſit Ioannes,manſit Matthęus,& alij Apoſtoli ac diſcipuli,qui uerſati ſunt perpetua cõſuetudine cum Ieſu,à baptiſmo Ioannis uſq; ad eum diem, quo receptus eſt in cœlum.Manent & illi in ſermone Ieſu, qui cũ ſemel acceperunt Euangelion eius per fidem,ſemper in ea fide perſeuerant. Quid autem fiet his, qui manent? quem fructum accipient? Num fient reges mundani? num accipient magnã uim pecunię? Nihil harum rerum promittitur. Hęc enim terrena non poſſunt ueram ſalutem afferre: Sed promittuntur manentibus in ſermone Ieſu cœleſtia bona.Primũ, Verè, inquit,eſtis mei diſcipuli.Multi audiunt quidem meas cõciones, ſed cum Phariſæi minantur proſcriptionem his, qui meam doctrinam ſectãtur, deſerunt me,& abeunt.Qui autem manent et perdurant mecum,hi ſunt uerè mei diſcipuli.Et de his dicit aliàs Chriſtus : Ego diſpono uobis,ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnũ,ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo,& ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. Ac rurſus: Pater,quos dediſti mihi,uolo ut ubi ego ſum,& il-

li sint mecum. Quare uerè esse discipulũ Christi, est participem fieri omnium bonorum, quę Christus à Deo Patre suo accepit. Deinde, Cognoscetis, inquit, ueritatẽ. Hoc uerbo promittit Christus se his, qui manent in sermone ipsius, daturum spiritum sanctum, qui ducat ipsos in omnẽ ueritatẽ. Varia sunt genera doctrinę de religione. Alia est doctrina Mosi. Hæc proponit quidem legem, quæ & ipsa est ueritas, non est autem illa ueritas, qua seruamur, sed potius qua perditionẽ nostrã agnoscimus: nec est illa ueritas, qua gratuita Dei clementia etga nos reuelatur, sed potius qua patefit ira Dei. Alia est doctrina Pharisæorum. Hæc proponit magis mendacium, q̃ ueritatem. Solum autẽ Euangelion Christi, ea est doctrina, qua cognoscitur q̃ Iesus sit uerus Messias, q̃ sit uerus Deus, q̃ Deus Pater uerè faueat his, qui credunt in Christum, q̃ remittat eis peccata gratis, q̃ adoptet ipsos in filios & hæredes omnium cœlestium bonorum, propter Christum. Hęc una illa ueritas est, quæ nobis æternam affert salutem. Vnde etiam additur: Et ueritas reddet uos liberos. Nullus hîc fit sermo de externa & mũdana libertate, quemadmodum Christus mox exponet, sed de spirituali & cœlesti libertate. Homines enim sunt captiui peccati, & propter peccatum, sunt etiã captiui mortis & inferni. Qui aũt cognoscit ueritatem, hoc est, qui credit in Iesum Christũ, qui est ipsa ueritas, is primum redditur liber à iure peccati. Etsi enim gestat adhuc peccatum in carne & sanguine, tñ si credit in Christũ, q̃ ipse sit expiator peccatorum, non potest peccatũ amplius accusare eum, sed necesse habet ipsum liberum dimittere. Deinde qui cognoscit ueritatẽ Euangelij, hoc est, qui credit in Christũ, redditur liber à morte & inferno. Etsi eñ obnoxius est morti & damnationi inferni, propter peccatũ, tñ quia peccatum est remissum propter Christum, nullũ amplius ius in ipsum habent mors & infernus. Ac uidentur quidem etiam hi, qui credunt in Christum, mori, & concutiuntur horroribus inferni, nõ pereũt autem in morte & inferni terroribus, sed seruantur perpetuò. Hæc sunt maxima priuilegia libertatis, quæ nullus huius seculi Monarcha nobis dare potest. Solus Iesus Christus dat nobis ea per Euangelion suũ. Quare manendum & perseuerandũ est in hoc Euangelio, ut cognitione ueritatis assequamur cœlestem & perpetuam libertatem, per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Doctrinæ de religione uariæ.

Libertas Christiana quæ sit.

HOMILIA LXIX.

IN superiori concione, quam Iesus Christus habuit ad Iudęos, qui in ipsum crediderunt, manifesta fit mentio libertatis: Veritas, inquit, reddet uos liberos. Primum igitur omniũ dicendum nobis est, quid nomine libertatis aut liberorum intelligatur, ut statum controuersiæ, quam Iudæi cum Christo de libertate suscipiunt, rectè cognoscamus. Nam in hac disputatione nomen libertatis nõ accipitur pro ea libertate, qua quis solutus manibus & pedibus expeditè incedit. Sic enim & serui incedunt liberi, sed pro ea, quæ opponitur seruituti. Non enim est obscurum, quæ fuerit quondam seruorum conditio. Dominis potestas fuit uitæ necisq̃ in seruos. Et quod-

Libertatis nomen.

cunq̃

cunctis per seruum acquirebatur, id domino acquirebatur. Contrà autē liberi dicuntur, qui non sunt alienæ potestati subiecti, sed facultatem habent facere, quod libet, nisi quod ui aut iure prohibetur, & qui sunt exēpti ab ijs publicis oneribus, ac seruitutibus, qbus alij sunt obnoxij. Hos uocare nunc solemus, Ingenuos, Nobiles, aut Barones. Duplex aūt est libertas seu Nobilitas. Alia est carnalis & mūdana, alia spiritualis & cœlestis. Cum igitur Iesus Christus promitteret discipulis suis libertatē, seu nobilitatem, existimant Iudæi sermonem fieri de carnali & mundana libertate. Et responderunt ei: Semen Abrahę sumus, nec cuiquam seruiui "
mus unq̄. Quomodo tu dicis, Liberi reddemini? De Abrahamo gloriā "
tur Iudæi, de Abrahamo igitur pauca quædam dicēda sunt. Nam cū inter nos fit mentio Abrahæ, putant multi mentionē fieri, de homine quodam Iudæo, qui non debeat esse magno loco apud Christianos. Sed si dicēdum est, quod res est, Abrahami nomē admonet nos de summa, & illustrissima omnium, quæ unq̄ in terris fuit nobilitate. Abraham em̄ fuit præcipuus in toto mundo Patriarcha. Nam quòd ad externam eius familiam attinet, duxit originem suam à Patriarcha Noha, per præcipuum filium eius Sem. Nec est natus post mortem Nohæ aut Sem, sed uixit cum Noha sexaginta, plus minus, annis. Sem autem uixit post mortē Abrahæ triginta annis. Itaq̄ Abraham nō modo uidit atauos suos Noham et Sem, alioq̄, qui hos sequuntur, Patriarchas, sed etiam uixit cum ipsis familiariter, & audiuit cōciones eorum de diluuio, de rebus gestis ante diluuium, de creatione mundi, de Adamo, quem Noha quidem non uidit, pater autem Nohæ, qui est Lamech, uidit & uixit cum Adamo quinquaginta sex annis, quemadmodum ratio temporis, sacris literis mandata perspicuè indicat. Etsi autē habitauerunt tunc in terris in alijs atq̄ alijs locis, posteri Chā & Iaphet, tamen apparet ex ea benedictione, quæ dicta est ad Sem, posteritatem Sem fuisse Patriarchæ Nohę maximè omnium acceptam, propterea quòd haud dubie per spiritum sanctum intellexerit, Christum seruatorem mundi, Adamo promissum, ex ea posteritate uenturum. Quare, cum Abraham non solum numeret atauos et proauos suos, nobilissimos & illustrissimos Patriarchas, sed etiam multis annis familiariter cum ipsis uitam egerit, perspicuum est, Abrahamum collocandum esse in catalogo summorū ac præcipuorū huius terrę heroum, qui nobilitate generis sui excellat omnes reges & Monarchas huius terræ. Quod autem attinet ad res spirituales, etiam hac in parte superat Abraham nobilitate & splendore suo omnes alios homines. Deus enim collocutus est familiariter cū Abrahamo, promisit se de semine ipsius missurum Christū, qua dignitate nihil potuit homini in terris excellentius contingere. Instituit in Abrahamo nouum pactū circumcisionis, promisit ei nō tantum posteritatem magnam, sed etiam regnum & sacerdotium, in quo cōseruarentur promissiones de Christo, donec mitteretur. Quare siue mundana siue spiritualia & cœlestia consideraueris, Abraham fuit Patriarcha longè omnium in toto orbe terrarum nobilissimus, & illustrissimus. Primum autem nobilitas & splendor transfertur in liberos & posteros eorū. Quare Iudæi, qui ducebant

Abrahæ nobilitas.

genus ſuum ab Abrahamo, gloriantur corã Ieſu de hac generis ſui nobilitate, qua non fuit maior in terris. Quid? inquiunt: Tu ne reddes nos liberiores aut nobiliores, quã antè ſumus iam inde ab autore generis noſtri, Abrahamo? In hunc ſi reſpicimus, quid nobis eſt in toto orbe terrarum nobilius aut generoſius? Neq; cuiquam ſeruiuimus unq̃. Quod ad genus noſtrum attinet, nũquam fuimus ſerui. Etſi enim maiores noſtri poſt Abrahamum, ſæpenumero oppreſsi fuerunt aliena tyrannide, & abiecti ſunt aliquoties in ſeruitutem, nunc Aegyptiacam, nunc Moabiticam, nunc Madianiticam, nunc Ammoniticam, nũc Babylonicam, nos quoq; hoc tempore opprimimur ſeruitute Romana, tamẽ nobilitatem generis noſtri nunquàm amiſimus. De regis filio ſemper uerè dicitur, ipſum eſſe regij generis, etiãſi abducatur in ſeruitutem, aut conijciatur in carcerem: ita de nobis quoque ſentiendum eſt, quòd nunquam fuerimus ſerui, ſed ſemper retinuerimus libertatem ſeu nobilitatẽ generis noſtri, etiamſi neceſſe habuerimus multa ſeruitutis & captiuitatis onera ferre. Cuius rei manifeſta ſunt argumẽta, quòd etiam in medijs captiuitatibus ac ſeruitutibus retinuerimus cultum Domini Dei patrũ noſtrorum, & nunquam non liberati ſimus uel tandẽ ab hoſtibus noſtris. Speremus quoq; breui nos ab iſta, qua nũc premimur, Romana ſeruitute liberandos. Quare, cum ſemper fuerimus homines nobiliſsimi, nec quiſquam eſt regum aut Monarcharum, qui nobis generis nobilitate anteferri queat, fruſtra tu promittis nobis maiorem ex Euãgelio tuo nobilitatem. Hæc eſt Iudæorum gloriatio. Quid ergo de ea ſentiendum, quid dicendum eſt? Num approbabimus eam? Non eſt quidem obſcurũ, q̃ quantum attinet ad externã generis nobilitatem, nõ ſint nobiliores homines, quàm Iudæi, qui ducũt originẽ ſuam ab Abrahamo. Nullus eſt Princeps, nullus rex, qui eos familiæ ſuę nobilitate ſuperet, quemadmodum antea indicauimus. Sed hoc loco dupliciter errant ſua gloriatione. Primum, quòd cõfidunt externo ſuo genere, & putant ſe Domino Deo propter generis ſui nobilitatẽ acceptos. Erant homines impij, inuidi, arrogantes, auari, homicidæ, ac nullo nõ ſcelere ſordidati. Non erat eis cura uera pietas, ac uerus Meſsias, propter quem præcipuè Abraham factus erat nõ tantum nobilis, ſed etiam Deo acceptus, propter quem etiã acceperat promiſsiones de regno terræ Canaan. Hæc cura nihil afficiebat ipſos, ſed exiſtimabant ſe propter genus ſuum eſſe populum Dei, & acceptos Deo, etiamſi alioqui eſſent impijſsimi, & deſignarent quæuis ſcelera. Quod quale fuerit, facile licet coniecturam ſumere ab exemplis huius noſtræ ætatis. Sunt ciues & equites, qui ſunt maiorum ſuorum ſplendore illuſtres. Sunt & Pontifices, qui Apoſtolis & ſanctis Epiſcopis ſucceſſerunt. Ac magna quidem illorum ciuium & equitũ pars, hoc unum habent, quòd ducunt genus ſuum ab honeſtis & nobilibus maioribus, cætera, ſunt bibones, helluones, prædones, adulteri, tyranni, contemptores Dei & hominũ, nec ullum eſt ſcelus tam horribile, quod nõ deſignare audent. Hæc ſibi licere putant, quòd dicantur Nobiles. Itaq; abutuntur nomine Nobilitatis ſuæ ad patrocinia ſcelerum, & quo uideantur omnia honeſtè agere, imponũt uitijs ſuis nomina ciuilium officiorum.

Equitum & ciuium nobilitas.

rum. Si ebrij fuerint, uocantur lauti, & læti, Si adulterium cõmiserint, dicuntur iocati esse: si socij fuerint prædonum, dicũtur præstitisse officium amicitiæ, cum interim hæc uitia uocentur in seruo aut homine abiecto, helluatio, stuprum, & rapina. Vnde & Germanicum prouerbiũ ortum est, Vnus ligneus nobilis plus ualet, quàm decẽ chalybei serui, quo significant, nobilitatem esse patrocinium ignauiæ & scelerum, in ijs, qui sunt à maioribus suis illustres, cum interim alij homines etiamsi sint honesti & strenui, cõtemnantur, & si quid deliquerint, grauissimè puniantur. Pontifices autem, qui sunt hostes Euangelij, gloriantur se esse successores Apostolorum, & putant se hoc nomine esse ueram Ecclesiam, Sed inter hæc, sunt sceleratissimi. Nam si doctrinam & uitam eorum cõsideraueris, aut nihil prorsus docent, quod est manifesta uocationis neglectio, aut si docent, impia docent, impiam doctrinam tuentur, Euãgelion Christi persequũtur, innocẽtes occidunt, impudicitiam defendũt, impudicè & ipsi uiuunt, auaritiam sectantur, tyrannidẽ exercent. Quid plura? sunt impij & crudeles hypocritæ ac tyranni. Et tamen existimant esse populum Dei, & Ecclesiam Christi, hoc tantum nomine, quòd sint Apostolorum successores, & sedeãt in cathedris eorum, quo etiam nomine putant sibi licere, quicquid libet. Eodem modo Iudæi quoq; iactabant se esse posteros & successores summorum Patriarcharũ, & quãuis nullo non impietatis & scelerum genere contaminati essent, tamen iudicabant se Deo acceptos, propter maiorum suorũ nobilitatem. Hæc est magna impudentia, & merito reprehendenda. Etsi enim generis nobilitas, donum Dei est, & habet suum usum in hac corporali uita, tamen nullus est respectus eius coram tribunali Dei, & tantum abest, ut sit patrocinium scelerum, & faciat populum Dei, ut potius scelera reddat grauiora, & efficiat, ut qui erat populus Dei, seuerius, si peccauerit, puniatur, ac propter impietatẽ horribilius condemnetur. In Propheta Amos dicit DOMINVS: Tantummodo uos cognoui ex oĩbus cognationibus terræ. Hoccine ergo respiciet DOMINVS, & conniuebit ad impietates Israelis? Minime omnium. Additur enim: Idcirco uisitabo super uos omnes iniquitates uestras. Et Moses in carmine suo: Pars DOMINI, inquit, populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. Quid ergo si etiam? num quia Israelitæ magnis beneficijs fuerũt à Deo affecti, & duxerũt genus suum à sanctissimis Patriarchis, habẽt excusationem impietatis? Nihil certè minus, sed tãto grauius propter impietatẽ puniuntur, quanto nobilior fuit origo eorum, & quanto maiora beneficia à Deo acceperunt. Ipsi me, inquit, prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo qui nõ est populus, & in gente stulta irritabo illos. Quare plurimum errant Iudæi, q̃ de generis sui libertate ac nobilitate ita gloriẽtur, ut sentiant se propter ipsam Deo gratos & acceptos. Deinde longe errant, quòd quæ Iesus concionatur de libertate, intelligant de externa & mũdana libertate, cum Iesus loquatur de spirituali & cœlesti. Sic enim sequitur: Respondit eis Iesus: Amen amen dico uobis, quòd omnis, qui facit peccatũ, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo inæternum. Filius manet inæter-

Ein hültzener Edelman gilt mehr denn zehen stelne Knecht.

Nobilitas generis.

„ num. Si ergo uos filius liberos reddiderit, uerè liberi eſtis. Scio quòd ſe
„ men Abrahæ eſtis, Sed quæritis me interficere, quia ſermo meus nõ ha
„ bet locum in uobis. Ego quod uidi apud Patrem meum, loquor, & uos,
„ quod uidiſtis apud patrem ueſtrum facitis. Memorabilis cõcio de uera ſeruitute, & libertate, ſeu nobilitate. Eſt aũt hæc ſententia: Nihil loquor nunc de externa & mundana libertate. Ego, quod ad meum officiũ attinet, relinquo huic humanæ uitæ ſuas ordinationes, ſua diſcrimina, ſuas ſeruitutes, libertates, & nobilitates, tantummodo ne quis his abutatur. Hoc autẽ de uobis dico, ꝙ etiamſi ducatis genus ab illuſtriſsimo Patriarcha Abrahamo, tamẽ uos nõ eſtis ueri liberi, nobiles, aut ut uocãt, Barones, ſed eſtis ſerui uiliſsimi, & mancipia abiectiſsima. Nec dicit tantũ hoc Chriſtus de Iudæis, ſed probat etiã perſpicuo argumento: Omnis, inquiens, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, etiamſi fuerit de ſemine Abrahæ. Vos autem facitis peccatum. Reliquum igitur eſt, quòd etſi eſtis ſemen Abrahæ, tamen ſitis uiliſsimi ſerui. Videamus autem partes huius probationis. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Nihil hac ſententia certius. An neſcitis, inquit Paulus, quòd cui accommodatis uos ipſos ſeruos ad obediendum, eius ſerui eſtis, cui obeditis? Et Petrus: A quo quis ſuperatur, huic etiã in ſeruitutem eſt addictus. Quare manifeſtum eſt, quòd qui facit imperiũ peccati, is ſit ſeruus peccati, id quod exemplis paulò manifeſtius declaratur. Contemnere uerbũ Dei eſt peccatum. Ierobeam autem, primus rex Iſraelis, poſt Salomonẽ, faciebat hoc peccatum. Res igitur ipſa docet, quòd fuerit etiam ſeruus huius peccati. Iuſſus enim ab hoc peccato inſtituere idolatrian aureorum uitulorum, ſtatim obſecutus eſt. Iuſſus Prophetam Domini, admonentem eum de impietate, cõprehendere, mox toto animi impetu obediit. Manifeſtè igitur uides, quòd fuerit ſeruus peccati. Eſt & peccatum inuidere. Cain autem faciebat hoc peccatum, quia proſequebatur fratrem ſuũ magno odío & inuidia. Quare fuit etiam ſeruus huius peccati, id quod facta ipſa teſtantur. Nam hoc peccatum mandabat Caino, ut uerbum Dei cõtemneret, ut nullam haberet rationem naturalis coniunctionis cum parentibus & fratre, ut fratrem occideret. Quid autem Cainus? Erat ſeruus peccati. Mandatis igitur eius ita obſequitur, ut bubali naribus tracti. Sic & peccatum eſt, flagrare illegitimo amore mulierum. Hoc peccatum faciebat Amon filius Dauidis, quia tenebatur magno, ſed illegitimo amore, erga ſororem ſuã Thamar. Fuit igitur & ſeruus huius peccati, quod cũ iuberet eum noctes inſomnes ducere, & ſorori ſuę uim inferre, obſequebatur magna animi promptitudine. Quid pluribus opus? Qui ſuſcipit peccatum faciendũ, is etiam ſubiicit ſe dominationi peccati, & tradit ſeſe in eius ſeruitutem. Quale enim eſt ius dominorum in ſeruos aut emptos, aut bello captos, tale etiã eſt ius peccati, in eos qui uel peccato uenditi ſunt, uel ſeſe peccato captiuos reddunt. Nulla autẽ eſt grauior, nulla horribilior ſeruitus, quã peccati. In mũdana ſeruitute, ſeruis homini, aliquoties quidem ſæuo & crudeli, homini tamen, carne & ſanguine tibi cognato. In ſeruitute autem peccati, ſeruis Satanæ. In mũdana ſeruitute, habes incommoda uitæ corporalis, ſed quæ non durant perpetuò. In

Seruitus peccati.

Rom. 6.
2. Pet. 2.

Peccati ſeruitus grauiſsima.

ſeruitute

ſeruitute autẽ peccati, habes incommoda ſpiritualia, & perpetua. In humana ſeruitute, accipis, mercedis loco, alimẽta corporalia, nonnunq̃ etiam pecuniam. Quòd ſi ſecus euenerit, reportas quidẽ plagas, & eſuriẽ, ſed quæ ſuo tempore finem accipiunt. In ſeruitute autem peccati, reportas pro mercede, mortem & ignem inferni. Stipẽdium enim peccati, inquit Paulus, mors eſt. Et, Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius. Huc igitur confer mihi Nobiles peccatores, cum ſeruis pijs & iuſtis, quantum, obſecro, hi ſuperant illos ſua fœlicitate? Hi ſeruiunt homini, illi autem diabolo. Hi accipiunt à dominis ſuis panem cibarium, illi autem accipiunt à domino ſuo ignem inferni. Non enim eſt reſpectus perſonæ apud Deum, Reddet Deus unicuique iuxta facta ſua, ſiue liber fuerit, ſiue ſeruus. Multo igitur præſtat pium eſſe ſeruum, abiectiſsimi etiam hominis, quàm impiũ eſſe liberum aut nobilem, in illuſtriſsima etiam familia. Habes eos eſſe uerè ſeruos, qui faciunt peccatum. Accommodemus nunc hanc ſententiam ad Iudæos, ut cognoſcamus, quòd etſi ſunt de ſemine Abrahæ, & iuxta carnem liberi, aut nobiles, tamen uerè ſint ſerui, & mancipia coram Deo. Faciunt enim magna & horribilia peccata. Ecquæ ſunt illa? Poſſet quidem Chriſtus longum catalogum peccatorum, quæ Iudæi deſignant, texere, ſed recitat tantum unum, quod ut eſt maximum, ita cõprehendit in ſe omnia alia genera peccatorũ. Vos, inquit, quæritis me interficere. ME, inquam, ME, interficere quæritis. Etſi enim loquor quod uidi apud Patrem meum, etſi mea doctrina eſt diuina, quã didici à Deo Patre meo, & quam Deus iuſſit me concionari, tamen ea non inuenit apud uos ullum locum, non adhibetis ei fidem, ſed potius id agitis, quod uidiſtis apud ueſtrũ patrem. Veſter pater eſt Diabolus. Is quia eſt mẽdax & homicida, docet & iubet uos homicidia facere, ideoq̃ hoc unum agitis, ut ME, diuinũ doctorẽ, & uerum Meſsiã interficiatis. Quid hac accuſatione grauius? Accuſantur enim Iudæi, q̃ meditẽtur cædem Meſsiæ, & ſeruiant peccato nõ ſimpliciter homicidij, ſed Chriſticidij. Hoc eſt ſummum & maximũ omnium peccatum, quod complectitur in ſe omnia alia peccata. Nam qui meditãtur cædem Chriſti, is tantùm abeſt ut credat Chriſtũ eſſe ſeruatorẽ ſuum, ut potius ſentiat ſe nõ poſſe ſeruari, niſi Chriſtum opprimat. Qui autem non credit Chriſtum eſſe ſuum ſeruatorem, huic peccatum non eſt remiſſum, nec habet ſpiritum ſanctum, qui affectum peccati mortificet, ac expurget. Quòd ſi non habes peccati remiſsionem nec ſpiritum ſanctum, reliquum eſt, quòd ſpiritus Satanæ dominetur, qui cum ſit autor peccati, quemadmodum poſtea ſequitur, fieri nõ poteſt quin impellat ſeruum ſuũ in omnia genera peccati. Ac finge hominem, quod ad externam uitam attinet, honeſtiſsimum eſſe, tamẽ ſi eſt dominationi Satanæ obnoxius, ſuſtinet in ſe omnis mali molem. Quare Chriſtus recitando unũ hoc peccati genus de Iudæis, haud obſcure ſignificat, eos omnibus grauiſsimorum peccatorũ generibus obnoxios ac ſordidatos eſſe. Quid ergo ad hæc dicemus? Hoc uidelicet dicendum eſt, q̃ Iudæi, etiãſi ſint de ſemine Abrahæ, & ſint natiuitate ſua liberi aut Nobiles, tñ quia ſunt impij, & peccatis obnoxij, uiliſsima ſint mãcipia, & abiectiſsimi ſer

ui. Quæres autem, si carnalis generatio non affert ueram libertatem aut Nobilitatem, & si peccatum facit homines uere seruos ac mancipia, quo modo liberabimur hac seruitute, ut consequamur ueram libertatẽ & nobilitatem? De hac re concionatur Christus ipse hoc loco: Seruus, inquiens, non manet in domo in æternum. Filius manet in æternum. Si ergo filius uos liberos reddiderit, uerè liberi estis. Memorabile dictũ, quo docemur, unde ueram assequamur libertatem. Est autẽ sumpta similitudo à politicis moribus. In politeia enim huius mundi magnũ est discrimen in familijs inter seruum & filium. Seruus non est hæres domini sui. Filius autem hæres est. Seruus non semper in eadem familia manet, sed aut uenditur, aut expellitur. Filius autem semper manet in paterna sua familia, nisi forte aliquid tam scelestum, tam atrox & nefarium committat, ut exhæredetur. Seruus non potest conseruum suum facere liberum, & hæredem facultatum domini sui. Cum enim ipse sit seruus, & non sit hæres, quomodo potest alteri dare libertatem ac hæreditatem, quam ipse non habet? Filius autem, qui est liber & hæres, potest seruum non solum reddere liberum, sed etiam cooptare in cohæredem omnium paternarum suarum facultatum. Atque hæc quidem ita se habent in politicis familijs. Eodem modo res geri solet inter seruos & filium, in familia cœlesti. Deus enim est cœlestis paterfamilias. Vnigenitus filius eius est Dominus noster Iesus Christus. Omnes autem homines sunt serui eius. Quid ergo fit? Cum seruus non possit conseruum reddere liberum, nec facere ipsum hæredem facultatum patrisfamilias, quippe quòd nec ipse sit liber nec hæres, perspicuum est, quòd nullus hominũ possit alterum hominem in cœlesti familia Liberum aut Nobilem facere, ac cœlestem ei hæreditatem dare. Itaq; nec Patriarcha quispiã, nec Propheta, nec Apostolus aut Martyr, nec ullus alius homo, quãtauis sanctitate, autoritate, & maiestate præditus sit, potest nos è seruitute peccati eximere, & in cœlestem nobilitatem transferre. Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei. Quomodo igitur possent alijs dare gloriã Dei, qua ipsi natura sua carent? Quod autem nullus hominum potest, hoc potest unigenitus filius Dei, Dominus noster Iesus Christus. Etenim Christus filius Dei est natura sua longè omnium liberrimus seu Nobilissimus, siue spiritualem siue corporalem eius generationem consideraueris. Nam quod ad spiritualem eius generationem attinet, genitus est, nõ ab homine, sed à Deo patre suo. Et genitus est, non in tempore, sed ab æterno. Quid autem liberius, quid nobilius esse posset, quàm esse æternum filium Dei? An talis filius non maneret in domo patris sui in æternum? Deinde, quod attinet ad natiuitatem eius humanam, etsi nullum habet patrem in terris, è cuius semine, iuxta aliorum hominũ morem, natus sit, tamẽ si uirginem matrem eius respicias, duxit genus suum humanum à summis Patriarchis, ab illustrissimis ducibus ac regibus. Itaq; si de Iesu Christo etiam iuxta externam familiarum nobilitatem iudicaueris, non inuenies eo nobiliorẽ ac illustriorem, inter omnes huius seculi reges ac Monarchas. Sed quid? Num filius Dei retinet sibi soli hanc diuinam libertatẽ ac nobilitatẽ? Nũ solus ipse fruitur tam illustri gloria? Minime

Christus nobilißimus omniũ regum ac principũ.

omnium.

omnium. Non est inuidus, non est auarus, Sed proponit suã nobilitatẽ & gloriam omnibus hominibus accipiendam, & cõmunicat eam cũ omnibus his, qui credunt in ipsum. Venit em̃ in hunc mũdum, & expiauit morte sua peccata nostra, ac reconciliauit nos cum Deo patre suo. In quẽ usum? Vt quemadmodum ipse liber est, & filius, et hęres Dei, ita omnes qui in ipsum credunt, fierent liberi, fierent fratres ipsius, & adoptarẽtur in filios ac hęredes Dei. Quotquot, inquit, receperũt eum, dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, nimirũ his, q̃ credunt in nomẽ eius. Et Paulus: Vbi uenit (inquit) plenitudo temporis, emisit Deus filium suũ, factũ ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Obsecro igitur te, cõmemora nobis quę sunt huius adoptiõis, libertatis & nobilitatis iura ac priuilegia? Nam, qui sunt in hoc seculo liberi, ac nobiles, & ut uocant, Barones, hi sua habẽt iura, suas libertates, & priuilegia. Alij liberi sunt à publicis uectigalibus & tributis. Alij liberi sunt à publicis quibusdam iudicijs, alij hoc habent priuilegium, quod sint sacrosancti & inuiolati, quale quondam fuit ius ciuium Romanorũ, quod & Paulus habuit. Et hæc sunt politica priuilegia. Quæ ergo priuilegia, quas libertates habẽt hi, qui propter filium Dei fiunt liberi, & adoptantur in filios Dei? Primũ hanc habent libertatem, quòd peccatum non habeat amplius in ipsos ius damnandi. Quid hoc priuilegio maius? Peccatum natura sua habet ius damnãdi omnes homines, propterea q̃ omnes homines sint natura peccato obnoxij. Postq̃ aũt homo agnoscit Iesum Christum, & credit in ipsum, tunc peccatum amittit ius suum in eo qui credit in Christum, ac necesse habet ipsum liberè dimittere. Christus em̃ expiauit peccatum, & impetrauit, ut omnes, qui in ipsum credunt, reputentur coram Deo iusti. Ergo ne licet credenti impunè peccare, q̃ peccatũ non habeat ius damnandi ipsum? Hoc planè illud est, quod etiã apud Paulũ dicũt: Peccabimus, quòd non sumus sub lege, sed sub gratia? Hic considerandum nobis est, quòd priuilegia non conceduntur, ut ijs abutamur, sed ut rectè utamur. Nam qui abutitur priuilegio, solet illud amittere. Sic & credenti concessum est hoc priuilegium, quòd peccatum non habeat in ipsum aliquod ius damnandi. Hoc autem datum est, nõ ut licentia peccandi abutamur, sed ut in seuero iudicio legis aduersus peccata, bene cõfidamus, & hanc fiduciã obedientia testemur, nosq̃ gratos declaremus. Fieri enim nõ potest, ut q̃ uerè et ex fide agnoscit hoc priuilegiũ, seruiat peccato. Qui mortui sumus, inquit Paulus, peccato, quomodo post hac uiuemus in eodẽ? Et iterum: Liberati sumus à lege, mortui ei, in qua detinebamur, ut seruiamus per nouitatem spiritus, et non per uetustatem literæ. Quare hoc priuilegio sic utendum est, ut fugiamus peccata, & obediamus iustitiæ. Deinde qui fiunt liberi per filium Dei, donãtur hac libertate, quòd nec mors habeat ius perdendi ipsos, nec sint perpetuo igni gehennæ obnoxij. Est & hoc priuilegium excellentius & admirabilius q̃ quod pro dignitate satis explicari queat. Mors enim & infernus habent natura sua propter peccatũ ius perdendi, & retinendi omnes homines in perpetuis cruciatibus. Qui autem credunt in Christum, & confidunt Euange-

Nobilium ac Baronum priuilegia

Priuilegia credentium in Christum.

lio Christi, liberantur ab hoc iure peccati & inferni. Quare qui in Christum credunt, etsi uidentur mori, & horroribus inferni torqueri, tamen nec moriuntur, nec detinentur in doloribus inferni, sed seruãtur perpetuò. Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inæternũ. Postremo, qui fiunt liberi per filium Dei, hi consequũtur non solũ æternam uitam, sed etiam cœlestem hæreditatẽ diuinorũ bonorũ, & participant cum filio Dei gloriam perpetuò. Quid est libertas, quid est nobilitas, si hæc non est? Quis præ hac libertate & nobilitate, non duceret omnem carnalẽ nobilitatem pro damno, & haberet eam pro reiectamẽto? Et tñ pietatis ac gratitudinis est, ne quis hac libertate & nobilitate abutatur. Pij enim, etsi sunt in Iesu Christo liberi & nobiles, faciunt tamen se ipsos omnium seruos, & agunt uitam humilem, ac tanq̃ ignobilẽ. Nam si fuerint serui politici, tanto obedientius seruiũt hominibus, quãto maiorem acceperunt à Christo libertatem. Si autem fuerint liberi politici, agnoscunt se esse seruos Christi, ut propter Christũ seruiant ac benefaciant omnibus, quibus possunt, hominibus. Tanq̃ liberi, inquit Petrus, et non uelut prætextum habentes maliciæ libertatem, sed tanq̃ serui Dei. Quare nemo glorietur de carnali sua libertate ac nobilitate, quę etsi suũ habet locum in hac humana uita, tamen nullius est momenti corã Deo, & in cœlesti politia, Sed in hoc studium incumbamus, ut consequamur per Euangelion ueram cognitionem & fidem in Christum, quo & uera ac cœlesti libertate donemur, per Iesum Christum seruatorem nostrũ, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amẽ.

HOMILIA LXX.

MVltas habuit Iesus Christus conciones humanitatis & clementiæ plenissimas, Sed quæ sequitur concio, longè omnium, quas unquã in terris habuit, seueriſsima est. Adimit enim ludæis omnem gloriam, qua fuerunt illustres tam corã Deo q̃ coram hominibus. Negat ipsos esse ueros posteros Abrahæ, de quo tamẽ insolentissimè gloriabantur. Negat item eos esse populum seu filios Dei, cum tamen existimauerint se solos ex omnibus huius terrę nationibus esse Ecclesiã Dei, eoq̃ seueritatis sermo procedit, ut uocet eos filios Diaboli, ac significet ipsos pro incorporatis, ut ita dicã, diabolis habendos. Sed uicissim, nec ipsi tractant Iesum mitius, ac primum quidem petunt eum uirulẽtissimis conuicijs, uocant eum Samaritanum & dæmonio obsessum: postea etiã lapidibus in ipsum sæuire statuunt. Hęc non sunt oscitãter percurrenda, ut cognoscamus, quæ sit uera, & quę adulterina posteritas Abrahæ, & quis sit uerus, quis ficticius populus Dei. Cum ergo Iesus antea dixisset se concionari eam ueritatem, quam à Deo patre suo didicerit, hoc est, cœlestẽ & diuinam doctrinam, Iudæos autem imitari suum patrem, nondũ quidẽ
„ apertè dicens, significans autem patrem ipsorum diabolum esse, Respõ
„ derunt & dixerunt ei, Pater noster Abraham est. Intelligunt Iudæi, q̃ Iesus neget ipsos esse filios Abrahæ. Quare inuehuntur in eum contume-

lioſe:

Omnes sumus Germani et gemini Abrae filij.

sioſe: Pater noſter, inquiunt, eſt Abraham. Quicquid cogitaueris, quicquid ſenſeris aut dixeris, & quales quales ſimus nos, certe negare nō potes, niſi pergas impudētiſsimè nugari, patrē noſtrum eſſe Abrahamū, ideoq; nos eſſe uerè liberum populum, ac ueram Eccleſiam Dei. Vides iterum Iudæos confidere externo ſuo genere, ac nobilitate. Exiſtimant enim ſe idcirco eſſe populum Dei, & gratum Deo, quòd ducāt originē ſuam à ſancto Patriarcha Abrahamo. Hic eſt uulgaris hominum error. Alij em̄, quo ſunt ex familijs & ſucceſsionibus ſuis in hac terra illuſtriores, eo putant ſe eſſe excellentiores in regno cœleſti coram Deo. Alij fortuna facultatum & dignitatis ſuę ita confidunt, ut ſentiant ſibi tanto ſublimiorem locum apud Dominum Deum noſtrū deberi, quanto paupe rioribus & indig nioribus hominibus in terra anteferri uidētur. An nō etiam Pontifices gloriantur, ſicut & Iudæi, quòd cum ſint ordinarij ſucceſſores Apoſtolorum, debeāt etiam, uel hoc ſolo nomine agnoſci pro uera Eccleſia Chriſti? Itaq; & hi, quales quales alioqui fuerint uel doctri na uel uita, cōfidunt nobilitate & ſanctitate maiorum ſuorum. Sed Ieſus Chriſtus reprehendit hanc uaniſsimam opinionē, ſicut & antea, grauiſsimè. Et dicit eis: Si filij Abrahę eſſetis, opera Abrahę faceretis. Nunc autem quæritis me interficere hominē, qui ueritatē uobis locutus ſum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Priuſq; hæc uerba perſtringamus, exponendum erit, quę ſit ea ueritas, quam Ieſus ſępenumero & ante & hoc loco, & poſtea affirmat, ſe à Deo patre ſuo audiuiſſe, & didiciſſe. Ac omnia quidem, quę Ieſus docuit, ſunt certiſsima ueritas, & cœleſtis doctrina, hic aūt fit prȩcipuè ſermo de ea ueritate, qua tribuit ſibi honorem Meſsię, ac filij Dei. Docuit enim ſe eſſe uerum illum Meſsiam ſeu Chriſtum filium Dei, quem Deus per Prophetas promiſerit, ad benedicendas & ſeruandas omnes gentes, quę ipſum agnoſcant, miſſurum. Hęc eſt prȩcipua, & propria doctrina Ieſu, quam etiam non propoſuit auditoribus, nudis uerbis, ſed confirmauit ueritatē eius, magnis & multis miraculis. De hac igitur doctrina oriuntur inter Ieſum & Iudę os acerrimę contentiones. Ieſus affirmabat hanc eſſe certiſsimā ueritatem. Cōtrà, Iudęi, quia non uidebant in Ieſu mundanam maieſtatem, negabant pertinaciſsimè, ac tantum aberat, ut fidem huic doctrinę eius adhiberent, ut etiam ſtatuerent eum interficere. Quare, cum tantam impietatem & immanitatem deſignarēt, Ieſus primum negat eos eſſe ueros filios Abrahæ, idq; probat hoc argumento: Non ſunt ueri filij Abrahæ, qui non imitantur opera, ſeu fidem et pietatem Abrahæ. Vos autem nō imitamini opera Abrahę, Non eſtis igitur ueri filij Abrahæ. Sed huius argumenti partes conſiderandæ ſunt. Nam, quòd hi dicant uerius filij Abrahę, qui opera ſeu uirtutem Abrahæ ſectantur, quàm qui neglecta paterna uirtute, genus tantum externum ab ipſo ducunt, etiā ipſa humana ratione iudice conuinci poteſt. Sapientes em̄ homines ſentiunt eum eſſe uirum nobilem, nō qui natus eſt è parentibus nobilibus, ſed qui nobilibus & claris uirtutibus operā dederit. Bonus (inqt ille) uir, nobilis mihi uidetur. Quòd ſi uero quiſpiā malus fuerit, ignobilis mihi uideť. etiāſi natus fuerit patre, qui Ioue ſit melior. Sed & conſuetudo obtinuit,

Veritas.

Doctrina Ieſu propria quæ?

Euripides
ὁ μὲν γὰρ ἐσθλὸς, ἐνπε
νὴς ἔμοιγ᾽ ἀνήρ. οὐδ᾽ εὐ
γένειαν, κἂν ἀμείνο
νος πατρὸς ζυνὸς πέφύ
κῃ, δύσγε νὸς θεὶν δο
κῶ.

Nobilis ille qui virtus nobilitat.

ut filium degenerantem à bonis moribus maiorum ſuorũ, affirmemus non eſſe filium eorum parentum, quorꝝ uocatur. Scriptura etiã ipſa tribuit degenerantes & impios filios, alijs parẽtibus, ꝙ quorum carnales ſunt filij. Eſaias uocat principes Iſraelis, principes Zodomorum, & Iſraelem ipſum uocat populum Gomorrhę, cum tamen hi genus ſuum ducerent à ſanctiſsimis Patriarchis Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo. In Ezechiele dicitur ad impios ciues Hieroſolymitanos, qui erant de genere Abrahę, Radix tua & generatio tua de terra Canaã, Pater tuus Amorræus, & mater tua Cethea. Manifeſtum igitur eſt, ꝙ recte ſentiat, qui impios poſteros Abrahæ, neget eſſe ueros Abrahæ filios. Cõferamus nunc in medium opera Iudęorum, & uideamus, num conueniant cum operibus & uirtutibus Abrahæ. Si filij (inquit) Abrahę eſſetis, opera Abrahæ faceretis. Quæ ergo ſunt illa opera, quę ſunt uirtutes Abrahę? Abraham receſsit ab Idolatria, & coluit unum Deum. An non & Iudæi unum tantũ Deum coluerunt? Abraham circũciſus eſt, An non & Iudæi circumciſi fuerunt? Quid ergo deeſt Iudæis, ꝙ non faciant opera Abrahę? Vnum Deum coluit Abrahã. Recte. Sed unus Deus nõ poteſt uerè coli, niſi cognita eius clementia per ſemen mulieri in Paradiſo promiſſum. Circũciſus eſt Abraham, Et hoc recte, Sed externa illa circumciſione non abſoluitur uera pietas. Extant & multa alia opera pietatis, quæ fecit Abrahã, Sed unum tm̃ eſt opus, q̃d ut excellit omnia alia, ita unũ illud eſt, quo ſolo Abraham factus eſt Dño Deo noſtro acceptiſsimus, & Patriarcha lõge omnium illuſtriſsimus. Deus enim promiſit Abrahamo Semẽ ſeu filium, quo benedicẽdę eſſent omnes gẽtes. Hic filius eſt Ieſus Chriſtus. Quomodo erga Abraham geſsit ſeſe erga hanc promiſsionẽ, ſeu potius erga hunc filium promiſſum? Credidit (inquit ſcriptura) Abrahã Deo, & reputatũ eſt ei ad iuſticiã. Hoc illud eſt opus, hęc illa uirtus eſt, qua Abraham tantã gloriã apud Deum eſt conſecutus, Credidit. n. in Chriſtũ ſibi diuinitus promiſſum. Collocauit omnem ſalutis ſuę fiduciã in hoc ſolo Chriſto. Exultauit, quemadmodum paulopoſt ſequitur, ut uideret diem Chriſti, Vidit & gauiſus eſt. Ex hac fide ita obediuit Deo, ut ne uoluerit quidem uitæ unigeniti filij ſui Iſaaci parcere. Hac fide Deus in tm̃ eſt delectatus, ut non ſolum reputauerit Abrahamum iuſtum, ſed etiam contulerit in ipſum ęterna beneficia cœleſtis regni. Quare cum fit mentio operum ſeu uirtutum Abrahę, ſentiẽdum eſt, ꝙ ſermo fiat prȩcipuè omniũ de fide Abrahę in ſemẽ ipſi promiſſum, quod eſt Ieſus Chriſtus, propter quem etiam Abraham conſecutus eſt iuſticiam & perpetuã ſalutem. Sed conſidera mihi nũc, quę ſint opera ſeu uirtutes Iudęorꝝ. Vos quæritis inquit, me interficere, hominẽ, qui ueritatẽ uobis locutus ſum, quam audiui à Deo. Hoc Abraham non fecit. Ego perſpicuè doceo, me illum eſſe, qui promiſſus eſt Abrahę. Hæc eſt certiſsima ueritas, quã nõ cõfinxi, ſed quam Deus pater me cõcionari iuſsit, & quam confirmo tot cœleſtibus teſtimonijs ac miraculis. Videte ergo mihi, quomodo Abrahę & ueſtra opera conueniant. Ille in me credidit. Vos me reijcitis, & abominamini. Ille omnẽ ſalutis ſuę ſpẽ in me ſolo collocauit, Vos hoc ſolum agitis, ut me damnetis. Ille exultauit, ut uideret diem meũ, Vos exultatis,

Abrahæ fides.

ultatis,ut uideatis mortem meam,& me interficiatis. Ille, ut declararet fidem ſuã in me,uoluit occidere filium ſuum , Vos autẽ ut declaretis in credulitatem,&uirulẽtum ueſtrum odium in me,queritis me ipſum occidere.Quid igitur magis perſpicuum eſt, quàm quòd non ſitis ueri filij Abrahę,etiamſi externũ genus ab Abrahamo ducatis? Hęc autẽ nec ſunt dicta,nec conſcripta tãtum propter Iudęos,ſed propter uniuerſam Eccleſiam Dei. Poſtq̃ .n. Abraham uocatus eſt à Deo pater multarum gentium,& promiſſum eſt ei diuinitus,quòd Deus uelit eſſe Deus ſeminis eius,& quòd in ſemine eius benedicendę ſint omnes gentes, manifeſtum eſt,quòd nullus poſsit Deo acceptus eſſe,& conſequi ucram benedictionem ac ſalutem,niſi fuerit è gente,familia,& poſteritate Abrahæ. Vnde & in Euangelio,quod inſcribitur ſecundum Lucam,Lazarus deportatur ab angelis in ſinum Abrahæ,ut ſignificaretur, Abrahamũ eſſe patrem eorum,qui conſequuntur cœleſtẽ ſalutem.Et cum Zachæus reſipuiſſet ac Chriſtũ agnouiſſet,dicitur domus eius facta eſſe filia Abrahę.Duplex aũt eſt poſteritas aut conſanguinitas Abrahę. Alia eſt carnalis,alia ſpiritualis.Ac carnalis quidem poſteritas Abrahæ ſuam habuit ſuo tẽpore inhoc ſeculo gloriã:niſi autem acceſſerit ſpiritualis cognatio cum Abrahamo,nulla prorſus eſt gloria carnalis cognatiõis corã Deo. Nam ſpiritualis poſteritas Abrahę ea dicitur,quæ ſectatur fidem Abrahę,hoc eſt,quę credit in promiſſum ſemẽ Abrahę,uidelicet Ieſum Chriſtum Dominum noſtrũ,ſiue ducat externum genus ab Abrahamo,ſiue nõ ducat.DeHieruſalẽ enim,in qua urbe habitabat poſteritas Abrahę, dicit Eſaias:Filij tui de longe uenient,& filiæ tuæ de latere ſurgẽt. Quo dicto ſignificat Propheta,Gentes fore per Chriſtum ciues Hieroſolymitanos,hoc eſt,poſteros Abrahæ.Et Oſeas:In loco ubi dicetur eis , Non populus meus uos,dicẽt eis,Filij Dei uiuẽtis.Huc pertinet, quod & Ioannes Baptiſta ait: Ne ſitis,inquiens,hac mẽte,ut dicatis intra uoſipſos, Patrem habemus Abraham.Dico enim uobis,q̃ poſsit Deus facere,ut ex lapidibus his filij ſurgant ipſi Abrahæ.Et Chriſtus:Multi ab oriente & occidente uenient,& accumbent cum Abrahã,Iſaac & Iacob in regno cœlorũ,filij uero regni eĳcientur in tenebras exteriores.Ac Paulus:Nõ omnes,inquit,qui ſunt ex Iſrael,ſunt Iſrael, neq̃ quia ſunt ſemen Abrahæ,ſtatim omnes filij,ſed per Iſaac nominabitur tibi ſemẽ. hoc eſt, non qui filij carnis,hi filij Dei,ſed qui ſunt filij promiſsionis, recenſentur in ſemen.Et iterum:Nos fratres ſecundum Iſaac promiſsionis filij ſumus. Quare,cum nos,qui ſumus ex gẽtibus incircumciſis,credimus inIeſum Chriſtum,qui eſt uerum ſemen Abrahæ, tũc quemadmodum cõiungimur cũ Abrahamo ſpirituali cognatiõe,& efficimur ſpiritualis eius poſteritas,ita adoptamur etiã in filios Dei,& conſequimur ueram cœleſtẽ benedictionem,ac hæreditatẽ.Deinde hæc concio Chriſti de ueris & illegitimis filijs Abrahæ,reprehendit uanitatem impiorum Pontificum, qui etſi docent impiè,& uiuunt turpiter, tñ quia ſunt ordinarij ſucceſſores Apoſtolorum,gloriantur ſe eſſe ueram Dei Eccleſiam,& quęuis ſua decreta pro diuinis mandatis ſuſcipiẽda eſſe.Sed ſicut duplex eſt poſteritas Abrahę,ita etiam duplex eſt ſucceſsio Apoſtolorũ.Altera eſt exter

Abrahæ cognatio duplex. Carnalis, & ſpiritualis.

Accommodãt ea quæ de Iudæis commemorantur ad Pontificios qui gloriantur de ſucceſsione Apoſtolica.

Apostolorũ successio duplex.

na & politica, qua ab hominibus eliguntur, qui administrẽt episcopatũ Ecclesię Dei. Hęc suum habet usum, si non defuerit spiritualis successio. Altera. n. & pręcipua successio est spiritualis, quę est, cum hi qui docent Ecclesiam, adnunciant ueram & Apostolicam doctrinam, hoc est, syncerum Euangelion Domini nostri Iesu Christi. Nam qui persequuntur Apostolicam seu Euangelicam doctrinam, nõ magis sunt ueri successores Apostolorum q̃ Iudęi, qui Christum cruxifixerunt, ueri posteri Abrahę. Postremo reprehendit Christus in hac concione etiam politicos nobiles, qui cum iactant maiorum suorum gloriam, non sectantur eorũ uirtutem, qua illi tantum gloriæ sunt consecuti, Sicut enim impij Iudęi non fuerunt ueri filij Abrahæ, etiamsi genus suum ab Abrahamo ducerent, ita illi, qui numerãt auos & proauos suos clarissimos principes, Barones, ac nobiles, & interim nõ aliud agunt, q̃ dent operam helluationibus, cõpotationibus, adulterijs, tyrannidi & latrocinio, non sunt ueri filij seu posteri eorum maiorum, qui uirtutibus suis tãtam amplitudinẽ sunt consecuti. Quare filijs in hoc studium incũbendum est, ne uitijs ac sceleribus suis obscurent aut sordident maiorum suorũ gloriam, sed ut eam uirtutibus illustriorẽ reddant. Atq; hactenus quidem docuit Christus, q̃ Iudęi nõ sint ueri filij Abrahę. Itaq; ademit eis gloriã, quã habebant ex Patriarcha Abrahamo. Nũc adimit etiam eis gloriam, quam habebant ex Deo, & docet, eos non esse ueram Ecclesiam Dei. Cum enim Christus dixisset: Vos facitis opera patris uestri, etsi nondum apertè dixit de Satana, tamen Iudęi probè intelligunt, Christum significare hoc uerbo, q̃ sectentur Satanam, & sint idolatræ, seu cultores dæmoniorũ,

Vana nobilitatis iactantia.

» sicut & gentes. Dixerunt itaq; ei: Nos ex fornicatione non sumus nati.
» Vnum patrem habemus Deum. Fornicatiõ spiritualis, de qua Iudęi hic loquuntur, est idolatria. Non accipias, inquit scriptura, uxorem de filiabus eorum, filijs tuis, ne postq̃ ipsę fuerint fornicatæ, fornicari faciãt & filios tuos in deos suos. Et ad Mosen dicitur: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iste consurgens, fornicabitur post deos alienos. Vides ex his dictis, quòd scriptura uocet Idolatriam, fornicationem. Quod igitur Iudæi ad Christum dicunt, habet hanc sententiã: Cum dicis, nos facere opera patris nostri, significare uideris nos esse spurios & illegitimos filios Dei, ac sectari dęmonia, quemadmodum gentes. At ut uerũ scias, non sumus incircumcisę gentes, nec ex his nati. Hæ sunt Idolatræ, et dij earum sunt dęmonia. Sed sumus nati è sanctissimis maioribus, qui unum tantum, & uerum Deum coluerũt, quem & nos colimus. Quare nõ sumus spurij & illegitimi, sed ueri & legitimi filij Dei. Audiamus ergo, quomodo Christus refutet hanc iactantiam Iudæorum. Dixit eis Iesus: Si Deus pater uester esset, diligeretis utiq; me. Ego. n. ex Deo processi, & ueni. Neq; enim ueni à meipso, sed ille me misit. Quare loquelã
» meam non agnoscitis, quia nõ potestis audire sermonem meum. Perspicua probatio, q̃ Iudęi non sint ueri filij Dei, nec uerè unũ Deum colãt.

Exod. 34.

Idolatria, fornicatio.

Iudæos non esse filios Dei.

Si Deus pater uester esset diligeretis utiq; me. hoc est: Quicunq; non diligit me, nec loquelam aut concionẽ meam agnoscit, is nõ habet Deum patrem, nõ est legitimus filius Dei, nec uerus unius Dei cultor. Quã ob

causam

cauſam? quia non ueni in hunc mundum à meipſo, ſed Deus miſit me. Nam ab initio mundi promiſit Deus, quòd uelit mittere filium ſuum in mundum, ex muliere, qui conterat ſerpenti caput, qui conferat gẽtibus benedictionem, qui iuſtificet ac ſeruet omnes in ipſum credẽtes. Hic eſt Ieſus Chriſtus. In hoc Deus uult patefieri, in hoc uult inuocari, in hoc uult coli atq; glorificari. In hoc ſolo Deus uult homines iuſtificare & ſeruare. Hic, inquiens, eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt. Et, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuã, & poſſeſsionem tuam terminos terrę. Quare q̃ hunc filium Dei, Ieſum Chriſtũ, non agnouerit, nec ſermonem eius per fidem ſuſceperit, is ut non eſt uerus filius Dei, ita nec eſt uerus Dei cultor, nec eſt Deo acceptus. Huc mihi nunc Iudæos confer, et manifeſte uidebis, quòd non ſint ueri filij aut cultores Dei. Nam tm̃ abeſt ut diligãt Ieſum Chriſtum, ut præ impietate ſua nec poſsint nec uelint ſermonem Chriſti audire, & ueritatem loquelę eius agnoſcere, ſed potius abominentur omnes conciones eius, & in hoc ſolum ſtudium incumbãt, ut interficiant ipſum. Reliquum igitur eſt, quòd nequaquam cẽſendi ſint uerj ac legitimi cultores Dei. Quod de Iudæis dictum eſt, hoc intelligendum eſt de omnibus Turcis, & hypocritis. Hi enim non diligunt Ieſum Chriſtum, non agnoſcunt Euangelion eius, non tribuunt ei maieſtatem expiationis peccatorum, & redemptionis. Quare etſi gloriantur de uno Deo, quem ſe colere affirmant, tamen nõ ſunt legitimi filij Dei, nec ueri cultores Dei. Cuius ergo ſunt filij, cuius ſunt cultores? Sequitur: Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſiderijs patris ueſtri uultis obſequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit, quia non eſt ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur. Quia mendax eſt, & pater eius (uidelicet mendacis) Ego autẽ, quia ueritatem dico, non creditis mihi. Quis ex uobis arguet me de peccato? Porro, ſi ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Hîc nunc ſine ulla circuitione exponit Chriſtus, quem antè intellexerit patrem Iudęorum. Vos, inquiens, ex patre diabolo eſtis. Sed quomodo hoc probabit? Nihil profecto certius eſt. Quiſquis enim contempta ueritate uerbi Dei, amat mendacium, & meditat homicidium, is eſt filius diaboli. Quod ne quis temerè magis q̃ uerè dictum exiſtimet, Chriſtus ipſe perſpicua ratione cõfirmat. Diabolus enim etſi creatus eſt à Deo in ueritate, iuſticia & ſanctitate, ſicut & reliqui angeli, tamen non ſtetit, non permanſit in ueritate, ſed factus eſt, primũ quidẽ mendax, idq; non diuina creatione, qua bonus et uerax factus eſt, ſed ſua ipſius excogitatione & malicia. Cum enim loquitur mẽdacium, non eſt creatio Dei, ſed propria natura Satanę. Ex propriis (inquit) loqꝛtur, cum mendacium loquitur. Deinde factus eſt ſuo ipſius conſilio homicida. Reliquum igitur eſt, quòd Satan ſit pater mẽdacis & homicidę, & qui amat mendaciũ, ac meditatur homicidiũ, ſit filius Satanę. Quod cum ita ſe habeat, audiamus nunc de operibus Iudęorum. Quid enim faciunt? Vos uultis, inquit, deſiderijs patris ueſtri obſequi. Ego em̃ doceo ueritatem, uidelicet, me eſſe uerũ Meſsiã, à Deo promiſſum, & hoc tempore exhibitum. Vos autem, etſi nullus ueſtrum poſsit me arguere

Iudæorũ pater diabolus.

Diabolus mẽdax & homicida.

peccati,ſeu mendacij,quin potius agitedum,prodeat è uobis quiſpiam, qui me alicuius mendacij,aut etiam alterius cuiuſdã peccati conuincat? tamen tantum abeſt,ut mihi fidem habeatis,ut & impia mendacia fecte mini,& in meam necem conſpiraueritis. Hęc certe, mendacium uidelicet,et homicidium,ſunt deſideria,ſunt affectus,ſunt opera Satanę. Quare,cum uos hæc Satanæ opera faciatis,nihil manifeſtius eſt, quàm ꝙ Satan ſit pater ueſter,& uos ſitis filij Satanę. An non hęc ſatis ſunt perſpicua? Sed quod Chriſtus hoc loco de Satana ſeu diabolo cõcionatur, nõ eſt oſcitanter conſiderandum. Docet.n. unde ortum ſit malum ſeu peccatum. Etenim Dñs Deus noſter natura bonus eſt,& odio habet iniquitatem. Quare fieri non poteſt,ut malum habeat originem ſuam à Deo.

Peccatum unde ſit.

Vt non a Deo, ſed diabolo.

Vnde ergo eſt malum? unde peccatum? De hac re ita ſentiẽdum eſt. Deus creauit omnes angelos,ab initio bonos, & beatos. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat,& erant ualde bona. Inter hos autẽ, alij conſtiterunt in ſua bonitate,qui & perpetuò manent boni & beati: alij autem defecerunt ſua ipſorum uoluntate à bonitate ad maliciam,excogitauerunt mẽdacium,& homicidium,adeoque omnia genera ſcelerum. Hi uocantur nunc dęmones,diaboli & Satanę. Ille,inquit Chriſtus,homicida erat ab initio,& in ueritate non ſtetit,quia ueritas in eo non eſt. Cum loquitur mendacium,ex propriis (ſeu propria natura,non quidem ſic à Deo creata,ſed ſua uoluntate facta) loquitur,quia mendax eſt. Igitur et pater mendacis. Et alibi dicit Ioannes: Qui cõmittit peccatum,ex diabolo eſt, quoniam ab initio diabolus peccat. Teſtatur & Petrus, Angelos peccaſſe,& factos eſſe diabolos. Deus,inquiens,angelis,qui peccauerant, nõ pepercit. Sed & Iudas in ſuo epiſtolio, Angelos, inquit, qui non ſeruauerant ſuam originem,ſed reliquerant ſuum domicilium,ſeruauit ſub caligine eternis uinculis ad iudicium magni illius diei. Hic paucis uerbis triano bis de angelis Satanæ obſeruanda proponuntur. Vnum eſt,quòd hi angeli habuerint initio bonam originẽ,& ſint à Deo boni ac fœlices creati. Alterum eſt,quòd non conſeruauerint hãc bonitatem,ſed defecerint à Deo,& facti ſint non mali tantum,ſed & autores mali. Tertium, quòd electi ſint è cœleſti fœlicitate,ad perpetuum interitum. Nam de ſempiterna damnatione Satanę,concionatur etiam Chriſtus ipſe: Ite,inquiẽs, maledicti in ignem æternum,qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Et Petrus: Deus,inquit,angelis,qui peccauerant non pepercit, ſed catenis noctis in tartarũ prȩcipitatos,tradidit ſeruatos in iudicium. Quare manifeſtum eſt,quòd Dominus Deus noſter non ſit autor peccati,ſed diabolus,qui primum quidem excogitauit peccatum ſua ipſius uoluntate, propter quod etiam deiectus eſt in extremam & perpetuã infœlicitatẽ, Deinde autem inſpirauit & homini peccatum. Itaq; propter unum hominem,quemadmodum Paulus ait, peccatum introiit in mundum, ac per peccatum mors,& ſic in omnes homines mors peruaſit,quatenus omnes peccauimus. Fortaſsis autem non fuerit alienum à propoſito cõſiderare,quod genus peccati diabolus ab initio deſignauerit,propter ꝙd deiectus ſit è cœleſti beatitudine ad ſempiternum cruciatũ. Sunt,qui dicunt diabolum,arrogantia inflatum,uoluiſſe Deo eſſe ſimilẽ. Et hi citãt illud

1. Ioannes 3.

2. Pet. 2.

Satanæ angeli.

Quod non fuerit dict. factum ppter quod deiectus ſit è cœlo.

illud Esaię: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Esa. 14.
Corruisti in terrã, qui uulnerabas gẽtes, qui dicebas in corde tuo: In cœ
lum cõscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum. Sedebo in mõ
te testamẽti, in lateribus Aquilonis. Ascendã super altitudinem nubiũ,
Similis ero altissimo. Ac hi quidem, qui tribuũt Diabolo superbiã & ar- *Satanæ peccatum quod sit.*
rogantiam, nõ omnino nihil dicunt: hęc aũt Esaię uerba, nõ cõcionan-
tur, iuxta literã, de diabolo, sed de Nebucad Nezare rege Babyloniorũ.
Iudaica fabula est, ꝙ Satã proturbatus sit è cœlo, propterea ꝙ noluerit
adorare Adamum. Quid his nugis ineptius? Et tñ apparet fabulã hinc
ortam, ꝙ diabolus noluerit adorare & obedire secũdo Adamo, qui est
de cœlo, cœlestis, unigenitus filius Dei. Sed quid plura? Christus perspi
cuè docet hoc loco, ꝙ diabolus fuerit ab initio mẽdax et homicida. Inue
stigemus ergo quale illud mendaciũ & homicidium fuerit, quod diabo
lus commisit. Non est quidem obscurum, quale mendaciũ dixerit Euę,
& *quale* homicidium meditatus sit aduersus hominẽ: sed diabolus fuit
*men*dax & homicida seu occisor, priusq̃ homo creatus est. Nisi. n. antè
*pec*cassset, non fuisset è cœlo deiectus. Videamus ergo quale fuerit men- *Mendacium Satanæ.*
dacium, & genus occisionis, quo peccauit. Quid aũt multa, & curiosa in
quisitione opus est, cũ diabolus iam inde à cõditione hominis semper
manifestè prodiderit peccatum suum. In hoc. n. studiũ omni cogitatiõe
& cura sua incũbit, ut persuadeat hominibus, quo tribuãt sibi ipsis maie
statẽ diuinitatis, hoc est, ut contẽpto Christo, filio Dei, arrogent suis uir
tutibus laudẽ, gloriam, & meritum iusticiæ ac fœlicitatis. Hoc enim est
sibi maiestatem diuinitatis proturbato filio Dei tribuere. An nõ statim,
creato homine, excitauit eum mendacio, ut conaretur reponere se in lo-
cũ filij Dei? nequaquam, inquiẽs, morte moriemini. Scit. n. Deus, ꝙ in
quocunq̃ die comederitis ex hoc fructu, aperiẽtur oculi uestri, et eritis
sicut Deus, scientes bonum & malum. Habes hîc mendacium, ꝙ Diabo
lus promittit per inobedientiã præcepti Dei, maiestatem diuinitatis. Et
hoc mendacio occidit hominem. Itaq̃ habes etiam homicidiũ. Deinde *Homicidiũ Satanæ.*
uide mihi Cainum. Hunc diabolus instigauit primũ, ut sentiret seipsum
esse semen mulieri promissum, hoc est, Christum filium Dei, Dominũ
cœli & terrę. Postea, cum frater eius anteferretur ipsi diuino iudicio, sol
licitauit eum ad necandum fratrẽ, hac spe proposita, ꝙ si interficeret fra
trem, retineret maiestatem diuinitatis, et dominationis. Dominatio eñ
est maiestas diuinitatis. Habes iterum mendacium & homicidium. Sic
diabolo autore, & grassante semper mendacijs aduersus filium Dei, quẽ
semper uirulentissimo odio habuit, & contra humanam salutem, perse
cutus est Ismael Isaacum, Esau Iacobum, Pharao Israelitas, Saul Daui-
dem, hypocritæ Prophetas, Gentes Iudæos, breuiter impij pios, donec
uenit in hunc mũdum Christus ipse, aduersus quem excitauit diabolus
mendacijs suis omnia genera hominum, nec unq̃ abijciet odium suum
aduersus Christum filium Dei, & membra eius. Cum autem hoc sit præ
cipuum studium diaboli, facile intelligi potest, quale fuerit genus men-
dacij et occisionis, quo diabolus ab initio, antequã homo cõditus esset,
peccauit, & propter quod deiectus est in æternam damnationem. Nam

creatus est à Deo, dignissimus quidē & excellētissimus, sed tñ angelus, hoc est, seruus & minister Dei, non Deus ipse. Vidit autem filio Dei deberi omnem maiestatē & dominationem, uidit & se filio Dei subiectum esse. Sed excogitauit hoc mendaciū, ꝙ si non obediret filio Dei, seipsum cōsecuturum omnem maiestatē diuinitatis, et proturbato filio Dei dominaturum perpetuo. Quare fauēs mēdaci suæ spei, noluit maiestatem filij Dei obediēter adorare, sed uēdicauit sibi potius dominationem, & hoc egit, ut abiecto filio Dei, ipse omniū rerum potiretur. Habes, quod genus peccati diabolus ab initio designauerit, quo peccato, cum ipse perierit, studet etiam omnes homines perdere. Redeamus aūt ad nostrum institutum. Nam cum diabolus sit sua ipsius uoluntate mendax & homicida, non sibi tm̄ malus est, sed transfundit mendacium et homicidiū in homines, quos & ita sibi obnoxios reddit, ut toto pectore inspirationē eius amplectantur. Quare qui obediunt diabolo, & studēt mēdacijs, ac meditant homicidia, non sunt dicendi filij Dei, sed filij diaboli. Hic nūc uide mihi, quantus sit numerus filiorum diaboli inter homines. Primū enim omnes Iudęi, quales quidem hoc tempore sunt Iudęi, omnes Turcę & omnes hypocritę, sunt filij diaboli. Non .n. adhibent fidem ueritati filij Dei, sed mendacio diaboli, & sęuiunt crudeliter in eos qui ueritatē filij Dei agnoscunt. Deinde sunt et omnes homines natura sua filij diaboli. Omnis enim homo, inquit Psalmus, mendax. Mendacis aūt pater est diabolus. Quid igit faciēdum, ut liberati à diabolo, fiamus filij Dei? Hoc Ioannes breuissimis supra docuit: Quotquot, inquiens, receperūt eum, uidelicet Iesum Christū, dedit eis potestatē filios Dei fieri, his qui credidissent in nomen ipsius. Et Paulus: Vbi uenit, inquit, plenitudo tēporis, emisit Deus filium suum, factum ex muliere, factū legi obnoxiū, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorū accipe remus. Sed de his hactenus. Ad extremū huius cōcionis addit Christus aliud argumentū, quo probat Iudæos non esse filios Dei, sed diaboli. Et ,, ait. Qui ex Deo est, uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex ,, Deo non estis. Quid iterum posset magis perspicuè dici? In Deuteronomio promittitur Christus: Prophetam, inquit Moses, de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi DOMINVS Deus tuus, IPSVM AVDIES. Et mox: Ponā, inquit DOMINVS, uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia, quę pręcepero illi. Iesus autem manifestis signis & certissimis argumētis probabat se hūc esse Prophetam, & uerba sua esse uerba Dei. Dicit ergo ad Iudęos contemptores. Fieri non potest, ut qui est uerè populus ac Ecclesia Dei, contemnat uerba Dei, quæ Messias eius concionatur. Vos aūt non auditis uerba Messię, quę sunt uerè uerba Dei. Quis ergo dicere possit uos esse populū, Ecclesiam, seu filios Dei? Hìc iterum diligenter cōsiderandum est, quàm seuerum pronuncietur iudicium aduersus eos, qui cōtemnunt Euangelion Domini nostri Iesu Christi. Nō simpliciter peccare dicūtur, sed Nō esse ex Deo, hoc est, non esse populum Dei, non esse Ecclesiā Dei, nō esse filios Dei, sed potius Ecclesiam & filios Diaboli. Inter contemptores autem nō tātum hi numerandi sunt, qui persequuntur Christū & Euangelion eius,

Satanæ filiorū numerus.

Aliud argumentum, Iudæos nō esse ex Deo.

aut

aut qui manifestè sunt scelerati, sed & hi, qui cũ in contubernio Christianorum uitam agant, nulla tñ cura cognoscẽdi Euangelij afficiuntur, sed alius quidem uillam emit, ut habet parabola, alius emit iuga boũ, alius ducit uxorem. Quę quidem per se nõ sunt mala opera, his aũt operibus sic deditum ac intẽtum esse, ut nullam prorsus habeas rationem cognoscendi Christi, ac Euangelij eius, hęc demum extrema est internecio. De his ait paterfamilias: Dico uobis, ꝙ nemo uirorũ illorũ qui uocati sunt, gustabit cœnã meam. In hoc aũt loco manifeste adimitur eis gloria filiorum Dei, & pronunciantur esse filij diaboli. Metuamus igitur seueritatẽ diuini iudicij, & suscipiamus ueram curam atq; diligentiam audiẽdi Euãgelij, & cognoscẽdi Christi, ut liberemur à tyrãnide ac seruitute Satanæ, & consequamur libertatem & hereditatem filiorum Dei, per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Contemtores Euãgelij Christi sunt filij diaboli.

HOMILIA LXXI.

QVOD in superiori concione Iesus Christus de diabolo dixit: Cũ loquit̃ mendaciũ, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater mendacis, nõ solum exponit quòd diabolus sit totus è mendacio cõpositus, & quòd peccatũ ducat originẽ suã à diabolo, uerumetiã monet nos, ut caueamus, ne ulla in re mentiamur. Quare priusq; explicatione nostra percurramus ea quæ sequũtur, dicendũ est de uitando mendacio, ut proposita nobis turpitudine ac fœditate mendacij, ueritatẽ loqui discamus. Ac omnino hęc est necessaria concio, quippe quòd inter homines nullus sit mentiendi nec finis nec modus. Non dicemus autem nunc de mendaci doctrina, quã impij cõfingunt, de religione Dei, ac obtrudũt eã Ecclesię pro ueritate. Hoc mendacij genus maximè quidem est horrendum, sed est alterius loci et argumenti. Nec dicemus de eo genere mendacij, quod homines aliquoties inscientes, & nolentes proferunt, sed dicemus de uulgari illa mentiendi consuetudine, qua homines quod uerũ esse sciunt, impudenter negant, aut quod falsum & uanũ esse sciunt, prefractè affirmant. Cõperimus autem reipsa horum mendaciorum plenam esse uniuersam humanã uitã. Pueri ab ineunte ætate delectantur mendacijs, & deprehensi in furtis, aut alijs sceleribus, mentiri solent, ac factum negare. Seruis & ancillis non solum usitatum, sed etiam quotidianum est, mentiri. Solent enim apud dominos suos de uicinis, et uicissim apud uicinos de dominis mendacia confingere. Mercatores parum iuuat lucrari, nec putant se posse multum proficere, nisi admodum mentiantur, quin et nonnunq; addũt mendacio iurisiurandi religionem. Opifices existimant se nõ posse operas suas commodè extrudere, nisi ádijciant orationis uanitatẽ, & ornẽt eas nugis ac mendacijs. In publicis quoq; iudicijs frequentissima est cõsuetudo mentiendi, non inter partes tantum litigantes, sed etiã testes ipsos, adeoq;, ut Propheta ait, maledictum & mendacium inundauerunt. Quod certe hinc adeo accidere uidet̃, partim ꝙ cũ homines natura sint captiui Satanæ, qui est autor mendacij, afferant secum in hunc mũdum

Mendacium uitandum.

Mendaciorum omnia plena.

libidinẽ mentiendi: partim, ꝙ homines iudicent mentiri esse lusum puerilem. Loquunt de mendacibus ridiculè. Dicunt mendaces esse sano iecinore præditos. Et quia publica testimonia iureiurando, quod fit leuata in cœlum manu, exiguntur, dicere solent: facilius esse iuramẽta præstare, ꝙ rapas effodere, propterea ꝙ hîc cõmacules manus, illic autem seruues manus puras. Quo dicto significãt se sentire, ꝙ parum referat, etiãsi quis in dicendo testimonio mẽtiatur. Hæc est magna turpitudo & fœditas, qua tantũ peccatum, tam leue delictum iudicatur. Quare grauitas & magnitudo huius peccati diligenter cognoscenda est, ut discamus abstinere à mendacio & loqui ueritatem. Ac initio, nihil certe grauius, nihil horribilius potest aduersus mẽdaces dici, ꝙ quod Christus ait, diabolũ esse mendacẽ, & patrem mendacis. Hoc enim dicto perspicuè significat, eum qui sciens mentit, non iam esse filium Dei, sed filium diaboli. Cum enim Diabolus sit pater mendacis, profecto mendacem, filiũ esse diaboli, necesse est. Cogita nunc mihi, quis sit Diabolus, & quæ sit hæreditas illa, quam is parẽs filijs suis tradat. Nam diabolus, etsi initio creatus est à Deo honestissimus, ac omnibus uirtutibus ornatissimus, tamen factus est propter peccatum, quod à seipso excogitauit, longè omniũ turpissimus ac fœdissimus, ac tantę est abominationis, ut etiam ad ipsum diaboli nomen homines trepidare et cohorrescere soleant. Tam turpis autem & tam horribilis parentis filij sunt mẽdaces. Si quis hònesto animo præditus habeat parẽtem, uel furem, uel latronem, uel incẽdiarium, magno afficitur pudore, ac uix audet oculos suos corã honestis uiris attollere. Cum quis considerauerit, (inquit quispiam è sapientibus huius seculi) scelera patris aut matris, seruili redditur animo, etiãsi alioqui fortis fuerit. Quid ergo facerẽt, quo pudore, imo quo horrore non perfunderentur mendaces, cum cogitauerint parentem ipsorum esse diabolũ ipsum, omnium scelerum autorem & patronum? Sed cõsidera etiam mihi, quę sit hæreditas Diaboli. Nam Diabolus prȩcipitatus est è cœlo in Tartarum, ut Petrus ait, & seruatur catenis noctis, ad perpetuum ignẽ. Ite, inquit Christus, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. En, hæc est hȩreditas Diaboli, Tartarus uidelicet, & ignis infernalis. Cum igitur mendaces sint filij diaboli, manifestum est, quòd & hæreditatem patris sui adeant, nec aliud ex mendacijs suis reportent, quàm perpetuum ignem inferni. Quid autem hac hæreditate abominabilius? Quid hoc patrimonio horribilius, aut etiam calamitosius? Quẽ sana mente præditum delectaret, breuem mentiendi uoluptatẽ, aut, ut aliquoties apparet, utilitatem, tãti emere? Deinde monet & nos Decalogus de grauitate & magnitudine eius peccati, quod mentiendo designatur, cum ait: Non dicas falsum testimonium aduersus proximum tuũ. Nam quemadmodum in hoc præcepto: Nõ occidas, nõ prohibetur tantum occisio, quę fit manu aut gladio, sed etiã ea, quæ fit animo, hoc est, odium & inuidia, ita in hoc prȩcepto: Non dicas falsum testimonium, non tantum prohibetur publicum mendacium corã iudicibus, sed etiã priuatum mendacium, corã priuatis hominibus. Sic enim & lex ipsa interpretat, cum inquit: Non mentiemini, nec decipiet unusquisq; proxi-

Diabolus quis sit, & eius filij.

Eurip.

Διπλοῖ γὰρ ἔνδοξα κἀθρασύ. πλαστὸς τίς ἦν, ὅταν συνίδῃ μὴ χρὴς ἢ πατὴρ κακός.

Diaboli hæreditas.

mum

mum ſuũ. Si autem mentiri, eſt peccare aduerſus Decalogum, profecto dubium non eſt, quin debeatur ei perpetua maledictio. Dicit enim lex: Maledictus omnis, qui nõ permanet in ſermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Et in Pſalmo dicitur: Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Sed declarauit Deus irã ac ſeueritatem ſuam aduerſus mendacia, etiam ea lege, quæ extat de mẽdaci teſte: Si ſteterit, inquit, teſtis mendax contra hominẽ, & iudices diligenter perſcrutantes inuenerint falſum teſtem dixiſſe cõtra fratrẽ ſuum mendaciũ, reddent ei ſicut fratri ſuo facere cogitauit. Et additur ſeueriſsima appendix, NON MISEREBERIS eius, ſed animã pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedẽ propede exiges. In hac lege fit quidem tantum mentio publici mẽdacij corã iudicibus, & magiſtratibus, qui & publica nocẽtibus ſupplicia inferũt, coram Deo autem, qui non eſt reſpector externæ pompæ, ſed rei ipſius, tam abominabile eſt priuatum, quàm publicum mẽdacium. Abominatio Domino, inqt Salomõ, labia mẽdacia. Et in Apocalypſi dicit Theologus, Omnibus mendacibus pars erit in ſtagno ardenti, igne & ſulphure. Non eſt autem ſilentio prętereũdum horribile illud exemplũ, quod de Anania & Sapphira in Actis Apoſtolicis extat. Hi coniuges, cum uẽdidiſſent agrum ſuum, ſepoſuerunt aliquid de precio, reliquum autẽ depoſuerunt pro more ad pedes Apoſtolorum, ac mentiebantur ſe non plus precij ex agro accepiſſe, quàm offerebant. Quid ergo factum eſt? num impunè tulerunt hoc mendacium? Nemo cogebat hos cõiuges facultates ſuas in commune conferre, ac licuiſſet ipſis ſepoſitam partẽ precij ſeruare, ſi id ingenuè confeſsi fuiſſent, aut ſaltem non addidiſſent orationis uanitatem. Nunc autem, quia mentiebantur, tanta ſeueritate diuinitus puniti ſunt, ut repentina morte interirent. Non es mentitus, inquit Petrus, hominibus, ſed Deo. Quibus auditis, Ananias collapſus expirauit. Idem mox etiam uxori eius contigit. Quo exemplo perſpicuè ſignificatur, quòd qui ſcientes mentiuntur, mereantur tam repentinam q̃ perpetuam mortem. Quid ergo mendacio horribilius? Nam quod hoc tẽpore, hi qui mentiuntur, non ſubito expirent, non idcirco accidit, quòd Deus oblitus ſit ſuę ſeueritatis aduerſus mendacium, ſed quòd bonitas eius, ut Paulus ait, inuitet mendacem ad pœnitentiam. Nihil enim certius eſt, q̃ ꝙ mentiendo merearis repentinam mortem: Deus autem, qui non uult mortem peccatoris, ſed magis ut conuertatur & uiuat, differt meritum ſupplicium, ut reſipiſcas. Quare, ſi contẽpſeris diuitias bonitatis ac tolerantię Dei, & perrexeris mentiri, nihil aliud reliquum eſt, q̃ ut colligas tibi iram in die irę, quo uentura eſt indignatio, afflictio et anxietas, aduerſus omnem animam hominis perpetrãtis malũ. Sed quid? an ne magni quidẽ alicuius cõmodi gratia mentiri licet? Veteres ſapientes dixerunt: Non honeſtum quidem eſt mendacia loqui, attamẽ ſi ueritas graue malum afferat, ignoſcendum eſt, etiãſi quis inhoneſtè loquatur. Et iterum: Melius eſt eligere mendaciũ, q̃ uerum malũ. Ac rurſus: Non eſt reprehendendum, ſi quis pro uita ſua mendacium dixerit. Solent etiam mendaces ſe exemplis ſacræ ſcripturæ tueri. Iacob mentitus eſt paren-

Leuit. 19.

Seueritas Dei contra mẽdacia.

Sophocles.

Καλὸν μὲν εὖ τὰ ψευδῆ λέγειν, ὅτῳ πόλεθρον λεινὸν ἢ ἀλιθὲ ἄγει, σύγγνωστον εἰπεῖν δίκῃ· ὃ μὴ καλόν.

Κρεῖσσον ἐλέῳ ἢ ψευδῆ λόγῳ κακόν.

Οὐ νέμεσις ἐπὶ ψευδέσσι χρήσασθαι.

ti ſuo Iſaac: Ego ſum, inquiens, primogenitus tuus Eſau. Mentitæ ſunt etiam obſtetrices Aegyptię Pharaoni, cum dixerunt, Hebręas mulieres parere, priuſq; uenerint ad ipſas. Mẽtita eſt et Raab Hierichuntina, quę cum exploratores Iſraeliticos abſcondiſſet, dicebat eos exĩſſe è ciuitate. Et tamen, ut Iacob fuit ſanctiſsimus Patriarcha, ita & hę mulieres relatæ ſunt in ſanctorum catalogum. Non licebit ergo horum exemplo menti ri, preſertim ſi maxima ex eo utilitas ſecutura uideatur? Nihil certe minus. Non enim licet exempla ſanctorum, pro noſtra libidine, ſine mandato Dei ſectari. Sancti enim aliquoties habent perſonales uocationes, quas cum ipſi ſectantur, obedientia eſt & cultus Dei. Quòd ſi idem alĩ, ſine eadem, aut ſimili uocatione fecerint, temeritas eſt & impietas. Abraham piè fecit, q uoluerit mactare unigenitum filium ſuum, quia fuit ad hoc diuinitus uocatus. Moſes heroicè fecit, q interfecerit Aegyptium, qui afficiebat Iſraelitã iniuria, quia huc uocabat eũ ſpiritus ſanctus. Exiſtimabat enim, quemadmodum Stephanus ait, intelligere fratres ſuos, q Deus per manum ipſius daret illis ſalutem. Quòd ſi alĩ, ſine ſpeciali uocatione mactarent filios ſuos, et occiderẽt eos, qui uicinũ iniuria afficiant, non eſſet pietas, ſed crudelitas, & immanitas. Aliquoties etiã Sancti ipſi peccãt, ut Aherõ inſtitutione uituli aurei, Dauid adulterio, & homicidio. Hæc exempla ſi quis ſectaretur, tam peccaret aduerſus Deum, q̃ Sancti ipſi peccauerunt. Videamus ergo in quem ordinem mẽdacia Sanctorum, quę antè cõmemorauimus, referenda ſint. Non ignoro autem, q poſsint quædam excogitari, quibus defendantur, ſed quid opus eſt ea in Sanctis ſollicitè defendere, quę ſcriptura ipſa nõ defendit? Iſaac ipſe uocat factum filĩ ſui Iacob fraudẽ & dolum. Quid enim neceſſe habebant Rebecca & Iacob ſenem ſic mendaciter aggredi, & benedictionẽ doloſe præripere, cũ manifeſta extabat promiſsio Dei, qua dictum erat, q maior eſſet ſeruiturus minori, hoc eſt, Eſau Iacobo? Quare debuiſſent piũ ſenẽ huius diuinę promiſsionis admonere, cui etiãſi ſenex non uoluiſſet locum dare, Deus tamen uel in ipſa benedictionis cõmemoratione potuiſſet uerba eius ab Eſau in Iacobum trãsferre, quemadmodũ aliâs mutauit maledictionẽ, quam Bileam ſuſceperat aduerſus Iſraelitas dicendam, in uerba benedictionis. De Aegyptijs obſtetricibus ſcriptũ quidem eſt, q Deus benefecerit eis, non eſt autem ſentiendum, q Deus approbauerit mendacium ipſarũ, & benefecerit eis propter mendaciũ, cum Deus odio habeat illud, ſed q condonauerit quidem eis clemẽter peccatum mendacĩ, per fidem, benefecerit autẽ eis, propterea quòd in cõſeruandis maſculis Iſraelitarum magis timuerint Deum, q̃ mandatũ regis ſui. At uero Raab Hierichũtina tutata eſt exploratores ſuo mendacio, ſed niſi Deus clementer condonaſſet ei mẽdaciũ, cõieciſſet hoc peccato non ſeipſam tantum, ſed & exploratores in preſens exitium. Quid enim, ſi ciues Hierichũtini perſcrutati eſſent, nulla uerbis eius fide adhibita, totam domũ? Et Deus non fuit tantę induſtrię, ut potuerit exploratores ſine mendacio tueri? Quoties eripuit Dauidem è medio hoſtiũ ſuorum? An non cæcauit ciues Zodomiticos, ut nõ potuerint inuenire ianuam ędium Loth? an non cæcauit exercitum Syrię, ut Elizęum, quẽ trucidan-

Sanctorum exempla nõ temerè imitanda.

Sanctorum mendacia an ſint peccata.

trucidandum quærebant, comitẽ & monstratorem uię, nõ agnouerint? Libet hoc loco cõmemorare historiã, quam Augustinus de Firmo scribit. Quanto fortius, inquit, quanto excellentius dices: Nec prodam, nec mẽtiar. Fecit hoc Episcopus quondam Tagastensis Ecclesiæ Firmus nomine, firmior uoluntate. Nam cum ab eo quæreretur homo iussu Imperatoris per apparitores ab eo missos, quem ad se confugientem diligentia quanta poterat, occultabat, respondit quærentibus: Nec mentiri se posse, nec hominem prodere, Passusq; multa tormẽta corporis, nondũ enim erant Imperatores Christiani, permansit in sentẽtia. Deinde ad Imperatorem ductus, usq; adeo mirabilis apparuit, ut ipsi homini, quẽ seruabat, indulgentiam, sine ulla difficultate impetraret. Quid? num existimas Deum nõ potuisse multo fœliciorem euentum facere, si Raab ingenuè cõfessa fuisset, se innocentes homines nec proditura, nec ad lanienam tradituram? Sed hæc exempla tolerauit Deus in sanctis suis clemẽter, ut & ipsi his admoniti non adscriberent suæ iusticiæ beneficia Dei, quæ ipsis cõtigerunt, & nos cognosceremus, q; nõ debeamus aliena exempla sine certo uerbo ac uocatione Dei sectari. Quæ uero illa est utilitas, quam tu mihi ex mendacio prouenturam speras? An non etiam Ethnici uiderunt, utile non esse, quod non sit honestum? Nihil autem mendacio inhonestius? Nec illud obscurum est, q; nõ sint facienda mala, ut eueniãt bona. Sed quid? Si te metus damni, & cupiditas utilitatis tenet, certè prudentis est, minus damnum suscipere, ut maius uites, & minorẽ utilitatem negligere, ut maiorem consequaris. Confer igitur nunc mihi damna & utilitates, quæ tum ex mẽdacio tum ex ueritate ueniunt, ut perspicuè uideas quanta sit mendacium hominum imprudentia & insania. Mercator, exempli gratia, uir pius, habet merces quasdã, ex quibus nullum potest lucrum facere, nisi addat orationis uanitatem, & mentiatur. Quid igitur faciat? Conferat inter se damna & lucra. Si dixerit ueritatẽ, faciet quidem nonnullã terrenæ suæ hæreditatis iacturam, sed interim conseruat cœlestem hæreditatem, quam habet per fidẽ in Iesu Christo, quia obsequitur diuinæ uocationi. Si autem dixerit mẽdacium, uidetur quidem aliquod terrenarum facultatũ lucrum facere, sed interim facit iacturam perpetuę suę salutis, ac regni cœlestis. Et ut breuius dicam, Veritate manet filius ac hæres Dei, Mendacio aũt fit filius & hęres diaboli. Quod, obsecro, maius est damnum, quod maius lucrum? an non potius est, manere hęres Dei, cum iactura omnium terrenarũ facultatum, q̃ fieri hæres diaboli cum omnium terrenarum facultatum lucro? Bonũ est tibi, inquit Christus, ad uitam ingredi claudũ aut mutilum, potius q̃ duas manus uel duos pedes habentẽ mitti in ignem æternũ. Alius quispiam in persecutione Euangelij captus, interrogatur num sentiat solum Iesum Christum esse expiatorem peccatorum. Si fatetur se hoc sentire, exponit se periculo uitæ corporalis. Si aũt negat & mentitur, uidetur quidem corporalem uitam ad tempus cõseruare, sed interim amittit uitam æternam. Quę ergo maior est iactura? Ne metuatis, inquit Christus, uobis ab his, qui occidunt corpus, animã aũt nõ possunt occidere. Sed metuite magis illum, qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.

Augustinus de mendacio ad Consentium.

Vtilitatis, et iacturæ, quæ ex mẽdacio, et quæ ex ueritate collatio.

Non potest enim fieri, ut mendacium sit diu fœlix ac fortunatum. Abominatio Domino, inquit Salomon, labia mendacia. Quod autem Deus abominatur, quam, obsecro, haberet benedictionem? Adhæc, quod cõseruas mendacio, hoc cõseruas præsentia & auxilio diaboli, qui est mendax, ut suprà dictum est, & pater mẽdacis. Itaq; si quis, cum uel opes, uel uitam corporalẽ conseruat mendacio, posset spirituales oculos aperire, profecto uideret id quod sic conseruatũ esset, manibus plusq; mille diabolorum contineri. Vnus em̃ diabolus, semel susceptus, adducit secum diabolorum legionem. Quæ autẽ posset esse fœlicitas, quod incrementum eius rei, quæ tot diabolorum manibus cõtineatur, & cui tot diaboli adhæreant? Quare maximè omnium cauendũ nobis est & prouidendum, ne unq; , uel in minimis etiã rebus, mentiamur. Prouidebimus autem hoc modo, primum, ut cum simus natura mendaces, discamus Euãgelion Christi, & cognoscamus Christum per fidem. Hic enim solus est ueritas. Quare si crediderimus in Iesum Christũ, q; ipse sit seruator noster, remittit Deus peccatum nostrũ, eripit nos è potestate diaboli, reputat nos ueraces, & adoptat nos in filios suos propter Iesum Christũ. Donat etiam nos spiritu sancto, ut queamus uirtute eius reliquias mẽdacis naturæ mortificare. Deinde suscipiendum est studium & exercitium dicendæ ueritatis. Nulla ars sine aliqua exercitatione percipi potest. Non est autem excellentior ars, q; scire uera dicere. Exerceamus igitur nos in hac arte, ut officium homine dignum faciamus, et uocationi Dei obediamus. Huc autẽ conferenda sunt omnium studia, & operæ. Magistratus tam diligenter debet in mẽdaces testes inquirere, q; in fures & latrones. Auferes, inquit lex, malum de medio tui, ut audientes cæteri timorẽ habeant, & nequaq; talia facere audeãt. Similiter & patres familias animaduertant pro sua uocatione grauissimè in mendacia familiæ suæ, ne in domibus ipsorum unà cũ mendacijs Satan dominetur. Sed & priuatim unusquisq; proponat sibi ob oculos grauitatẽ huius peccati, & iram Dei aduersus mendacia. Meminerit mendacia pugnare ex diametro cũ Domino Deo nostro, cogitet mendaces esse filios & hæredes diaboli: consideret autem ex altera parte pulcritudinem ac uenustatẽ ueritatis, & magnitudinem ac multitudinem beneficiorum, quæ Deus ueritatis studio promisit, ut cõpressa & mortificata mentiendi libidine, loquatur ueritatem cum proximo suo, per Iesum Christum Dominum nostrũ, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Vera scire dicere summa ars.

HOMILIA LXXII.

GRauissimè inuectus est Iesus Christus in impios Iudæos. Dixit, ipsos non esse populum Dei, sed diaboli. Dixit eos non esse filios Dei, sed esse filios diaboli. Quod etsi ueríssimè dicebatur, tamẽ uidebatur esse maxima omnium contumelia. Iudæi onim existimabant se propter Patriarchas, quorum genus erant, & propter legem, quam Deus maioribus ipsorũ dederat, electum Dei populum esse, nec fieri posse, ut abijcerentur à Deo, & traderẽtur diabolo. Quare quod Christus dixit, iudicabatur ab ipsis, nõ tm̃ intolerabile, sed etiam diabolicũ, ideoq; Responderũt & dixerunt ei. Nonne bene dicimus

cimus nos, ꝙ Samaritanus es & dæmoniũ habes? Iesus dixit Iudæos a-
lienos esse à Deo, & filios diaboli. Iudæi igitur, ut par pari referrent, uo-
cant eum uicissim Samaritanum, hoc est, hostem Dei, (tales.n. iudicabãt
Iudęi Samaritanos) & furiosum ac dęmoniacum. Principio cõsidera mi
hi mores impiorũ. Solenne.n. est, ꝙ impij accusent piam doctrinam im
pietatis ac furiarum, & doctores eius dęmoniacę insaniæ. De Propheta 4. Reg. 9.
Elizæo dicunt socij Iehu: Quid uenit insanus iste ad te? De Ioãne Bapti-
sta dicunt Pharisęi. Dæmonium habet. Ad Paulum clamat Festus: Insa- Acto. 26.
nis Paule, multæ literę te ad insaniam conuertunt. Nec mirũ admodum
est, ꝙ pij doctores uideãtur impijs insanire, & dęmoniaci esse. Damnãt
enim pij humanam sapientiam & Iusticiam, damnãt publicam maiorũ
autoritatem, damnant inueteratam consuetudinẽ, damnant publicũ cõ
sensum orbis. Damnant aũt non omnem harum rerum usum, sed tantũ
in causa consequendæ ueræ Iusticię, & perpetuæ salutis. In hac enim cau
sa anteferũt uerbum Dei cœlestibus testimonijs cõfirmatum, omni hu- *Pietatis doctores damnantur ab impijs.*
manę autoritati, potentiæ, sapientię, multitudini & magnitudini. Qua-
re, cum impij existiment suam, hoc est, humanam autoritatem & sapien
am omnibus rebus prętferendam esse, sentiunt pios doctores, ꝙ ea dam-
nant, furere ac insanire. Hoc aũt iudicium impiorum de pia doctrina &
eius doctoribus diligenter cognoscendũ est. Multi enim aut imbecilles
in fide, aut rerũ imperiti solẽt terreri & offendi uociferationibus impio
rum, quibus damnant ueram ac piam doctrinam. Gloriantur eñ impij
de maiorũ autoritate, & iactant consensum orbis, interim citant etiã ali-
quot dicta scripturę, qbus cogunt id uideri cõtineri, quod ipsi intelligẽ-
dum pręsumpserunt, & ex his omnibus pronunciãt suã sententiam esse
diuinam, piorum aũt esse dæmoniacam. Sed nõ debemus his aduersari
orũ uociferationibus cõmoueri, ut à pia doctrina deficiamus, & impiã
amplectamur. Etsi enim nõ omnis doctrina, quæ aliquoties dicitur dæ-
moniaca, pro pia habẽda est, (damnant enim et pij doctores impiam do
ctrinam, & uocant eam dęmoniacam) tamẽ uulgare est in hoc seculo, ꝙ
pia doctrina uocetur ab impijs dæmoniaca. Non est igitur propter hu-
mana iudicia à doctrina deficiendũ, sed diligẽter cognoscendũ est, num
sit uera, certa, & uerbo Domini probata, atq; cõfirmata. Quod si cogni-
tum fuerit, tenenda erit constantissimè, etiãsi totus orbis eam omnibus
diris deuouerit. Magis eñ Deo, quàm hominibus, & plus uerbo Dei,
quàm autoritati hominum obediendũ est: Et. Sapientia huius mundi,
stultitia est apud Deum. Habes & hoc loco morẽ humani ingenij, in re-
ferenda contumelia. Iesus dixit Iudęos esse alienos à Deo & filios diabo
li. Hæc nõ est contumelia, sed uera & legitima reprehensio. Iudęi autem
uicissim uocant eum Samaritanum, & dæmoniacũ, prorsus quasi obie-
ctum crimen conuicijs dilueretur. Solẽne est hoc inter homines, ꝙ pro
pter scelera reprehensi, rependant conuicia. Nihil dicã modo de ijs cõ- *Reprehensioni legitimæ homines rependunt conuicia.*
uicijs, quibus priuati homines mutuo inter se certant. Manifestũ enim
est, quod talia cõuicia sint peccatum aduersus hanc legẽ: Diliges proxi
mum tuũ sicut teipsum. Et: Non occidas. De illis autem conuicijs loqui
mur nunc, quæ homines solent pro iusta & legitima reprehensione re-

pendere. Ecclesiastes reprehendit pro officio suo, ebriosos, aut impostores. Quid fit? Hîc tum non solum audias hos ut canes latrare, uerumetiã uideas eos in reprehẽsorem sese uertere, ac lacerare ipsum. Magistratus reprehendit erratum subditi, Paterfamilias uituperat uitia familiæ suæ. Quid ergo respondent? Pro officio repẽdunt conuicia, si nõ disertis uerbis, attamen uirulentissimis cogitationibus, quas nõ solũ uultu, sed omnibus etiam actionibus suis prodũt. Hac autem ratione, hi qui legitimè reprehẽnduntur, nõ diluunt crimen, sed augent, nec purgant scelus, sed scelus scelere cumulant. Quòd eñ iam ante malè fecerint, unũ est peccatum. Quòd autem nõ ferant iustam & legitimam reprehensionẽ, alterũ est peccatũ. Quòd addant conuicia, & meditentur ultionem, tertium est & quartum peccatum. Et quis omnia peccatorũ genera, quæ designant hi, qui iustam reprehensionem non ferunt, enumerare posset? Sed iniustè, inqs, reprehẽdor. Tuo hoc dicis iudicio, ut in nostris causis solemus propicq̃ admodũ iudices esse, & sæpe in manifesta iniusticia tribuimus nobis non mediocrem iusticiam. Ac fingamus sanè, nos nõ esse meritos reprehensionem, non tamen est conuicq̃s grassandum in proximũ, multo minus in eos, penes quos est legitima autoritas reprehẽdendi errata. Nam si homini priuatim maledicenti ignoscendũ est, quanto magis patienter ferenda est maledicentia illorũ, quibus publica data est potestas. Malefaciunt hi & habent suum iudicem, quòd sua potestate abutantur, si modo abutuntur: nostrum tamen officium est, ut malę faciendo cum ipsis nõ certemus. Sed audiamus quid Iesus Christus Iudæis respõdeat.

» Ego, inquit, dæmoniũ non habeo, sed cohonesto Patrem meum. Et uos
» ignominia affecistis me. Ego aũt nõ quæro gloriam meam. Est qui quę-
» rat & iudicet. Quod dicit hanc habet sententiam. Ego antea dixi uos esse filios diaboli: hoc aũt non est cõuicium, sed officium. Vos nũc uicissim dicitis me esse diabolicum: hoc non est officium, sed conuiciũ, atq̃ adeo manifesta est ignominia & contumelia. Ego eñ nõ habeo dæmonium, sed habeo Deũ ipsum. Quod ago & doceo, nõ est dæmoniacum, sed diuinum. Ago enim, quæ Deus Pater iussit agere, Et doceo, quæ Deus Pater præcepit docere. Quibus certè rebus non promouet regnũ diaboli, sed gloria, & regnum Dei Patris. Cum igitur obsequar mandatis Dei, ut gloria eius illustretur, fieri non potest, ut sim dæmoniacus. Sed quid hoc est, inquies? Christus affectus est cõtumelia à Iudęis, Quid ergo est, q̃ nõ præterit eam surda aure, sed resistit ei sollicitè, & minatur prętera supplicium diuinum: Est, inquiens, qui quærat gloriam meã & iudicet. Hoc quid aliud uidetur, q̃ suppliciũ Dei minari? An non Christus ipse docuit, Ne resistatis malo. Et addit, Quisquis impegerit alapã in dextrã tuam maxillam, obuerte illi & alteram? Nũc aũt Christus percussus est, quasi pugno, maledicis & cõtumelioſis uerbis, in dextrã maxillam. Cur ergo huic malo resistit, & non potius dicit: Bene, rectè feciſtis. Agite Iudæi, plus addite contumeliarum, & pro uno dęmonio, dicite me habere mille dęmonia? Ecce aũt seueram negationem: Non habeo dęmonium. Et graues minas: Est q̃ iudicet. Quomodo ergo defendemus Christũ? Nõ indiget nostra defensione, sed habet cœlestem defensorem, adeoq̃ ipse

Christus resistit cõuicijs.

ipſe ſui eſt defenſor. Peccatum. n. non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius. Nam quod docuit, Non eſſe reſiſtendũ malo, & ſi non eſt propria doctrina Chriſti ſeu Euãgelij, ſed Moſi aut legis, quemadmodum aliàs demonſtrauimus, tñ ut eſt ueriſsima, & omni homini ſeruanda propoli ta, ita Chriſtus impleuit eam perfectiſsimè. Cum eñ dicitur, non eſſe re ſiſtendum malo, intelligendum eſt, alio uidelicet malo, ut ſit ſenſus, Nõ reſiſtas malo male, ſed bene. Non rependas pro malo malum, ſed bonũ, Non ſtudeas malum uincere malo, ſed bono. Sic enim malo non eſt reſi ſtendum, ut tñ interim bene facias, & nõ deſeras tuum officium, ac uoca tionem. Nam malum patiendum eſt, bonum autem faciendum. Hęc res erit fortaſsis exemplo illuſtrior. Fingamus patrem eſſe, quem filius iam tum in teneris adhuc annis crudelitatẽ exercens, percutiat pugno in ma xillam. Extat aũt hoc dictũ, Ne reſiſtatis malo. Quid ergo faciat parens? Num dicat ad filium percuſſorẽ, Macte ingenio, mi fili, en tibi & alterã maxillam, percute hanc quoq; pro tua libidine? Sed quis talem hominẽ *nõ* pro inſano haberet? Nam quod dicit, Ne reſiſtas malo, iubet malũ *pie* ferre, nõ iubet malum impiè facere. Et ut hoc dictum uetat, ne repen das malum male & illegitimè, ita uetat, ne in tolerando malo, bonum & iuſtum tuum officium, ac legitimam tuam uocationẽ prętermittas. Offi cium aũt & uocatio parẽtis eſt, ut nõ uerbis tantũ, ſed & uerberibus pue ros ſuos caſtiget. Qui parcit uirgæ, inquit Salomon, odit filium ſuum, qui autem diligit illum, erudit inſtanter. Et iterũ: Noli ſubtrahere à pue ro diſciplinam, Si enim percuſſeris eum uirga, non morietur. Tu uirga percuties eum, & animã eius de inferno liberabis. Quare parens nõ pec cat legitima & uocationi ſuæ cõgrua caſtigatione, aduerſus legem Dei, ſed potius ſeruat eã, & iuſticiã eius ſectatur. Dicamus & de politico ma giſtratu. Latrones incurrunt in fines eius, & non pecora tantũ abigunt, uerumetiam miſeros agricolas trucidant. Extat aũt Lex, Ne reſiſtas ma lo. Quid ergo faciat magiſtratus? num ſedeat ignauus & cõniueat ad la trocinia? At hoc eſſet malum iuuare & augere. Nam cũ dicitur, non eſſe reſiſtẽdum malo, prohibetur, ne illegitime, & malè reſiſtas malo, ſed in terim mandatur, ut malo reſiſtas bene, & legitime. Bene autem & legiti me reſiſtitur, cum magiſtratus perſequitur latrones, & punit latrocinia. Hæc enim eſt uocatio, hoc eſt officium magiſtratus. Ordinatio inquit Paulus, Dei eſt. Et: Nõ fruſtra geſtat gladium. Nam Dei miniſter eſt, ul tor ad iram ei, qui, quod malum eſt, fecerit. Quare magiſtratus reſiſten do malo pro ſua uocatione, tantum abeſt, ut peccet, ut potius preſtet cul tum Deo gratiſsimum. Exigamus nũc ad hæc exemplum Chriſti. Nam Iudæi ſunt contumelioſi in Chriſtum, et inferunt ei malum. Chriſtus au tem reſiſtit huic malo. Negat enim ſe habere dæmonium, & minatur Iu dæis diuinum ſupplicium. Ergo ne dicemus Chriſtum non obſeruaſſe hanc legem, Ne reſiſtas malo? Abſit. Nõ enim reſiſtit malo malè, ſed be ne. Nõ reſiſtit malo iniuſte ſed iuſtè. Miſſus enim eſt à Deo Patre, ut do ceret ueritatem, & reprehẽderet mendaciũ. Cum igitur Iudæi calumnia rentur doctrinam eius, & arguerent eam mendacij, neceſſe habuit Chri ſtus eam pro officio & uocatione ſua defendere. Itaq; quod reſtitit, iuſti

Malo non re ſiſtendum.

Malo legiti me reſiſten dum.

Chriſtus cur miſſus.

cia est & obediẽtia,nõ temeritas aut uiolatio legis.Sed cur,inquies,uerbis tantum,non autem manifestis supplicijs ulciscitur tantam cõtumeliam? cur nõ pluit super impios homines, sulphure & igni,sicut meriti erant? Sequitur.Ego autem non quæro gloriam meam.Est qui quærat,& iudicet.hoc est,possem quidem non uerbis tantum, sed etiam seueriſsimis supplicijs hãc ignominiam,qua me affeciſtis, uindicare, & gloriam meam tueri. Ego autem non quæro gloriam meam : non sum missus in hanc terram,ut gloriam meã tuear externo gladio,aut corporali supplicio:non ueni in hunc mundum, ut hostes meos uiolenta manu inuadã, qualis est uocatio Regum huius terræ, qui gloriam suam gladio defendunt,sed ueni,ut adnunciem Euangelion meum,& doceam ueritatẽ, ac si hostes in me grassentur uel contumelioſis dictis,uel crudelibus factis, relinquam Deo Patri meo ultionem,qui suo tempore tanto grauius puniet hostes meos,quanto diutius supplicium differtur. Obseruabis igitur hoc loco,primum,quòd regnũ Christi non sit de hoc mundo. Nam si esset de hoc mundo,tunc omnes angeli & homines inuasissent hos nebulones,qui dixerunt ipsum dæmonium habere,ac defendissent gloriã eius,quoquo modo potuissent,fulminibus,grandine,igni,manibus,fustibus,sudibus,gladijs,lanceis & alabardis.Deinde non obscurè significat Christus hoc sermone,quomodo resistẽdum sit malo, & quomodo non sit ei resistendum. Dicit enim : Dæmonium non habeo. Et addit: Non quæro gloriã meam,Est qui quærat & iudicet.Hic uides, q̃ Christus resistat quidẽ calũnijs sua prædicatione,non autem resistat externo supplicio,aut uiolenta oppressione,sed relinquat Deo uindictam. Vocatio enim Christi erat,prædicare,& testari de ueritate. Vocatio autem eius non erat,externum bellum cum hostibus suscipere,& uiolenta manu in eos grassari.Quare licet malo resistere iuste,& pro officio uocationis suæ,non autem licet malo resistere iniustè, & contra uocationis suæ officium.Postremo notabis & illud,quid causæ sit,quòd cum Christus sedeat ad dextram Dei Patris sui,& sit omnipotens,contemptores & hostes eius non statim pereãt in hoc seculo,sed pergant diu fœliciter in sua impietate uiuere.Non enim hi Iudæi tantum,qui dixerunt eum dæmonium habere,affecerunt Christum insigni contumelia, sed etiam illi Iudæi,qui nunc incertis sedibus uagantur, non cessant horribiles blasphemias aduersus Christum euomere,quibus accedunt etiam Turcæ, ut nihil interim dicam de impijs & impœnitẽtibus Christianis.Hi etsi nullo non genere contumeliæ sordidant maiestatem Christi,tamen uidentur hoc impunè facere,ac insuper prosperam uitam agere. Quæ, obsecro, causa est tantæ impunitatis? Non quæro,inquit,gloriam meam.Est qui quærat & iudicet.Hoc plane illud est,quod Petrus de Christo dicit: Cũ maledictis incesseretur,nõ regessit maledicta,cum malis afficeretur,nõminabatur,sed tradidit uindictam ei,qui iudicat iuste.En habes causam impunitatis impiorum in hoc seculo. Christus eñ, etsi regnat in cœlo, tamen non quærit gloriam suam,ut eam uindicet ante tempus externis supplicijs,sed tradidit uindictã Deo Patri suo,qui statuit diem, quo iudicaturus est totum orbem terræ,& uindicaturus,ac illustraturus gloriam,

Regnum Christi.

Impunitatis scelerũ causa in hoc mũdo.

am Christi filij sui. An nõ uides solennem morem humanorum iudicio rum? Vnumquoduis regnum, imo unaquæuis regio sua habet publica iudicia, quæ & suo certo tempore exercentur. Cum ergo oriuntur controuersiæ inter ciues, primum, nec semper audiũtur partes litigãtes, nec mox punitur nocens, sed partes necesse habent expectare certum & definitum tempus, quo iudicium exerceri solet. Deinde, etiãsi accusator exposuerit causam suam iudici, tamen ad accusationem eius non statim profertur sentẽtia, sed datur etiam locus dicendi reo. Accedit huc, quòd reus ne compellitur quidem mox ad obiecta crimina respondere, sed cõceditur ei legitimus terminus deliberandi & apologiam meditandi, tantum abest, ut statim ad accusationem alterius partis puniatur. Hæc magna est æquitas, quæ nisi in humanis iudicijs obseruaretur, quis innocens posset supplicia euadere? Nemo enim tam innocens est, qui non aliquoties ab alijs accusetur. Quid ergo dicemus? Num existimabis maiorem esse æquitatem in humano, quàm in diuino iudicio? Minime omnium. Etsi enim Deus omnium rerum sciens & gnarus est, tamen quia exercet iudicium, obseruat etiam iusticiam & æquitatem iudicij. Sunt autem coram Deo partes litigantes, Pij & impij, sancti & scelerati, in hoc seculo. Impij enim & scelerati affligunt pios, opprimunt sanctos, & nullũ non crudelitatis genus exercent in eos. Pij autem & sancti, non uindicãt se temerè, sed tradunt Deo iusto iudici uindictam, & prouocant ad Dei iudicium. Testatur hoc Christus ipse cum ait: An Deus non faciet uindictam electorum suorum clamantium ad se die & nocte, etiam cum patiens fuerit super illis? Et in Apocalypsi animæ interfectorum propter uerbum Dei clamant uoce magna dicentes: Vsque quo Domine, qui es sanctus & uerax, nõ iudicas ac uindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra? Cum ergo tot & tantæ sint querelæ piorum aduersus impios coram Deo, quid faciat Deus? num statim puniat impios, nondum legitimè auditos? Nouit quidem Deus omnia, & impij meriti sunt repentina supplicia, sed Deus appellatur ut Iustus iudex. Quare erit etiã obseruanda iusticia iudicij. Hæc autem est iusticia iudicij, ut reus nõ statim ad expositionem accusatoris condemnetur, & puniatur, sed ut concedatur ei legitimum spacium meditandæ Apologiæ, & audiatur. Statuit ergo Deus generalem & publicum diem iudicij, in quo omnes impij debeant querelæ & accusationi piorum respondere, ac diuinam sententiam in ea controuersia, quam ab initio orbis terræ pij aduersus impios habuerunt, audire. Priusquam autem aduenerit hic dies, etsi nonnulli impij aliquoties mirabiliter puniuntur in hoc seculo, id quod etiã Deus suo facit consilio, uidelicet, ut omnes intelligant, Deum adhuc regnare, & seueriſsime suo tempore Iudicaturum esse, tamẽ impij magna ex parte fœliciter in sua impietate uiuere permittuntur, ut habeant tempus deliberandi de sua defensione, hoc est, recõciliandi cũ pijs & resipiscendi, ut & ipsi salutem in iudicio Dei consequantur. Quare cum uidemus contemptores Christi, Iudæos, Turcas, & alios sceleratos, qui sunt contumelioſi in Christum, uerum seruatorem, prosperũ habere successum rerum suarũ in hoc seculo, nõ est accusanda diuina cessatio, sed ag-

Aequitas iudiciorum publicorum.

Iudicium extremum.

noſcenda eſt diuina iuſtitia, qua conceſſum eſt impijs corã Deo accuſatis legitimum ſpacium, quo meditentur Apologiam, & audiantur. Sic eã leges iubent, ut & altera pars audiatur. Sed de his hactenus. Reuertemur nunc ad uerba Chriſti. Dicit eã: Amen amen dico uobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non uidebit inçternũ. Non exiſtimes Chriſtum temerè in hæc uerba prorupiſſe, ſed poſtquam Iudçi affecerunt ipſum contumelia, & dixerunt eum habere dæmoniũ, ac doctrinam eius eſſe diabolicam, cogitat ſecum quem fructũ afferat uerbũ diaboli, & opponit ei ſuum uerbum, ut per antitheſin oſtẽdat, quòd uerbũ ſuum non ſit diabolicum. Et eſt ſenſus: Quicunq; ſeruauerit ſermonem diaboli, is neceſſe habet mori. Cuius rei manifeſta exempla ſunt Adam & uxor eius. Hi enim ſeruauerunt ſermonem diaboli, dicentis: Nequaq; morte moriemini, ſed aperientur oculi ueſtri, & eritis ſicut dij ſciẽtes bonum & malum. Quare facti ſunt morti obnoxij. Qui autem ſeruauerit meum, MEVM, inquam, ſermonem, hic non uidebit mortem inæternũ. Quomodo igitur fieri poteſt, ut ſermo meus ſit diabolicus? Sed hæc ſentẽtia, quam Chriſtus hoc loco recitat, eſt una ex inſignioribus ſententijs totius ſcripturæ, & complectitur uniuerſam ſummam Euangelij de Chriſto. Non eſt igitur oſcitanter prætereunda. Ac primum conſidera mihi, QVIS ille ſit, qui hæc dicat. Non enim eſt uanus quiſpiam homo, ſed Chriſtus, filius Dei, de quo pater teſtificatus eſt, quòd poſuerit uerba ſua in ore eius. Deinde conſidera, quomodo hæc dicat, Nõ enim ſimpliciter enunciat, ſed cõfirmat iuramento: Amen amen, inquiẽs. O nos beatos, quorum gratia filius Dei iurat. O nos miſerrimos, ſi ne iuranti quidem credimus. Nunc ergo conſidera mihi, Quæ dicat: Amen amen dico uobis, ſi quis ſeruauerit ſermonẽ meũ. Nulla hîc eſt diſtinctio perſonarum: Quiſquis ſeruauerit, ſiue Iudæus ſiue Græcus, ſiue rex ſiue bubulcus, ſiue diues ſiue pauper, ſiue ſanus ſiue ægrotus, ſiue mas ſiue fœmina, ſiue dominus ſiue ſeruus, ſiue honeſtus ſiue inhoneſtus: Non eã eſt perſonarum reſpectus apud Deum, ſed ut in quauis gente, ita etiã in quauis uitæ conditione, qui ſeruauerit ſermonem Chriſti, non uidebit mortem inæternum. Quis aũt eſt ille ſermo Chriſti, & quomodo ſeruatur? Docuit Chriſtus aliquoties legem, aliquoties Euangelion. Quẽ ergo ſermonẽ, num legis, an Euangelij hîc intelligamus? Non certè loquitur hoc loco de ſermone legis, qualis extat apud Matth. cap. quinto & ſexto, qui ſermo etſi eſt uera interpretatio legis, non tamen is eſt, propter quem dicendum Chriſtus in hunc mũdum miſſus eſt. Non enim uenit ut legiſlator, aut legis doctor, quemadmodũ Moſes antea uenerat. Accedit huc, quòd ſermo legis mortificat & occidit, quemadmodũ Paulus docet. Reliquum igitur eſt, cp cum Chriſtus dicat ſermonem ſuum uiuificare, loquatur de ſermone ſuo proprio, propter quem eſt in hunc mundum miſſus. Is autem eſt ſermo Euangelij, uidelicet quòd Ieſus ſit uerus Meſsias, filius ille mulieris, de quo dictum eſt: Conteret caput ſerpẽtis: filius Abrahæ, in quo benedicẽdę ſint omnes gentes: filius Dauidis, qui in domo Iacob ſit perpetuò regnaturus: adeoque filius Dei, ad quem dictum eſt: Poſtula à me & dabo tibi gentes hçreditatẽ tuam. Et: Sede à dextris

Diaboli & Chriſti ſermones oppo nuntur.

Chriſti ſermo quis ſit.

dextris meis, donec ponam inimicos tuos scebellum pedum tuorũ. Hic est sermo ille, de quo in præsentia fit sermo, cũ dicitur: Si quis seruauerit sermonẽ meum. Sed quomodo hic sermo seruatur? Num hoc est seruare, si quis hæc uerba memoriter recitare sciat? Hoc nõ nihil quidem est. Nam & uerba sunt probè tenenda, sermo aũt Christi nondum uerè hac tm̃ scientia seruatur, sed accipiendus & tenendus est fide. Per fidem em̃ seruaẗ, uidelicet, si credideris, ꝙ Iesus sit Messias filius Dei, iustificator & redẽptor noster. Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui CREDIT, CREDIT, in quam in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. Et iterum: Hęc scripta sunt, inquit Ioannes, ut credatis, ꝙ Iesus est Christus filius Dei, et ut credentes uitam habeatis per nomen eius. Nam cũ prędicatur, Iesum esse Christum, non est lex, quæ exigat aliquid operis, sed est Euãgelion, seu bona & iucunda adnunciatio, quæ exigit, ut fide agnoscatur & recipiatur. Quare is dicitur sermonẽ Iesu Christi seruare, qui accipit Euangelion eius per fidem, & credit ꝙ Iesus sit uerus Christus ac redemptor omnium eorum, qui spem suam in ipso positam habent. Ex hoc manifestum est, ꝙ nec Iudæi, qui nunc sunt, nec Turcæ, nec hypocritę, nec scelerati & impœnitentes inter Christianos seruent sermonem Iesu Christi. Illi enim abn̄ciunt & damnant Christum. Hypocritæ nõ agnoscunt officium Christi. Scelerati autem & impœnitẽtes, etsi gloriantur aliquoties de Christo, tamen quia non agunt pœnitentiam, perspicuum est ꝙ non uerè credant in Christũ. Quare nullus horum consequitur eum fructũ, qui promissus est seruãtibus sermonem Christi. Ecquis, obsecro te, fructus ille est? Quid fiet credenti in Christum? MORTEM, inquit, nõ uidebit inæternum. Hoc est beneficium longe omnium maximũ. Non dicit: Qui seruauerit sermonem meũ, consequetur magnam uim pecunię, aut regnum aliquod terrenũ. Hæc enim, & si cõtinentur in numero donorum Dei, tamen non defendunt hominem à morte, nec afferunt ei ueram iusticiam & fœlicitatem, & si rectè iudicaueris, tanta sunt hominum uitia, ut diuitię & regnum magis reddant ipsos, etiã in hoc seculo, infœlices, q̃ fœlices. Sed dicit, Mortem nõ uidebit inęternum. Nihil hoc beneficio maius aut excellentius. Primũ em̃, si is, qui seruat sermonẽ Christi, nunq̃ moritur, manifestum est, ꝙ habeat remissionem peccatorũ, ꝙ reputetur coram Deo iustus & sanctus. Mors em̃ est stipendiũ peccati. Ablata igitur morte, peccatum etiam sublatum sit necesse est. Deinde, si is q̃ seruat sermonem Christi, nunq̃ moritur, perspicuum est, ꝙ habeat uitã perpetuò fœlicem. Ea enim uita, quæ etsi perpetua est, infœlix tamẽ est, (qualis est uita diaboli, & hominum damnatorũ) multo magis mors, q̃ uita dicenda est. Quare cum promittitur seruanti sermonem Christi, ꝙ nunq̃ sit moriturus, necesse est ut intelligatur de uita perpetuo fœlici. Quid autem potest homini maius & acceptius cõtingere, q̃ perpetua iusticia & fœlicitas? Quid enim bonorũ potest ei deesse, si hæc affuerint? Affligit te paupertas aut infamia, aut ægrotatio, quid metuis, si seruaueris sermonem Christi? Reputaris em̃ coram Deo iustus, & es Domino Deo propter Christũ acceptus. Quare fieri non potest, ut Deus te in his misern̄s perire sinat. Molestus tibi est horror mortis, quid corde tuo tre

Sermonem Christi seruare.

Diuitiæ faciunt homines infœlices.

Sermonis Christi utilitas, uita æterna.

pidas,si seruaueris sermonẽ Christi,hoc est, si agnoscis Iesum Christũ, redemptorem tuum? Mors em̃ illa corporalis, nõ est mors, sed reditus ex laborioſa & difficili peregrinatione ad patriam, & profectio ad Christum Dominum nostrum, sedentem ad dextram Dei, & conseruantem omnes pios in sempiterno gaudio. Cupio, inqt Paulus, dissolui, & esse cum Christo. Sed de hac re postea. Nunc admonendi sumus, ut hãc sententiam: Si quis seruauerit meum sermonem, non uidebit mortẽ inæternum, quàm maxima possumus cura & studio conseruemus. Video em̃ idem contingere nobis, quod quondam Israelitis in deserto, aut pueris in magna copia panis ac pomorum. Dedit Deus Israelitis Manna de cœlo, sed qa hic cibus erat sine labore parabilis, & copiosus: Anima, inquiunt, nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo. Pueri, si proposueris eis multum panis aut pomorum, sic fastidiunt in ipsis, ut sordidẽt ea, & nec ipsi fruantur, nec alijs fruenda relinquant. Ita solet etiam hoc tempore uulgo hominum accidere. Recitantur & explicantur iam multo tẽpore excellentissima quęq; dicta Euãgelij Domini nostri Iesu Christi. Sed quia magna est eorum frequentia, sic uilescunt, ut multi existimẽt se his audiendis magnã facere temporis iacturã. Quòd si uero rectè & piè perpenderemus dicta Euãgelij, certè hanc unam sententiã, quam nunc paucis tractauimus, iudicaremus omni auro & argẽto digniorem ac precio siorem, & ad hanc rectè cognoscendam, nullum laborem recusaremus, etiamsi ad extremos Indos proficiscendũ esset. Sunt, qui susceperunt peregrinationes non ad Romam tantum, ad limina, ut ipsi loquũtur, Petri & Pauli, sed etiam ad urbem Hierusalem per maria, per terras, perq; maxima rerum discrimina. Susceperunt autem eas, ut aliquam spem remissionis peccatorum, & uitæ æternæ conciperent. Sed quid factum est? Redierunt multo incertiores, q̃ antea, addo etiã, multo iniquiores, & infœliciores. Vna autem hæc sententia, si quis eam rectè cognouerit, tantum utilitatis, tantũ iusticiæ & fœlicitatis affert, quantum nulla unquam peregrinatio per se quidem dare potest, etiamsi totam terrã emetiaris. Alij tradiderunt se captiuos Monasticis, ut uocant, ordinibus, & susceperũt sua spõte uaria genera afflictionum, ut consequerentur meritis suarum actionum & passionũ spem iusticiæ & uitæ coram Deo. Sed quid? Nullus est Monachorum, qui in sexaginta aut octoginta annis consequutus sit suis operibus, quod licet pio gratis per fidem ex hac una sententia Euangelij consequi. Nam si metuis iudicium peccati, offert tibi hæc sententia iusticiam in Christo. Si metuis mortem, offert tibi uitam. Si metuis ignem inferni, offert tibi gaudium cœli, ac breuiter, siue uiuẽdum, siue moriendum est, habes in hac sententia, unde petas & in uita recreationem, & in morte conseruationem. Reponamus igitur eam, tanquam thesaurum, ut possimus ea opportuno, hoc est, nullo non tempore uti, & ad ueram fœlicitatem peruenire, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,

Amen.

Fastidium uerbi Dei.

Homilia

HOMILIA LXXIII.

INsigne & memorabile est, quod Iesus ait, Amen amen dico uobis, Si quis seruauerit sermonem meum, nõ uidebit mortem in æternum. Quo dicto non solum significauit, nihil sibi prorsus commune esse cum Diabolo, quippe quòd huius sermo afferat æternam mortem, ipsius autem sermo afferat æternam uitam, sed etiam perspicuè docuit, se esse uerum Messiam. De Messia enim scriptum est, quòd sit contriturus caput serpentis, quod est potentia Satanæ. Dominatur autem Satan per peccatum & mortem. Et Esaias de Messia ait: Iugum oneris eius, & uirgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti. Quibus uerbis significat peccatũ & mortem per Messiam superari & aboleri. In Hosea quoq; Messias ait, De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos. Ero mors tua ò mors, morsus tuus inferne. Cum ergo Iesus affirmet se seruare seruantem sermonis sui, ne unquam moriatur, manifestè tribuit sibi maiestatem ueri Messiæ. *Iesum esse Messiam.*

Quod cum ita se habeat, audiendum nunc est, quomodo Iudæi hoc dictum exceperint. Dixerunt ergo: Nunc cognouimus quòd dæmonium habes. Abraham mortuus est & Prophetæ, & tu dicis, Si quis sermonẽ meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es Patre nostro Abrahã, qui mortuus est? Et Prophetæ mortui sunt. Quem teipsum tu facis? Iudæi iterum uociferantur Iesum esse dæmoniacum & insanum, Sed eo ipso produnt suam ipsorũ insaniam & summam diuinarum rerum inscitiam. Putant enim Iesum loqui de externa & corporali morte, & haud obscurè his obiectionibus significant, se nullam prorsus habere cognitionem eorum beneficiorum, quæ Prophetæ per Messiam conferenda promiserunt. Nam magnitudo peccati ab Adamo propagati tanta est, ut nullus possit perfectam iusticiam coram Deo facere, ac necesse habeant omnes homines propter peccatũ perpetua morte interire: nec est quisquam inter posteros Adami, qui possit sua se uel iusticia, uel potentia, uel sapientia ab interitu sempiternæ mortis, & perpetuæ condemnationis uindicare. Per unius, inquit Paulus, delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Nec fieri potest, ut quispiã hoc malo liberetur, nisi per Messiam. In hunc enim usum promissus fuit Messias, totus iustus & sanctus, ut cũ nos nõ possimus propriam habere iusticiam, donemur iusticia Christi, & seruemur ab æterna morte. Iudæi autem, qui hoc loco cum Christo litigant, prorsus non intelligunt, quanta sit magnitudo humani mali, sed cogitant, quòd Adam reddiderit quidem posteros suos propter peccatum corporaliter miseros, non autem coniecerit homines in tantam miseriam, ut non possint ex seipsis iusticiam & fœlicitatem petere. Existimant unumquemque hominem uiribus suis spiritualibus ita integrum esse, ut queat perfectam iusticiam præstare, si modo libeat. Itaque putant Deũ proposuisse legem, ut qui uelit, possit eam seruare, peccata expiare, & regnum cœleste mereri. Quod autem ad Messiam attinet, sentiunt se non indigere aliquo expiatore peccatorum, donatore iusticiæ & uitæ æternæ: Se enim adiuti diuina gratia, (nam sic loquuntur *Iudæorum inscitia & insania.* *Messias, in quem usum promissus.*

honoris cauſa) poſſe hæc omnia, ſi modo uelint, ſua ipſorũ induſtria cõ ſequi. Indigere autem ope Meſsiæ, tantum propter externam liberatio- nem à Romana ſeruitute, & alĩs corporalibus afflictiõibus: adeoq; hoc planè de Meſsia ſentiunt, quod uulgo dici ſolet, Det uitam, det opes, ani mum mi ęquum ipſe parabo. Quare, cum iudicent ſe ſuis uiribus poſſe ſpiritualem mortem euadere, nõ uideant autem Abrahamum, aut Pro- phetas corporali morte liberatos, dicunt Ieſum furĩs agitari, q; antepo- nat ſe Abrahamo & Prophetis, ac polliceat̃ id prę ſtiturũ alĩs ſuo ſermo ne, quod nec ſummi Patriarchæ & Prophetæ ſibi ipſis præſtare potue- rint. Sed quid Ieſus uiciſsim dicat, operæ preciũ eſt audire. Reſpondit Ie ſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, q; glo rificat me, quem uos dicitis Deum ueſtrum eſſe, & tamen non cognoui- ſtis eum, ego autem noui eum. Et ſi dixero, q; nõ nouerim eum, ero ſimi lis ueſtri mendax, Sed noui eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pa- ter ueſter exultauit, ut uideret diem meũ. Et uidit atq; grauiſus eſt. Non negat ſe maiorem eſſe Abrahamo, ſed conſtanter id affirmat, & probat. Ac initio allegat teſtimonium Dei patris ſui, Si ego, inquiens, glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui me glorificat, hoc eſt, Si ego humano more, ex carnali arrogantia, iactarẽ me eſſe uerũ Meſsi- am, ac uerum filium Dei, profecto uaniſsima eſſet mea iactantia, nec poſ ſet hæc gloria diu conſtare. Moabitica ſuperbia eſt, plus ſibi arrogare, q; diuinitus datum ſit. Superbia eius, inquit ſcriptura, & arrog ãtia eius, & indignatio eius pluſq; fortitudo eius. Idcirco ululabit Moab, & Moab uniuerſus ululabit. Nonnulli quoq; ſedicioſi arrogauerunt ſibi maieſta tem Meſsię, & promiſerũt aſſeclis ſuis liberationem, ſed quia non erant ad hoc officium diuinitus excitati, corruerunt unà cum ſua gloriatione. Quare ſi ego ſimiliter his iactarẽ me eſſe Meſsiam, & filium Dei, in pro pinquo eſſet, ut pudefierem. Ego autẽ habeo cœleſte teſtimonium meæ gloriæ. Meus pater, q; eſt uerus Deus, dicit de me teſtimoniũ de cœlo, q; ſim uerus Meſsias & uerus filius eius. Ecquod, obſecro, hoc eſt teſtimo- niũ? Enumeremus igitur uaria genera teſtimoniorũ de Ieſu, q; ſit uerus Meſsiãs, filius Dei, ut manifeſtè uideamus, q; firma, q; conſtans ſit glo- ria eius. Principio, in Ieſum conuenit familia Meſsiæ. Dictum enim eſt à Prophetis Meſsiam naſciturum è familia Abrahę ac Dauidis. Ieſus au tem, quem Nazarenum uocarũt, natus eſt ex hac familia. Sed multi etiã alĩ fuerunt ex ea familia. Quare & alia teſtimonia cõſideranda ſunt. Nã in hunc Ieſum conuenit quoq; tempus aduentus Meſsię. Ex uaticinio e- nim Patriarchę Iacob de aduentu Silo, ſeu ſaluatoris, & ex hebdomadis Danielis perſpicuum eſt, q; ĩs temporibus, quibus Ieſus Nazarenus e- git uitã ſuam inter homines, debuerit Meſsias aduenire, & ſempiternã iuſticiam adducere. Sed nec hoc ſatis eſt, ad comprobãdam certitudinẽ gloriæ Ieſu. Pergamus igitur ad alia. Nam in hunc Ieſum cõuenit etiam locus natiuitatis Meſsiæ. Dictum eñ erat de Meſsia, q; naſciturus eſſet in Bethlehem. Ieſus autem in Bethlehem natus eſt. Sed cũ etiam alĩ nati ſint in Bethlehem, nec hoc teſtimonium tantæ rei ſufficit. Deinde con uenit in matrẽ Ieſu perſona, qualis tribuitur matri Meſsiæ ab Eſaia. Ec-

Pater filium glorificat.

Patris teſtimonia de filio, ſiue Meſsia, Ieſu conuenientia.

ce,

ce,inquit Esaias,uirgo cõcipiet & pariet filium. Natus enim est Iesus ex Maria uirgine. Hoc tale quidem est,quod nulli alteri hominum conuenit. Sed non erat publicè notum,Mariam peperisse filium in uirginitate,sine semine uiri. Audienda igitur sunt præter hæc, etiam alia testimonia. Ecce autem, cum Iesus esset fermè triginta annorũ, & baptisaretur à Ioanne Baptista,Deus palàm testimonium dicit de Iesu, misso etiamnũ spiritu sancto corporali specie quasi columba in ipsum: Hic,inquiẽs, est filius meus dilectus,in quo mihi bene cõplacitum est. Hoc certe insigne est testimonium,quod Deus ipse è cœlo dedit,& quod nulli alteri hominum unq̃ datũ est. Deinde idem testificatus est de Iesu, diuina autoritate,Ioannes Baptista, uir quo nullus eo tempore fuit sanctitate illustrior, & autoritate excellentior. His accessere miracula,quæ Iesus ipse publicè ędidit,de quibus suprà dixit: Opera quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea,ipsa inquã opera,quę ego facio,testificant de me,q̃ Pater miserit me. Sed nondum est finis testimoniorum Dei de Iesu. Resurrexit enim Iesus à mortuis,ascendit in cœlum,misit Apostolis suis spiritum sanctum,dedit Apostolis nomine suo donum ædendorum miraculorum,uulgauit per Apostolos Euangelion suum in totum orbem terræ,& tutatus est illud contra omnem potentiam mundi, ac cõgregauit Ecclesiam suam ex omnibus gentibus. Messiam autẽ hæc in terris peracturum, & hoc modo dominaturũ Prophetæ multis antè seculis uaticinati sunt. Cum igitur Deus hæc omnia,per Iesum Nazarenũ, impleuerit ac perfecerit, nihil manifestius est,q̃ hunc Iesum esse uerum Messiam, filium Dei. Habes,quomodo Deus Pater glorificauerit Iesum, de qua re dicit Iesus ipse,Est Pater meus,qui glorificat me. Nam cum hoc Iesus diceret, gloria eius partim iam illustrata erat à Deo Patre,per testimonium uocis è cœlo,per testimoniũ Ioannis Baptistæ, & per miracula: partim postea illustrabatur per resurrectionem à mortuis,per missionẽ spiritus sancti, & per diuulgationem Euangelij in totum orbem terræ: partim adhuc illustrabitur per glorioſum aduentum eius in nouissimo die. Quòd si Iesus est Messias,quemadmodũ Deus testificatus est de ipso, quid, obsecro, aliud reliquum est,q̃ Iesum maiorem esse Abrahamo & omnibus Prophetis? Sed nec illud est oscitanter prætereundũ,quòd Iesus addit: Quẽ uos,inquiens,Deum uestrum esse dicitis,et tamen nõ cognouistis eum, ego autem noui eum,&c. Hic enim iterum reprehendit Iudęos ignorantiæ Dei,ac impietatis,haud obscurè significans,q̃ nemo possit Deũ cognoscere,nisi habeat cognitionem Iesu Christi. Deus em̃ totus est in Iesu Christo,& extra Christum non est Deus. Quare,qui Christum ignorat,Deum ignorat. Qui aũt nouit & habet Christum per fidem,is nouit & habet Deum ipsum,cũ omnibus suis bonis. Deinde ostendit Iesus ex officio ac beneficio suo,q̃ nõ solũ maior sit Abrahamo,sed etiam q̃ beneficio ipsius Abrahã adhuc uiuat, perpetuoq̃ sit uicturus: Abraham, inquiens, pater uester exultauit, ut uideret diem meũ, uidit & gauisus est. Nam Abrahã non hoc sensit,quod impij & imperiti Iudæi,se suapte natura satis habere uirium ad consequendã ueram iusticiam, & hęreditatem regni cœlestis, sed intellexit magnitudinẽ peccati natura inhærẽ

Deus sine Christi cognitione non cognoscitur.

Abrahã seruatus est beneficio Christi.

tis,ac reipsa comperit,se nec posse perfectã iusticiã facere, nec iram Dei aduersus peccatum perferre,nec à perpetua damnatione seruari, nisi donetur aliena iusticia,& seruetur alieno beneficio. Quare suspirauit ad semẽ mulieris,quod initio mũdi promissum erat,& de quo priores Patriarchæ multum ac diu prædicauerant,ut cum de eo dictũ esset, ꝙ conteret caput serpentis,hoc est,potentiam Satanę,consequeretur ex eo remissionem peccati,iusticiam ac uitã. Hoc enim illud est,quod Iesus,qui est hoc mulieris semẽ,dicit: Abrahã Pater uester exultauit ut uideret diem meum. Quid autẽ factum est? Postꝙ Deus uidit Abrahamũ maximo onere peccati & damnationis grauatum,& desiderio ueræ iusticiæ ac salutis flagrantem,tanta clementia prosecutus est eum,ut non solum reuelauerit ei ueterem & generalem prædicationem de semine mulieris,uerum etiam præstiterit ei hoc beneficium,ꝙ promiserit ei,se daturum hoc semen ex ipsius familia. Dicit em̃: Per memetipsum iuraui, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Hoc autem de Messia, qui est semen mulieris,ab initio orbis promissum,dictum esse,manifestè testatur tam Prophetica ꝙ Apostolica doctrina. Itaq; cum antea ignotum esset,è cuius Patriarchę familia Deus daturus esset semen mulieris,seu Messiam, nunc planè & perspicuè dicitur, Messiam uenturum è familia Abrahæ. Quid ergo ad hæc Abraham? VIDIT (inquit) & gauisus est. Primum, non fit hic sermo de corporali uisu,sed de spirituali, quo uidelicet diuinæ promissiones uideri solent. Videntur autem ꝙ per fidem. Quare uidere hoc loco est fidem habere, seu credere ei, quod uerbo Dei promittitur. Abrahamo autem promissum fuit,quòd in semine suo,qui est Christus,benedicendæ essent omnes gentes. Cũ igitur Abraham adhiberet huic promissioni fidem,rectè dicitur uidisse diẽ Christi. Deinde, quod ait,Gauisus est,non intelligendum est de carnali gaudio, quod concipi solet è promissionibus rerum corporalium, quæ res cum sint euanidæ, fieri non potest,ut gaudium illud non intereat: sed intelligendum est de gaudio spirituali,quod uenit è promissione rerum cœlestium,quę cum sint æternæ,erit etiam hoc gaudium æternum. Nec potest hoc gaudiũ uerum ac perfectum esse, nisi habeas propicium Deum, ac perpetuã iusticiam & uitam. Quare cũ Christus dicit Abrahamum ex fide in ipsum gaudio exultasse,significat Abrahamum nõ solum iustificatum esse,sed etiam consecutum æternam uitam per ipsum,ut etiãsi uisus sit suis coętaneis mori,non tñ sit mortuus,sed uerè adhuc uiuat,& sit perpetuò uicturus. Quod de Abrahamo dictũ est,erit & de Prophetis,& omnibus pijs dicendum. Hi enim exultauerunt,ut uiderent diem Christi, quia intellexerũt magnitudinem peccati sui, & grauitatẽ damnationis,propter peccatum,nec potuerunt iuuari uel sua uel aliorum hominum iusticia & industria,ideoꝙ suspirârunt ad Christum. Non flagrarũt desiderio Christi,ut consequerentur terrenam fœlicitatẽ, quam uidebant esse caducã, sed ut consequerentur cœlestem fœlicitatem,hoc est,perpetuam iusticiam & uitam. Quid ergo factũ est? Postꝙ uiderunt diem Christi, hoc est, crediderunt in Christum,gauisi sunt,spirituali uidelicet gaudio. Nõ potuissent autem tale gaudium cõcipere, nisi cõtigissent eis spiritualia, cœ

Abrahã quo modo uiderit diem Christi.

lestia

leſtia & æterna beneficia. Ac primum quidem reputati ſunt coram Deo iuſti propter Chriſtū, quippe ꝙ donata ſit ipſis tota & perfecta iuſticia Chriſti, ut de ea tanq̄ propria in iudicio Dei gloriarentur. Deinde ſeruati ſunt in morte, ne perirent, id quod reſurrectione manifeſtiſsimè declarabitur. Hæc ſunt uerè cœleſtia & æterna bona, quæ ſi cui cōtigerint, (id quod fit per Ieſum Chriſtū ſeruatorē noſtrū) fieri nō poteſt, quin tāto gaudio perfundatur, ut ſummam & perpetuā habeat fœlicitatē. Pauca quidem uerba loquitur Chriſtus cū ait, Abrahā exultauit ut uideret diem meum, uidit & gauiſus eſt, ſed his multa & magna nos docet, è quibus unum & alterū nūc recitabimus. Docet igitur nos Chriſtus his uerbis, ꝙ Patriarcharū & noſtra religio ac fides, nō ſint inter ſe diuerſa, ſed una & eadem religio. Non. n. ſentiendū eſt, ꝙ Patres ſeruati ſint per merita operum legis naturalis, Iudæi ſeruati ſint per merita operū legis ſcriptæ: nos aūt, qui uocamur Chriſtiani, ſeruemur per opera legis Euangelicæ. Sic. n. nonnulli diſtinguūt uias ſalutis. Sed hi perſpicuè produnt ſe nullam prorſus habere cognitionem piæ doctrinæ: & hæc ſententia cōtinet multos impios errores. Horum unus eſt, ꝙ hi exiſtiment Euāgelion Chriſti eſſe doctrinam legis. Cum. n. legant in Euangelio, mulierem non eſſe aſpiciendam, ad concupiſcendā eam: Malo non eſſe reſiſtendū, ſed percutienti alteram maxillam prębendam, & multa id genus alia, putant Euangelion hac doctrina præcipuè conſtare, & uocant has leges Euangelicas. Sed maximum eſt diſcrimen inter legē & Euangelion. Nam Euangelion propriè eſt doctrina de Ieſu Chriſto, ꝙ propter hūc ſolum conſequamur iuſticiam & uitam æternam. Lex aūt eſt doctrina de faciēdo bono & iuſto, ac uitando malo & iniuſto, qualis eſt Decalogus, & ea quæ decalogum exponunt. Ac manifeſtum quidem eſt, ꝙ in ſcriptis Euangelicis & Apoſtolicis ſæpe doceatur, quid rectè fieri debeat, quid ſecus fiat: hæc autem doctrina non pertinet propriè ad Euangelion, ſed ad legem et expoſitionem eius, quemadmodū aliàs ſępe demonſtrauimus. Quare magnus & pernicioſus error eſt ex Euāgelio facere legem. Alter error eſt, ꝙ exiſtiment aliam eſſe legem naturalem, qua Patres uſi ſint, aliam, quæ poſtea ſcriptis Moſaicis mandata eſt. Etſi em̄ in inſtituenda politeia Moſaica acceſſerūt multa politica & Leuitica, qbus Patriarchæ non ſunt uſi, hęc tamen non ſunt diuerſa à lege naturali, ſed ſunt tantum determinatio legis naturalis ad certā politeiā. Nam Decalogus ipſe lex eſt naturalis. Reliquæ autem leges politicæ & Leuiticæ ducunt originē ſuam ex decalogo. Magna igitur eſt inſcitia ſentire, ꝙ Patres aliam legē habuerint, quàm quę poſtea literis mādata eſt. Errant & in hoc uehemēter, quòd putent homines conſequi iuſticiam & uitam ęternam propter merita ſuorum operum. Hæc eſt maxima impietas, quę ſummam affert perniciem. Quare ut meritò damnatur, ita etiam omni ſtudio fugienda eſt. Nam quod ad uias conſequendæ uerę ſalutis attinet, non ſunt diuerſæ, ſed una tantum eſt Patriarcharum, noſtra & omnium piorum, uidelicet Ieſus Chriſtus, & fides quæ eſt in ipſum. Sicut enim Abraham, Iſaac & Iacob, non potuerunt conſequi ueram ſalutem, & ingredi in regnum cœleſte, niſi uiderent diem Chriſti, ita nec nos poſſumus uerā conſequi

Patrū & noſtra religio eadem.

Pelagius dixit, homines uixiſſe ſanctos, primū ex natura, deinde, ſub lege, Tertio ſub gratia. Vide Augu. To. 7. de peccato originali, lib. 2.

Decalogus, lex naturalis.

ſalutem,& in regnũ cœleſte ingredi,niſi hac uia, ut uideamus diẽ Chriſti. Viderũt quidem Patriarchæ hunc diem uenturum,nos autem uidemus eum ueniſſe,ſed quod ad Chriſtũ ipſum attinet,unus eſt,et tam maioribus q̃ poſteris eorum ęqualiter propoſitus. Non enim,ut Petrus ait,aliud nomen eſt datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri,præterquàm Ieſus Chriſtus. Et iterum. Huic omnes Prophetæ teſtimonium ferunt,quòd remiſsionem peccatorũ accepturus ſit per nomẽ eius,quiſquis crediderit in eum. Ac rurſus: Quid tentatis Deum,ut imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorũ,quod nec̃ Patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros,quemadmodum & illi. Hìc apertè dicit, Patres non conſecutos eſſe ſalutem per legem,ſeu propter merita bonorũ operum,ſed tantum per gratiam Ieſu Chriſti,ſicut & nos. Quare fides in Ieſum Chriſtum,una illa uia eſt,per quam ſolam poſſunt homines ueram & æternam ſalutem conſequi. Docet etiam Chriſtus in hac de Abrahamo concione,quòd corporalis mors in his,qui uident diem Chriſti,nõ ſit mors,ſed ingreſſus in ueram uitam. Iudęi emẽ dixerunt, Abrahã mortuus eſt, Chriſtus autem uiciſsim reſpondet, Abrahã uidit diem meũ, & gauiſus eſt. Quo certè reſponſo ſignificat Abrahamũ adhuc uiuere. Gaudium enim ſpirituale & cœleſte,quale Abraham concepit, eſt perpetua uita. Vnde & Chriſtus aliàs de uita Abrahã ait, Moſes dicit DOMINVM Deum Abraham, & Deum Iſaac, & Deum Iacob. Deus autem non eſt mortuorum,ſed uiuorum. Omnes emẽ illi uiuunt. Quòd ſi hi Patriarchæ uiuũt Deo,quamuis mortui,propterea quòd Deus dicatur Deus eorum,perſpicuũ eſt,quòd etiam Prophetæ & omnes pĩj, qui in Chriſtum crediderunt,& mortui ſunt, adhuc uiuãt, propterea quòd ſicut Deus dicitur Deus Patriarcharũ, ita dicatur & Deus Prophetarũ ac omnium piorum. Quare,ſi credimus in Ieſum Chriſtum, quòd ipſe ſit iuſtificator & redemptor noſter,etſi uidemur huic mũdo mori, tamẽ nõ morimur Deo,qui & palàm per excitationem à mortuis comprobabit,nos interim uerè uixiſſe. Sed quæ Chriſtus concionatus eſt de Abrahamo,magis penè abſurda,quàm quę prius dicta ſunt,uidentur Iudęis.

» Dixerunt ergo ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abra-
» ham uidiſti. Nam à natiuitate Abrahami,uſq̃ ad natiuitatem Ieſu Chriſti,numerantur pluſquàm duo millia annorum. Vociferantur ergo Iudæi,quomodo fieri poſsit, quòd aut Abraham uiderit Ieſum, aut Ieſus uiderit Abrahamum. Ac iterum prodũt ignorantiam ſuam & cæcitatẽ in doctrina religionis. Nam his uerbis manifeſtè ſignificant, ſe non cognoſcere uel quomodo Patriarchæ conſecuti ſint ſalutem, uel quis ſit Meſsias ille,qui per Prophetas ꝓmiſſus erat. Quare ut certò cognoſca-
» tur,quis ſit Meſsias,dicit Ieſus: Amen amẽ dico uobis,antequàm Abra-
» ham naſceretur,ego ſum. Ieſus antea perſpicuè ſignificauit ſe eſſe uerum Meſsiam,nunc hac uoce manifeſtè ſignificat ſe eſſe uerum Deum. Dicit enim ſe eſſe,priuſq̃ Abraham natus ſit. Primum autem, Ieſus non erat tunc homo. Numerantur emẽ pluſq̃ duo millia annorum, ut paulò antè diximus,poſt Abrahamum,priuſquàm Ieſus homo eſt. Deinde Ieſus

non

Via ad ſalutẽ una eſt, Ieſus Chriſtus.

Abraham uidit.

Ab Abrahamo uſque ad Chriſtũ ſunt anni 2012.

non erat angelus. Nam de Messia scriptum est Psalmo nonagesimo sexto, quòd adorent ipsum omnes angeli. Sic eñ interpretatur hunc Psalmum de Messia, epistola ad Hebræos cap. primo. Angeli autem nõ adorant angelum, sed uerum Dominũ Deum nostrum. Et quanꝯ Christus aliquoties angelus uocatur, hoc tamen tribuitur ei non secundũ spiritum, sed secundum carnem, qua est missus angelus seu nuncius in hãc terram. Reliquum igitur est, quod cum Iesus dicat se esse, priusꝯ Abraham natus sit, perspicuè significet se esse uerum Dñm Deũ nostrum. Et quia unus tantum est Deus, manifestum est, quòd extra Christum, non sit alius Deus, & quòd qui non cognoscit nec habet Christum, is nec Deum cognoscat & habeat. Sunt quidem præter Christum aliæ duę personæ in diuina natura, Pater & spiritus sanctus, non est autem alius Deus præterꝯ Iesus Christus Dominus & seruator noster. Quod cum Iudæi intelligerent Iesum de se affirmare, iudicãt hãc blasphemiam, ut ipsi putabant, non amplius uerbis coarguendã, sed lapidibus uindicandam esse. Ideoq́ tollebant lapides, ut iacerent in eum. Hæc est fortuna piorum doctorum, quorum Christus princeps est. Non enim uno tãtum persecutionis genere, sed duobus affliguntur ab impijs in hoc seculo. Altero, uerbis, cõuicijs, & uirulẽtissimis maledictis: altero factis, lapidibus, gladijs, cruce, igni, & crudelissimis homicidijs, idq́ nõ eo modo, quo fures aut latrones affligi solent: Hi eñ cum prolata sententia ducũtur ad mortem, habent qui afficiuntur erga ipsos misericordia, & cõsolentur eos, illi autẽ in tanto sunt odio, ut qui ipsos trucidauerit, existimet se expiare terram ne pereat, & facere opus Deo acceptissimum, tantum abest ut impartiatur eis misericordiam. Veniet tẽpus, inquit Christus, ut quisquis interficiat uos uideatur cultum præstare Deo. Sed bene habet. Mundus cõculcat eos pedibus, & obruit ipsos lapidibus, Deus aũt exaltat ipsos in regios honores, et coronat eos cœlesti gloria. Gaudete, inquit, & exultate, quoniã merces uestra copiosa est in cœlis. Quare non est ꝓpter cru delitatem impiorum deficiendũ à pia doctrina, sed potius perdurandũ est in ea propter gloriam, quæ omnibus pijs apud DOMINVM DEVM nostrum reposita est, præsertim cum Deus pijs non largiatur tantum æterna beneficia in cœlis, uerumetiam frangat conatus impiorũ, & tueatur pios etiã in hoc seculo, id quod uides in exemplo Christi. Cum enim Iudæi sustulissent lapides, ut iacerent in eum, abscondit se Iesus, & exiuit è tẽplo. Sed potuit, inquies, Iesus sese inuisibilẽ reddere diuina potentia, mihi autem præ humana imbecillitate idem facere non licet, quo modo igitur exemplo Christi bene in periculis confidere queam? Rectè dicis, q; Christus sit uerus Deus, & potuerit sese diuina potentia inuisibilem reddere, sed tẽpore carnis suæ susceperit etiã ipse humanas imbecillitates, & exinaniuit semetipsum, forma serui assumpta. Quare q̃d hîc in Christo gestum est, non est gestum ad ostentandam eius maiestatem, sed ad cõmendandam & illustrãdam curam, quam Deus pro omnibus pijs in uocatione sua ambulantibus sustinet. Deus enim misit filium suum in hunc mundũ, nõ ut tueretur ipsum tm̃ in periculis, sed ut propter ipsum rediret in gratiam cum omnibus credentibus in eum, & tueretur

Piorum doctorum fortuna.

etiam ipsos in omnibus periculis suis, ut quod in capite Christo gestum est, hoc idem gereret in membris. Hinc extāt tot promissiones de diuina in aduersis protectione. Salus, inquit Psalmus, iustorum à Domino, & protector eorum in tēpore tribulationis. Et iterū: Inuoca me in die tribulationis, & eruā te, & honorificabis me. Ac rursus: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Extant & uaria exēpla diuinæ liberationis. Quoties Dauid mirabiliter seruatus est, cum iam manibus hostium suorum teneretur? Elizæus circundatus ab his, qui quærebant animā eius, ita seruatur, ut & hostes percutiantur cæcitate, & ipse ducat eos captiuos in Samariā. Petrus educitur è carcere ab angelo. Paulus etiam inter lapides apud Lycaones seruatus est. Itaq; etsi incerti ac diuersi sunt modi diuinæ liberationis, certissima tamen est liberatio ipsa, qua pij diuinitus seruantur. Sed hīc nobis considerandū est, q; in omnibus periculis bene quidem confidendū sit etiam de externa liberatione, non tamen existimes, q; hæc sit uera liberatio, & q; perpetuò cōsequaris in hac terra, & in hac corporali uita liberationem. Nō enim nati sumus homines, ut perpetuam uitā in hac terra, & in hoc mortali corpore agamus. Non habemus, inquit, hīc manētem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Quemadmodum enim hi, qui ad mercatum proficiscūtur, solent diuerti ad aliena hospitia, non ut ibi semper maneant, sed ut cōfectis negocijs suis, redeāt ad suam domū: ita & nos uenimus in hanc terrā tanq; in alienum hospitium, nō ut in ea semper uersemur, sed ut transigamus negocium, quod Deus iussit, & abeamus iuxta uocationē Dei ad cœlestem patriam. Maximum autē omnium negocium, quod nobis in isto seculo transigendum erit, non hoc est, ut colamus agros, ut edamus et bibamus, sed ut discamus Euāgelion, & cognoscamus Dominum nostrū Iesum Christum. Illa quidem opera, colere agros, & id genus alia facere, sunt παρέργα & accessoria, hoc aūt, uidelicet, Christum cognoscere, uerū est ἔργον & principale negocium, cuius gratia homines sumus. Quare nihil nobis prius, nihil posterius sit, q; ut hoc negocium conficere studeamus. Ac siquidem nondum aduenerit hora diuinitus cōstituta discedē di ex hoc seculo, nihil certius est, q; Deum tueri nos, & cōseruare etiā externa liberatione in maximis quibusq; periculis. Vestri, inquit, pili capitis omnes numerati sunt. Si autē aduenerit hora illa, quam Deus nouit, non seruamur quidem externa liberatione, sed si cognouimus Christū per fidem, seruamur etiam in media morte ad æternam uitam, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Liberationis diuinæ exempla.

CAPVT IX.

HOMILIA LXXIIII.

Vlta & magna sunt pericula, quæ Iesus hactenus subijt, ut mandatum Dei Patris sui cōficeret, ac nobis opem et salutem ferret. Iudæi enim non solum insidiabantur uitæ eius, & paulò antè lapidibus eum obruere conati fuerant,

rant,uerumetiam odio eius etiam alios homines ita persequebantur, ut decreuerint,se è Synagoga,hoc est,ut ipsi quidem sentiebãt,è regno cœlesti eiecturos,quisquis eum pro Messia agnosceret, ac cõfiteretur. Tot tamen ac tantis odijs & periculis Iesus non cõmouet, ut declinet a boffício,sed tanto fortius pergit Euangelion suũ adnunciare, & miraculis illustrare,quanto crudeliori furore Iudæi in ipsum grassabantur. Cuius rei perficiendæ offertur ei hoc loco opportuna admodum occasio in eo homine,qui à natiuitate cæcus fuerat. Præteriens enim Iesus,(nimirum Hierosolymis,uel in plateis,uel præ foribus templi,ubi sedere solebant mendici) uidit hominem cæcum à natiuitate,& interrogauerũt eum discipuli eius,dicentes:Rabbi,Quis peccauit,hic an parẽtes eius, ut cæcus nasceretur? Non interrogant,num hæc cæcitas sit supplicium peccati, sed quasi nihil certius esset, quàm quòd huic homini contigisset cæcitas propter peccatum,dubitant num in ipsum an in parentes referendũ sit peccatum. Itaque produnt suo exemplo iudicium humanæ sapiẽtiæ de afflictionibus. Homines enim sentiunt Deum immittere in nos afflictiones tantum propter peccata,& ubi uiderint aduersa,ibi iudicant esse merita peccatorum. Nam cum audiunt Deum esse sapientissimũ & iustissimũ, officium autem iusticiæ esse,innocentes tueri,& solos nocentes punire, existimant Deum neminem punire aut affligere, nisi propter peccata & scelera. Et quemadmodũ putant eum esse innocentẽ, quem uident multis corporalibus beneficijs fœlicẽ esse: Promptuaria eorum,inquit Psalmus, plena,eructantia ex hoc in illud. Oues eorum fœtosę abundãtes in egressibus suis,boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ neq; transitus,neq; clamor in plateis eorum. Beatũ dixerũt populum,cui hęc sunt: ita sentiunt eum esse peccatorem,ac propter peccata affligi, quem uidẽt calamitatibus affectum. Hęc est illa controuersia,quam habuit Iob cum amicis suis. Iob enim affirmat se non esse à Deo afflictum propter peccata sua. Eliphaz aũt amicus eius,Recordare,inquit, quis unq; innocẽs periit,aut quando recti deleti sunt? Quin potius uidi eos qui operãtur iniquitatem & seminant dolores,ac metunt eos,flante Deo perijsse,& spiritu irę eius esse cõsumptos. Et postea,etsi nunq; uiderat Iobem designare aliquod peccatum,sed perspicuum erat,Iobem semper honestissimã uitam duxisse,tñ quia uidet in eo prẽsentem calamitatem, accusat eum magnorum scelerum: Abstulisti, inquiens, pignus fratrum tuorũ sine causa,& nudos spoliasti uestibus. Aquam lasso non dedisti, & esurienti nõ dedisti panem. Nihil horæ criminum fecerat Iob, quemadmodũ Deus ipse dicit testimonium de innocentia eius, & extat cõfessio eius in capite trigesimoprimo, nihilominus tñ fingit de ipso hæc crimina Eliphaz, propterea q; sentiebat Deũ esse iustiorẽ, q; qui tam grauiter affligat in nocẽtem. Extat & tale iudicium insulanorum Melitensium de Paulo, ut scribit Lucas in Actis Apostolicis capite 28. Hi,n.nunq; antea uiderant Paulum,nec ullum eius peccatũ cognouerant,tñ ut uiderũt uiperã pendentẽ de manu eius,dicebant inter se: Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari ultio non sinit uiuere. Itaq; pronunciant eum nocentem,q; uideãt eum esse calamitosum,adeoq; uulgare est inter homi-

De afflictionibus iudicium humanæ sapientiæ.

Iob.22.

nes,ut cũ ponatur eis ob oculos mendicus quispiam mutilus aut putri-
dus,aut cæcus,sentiũt eum idcirco tam horribiliter à Deo puniri,ꝙ fue
rit fortasis in iuuentute sceleratus.Sed Iesus Christus reprehẽdit graui
» ter hoc temerariũ iudicium hoĩm.Et respondit discipulis suis:Neqꝫ hic
» peccauit,neqꝫ parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei in illo.Me
» oportet operari opera eius,qui misit me,donec dies est.Venit nox,quã-
» do nemo potest operari.Quandiu fuero in mundo,lux sum mundi.Pri
mũ,quod Christus dicit:Neqꝫ hic peccauit,neqꝫ parentes eius,non hoc
sentit,ꝙ cæcus & parẽtes eius nullum omnino peccatum habeant.Om-
nis enim homo mendax.Et omnes peccauerunt,ac indigent gloria Dei.
Ecce eñ in peccatis cõceptus sum,& in peccatis concepit me mater mea:
sed sentit ꝙ hęc calamitas nõ sit huic cæco immissa propter aliquod pec
catum uel suum uel parentũ suorum.Neque hic,inquiens,peccauit,ne-
que parentes eius,uidelicet, ut nascerẽtur cæcus. Peccauerũt quidem fi-
lius & parentes, filius autem non est natus cæcus propter peccatum.De
inde addit ueram causam cæcitatis:Vt manifestentur,inquit,opera Dei
in illo,hoc est,ut gloria Dei per miraculum illustretur.Sed paulò pluri-
Afflictionũ ratio quæ sit bus de ratione calamitatum & afflictionum dicendum est, ut excitemur
ad prȩstandam in his ueram obedientiam Domino Deo nostro. Homi
nes enim solent in aduersis ualde impatientes esse,& uirulenta ac contu
melioſa uerba in quosuis obuios proĵcere. Negãt Deum esse autorem
afflictionum,sed tantum Diabolum,& malos,ut aiunt,homines,ideoq;
meditantur in homines ultionem.Quærũt remedia iniusta,impia,& di
uina lege prohibita.Cum iubentur bene confidere,Deum solere sic uisi
tare suos amicos,Mallem igitur,inquiũt,Deum esse hostem, quàm ami
cum meum.Et multa id genus alia blasphema dicunt. Initio ergo cõside
randum est, quòd etsi diabolus nunquam nõ insidiatur saluti hominũ,
& hoc unum agit,ut hominibus noceat,quoquo modo possit,tamẽ De
us ita muniuit homines,prȩsertim pios angelis,imo castris angelorum,
Calamitatũ autor est Deus. ut Diabolus nulli possit aliquid mali inferre, nisi Deo uolẽte & permit-
tente. Vt enim nihil boni,ita etiam nihil aduersi potest accidere homini
absqꝫ uoluntate Dei.Solum peccatum,non fit autore Deo.Reliqua autẽ
Esa. 45. omnia siue ,pspera siue aduersa,fiunt autoritate & administratione Dei.
Ego Dñs,inquit,& non est alter,formans lucem,& creans tenebras:faci
Hier. Thre. 3 ens pacem,& creans malum,hoc est,immittens bellum.Et iterum:Quis
est iste,qui dixit,ut fieret Domino nõ iubente? Ex ore Domini nõ egre-
diẽtur nec bona,nec mala? Ac rursus:Nõne duo passerculi minuto asse
ueneunt,& unus ex illis nõ cadet in terram sine Patre uestro? Vestri ue-
ro etiam pili capitis omnes numerati sunt. Vide mihi exemplum Iobis.
Etsi enim Satan cupiebat ei magno desiderio mala inferre,tamen ne oui
bus quidẽ eius antè nocere potuit,q̃ accepit à Dño potestatem. Nec est
3. Reg. 22. dubium quin diabolus,cum sit mendax,semper hoc conetur,& medite
tur ut homines decipiat.Et tamen nõ potuit Prophetas Ahab antè deci
pere,quam permitteretur ei à Deo,quemadmodũ testatur scriptura. In
Euãgelica historia diabolus petit,ut cribret Apostolos , nequaq̃ hoc pe
titurus,si liceret ei pro sua libidine in quosuis grassari. Quare calamita-

tes

tes & afflictiones non ſunt imputandę Diabolo tanq̃ autori, ſed referen dæ ſunt in autorem Deum. Deinde cognoſcendum eſt, q̃ Deus non im mittat hominibus afflictiones, niſi optimo cõſilio. Etſi enim aliquoties affligit ſuum populum iratus, tamẽ finis iræ eius eſt clementia & miſeri cordia. Viuo ego, inquit, nolo mortem peccatoris, ſed magis ut cõuerta tur & uiuat. Percurramus igitur cauſas, propter quas Deus ſolet homi nes affligere, ut è ſingulis cognoſcamus, q̃ Deus immittendo aduerſa, nõ cogitet hominis internecionẽ ſed ſalutem. Vna eſt, q̃ Deus uult per afflictionem ducere hominem in agnitionem peccati, in carne & ſangui ne latentis. Sunt enim multi honeſti & ſancti, qui obſequuntur quidem uocationi Dei, magnitudinem autem peccati, quod adhuc carni eorum inhæret, non tam probè agnoſcunt, quàm utile ipſis foret. Immittit ergo Deus aduerſa, ut caro irriteẽ, & peccatũ eius agnoſcatur. Huius rei exẽ plum extat in Iobe. Hic erat teſte etiam Deo iuſtus, idq̃ per fidem. Cre diditem̃ Deum eſſe ipſi propicium, propter ſemẽ mulieri promiſſum, idquod ſacrificijs ſuis ſignificauit, & ex hac fide ambulauit in bonis ope ribus. Geſtabat tamen adhuc in carne ſua peccatũ, quod à parentibus cõ traxerat, ſed non agnoſcebat illud præ uitæ ſuæ honeſtate. Quare Deus permittit, ut maximis doloribus obruat̃, quo erumpente impatientia & blaſphemia, agnoſcat etiam ſuam carnem peccato obnoxiam eſſe. In car ne Petri magna erat imbecillitas & impietas, quam Petrus ne indicante quidem Chriſto ipſo agnoſcere uoluit. Quare Deus cõniuet, ut ſerui ſa cerdotum incurrant in ipſum, tanquàm ad ſupplicium rapturi, & occiſu ri, quo perſpicuè diſcat, quid hactenus in carne & ſanguine ſuo latuerit. Ducimur autem à Deo in agnitionem peccati, nõ hoc conſilio, ut in pec cato pereamus, ſed ut excitemur ad quærendã opem & remiſsionem pec cati, in Ieſu Chriſto filio Dei. Concluſit (inquit) Deus omnes ſub incre dulitatem: quid? ut omnes perirent? Minime: ſed ut omnium miſe reretur. Et iterum: Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, ut promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. Manifeſtum igitur eſt, quòd qui affligitur, ut diſcat agnoſcere peccatum ſuum in carne latens, non affliga tur ſuo malo, ut pereat, ſed ſuo bono, ut ſeruetur. Altera cauſa afflictio num eſt, ut peccatũ opere deſignatum, & actione ſua iam præteritum ag noſcatur. Sunt emm̃, qui etſi grauiſsima perpetrarũt ſcelera, tñ non agno ſcunt magnitudinem eorum, nec ducũtur pœnitentia, ſed ſecurè ambu lant ad facienda uel eadem iterum, uel etiam maiora. Quare Deus conji cit eos in calamitates, ut his excitati recenſeant ſecum Decalogũ, & excu tiant quæ præcepta uiolauerint, & quantum aduerſus Deum autorẽ ca lamitatum peccauerint. Iſraelitæ inſtituerũt idolatriam, & coluerũt Baa lim atq̃ Aſtaroth, poſtquàm uenerunt in terram Canaan. Etſi autem ad monebantur de his peccatis concionibus Prophetarũ, tamen nõ agno ſcebant grauitatem huius peccati, ut reſipiſcerent. Traditi igitur ſunt in manus hoſtium ſuorũ, quẽadmodum totus liber Iudicũ teſtatur, ut ex citati calamitatibus cognoſcerent quid aduerſus Deum peccaſſent. Ma naſſes rex Iuda, nõ ſolum ipſe horribiliter aduerſus Deum peccauit, ſed etiam ſeduxit Iudam & habitatores Hieruſalẽ. Et cum reprehenderetur

Calamitatũ cauſæ.

Iobis iuſticia

4. Reg. 21.

à Prophetis, tãtum abfuit, ut reſipiſceret, ut etiam Prophetas ipſos truci daret. Sanguinem innoxium, inquit ſcriptura, fudit Manaſſes multũ nimis, donec impleretur Hieruſalem uſq; ad os. Quid ergo factũ eſt? Deus tradidit Manaſſen hoſtibus ſuis, qui uinctum catenis et compedibus duxerunt in Babylonem. Tradidit aũt eum hoſtibus hoc cõſilio, ut uinculis admonitus, cõmemoraret ſecum Decalogum, & cõſideraret quantum aduerſus legem Dei peccaſſet. Eodem conſilio Dei fit, q; hi qui publica ſcelera deſignant, capiantur & afficiantur legitimo ſupplicio à magiſtratibus. Nõ em̃ agnoſcunt magnitudinem ſcelerum ſuorum, ideoq; traduntur diuinitus ſupplicio, ut reuocentur ad conſiderationem peccatorum ſuorum, & agnoſcant grauitatem eorum. Ducuntur aut̃ & hi ad agnitionem peccatorum, nõ ut pereant, ſed ut ſeruentur, uidelicet, ut excitentur ad inquirendũ Chriſtum, & in Chriſto ſalutem conſequantur. Tertia cauſa afflictionũ eſt, ne in poſterũ peccetur. Tanta. n. eſt imbecillitas hominum, ut ſi cõtingat eis tranquilla & fœlix uita in hoc ſeculo, nõ cõtineant ſe, quin peccent. Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit factorẽ ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo. Si contigerint diuitiæ, hoĩes abuntur eis ad luxum, & oppreſsionem pauperũ. Si ſanitas corporis, ſi magiſtratus cõtigerit, ſumũt occaſionem graſſandi in quoſuis. Quare ſolet Deus calamitates cõgerere in homines, & eos conĩcere uel in paupertatem, uel in egrotationem, uel in abiectũ genus uitæ, ut libido ueteris Adæ cõpeſcatur, & ſpiritui ſubĩciatur. Quid aũt melius, quid utilius, q; peccata cauere? Cũ igitur Deus immittit nobis calamitates, ut peccata uitemus, manifeſtum eſt, q; his calamitatibus cõſulat noſtræ ſaluti. Quarta cauſa afflictionum eſt, ut alter alterius ſupplicio admonitus, à peccãdo deterreat̃. Ad gentes dicit Dñs in Hieremia: Ecce in ciuitate in qua inuocatũ eſt nomẽ meum, ego incipio affligere, & uos quaſi innocentes & immunes eritis? Sic proponit Chriſtus etiã ſuam calamitatẽ meditandam: Si hoc, inquiens, faciunt in uiridi, in arido quid fiet? Dauidi remiſſum erat pct̃m̃, & erat ipſe iuſtificatus per fidem, nihilominus tñ cõĩcitur in afflictiões, ut ſit exemplũ, quo alĩ à peccãdo deterreantur. Veruntñ, inquit, quoniam blaſphemare feciſti inimicos nomen Dñi, propter uerbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur. Deterrere aũt exemplo ſuo alios à peccãdo, cultus Dei eſt, & officiũ Deo gratum. Quare Deus nõ abĩcit à ſe hoĩes afflictionibus, ſed potius uocat eos ad ſuum cultũ, ut ſint miniſtri quibus inuitet alios homines ad pietatẽ. Quinta cauſa eſt, ut Deus excitet homines ad orationem, et conferat ipſis maiora beneficia, q̃ antea dederat. Homines enim fiunt in rerum fœlicitate ignaui & torpidi ad inuocandum nomẽ Dñi, & ad petenda beneficia eius. Omnino aũt uult Deus ut inuocetur, & paratior eſt ad benefaciẽdum nobis, q̃ nos ad petenda eius beneficia. Quare permittit, ut obruamur aduerſis, quo expergiſcamur & capeſſamus inuocationẽ, qua excitatus largiatur nobis maxima quæq; bñficia. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & eruã te, & honorificabis me. Inuocare aũt Deũ, magna eſt pietas, & accipere bñficia Dei, magna eſt utilitas. Deus igitur affligendo nos aduerſis, nõ uult interitũ, ſed ſalutem noſtram.

Deut. 32.

ſtram. Poſtremo accedit huc & illa cauſa, quã Chriſtus hoc loco recitat: Vt manifeſtentur, inquit, opera Dei in illo. Etſi enim Deus, ſi iuxta peccata hominũ iudicare uellet, poſſet optimo iure quemuis conijcere non ſolum in cæcitatem, ſed etiam in perpetuum ignẽ inferni: Si iniquitates obſeruaueris Domine, Dñe quis ſuſtinebit? tñ in inferendis calamitatibus nõ ſemper reſpicit peccata, ſed nõnunq̃ cogitat per calamitates gloriam nominis ſui illuſtrare. Hoc Dei conſilio hic homo, de quo nobis nũc ſermo eſt, natus eſt cæcus, uidelicet, ut reſtitueretur ei uiſus per Chriſtum, & gloria Chriſti filij Dei illuſtraretur. Eodem conſilio Ioſeph cõiectus eſt in carcerem, non q̃ Deus reſpiceret peccata eius, ſed ut nomẽ Dei per Ioſephum in tota Aegypto clarum fieret. Non diſsimili cõſilio paſſus eſt Deus, ut Dauid eijceretur in exiliũ à Saule, quo admirabili reſtitutione eius in regnum, agnoſceretur magna Dei induſtria & clementia, qua ſolet ex abiectiſsimis facere illuſtriſsimos. Idem ſentiendũ eſt de Apoſtolorum & aliorum pijorum afflictionibus, ad quas Deus idcirco conniuit, ut admirabili ipſorum conſeruatione perſpicuum fieret, Deũ eſſe adiutorẽ in neceſsitatibus, & liberare ſperãtes in ipſum. Quare corrigendum eſt humanum iudiciũ de afflictionibus, nec continuo condẽnandus eſt peccati is, qui affligit, ſed cũ uidemus homines peccare, ſentiendum quidem eſt, q̃ Deus odio habeat peccatũ, & ſit peccatum puniturus: cũ aũt uidemus eos homines, quos ſcimus eſſe honeſtos & pios, affligi, cogitandum eſt, Deum multas habere cauſas inferendæ calamitatis, ideoq̃ nõ eſt temerè de honeſtorũ hominum afflictionibus pronunciandum. *Quid in afflictionibus cogitandum.*

Deinde, cum Deus affligat homines non ut pereant, ſed ut ſeruentur, quemadmodũ ſuprà demonſtrauimus, non ſimus aduerſus Deum & homines uirulenti, ſed ſufferamus afflictiones æquo animo, non quæramus impia remedia, ſed utentes licitis remedijs cõfugiamus pijs precibus ad autorem afflictionũ, & maneamus in uocatione Dei, ut clementia eius liberemur. Quæ cũ ita ſe habeant, pergamus ad perſtringẽda ea, quæ ſequunt. Me, inquit, oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt. Venit nox, quãdo nemo poteſt operari. His uerbis cõcionatur Chriſtus de officio legatiõis ſuæ, & interim ſignificat ſe moriturũ. Dies em̃ eſt tempus illud, quo Ieſus prædicauit Euangelion ſuũ in terra. Nox aũt dicitur, tẽpus illud, quo captus eſt à Iudæis, & crucifixus ac mortuus. Hæc eſt, inquit, hora ueſtra, & poteſtas tenebrarum. Quod ergo Chriſtus dicit hanc habet ſentẽtiam. Deus Pater miſit me in hanc terrã, ut edam miracula, donec iuxta meam functionem adnũcio inter uos Euangelion meum. Non exiſtimetis aũt, me perpetuò prædicaturũ in hac terra Euangelion, & ęditurum miracula. Veniet enim tempus, quo cõprehendar & occidar, quod erit tẽpus noctis, quo nec prædicabitur Euãgelion, (uos enim fugietis & derelinquetis me ſolum) nec edentur miracula. Hæc concionatur Chriſtus diſcipulis ſuo quodam conſilio, primũ, ut cũ uenerit nox, hoc eſt, cum Chriſtus non amplius ędiderit miracula, ſed crucifixus & mortuus fuerit, nõ offendantur. Dixi, inquit, uobis, priuſq̃ fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Et mox: Hæc locutus ſum uobis, ut ne quid offendamini. Deinde ut diſcant, quòd regnum ſuũ nõ ſit *Dies & nox Chriſti.*

mundanum. Existimauerunt enim, quòd Christus aliquandiu sit editurus miracula, & postea collecta populi multitudine, susceпturus externum imperiũ huius mundi. Hanc opinionem refutat, cũ ait: Venit nox, quando nemo potest operari, hoc est, ueniet crux & mors, quo tempore non edam miracula. Sed quid? num Christus post mortem suã non est lux? imo uero maxima & clarissima omnium lux est. Etsi eñ breui tempore non luxit, sed uisus est ęternis tenebris immersus, tamen per has tenebras euasit in splendidissimã lucem. Minuisti, inquit, eum paulò minus ab angelis, gloria & honore coronasti eum, & cõstituisti eum super opera manuum tuarum. Et iterum: Factus est obediens usq; ad mortẽ, mortem autem crucis. Quapropter & Deus extulit eum in summã sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomẽ. Quare cũ Christus factus sit per tenebras mortis lux clarissima, sectemur hanc lucem, ut & nos euadamus tenebras mortis ad cœlestem splendorem. Sed
»» uidendum nunc erit, quomodo cæcus receperit uisum. Hoc cũ dixisset
»» Iesus, inquit Euangelista, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & illeuit lutum super oculos cæci, & dixit ei, Vade, laua in piscina Siloe, quod
»» si interpreteris, sonat, Missus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens. Omnino admirabile est, nõ tam q̃ cęco restituitur uisus, q̃ quo modo restituitur. Vide enim mihi quibus cærimonijs, & quo malagmate utatur Christus ad restituendũ cæco uisum. Expuit in terram, facit massam luti: Hac illinit oculos cæci. Mittit deinde cæcum ad piscinam Siloe, cuius etiã fit mentio apud Esaiã cap. octauo, & apud Lucam cap. decimotertio. Interpretatur autem Euangelista nomen Siloe, quasi diceret, Rectè conuenit, q̃ cæcus ad hanc piscinam MISSVS sit. Si enim hoc nomen Siloe exponas, significat MISSVM. Mittit autẽ Christus cæcum ad hanc piscinã, ut abluat iterũ massam luti, et sic recipiat uisum. Quid ad hæc dicemus? An Christus non potuit uno uerbo restituere uisum cæco, quemadmodum aliàs fecit? Certè potuit, sed libuit ei nunc his cærimonijs uti, idque suo quodam consilio. Primum enim, quemadmodũ Propheta Elizæus non cõtinuo sanauit Naemanum Syrum à lepra, sed misit eum ad Iordanem, ut septies in eo lauaretur. Et Christus ipse aliàs nõ mũdauit statim leprosos, sed misit eos ad sacerdotes, hoc nimirum agens, ut & fides eorum exerceretur, & miraculũ hac occasiõe magis illustraretur: ita & hoc loco nõ reddit cæco uisum uno momento, sed illinit oculos eius luto, & mittit eum ad piscinam, ut lutum abluat, idq; fecit hoc cõsilio, partim ut obedientia cæci probaretur, partim ut miraculum fieret illustrius. Erat eñ sabbatum, quo Pharisæi existimabant nihil tale facere licere, quemadmodum postea sequitur. Quare, cũ homines cognoscebãt ista in sabbato facta esse, diligentius perscrutabãtur de miraculo, & fiebat miraculum tam uulgatius, q̃ nobilius. Nos autem admonemur exemplo cæci,

Vocationi diuinæ obediendum.

ut diuinæ uocationi semper obediamus. Nã uerisimile est, q̃ quę Christus expuendo & faciendo luto, ac illinendis oculis, & prȩcipiendo lauationem in Siloe, fecerit, uisa sint initio, etiam ipsi cęco, ridicula, inepta, & aliena à recuperãdo uisu: Sed quia uocationi & mãdato Christi obedijt, consecutus est, quod optauit: ita etsi Deus nos uocat ad ea facienda aut perferenda,

perferenda,quæ uidentur nobis à uotis & optatis noſtris alieniſsima & abſurdiſsima,tamen obediendũ eſt diuinæ uocationi,cuius certiſsimus finis eſt liberatio & ſalus, etiamſi ea quæ intercedunt,haudquaquàm cõgruere uideant. Deinde uoluit Chriſtus his cęrimoniis ſignificare,quãta eſſet autoritas,& efficacia Sacramentorũ ſuorũ. In regno Pontificio uſitatũ fuit,oculos infantis ad baptiſmũ allati, luto per ſputũ ſubacto illinere. Chriſtus aũt nõ uoluit hoc ſuo exẽplo prȩcipere Eccleſiȩ, ut talẽ cęrimoniam in baptiſmo uſurparet,ſed tantũ uoluit docere,ſacramẽta,quæ ipſe inſtituit,& quibus Eccleſiã uti iuſsit,nõ eſſe uana,nec inania. Quid eñ ineptius & incongruentius uidetur ad reſtituendũ uiſum cæco, quã lutũ ex ſputo facere,& ſuper oculos cæci illinere? Et tamẽ hoc lutũ manibus Chriſti acceptum,& ad reſtituendũ uiſum ordinatũ, neceſſe habet cæci oculos illuſtrare. Nã cũ Chriſtus ſit omnipotens omnipotẽtis Dei filius,fieri nõ poteſt,ut quod in manus ſumit,& ad certũ opus peragendum uerbo ſuo ordinat,non ſit efficax. Accepit quinq; panes & duos piſces in manus, & uoluit ut paſcerent ex eis quinq; millia hominũ. Itaq; hi panes & piſces neceſſe habuerũt perficere id,ad quod ordinati erant. Sic & in baptiſmo accipit in manum aquam,(iubet enim ſuo nomine baptiſare,quod certè eſt aquam in manum ſuã accipere) & uult, ut abluat peccata eius,qui baptiſat. Quicunq;,inquit,crediderit & baptiſatus fuerit,ſaluus erit. Et Paulus ait: Chriſtus expoſuit ſemetipſum pro Eccleſia, ut illam ſanctificaret mundatã lauacro aquę per uerbũ. Quare quicunq; accipit aquam baptiſmi per fidem in Chriſtum,conſequitur remiſsionẽ omnium peccatorum. Sic & in cœna Dominica Chriſtus ipſe accipit in manus ſuas panem & uinum,& addit uerbum ſuum,quo ſanctificat panem & uinum in corpus & ſanguinem ſuum,ut afferant piè ſumentibus remiſsionem peccatorum,& uitam æternam. Fieri autem non poteſt,ut manus & uerbum Chriſti ſint inefficacia. Quare qui ex fide in Chriſtũ accipit panem & uinum cœnæ Dominicæ, accipit etiam corpus & ſanguinem Chriſti,& in his remiſsionem peccatorum, ac æternam uitam. Poſtremo,quia hoc miraculum teſtatur Ieſum eſſe à Deo miſſum,(Niſi enim hic eſſet à Deo,ut poſtea ſequitur, nõ potuiſſet facere quicquam) confirmat ueritatem totius Euangelij eius, uidelicet, quòd ipſe ſolus ſit uerus Chriſtus,filius Dei,redemptor & ſeruator noſter. Reponamus igitur hoc miraculum alta mente,ut cognita certitudine & ueritate Euangelij,obediamus Chriſto per fidẽ,& conſequamur in ipſo uerã ſalutem, qui eſt unà cũ Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula,Amen.

Sacramentorũ efficacia.

Baptiſmus.

Cœna Dominica.

HOMILIA LXXV.

MAgna & incredibilis res eſt,oculos eius hominis, qui à natiuitate uſq; ad iuuentutem cæcus fuit,aperire. Nam priuſquã Ieſus Chriſtus uenit in hunc mundum, neminem unquàm hoc,poſt hominum memoriam, feciſſe compertum eſt. Ac in morbis quidem oculorum ſua ſunt remedia, in agnata autem cæcitate,nullus unq; remedium inuenire potuit. Quare poſtquam Euãgeliſta cõmemorauit inſolitũ miraculum,prudenter facit, quòd attexat narra-

tionem de cõtrouersia,quę propter hoc miraculum inter Iudęos coorta
» est,ut hac occasione miraculi certitudo probaretur. Vicini,inquiẽs,& qui
» uiderant eũ prius,quod mẽdicus esset,dicebãt: Nõne hic est,q̃ sedebat
» et mẽdicabat? Alĳ dicebãt:Hic est. Alĳ rursus:Similis est ei.Ille dicebat:
» Ego sum.Dicebãt ergo ei:Quõ aperti sunt tibi oculi?Respõdit ille,& di
» xit:Ille homo,q̃ dicit Iesus,lutũ fecit,& inunxit oculos meos,& dixit mi
» hi:Vade ad piscinã Siloe,& laua:Vt aũt abĳ & laui,uisum recepi.Dixe
» runt ergo ei:Vbi est ille? Ait:Nescio,Adducũt ad Pharisęos eũ,q̃ dudũ
» cæcus fuerat.Erat aũt Sabbatum,cũ lutum faceret Iesus,& aperiret ocu
» los eius.Iterũ ergo interrogabant eum Pharisæi,quomodo uisum rece
» pisset.Ille autem dixit eis:Lutum mihi imposuit super oculos,& laui,&
» uideo. Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à Deo,
» quia Sabbatum nõ obseruat. Alĳ autem dicebant:Quomodo potest ho
» mo peccator hæc signa edere? Et dissensio erat inter eos. Dicũt cæco ite
» rum:Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos? Ille autẽ dixit:
» Propheta est.Non crediderunt ergo Iudęi de illo,quòd cæcus fuisset,&
» uisum recepisset,donec uocauerũt parentes eius,qui uisum receperat,et
» interrogauerunt eos,dicentes:Hic est filius uester, quẽ uos dicitis cæcũ
» natum esse? Quomodo ergo nunc uidet? Respõderunt eis parẽtes eius,
» & dixerũt:Scimus,quod hic est filius noster, & q̃ cæcus natus est, quo
» modo aũt nũc uideat,nescimus:aut quis eius aperuerit oculos,nos nesci
» mus,ipse ætatem habet,ipsum interrogate,ipse de se loquetur. Hęc dixe
» runt parentes eius,quòd timerent Iudæos. Iam enim conspirauerant Iu
» dæi,ut si quis eum confiteretur esse Christũ,è Synagoga eiiceretur,Pro
» pterea parentes eius dixerunt:Aetatem habet,ipsum interrogate.Hactenus Euangelista. Videȝ autem ex hac narratione,duplicem controuersi am inter Iudæos ortam. Alteram de miraculo,num uerè sit æditum. Alteram de autore miraculi,num is sit ex Deo,hoc est,num habeat diuinã uocationem, & fungatur diuino opere. Necessarium autem est, ut ueram habeamus cognitionem de miraculis Christi. Nam Christus sæpe ac multum citat testimonium suorum miraculorum. Opera, inquiens, quæ ego facio, testantur de me, quòd Pater miserit me. Et, Si mihi non uultis credere,operibus credite. Huc accedit, quòd etiam Ethnici quædam miracula de dĳs suis commemorent,quæ tamen aut sunt conficta, aut magicis artibus edita. Cognoscenda igit̃ est ueritas ac certitudo miraculorũ Christi,ne inter impostura & præstigias numerentur. Porro cum hoc miraculum,quod Euangelista de cæco nato narrauit,sit unum è præcipuis,non sine diuino consilio factum est, quòd de ueritate eius seuerissime & exactissime tam priuatim quàm publicè sit inquisitum. Quare audienda sunt testimonia. Ac primi omniũ testes sunt discipuli, qui non interrogassent Christum de peccato cæci,aut parentũ eius,nisi probè cognouissent, hunc hominem fuisse à natiuitate cæcũ. Et ĳdem, qui sciebant ipsum cæcum fuisse,reipsa cognouerũt eũ recepisse uisum, per Iesum Christum. Alĳ testes sunt uicini, qui etsi attoniti improuiso miraculo,initio dubitant de mendico,tamẽ re certius explorata, uident & cognoscunt hunc hominem,qui nunc uidet,eum ipsum esse,qui à natiuitate

Miraculorũ Christi certitudo.

tiuitate cæcus fuerat. Deinde cęcus ipse testis est, qui toties cõmemorat, quid de ipso gestum sit. Sed hæc tractata fuerunt priuatis tm̃ colloquijs, & cæcus uisus est id nullo suo periculo affirmare. Quare, ut miraculum illustrius fiat, & certius probaretur, tractatur etiã hoc negociũ publicè corã magistratu. Adducitur ergo is, qui cęcus fuerat, ad Phariſęos. Nã penes hos erat summus inter ludęos magistratus, prętertim in ijs rebus, quę ad religionẽ pertinebãt. Quid igit̃ factum est? Res geritur magna diligentia & seueritate. Phariſęi em̃, coacto cõcilio, primum, hominem ipsum, qui cęcus fuerat, audiũt, & inuestigãt ac explorãt omnia. Homo autem, etsi minis terrebatur, & uidebat magnũ sibi periculũ impendere, si ueritatem rei, quam intelligebat Phariſęis displicere, fateretur, tamẽ cõstãter affirmat, quę gesta sunt, & perseuerat firmiter in cõfessione. Deinde, cum Phariſęi nõ crederent hunc fuisse cęcũ, uocãt parentes eius, qui etsi erant meticulosi, tamẽ ingenuè fatentur hunc filium suũ fuisse à nati uitate cęcum. Itaq; probatum est tam priuatim q̃; publicè, quòd huic cęco restitutus sit uisus per Iesum mirabiliter. Reliquũ aũt nũc est, quòd cum hoc miraculum sit & uerũ & certũ, doctrina etiam huius Iesu, qua se Messiam seu Christũ affirmauit, uera, ac certa sit, nec alius seruator sit agnoscẽdus pręter hunc Iesum Christũ. Multa alia signa, inquit Ioãnes, fecit Iesus in cõspectu discipulorum suorũ, quę nõ sunt scripta in hoc libro. Hęc aũt scripta sunt, ut credatis q̃ Iesus est Christus, ille filius Dei, & ut credẽtes uitã habeatis per nomen eius. Sed audiamus et alteram cõtrouersiam de autore miraculi. Nã hoc miraculum editũ erat in die Sabbati, quo Phariſęi iudicabãt nõ esse licitũ, massam ex luto facere, oculos inungere, & lauare. Dãnant igitur autorẽ miraculi: Hic homo, inquiũt, nõ est ex Deo, quia nõ obseruat Sabbatũ. Itaq; oritur cõtrouersia, num homo peccator possit miracula edere. Primũ igitur, Christus non uiolauit hoc opere Sabbatũ, iuxta sententiã diuinę legis, sed tãtũ iuxta opinionem Phariſęorũ, & traditiones eorꝝ, quemadmodũ aliàs demonstrauimus. Deinde usitata est quęstio de autoribus miraculorũ, num peccatores possint edere miracula. In Exodo em̃ extant miracula Aegyptiacorꝝ Magorꝝ. Et Moses testat̃ Pseudoprophetas posse signa & prodigia prædicere. Dicit & Christus ipse: Surgẽt Pseudochristi & Pseudoprophetę, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorẽ inducãtur, si fieri possit, etiam electi. Quid igitur dicemus? Si impij & mẽdaces possunt edere miracula, quomodo ueritas doctrinę Christi ex miraculis eius probabitur? Considerandũ ergo est, q̃ cũ hoc loco dicit: Quomodo potest homo peccator hęc signa edere? noĩe peccatoris non intelligat̃ quiuis peccator, generaliter, sed tantũ Pseudopropheta aut mendax doctor. Non enim dubiũ est, quin etiã hi homines qui fuerũt alioqui peccatores, sed pia docuerunt, ediderint uera ac diuina miracula. si. n. carnem & sanguinem cõsideraueris, peccator fuit Moses, peccatores fuerunt Elias & Elizæus, pctõres fuerunt Apostoli, & tm̃ ediderunt diuina uirtute magna & illustria miracula. Qui aũt talis est peccator, ut non solum impiè agat, sed etiã impia et mẽdacia doceat, fieri nõ potest, ut is uera ac diuina miracula edat. Nã uera & certa miracula nõ possunt edi, nisi diuino fauore et

Miracula edere nũ possint peccatores.

potentia. Deus autem, ut odio habet mendacium & impietatem, ita nõ confirmat mendaciũ ſuo fauore: & ut poſtea ſequitur, Deus nõ exaudit peccatores, nõ approbat miraculis ſuis impiam doctrinam Pſeudoprophetarũ. Permittit quidem Deus, & cõniuet aliquoties, ut Pſeudoprophetę uideãtur miracula edere, quemadmodũ uides in magis Aegyptiacis, et alijs impijs doctoribus, quorũ ſupra mentionẽ fecimus, ea autẽ miracula nõ ſunt uera, ſed pręſtigię & illuſiones oculorũ. Et quę pręter dęmonũ impoſturas narrant ab Ethnicis, ea partim ſunt cõficta, partim ui naturæ facta, herba uidelicet adhibita, aut lapide. Deus autẽ cõniuet ad ficticia miracula impiorum ſuo quodam cõſilio, uidelicet, ut piorum fides probetur, & incredulorũ ac impœnitentiũ impietas puniatur. Non audies, inquit, uerba Prophetæ illius aut ſomniatoris, quia tentat uos Deus ueſter, ut palã fiat, utrum diligatis eum an non in toto corde & tota anima ueſtra. Et Paulus: Aduentus, inquit, iniqui illius eſt ſecundum operationem Satanæ cũ omni potẽtia & ſignis ac prodigijs MENDACIBVS, & cum omni deceptione iniuſticię in ijs qui pereunt, pro eo q̃ amabilem ueritatem non receperunt in hoc, ut ſalui fierẽt. Et propterea mittit illis Deus efficaciam illuſionis, ut credant mendacio, ut iudicẽtur omnes, qui non credunt ueritati, ſed approbauerunt iniuſticiã. Quę cũ ita ſe habeãt, manifeſtũ eſt, quòd qui ſunt tales peccatores ut impia doceant, nõ poſsint uera ac certa miracula edere, ſed ſi permittitur eis diuinitus, edunt tantũ eiuſcemodi miracula, quę non ſunt niſi præſtigiæ, & oculorũ illuſiones. Sed pręterhoc, aliud magnũ eſt diſcrimẽ inter diuina & dęmoniaca, inter uera & falſa miracula. Nã Satan conatur fallacibus ſuis miraculis uetus uerbũ Dei iam antè diuinitus cõfirmatũ abolere, & impietatem mendaciter confictam ſtabilire. Vetus uerbum Dei eſt: Nõ inueniatur in te qui obſeruet ſomnia atq̃ auguria, ſed Prophetam, quẽ Dominus Deus tuus de tua gẽte ſuſcitabit, audies. In Ethniciſmo aũt cõficta fuit impietas augurãdi. Negabãt enim augures quicq̃ poſſe mutari, aut nouũ cõſtitui, niſi aues addixiſſent. Quam ſententiã, cum quidã irrideret, cõmemorant hoc miraculũ accidiſſe. Agedum, inquit ille, diuina inaugurato, fieri ne poſsit, q̃ nunc ego mente concipio? Cũ augurem augurio expertus futurã dixiſſet. Atqui hoc agitaui animo, inqt, te nouacula cotem diſciſſurum. Cape hęc & perage, q̃d aues tuæ fieri poſſe portendunt. Tum augurem haud cunctanter diſcidiſſe cotem ferunt. Primũ, incertũ eſt hoc ita cõtigiſſe. Nam qui hęc ſcribũt, nõ ipſi fuerunt ſpectatores, ſed tm̃ famę, quæ eſt ſermo ſine ullo certo autore diſperſus, recitatores. Deinde, etiãſi tale quid cõtigiſſet, tamẽ nõ fuit niſi aut illuſio oculorum, aut arte quadã confectũ. Adamãtis duritia alioqui indomita eſt, et tamẽ fertur hircino ſanguine rumpi. Quid ſi etiã augur tali quodã ingenio cotem diſciderit? Poſtremo hoc figmentũ abolet uetus uerbũ Dei prius cõfirmatũ de fugiẽdis augurijs, et ſtabilire conat impietatem. Vetus uerbum Dei eſt: Non quæras à mortuis ueritatẽ. Et, Solus Chriſtus eſt expiatio peccatorum noſtrorum. In regno autem Põtificio, cõfictus fuit ignis, ut uocãt, purgatorius, in quo animę poſt mortẽ expient peccata ſua. Et quo hæc ſententia confirmetur, narrari ſolent quędam miracula

Miracula ficticia impiorum.

Tarquinius Priſcus. Actius Neuius augur.

miracula. Spiritus .n. audiebant noctu uagari & tumultuari. Deinde, ad iurati, respõdebant, se maximos sustinere cruciatus in igne purgatorio, posse autẽ recitatis triginta Missis liberari. Quid ergo ad hæc dicemus? Primum, sæpe ac multum deprehensum est, quòd tales nocturni tumultus nõ à spiritibus, sed ab hominibus impostoribus excitati fuerint. Deinde, fieri non potest ut animę hominum mortuorum in his terris uagẽtur, sed si quid tale apparet, illusio dęmonis est, nõ rei ueritas. Postremo hęc figmenta conantur stabilire impiam doctrinam, & abolere uerbum Dei antea confirmatum. Vera autem & diuina miracula nõ statuunt aliquid noui in uerbo Dei, sed uetus uerbũ Dei cõfirmant, & ueritatẽ eius probant. Quæ res manifesta est exemplis eorum, qui ediderunt uera ac diuina miracula. Sunt .n. prȩcipuè duo, qui edẽdis miraculis maximè illustres fuerunt. Alter est Moses, Alter Iesus Christus. Horȩ ille, cũ ederet miracula in Aegypto, nihil noui prędicauit, sed uetus Dei uerbũ per miracula cõfirmauit, & promissionem eius implendam ostendit. Nam ad *Abra*hamum dictum erat: Scito, quòd peregrinum futurum sit semẽ *tuum* in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringẽ*tis* annis. Verũtamen gentẽ, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hęc egredientur cum magna substantia. Hoc uetus uerbum Dei Moses prędicatione sua renouauit, & miraculis in memoriã Israelitarũ reuocauit, ut cognoscerẽt, quòd iam antea promissa sit diuinitus liberatio, & quòd quadringenti illi anni elapsi sint, ut manifestum sit, liberationem in propinquo esse. Sic et Iesus Christus non uoluit miraculis suis aliquid noui, & antea inauditum constituere, sed uoluit his ostendere ac probare, ueterem de Messia promissionem Dei iam impleri. Ab initio .n. mũdi promissus est Messias. Definitũ etiam erat tempus, quo uẽturus esset Messias, uidelicet, postq̃ ablatum esset sceptrum à domo Iuda, & quadringentis nonaginta annis à secundo anno Darij Longimani. Hoc erat uetus uerbum Dei à Patriarchis & Prophetis adnunciatũ, & cœlestibus testimonijs cõfirmatum. Cum igitur Iesus doceret se esse Messiam, ac ederet miracula, non instituit nouam doctrinam per miracula, sed tantum excitauit auditores & spectatores, ut cognoscerẽt hoc esse tẽpus, quo uetus promissio de Messia impleretur, & hanc esse personam, per quã ea promissio impleretur. Hoc etiam spectant miracula quæ nomine Iesu edita sunt per Apostolos. Quare ea sola miracula pro ueris & diuinis habenda sunt, quę uetus uerbum Dei, & piam doctrinam antea cœlestibus testimonijs confirmatam stabiliunt. Nam si ne angelus quidem impia docens audiẽdus est, certe nec ea miracula agnoscẽda sunt, quę conantur ueterem & piã doctrinã abolere, ac nouam & pię aduersam constituere. Hęc de miraculis hoc loco sufficiant. Dicamus etiam quædam de parẽtibus huius cæci. Hi enim non negant quidem hunc esse filium suũ, & à natiuitate cęcũ fuisse, tanto autẽ metu Pharisęorum tenentur, ut etsi cognouerũt Iesum restituisse cęco uisum, non tamen audeant id ingenuè fateri. Malũt diuinã gloriam obticere, quàm humanam suam gloriã periculo exponere: ac metuũt sibi à periculo, si fateantur ueritatẽ: non metuunt autem, si mentiantur. Quid potest dici magis peruersum? Quæso enim

Spiritus tumultuosi.

Miraculis illustres Moses & Christus.

Miracula uera quæ sint.

te,confer mihi inter ſe pericula,quę parentes ex una parte, propter ueri tatẽ ſubĩſſent,& quę ex altera parte,propter mendacium ſubierunt,& reipſa comperies,nihil eſſe magis inſanum,quàm metu periculoꝝ men tiri,aut alĩs in rebus aduerſus Deum peccare.Nam parẽtes, ſi ingenuè confeſsi fuiſſent Ieſum edidiſſe hoc miraculum,& eſſe uerum Chriſtũ, eiecti fortaſsis fuiſſent è Synagoga.Conſpirauerant.n. Iudæi, ut ſi quis cõfiteretur eum eſſe Chriſtum, è Synagoga eĩceretur.Sed quid hoc eſt periculi? Metuenda quidẽ & horribilis res eſt,ſi quis merito impietatis et iniquitatis ſuę iuſtè excommunicatur,et anathematiſatur:Sic enim ex communicari,eſt abĩci à Chriſto,& exhęredari ac excludi ab omni cœ leſti hęreditate.Quo nihil poteſt homini infœlicius cõtingere.Excom municari autem,& cõdemnari humano iudicio propter Chriſtum, aut Euangeliõ eius, &ſi habet ſua incõmoda in politica uita,tamen quo ma gis ab hominibus condemnaris,eo magis à Deo cõſeruaris. Maledicẽt illi,inquit,& tu benedices.Et,Beati eſtis,cũ homines iecerint in uos pro bra,& perſecuti uos fuerint,ac dixerint omne malum uerbũ aduerſum uos,mẽtientes ꝓpter me.Gaudete & exultate,qa merces ueſtra copioſa eſt in cœlis.Ac finge mihi maiora pericula,quàm externam excõmuni cationem.Pone,aduerſarios non tantum auferre externas facultates,ue rumetiam uitam,propter confeſsionẽ ueritatis.Quid tum inde? Aufer tur uita corporalis,&redditur uita cœleſtis:aufertur uita momentanea, & redditur ętterna.Homines eĩciunt te de terra,ſed angeli recipiũt te in cœlum.Hoc certè lucrum magis eſt, quàm damnũ.Quod cum ita ſe ha beat,conſidera nunc etiam pericula,quę parentes propter mendaciũ ſu bierunt.Retinuerunt enim fauorem hominum,ſi modo retinuerũt,ſed amiſerunt fauorem Dei.Habuerunt ſuum locum in conuentu hominũ, ſed nullum amplius habuerunt locum in conuentu angelorum. Lauda runt eos Phariſæi, ſi modo laudarunt, ſed Deus ipſe execratus eſt eos. Seruarũt externam uitę tranquillitatẽ inter homines,ſed amiſerunt per petuam trãquillitatem coram Deo.Ac breuiter,retinuerunt terram,ſed amiſerunt cœlum,& facti ſunt obnoxĩ ſempiterno igni inferni.Quãto, obſecro,maiora & horribiliora ſunt hęc damna,quàm illa, quæ neceſſe erat ſuſcipere propter ueritatẽ? Quare ſi ſerio teneris metu periculoꝝ, diligẽter meminoris,quid Chriſtus ipſe dicat:Ne metuatis, inquiẽs, uo bis,ab his qui occidũt corpus, animam aũt nõ poſſunt occidere, ſed me tuite magis illum,qui poteſt & animã & corpus perdere in gehenna.Po ſtremo,de hoc etiam admonendi ſumus, quòd Phariſæi omnia conent & moliantur,ut obſcurẽt miraculum à Chriſto editũ, ſed his conatibus adiuuant magis gloriã eius,& illuſtrant potius,quàm obſcurãt. Qua in re agnoſcenda eſt ſumma Dei induſtria. Etſi enim impĩ obſiſtunt conſi lĩs Dei,tamen Deus tã induſtrius eſt, ut cum uideẽt impiorum conatus adiuuare,eo ipſo conſilia ſua contra impiorum ſentẽtiam perficiat.Hoc idcirco nobis cognoſcendum eſt,nõ tantum ut nõ metuamus ſaluti Ec cleſiæ Dei,cũ perſecutores ineunt conſilia ad opprimendã eam, ſed etiã ne uicinis noſtris fortunã ipſorũ inuideamus,nęue commodis eoꝝ ini què obſiſtamus. Vulgo enim id fieri ſolet,ut alter alterius cõmodis inui

Excommuni catio.

Induſtria Dei ſumma.

deat,&

dent,& aditum fortunę intercludat,quoquo modo id facere poteſt. Sed hęc eſt magna non ſolum impietas,uerumetiam ſtulticia ac inſania. Primum enim,nihil certius eſt,quàm quòd humana conſilia nõ poſsint impedire diuina. Dominus Zebaoth,inqt Propheta,decreuit, & quis poterit infirmare? Manus eius extenta,& quis auertet eam? Et iterum: Nõ eſt ſapientia,non prudentia,non eſt conſilium aduerſus Dominũ. Quare ſi Deus ſtatuit uicino dare aliquod donum terrenæ fœlicitatis, fieri nõ poteſt,ut tu impijs & iniquis conatibus tuis cõſilium Dei impedias. Si autem Deus nihil dare ſtatuit,quid opus eſt impios conatus ſuſcipere,quibus te in perniciem cõijcias,quando uicinus nihil cõſequi poſſet, etiamſi tu magnam ei operã dares,& quoquo modo poſſes, adiuuares? Deinde nihil certius eſt,quàm quòd ea mala,quæ alter alteri iniquè inferre cogitat,in autorem recidant. Ecce,inquit Pſalmus,parturit iniuſticiam,concepit dolorem,& peperit iniquitatem,Lacum aperuit,& effodit eum,& incidit in foueam,quam fecit. Conuertet dolor eius in caput eius,& in uerticem ipſius iniquitas eius deſcẽdet. Vide ergo mihi,quid facias? Cogitas obſtare commodis uicini tui,mendacijs,dolis,impoſturis,& alijs generibus iniquitatis. Sed hoc conatu obſtas tuis ipſius commodis. An nõ inſanus & furioſus habetur,qui ſibijpſi faciem diſcerpit, aut ſeipſum gladio uerberat? Non minus inſanire & furere ſolet,qui in alterum eſt iniquus. Hoc.n. ipſo ſibi magis quàm alteri malum infert. Quare ſtudeamus patefacere aditum fortunę ad quoſuis proximos noſtros,& cõferrę ad eos beneficia noſtra,ut uiciſsim nobis benefiat à Domino Deo noſtro,per Ieſum Chriſtum filium eius, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula,Amen.

HOMILIA LXXVI.

VAE in concilio Phariſęorum cum homine,qui cęcus fuerat,& cum parẽtibus eius de miraculo per Ieſum Chriſtũ edito,acta ſunt,ſuperiori Homilia percurrimus. Etſi aũt certiſsimis teſtimonijs confirmatũ eſt, miraculũ in cæco uerè editũ eſſe, Phariſęi tamen, genus hominũ longè impijſsimũ,nondũ excitantur,ut doctrinam Ieſu diligẽter cognoſcant,& num Ieſus, uerus ſit Meſsias,ſtudioſè inquirãt,ſed potius omni cogitatione curaq; in hãc rẽ incũbunt,ut miraculũ obſcurent,ac Ieſu ipſi maieſtatẽ Meſsiæ,quoquo modo poſſunt,detrahant. Poſtq; n. parentes reiecerunt eos à ſe ad filiũ ſuum,qui rectius,quàm ipſi,ſciat omnem rem geſtam exponere, Vocauerunt Iudæi rurſus hominẽ,qui fuerat cęcus, & dixerunt ei: Da gloriã Deo. Nos ſcimus quòd hic homo peccator eſt. Priuſquã hęc uerba Iudęorum expendamus,quæſo te,diligenter obſerues,quanta cura & ſollicitudine impij Iudæi glorię Ieſu Chriſti inſidientur. Ante diſputarunt Ieſum nihil recte agere,quod nõ obſeruat Sabbatum,& ſuſceperunt actiones cum homine qui fuerat cęcus, & cum parentibus eius, ſi quo modo aliquid uenarentur,quo miraculum refutari poſſet. Nunc adoriuntur hominem, qui cęcus fuerat,primum quidem blanditijs, deinde conuicijs & diris deuotionibus, ut deijciãt eum à confeſsione ueritatis,

& deterreant alios homines, ne doctrinam Iesu sectentur. Hoc aũt idcirco nobis cognoscẽdum proponitur, ut nostra ignauia in sectanda uera pietate, & uocatione Dei, reprehendatur. Vides enim, quantum studiũ hi ludęi adhibeãt ad perficiẽdam suam impietatem. Nec est obscurum quanta cura impostores, amatores, potatores, fures, latrones, & incẽdiarij in suas cupiditates incũbant. Ducunt noctes insomnes, sudant, algẽt, ac nihil non extremorum periculorum suscipiunt, ut animo suo satisfaciant, & iniquitatem suam compleãt. Filij huius seculi, inquit Christus, prudentiores sunt in sua generatione filijs lucis. Quid aũt turpius, quid fœdius est, quàm quòd impij & scelerati maiori studio & diligentia suã impietatem, quàm pij suam pietatem sectentur? Quæ enim est illa cessatio? Deus uocauit nos, & iussit, ut piam doctrinam cognoscamus, & ei fide & operibus obediamus. Et adhanc rem conficiendam datũ nobis est tempus huius corporalis uitę. Non est quicquam differendum usq; in futurum seculum. In eo enim non est tempus credendi, sed recipiendi, quod unusquisq; per corpus suum gessit. In hoc aũt pręsenti seculo tempus est Christum filiũ Dei cognoscẽdi, & cum Deo reconciliandi. Nec admodum longum est tempus. Alius enim decem tantum annis uitam agit, alius uiginti, alius triginta. Et si multum, octoginta, ut Psalmus ait, Quod aũt amplius fuerit, labor est & dolor. Magna igitur opera nobis danda est, ne hoc breue, si ad æternitatem, ad quam proficiscimur, conferas, tempus inutiliter ac pernicioſe consumamus, nęue impij nos suo studio superent, sed ut diu noctuq; in officio pietatis uersemur. His ita cognitis, accedamus nunc ad uerba Phariſęorum. Da, inquiũt, gloriã Deo. Nos. n. scimus q; hic homo peccator est. hoc est, Aut non factus es ex cæco uidens, aut si fuisti antea cæcus, & nunc uides, miraculum non est tribuendum huic homini Iesu; quẽ scimus esse nebulonẽ, sed tribuendũ est soli Deo. Quare confitere ueritatem, dic te aut nõ fuisse antea cęcum, aut uisum tibi restitutum esse à Deo tantum, non ab hoc homine. Hoc si feceris, pręstabis Deo magnũ cultum, & nos multa in te beneficia conferemus. Hęc est Phariſęorũ sententia. Primum ergo, obserua ueterem eorum impietatem. Gloriantur de Deo, iactãt nomen Dei, cupiunt laudẽ miraculi Deo adscribi, sed abominant Iesum Christum, et contemnunt eum. Horum exemplum sequuntur alij ludęi, qui nunc sunt, & Turcæ. Sequuntur & illud hypocritę in Christianismo. Hi enim omnes gloriãtur quidem de Deo, uidentur inuocare Deum, habent frequẽtissimè in ore suo Deũ, sed interim aut ignorant Iesum Christũ, aut cõtemnunt & damnant personam eius, aut non agnoscunt nec requirunt officiũ eius. Nõ potest autẽ Deus uel cognosci, uel inuocari, nisi per Iesum Christũ filium suum, quemadmodum antea sępe dictum est. Quare uanissimũ est, cognitionem aut fauorem Dei sine Iesu Christo sibi arrogare. Deinde cõsiderandum est impudentissimum Phariſęorum mendacium. Dicunt palàm, se scire quòd Iesus sit peccator. Ac dicunt hoc publicè in suo concilio. Et tamen optimè sciunt, se de Iesu nihil mali unquam comperisse. Quis ergo nunc adhiberet Concilijs fidem absque certo Dei uerbo? En hi Phariſęi erant pręcipua pars populi Dei, tenebant summum

Studium summũ in perficienda impietate.

Phariſęorũ et iudæorum impietas.

Cõcilijs num fides adhibenda.

locum

locum in religione,uidebãtur esse uiri longè omnium sanctissimi, mentiuntur tamẽ adeò impudenter,ut etiã à mendico illo, qui cæcus fuerat, derideantur.Hęc certè in admonitionem nostri scripta sunt,ut nec Põtificum nec Conciliorũ,nec alterum quorumcunq; hominũ autoritate & testimonio in doctrina perpetuæ nostræ salutis, absq; iudicio confidamus,sed ut de ipsorũ sententia iuxta uerbum Dei iudicemus,& quòd cũ uerbo Dei conuenit,recipiamus,q̃d autẽ cum uerbo dei pugnat,abiũcia mus.Exemplo nobis sit is homo,qui cęcus fuerat,& de quo nunc nobis sermo est.Hìc enim intellecta Pharisæorum malicia, tãto fortius tuetur ueritatem,quãto magis ei à Phariſęis contradicitur.Respondit enim,ac dixit:An peccator sit,nescio,Vnum scio,quòd cęcus cum fuerim, nunc uideam.Non dubitat de innocẽtia Iesu Christi,sed sic initio se sermone suo demittit,ut altius surgat,& ueritatem fortius affirmet. Hæc libertas pessimè habet Pharisæos.Quare inuehunt in ipsum magna animi amarulentia.Et dixerunt ei iterũ:Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? Sed ille nihil cõmotus ipsorũ indignatiõe,insuper etiã deridet eos. *Respondit.n.* eis:Dixi uobis iam,nec audistis,cur iterũ uultis audire? nũ & uos uultis discipuli eius fieri? Vide,q̃ amplum,q̃ excelsum,quàm firmum animũ faciat ueritatis cognitio.Hic homo erat mendicus, Fuerat à natiuitate cæcus,& ab omnibus miserrimus habitus.Phariſęi aũt erãt Principes Iudęorũ,& habebantur sanctissimi ac fœlicissimi. Nihilominus tamẽ mẽdicus ridet Phariſęos,infimus homo, summos Principes, idq; corã in ipsorũ cõcilio. Vnde tãta illi fiducia? certè non nisi è cœlesti spiritu.Hoc.n.est diuinũ iudiciũ,q; cum Principes contemnant & condemnent Christũ,ac impiè & iniustè faciant,uicissim contemnantur, & à uilissimis etiã condẽnentur et derideantur.Effundit,inquit Iob,despectionem super Principes,& eos qui oppressi fuerant,releuat.Et Dauid: Qui habitat in cœlis,irridebit eos,& Dominus subsannabit eos.Si Dominus Deus de cœlo irridet impios Principes,quis non compararet se ad Domini Dei sui uoluntatẽ? Non licet quidẽ cuiuis priuato suũ legitimum Principẽ temere,pro sua libidine contumelioſè deridere.Si.n. persona senis,quanto magis persona Principis honorãda est? Sed hoc diuinum est iudiciũ, ut cum Principes rideant filiũ Dei,& deserant suũ officium ac uocationẽ,uicissim & ipsi rideantur,ac à suis deserantur.Quare si Principes uoluerint suã conseruare autoritatẽ,nécesse est, ut & ipsi cõseruent pro sua uiríli autoritatẽ Dei,& faciãt suũ officiũ, ad q̃d diuinitus sunt uocati.Porro Phariſęi,nõ erant assueti,tam ridiculè tractari,pręsertim à mendico,idcircò multò grauius q̃ antea inuehunt in hominẽ. Et conuiciati sunt ei,ac dixerunt: Tu discipulus illius esto.Nos autẽ Mosi discipuli sumus.Nos scimus,q; Mosi locutus est Deus, Hunc aũt nescimus unde sit.Hoc planèillud est,quòd et nostris tẽporibus iactari solet. Postq;.n.pia doctrina Euangelij Christi,diuina clementia reuelata est, qua damnant hypocritarum superstitiones, & cõsuetudines sine uerbo Dei institutę,multi sunt, qui contempta pia doctrina,dicunt se perduraturos in ueteri maiorum suorum religione. Sic & Phariſęi loquuntur. Audiunt doctrinam Iesu à mendico commendari, sed ipsi respondẽt,se

Principes ridentur à mẽdico.

Religio ueterus cõseruanda.

sectaturos doctrinam Mosi, hoc est, se mãsuros in ueteri sua, Mosi & Patriarcharũ religiõe, quam certò sciant diuinitus traditam esse. Honestũ quidẽ est, & laude dignum, qꝑ dicant se amplecti doctrinam Mosi, & ueterem maiorum suorum religionẽ, & admonendi fuissent, ut hãc doctrinam ac religionem fortissimè tuerentur. Sed hoc est magnum peccatũ ipsorum, quòd non summa cura & studio cognoscant, quæ sit uera doctrina Mosi, & qua in re præcipuè constet ueterum religio. Supra dixit Christus: Si credidissetis Mosi, credidissetis utiqꝫ mihi: De me enim ille scripsit. Nam Moses, etsi multas politicas & Leuiticas leges tulit, ac docuit etiam Decalogum, tamen hęc non sunt propriè religio, quę seruat homines, sed ea omnia respiciunt in Iesum Christum, q̃ solo seruamur.

Mosaicæ politiæ institutio.

Politeia Mosaica instituta est, ut in ea conseruarẽtur promissiones de Christo, donec ueniret in hunc mundum. Leuitica sacra commendata sunt, ut Christum adumbrarent, & fidem in Christum docerẽt. Decalogus promulgatus est, ut homines agnitiõe peccati per Decalogũ reuelati, ad Christum expiatorem peccati remitterẽtur. Quare, q uerè est discipulus Mosi, & cognoscit ueram sententiam doctrinæ eius, fieri non potest, quin Iesum Christũ amplectatur, & doctrinam eius summa fide sectetur. Eadem dicenda sunt etiam de his, qui nostris tẽporibus iactant, cõtempta doctrina Euangelij, ueterem maiorum suorꝫ religionem. Hi enim non male dicunt, ueterẽ religionem conseruandam esse, Sed male de ueteri religione sentiunt: & in hoc pernicioſè errant, qꝑ nõ dent summam operam, ut rectè intelligant, quæ sit uetus religio. Nam ueterẽ religionem putãt esse, Missas audire, Ad Sanctorũ sepulchra peregrinari, Sãctos inuocare, Certis diebus ieiunare, certas preculas recitare, uarios Monachorum ordines habere, & id genus multa alia opera facere, quibus peccata tua expies. Hanc sentiũt esse ueterẽ religionem. Sed quid ineptius, quid imperitius? Hęc .n. sunt ab hypocritis recens excogitata & instituta. Vetustissima autem omnium religio est, Credere in IESVM CHRISTVM, qꝑ propter hunc solum habeamus remissionem peccatorum & uitam æternam. Hæc religio prędicata est initiò in Paradiso. Hanc religionẽ sectati sunt Patriarchę, adnunciauerũt Prophetę, & diuulgarunt in totum orbẽ terræ Apostoli. Quare, q hanc religionẽ amplectitur, is uerè perdurat in ueteri religione. Quæ cum ita se habeãt, audiamus quid mendicus Pharisęis respondeat. Excitatus enim cęcitate et impietate eorum, rẽprehendit imperitiam ipsorum grauissima concione. Respondit ille homo, & dixit eis: in hoc enim mirabile quiddam est, quòd uos nescitis unde sit, & tamen aperuit meos oculos. Scimus autem, quòd peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & uoluntati ipsius obtemperat, hunc audit. A seculo non est auditum, quòd quis aperuerit oculos cęci nati. Nisi esset hic à Deo, non potuisset quicquam facere. Pharisęi negârunt se scire unde IESVS sit, hoc est, num doctrina eius sit diuina, & num quę facit, diuina uocatione faciat. Probat igitur mendicus firmissimo argumẽto, uocationem & doctrinã IESV esse uere diuinam. Nihil certius est (inquit) quàm quòd cum essem cæcus natus, aperuerit IESVS oculos meos, ac tale in me miraculum ediderit,

ediderit, quale ab initio orbis conditi nunq̃ auditum est. Quid? an hoc indiget ulla probatione? Manifestū em̃ est, me fuisse cæcum natū. Hoc parentes, hoc uicini, quotquot me nouerunt, hoc ego ipse testamur. Manifestum est, quòd nunc uideam. Manifestū est, quòd huius Iesu opera uisum receperim. Hic prorsus nullum est dubium. Fieri aūt non potest, quod peccator, seu impius doctor, possit tale ac tantum miraculum edere. Deus enim nō audit peccatores, sed suos cultores, & eos, qui uocationi suę obediūt. Quare si hic Iesus esset peccator aut impius doctor, Deus nō exaudiret eum in edendo hoc miraculo, nec approbasset sigillo huius miraculi impietatem eius. Porro cū hic dicitur: Deus peccatores nō audit, considerandum est, quòd nomine peccatoris, hoc loco non sit intelligendus generaliter, quiuis peccator. Omnes em̃ homines sunt natura sua peccatores. Ac etiam hi, qui pij sunt, habent adhuc peccatū in carne & sanguine suo. Si dixerimus, inquit Ioannes, nō peccauimus, mẽdacem facimus eum, & sermo eius nō est in nobis. An nō Spiritus sanctus exigit à nobis continuam confessionē peccati nostri, cum iubet nos semper in oratione Dominica dicere: Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris? Non exigeret autem talem confessionem, si non semper essemus peccatores. De his peccatoribus non est hic sermo. Hi enim peccatores, etsi habent adhuc peccatum in carne sua, tamen credunt in Christum, & consecuti sunt remissionem peccati propter Christum, ac dominantur peccato per spiritum Christi, ideoque non patiuntur repulsam in precibus suis, sed exaudiuntur à Domino. Inuocant enim nomen Domini ex fide in Christum, & precātur Deum, non ut adiuuet peccatum, sed ut remittat peccatum, & det spiritum compescendi & expurgandi peccati. Quare cū hoc loco dicitur: Deus peccatores non audit, non intelligendi sunt ij peccatores, qui cōsecuti sunt in Christo remissionem peccatorū, & ambulant in uocatione Dei, Sed intelligendi sunt hi, qui impia docent, & sunt autores scelerum. Hi non exaudiuntur à Deo, cum precantur eū, ut det ipsis donum ędendorum miraculorum, quo impiam suā doctrinā, aut institutum scelus confirment. Deus enim odio habet impietatem, & iniquitatem. Nō potest igitur fieri, ut approbet eam miraculis. Ac uerum quidem est, quod Deus conniueat aliquoties ad prosperum successum impię doctrinæ, & scelerꝝ. Nō em̃ ignotum est, cp̃ multis annis fœliciter promouisse uideantur idolatria Gentiū, hypocrisis monachorū, & impietas Mahumetis. Manifestum etiam est, quòd Deus cōniueat nonnunq̃, ut impij doctores edant aliqua miracula, sed quæ sint mendacia, & illusiones tantū oculorꝝ, qualia fuerunt miracula Magorꝝ Aegypti, & sacrificulorꝝ Gentium, de quibus aliàs diximus. Nihil aūt certius est, cp̃ quòd Deus nō permittat, nec conniueat, ut impij doctores uera miracula edant, quibus impia eorꝝ doctrina cōfirmaretur. Huc enim respicit illud, quod hoc loco dicitur: Deus peccatores non audit, Sed si quis est cultor Dei, & uoluntati eius obtemperat, hunc audit. hoc est, Deus nō iuuat impios doctores, ut impietatem suam miraculis confirment, Sed si qui diuina & uera miracula ediderint, horum doctrina uera ac diuina sit, necesse est. In 3. lib. Reg. ca. 18.

Peccatores etiam pij.

Doctores impij nō edunt uera miracula.

commemoratur de Elia & ſacerdotibus Baal, quòd cõuenerint inter ſe, ut quorum holocauſtũ igni de cœlo incẽderetur, eorũ doctrina uera ac diuina habeatur. Docebat aũt Elias uerã religionẽ, uerbo Domini traditam. Sacerdotes Baal docebant impiam religionem cũ uerbo Dei pugnantem. Quid ergo eſt factum? Sacerdotes Baal clamabant ad Deum ſuum de mane uſq; in meridiem, & quanquam præter inuocationẽ inciderent etiã ſeſe cultris, quo maior eſſet ſpecies religionis, tñ holocauſtũ non incendebatur, nec ullum fiebat per eos miraculũ. Deus enim peccatores nõ audit. Poſtq; uero Elias, reſtaurato altari Domini, & adornato holocauſto, inuocaret nomen Domini, Exaudi me, inquiens, exaudi me Domine, ut diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti corda eorũ iterũ, ſtatim cecidit ignis de cœlo, & deuorauit holocauſtum. Si quis enim Dei cultor eſt, & uoluntati eius obtemperat, hunc exaudit Deus. Mahumetes inſtituit impia docere, & eã doctrinã inter uarias gentes propagare. Etſi autem finxit ſibi colloquium eſſe cũ angelo Dei, tamen hoc nunq; potuit probare, nec fuit ei diuinitus conceſſum, ut impiam ſuam doctrinam miraculis confirmaret, quemadmodũ fatetur ipſe, ſe non miſſum ad ędenda miracula, ſed ad inferenda arma. Hoc aũt magis eſt latronẽ, quàm doctorem agere. Necq; ſi maximè uoluiſſet, potuiſſet ullum edere miraculum. Deus enim peccatores nõ exaudit. Sed dices: Nec uos, qui hoc tempore gloriamini de doctrina ueri Euãgelij, aduerſus impiam doctrinã hypocritarũ, editis aliqua miracula, & intantum omni miraculorũ dono deſtituti eſtis, ut ne claudum quidẽ equum ſanare poſſitis. Quid igiť de ueſtra doctrina ſentiendũ eſt? Quæſo ergo te, audi tu uiciſsim. Non edimus talia miracula, qualia Apoſtoli ediderunt. Nec etiã hoc agimus, nec hoc à Deo petimus. Nec eſt Eccleſiæ neceſſarium. Non eñ ſumus autores & præceptores alicuius nouæ & incertæ doctrinę, ſed ſumus diſcipuli ueteris doctrinæ, quæ iamdudũ eſt certiſsimis miraculis cõfirmata. Non eñ prędicamus nouũ Euãgelion, ſed prorſus illud ipſum, quod Apoſtoli prędicauerunt, id quod ſcriptis Apoſtolicis perſpicuè probamus. Quare quæcunq; miracula Apoſtoli ędiderunt, uel etiã quæ Chriſtus ipſe ędidit, ea ſunt & noſtra miracula, quibus noſtra doctrina confirmatur. Prædicamus ſolum Ieſum, eſſe uerum Chriſtum, uerum expiatorem peccatorum noſtrorum, & nullũ hominem poſſe cõſequi peccatorum ſuorum remiſsionem, niſi per fidem propter ſolum Ieſum Chriſtum. Quòd ſi de hac noſtra doctrina dubitaueris, & requiſieris miracula, en tibi miraculum, quod ab initio orbis terræ non eſt auditum, quòd Ieſus reſtituit uiſum cæco nato. Prædicamus Ieſum eſſe uictorem mortis, & homines nõ poſſe uincere mortem per Pontificias indulgentias, ſed tantum per fidem in Ieſum Chriſtum. Quòd ſi requiris miraculum, en tibi Lazarum à Ieſu excitatum. Quid amplius deſideras? Si nõ es contentus his & alijs id genus miraculis, ſed requiris plura, & preſentia, oleum & opera in te perdita ſunt. Si Moſen, inquit, & Prophetas non audiunt, nec ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Sed de concione mendici hactenus, audiamus nunc quo animo excepta ſit à Phariſæis. Reſponderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es

Miracula hoc tempore an neceſſaria ſint.

Euangelij ſumma.

tus es totus,& tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Hi sunt solēnes mo « «
res huius seculi. Maximo beneficio rependunt homines maximā ingra
titudinē. Mendicus etsi pauperrimus erat, tamē obtulit Pharisæis sum
mas diuitias. Exposuit enim eis ueritatem doctrinę Christi,& probauit
ac illustrauit eam certissimo argumēto,adeoq; si quid unq; eleemosynæ
mendicando ab eis accepit,hac una sua concione plusq; cētuplum repē
dit. Nam si agnouissent eam,consecuti fuissent non solum ueram iustici
am coram Deo,uerumetiā regnum cœleste. Pro tantis meritis retribu/
unt mendico hanc gratiam,q; execrentur eum,& exprobrent ipsi cęcita
tem ac mendicitatem,acproscribant eum. In peccatis,inquiunt,totus na
tus es. Reipsa manifestum est te esse à Deo abiectum. Nisi enim Deo es/
ses abominabilis,non fuisses cæcus natus,nec in tantam paupertatē con
iectus,ut necesse habuisses eam mendicitate sustentare. Apage igitur cū
tua uana concione. Paucissimis uerbis summam suam ignorantiā & im
pietatem declarant. Ignorantię est,q; sentiant,Deum affligere homines
tm propter peccata,& afflictiones non esse nisi irati Dei signa. De qua
re,quoniam supra pluribus dictum est,superuacaneū est,ut in hoc loco
explicando cōmoremur. Impietatis est,q; non solum execrentur homi/
nem,quem Deus tanto miraculo ornauit,sed etiā, q; damnēt piam eius
concionem,&notent eum,quantum in ipsis est,publica ignominia. Sed
quid? num qui ab hominibus damnatur,dānatur etiā à Deo? Fieri qui/
dem potest,q; impius iustè etiā ab hominibus damnetur,ideoq; damne
tur etiam à Deo. Iuxta dictum illud Chtisti: Quorum retinueritis pecca
ta in terris,retenta erunt & in cœlis. Qui aūt pius est,& damnatur ab ho
minibus propter piam confessionem nominis Christi,quod hic mendi
cus fecerat,is tanto maiori fauore à Deo suscipiť,quanto acerbiori odio
ab hominibus abiiciť. Omnis,inquit, q; me confitebiť corā hominibus,
cōfitebor & ego illum corā Patre meo,q; est in cœlis. Quare nō est metu
enda hominū proscriptio aut condēnatio, sed prouidendū est,ut in cō/
fessione & obediētia pię doctrinæ cōstanter perseueremus,quo etiāsi re
iiciamur ab hoibus è cōtubernio terrenorū ciuiū,recipiamur tñ in con/
tuberniū cœlestium ciuiū,per Iesum Christum seruatorē nostrum, qui
est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXVII.

Vdiuimus concionem mendici de Iesu Christo. Audiui
mus etiā,quam gratiam retulerint Pharisæi mēdico, pro
meritis suis,sed priusq; ad reliqua progrediamur, dice/
mus adhuc pauca de hac re,ut quāto notior fiat impietas
Pharisęorꝝ,tāto nos diligentiori cura pietati studeamus.
In peccatis,inquiunt,natus es totus,et tu doces nos? Rem « «
admirandā. Pharisęi obiiciūt mendico peccata,cum ipsi tot ferè peccata
hic designēt,quot uerba dicūt. Vnum peccatum est, quòd cum uideant
hunc hominem esse mendicum,ac à natiuitate fuisse cęcū, sentiunt eum
totum in peccatis natum esse,hoc est,sentiunt Deū non inferre afflictio/
nes,nisi propter peccata. Ac uerum quidē est,omnes homines in pecca/

Phariseorū peccata.

tis totos esse conceptos & natos, sed non est uerum, q̄ Deus nō affligat homines alia de causa, q̄m propter peccata. De qua re antè satis dictū est. Alterum peccatum Pharisæorum est, q̄ exprobrent huic homini cōtumelioſe suam mendicitatem & cæcitatem. Vulgare est hoc peccatum inter homines, præsertim ad iracūdiam prouocatos: Si quid enim uitij habueris uel in animo, uel in corpore, uel in genere uitæ, uel in parētibus, uel etiam in familia, hoc solet multis uerborum cōtumelijs ab iratis, aut nonnunquam ab ijs quoq̄, qui tranquillo sunt animo, exprobrari. Videtur autem esse leue genus peccati. Sed profecto grauissimū est, & refertur in ordinem homicidij. Christus cum exponeret hanc legem, Nō occidas, dicit non eum solum esse iudicio homicidij obnoxiū, qui manu aut gladio hominem occidit, uerum etiā eum, qui fratri suo iracitur, & dixerit ei Raha, aut fatue. Contumelioſum igit̄ in proximū esse, est homicidium designare. In Psalmo ait Dauid, Filij hominum, dētes eorum arma & sagittę, & lingua eorum gladius acutus. Quare hominem uerborum contumelijs lacerare, est eum armis, sagittis, & acuto gladio inuadere, hoc est, homicidium committere. Hoc peccatū Pharisęi designarunt, & tamen putant se innocentissimos. Hoc peccatū designant, quotquot exprobrationibus suis contumelioſi sunt in proximos suos. Quod cum frequētissimè ab iratis hominibus fiat, quid horribilius est, q̄m q̄ tot homicidę coram Deo in his terris obambulent, quot ferè sunt homines irati? Sed audiamus & tertium peccatum Pharisæorum. Tu, inquiūt, totus es in peccatis natus, & nos doces? Nō uolunt doceri à mēdico, nō agnoscunt mendicum concionatorem. Hęc est impia superbia & arrogantia. Contemnunt enim & fastidiūt eum, quem filius Dei audiendū magno & illustri miraculo commendauerat, quem & Pharisęi ipsi audiendum uocauerant. Nam existimant se sua sapientia & eruditione satis doctos, nec indigere aliorum quamuis excellentium doctrina, tantum abest, ut patienter audiant doctrinam mendici. Sed uetus est, & usitatum, q̄ Deus subijciat sapientes stultis, & eligat indoctos, ut sint prędceptores et magistri doctorum. Postq̄m enim, inquit Paulus, mundus non cognouit Deum per sapientiam, uisum est Deo per stulticiam prędicationis saluos facere credentes. An nō Christus ipse habitus est nouissimus, ut Prophęta ait, uirorum? sed hunc abiectum hominem Deus ita exaltauit, ut in nomine eius omne genu flectatur. Lapidem, ait Psalmus, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Quid Apostoli? An non tam cōtempti fuerunt, uix ut à mendicis quicquam differrēt? Sed Deus hos mendicos instituit in prędceptores & concionatores nō tantum uulgi, sed Principum & monarcharum, adeoq̄ totius mūdi. Sic necesse habent pudefieri illustres, sapiētes & docti, cum interim diuinitus illustrētur obscuri, insipientes & indocti, ut non glorietur in cōspectu Dei omnis caro. Quare, qui contemnit & abijcit hos, quos Deus suscipiēdos & audiendos proposuit, quamuis mendicos, is Deum ipsum cōtemnit, & suam ipsius salutem à se contumaciter abijcit. Porro, Pharisęi non tantū
»» prę se contemnunt mendicum, uerum etiam proscribunt eum. Et eiece-
»» runt, inquit Euangelista, eum foras. Quem autē homines abijciunt, eum
suscipit

Contumelia homicidij genus est.

Stulti sapientium præceptores.

ſuſcipit filiusDei.Sequitur enim:Audiuit Ieſus,ꝙ eieciſſent eum foras. « «
Cumꝙ inueniſſet eum,dixit ei:Tu credis in filiū Dei? Reſpondit ille & « «
dixit:Quis eſtDomine,ut credā in eum? Et dixit ei Ieſus:Et uidiſti eum, « «
& qui loquitur tecum,ipſe eſt.At ille ait:Credo domine. Et adorauit e- « «
um.Ieſus Chriſtus uocat ſe aliàs filium hominis,nunc uocat ſe etiam fili « «
um Dei.Quemadmodum autem non diceret ſe filium hominis,niſi ue-
rus eſſet homo:ita cum uocat ſe filiumDei,docet ſe eſſe uerū Deum.Du *Filiorum du-*
plices enim ſunt filij.Alij ſunt naturales, alij adoptiui. Chriſtus autē nō *plex ordo.*
eſt filius Dei adoptiuus,ſed à Deo genitus.Filius meus(inquit Pater)es
tu,ego hodie genui te. Et ſcriptura uocat eum unigenitum. Quo nomi-
ne ſignificat Chriſtum longè aliter eſſe filium Dei,cꝙ pios homines. Ac
ſiquidem conſideraueris Chriſtū ſecundum carnem ſuam,poteſt & ipſe
aliquo modo dici filiusDei adoptiuus.Sed ſi conſideraueris eum ſecun
dum ſpiritum,qui humanā naturam in unitatem perſonę aſſumpſit,tūc
ut nec eſt factus,nec creatus,ita nec eſt adoptatus,ſed tantū natus à Deo.
Quare,cum uocat ſe filiū Dei,manifeſtè ſignificat,ſe eſſe naturalem Dei
filium.Sicut aūt à uero hoīe nō naſcitur niſi uerus homo,ita à uero Deo,
non naſcitur niſi uerus Deus.Reliquum igitur eſt,ꝙ Chriſtus prędicā-
do ſe eſſe filium Dei,prædicat ſe eſſe uerum Dn̄m Deum noſtrum, crea
torem cœli & terræ,et omnis plenitudinis eorū.Mendicus aūt initio, cū
interrogaretur à Ieſu,num crederet in filium Dei,nō intelligit,quid ſibi
uelit hęc interrogatio.Fieri.n.potuit, ꝙ cum cōſecutus eſſet uiſum à Ie-
ſu,crediderit Ieſum eſſe Meſsiā:non obſcurè autem ſignificat, ſe neſcire
Meſsiam eſſe filium Dei.Nec id mirum.Etſi enim inter Iudęos publica
erat fama de Meſsia per Prophetas promiſſo,tn̄ uulgus hominum ſiue
Pontificū,ſiue inferioris ſortis, exiſtimabant Meſsiā fore mundanū re-
gem,inſignem quidē hominem,tantū tamen hominē,tn̄ Dauidis filiū,
non item filiū Dei,ac Deum ipſum.Quid uidetur,inquit,uobis de Chri
ſto? Cuius filius eſt? Reſpōderunt,Dauidis.Ac hi quidem, quamuis ad
moniti & edocti, nō tamē crediderūt nec adorauerunt Ieſum: Mēdicus
aūt,poſtꝙ admonitus eſt,tanta fide ſuſcepit Ieſum, ut etiāſi uideret ſe in
maxima odia Phariſæorum,quorum multi pręſto aderāt, incurrere,&
difficilima pericula ſubire,tn̄ procidēs adorauerit Ieſum,Dominum ac
Deum ſeruatorē ſuum.Nec Ieſus damnat hanc adorationem,ſed agno-
ſcit,& approbat eam.Et ſignificat hūc hominem,nunc demum recte ac
ſyncerite uidere,ꝙ non ſolum credat Ieſum eſſe Meſsiam,ſed etiā ado-
ret ipſum,ut uerum Dominū Deum ſuū.Dixit.n. ei:In iudicium ego in « «
hunc mundum ueni,ut qui non uident,uideant,Et qui uident, cęci fiāt. « «
Pauca uerba dicit Chriſtus,ſed quę totum ferè officium,aut negocium,
quod in hoc ſeculo confecit,exponunt.In iudiciū,inquit,ueni.In publi-
cis iudicijs ſolent fieri rerum diuiſiones.Ego igitur ueni,inquit,ut lōgè
aliam rerum diuiſionē faciam,cꝙ in mundanis regnis fieri ſolet.In his e-
nim,qui cæci ſunt,hoc eſt,miſeri,contēpti,& abiecti,relinquuntur cęci.
Qui uero uident,qui uidentur fœlices,potentes,ſapiētes & diuites, his
illuſtratur uiſus,& augetur fœlicitas.Sic.n.in hoc ſeculo comparatū eſt,
ut habenti detur,non habenti etiam id quod uidetur habere,auferatur.

In regno autem Christi hoc inuertitur. Nam qui uident, fiunt cæci. Qui aũt non uident, cõsequũtur uisum. Quid ergo est uidere? Quid est, Nõ uidere? Etsi uerba non sunt obscura, tamen ut sententia horum uerborũ rectius intelligatur, paulo copiosius de hac re dicendum est. Primum ergo, uidere, in hoc dicto: Qui uidẽt, cęci fiunt, significat humana ratione sapientẽ, doctũ & eruditum esse, & hac sapientia ac doctrina cõfidere. In regno igitur Christi, quid fit? Qui sic uident, q sic sunt sapiẽtes et docti, hi declarantur ex prędicatione Euangelij cęci, stulti & indocti. Perdam, inquit, sapientiam sapientum, & intelligentiam intelligẽtium reijciam. Ac iterum: Si quis sibi uidetur sapiẽs esse inter uos, in seculo hoc stultus fiat, ut reddatur sapiens. Etenim sapientia mũdi huius, stultitia est apud Deum. Sapientes habiti sunt inter Iudæos Pharisæi & legisperiti, inter Ethnicos, Philosophi. Sed prędicatio Euangelij declarauit eos oẽs esse stultissimos. Imposuerunt enim auditoribus & discipulis suis magna et uaria onera, quibus assequerent iusticiam & fœlicitatem. Sed hic labor fuit uanissimus & stultissimus. Multũ enim sese fatigando, reddi ti sunt iniustiores & infœliciores. Deinde uidere significat humana iustitia honestum esse, & externa sanctitase corã hominibus fulgere, adeoq; hac iustitia & sanctitate confidere. Quid ergo fit in regno Christi? Qui sic uident, qui sic sunt iusti & sancti, hi declarantur ex Euangelio Christi, q; sint cæci, quòd sint iniusti & damnati. In conspectu, inquit, tuo, nõ iustificatur omnis uiuens. Sic uidebant inter Iudæos hypocritę & Pharisæi, sed tanto erant iniustiores, quãto maiorem sibi ex operibus suis iusticiã pollicebantur. Israel, inquit Paulus, qui sectabatur legem iusticię, ad legem iusticiæ nõ peruenit. Propter quid? Quia non ex fide, sed tanq; ex operibus legis. Habes quid hoc loco sit uidere. Audiamus nũc, quid sit,

Videre quid fit.

Non uidere quid sit.

Non uidere, cum dicitur: Qui nõ uident, uideant. Primũ enim, nõ uidere, est corporalibus oculis captum esse. Cum igitur Christus aduenisset & prædicaret Euangelion suum, restituit uisum etiam his, qui corporalibus oculis capti erant, quemadmodum Euãgelica historia testatur. Deinde, Non uidere significat corã hominibus esse insipiẽtem, obscurę, ingloriũ & abiectũ. In regno igitur Christi cęci recipiunt uisum, insipientes fiunt sapientes, obscuri reddunt illustres, & abiecti feruntur in sublime. Apostoli nihil uidebant, Erant enim homines obscuri & cõtempti, sed facti sunt longè omniũ clarissimi & glorioſissimi. Hic cęcus, de quo nobis sermo est, erat mendicus, & propter mendicitatem, inglorius, sed Christus ornauit eũ tanta gloria, ut factus sit omnibus Pharisæis illustrior. Postremo, Nõ uidere, significat inhonestum, iniustum & peccatorẽ esse. Postq; ergo Christus aduenit, hi qui nõ uidebãt, qui erant inhonesti, & peccatores, receperunt uisum, quia agnoscentes Christum cõsecuti sunt ueram iusticiã. Nihil uidebat Zacheus, nihil mulier peccatrix, nihil latro in cruce, sed hi facti sunt per Christum uidentes. Nihil uidebãt Gentes, quia erant alieni à iusticia, & â Deo ipso: sed postq; peruenit ad eos lumen Euangelij, uisum ita receperunt, ut uiderent uiam nõ solũ ad iusticiam, sed etiã ad regnum cœleste. Quid ergo iudicio regni Christi admirabilius? in quo uidentes fiunt cæci, & cęci fiunt uidẽtes, hoc est, in

quo

quo iniusti fiunt iusti,& iusti fiũt iniusti,in quo inhonesti fiunt honesti, & honesti fiunt inhonesti.Hæc aũt commemorantur nobis,nõ in hunc usum,ut iniusti applaudant suæ iniusticię,& iusti abĳciant studiũ iusticię,sed ut tam hi quàm illi ueram discant pietatem.Si qui enim sunt iniusti & inhonesti,non debent de salute sua desperare, sed agnoscant suam iniusticiam,et credant Euangelio Christi,ut per fidem propter Christũ consequantur iusticiam.Christus enim propter hãc causam uenit, ut iniustos reddat iustos.Si qui uero sunt iusti et honesti coram hominibus, non debent humana sua iusticia confidere, sed agnoscant etiam ipsi suã naturalem iniusticiam,& credant Euangelio Christi,ut quod nõ potuerunt meritis suorum operum consequi,consequantur in Christo per fidem.Cęterum,Pharisęis omnia tum facta tum dicta Christi perscrutantibus,etiam hoc,quod Christus ad mẽdicum dixit, ab ipsis exceptũ est. Et audierunt,inquit Euangelista,quidam ex Pharisęis hęc,qui cum ipso « erant,& dixerunt ei:Num & nos cæci sumus? Dicis,eos qui uident, cę- « cos esse. Nos autem sumus professores diuinę sapientię, qua uidemus nõ solum quid in terris agendum sit,sed etiam quidin cœlo agat. Quid ergo? Dicis etiam nos esse cæcos? Dixit eis Iesus:Si cæci essetis, non ha- « beretis peccatum.Nunc uero dicitis,Videmus,idcirco peccatum uestrũ « manet. Admirati sumus, quod Christus antea dixit.Sed hoc dictum « multo admirabilius uidetur.Quid enim est,quod ait:Si cæci essetis, nõ haberetis peccatum? Si cæcitas excusat à peccaro,agite,nõ audiamus decalogum,non discamus Euangelion Christi, non cognoscamus uerbũ Dei,ut maneamus cęci,& non habeamus peccatum.Hoc certè illud est, quod uulgo iactare solent.Dicunt enim:Si non cognouero multa, non necesse habebo defendere multa.Itaq; contẽnunt doctrinam uerbi Dei. Sed hi tanto magis peccant,quanto certiores sunt ipsi cęcitatis suæ autores.Nam Christus non approbat hoc dicto impiam & ignauam hominum cęcitatẽ,sed potius reprehendit eam,& docet quanta mala afferat. Sicut enim aliàs dici solet:multos potuisse peruenire ad sapientiam,si agnouissent suam stulticiam:ita & Christus significat multos potuisse fieri uerè uidentes,& intelligentes,si agnoscerent se esse cęcos & rerum diuinarum ignaros.Si cęci,inquit,essetis,hoc est, si agnosceretis uestram cęcitatem,& exhiberetis uos docendos Euangelio meo,tunc non haberetis peccatum,hoc est,consequeremini remissionem peccati,& nõ imputaretur uobis peccatum,propter Christum.Nũc autem,quia dicitis, Videmus,hoc est,quia nõ agnoscitis uestram cęcitatem,sed contenditis uos uestra humana ratione,sapiẽtia,& eruditione posse propter merita operum legis consequi iusticiam,idcirco peccatum uestrũ manet nõ habetis ullam remissionẽ peccatorum,sed necesse habebitis in peccato uestro mori.Etsi autem hęc locutio Christi,iuxta literam uidetur obscura, tamen si conferas eam cum usitato modo loquendi,in id genus argumẽtis,statim fiet perspicua.Incidit quispiam in tantam insaniam, ut uideat sibi esse probè sanus,& belle ualere.Hic ergo alius quispiam, qui & magnitudinem insanię illius intelligit,& de ea dolet,dicere solet,Tu si insanus esses,bene ualeres.Nunc autem,quia affirmas te esse sanum, manet

insania tua,quæ tanto periculosior est,quãto minus à te agnoscitur.His uerbis,non dicit ille insaniam esse sanitatem, sed reprehẽdit insani cęci tatem,& significat,quòd cum sit insanus,cõsultum esset rebus eius,ut intelligeret se esse insanum:sic enim sumeret medicinã,ac bene de recuperanda sanitate sperare liceret.Sed quia cũ sit insanus,contendit se esse sanum,idcirco abiicit medicinam,& ęgrotat periculosissimè.Est qui designat latrocinium,& tanta est eius impudentia,ut hoc scelus non solũ excuset,uerumetiam affirmet esse uirtutem. Hic tum alius dicit:Si esses latro,posses bonus uir fieri,sed quia nõ es latro,omniũ bipedum nequissimus es.Quid?num his uerbis significatur latrocinium esse uirtutem? Minime omnium,sed reprehenditur latronis impudentia & iniquitas, quod cum horribile scelus committat,existimet tamen se rectè agere,ideoq; nulla spes est,fore ipsum bonum uirum.Sic & hoc loco, cũ Christus dicit,Si cæci essetis,non haberetis peccatum, nũc autẽ quia dicitis, Videmus,manet peccatum uestrum,non sentit eos qui impiè & sua culpa cęci sunt,sicut Pharisæi erant,immunes esse,propter impiã suam cæcitatem,à peccato,sed damnat Pharisæorum sapientiam & iusticiam,qp cum essent longè omniũ stultissimi,& iniustissimi,obtruderent tamen Deo suam stulticiam & iniusticiam pro summa sapiẽtia & iusticia. Quo fit,ut nec cognoscant Euangelion Christi,quod est uera sapiẽtia,nec credant in Christum, propter quem cõtingit credẽtibus uera iusticia,ideoque maneant in perpetua cæcitate & impietate.Hæc cum ita se habeant, cognoscendum est initio, quòd natura simus cæci & ignari rerũ diuinarum. Etsi enim quædam possunt de Deo natura cognosci,ea tamen,ut sunt imperfecta,& infirma,ita nõ afferunt nobis ueram salutem, Sed ut hac cæcitate liberemur,audiendum est Euangeliõ Christi,in quo Deus ita cognoscitur,ut etiam latebras ac recessus animi eius peruidere queamus.Deinde cognoscendum est,quòd natura simus peccatores,& propter peccata obnoxij æterno supplicio:Sed ut à peccatis & supplicio eorum liberemur,discendus est Iesus Christus ex Euangelio eius,& suscipiendus per fidem.Is enim solus factus est uictima pro peccatis nostris, & tantam gratiam coram Deo Patre suo consecutus est,ut quotquot cõfidunt eo,reputentur in iudicio Dei iusti,et fiant perpetuò salui propter Christum filium Dei,qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula,Amen.

Cæcitas naturalis.

CAPVT X.

HOMILIA LXXVII.

DEscriptum est superiori capite illustre miraculũ, quod ædidit Iesus in eo homine, qui à natiuitate cæcus fuerat.Cuius miraculi ueritas comprobata est non solum priuatis,sed etiam publicis testimonijs. Sequitur nunc insignis concio,quam Iesus post hoc miraculum habuit. Demonstrauimus enim antea,quòd Iesus usus ferè sit miraculis suis pro

pro concionatorijs,ut uocãt,cãpanis,quibus magnam auditorũ frequẽtiam ad conciones ſuas uocauerit,& quòd ediderit miracula ad congregandos homines in concionem,non ut ex ipſis armatum exercitum colligeret,quo uteretur ad tuẽdam corporis ſui ſalutẽ,regio more,& ad inuadenda regna huius mundi,et externa militum manu,ſed ut miraculis ueritatem cõcionum ſuarum confirmaret,& ex auditoribus filios Dei, ac hęredes regni cœleſtis congregaret.Hoc enim præcipuè ſpectant miracula Chriſti,ut doctrina Euangelij eius,qua nobis nõ mũdanum,ſed cœleſte regnum offertur,corroboretur. Quare,poſtq; ueritas miraculi, quod in cæco editum eſt,ſatis comprobata fuit,recitat Ieſus concionem Euangelij ſui,ex qua cognoſcamus,quę beneficia nobis per ipſum contingant:Amen,amen,inquiẽs,dico uobis,qui non intrat per oſtium in ſtabulum ouium,ſed aſcendit aliunde,ille fur eſt & latro.Qui autem intrat per oſtium,paſtor eſt ouiũ.Huic oſtiarius aperit,& oues uocẽ eius audiunt.Et proprias oues uocat nominatim,& educit eas.Et cũ proprias oues emiſerit,ante eas uadit,& oues illum ſequuntur, quia nouerunt uocem eius.Alienum autẽ non ſequentur,ſed effugient ab eo,quia non nouerunt uocem alienorum. Hęc eſt concio Chriſti. Sed quid dices, Num propter hanc concionem tantum miraculum erat edendum? An nõ fabulę ſimillima uidetur? Quidopus erat miraculo ad docẽda iſta abiectiſsima de ouibus? Potuiſſet eadem docere quiuis opilio, nec opus fuiſſet cœleſti doctore. Atq; hæc quidem inebriatus quiſpiam faſtu humanę ſapientię diceret. Sed utcunque ſapientes iſti de hac concione ſentiant,certe ſi adiunxeris expoſitionem Chriſti, reipſa comperiet pius quiſq;,quòd & ſi uerba uidentur de rebus humilimis & abiectiſſimis tractare,contineant tamen doctrinã cœleſtis ac perpetuæ noſtræ ſalutis.Nam auditores quoque ipſi uerba quidem intelligunt, ſenſum autem non intelligunt, & tamen quia ex miraculo agnoſcunt hunc leſum eſſe cœleſtem doctorem,uident aliquid ſublimius hac concione ſignificari,quàm uerba prę ſe ferant.Hoc prouerbium(inquit Euangeliſta) dixit eis Ieſus.Illi autem non cognouerunt,quę eſſent, quæ loquerentur eis.Reliquum igitur eſt,ut interpretem ipſum Chriſtum audiamus: Nam quę initio obſcurè aut parabolicè dixit, hæc ſtatim ipſe interpretatur.Et ait:Amen amen dico uobis,Ego ſum oſtium ouium. Omnes quotquot ante me uenerunt,fures ſunt & latrones:Sed nõ audierũt eos oues.Ego ſum oſtiũ.Per me ſi quis intuoierit,ſeruabitur,& ingredietur & egredietur,& paſcua inueniet. Hęc eſt parabolę de ouibus & paſtore interpretatio.Etſi enim ea quę ſequuntur,eodem pertinent,tamẽ hęc tantum nũc pro temporis ratione percurremus. Membra igitur huius parabolæ ſunt,Oues,Ouile,Oſtiũ,Oſtiarius,Paſtor,Fures, Latrones, Mercenarij,Paſcua,& Lupus.Cum aũt non poſsint uno tẽpore omnia explicari,dicemus modo de ouibus,de ouili,de oſtio,ac oſtiario. Principio;Chriſtus in hac parabola ſignificat oues et ouile dici populũ Dei, idq; iuxta uſitatũ morẽ ſacræ ſcripturæ.Nã quẽmadmodũ populus ſeu Eccleſia Dei aliàs uocat uinea,ita aliàs uocatur ouile,ut unuſquiſq; pius dicatur ouis.Nos,inquit Pſalmus,populus tuus,& oues paſcuę tuæ. Et

Miraculorũ Chriſti uſus.

Parabola de ouibus et paſtore.

Populus Dei ouile.

Pſalmo. 78.

Ezech. 34. in Ezechiele: Suscitabo super ea pastorẽ unum, qui pascat ea, seruũ meum Dauid, ipse pascet ea, & erit eis in pastorem. In Zacharia etiam dicitur: Percute pastorem, & dispergẽtur oues gregis. Ex his & alijs scripturæ locis manifestum est, Ecclesiam & populum Dei dici oues. Neq; id inepte, aut minus congruenter. Quas enim proprietates habẽt oues, cõueniunt suo quodam modo cũ populo Dei. Vna ouium proprietas est, quod quemadmodum Christus ait, nouerint uocem sui pastoris. Naturam agni hanc esse aiunt, ut si forte exilierit è stabulis, agnoscat inter multas reliquas oues uocem matris suę, et ad eam solam omnibus alijs neglectis, quamuis sitiens & esuriens, properet. Ac uicissim matrem aiunt, inter aliquot millia agnorum, quãuis unius uocis, unius ętatis, aliquoties etiam unius coloris, & ut nobis apparet, unius odoris, suam, quam peperit prolem agnoscere. Quod acumen iudicij aurium & oculorũ est in genere ouili, inter matrẽ & agnum, hoc etiam significat Christus suo quodam modo esse in ouibus erga proprium suum pastorem: Nouerũt, inquit, uocem pastoris sui, ideoq; sequuntur illum. Alienum autem nõ sequentur, sed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Eadem est proprietas Ecclesiæ ac populi Dei. Nam qui est uerũ membrũ populi Dei, is non sectatur uocem hæreticorũ, & aliorum impiorum doctorum, sed agnoscit tantum uocem Domini Dei sui. Oues meę, inquit Christus postea, uocem MEAM audiunt, & sequuntur ME. Quid ergo dicemus? an uera Ecclesię mẽbra nunq; possunt decipi ac errare? Si hęc ita se habẽt, cur pugnamus cum hæreticis? cur obsistimus impijs doctoribus? cur non permittimus ut lupi securè grassentur in gregẽ Dñi, certi uidelicet, q; oues non decipiant? Metuo, inquit Paulus, ne qua fiat, ut quemadmodum serpens decepit Euam uersutia sua, ita corrumpant sensus uestri à simplicitate, quę erat erga Christũ. Quid metuit Paulus, si oues nõ audiunt uocem alienorũ? Et quis hominum potest inter oues Christi recenseri, cum omnes homines sua natura errẽt? Erraui, inquit, sicut ouis, quæ perijt. Et iterũ: Omnes nos, quasi oues errauimus, unusquisq; in uiam suam declinauit. Quod igitur Christus docet, recte intelligendum est. Nam cum dicit, Oues nõ audire uocem alienorum, nõ significat pios nõ posse seduci & errare, sed significat eos in errore nõ perseuerare, nec perire, etiamsi aliquãdiu seducti errauerint. Fieri enim potest, ut impij doctores mendacium suum tanta elegãtia & pietate ornẽt, ut iurares te audire ueritatem ipsissimam. Itaq; abducũtur & pij aliquoties in errorem. Plurimum enim ualent prętextus nominis Dei, multitudo & potentia eorũ, qui in errore ac impietate consentiunt, diuturnitas temporis, consuetudo, signa & prodigia, quæ nonnunq; Pseudoprophetæ edunt, & fœlix impiæ doctrinæ successus. His certe rebus fieri solet, ut etiam qui uerè & ex animo pij sunt, abripiant, & unà cum alijs errorẽ sectari uideantur. Nam quemadmodum magnus & repentinus torrẽs solet secum rapere non tantum stipulas & lapillos, uerumetiã grãdia & alioqui immota saxa, ita multitudo et magnitudo eorũ, qui errant, auferre solẽt secum etiã eos, qui errorem, & impietatẽ peius cane, quod aiũt, & angue odiunt. Vide mihi tempora Eliæ. Etsi enim septem millia uirorum

Basilius & hunc secutus Ambrosius in suis ἐξαημέροις

Ouium & populi Dei proprietas prima.

Oues non audiunt uocem alienorum.

rum erant,qui non curuauerunt genua ſua anteBaal,impietas tñ Baalitica tam uulgaris,tam potens erat,ut nullus non Iſraelitarum uidebatur eam agnoſcere.Dereliquerunt,inquit Elias,pactum tuum filij Iſrael,Altaria tua deſtruxerunt,Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus ſum ego ſolus.Quid factum eſt ijs temporibus, quibus natus & educatus eſt Ieſus Chriſtus?Multi quidem erant,qui expectabant redemptionem Iſraelis per Chriſtum,attamen totus Iudaicus orbis uidebatur partim Phariſaicus,partim Sadduceicus,hoc eſt, Epicureus.In Põtificio regno hypocriſis ita dominata eſt,ut omnes Chriſtiani uidebantur Pontificij Monachi & Miſſarij.Quem.n.non deciperet tanta ſeculorum ſeries,tot Monarcharum conſenſus,tãta Pontificum & Epiſcoporum autoritas,tãta hypocritarum ſpecies,& tãta impietatis proſperitas?Sed bene habet.Etſi enim pij abducuntur in errores & impietates, tamẽ ea eſt clementia Chriſti paſtoris,ut non ſinat oues ſuas in errore perire. Non peribunt,*inquit*,inæternũ,neq; rapiet eas quiſquam de manu mea.Et Paulus:*Solidum fundamentum*Dei ſtat,habens ſignaculum hoc,Nouit Do*minus*,qui ſint ſui.Ac iterum:Perſuaſum habeo,q; neq; mors, neq; ui*ta*,neq; angeli,neq; principatus,neq; ulla creatura alia poterit nos ſeparare à dilectione,qua Deus nos in Chriſto Ieſu Domino noſtro complectitur.Viuamus ergo,inquies,ſecuri, non obſiſtamus lupis,nõ pugnemus cũ impia doctrina,quippe q; nemo poſsit oues Chriſti de manu eius rapere,& in errore detinere?Imo,tanto magis eſt obſiſtẽdum lupis, &pugnandũ cum impia doctrina,quãto certiores ſumus, q; nemo poſſit oues Chriſti de manu eius rapere.Chriſtus enim inſtituit miniſteriũ prędicandę pię doctrinæ in hunc uſum,ut eſſet organon,quo oues eius aut in officio pietatis contineantur,aut ſi extra ſepta per impiam doctrinam in errorem abductæ fuerint,ab errore reuocentur,& ad ſtabulũ ouium reducantur.Paulus profecturus ad Hieruſalem,in qua conſciendus erat in uincula,hortatur Epiſcopos Epheſios,Attendite, inquiens, uobis & cũcto gregi,in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ad regendum Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, Ego enim noui hoc,quòd poſt meum diſceſſum ingreſſuri ſunt lupi graues in uos,non parcentes gregi.Et ex uobis ipſis exorientur uiri,loquentes peruerſa,ut abducant diſcipulos poſt ſe:propter quod uigilate. Vigilate, inquit. In quẽ uſum? Vt abigatis lupos.Sed non poſſunt,inuito Chriſto,ullam ouem deuorare?Bene,ideoq; uigilandum eſt miniſtris Eccleſię,ut Chriſtus per ipſorũ miniſteriũ oues tueatur.Dei(inquit)cooperarij ſumus, Dei agricolatio,Dei ędificatio eſtis,iuxta gratiã Dei,quæ data eſt mihi. Et:Seruum Domini oportet propenſum eſſe ad docẽdum, tolerantem malos cum manſuetudine,erudientẽ eos,qui obſiſtunt,ſi quando det illis Deus pœnitẽtiam,ad agnoſcendam ueritatem, & reſipiſcãt è laqueo Diaboli.Quare quo certiores ſumus,quòd Chriſtus tueatur Eccleſiam ſuam,ne impia doctrina pereat,eo debemus nos diligentiores eſſe ad refutandam impiam doctrinam,ut probemus officium & fidẽm noſtram Chriſto Domino noſtro.Quod Chriſtus in tuẽda Eccleſia facit ſua autoritate & potentia,faciamus nos noſtro miniſterio & obſequio. Cæte-

Eccleſiaſtici miniſterij uſus.

rum,cum Christus tantam habeat rationem suarum ouium,ut cõseruet eas perpetuo,quid reliquum est,q̃ut huic uni studio tota mẽte ac pecto re incumbamus,ut fiamus oues eius? Omnia consecuti sumus, si Deus nos pro ouibus Christi agnoscit.Quid igitur faciendum? in quo elaborandum est,ut fiamus oues Christi? Quid aliud faceremus,q̃ q̃d Christus ipse hoc loco docet,cũ ait:Ego sum ostiũ:Per me si qs introierit,seruabitur,& ingredítur,& egreditur,et pascua inuenier? His uerbis docet Christus,q̃ q uoluerit ouis eius esse,debeat in stabulũ ouiũ intrare per uerum ostium.Ostium autẽ est Christus ipse.Et per hoc ostium intrat, quisquis agnoscit Christum per fidem.Quare credere in Christum, est fieri ouis Christi.Sed de ostio,& introitu per ostiũ,mox dicemus. Nũc persequamur institutum.Recensuimus unam proprietatẽ ouium, quæ cum populo Dei conuenit,uidelicet,q̃ quemadmodum oues agnoscũt uocem sui pastoris,ita & uerus Dei populus agnoscit Euangelion Christi,quæ est uox cœlestis pastoris.Audiamus et alteram proprietatem ouium. Vadit,inquit,ante eas,& oues sequuntur illum. Nam ouis natura sua,ut est inerme animal,ita totũ pendet ex aliena cura & ope.Si à grege aberrauerit,non redit ad stabulum sua sponte,nisi compellatur,adeo que semper necessaria ei est opera pastoris & ductoris. Talis est & natura populi Dei.Homines enim per peccatum ita sunt exarmati,ut nullus eorum possit suis uiribus consequi ueram iusticiã & fœlicitatem,sed toti pendeant à diuina cura & cõseruatione.Quòd si quis eorum,cum uocatus sit in gregem Domini,iterum aberrauerit,& à stabulo Ecclesię per peccatum recesserit,nõ reuertitur sua sponte,sed necesse habet pastoris opera reduci,ac nisi statim prope ianuã excipiat, magna difficultate reducitur,si modo se comprehendi ac reduci patiatur,& nõ totus in lupũ aut aprum uertatur.Dauid eiecit sese quõdam è stabulo ouium Christi, per adulterium et homicidium.Nec est reuersus suo arbitrio,sed pastor necesse habuit amissam ouem quærere,quam cum adhuc ante ianuã oberrantem comprehenderet,reduxit.Petrus exilijt è stabulo ouiũ per abnegationem.Errabat autem tantisper securus in aula Pontificis,dum pastor eum respiceret, ac mox eum in stabulum reduceret.Iudęi fuerunt oues Christi, sed dereliquerunt ouile , & abierunt post suas impietates. Quidergo factum est? Non à ianua tantum aberrârunt,sed longius processerunt usq; in interiora deserti. Vide igitur mihi,quanto labore,quã multo sanguine cõstiterit Prophetas,Apostolos,& Christum ipsum,ut uel paucos tantum ad stabulum reducerẽt.Nam reliqui omnes tamdiu & tam procul aberrauerant,ut iam uersi essent in ursos,lupos,& leones. Fuit & Iudas Ischariotes in numero ouium,sed dereliquit ouile impietate,furtis,& proditione Christi. Etsi autem pastor Christus diligẽter eũ quærebat & reuocabat,tamen ille diutino suo errore ita induratus erat, ut nullo modo uoluerit ferre,quo comprehenderetur , ac reduceretur. Quare magna cura prouidendum,ne ab ouili Ecclesię Dei discedamus, & si forte discesserimus,confestim nos reuocari & reduci patiamur.Habes proprietates ouium,quas Christus in hac parabola cõmemorat,& quę admonent nos,ut firmam habeamus fidem de conseruatione perpe

Oues Christi quomodo fiamus.

Ouiũ & populi Dei proprietas secunda.

tuæ

tuæ noſtræ ſalutis in omnibus aduerſis. Sed ſunt & aliæ ouium ſeu proprietates, ſeu cõditiones, quæ nos admonere debent noſtræ uocationis. Primum.n. Ouis, animal ita conditum eſt, ut nihil ſit in eo, q̃d nõ ſuum habeat uſum, & quod non ſingularẽ quandã utilitatem afferat. Quare, qui uoluerit in cœlo agnoſci pro oue Chriſti, ſic debet inſtituere ſuã uitam, ut proſit tam ad illuſtrandã gloriã Dei, q̃ ad conſeruandam hominum ſalutem. Omnes uires animi, omnia membra corporis conferri debent ad ſeruiendum publicæ utilitati. Vide igitur mihi, quantum abſint ab ouium conditione, impij, maledici, impoſtores, & alij ſcelerati. Hi.n. omnes uires animi & corporis eò conferunt, ut nomen Dei blaſphemia afficiatur, & homines incommoda accipiant. Nam cum ſua tantum quærant, nihil penſi habent, ſiue aduerſus Deum, ſiue aduerſus homines peccent, modo ſuis cupiditatibus morẽ geſſerint. Quare non ſunt oues, ſed lupi, fures, prædones & latrones. Deinde ouis tantæ eſt patientiæ, ut etiamſi tondeatur, hoc eſt, priuetur ſuo ueſtimento, aut mactetur, tamẽ taceat. Ouis, inquit Eſaias, cum ad occiſionẽ ducitur, obmuteſcit, & agnus coram tondente ſe, non aperit os ſuum. Exemplũ huius patientiæ debet & ouis Chriſti imitari. Si auferuntur tibi tua in hoc ſeculo, nec potes ea retinere legitimè & piè, non eſt uirulenter inſaniendum, & contumelioſe conuiciandum, ſed eſt cum Iobe dicendũ: Dominus dedit, Dominus abſtulit, Sit nomen Domini benedictum. Si uita relinquenda eſt, ut illuſtretur nomen Chriſti, aut ne peccetur aduerſus Chriſtum, nõ eſt impatienter murmurandum, ſed cogitãdum, quòd qui propter Chriſtũ perdit animam ſuã, ſeruet eam. De his & ſimilibus rebus debet nos cognomen ouis admonere. Atq̃ hactenus quidẽ de ouibus & ouili. Dicemus autem nunc etiam de Oſtio. Poſtq̃ enim Chriſtus ſignificauit Eccleſiã Dei eſſe ouile, & pios homines eſſe oues, dicit in hoc ouili ſuum quoq̃ oſtium eſſe. Quod aũt ſit illud oſtium, exponit ipſe: Ego ſum, inquiens, oſtium ouiũ. Et ne quis exiſtimet ei hoc uerbũ temerè excidiſſe, ſtatim repetit: Ego ſum oſtiũ, per me ſi quis introierit, ſeruabitur. Hoc epitheton oſtij, quod Chriſtus ſibi tribuit, diligentiſsimè et conſiderandum et conſeruãdum eſt. Docet enim, q̃ nullus poſsit eſſe membrum Eccleſiæ Dei, ac hæres cœleſtis regni, niſi q̃ per Ieſum Chriſtũ in hoc ouile ingrediatur. Amen, amen, inquit, dico uobis, qui nõ intrat per oſtiũ in ſtabulum ouiũ, ſed aſcendit aliũde, ille fur eſt & latro. Ac mox: Omnes quotquot ante me uenerũt, fures ſunt & latrões. Quid ergo ad hæc dicemus? Ân non Patriarchæ, Moſes, Dauid, & Prophetæ uenerunt ante Ieſum Chriſtum? Dicemus igitur eos eſſe fures & latrones? Prohibeat Deus, ut tantam temeritatem aut cogitando aut dicendo admittamus. Nam quod Chriſtus dicit, Quotquot uenerũt ante me, fures ſunt & latrones, quid ſibi uelit, ſatis perſpicue initio ſuæ concionis ſignificauit. Ait enim: Qui non intrat per oſtium, ſed aliunde aſcendit, is fur eſt & latro. Itaque uenire ante Chriſtum, non eſt Chriſtum tempore præcedere, ſed eſt aliunde aſcendere, & non intrare per oſtium. Patriarchæ autem, Moſes, Dauid & Prophetæ non aſcenderunt aliunde, ſed ingreſsi ſunt per oſtium. Quare non dicuntur hoc loco ueniſſe ante Chriſtum, ſed potius in

Ouiũ & populi Dei proprietas tertia.

Ouium & populi Dei proprietas quarta.

Oſtium Chriſtus.

traſſe in Chriſto & per Chriſtum. Quod ut melius intelligamus, uidendum erit, quid ſit ingredi ſeu intrare per oſtium, ſeu per Ieſum Chriſtũ, qui eſt oſtiũ, quid item ſit aliunde aſcendere. Etſi autem oportet omnes eos qui ſalutem conſequuntur, per Ieſum Chriſtũ intrare, tamen in hoc loco prȩcipue fit ſermo de his, qui publico miniſterio in Eccleſia fungũtur. Hi em̃ iuxta phraſin ſcripturę dici ſolent Intrare. Quare ingredi ſeu Intrare per Ieſum Chriſtum, primum eſt credere, confiteri & prȩdicare, quòd ſolus Ieſus Chriſtus, unigenitus filius Dei, ſit iuſticia, redẽptio & ſalus noſtra, & quòd non ſit aliud nomẽ hominibus datum, in quo ſalutem conſequantur. Ipſe enim eſt propiciatio, uita & reſurrectio noſtra. Deinde ingredi per Ieſum Chriſtum, eſt in ipſo quærere, nõ mundanũ, ſed cœleſte regnum. Regnum enim meũ, inquit, non eſt de hoc mundo. Huc confer mihi nunc Patriarchas & alios pios, ac perſpicuè uidebis, ꝙ nõ aſcenderint aliunde, ſicut fures & latrones, ſed quòd ingreſsi ſint per uerum oſtium, & fuerint oues ueri paſtoris. Etſi enim, ſi externum tempus reſpicias, fuerunt longè antequam Chriſtus homo natus eſt, tamen crediderunt in Chriſtum, qui ipſis erat promiſſus, & petiuerunt ex ipſo ſolo remiſsionem peccatorum ſuorum, reconciliationẽ cum Deo, & uitam ȩternam. Credimus, inquit Petrus, nos ſaluos futuros per gratiam Domini Ieſu Chriſti, quemadmodum & Patres noſtri. Et ſupra: Abraham exultauit, ut uideret diem meũ, uidit & gauiſus eſt. Porro, quod Patriarchę crediderunt, hoc etiam in cœtu populi ſui prȩdicauerunt, ut & alij intrarent in ouile Dei per Chriſtum, & conſequerentur ueram ſalutem. Accedit huc, ꝙ etſi acceperunt promiſsionem de mundano regno in terra Canaan, tamen nõ quæſiuerunt in Chriſto mundanum, ſed cœleſte regnum. Sciebant promiſſum eſſe mundanũ regnum, nõ propter hanc cauſam, quòd Chriſtus eſſet futurus externus Monarcha in terris, ſed ut interea tẽporis conſeruarentur in aliqua politia promiſsiones de Chriſto, donec ipſe ueniret. Per fidẽ, inquit epiſtola ad Hebræos, mortui ſunt hi omnes, cum non accepiſſent promiſsiones, ſed procul eas uidiſſent, & credidiſſent, ſalutaſſentq́, & confeſsi fuiſſent, ſe hoſpites atq́ aduenas eſſe in terra. Nam hȩc qui dicunt, declarant ſe patriam inquirere. Cum igitur Patriarchæ quæſiuerint per fidem in Chriſto ſpiritualia & cœleſtia beneficia, nõ poſſunt dici fures ac latrones, etiamſi uenerint, quod ad tempus attinet, in hunc mundũ antequàm Chriſtus homo natus eſt. Aliunde autem in ouile aſcendere aut intrare hi dicũtur, primũ, qui non credunt quòd propter ſolum Chriſtum reputẽtur coram Deo iuſti, ſed confidunt ſe meritis ſuorum operum conſequi remiſsionẽ peccatorum, & cœleſtem fœlicitatem. Deinde qui ſentiunt & docẽt, iuſticiam & æternam uitam contingere, non propter ſolũ Chriſtum per fidẽ, ſed propter merita operum. Poſtremo, qui prætextu nominis Chriſti quærunt mundanam libertatem, & carnalem dominationem. Et qui ſic aſcendunt aut intrant, hi uerè ſunt fures & latrones. Non enim conſequuntur ipſi ueram ſalutem, nec ducunt alios, quos docent, ad ueram ſalutem, ſed furantur impia ſua opinione & doctrina, tam ſibi ipſis quàm alijs omnem iuſticiam & fœlicitatem, & conijciũt ſe & alios in perpetuã internecionem.

Ingredi per Chriſtũ, aut aliũde, quid?

internecionem. Porro cum fures aberrent à uero ostio, & tamen conentur intrare in ouile Dei, necesse habent sibi noua ostia excogitare ac extruere, quibus ingrediantur. Considerabimus igitur nunc, quantus semper fuerit, & adhuc sit numerus furum ac latronum in orbe terrarum, & quàm multa ac uaria ostia in ouili Dei conficta sint. Nam primus latro in terris fuit Cain, qui nõ tantum commisit latrocinium fratricidio, uerumetiam impietate suę religionis. Etsi enim obtulit Domino de fructibus terræ, tamen obtulit hac opinione, quòd ipse esset semẽ illud mulieris, quod Adamo promissum erat, & quòd ipse merito sui operis posset placare iram Dei, & consequi salutem. Itaq; hac impia opinione aberrauit à uero ostio Ecclesiæ Dei, & regni cœlestis, ac statuit se ipsum pro ostio, ex quo factum est, quòd furatus & prædatus sit tam sibi, quàm familiæ suæ omnem salutem. Hunc sequuntur deinceps alij latrones, in orbe terrarum. Postquàm enim gentes propagatæ sunt à filijs Noe, alius populus alia sibi ostia regni cœlorum architectatus est. Ac in familia Abrahami restituta quidẽ est diuinitus syncera doctrina de uero ostio, uidelicet Christo filio Dei, cum dictum fuit: In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Et hoc ostium diligentissimè ostenderunt, ac patefecerunt Prophetæ. Sed nunquàm non fuerunt inter posteros Patriarcharum, qui noua sibi ostia extruxerint, quibus ingrederentur in ouile Dei, ac prædarentur. In deserto instituerunt uitulum aureum, & dixerunt: Hi sunt dij tui, qui te eduxerũt de terra Aegypti. Hoc quid aliud fuit, quàm si dixissent: Hoc est ostium, per quod ingrediẽdum est in regnum cœleste. Rex Ierabeam instituit duos aureos uitulos. Alij ædificauerunt excelsa. His accesserunt Baalitę. Hi fuerunt fures & latrones in populo Dei, ac excogitarunt noua ostia, quibus in cœlum ingrederentur. Postremo exorti sunt Pharisæi & Sadducæi, qui tot ostia in ouili Dei architectati sunt, quot opera excogitarunt, quibus mererentur peccatorum remissionem & uitam æternam. Vt interim nihil dicã de hypocritis, qui operibus à Deo præceptis affinxerunt hanc opinionem, quòd cum fiant ab hominibus, sint perfecta iusticia, & meritum æternę uitæ. Ad hunc catalogum pertinent etiam seditiosi, qui circa tempora aduẽtus Christi arrogarunt sibi externam maiestatem Messiæ, & pollicebantur Israelitis mundanam liberationẽ ac dominationem. Hi ut somniarunt fœlicitatem per Messiam tribuendam esse terrenam, ita finxerunt etiam terrena ostia, nimirũ, gladios, lanceas & alabardas, quibus in suum cœlum ingrederentur. Itaq; coniecerũt sectatores suos nõ solum in externam, uerumetiam in ęternam internecionem. Quid est furari, prædari, & latrocinari, si hoc non est? Atq; hęc quidem inter Iudæos facta sunt. Inter Gentes autem incircumcisas, cum nulla fuerit cognitio Christi, publicum fuit latrocinium per philosophiam & idolatriam. Etsi enim Philosophi quędam de moralibus uirtutibus cum decalogo consentanea docuerunt, tamen ubi non est cognitio Christi, ibi doctrina de uirtutibus nihil prodest ad consequendam ueram salutem. Sacrificuli autem idolorum tot noua ostia ædificarunt, quot idola hominibus colenda proposuerũt. Itaq; cum idolatria ducat homines potius ad

Ostia in ouile Dei uaria cõficta ante Abrahamũ.

Ostia uaria in populo Israelitico.

Ostia uaria apud Gẽtes.

infernũ q̃ ad cœlum, hi ſacrificuli manifeſti ſunt fures & latrones. Ac hactenus quidẽ de furibus & latronibus, qui fuerũt ante aduentũ, & circa tẽpora Chriſti. Recẽſeamus & eos, qui exorti ſunt poſtquã Chriſtus in hunc mundũ uenit, & Euangelion ſuũ per Apoſtolos in orbẽ terræ diuulgauit. Hi.n. etſi uenerunt poſt Chriſtũ, tñ & ipſi dicunt ueniſſe ante Chriſtũ, propterea quòd non intrauerint per uerũ oſtiũ, ſed aliunde aſcenderint, ac noua & ficticia oſtia excogitauerint. Alij.n. ſunt Phariſæi, qui cũ accepiſſent Euangeliõ Chriſti, docuerunt neminẽ poſſe ſalutẽ cõſequi, niſi circũcideretur. Alij ſunt hęretici, quorũ hi negãt diuinitatẽ Chriſti, illi humanitatẽ eius, iſti alios pernicioſos errores cõmenti ſunt. Alij ſunt Mahumetiſtę, qui abiecto Euangelio Chriſti, architectati ſunt ſibi nouas ſcalas & noua oſtia in regnũ cœlorũ. Alij ſunt ſacrificuli Miſſarij, & Mõnachi, qui tot in cœlo ędificarunt oſtia, quot celebrarũt Miſſas pro peccatis uiuorũ et mortuorũ, & quot inſtituerunt ordines monaſticos. Alij ſunt doctores inuocationis ſanctorũ, peregrinationũ, & aliorum ſuperſtitioſorũ operũ. Hi tot affinxerũt cœlo oſtia, quot ſanctos inuocandos propoſuerunt. Alij ſunt Pontificij, qui prętextu noĩs Chriſti arrogant ſibi omnẽ poteſtatẽ in cœlo & in terra. Hi ponunt ſeipſos pro oſtio cœlorũ. Breuiter fures et latrones ſunt oẽs, quotquot aliud oſtiũ in regnũ cœleſte docent, q̃ Ieſum Chriſtũ ſeruatorẽ noſtrum. Nã unũ tm̃ eſt uerũ oſtiũ in ouile Dei, & in regnũ cœleſte, uidelicet Ieſus Chriſtus, unigenitus filius Dei. Nullum aliud eſt nomẽ, inquit Petrus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et Chriſtus ipſe: Qui credit in unigenitũ filium Dei, nõ condemnat. Qui uerò nõ credit, iam cõdemnatus eſt. Quare, q̃ per hoc oſtiũ ingredit, is et uera fit ouis, & uerũ imitat paſtorẽ. Primũ.n. oſtiarius ei aperit, quia qui credit in Chriſtũ, hunc Deus Pater, qui eſt oſtiarius, tanto fauore complectitur, ut adoptet eum in filium, & pateſaciat ei per ſpiritum ſanctum, q & ipſe eſt oſtiarius, theſaurũ oĩs cœleſtis hæreditatis. Deinde ſeruabit, inq̃t, & ingredietur, & egredietur, ac paſcua inueniet, q̃a qui credit in Chriſtum, conſequit uerã ſalutẽ: & quemadmodum ouis ingreditur & egreditur ſuo tẽpore per oſtium ductore paſtore, ac paſcit abundanter, ita qui in Chriſtum credit, ambulat ſecurè in oĩbus caſibus, nec quicq̃ poteſt ei deeſſe. Siue.n. ſitiat & eſuriat, habet paſtorẽ, cui curæ eſt, ſiue ęgrotet ac moriat, habet paſtorem, qui ipſum cõſeruet in perpetua uita. Solum igit hoc oſtium, quod eſt Ieſus Chriſtus, ducit hoĩes ad uerã fœlicitatẽ. Reliqua aũt oĩa oſtia, quę uel Iudęi Baalitę, uel gentes Idolatrę, uel Phariſęi, uel Monachi, uel Turcæ excogitarunt, ut ſunt conmenticia & adulterina, ita abducunt hoĩes ad infernum potius q̃ in cœlum. Quid ergo, inquies, illud eſt, quod in Apocalypſi, non una tm̃ porta cœleſtis Hieruſalem, ſed duodecim cõmemorentur? Oſtẽdit, inquit, mihi ciuitatẽ magnã ſanctã Hieruſalem, deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei, habentem portas duodecim. In Eſaia etiã dicit de Eccleſia: Aperient portę tuę iugiter, die ac nocte nõ claudentur. Si ſunt multę, & ut Apocalypſis numerat, duodecim portę cœleſtis Hieruſalem ſeu ouilis & Eccleſiæ Dei, quõ in hodierna cõcione, una tm̃ porta nobis ꝓponit? Sed facilis eſt huius rei explicatio, ſi cõſideraueris,

Oſtia noua et ficticia poſt aduentum Chriſti.

Oſtium ad ueram fœlicitatem Chriſtus.

Portæ duodecim regni cœlorum.

per

per quos Euangelion Christi diuulgatum sit in totum orbem terrarum. Vna.n.tantum uera est porta regni cœlestis, Iesus Christus Dominus noster, quemadmodum sæpe iam diximus, sed hanc unam portam patefecerũt orbi duodecim Apostoli à Christo in hoc emissi, ut Euangelion eius inter oẽs gentes adnunciarent. Cũ igit̃ duodecim Apostoli aperuerint portã, Christũ, dicunt̃ & ipsi portę regni cœlorũ, nõ persona sua, sed ministerio suo, q̃ unã solã & uerã portã, quę est Iesus Christus, ostenderunt. Et q̃a doctrina Apostolica de Iesu Christo publicè adnunciata est, et adhuc in Ecclesia adnunciat̃, idcirco portę regni cœlestis semper patere dicunt̃. Claudent̃ aũt in nouissimo die, quia tunc cessabit publica prædicatio, & erit deinceps tẽpus nõ discendi Euangeliũ, sed accipiendę mercedis uel fidei, uel incredulitatis. Quare uigilãdum nobis est, & festinandũ, ut dũ tẽpus habemus, & portę adhuc patefactę sunt, ingrediamur ad cœleste regnũ, per Iesum Christũ, unũ & solũ uerũ ostiũ, q̃ est unà cũ Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXIX.

PAtefecimus superiori die aditum & ostium in ouile Domini Dei nostri, quo, si quis introierit, seruabit̃, inquit Christus, ingredietur & egrediet̃, ac pascua inueniet. Ostendemus igitur nunc pastorẽ, ut tradamus nos curę eius, & seruemur per ipsum ab omni incursu luporũ. Nam Iesus Christus, quo manifestius se ac sua beneficia Ecclesię suę reuelaret, non tm̃ tribuit sibi epithetõ Ostiũ, sed etiam epitheton boni pastoris. Ego sum, inquiens, pastor bonus. Et quemadmodum antea nõ semel, sed bis uocauit sese ostium, ne quis existimaret hoc uerbum temerè ipsi excidisse, ita & hoc loco bis dicit sese bonum esse pastorem, significans hac repetitione, hoc cognomen pastoris non esse oscitanter prętereundum. Quare faciemus Domino Deo nostro officium gratissimum, & consulemus saluti nostræ rectissimè, si hanc concionem filiũ Dei de bono pastore diligenter cognoscamus. Ac initio considerandum est quòd Christus non nunc primum excogitauerit sibi epitheton pastoris, sed Spiritus sanctus tribuerit ei hoc cognomen ante quadringentos, aut etiam sexcentos annos, cum nondum assumpsisset hominem. In Esaia dicitur de Christo: Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit. Et in Ezechiele: Suscitabo, inquit Dominus, super ea pastorem unum, qui pascat ea, seruum meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorem. Et in Zacharia: Framea suscitare super pastorem meum, & super uirum cohærentem mihi dicit Dominus Zebaoth. Percute pastorem, & dispergentur oues gregis. Hæc de Christo intelligenda esse, ex Apostolicis scriptis manifestius est, quàm ut hoc loco pluribus demonstrari debeat. Cum igitur Christus acceperit tanta autoritate cognomen pastoris, magnę nobis curæ sit, ut quid sibi hoc cognomen uelit, intelligamus. Sed audiamus ipsummet Christum de ea re concionantem. Nam, cum ea, quæ opponũtur, ex collatione illustriora fiant, Christus confert inter se proprietates boni pastoris, & furũ, la-

Christus pastor bonus.

tronũ,ac mercenariorũ,ut beneficia ſua clariora reddantur. Etenim quẽ admodum in politicis regnis ſolent quatuor eſſe genera gubernatorũ. Alĩ ſunt Latrones. Hi ſunt tyrãni,qui dominant̃,nõ ut ſeruiãt Reipub. ſed ut expilando,diripiendo,mactando & trucidando ciues ſuis cupiditatibus ſatisfaciant. Alĩ ſunt fures. Hi ſunt iniqui iudices,qui donis corrupti,peruertunt iudiciũ. Alĩ ſunt mercenarĩ. Hi ſunt,qui rempub. tantiſper tolerabiliter adminiſtrant,dum capiunt ex ea priuatã utilitatẽ & tranquillitatem,& qui adminiſtratione ſua hoc unum agunt,ut aucupẽtur publicum hominum fauorem. Poſtq̃ aũt pericula et odia ſubeunda ſunt,malunt uel abĩjcere gubernationem,uel à recto & iuſto deflectere.

Miniſtrorũ Eccleſiæ genera.

Alĩ ſunt boni principes,qui dominãtur iuxta leges,& faciunt,quemadmodum ſcriptura loquit̃,iudicium & iuſticiã,ac tuentur ſuos ciues pertela per ignes. Tales Principes fuerunt Moſes,Dauid & multi alĩ. Ita etiam in miniſterio Eccleſię quatuor ſunt genera ſeu miniſtrorũ, ſeu gubernatorũ. Alĩ ſunt fures,qui falſa & impia doctrina decipiunt animos ſimplicium et furant̃ eis ſalutẽ ſuam,quales ſunt hæretici. Alĩ ſunt latrones,qui nõ ſolum impia doctrina,uerumetiam externa tyrannide graſſantur in Eccleſiam Chriſti,idq̃ prætextu nominis Chriſti,quales quõdam fuerunt Arriani,& nunc ſunt impĩj pontifices. Alĩ ſunt mercenarĩj,qui docẽt quidẽ ſyncerum Euangelion Chriſti, dum tẽpus eſt tranquillum,Sed ſi periculũ imminet,eò ſe,quò fortuna,inclinant. Si Põtificia doctrina promouere uidetur,amplectuntur eam, ſi Euãgelica uidet fœlix,aſſentiuntur & illi,ac ſuſcipiunt eam docendam. Quod ſi mandaretur eis,ut ſi uelint Eccleſiaſtico ſuo ſtipẽdio tranquille frui doceãt Mahumetũ,obſequerẽtur ſine cunctatione. Alĩ ſunt boni paſtores. Etſi aũt cognomẽ boni paſtoris poteſt ſuo quodã modo tribui Patriarchis,Prophetis, Apoſtolis,& multis pĩjs Epiſcopis,tamen hoc cognomẽ competit propriè ſoli Dño noſtro Ieſu Chriſto. Hic.n. ſolus habet omnes proprietates et conditiones boni paſtoris. Audiamus ergo,quę ſint illę proprietates,ut Chriſtũ paſtorem noſtrum recte cognoſcamus. Enumerantur autem hoc loco prĕcipuè tres,idq̃ ut antè diximus,per collationem ad fures,latrones & mercenarios. Dicit.n. Chriſtus: Fur non uenit, niſi ut furetur,& mactet ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & affluẽtiam habeant. Hæc eſt una proprietas, ex una quidẽ parte furũ ac latronũ, ex alia aũt parte boni paſtoris. Fur.n. ingreditur noctu in ouile, nõ ut ouibus aliquid alimenti afferat,ſed ut oues auferat, nõ ut paſcua importet, ſed ut uel paſcua uel oues tollat. Et latro graſſatur gladio ſuo in ouile,nõ ut defendat oues,ſed ut mactet eas,& perdat. Bonus aũt paſtor ingreditur in ouile,ut oues uitã & affluentiã habeant,hoc eſt, ut det ouibus paſtum ſuum non parcè,ſed largè & copioſè,quo nõ ſolum propagent uitam,ſed etiam ferant lanam,& prębeant lac. Hęc eſt proprietas & uirtus Chriſti ueri paſtoris. Non.n. uenit,ut mactet oues ſuas, ſed ut ſuppeditet eis omnium rerum abundantiam & copiam. Chriſtus.n. non eſt cyminopriſtes,qui dona ſua parcè diſtribuat, ſed eſt benefactor longè omnium liberaliſsimus,ac largitur ea, quæ non ſolum ſunt neceſſaria ad tuendam uitam, uerumetiam quæ afferant ſummam & perpetuam

Proprietates & conditiones boni paſtoris.

Proprietas prima.

uoluptatem.

uoluptatem. Ac si quidem loquendum est de corporali uita & affluentia eius, & si Christus nō uenit in hunc mundū, ut suscipiat mundanū regnum, & distribuat terrena bona, pro more monarcharū huius seculi, tamen hi qui credunt Euangelio, accipiunt à Deo Patre, etiam corporalium beneficiorum abundantiam propter Christum. Nam Christus impetrauit his, qui credunt in ipsum, ut Deus Pater complectatur eos maximo omnium fauore, et adoptet ipsos in filios ac hęredes suos. Cui aūt Deus fauet, & qui Deo, ut parenti filius, curæ est, quomodo fieri posset, ut in indigētia etiam corporalium bonorum ope diuina destitueretur? Non affliget, inquit scriptura, Dominus animam iusti. Iustus aūt dicit, qui propter Christum reputatur iustus, & ambulat in pia Dei uocatione. Et Christus ipse ad discipulos ait: Nonne anima pluris est, quam cibus, & corpus pluris, cꝫ indumentum? Quod aūt dicit, hanc habet sententiam. Deus Pater dedit uobis corpus & animam, quæ sunt excellentissima, & non daret uobis cibum & indumentū, quæ sunt uiliora, si modo primū omnium quæsieritis regnum Dei, & iusticiam eius? Et iterū: Vertite oculos ad uolatilia cœli, Et quæ sequuntur. Notus .n. est locus. Sed Iesus Christus is pastor est, qui prȩcipuè afferat credētibus in ipsum uitam spiritualē, & omnē eius abundantiam. Primū.n. donat omnibus in ipsum credentibus totā suam iusticiā, ut possint ea in iudicio Dei confidere, ac de ipsa uerè gloriari: Qua iusticia qui prædituſ est, non solum habet, quod necessitati sufficiat, sed etiam, quod abundet. Ac certissimū quidē est, quòd si quis iusticiam suorū operū cōsideraverit, intantū non abūdat, ut nec habeat quo cōstet omnino in humano iudicio, tm̄ abest, ut possit ea cōstare in diuino iudicio. Qui aūt donatus est iusticia Christi, is habet in Christo non solum sufficientiam, sed etiam abundantiam iusticię. Hoc illud est, quod Christus ait: Ego ueni, ut uitam, adeocꝫ abūdantiam in uita habeant. Deinde Christus nō tm̄ cōseruat suos in morte, & dat eis ȩternā uitam, uerumetiā in hac ȩterna uita donat eis summā & cœlestē fœlicitatē. Hoc iterū est dare uitam, & abundantiā eius. Quid ergo pastore Christo melius? quid eo optatius? Sed quam, inquis, utilitatem affert nobis hæc concio de Christo? Quid profuerit, etiamsi cognoscamus & credamus Christū esse bonū pastorē, qui det ouibus suis uitam, atcꝫ abundantiā uitę? Audi obsecro. An nō diuinitus nobis mandatum est, ut Christū audiamus, & uoci eius fidē adhibeamus? Ponam, inquit, uerba mea in ore eius, loqueturcꝫ ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui aūt uerba eius quæ loquet in nomine meo audire noluerit, ego ultor existam. Et iterū: Hic est filius meus dilectus, in q̄ mihi cōplacitum est, HVNC Audite. Vides quāta seueritate exigat Deus, ut audiamus concionē Christi, & credamus ei. Quare si nihil aliud utilitatis cōtingeret nobis, tamen hæc magna est utilitas, quòd audiendo & credendo Euangelio Christi, obsequamur uoluntati omnipotentis Dei, creatoris nostri, & prȩstemus ei, cui debemus omnia officia nostra, gratissimum cultum. Nō potes.n. Deum maiori honore afficere, quàm si credideris uoci unigeniti filꝰ eius, Iesu Christi. Sed ex fide huius cōcionis maior accedit nobis salus, cꝫ Deo honor. Alius.n. premitur dura omnium rerū

Iustus quis dicatur.

Christi ueri pastoris beneficia erga oues suas.

Proprietatis primæ usus.

egestate,alius affligitur ex agnitione suę iniusticiæ,alius turbatur metu mortis & inferni. Quo ergo hi sese uertant? Si uolunt certam consequi liberationem,necesse habent sese uertere ad pastorẽ Christũ,& hanc cõcionem eius per fidem excipere. Si metuis,ne fame pereas,audi quid pastor tuus dicat: Ego ueni,ut uitam habeant,& abundantiã. Quid? maiorem ne fidem adhibebis sensui tuo,& crumenę tuę,in qua nullam uides pecuniam,qua emas alimenta, an cõcioni pastoris tui? Recipit hic,te sibi in omnibus aduersis curę fore: dicit eum,qui per ipsum ingrediatur, inuenturũ pascua,& adhuc dubitas de ope & auxilio eius? Nõ uides panem in canistro,nõ pecuniam in crumena,Sed si uideris Christũ in corde tuo,an tibi aliquid defuturũ metuis? Statue huc mihi impium,qui habet in crumena mille aureos numos,nõ habet aũt Christũ in corde suo per fidẽ. Statue & teipsum mihi ex altera parte,qui habeas tãtum unum argenteũ numũ in crumena,sed Christũ in corde per fidẽ,uter,obsecro, maiorem thesaurũ in suo numo inueniet? Profecto res ipsa sic sese habet, quod qui affert animũ plenum Christo ad uacuam crumenã,multo plures & maiores opes inueniet, quã qui affert animum uacuum Christo, ad crumenam numis oppletam. Quare operam demus,ut animum nostrum Christo pastore impleamus,quem si possidemus, omnia erunt nobis impleta,quocũcę respexerimus. Si indiges iusticia, & metuis,ne propter peccata pereas in morte,audi quid pastor tuus concionet: Ego ueni,inqt,ut uitã habeãt,& abundantiã uitę. Diuersum quidẽ loquitur cõscientia tua,ponit tibi ob oculos peccatũ tuũ nõ solum opere perpetratum,sed etiam adhuc carni inhęrens,obtrudit tibi sensum mortis. Sed quid? plus ne fidei adhibebis tuæ conscientiæ & sensui, quã uoci unigeniti filij Dei? Si nos,inquit Ioãnes,condẽnat cor nostrũ,maior est Deus corde nostro,et nouit oĩa. Deus.n.optime nouit,quòd habeamus peccatum,& quod cõsciẽtia,tancę mille testes,dicat de peccato aduersus nos testimonium. Sed ipse maior est corde,conscientia,& peccato. Cũ ergo ipse testificetur per unigenitum filiũ suum,se reputare nos iustos & conseruare nos in morte ad uitã,propter Christũ,maiorẽ certe fidem adhibere debemus testimonio Dei,quam testimonio cõscientię nostrę. Vbi exuberauit,inqt Paulus,peccatũ,ibi MAGIS exuberauit gratia,ut quẽadmodum regnauerat peccatũ in morte,sic & gratia regnaret per iusticiam,ad uitã ęternã per Iesum Christũ. Quare si sensus peccati et mortis affectant in nobis regnũ,ut nos mactent & occidãt,conuertamur ad pastorem animarũ nostrarũ,audiamus uocem eius, & credamus ei, ut per ipsum regnet in nobis iusticia & uita. Iam & illud hoc loco obseruandũ est,quòd debeamus non solum fidem nostram ex concione Christi confirmare,sed etiam exemplũ Christi imitari. Ouis.n. debet sequi uestigia pastoris sui. Pastor aũt noster uenit,non ut auferat & mactet,sed ut afferat & tribuat uitam. Fieri quidem non potest, ut homines sibi inuicem possint dare talem uitam,qualem Christus dat pijs, & credentibus in ipsum. Maiestas enim dandæ ueræ uitæ ad solum Iesum Christum pertinet,in exemplo autem dandi imitãdus est Christus. Nam quemadmodum Christus pastor, non uenit ut furetur, mactet & perdat oues,sed ut adiuuet,

Pastor is boni exemplũ ouibus imitandum.

ut adiuuet ac ſeruet eas, ita qui agnoſcit Chriſtum paſtorem ſuum, non ſentiat ſe hominem eſſe natum, ut hoibus male faciat, ſed ut eis bene faciat. Non ſumus in hac terra cõſtituti, ut alijs ſua auferamus, ſed potius ut noſtris rebus alios iuuemus, & pro noſtra uirili, quoquo modo poſſumus, ſeruemus: Auarus, impoſtor, prædo, exiſtimant ſe ad hunc tantum uſum natos, ut furent, & rapiant. Exemplum aũt Chriſti docet nos, ut beneficia demus, ac tribuamus. Exemplum, inquit, præbui uobis, ut quemadmodum ego feci uobis, ita & uos faciatis. Sed hæc de prima bo ni paſtoris proprietate ſufficiant. Dicamus etiam de alia. Poſtquam, n. Chriſtus oppoſuit ſeſe furibus & latronibus, opponit ſeſe nunc mercenarijs, ut altera boni paſtoris proprietas illuſtrior fiat. Dicit. n. Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus. Mercenarius aũt, & qui nõ eſt paſtor, cuius non ſunt oues proprię, uidet lupum uenientem, ac deſerit oues fugitq́, & lupus rapit, ac diſpergit oues. Mercenarius aũt fugit, qa mercenarius eſt, & oues nõ ſunt illi curæ. Vide quãtum ſit diſcrimen inter mercenariũ, et bonum paſtorẽ. Mercenarius, etſi paſcit oues tranquillo tempore, tamẽ nullum ſubit periculum propter oues, nec tuetur eas, ſed deſerit eas, ſi uel grauis tempeſtas oriatur, uel lupi in gregem graſſentur. Bonus aũt paſtor non ſolum paſcit oues, ſed etiam defendit eas periculo uitæ ſuæ, ac mauult diſcerpi ipſe, q̃ꝑ oues lupo diſcerpendas relinquere. Bonus, inquit, paſtor dat animã ſuam pro ouibus. Declarauit aũt Ieſus Chriſtus manifeſtiſsimè, quòd habeat hãc boni paſtoris proprietatem. Diabolus. n. qui eſt & leo rugiens, & lupus rapiens, graſſatus eſt iam inde ab initio mundi in ouile Dei. Et quia ſuſcepit tyrannidem propter peccatum aduerſus homines, cogitauit morte & inferno perdere totum humanum genus. Filius aũt Dei fecit, quod eſt boni paſtoris officium. Venit. n. in hunc mundum, aſſumpſit hominem, & expoſuit ſe propter homines turpiſsimę morti, ut peccata hominũ expiaret, ac eriperet eos de poteſtate diaboli, transferretq́, oẽs quotquot in ipſum credunt, in cœleſte regnum. Sed quid? num hęc de Chriſto audienda tm̃, & ſcienda, non itẽ utenda proponunt? Imo propter uſum iam olim & dicta & ſcripta ſunt, ac nunc cõmemorantur & explicãtur. Primum. n. cognoſcendum eſt fide, & credendum, quòd Chriſtus habeat hanc proprietatem boni paſtoris, ut opponamus eam accuſationi peccatorę, in iudicio Dei. Nã qui ſiſtitur ad tribunal Dei, accuſari ſolet, quòd ſit peccator, & quòd ſit propter peccata obnoxius perpetuæ morti ac dãnationi. Hæc accuſatio multo eſt grauior & horribilior, q̃ꝑ uerbis dici queat. Poſſumus quidẽ uerba hominis referentis pro publica concione ſententiam huius accuſationis facile tolerare, ac etiam contemnere, ſed ſi hęc in diuino iudicio obijciantur ſeriò, nullę humanæ uires tantę ſunt, quę poſsint ea ſuſtinere. Cum Deus recitaturus eſſet Decalogum, qui eſt ſententia Dei aduerſus peccata, iuſsit Iſraelitas ad radices mõtis Sinai, quaſi ad tribunal ſtare. Quid ergo factũ eſt? Poſtq́ꝑ audiuerunt uocem Dei, tanto terrore concuſsi ſunt, ut retroceſſerint, ac dixerint ad Moſen: Loquere tu nobis, & audiemus, Nõ loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Quod hîc publicè in populo Iſrael agit̃, hoc ſolet

Proprietas ſecunda boni paſtoris.

Proprietatis ſecundæ uſus.

Tribunalis Dei terror.

priuatim agi in conſcientia eorum,qui uocant ad reddẽdam rationẽ totius uitæ ſuę in iudicio Dei. Hîc.n. ſingula accuſationis uerba,ſingula ſunt tonitrua,ſingulæ ſagittæ,ſingula iacula,eaq; ignita. Iob ait: Sagittę Domini in me ſunt,quarũ indignatio ebibit ſpiritum meũ, & terrores Domini militant contra me. Et Dauid: Sagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & confirmaſti ſuper me manũ tuam. Nõ eſt ſanitas in carne mea à facie iręe tuæ,non eſt pax oſsibus meis à facie peccatorũ meorũ. Quo igit in tanta anguſtia cõfugies? à quo opẽ petes? Nõ ſeruabunt te bona opera,quę etſi ſemper ſunt facienda,ut declaremus gratitudinẽ noſtram & obedientiam erga Deum,tñ nõ ſunt tam perfectè bona,ut poſsint nos in iudicio Dei defendere. Non ſeruabunt te amici,quippe, quòd in iudicio Dei nemo ſeipſum ſeruare queat,tantum abeſt,ut alium ſeruet. Quare ſi ueram ſalutem aſſequi uolueris, nõ cõfugiendum eſt ad aliũ,quàm ad bonum noſtræ paſtorem Ieſum Chriſtũ Dñm noſtrum. Is.n. dixit: Ego pono animam meam pro ouibus. Hæc uox paſtoris audienda eſt, & cogitatione,imo fide repetenda. Hęc uox accuſationi obijcienda eſt. Accuſator dicit, Tu es mortis & inferni mancipiũ,quia es peccator. Sed contra dicendum eſt: Chriſtus paſtor meus,poſuit animam ſuam pro me,& expiauit peccata mea,ſua morte. Nihil igit iuris in me habẽt nec mors nec infernus. Quòd ſi cõſtanti fide perſeueraueris in hac uoce paſtoris, profecto reportabis uictoriam coram Deo illuſtriorem,& tibi magis ſalutarem quàm ſi expugnares Conſtantinopolin. Deinde hæc uox paſtoris Chriſti nõ ſolum cõfirmat fidẽ noſtram in iudicio Dei, ſed etiam debet nos excitare ad imitationẽ,in uita noſtra,ut cum bene cõfidamus de defenſione paſtoris noſtri, imitemur etiam uirtutes eius. Etſi aũt nullus hominum eſt,q poſsit uel ſua uel aliena peccata morte ſua expiare. Hęc.n. maieſtas ſolius eſt Chriſti,ueri et boni paſtoris: tñ debemus nos inuicẽ, quamuis periculo uitæ noſtræ iuuare. Hoc eſt,inquit Chriſtus, præceptum meũ,ut diligatis uos inuicẽ,ſicut dilexi uos. Maiorẽ hac dilectionẽ nemo habet,ut qs animam ſuam ponat pro amicis ſuis. Et Ioannes: Per hoc cognouimus,inqt,caritatẽ, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit,& nos debemus pro fratribus animas ponere. Moſes nõ expiauit qdẽ peccata populi ſui, dedit tñ & ipſe ſuo quodã modo animã ſuã pro ouibus,cum dixit: Aut dimitte eis hanc noxam,aut ſi non facis,dele me de libro tuo,quẽ ſcripſiſti. Itaq; competit ipſi cognomen boni paſtoris,non quidẽ ut Chriſto,ſed ut ſeruo ac miniſtro Chriſti. Dauid nõ redemit Iſraelitas ſuos à morte & inferno,tñ fecit quod boni paſtores facere ſolent,ac poſuit animam ſuã pro ouibus ſuis,dicẽs: Ego ſum,qui peccaui,ego iniquè egi,iſti q oues ſunt,qd fecerũt? Vertat obſecro manus tua cõtra domũ patris mei. Vide mihi Paulum,qui etſi nõ reconciliauit ſuis paſsionibus Eccleſiam cum Dño Deo noſtro,tamẽ imitatus eſt exẽplum ueri paſtoris,& poſuit animã ſuam pro ouibus Chriſti: Suppleo, inquit,quod deerat afflictionum Chriſti in carne mea pro corpore ipſius,quod eſt Eccleſia. Et: Optarim anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis. Quare ſi Chriſtus communicat cum ipſo nomẽ filij Dei, quo modo non communicaret etiam cum ipſo nomẽ boni paſtoris, ſed ita,

Paſtoris boni cognomen communicabile.

ut

sed ita, ut maiestas reconciliandi Dei penes solũ Christũ maneat. Quid quod & Martyres imitati sunt Christum pastorem suũ, & dederunt animam suã pro Ecclesia Dei? Etsi.n.nõ expiarunt peccata Ecclesię per suã mortem, tamen multum profuerunt Ecclesię subeundo mortẽ propter nomen Christi. Testificati.n.sunt sua confessione ueritatem Euangelij Christi, et confirmarunt exẽplo suo alios, ut et ipsi Christũ agnoscerent, & nomen eius cõfiterẽt, ac salutẽ cõsequerẽt. Quod de publicis Ecclesię ministris & martyribus dictũ est, hoc idem intelligendum erit de priuatis quibuscũq; pijs. Si.n.uolueris haberi coram Deo ouis Christi, ne cesse habebis imitari uestigia pastoris tui. Effudit ille sanguinem suum pro ouibus. Debes & tu sanguinẽ tuum pro fratre effundere. Sed quid? sanguinem ne effunderes, qui uix obolum ęquo animo pro fratre exponis? ac mauis fratrem, imo Christum ipsum amittere, cũq; obolum? Sunt enim, sunt, proh dolor, homines tam crudeles, ut etiamsi uideant extremam fratris necessitatẽ, & possint eum iuuare, tamen nõ solum claudãt, quemadmodum Ioannes loquitur, uiscera sua ab eo, uerumetiã si quid reliquum habuerit, auferant, et si nihil aliud, certe contumeliosis uerbis insultent ei. Hi nõ sunt ouilli, sed lupini ac leonini mores. Quid ergo, inquies, faciam? Num si fur quispiam, exempli gratia, aut latro damnatus fuerit publico & legitimo iudicio, & abducatur ad crucem, ego ne tradã me loco eius in uincula & crucẽ, ut ponã animam meam, & fundam sanguinem meũ pro illo, quo ipse ex hoc supplicio redimatur? Hoc nec lex Dei, nec exemplum Christi exigunt. Sed cum præcipitur, ut ponamus animas pro fratribus, non est intelligendum, quòd quoduis periculum temere pro altero subeundum sit, sed quòd ea pericula pro altero suscipienda sint, ad quæ legitimè uocamur, & quæ Deus nos iuxta nostram uocationem suscipere iubet. Non dubito, quin multi scelerati, eo tempore, quo Christus & Apostoli uitam in terris egerũt, legitimè fuerint condemnati, & ad crucẽ abducti, nõ extat aũt exemplum, quo uel Christus uel Apostoli eius obtulerint sese lapidandos aut crucifigendos, ut sceleratos ab externa cruce liberarẽt. Tradidit quidẽ Christus se se morti pro omnibus peccatoribus, non aũt sic sese tradidit, ut ne corporalis quidem mors sit illis subeunda, sed ut peccata eorum expiaret, et ipsi credentes in morte non perirent. Vocatio.n.Christi erat, non ut sceleratos ad mortem condemnatos ab externis uinculis eriperet, sed ut scelera eorum sua morte expiaret. Videamus & alia exempla Sanctorum, ut cognoscamus quę sint legitimę ac diuinę uocationes ad subeunda pro altero pericula uitæ. Moses reuersus est in Aegyptũ, ut educeret filios Israel è grauissima seruitute. Hac profectione exposuit Moses animã suã pro fratribus, quia sciebat Aegyptios antea uitę suæ insidiatos fuisse, propterea quòd occidisset Aegyptium, & uidebat futurum, ut si faceret mentionem liberationis apud regẽ, accusaret seditionis. Et tamen suscepit hanc profectionem, ac subijt ista pericula, quia uocabatur diuinitus ad liberãdos Israelitas. Dauid suscepit monomachiã cũ Goliathe, quo facto exposuit animã suã in periculum propter Israelitas, quia diuinitus ad hãc monomachiam per spiritũ sanctũ uocabatur. Audiamus etiã exẽpla ex

Caritas proximi quatenus se extendat.

Sanctorum exempla subeuntium pericula uitæ pro altero.

Apoſtolicis ſcriptis. In Damaſco inſidiabãtur Iudęi uitę Pauli, ſed diſcipuli dimiſerunt eũ noctu per murũ, ſubmittentes in ſporta. Hoc fuit diſcipulis capitale, ſed expoſuerũt ſe periculo uitæ ſuę propter Paulũ, qa intelligebant per Spiritum ſanctum ſe hoc officium debere innocẽti & Apoſtolo Chriſti, imo uniuerſę Eccleſię per Paulũ erudiẽdę, pręſertim cum ſcriptũ ſit: Erue eos (uidelicet, innocentes) qui ducuntur ad mortẽ, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Cõmendat & *Paulus* Priſcam & Aquilam, quòd ſuppoſuerint ceruicẽ ſuã pro anima ipſius. Et de ſeipſo ad Corint. ſcribit: Ego uero libentiſsimè impendã, & expendar pro animabus ueſtris. Vocatio. n. Pauli erat, ut Euangelion Chriſti inter gentes adnunciaret, quod certe conſtabat eum maximo ſemper uitę ſuę periculo. In incurſu prędonum ſolent ciues ex mandato magiſtratus arma ſumere, & prædonibus obuiam ire. Hoc ſi rectè perpendas, nihil aliud eſt quàm uitam ſuam exponere pro patria, pro liberis & coniugibus. Hæc aũt eſt legitima uocatio, cui cum etiã impĩ ſeruire ſoleant, multo magis pĩ ſeruire debẽt. An uero, cum prædones faciunt impreſſionem in regionem, & ciues iubentur armis ſuis prædones inuadere, dicet quiſpiam inter ciues. Non inuadam eos, ſed potius offero me uobis pro ipſis trucidãdum, ut ipſi liberi euadãt? Debet. n. alter pro altero animã ſuã ponere. Hęc quis nõ rideret, aut quis talẽ non iudicaret inſanire? Anima. n. tradenda eſt pro altero, legitimè, & ex uocatione Dei, nõ illegitimè, & cõtra Dei uocationẽ. In præſentia autẽ, uocatio Dei eſt, nõ ut ſanguinem tuum fundas pro liberatione prędonum, ſed ut ipſorũ ſanguinem effundas, quo patriã tuearis, & ut ne tuo quidẽ ſanguini parcas, quo coniugem & liberos à prędonibus defendas. Quare, cum ſcriptura iubet nos animas pro nobis inuicẽ ponere, nõ docet nos temerita tem, ſed docet obedientiã legitimę uocationis, ut forti animo ſuſcipiamus ea pericula, quę nobis propter proximos ex officio noſtro, ac diuino mãdato ſubeunda ſunt. Hactenus de ſecũda proprietate boni paſtoris. Audiamus & tertiã. Ego ſum, inqt, paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Sicut nouit me Pater, & ego noui Patrem, & animã meã pono pro ouibus. Eſt & hæc boni paſtoris proprietas, aut ſi ita uocari libet, officiũ, ut probè cognoſcat oues ſuas. Vnde et in Prouerbĩs dicitur: Diligenter agnoſce uultum pecoris tui, tuoſq; greges cõſidera. Porro cognoſcere hoc loco, nõ tm̃ eſt de facie noſſe, quemadmodum aliquoties uicinus uicinũ ita cognoſcit, ut tamen alter alteri non ſit curę: ſed cognoſcere eſt talem habere noticiã, ut nõ ſolum facies rei perſpecta ſit, uerumetiã curã eius ſuſcipias, uehementerq; de ſalute eius ſis ſollicitus. Hoc certe modo cognoſcit Chriſtus oues ſuas. Et ut ſciamus quã probè Chriſtus cognoſcat eos qui credũt in ipſum, (hi. n. ſunt oues eius) addit ſimilitudinẽ coniunctionis, quę eſt inter ipſum & Patrẽ. Sicut, inquiens, nouit me Pater, & ego noui Patrem. hoc eſt, quemadmodum tanta eſt mutua noticia inter Deum Patrẽ & me filium eius, ut non ſolum cognoſcamus nos inuicem de facie, uerumetiam ſit inter nos arctiſsima coniunctio, nec poſsit alter ab altero unquã diuelli, ac Pater magis uelit, ut rerum natura inuertatur, quàm ut deſerat unigenitũ filium ſuum

Proprietas tertia boni paſtoris.

ſuum,ita & Chriſtus filius Dei tanta noticia complectitur oues ſuas, ut nõ ſolum cognoſcat eas iuxta externam faciem,ſed etiã ſuſceperit eas in tantã curã & coniunctionẽ,ut magis uelit animã aut uitã ſuam amittere, q̃ oues ſuas deſerere. Non.n.eſt maior noticia,nec firmior coniunctio q̃ filij Dei cum Patre ſuo. Primum.n.ſi iudicaueris de filio Dei, ſecundum ſpiritum ſanctificationis,ut Paulus loquitur,unus eſt Deus,eiuſdẽ eſſentiæ & maieſtatis cum Patre,ab ęterno. Vna igit & eadem eſt inter ipſos noticia,& tam arcta cõiunctio, (ſi modo ita fas eſt de tanta unitate loqui)ut nihil ſit in tota rerũ natura,quod poſsit eos ſeparare. Deinde, ſi cõſideraueris filium Dei ſecundum humanitatem,tanta iterũ eſt inter ipſum & Deum Patrem noticia atq̃ cõiunctio,ut Pater nunq̃ deſeruerit filiũ ſuum Chriſtũ,ne in media quidem morte ac inferno, nec filius unquàm diſceſſerit aut defecerit à Deo Patre ſuo. Necq̃.n. unq̃ peccatũ fecit,necinuẽtus eſt dolus in ore eius,ſed tantã obedientiã pręſtitit Deo Patri ſuo,ut tradiderit ſeſe ex mandato Dei,in turpiſsimã mortẽ crucis, ac etiã pro inimicis ſuis interceſſerit. Etſi.n.clamauit in cruce: Deus meus, Deus meus,ut quid me dereliquiſti,tamen hæc uox non eſt nata nec in ſpiritu,nec in carne eius,ſed aſſumpta ex humana imbecillitate,ut publicè ſignificaretur,quòd ueros dolores ſuſtineret,ac uerè peccata expiaret. Nam ſi rem ipſam diligenter perpendas,tantum abfuit, ut filius patrem, aut pater filium dereliquerit,ut tum maximè omnium ſibi inuicẽ curæ fuerint. Paulò antè dixerat filius ad latronem: Hodie mecum eris in Paradiſo. Paulò poſt clamat: Pater in manus tuas commendo tibi ſpiritum meum. Hęc certè non ſunt uerba deficientis à Deo, ſed pollicentis ſibi omnem ſalutem in Deo. Quid aũt dicemus de Deo Patre ipſo? num is filium dereliquerat? minime omnium. Quantæ .n. curę fuerit ei filius,ſtatim tertia die palàm declarat, cũ reſuſcitauit eum à mortuis,& collocauit eum in ſede maieſtatis ſuę, ut omne genu coram ipſo flectat, id quod filius iam antè prędicauerat, q̃ hominem aſſumpſit. Non derelinques,inquit, animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi feciſti uias uitæ,adimplebis me lętitia cum uultu tuo, delectatiões in dextera tua in perpetuum. Quare, quemadmodum Deus filium ſuum ita nouit,ut cõſeruarit eum in media morte,& dederit ei ſempiternam uitam ac maieſtatem,ita filius Dei nouit oues ſuas,ut etiamſi uideantur mori, tamen conſeruet eas in perpetua uita ac fœlicitate. Sed quid? num conſeruat oues, prorſum ignauas, ſtupidas, & ipſum nõ uiciſsim agnoſcẽtes? Etſi Chriſtus,is paſtor eſt,qui requirat,ſicut Propheta dicit, q̃d perierat,reducat q̃d abiectũ erat, alliget, q̃d cõfractum fuerat,cõſolidet, q̃d infirmum erat,tñ ſi quis nõ uiciſsim agnouerit paſtorem Chriſtum ac uocẽ eius, abñcieẽ & peribit, quippe q̃non ſit uera ouis,ſed mentiatur ſe eſſe ouem. Nam qui eſt uera ouis, is audit uocem paſtoris ſui,credit Euangelio eius, & ponit omnem ſpẽ ſuã in ſolo Chriſto. Et cognoſcor,inquit,à meis. Sed quomodo, inquies,cognoſcã paſtorẽ,& credã me ipſi curę eſſe,cum nihil uideam,& ſentiam,pręter afflictiones & mortes? Mortificor, iuxta Pſalmum, tota die, & æſtimor uelut ouis occiſionis, quomodo igitur cognoſcam

Patris & filij unitas.

Quomodo oues paſtori Chriſto curæ ſint.

pastorẽme tueri? Hic nobis considerandũ erit, quid sit curę esse ac tueri. Tu.n. fortasis putas hoc esse tueri, si qs te è corporali morbo aut morte eripiat, & cõseruet in corporali sanitate ac uita: aut te tũc esse curę Christo, cũ dat tibi crumena aureis & argenteis numis impleta, qua paupertatem sustentes: sed res longè aliter sese habet. In mũdanis quidẽ regnis sic tuentur Principes populũ suũ, ut fuso fugatoq; externo hoste, populus tranquillã in hac terra uitã ducat, Christus aũt in suo regno sic tuetur populũ suũ, ut sinat eos affligi, sed nõ sinat eos in afflictiõibus perire, ac sinat etiã ipsos occidi, trucidari, & mori, sed seruet eos in media morte ad perpetuã uitã. Regnum meũ, inqt, nõ est de hoc mundo. Et: In mũdo afflictionẽ habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mundũ. Ac rursus: Nõ rogo, ut tollas eos de mũdo, sed ut serues eos à malo. Sicut.n. Christus ipse passus quidẽ est afflictiones & mortẽ, sed in oĩbus illis seruatus est à malo, ita oẽs q credũt in Christũ, etsi affligunt̃ et moriunt̃, tñ seruant̃ ne pereant. Quare in aduersis, quantacunq; fuerint, nõ est iudicandũ iuxta sensum carnis nostræ, sed iuxta uocẽ pastoris nostri, qua asseuerat se cognoscere oues suas, & sentiendũ est per fidẽ, q; cum affligimur, seruemur, & cũ morimur, uiuamus, per Iesum Christũ Dominũ nostrũ, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXX.

EGO sum, inquit Christus, pastor bonus. Etsi autem bonitas huius pastoris nunq̃ satis dignè uerbis explicari & illustrari potest, ac multò plura de ea superstint dicenda, quàm quæ antè diximus, tamen hoc tẽpore contenti erimus his, quę in superiori Homilia de proprietatibus boni pastoris, Domini nostri Iesu Christi, exposita sunt, ut ad ea quę sequuntur explicãda progrediamur. Dicemus igitur nunc de ouili Christi, ac de magnitudine & latitudine eius: quę est res cognitu admodum necessaria. Sunt enim, qui ouile Dei nimis angustum, sunt qui nimis latum facere soleant. Iudæi existimant neminẽ pertinere ad ouile Dei, nisi circumcisum, & Sabbata agentem. Pontificij sentiunt neminem pertinere ad ouile Christi, nisi agnoscentem autoritatem Episcopi Romani. Monachi putant ouile Christi eos tantum capere, qui aut monasticam & eremeticam uitam ducunt, aut meritis Monachorum & Eremitarum in ouile Christi introducuntur. Superstitiosi iudicant, in ouili Christi comprehendi tantum Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Martyres, & paucos quosdam alios sanctos. Hi faciunt ouile Christi nimis angustum. Alij sentiunt non solum omnes impios homines, sed etiam omnes Diabolos consecuturos tandem salutem. Hi faciunt ouile Christi nimis augustũ. Alij putant unum quemq;, si modo honestam ducat uitam, in sua religione, siue Ethnica, siue Iudaica, siue Turcica, siue Christiana, saluum fieri. Hi non sinunt unum esse ouile, sed tot ouilia somniant, quot sunt religiones gentium ac populorum. Quare necessaria est uera cognitio de ouili Christi, ut non ab eo in perpetuam perniciem aberremus. Audiamus igitur Christum ipsum de hac re nos docentem. Habeo (inquit) & alias oues, quæ

non

nõ ſunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, et uocẽ meã audi- ent, & fiet unum ouile, & unus paſtor. Hoc eſt uaticinium de uocatione gentium, & coniunctione earum cum Iudæis in fide unius Chriſti, ut ex Iudæis & gentibus unũ fiat ouile, & una Eccleſia Chriſti. Maximũ enim ſemper fuit diſcrimen inter Iudęos & gentes. Iudęi erant circumciſi, Gẽtes autem incircumciſę. Iudęi acceperant legem Domini in mõte Sinai, Gentes nõ acceperãt eam. Iudęis promiſſum erat diuinitus, quòd Chriſtus ex ipſorum genere uenturus eſſet, Gentibus autem hoc nõ erat promiſſum. Itaq; exiſtimabãt Iudęi, quòd Deus agnoſceret ſe ſolos pro populo ſuo, & q; nullus poſſet ueram ſalutem conſequi, niſi fieret Iudæus per circumciſionem. Hãc opinionem refutat Chriſtus hoc loco, & dicit ſe alias quoq; oues habere, uidelicet Gentes incircumciſas, quę etſi non ſuſcipiant circumciſionem, tamen ſi ſuſcipiũt Ieſum Chriſtum per fidẽ, pertinent & ipſę ad ouile Dei. Cæterum, quod Chriſtus hoc loco de uocatione gentium concionatur, fuit etiam apud Patriarchas, & à Prophetis uulgatum. Ad Abrahamum dictum eſt: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes. In hac promiſsione manifeſtè ſignificatur, q; non tantum familia Abrahæ, ſed etiam familiæ gentium ſint conſecuturæ ſalutẽ per Chriſtũ. Iacob ait de Chriſto: Ipſe erit expectatio, ſeu iuſtificatio et ſalus gentium. Et Dauid: Benedicentur in ipſo omnes tribus terrę, omnes gẽtes magnificabunt eum. Ac Eſaias: Fluent, inquit, ad eum omnes gẽtes, & ibunt populi multi. Et iterum: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. Sed quis poſſet breuibus omnia Prophetarum uaticinia de uocatione gẽtium enumerare, cum hoc ſit præcipuum Prophetarum ſtudium, ut regnum Chriſti nõ coerceant tantũ intra pomœria unius terrę Chanaan, & unius populi Iudaici, ſed dilatẽt ipſum à mari uſq; ad mare, in totum orbem terræ, inter omnes gentes et nationes. Deinde quod Prophetæ dixerunt futurũ, & quod Chriſtus hoc loco concionatus eſt de gentibus, hoc poſt diem Pentecoſtes, quo ſpiritus ſanctus miſſus eſt diſcipulis, ita cœptum eſt impleri, ut multo plures inter gentes agnouerint Ieſum Chriſtum, quàm inter Iudęos. Paulus ex Pſalmo ait: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrę uerba eorum. Et iterum: Sermo Euãgelij, quod peruenit ad uos, in toto mundo fructificat. Ac mox: Non dimoueamini à ſpe Euãgelij, quod audiſtis, quod prædicatum eſt apud uniuerſam creaturam, quæ ſub cœlo eſt. Hæc ſcripſit Paulus ad Coloſſenſes, quo tempore nondum triginta anni à die Pentecoſtes abierant. Et tamen in tam paucis annis regnum Chriſti dilatatum fuit per Euãgelion in toto mũdo, & apud uniuerſam creaturam, quę ſub cœlo eſt. Obſcurum quidem nõ eſt, quòd etiam ante aduentum Chriſti in carnem multi ex incircumciſis gẽtibus cõſecuti ſint ueram ſalutẽ per Chriſtum. Ioſeph in uera religione ac cognitione Dei per parẽtes ſuos eruditus, uenit in Aegyptum. Ac poſtq; factus eſt Princeps Aegypti, non dubium eſt, quin concionatus ſit de uero Deo, & de ſeruatore promiſſo Abrahę, ex quo multi cognouerunt miſericordiam Dei per ſemen Abrahæ, & conſecuti ſunt ſalutem per fidem. Naamanus princeps Syriæ, factus eſt mundus à lepra per Prophetã Elizęũ,

Gentium uocatio.

& didicit ab eo uerum Deum Israel. Cum igitur tam corpore mũdus, q̃ animo purus per fidẽ reuerteretur in suam Syriam, putas ne eum inter suos de mirabilibus Dei tacuisse, ac non multos secum ad cognitionem ueri Dei perduxisse? Quid dicam de Niniuitis, qui certe erant gentes in circumcisę? attamen cum ex prędicatione Ionæ agerent pœnitentiã, & crederent in Dominũ, placatus est eis Dominus, ac nõ solum auertit ab eis externum interitum, uerumetiã perpetuò seruauit hos, qui in uera Dei cognitione per fidem constiterunt. Cum Babylonĩ rerum potiretur deuastata est urbs Hierusalem, & Iudęi dispersi sunt inter gentes in circumsisas. Etsi autẽ hoc supplicium accidit Iudæis propter impietatẽ ipsorum, tamẽ hac occasione prædicatio de uero Deo, qui per semẽ Abrahę salutem promisit, uulgata est inter gentes. Et extãt in Daniele publica decreta regis Babyloniorũ, & regis Persarum, quibus gloria Dei Israel à Monarchis ipsis palàm prędicatur & illustratur. Itaq̃ fieri nõ potuit, quin multi ex gentibus, hac regum prædicatione excitati, uerũ Deum agnouerint, & salutem sint consecuti. Non hoc dicimus, gentes assecutas esse salutem, in sua idolatria & impietate perdurãtes, sed si quis ex ipsis saluus factus est, cognouit uerum Deum, & fugit Idolatrian, ac confisus est misericordia unius ac ueri Dei, per semen Abrahæ. Non enim est aliud nomen datum hominibus, in quo salui fiant, prętereq̃ semẽ Abrahæ, quod est Iesus Christus Dominus noster. Atq̃ hæc quidem, de gentibus incircumcisis, contigerunt, priusq̃ Christus in hunc mundũ aduenisset, quę etsi haud contẽnenda fuerunt, tñ prę idolatria ubiq̃ dominante non fuerunt ualde illustria. Postq̃ autem uenit Christus, & misit discipulis suis spiritum sanctum, ac diuulgauit Euangelion suum per Apostolos in orbem terrarum, ibi tum gẽtes tam innumerabili multitudine peruenerũt ad cognitionẽ ueri Dei, per Iesum Christũ, ac Euangelion eius, ut manifeste impletũ sit, quod Elaias dicit: Tũc uidebis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando cõuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gẽtium uenerit tibi. Inundatio camelorum operiet te, dromedarĩ Madian & Epha. Itaq̃, cum non solum quidã ex Iudęis, uerumetiam magna gentium pars agnoscerent Christum Patriarchis promissum, collecta est una Ecclesia ex Iudęis & Gẽtibus, sub uno seruatore Domino nostro Iesu Christo. Hoc est illud unum ouile et unus pastor, de quibus Christus concionatur. Vnde & Paulus ad Ephesios scribẽs: Eratis, inquit, in tempore illo sine Christo, abalienati à rep. Israelis, et extranei à testamentis promissionis, spem nõ habẽtes, Deoq̃ carentes in mundo. Nunc autẽ per Christum Iesum, uos qui quondam eratis longinqui, facti estis propinqui, per sanguinẽ Christi. Ipse enim est pax nostra, qui fecit ex utrisq̃ unum & interstitium macerię diruit. Quæ cum ita se habeant, manifestè uidemus, q̃ latum q̃ amplum sit ouile Christi. Primum .n. Deus non agnoscit tantum Iudęos pro suo populo, uerumetiam agnoscit gentes, etiamsi non fiant Iudæi, sed tm̃ crediderint in Christũ. Nã sine Christo nullus nec Iudęus nec Gręcus cõsequitur salutẽ. Quòd autem gentes non fuerint coactæ susci pere Iudaismũ, sed assumptæ sint in numerũ populi Dei, tantũ per fidem in Iesum Christum

Dan. 3. 4. & 6.

Ouile unum et pastor unus.

ſtum,manifeſtum eſt,ex hiſtoria de Cornelio Cẽturione,in Actis Apoſtolicis cap.x.& ex concilio Apoſtolico,cap.xv.Ac Paulus, cum in Philippis,cuſtos carceris,qui erat ex Gẽtibus,diceret:Quid me oportet facere,ut ſaluus fiam?reſpõdit:Crede in Dominũ Ieſum, & ſaluus eris tu & domus tua.Non exigit ab Ethnico circumciſionẽ & ſabbatiſmũ, ſed exigit fidem in Ieſum Chriſtum.De qua re copioſè docẽt Epiſtolę Pauli.Deinde Deus non agnoſcit eos tantum pro populo ſuo, qui ſunt ſub Romano uel imperio uelEcclefia,ſed omnes ubicꝙ in toto orbe terrarũ, quotquot Ieſum Chriſtum per fidẽ agnoſcunt.Reipſa comperio,inquit Petrus,cꝙ non ſit perſonarum reſpectus apud Deum,ſed in quauis gente,qui timet ipſum,& operatur iuſticiam (id quod fit per fidem in Chriſtum)acceptus eſt illi.Et Paulus:Omnis qui fidit illi,non pudefiet. Nõ enim eſt diſtinctio uel Iudęi uel Gręci.Nam idem Dominus omniũ, dues in omnes inuocantes ſe.Quiſquis.n.inuocauerit nomẽ Dñi, ſaluus erit.Prętera Deus non agnoſcit tantũ eremitas,& externo cœlibatu ſignes,uerumetiam homines politicos.& in cõiugio uitã agentes, ſi modo ipſi Chriſtum agnouerint.Sicut enim in Chriſto nõ eſt ſeruus nec liber,non eſt maſculus nec fœmina,ita in eo nõ eſt eremita,nec politicus, non cœlebs nec cõiunx,ſed omnes,qui credunt,unus ſunt in Chriſto Ieſu.Ad hæc Deus nõ tantũ agnoſcit pro populo ſuo homines honeſtos, & externa iuſticia conſpicuos,ſed etiam inhoneſtos & peccatores,ſi modo à peccatis reſipiſcant,& Chriſtum per fidem ſuſcipiant.Nõ ueni, inquit,ad uocandum iuſtos,ſed peccatores ad pœnitentiã.Et Paulus:Certus ſermo,& dignus,quem modis omnibus amplectamur,quòd Chriſtus Ieſus uenit in mũdum,ut peccatores ſaluos faceret.Ac breuiter,Deus nullum hominum genus repellit,ſiue illi ſint diuites,ſiue pauperes,ſiue ſani,ſiue ægroti,ſiue reges,ſiue bubulci.Sic.n. Deus dilexit mundũ, ut filium ſuum unigenitum daret,ut Omnis,OMNIS,inquam, qui credit in eum,non pereat,ſed habeat ęternam uitam.Habes latitudinem et amplitudinẽ ouilis Dei.Et tñ habet etiã certos ſuos fines, ac terminos, quos operæprecium eſt cõſiderare.Terminatur.n.nec aliqua parte maris,nec aliqua regione terrę,nec aliquo uitæ genere, ſed tãtum cognitione Chriſti.Tam late enim ſe extẽdit,cꝙ late patet cognitio Chriſti, ſeu fides in Chriſtum:ac ubi Chriſtus non eſt,ibi nec eſt ouile Dei. Itacꝙ terminus ouilis Dei,eſt fides in Chriſtum.Primũ igitur ouile Dei non pertingit ad Diabolum & angelos eius,quia tantum abeſt, ut cõfidere poſſint miſericordia Dei per fidem in Chriſtum,ut natura ſua proſequãtur Chriſtum perpetuo odio.Quare nulla eſt eis ſpes ſalutis relicta.Deinde nõ pertinẽt ad ouile Chriſti,hi qui impijs religionibus ita addicti ſunt, ut impietatem nunc̃ꝙ relinquãt,ſed moriantur in ea,quales ſunt Iudæi, Turcæ,Hypocritę,& quondam gentes Idolatræ. Ad hos non extendit ſe ouile Chriſti,quia non credunt in Chriſtũ,ideocꝙ neceſſe habent perpetuò interire.Poſtremo ouile Chriſti non pertingit ad eos, qui uel abnegant Chriſtum,& manent in abnegatione,uel ducũt uitam ſceleratã, nec agunt pœnitentiam,ſed manent in impœnitẽtia, ac moriũtur in ea. Nam hoc Chriſtus ſatis perſpicuè ſignificauit, cum uocat Eccleſiã Dei,

Galat.3.

Peccatores Deus recipit in ouile.

Diaboli nulla ſalus.

Ouile. Ad ouile autem pertinent, non lupi, non urſi, non uulpes, nõ porci, non apri, non leones, non etiam lepores, nec ueſpertiliones, ſed tantũ oues, hoc eſt, qui agnoſcunt unum ſolum, & uerũ paſtorẽ ſuum Ieſum Chriſtum. Quare & hi ſoli conſequuntur ueram & æternã ſalutem. Cæterum nec illud oſcitãter prętereundum eſt, quod Chriſtus de gẽtibus dicit: Vocem meam audient. Hoc enim uerbo docet, prędicationem Apoſtolorum, eſſe ſuam ipſius uocem. Chriſtus enim, quod ad humanã eius perſonam attinet, non prædicauit gentibus Euangelion, ſed fuit tãtum miniſter, ut Paulus ait, circumciſionis. Miſit autẽ Apoſtolos ſuos inter gentes, ut in nomine eius prædicarent pœnitẽtiam & remiſsionẽ peccatorum. Et tamẽ uocat eam prædicationẽ, ſuam ipſius uocem. Quare, cum recitãtur nobis cõciones Apoſtolorum è ſcriptis eorum, ſentiamus nos nõ audire humana ſomnia, ſed uocẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti, quę nobis hęreditatem omnium cœleſtium bonorum accipiendam proponat. Atq; de his quidem hactenus. Perſtringamus autem & reliquam partem huius cõcionis. Propterea me (inquit) diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo. Supra dixit Chriſtus, ſe eſſe bonũ paſtorem, propterea q; ponat animã ſuam pro ouibus. Qua uoce ſignificauit ſe moriturũ. Exponit igitur nunc, quam habeat mors eius rationem. Primum enim Chriſtus nõ moritur inuitus, & coactus, quemadmodum alij homines, ſed moritur uolẽs, tãtum ut obediat mandato Patris, & ſeruet morte ſua oues ſuas. Nemo, inquit, tollit eã a me, ſed ego pono eam à meipſo, hoc eſt, mea ſponte ſuſcipio mortem. Non poſſet me nec Iudas prodere, nec Iudęi compræhendere & uincire, niſi me ultrò eis tradidiſſem, ut obedirem uoluntati Patris mei. Hoc enim mãdatum accepi à Patre meo, uidelicet, ut ponam animam meam, ut ſuſcipiam mortẽ, propter ſalutem humani generis. Sic & aliàs dicit: Venit princeps mũdi huius, & in me non habet quicq;, ſed ut cognoſcat mundus, q; diligo Patrẽ, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. hoc eſt, etſi non ſum meritus mortẽ ullo peccato, nec poteſt Princeps huius mũdi, qui eſt Satan, me alicuius criminis accuſare, tñ ſuſcipiam mortẽ, quam mihi infert, ut homines perſpicuè cognoſcant, me diligere Deum Patrẽ meum, & obedire uoluntati eius, qui mihi hoc mãdatum dedit, ut ad ſeruandos homines ſubeam mortem. Et ad Petrum ait: An nõ bibam poculum, quod dedit mihi Pater? Quare q; Chriſtus moritur, non eſt poteſtas aut Satanæ, aut mancipiorũ eius, ſed uoluntas Chriſti, & obedientia eius erga Patrẽ. Docet aũt Chriſtus hoc idem aliàs diligenter & ſollicitè, pręſertim eo tempore, quo iam capiendus erat. Ac neceſſaria nobis eſt huius rei cognitio, ut ex ea beneficium mortis Chriſti perſpiciamus. Si.n. Chriſtus ſuſcepit mortẽ, non coactus, nõ inuitus, ſed ſua ſponte, ad obediendũ diuinę uoluntati, manifeſtum eſt, q; non ſit mortuus, propter aliquod ſuũ ipſius peccatũ. Si aũt non eſt mortuus propter ſuum peccatum, quid aliud reliquum eſt, cũ q; ſit mortuus propter aliena peccata, quę & innocenti ac uerè ſancta ſua morte coram Deo

Apoſtolorũ uox, Chriſti uox.

Mortis Chriſti ratio.

Deo expiauit. Deinde, Christus non sic moritur, ut maneat & pereat in morte, sed ut iterũ à morte resurgat. Propterea (inquit) Pater me diligit, quia pono animam meam, ut iterum sumã eam. Hoc est, Etsi obiicio uitam meã morti, & suscipio mortẽ, tamen Pater tanto me amore complectitur, ut nõ sinat me in morte perire, sed iubeat me uitam resumere, & à mortuis resurgere. Sicut enim dedit mihi mandatum moriẽdi, ita dedit etiam mihi mandatum resurgendi: et quemadmodum habeo potestatẽ ponendi uitam meam, cum libet, ita habeo etiam potestatẽ recipiẽdi uitam cũ libet. Quare non sic morior, ut peream, sed ut à mortuis resurgã. Quid ergo? num hæc ad personam tantum Christi, non etiam ad membra, seu credentes in ipsum pertinent? Imo hęc omnia in persona Christi propter eos qui credunt in ipsum, facta sunt. Suprà enim dixit, ꝙ ponat animam suam PRO OVIBVS. Si moritur pro ouibus, profecto resurget etiam pro ouibus, ut sicut oues fiũt participes mortis eius, ita fiant participes resurrectionis eius. Nemo, inquit, tollit eã à me, sed ego pono eam à meipso. Ergo ne sentiemus, ꝙ quemadmodum mors nõ potuit Christũ nisi uolẽtem arripere, ita nec queat nobis inuitis accidere? Natura humana peccato uitiata, suscipit quidẽ mortem inuita et coacta, nihil autem certius est, q̃ꝫ ꝙ Christus tanta cura complectitur credẽtes in ipsum, ut quẽadmodum nec aduersarij aut homines aut Diaboli, nec mors ipsa potuerint in ipsum, nisi uolentem, & sese ultrò eis tradentem grassari, ita nec possint membra eius, qui sunt credẽtes in ipsum, inuito eo & nolente inuadere, ac malè afficere. Vestri, inquit, etiam pili capitis omnes numerati sunt. Et: Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur, ipso uidelicet nolente & repugnante. Quòd si autem uoluerit & permiserit, ut & pili euellantur, & ossa conteraãtur, officij certe nostri erit, ut uoluntati eius obsequamur, & crucem ac mortem obedienter feramus. Quid enim metuis, ne pereas? Hoc illi metuãt, qui ignorant Christum. Nobis autem ut Christus mortuus est, ita etiam resurrexit. Nam, quo rectè cognoscas, quis sit euẽtus crucis & mortis piorum, ponenda nobis est ob oculos crux & mors Christi. Postq̃ꝫ. n. Christus filius Dei suscepit crucem ex mandato Dei, & factus est Deo Patri suo obediens usq̃ꝫ ad mortem, quid? num dereliquit eum Pater in cruce? num abiecit eum in perpetuam internecionem? Sic quidem uidebatur humanæ carni. Sed longè aliud uisum est Deo. Nam Deus conspicatus filium suum, tam obedienter sub cruce incedentẽ, & in cruce pendẽtem, in tantum delectatus est obedientia eius, ut tũc maximè hoc iurauerit, quod in Psalmo extat: Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Vt enim quõdam excitatus obedientia Abrahæ, uolentis iuxta diuinũ mandatum filium suum mactare, præ gaudio quasi gestiẽt, & per semetipsum iurauit: Quia fecisti, inquiens, hanc rem, & nõ pepercisti filio tuo unigenito, benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ: ita cum uideret Christũ filium suum tam obedienter suscipere crucem & mortem, teneri nõ potuit, quin iuraret eum fore perpetuum sacerdotẽ, uidelicet, ꝙ mors eius sit uictima pro peccatis humani generis, & ꝙ non solum uelit ipsum à

Crucis & mortis piorum euẽtus.

morte ſuſcitare,ac in ſummam ſublimitatem extollere,uerumetiã omnibus ijs,qui in ipſum credũt,fauere,peccata ipſorũ remittere,ipſos in hæredes cœleſtium bonorum adoptare, ac in perpetua fœlicitate cõſeruare.Hæc enim eſt maieſtas perpetui ſacerdotij, quod Deus Chriſto filio ſuo promiſit.Quod cum ita ſe habeat de euẽtu crucis & mortis Chriſti, quid nunc dubitas de tuę crucis & mortis euentu? Chriſtus tũc maximè placuit Deo Patri ſuo,cum obediẽter incederet ſub cruce:num te cruce onuſtum abominaretur? Chriſtus tunc maximè intrauit in maieſtatẽ regni ſui,cum moreretur,num tu in morte abiresin tenebras inferni? Sed Chriſtus,inquis,tulit crucem innocenter,& obedienter, ego autem nõ uideo in me niſi pctã, & fugio,quoquo modo poſſum, crucẽ ac mortẽ.

Chriſtus non exẽplum tantum,ſed & ſalus ipſa.

Quõ igitur me ſolabitur exẽplum Chriſti? Ego uero non propono tibi hoc loco Chriſtũ,ut exemplũ tantum,ſed maximè omniũ, ut ſalutem ipſam.Nam Chriſtus idcirco mortẽ ſuſcepit,ut tua peccata expiaret,& te in ipſo innocentem redderet,ac te in morte ad uitam ſeruaret.Vbi,inquit,exuberauit peccatũ,ibi magis exuberauit gratia, ut quẽadmodũ regnauerat peccatum in morte,ſic & gratia regnaret per iuſtitiam ad uitã æternam per Ieſum Chriſtum. Et iterum:Si credimus, q̃ Ieſus mortuus eſt,& reſurrexit,ſic & Deus eos,qui obdormierunt per Ieſum,adducet cum illo.Ac rurſus:Cum eſſemus mortui per delicta,conuiuificauit nos unà cum Chriſto(per gratiam eſtis ſeruati)ſimulq̃ cum eo reſuſcitauit,et ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes in Chriſto Ieſu,ut oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus eminentem opulentiam gratię ſuę,benignitate erga nos per Ieſum Chriſtũ. Quare hæc ſit cura,hic labor noſter,ut poſtquam facti ſumus membra Chriſti per fidem, maneamus in corpore eius per obediẽtiam fidei,quo in noſtra cruce & morte, fructũ mortis & reſurrectionis eius capiamus.Quanquam autem hæc concio Chriſti eò reſpiciat, ut congreget homines ad ueramuerę fidei unitatẽ, quęſo tamen te,uide mihi,ad quantum diſſidium Iudæi ea abutantur.

„ Sequitur enim: Diſſenſio igitur iterum facta eſt inter Iudęos propter
„ hos ſermones. Dicebãt autem multi ex ipſis:Dæmonium habet,& inſa
„ nit:quid eum auditis? Alij dicebant:Hęc uerba non ſunt dęmonium ha
„ bentis.Num dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire? Hęc eſt perpetua hominum controuerſia de Chriſto & doctrina eius. Alij enim iudicant eum dæmoniacum eſſe,& doctrinam eius non tantum inutilem, ſed etiam perniciosam,ideoq̃ quoquo modo fieri poteſt,opprimẽdam & abolendam.Alij,ijq̃ pauciſsimi ferè & abiectiſsimi, agnoſcunt Chriſtum,& amplectuntur magna fide doctrinã eius , quippe quam uident Prophetícis & Apoſtolicis teſtimonijs,ac cœleſtibus miraculis confirmatam.Primũ igitur,conſideremus patientiã, bonitatem & longanimitatem Chriſti.Etſi enim maxima afficitur contumelia, q̃ iudicet dæmoniacus,& q̃ impij conẽtur abducere à cõcione eius auditores:Quid auditis eum? inquiunt,tamẽ nõ refert iniuriam iniuria, ſed relinquit Deo Patri ſuo ultionem.Quid? nos ne meliores ſumus Chriſto? Quid ergo tam delicati ſumus , ut ne leue quidem conuiciolum æquo animo ferre queamus? Nõ debemus,inquit Paulus,nobis ipſis placere. Vnuſquiſq̃ noſtrum

noſtrum placeat proximo in bonum ad ędificationē. Etenim Chriſtus non placuit ſibi ipſi, ſed quemadmodum ſcriptū eſt: Opprobria opprobrātium tibi ceciderunt ſuper me. Deinde, nō offendamur diuerſis iudicijs horum tēporum de doctrina Chriſti, ſed tāto magis amplectamur eam, quātoplures ſunt qui contradicunt. Cogitemus, quòd iam olim dictum ſit, Chriſtum fore lapidem offenſionis, et petram ſcandali. Cogitemus etiam, quòd doctrina Chriſti habeat cœleſtia teſtimonia. Num dęmonium, inquiunt, poteſt oculos cæcorum aperire? hoc eſt, miracula teſtantur doctrinam eius ueram eſſe. Docuit autem ſe eſſe bonum paſtorem, qui ponat animam ſuam pro ouibus, docuit ſe eſſe uiam, uitā, & reſurrectionem, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat ęternam uitam. Quare ſuſcipiamus hanc doctrinam obedienti fide, & ornemus eam omnibus quibuſcunq; poſſumus officijs, ut capiamus fructū eius in cœleſti regno per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LXXXI.

EOncionem Domini noſtri Ieſu Chriſti de bono paſtore, explicatione noſtra hiſce diebus percucurrimus. Audiamus nunc eam concionem, quam habuit Hieroſolymis in die feſto encęniorum. Facta ſunt, inquit Euāgeliſta, Encænia Hieroſolymis, & hyems erat, & ambulabat Ieſus in templo, in porticu Salomonis. Priuſquàm concionem ipſam Chriſti aggrediamur, exponenda quædam erunt de Encęnijs. Nam ἐγκαίνια Latinis dicuntur Renoualia. Sic autem dictum fuit feſtum, quod inſtitutum erat Hieroſolymis, propter renouatam dedicationem templi. Ac fit quidem hoc loco mentio porticus Salomonis, non eſt autem ſentiendum, q; hoc feſtum Encęniorum fuerit feſtum dedicationis eius templi, quod Salomon ædificauerat, hoc enim templum erat iamdudum à Babylonijs dirutum. Nec fuit ea dedicatio, quę propter reſtaurationem tēpli ſub Eſdra celebrata eſt, cuius dedicationis mētio fit in Eſdra capite ſexto, ſed fuit feſtum inſtitutum propter renouationem ac repurgationem templi, poſtquam contaminatum fuiſſet impijs ſacrificijs ab Antiocho, quod feſtum celebratū fuit uiceſima die menſis Ciſleu, cui reſpondet aliqua parte noſter Nouēber. Vnde & Euangeliſta dicit, hyemem fuiſſe, De hoc ἐγκαινισμῷ, ac repurgatione copioſè ſcriptum eſt in priori libro Machabeorum, capite quarto. Sunt, qui ſcribant Herodē renouaſſe templum Hieroſolymitanum, admirandis ędificijs, ad exemplar templi Salomonis, & circundediſſe illud maximis porticibus. Etſi autem Iudęi, cum ad Chriſtum, capite ſecundo huius Euangeliſtę, dicunt: Quadraginta & ſex annis templū hoc extructum eſt, haud obſcurè ſignificant templum ſub Eſdra ędificatum adhuc tempore Chriſti ſtetiſſe, & uaticiniū Aggęi, cum ait: Maior erit gloria domus iſtius nouiſsimę, quàm primę, teſtatur, Chriſtū in eo templo, quod tunc fuit reſtauratum, prędicaturum: tamen ſi quis recipiat eam hiſtoriam, quæ tradit templum ab Herode renouatum, ac ſentiat uetus ædificium non omnino dirutū, ſed tantum nouis ędificijs auctum

Encænia quæ fuerint.

1. Macha. 4.

Καὶ ἔστησαν Ἰούδας, καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, καὶ πᾶσα ἐκκλησία Ἰσραὴλ, ἵνα ἄγωσι τὰς ἡμέρας ἐγκαινισμοῦ τοῦ θυσιαστηρίου

Vide Ioſeph. in Antiqui. li. 15. cap. 14.

& munitum, potest & hoc festum encęniorum, de ea renouatione, quæ ab Herode facta est, intelligere. Sed hoc utcũqꝫ se habeat, certe maiores nostri, celebrarũt dedicationes etiam suorum templorum, ad exemplũ Iudaicarum dedicationum. Primum autem, sacra Iudaica, nõ sunt Christianis obtrudenda. Deinde longè alia fuit ratio templi Hierosolymitani, q̃ earum domorum, in quibus Christiani ad audiendum Euangeliõ Christi, & ad sumẽda sacramenta eius cõueniunt. Illius enim institutio diuinitus fuit mandata: harum autem institutio libera est, nec indigent certis cærimoniis ac ritibus, quibus consecrentur. Postremo dedicationes templorum Christianorum contaminatæ sunt uariis impietatibus. Non enim solum abutitur his uulgus ad helluationes, & ebrietates, sed etiam additę sunt Pontificiæ indulgentię, quibus homines imperiti sperant remissionem peccatorum suorum. Et tamen, si abiciãtur impietas & abusus, non erit inutile publicam facere mentionem dedicationis tẽplorum in Ecclesia Domini, ut hac occasione Ecclesia admoneatur & excitetur ad agendas gratias Deo, pro beneficio Euangelij Christi. Nullũ enim maius beneficium contingere potest humanę societati, quàm si in iis locis, in quibus sunt cœtus hominum, cõstitutæ fuerint piæ, quas ita uocant, parochię, in quibus syncera doctrina Euãgelij tradatur, & sacramenta iuxta institutionem Christi distribuantur. Nam ubi Euangelion Christi rectè docetur, & legitimus est usus sacramentorũ, ibi certissimũ est, Ecclesiã Christi esse. Vbi uero est Ecclesia Christi, ibi Christus ipse habitat, & est ibi aula & regnum Christi. Celebrantur omnium ferè sermone hæ urbes, in quibus sunt arces & aulæ regũ ac principum. In conspectu autẽ Dei nõ est illustrior locus, qꝫ is, in quo est parochia, in qua Euangelion piè docetur, & sacramẽta rectè distribuũtur. Siue enim illa sit frequens ciuitas, siue contẽptus pagus, si pia ibi est parochia, domus est Dei & porta cœli. Habentur ea loca terrę insignia, in quibus Monarcha quispiam reportat uictoriam ab hostibus suis. Vbi autem est pia parochia, ibi homines solẽt reportare uictoriam à Satana, à morte & inferno. Qua uictoria quid potest esse nõ solum coram Deo illustrius, sed etiam nobis magis salutare? Etsi autem non omnes possunt in iis locis habitare, in quibus constitutæ sunt parochiæ: Alij.n. habitãt in agris, alij in syluis, alij inter Turcas, tamẽ hi debẽt se animo suo, & si fieri potest, etiã externa cõsuetudine et familiaritate coniũgere cum ea parochia, in qua Euangelion piè docetur. Salomon in dedicatione templi sui significat Israelitis, quòd si abducti fuerint in captiuitatem, debeãt in precibus suis uertere faciem suam ad ciuitatem & templum Hierosolymitanum. Si reuersi (inquit) fuerint ad te uniuerso corde suo, & orauerint contra uiam terrę suę, quam dedisti patribus eorum, & ciuitatis, quã elegisti, & templi, quod ędificaui nomini tuo, exaudies in cœlo in firmamento solij tui orationes eorum. Hoc certe nõ fuit institutum ad superstitionem, sed ut Iudęi uertendo faciẽ suam ad locum tẽpli, admonerentur diuinarũ promissionum, & cõfirmarent fidẽ suam in oratione. Multo magis nos debemus, quocunqꝫ loco fuerimus, animum nostrum uertere ad eas parochias & Ecclesias, in quibus Euangelion Christi syncerè adnunciatur, ut

Tẽplorũ dedicationes.

Dedicationũ uerus usus.

ut cum cogitamus nos esse membra earum, cõfirmemus mentẽ nostrã, q̃ & beneficia Christi ad nos pertineant. Quare mẽtione dedicationis templorum excitemur ad gratiarum actionem pro beneficio Euangelij Christi,& demus operam obediẽtia fidei, ut hoc beneficium conseruemus.Sed hęc de dedicatione templorum magis sunt παρέργα q̃ ἔργα.Instituimus enim dicere de ea cõcione,quam Christus in festo dedicationis, seu renouationis templi Hierosolymis habuit.Ac uides Christum etiã ipsum profectum esse ad festum dedicationis,nõ autem ut helluaretur, sed ut concionaretur.Sequitur enim:Circundederunt ergo eũ Iudęi,& dicebant ei:Quousque animam nostram suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenuè.Non hoc agunt Iudæi,ut discant ueritatẽ, & credãt, sed ut calumnientur & perdãt Iesum.Nam si fateretur se esse Christum, hoc est,Regem Iudæis promissum, sperabant fore,ut à Romanis pręsidibus,tanquam seditiosus et turbulẽtus trucidaretur.Sed Iesus nullo periculo deterritus,fatetur quod res est. Et respondit eis:Dixi uobis,nec creditis.Opera,quæ facio nomine Patris mei,hæc testimonium reddũt de me.Sed uos non creditis.Quia nõ estis ex ouibus meis,quemadmodum dicebam uobis:Oues meę uocem meam audiunt,et ego cognosco eas,& sequuntur me,& ego uitam æternam do eis,nec peribunt in æternum,neq̃ rapiet eas quisquam de manu mea.Hęc est illa concio, quam Iesus habuit Hierosolymis,in festo Renouationis tẽpli:ac initio allegat conciones antè dictas,& opera quę faciebat,quibus palàm affirmauerat & confirmauerat,se esse Christum.Opera,inquiens, quæ facio nomine Patris mei,hæc testimoniũ reddunt de me.Ecquæ sunt illa opera? Ea nimirum sunt,quæ iubet Ioanni Baptistę renunciari:Cęci uisum recipiũt, claudi ambulant,leprosi mundantur,surdi audiunt,mortui excitant̃,& pauperes accipiũt lętũ nunciũ Euãgelij.Hęc miracula testificant̃ doctrinã Iesu ueram esse.Docuit aũt se Christum.Quare Iesus testimonio miraculorum suorum,uerus est Christus.Deinde significat in hac concione, Iudæos esse à Deo abiectos, propterea quòd non adhibeant fidem Euangelio Christi. Vos non creditis, inquit,quia non estis de ouibus meis,quemadmodum dicebam uobis.In superiori enim cõcione dixit, Oues suas audire uocem suam.Cum igitur Iudęi non audirent,non crederent uoci eius,reipsa declarabant,se non esse ex ouibus eius.Porro,Iesus hac occasione iterum concionatur de ouibus suis,& quod dicit,non est oscitanter prętereundum. Docet enim duo obseruatu dignissima. Alterum est,quòd exponit,quod sit ingenium, quæ sit proprietas ouiũ suarum. Alterũ, quòd recitat quas prærogatiuas & quæ beneficia oues ab ipso accipiãt.Dicamus autem de hoc posteriori prius,ut cognita magnitudine beneficiorum,quę ouibus Christi contingunt, maiorem demus operam,ut fiamus ac permaneamus oues Christi.Prima igitur prę rogatiua,primum beneficiũ,quod cõfert Christus in suas oues, hoc est, q̃ tueatur eas inomnibus aduersis.Ego,inqt,cognosco eas. Cognoscere autem, quemadmodum suprà indicauimus, hoc loco, non est tantum de externa facie nosse,sed est fauore suo complecti,curare,tueri, & conseruare. Vnde in Propheta Amos ad Israelitas dicit: Tantummodo

Christi opera.

Iudæorum abiectio.

Ouium Christi prærogatiuæ.

uos cognoui ex omnibus cognationibus terrę, hoc est, tãtummodo uos elegi, & meo fauore ita cõplexus sum, ut liberauerim uos è tyrãnide Aegyptiaca, & seruauerim uos in omnibus periculis. Quare & hoc loco, cũ Christus dicit se cognoscere oues suas, significat eas sibi curæ esse, & se cõseruare ipsas in omnibus aduersis. Hoc beneficium diligẽter est cõsiderãdum, ut sciamus eo uti opportuno tempore. Homines .n. cum afflĩguntur, nihil minus putant, q̃ se à Christo seruatore nostro cognosci, sed existimant potius Christũ esse ipsorum oblitum, & quemadmodũ Christus ipse in cruce clamauit, Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? ita & illi sentiunt se prorsus à Deo derelictos & abiectos. Ac de clamore quidem Christi aliàs diximus, q̃ susceperit sua spõte hoc genus supplicij, ut expiaret peccata nostra. Quod autem ad rem ipsam attinet, etsi uisus fuit iuxta humanã imbecillitatem, derelictus esse à Deo, tamen in tantũ nõ fuit derelictus, ut tunc maximè omnium Deo Patri suo curæ fuerit, qui & ita cognouerit eum, ut nõ solum cõseruauerit ipsum in media morte, & excitauerit eum tertia die à mortuis, sed etiam extulerit eum in summã sublimitatẽ. Eodem modo uidẽt & pĩj in afflictionibus à Christo Domino suo derelicti, sed tũc maximè oĩm cognoscũtur et conseruantur à Christo ne pereant. Non sentiunt quidẽ, nisi pręsentẽ interitum, sed si Christũ per fidẽ agnouerint, uicissim à Christo ita cognoscuntur, ut interire non queant. Paulus cædebatur quondam colaphis ab angelo Satanę, qua afflictione sic angebatur animo, ut terogaret Dominũ, quo liberaretur. Sed audit, Sufficit tibi gratia mea. Hoc est dicere, Ego cognosco te. Quid tibi nũc deerit? Ego faueo tibi. Hac re sis contentus. Etsi enim non aufero à te afflictionem pro tua libidĩne, tamẽ conseruo te clementer, ne pereas. Quis igitur querelę locus tibi relictus est? Idem & ad nos in aduersis cõstitutos dicitur: Ego cognosco te. Hac promissione, hoc uerbo sis interim contentus. Huic uerbo adhibe fidẽ, etiamsi omnia alia aduersa uidẽt. Vter enim, obsecro, fide dignior est? Num tuus sensus, qui dicit, Christus non cognoscit te, an Christus ipse, qui ait, Ego uero te cognosco, & conseruo? Sed uideamus beneficium, quod sequitur, ut quod Christus dicit, Ego cognosco eas, melius intelligamus. Secundum enim beneficium, quod Christus in suas oues cõfert hoc est, quod Christus non sinat, ut oues suæ intereant perpetuo. Non peribunt, inquit, inęternum. Obserua diligenter, quid dicatur. Non ait simpliciter, Nõ peribunt, sed addit, inęternum. Christus enim sinit quidem, ut oues suę obĵciantur lupis, & aliquoties à lupis dilacerentur, sed non sinit, ut pereant inęternum. Et cõniuet quidem ut pĩj in hoc seculo affligantur, ut paupertate, infamia, ægrotatione, & alĵs malis obruãtur, ac etiam occidantur, non autem conniuet ut in his malis inęternũ pereant. Temporaliter perire possunt, inæternũ perire non possunt. In mundo, inquit, afflictionem habebitis, sed bono animo sitis, ego uici mundum. Stephanus lapidatus est: Itaq̃ perĵit, iuxta externum huius mundi sensum: sed quid? num perĵit in ęternũ? Minimè omnium. Vidit enim Iesum stantem à dextris Dei, & tradidit ei spiritum suum perpetuò conseruandum, & unà cum corpore, suo tempore glorificandum. Petrus affixus

Oues in aduersis cõseruari à Christo.

Ouium seruandarum prærogatiua secunda.

fixus est cruci et mortuus. Ac uisus quidem est insipientium oculis mori, ipse autē est in pace. Paulus occubuit gladio: Perijt ergo tēporaliter, non autē perijt inæternum, sed uiuit cum Christo Domino suo in summa fœlicitate. Dixit enim: Cupio dissolui & esse cum Christo. Quare agnoscamus beneficium Christi, & confirmemus fidem nostram, ut in medio interitu, non interitū sed salutem perspiciamus. Tertium beneficium est, quod ait: Ego uitā æternā do eis. Hìc considera mihi qualis pastor sit Christus, qualis item rex sit, & quantum sit discrimen inter beneficia eius, & beneficia regū huius seculi. Hi enim, & si aliquoties tuentur suos subditos, ne opprimantur ab hostibus, & conseruant uitam eorū, ne a latronibus interficiantur, hæc tamen uita non est nisi corporalis, & caduca, nec potest fieri, ut homines diu in ea cōseruentur, quādo ne ipsi quidem reges seipsos in hac corporali uita seruare queant. Christus aūt dat subditis suis, qui sunt credentes in ipsum, æternam uitam, quo nomine intelliguntur omnia cœlestia bona. En, hanc prærogatiuā habent oues Christi. Hoc beneficium accipiunt credētes in Christum. Quis ergo eorū, qui agnoscunt Christū per fidem, conquereretur se non exaudiri in precatione sua? Alius enim premitur inopia & fame, ac precatur Deū Patrem, per Christum, ut det ipsi opes, ac diuitias. Quo autē uehementius precatur, eo omnis habet pecunię, & eo maior fit inopia. Et tamen oratio eius uerè est exaudita. Quanquā enim non accipiat externā pecuniam, tamen accipit æternam uitā, cuius thesaurus nullo modo cū externa pecunia conferri potest. Alius terretur metu mortis, & orat Deum per Christum, ut det ipsi uitam. Ac is quidem, quo ardētius orat, eo grauiores fiūt dolores mortis. Et tñ oratio eius exaudita est, quia etsi nō accipit uitam corporalem, accipit tamen uitam æternā. Quare credenti in Christum nihil potest deesse, etiamsi omnia humana ei deesse uideātur. Postremo additur: Neque rapiet eas quisquam de manu mea. Hæc est quarta prærogatiua, quā habent oues Christi. Nullus, inquit, rapiet eas de manu mea. Obsecro igitur te, Quis est iste Nullus? Vt ab inferioribus ad superiora progrediamur, initio, nulla inanima creatura tantæ est potentiæ, ut queat a Christo suas oues, suos homines pios abripere. Quare qui Christo per fidē coniunctus est, etiāsi suffocetur in aqua, aut deuoretur ab igni, aut obruatur lapidibus, tamē nec aqua, nec ignis, nec lapides possunt eum rapere de manu Christi. Deinde nulla creatura animata, nulla bestia, potentior est Christo, ut auferat ab ipso suas oues. Quare & si pius deuoratur a lupo, aut proteritur ab urso, non tamē separatur a Christo. Obijciebātur quondā ab Ethnicis Christiani leonibus dilacerandi & deuorandi. Num putas leonū morsus tantū potuisse, ut Christus desereret confidētes in ipsum? Minime omniū: sed Christus potius cōplectabatur & tuebatur eos, ac hi sentiebāt se leonū sęuicia magis cū Christo coniungi, cū separari. Ignatius episcopus Antiochenus, cum in ea persecutione, quæ Traiani tēporibus aduersus Christianos mota est, damnatus esset ad bestias, & audiret rugientes leones, dixisse fertur: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Hoc uerè est illud Christi ob oculos fidei positū ha-

Ouium tertia prærogatiua.

Ouium quarta prærogatiua.

σῖτος ἰησοῦ χριστοῦ εἰμί ἢ εὖ χμαις τῆς ὀδόντσι τῶν θηρίων ἁλῶναι, ἵνα ἄρτος καθαρὸς εὑρεθῶ.

bere,Non rapiet eas quisq; de manu mea.Preterea nullus homo,quantumuis potens,tantaq; est uirium, ut queat è manu Christi oues extorquere.Sæuierunt quondam Ethnici in pios tanta crudelitate,ut nõ solũ eos occiderent,uerumetiã corpora eorũ comburerent,ac cineres in profluentem effunderent.Sperabant enim se hoc modo effecturos, ne illi à mortuis resurgerent,hoc est,ut illos è manu Christi auferrent,sed tantũ abfuit,ut tyranni facti sint uoti suicompotes, ut hac uia pios magis cum Christo coniunxerint.Grassati sunt etiam Pontifices, & monarchæ nõ nulli in pios,tam fulminibus,ut uocant,excõmunicationis,quã gladio, cruce et ignibus.sed quid? num rapuerunt eos de manu Christi? At Paulus dicit:Certus sermo:Si commortui sumus,& conuiuemus.Si sufferimus,& cõregnabimus.Ad hęc,nullus angelus,nullus Satan, nullus diabolus potest à Christo suas oues auferre. Obambulat quidẽ Diabolus tanquam leo rugiens,& quęrit quem deuoret.Sed qui est ouis Christi, is etiam per Iesum Christum ita instauratur,fulcitur,roboratur,& stabilitur,ut Diabolus ne corporale quidem incõmodum,nisi permittẽte & meliora retribuente Christo,afferre queat.Maior est,inquit Ioãnes,*qui* est in uobis,quàm qui est in mũdo.Quid aũt dicam de morte? num hęc tantę est potentię,ut à Christo abripiat suas oues? Sed ut mors Christũ ipsum non potuit in sua potestate detinere, ita nec potest credentes in Christum detinere.Dicam quodplus est,nullum est peccatum adeo potens,quod queat ouem Christi à pastore suo separare. Hic enim pastor expiauit omnia peccata:& maior est gratia Dei,quam Christus impetrauit,quàm peccatum,quod quondam Deũ ab hominibus alienauit.Vbi exuberauit,inquit Paulus,peccatũ,ibi magis exuberauit gratia, ut quẽadmodum regnauit peccatũ in morte, sic & gratia regnaret per iusticiã ad uitam ęternam,per Iesum Christum.Quid ergo? Peccabimus, quia peccatum non potest ouibus Christi adimere Christum? Nihil uero minus faciendum est,quàm peccandum. Nam qui uerè sunt oues Christi, tanto magis cauent à designandis peccatis,quanto plus agnoscunt,peccata sua per Christum esse expiata.Gestiunt.n. quoquo modo possunt, gratitudinem animi sui erga Christum declarare,& beneuolẽtiam eius conseruare.Declaratur autem gratitudo erga Christum,obediẽtia iusticiæ.Est & ouium officium,ut audiant uocem pastoris sui, & sequantur eum,quemadmodum mox dicemus.Pastor autem Christus,docuit nõ esse peccandum,nec ipse unquàm peccauit. Quare sequenda sunt uestigia eius,ut nunquàm peccemus.Quod si aũt peccauerimus,continuo resipiscendum est,& ad pastorem redeundũ,ut nos pro ouibus suis agnoscere non desinat.Nam Christus,quod in ipso est,tãta pertinacia, tanta constantia,tantaq; perseuerantia retinet,defendit ac tuetur suas oues,ut quemadmodũ Paulus ait,neq; mors,neq; uita,neq; angeli, neq; principatus,neq; potestates,neq; instãtia,neq; futura,neq; altitudo, neq; profunditas,neq; ulla creatura possit ipsũ mouere,ut abijciat eas et deserat. Dices igitur:Cum tantæ prerogatiuę,& tanta beneficia contingant ouibus Christi, obsecro te,quomodo fiam ouis Christi? aut quomodo cognoscam me ouem Christi factum esse, ut & sciam, quòd hæc beneficia

ad

ad me pertineant,& posim quicquid acciderit,magno & erecto animo esse? In hac cogitatione alij proripiunt sese extra hunc mundum,ad ęternam illam prædestinationem Dei. Audiunt enim Deum ab ęterno prędestinasse alios quidem ut seruẽtur,alios ut damnentur. Itaq; ascendũt mente sua in hæc absconditaDei mysteria,& conantur sese in his ad salutem definitos & conscriptos inuenire. Sed hęc est detestanda temeritas. Deus aliàs uetuit,ne occidas,aut ne fureris. Non minus certè uetuit, ne ad perscrutãda tam occulta Dei cõsilia temere irrumpas. Iubet enim nomen suum uenerari,hoc est,tribuere ipsi laudem sapientię,iusticiæ, clementię & bonitatis. Qui autem hæc arcana Dei scrutatur, non tribuit Deo,sed arrogat sibĩpsi laudem sapientię. Et rectè ait Salomon: Qui scrutator est maiestatis,opprimetur à gloria. Et alius sapiens: Altiora te ne quæsieris,& fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ pręcepit tibi Deus, illa cogita semper , & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Et Paulus , O profunditatem diuitiarũ & sapiẽtię & cognitionis Dei,cuius inscrutabilia sunt iudicia eius,& imperuestigabiles uitę eius. Quare grauissimè peccant,qui in hoc studium incumbunt,ut humana sua ratione æternam prædestinationem Dei perscrutentur. Alij autem proripiunt se cogitatione sua ad merita bonorum suorum operum , alij ad externã suam in hoc seculo fortunam,& iudicãt se idcirco esse Deo acceptos,aut oues Christi,quòd multa bona opera faciant,ac habeant prosperum rerum suarum successum. Sed hi longius à uero aberrãt,cuius ut paucis uerbis explicari queat. Humana enim iusticia habet quidẽ suam dignitatẽ in humano iudicio,non potest autem in diuino iudicio constare. In conspectu enim tuo,inquit Psalmus,nõ iustificatur omnis uiuens. Et externa rerũ fortuna,donum quidem Dei est, nõ est autem uel causa uel certum signum æternę salutis. Quid ergo faciẽdum est, ut fiam ouis Christi,& cognoscam me eius ouem esse? Hìc obseruanda est cõcio Christi. Dicit enim:Oues meę uocem meam audiũt,& sequuntur me. Quid amplius desideras? Si uis fieri ouis Christi,audi uocem eius,& sequere eum. Et in hoc cognosces te esse ouem eius,si uocem eius audias,& sequaris eum. Sequimur autem Christum ac uocem eius,primum quidem fide,deinde etiam moribus uitæ. Videndũ igitur erit,quę sit illa VOX Christi, de qua hìc pręcipuè fit sermo. Non enim unum tantum est genus doctrinę Christi. Nam Christus docuit aliquoties legem seu Decalogum,& exposuit eum sua interpretatione,qualis est concio, quę extat apud Matthęum capite quinto & sexto,& in alijs Euangelistarum locis. Hæc uox, etsi necessaria est, & pia , ac sequenda, tamen non est propriè uox Christi,sed est uox Mosi,qua interim Christus utitur,ut hac uia suam ipsius propriam uocem illustriorem & acceptiorẽ reddat. Christus enim,præter legem,docuit maximè omnium Euangelion suum,uidelicet quòd ipse sit uerus Messias,expiator peccatorum nostrorũ & seruator noster. Dicit:Ego sum bonus pastor. Dicit:Ego sum lux mundi. Dicit:Ego sum uia,ueritas & uita. Dicit:Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me etiamsi mortuus fuerit uiuet. Hęc est propriè uox Christi, ad quam adnunciandam de cœlo descendit. Hæc est uox illa, quam nul

Ouis Christi quõ fiamus.

Prædestinatio Dei,quatenus à nobis cogitãda.

Christi propria uox quæsit.

lus unquam Patriarcharum aut Prophetarum de seipso dixit. Prædicarunt quidem de Messia, Nullus autem potuit sibi ipsi hanc maiestatem tribuere, præter solum Iesum Christum. Quare hæc uox audienda & sequenda est, si uolueris fieri & cognosci ouis Christi. Tunc autem audimus & sequimur eam, cũ excipimus eam fide, & credimus Iesum, nostrum esse Messiã ac redemptorem, propter quem simus Deo accepti, & adoptati in filios ac hęredes Dei. Audimus etiam & sequimur eam, cum donati spiritu sancto, facimus officium nostrũ, ad quod uocati sumus, & declaramus obedientia gratitudinem erga Deum ac filiũ eius benefactorem nostrum. Itaque si uolueris te inuenire in ęterna Dei prædestinatione ad salutem designatum & conscriptum, non necesse habebis arcana Dei perscrutari, sed accede ad ea quæ reuelata sunt diuinitus, accede ad uocem Christi, quæ est Euangelion eius, audi uocationem Christi: Si te in uoce Christi ac Euangelio eius inueneris, si uocatus ad Euangelion accipiendum, exhibueris te uocationi obedientem, non est dubium, quin sis electa ouis Christi, & pertineant ad te omnia priuilegia & beneficia, quę antè enumerauimus. Quos prædestinauit, inquit Paulus, eos & uocauit. Vides autem te uocatum, & uocationi obedientem, hoc est, credentem. (hoc enim est uocatum esse) Reliquum igitur est, quòd sis etiam prędestinatus, & in numero ouium Christi. Non audit uocem Christi, nec obsequitur uocationi eius Iudęus, non Turca, non hypocrita, non impœnitens. Non sunt igitur oues Christi ad salutem destinatæ. Soli autem hi sunt oues Christi, qui audiunt uocem pastoris sui Christi, & sequuntur eam tam fide quàm moribus uitæ. Quare huc omnes curas & cogitationes nostras cõferamus, ut obsequamur uoci Euangelij Christi, per fidem, quo beneficia ouium Christi participemus. Cęterum, quod Christus dixit: Neque rapiet eas quisquam de manu mea, non simpliciter recitat, sed addit probationem. Dicet enim quispiam. Quid? Tu ne tam potens es, ut queas conseruare sectatores tuos? At qualis est species tua, ne teipsum quidem potes tueri: & tam imbecillis appares, ut ne unius quidem & alterius latronis insultũ sustinere possis, tãtum abest, ut sectatores tuos, quos uocas oues, defendas. Sic uidelicet tueberis eos, quemadmodum Iudas Galilęus, & alij seditiosi. Hanc obiectionem refutat Christus, & non simpliciter ait: Nec; rapiet eas quisquam de manu mea, sed confirmat hoc dictum euidẽti ratione,

» Pater meus, inquiẽs, qui dedit mihi, maior omnibus est. Et nemo potest

» rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus. Hic est syllogis-

Syllogismus. Maior. Nemo potest rapere oues de manu Patris mei. Probatio maioris: Quia Pater maior omnibus est.

mus, quemadmodum dialectici loquũtur, quo Christus probat, quod nemo possit rapere oues suas de manu sua. Nemo enim potest eas rapere de manu Dei Patris mei. Sed ego & Deus Pater unum sumus. Ergo nec quisquam potest eas de mea manu rapere. Habes syllogismum. Videamus nunc partes eius. Nemo, inquit, potest eas rapere de manu Patris mei. Quid ita? quia Pater meus, qui dedit mihi eas, maior omnibus est. hoc est, Pater meus est Deus omnipotẽs. Quis restitit ei, inquit Iob, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subuertit in furore suo. Qui commouet terram de loco suo, & concutiuntur columnæ

lumnæ eius. Ac mox: Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt, & ſub quo curuantur, qui portant orbem. Et in Pſalmo: Domine Deus uirtutum, quis ſimilis tibi? Potẽs es Domine, & ueritas tua in circuitu tuo: Tu dominaris poteſtati maris, motum aũt fluctuum eius tu mitigas. Sed quid facio? Tota ſacra ſcriptura, imo tota rerũ natura plena eſt prędicatione diuinę maieſtatis & omnipotẽtię. Quare nihil in uniuerſo mũdo tã potens eſt, quod queat de manu Dei rapere eos, quos Deus ipſe tuẽdos & conſeruandos ſuſcepit. Sed quid hoc ad Ieſum Chriſtũ? Profecto multum per omnem modum. Sequitur enim: Ego & Pater unum ſumus. Hoc dictum nonnulli ſic interpretantur, quòd Chriſtus loquatur tantum de unitate ſeu concordia uoluntatis: ut ſit ſenſus, Ego & Pater unũ, hoc eſt, unanimes & concordes ſumus. Sed ſi uerba Chriſti de concordi tantum uoluntate inter Patrem & filium exponantur, non conſtabit argumentum Chriſti. Suſcepit enim ſe probaturum, quòd nemo poſſit oues ſuas de manu ſua rapere, & addit hanc rationem, quia nemo poſſit eas rapere de manu Dei, Ergo neq; de manu ſua, propterea quòd ipſe & Deus Pater, unum ſint. Nunc ſi hoc intelligendum eſſet tantum de unitate ſeu cõcordia uoluntatis, Chriſtus nihil probaret. Fieri enim poteſt, ut qui ſunt unius uoluntatis, non ſint unius naturę ac potentiæ. Quare cum Chriſtus dicit: Ego & Pater unum ſumus, perſpicuè cõcionatur ſe unum eſſe cum Deo Patre ſuo non ſolum uoluntate, ſed etiam eſſentia, natura, omnipotentia, & maieſtate. Habemus igitur hoc loco manifeſtum teſtimonium, quòd Ieſus Chriſtus, ſit uerus ab ęterno Deus, unius & eiuſdem cum Patre ſuo eſſentię & potentię. Sed quoniam diximus aliàs copioſè de diuina natura Chriſti, non erimus nũc longiores, ſi hoc unum adiũciamus, ut hoc dicto Chriſti non ſolum utamur aduerſus hoſtes maieſtatis eius, qui negant ipſius diuinitatem, uerumetiam conſolemur nos hoc dicto in omnibus afflictionibus noſtris. Nam ſiue paupertate premimur, ſiue morborũ dolore afficimur, ſiue morte obruimur, uidetur Chriſtus, in quem credimus, in nobis admodũ imbecillis eſſe, qui non poſſit nos iuuare & conſeruare. Sed bono animo ſimus, Chriſtus apparet quidem humanæ rationi imbecillis & impotẽs, ſed reuera eſt unum cum Patre ſuo, qui cum ſit Deus omnipotens, fieri nõ poteſt, ut de manu eius rapiantur hi, quos defendẽdos ſuſcepit, propter filium ſuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Minor. Sed ego & Pater ſumus unum.

Concluſio. Ergo, Nec quiſquam poteſt oues rapere de Mea manu.

HOMILIA LXXXII.

AVdiuimus Iudęos conſectatos eſſe Ieſum Chriſtum conuicĩjs: Dixerunt enim, Dæmonium habet & inſanit. Audiamus nunc eos conſectari ipſum lapidibus. Suſtulerunt, inquit Euangeliſta, rurſum lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Poſtquam enim Ieſus dixiſſet: Ego & Pater unum ſumus, & haud obſcurè hac uoce ſignificaſſet, ſe eſſe uerum Deum, unius & eiuſdem eſſentię ac potentię cum Deo Patre ſuo, iudicauerunt Iudæi blaſphemiam intolerandam, ac non amplius uerbis, ſed la-

pidibus uindicandam esse. Ac recte quidem intelligũt uerba Christi, q̃ affirmet se esse uerum ab ęterno Deum, qua in parte superant sua intelligentia Arrianos, qui pro sua impietate intelligunt hoc uerbum Christi non de unitate essentiæ & potentiæ, sed tantum de unitate uolũtatis seu concordię. Iudæi autem non recte iudicant, nec iustè faciunt, quòd sentiant Iesum Christũ blasphemiam loqui, & constituant eum lapidibus obruere. Videamus igitur, quid Christus cõtrà dicat ac faciat. *Hi enim* sunt homines impijssimi & sceleratissimi, ac merẽtur sua crudelitate, ut terra ipsis dehiscat. Quid ergo faciat Christus? Primum, si adhibuisset Apostolos in consilium, certe censuissent ignem de cœlo demittẽdum, ut impij ab ipso consumerentur, quemadmodum aliàs censuerũt, apud Lucam capite nono. Deinde, si adhibuisset in consilium superstitiosum quendam Eremitam, is consuluisset, ut non solum lapides perferret, sed etiam iuberet eos grassari in ipsum sudibus, gladijs, & quibuscũq; possent armis. Sic enim intelligunt illud, quod dicitur: Ne resistatis malo, sed quisquis impegerit alapam in dextram tuam maxillam, obuerte illi & alteram. Christus autem nec nimium ad dexteram, nec nimiũ ad sinistram declinat, sed rectissima uia incedit. Non enim sęuit in impios Iudęos fulmine aut igni, quia cum ageret humanam uitam in terris, & prędicaret Euangelion suum, non erat uocatio eius, ut externa uiolentia opprimeret hostes suos. Filius hominis, inquit, non uenit ad perdẽdum animas hominum, sed ad seruandum. Nec iubet Iudæos, unà cum saxis etiam sudibus & gladijs in ipsum sęuire. Nõ enim approbãda est impiorum sęuitia & crudelitas, nec debet quisquã seipsum malis sine uocatione Dei obijcere, Sed initio Christus reprehendit furorem Iudæorum.

Arriani.

» Respondit enim eis: Multa bona opera ostendi uobis ex Patre meo, pro
» pter quod eorum operum me lapidatis? Nõ potestis me conuincere alicuius peccati, nec tale q̃d designaui, propter quod meritus sum lapides, sed potius edidi multa & magna miracula, q̃bus cõtuli in hoĩes ea beneficia, propter quæ magis honore afficiendus q̃ lapidibus obruendus essem. Quare estis manifestè in me iniurij. Hæc est reprehensio, quã Christus iustè opponit furori & crudelitati Iudęorum. Venit enim in hunc mundum, ut doceret ueritatem, ac iusticiam. Non potes autem hãc commodè docere, nisi etiam ostendas, ac refutes mẽdacium, peccatum, & iniusticiam. Quare q̃ Christus nõ suscipiat hoc loco & hoc tempore lapides Iudæorum, sed potius arguat Iudęos iniquitatis, non est impatiẽtia & inobedientia erga Deum, sed est officium diuinitus mãdatum. Deinde cum Christus uerbis nihil proficeret, & nondum esset tempus subeũdę mortis, secedit, quemadmodum mox sequetur. Postremo, cum sciret se diuinitus uocari ad crucem, nec posse amplius crucem fugere, nisi uellet Patri suo inobediens esse, tantum abest, ut fugiat, aut secedat, ut potius aduersarijs suis obuiam procedat, & sua se sponte captiuum ipsis tradat. Hoc exemplo docemur, q̃ liceat malo resistere, nõ quidẽ illegitimè & iniquè, sed legitimè, & iuxta uocationem Dei. Quod si uerò nõ possumus malum excutere, nisi illegitimè, & iniquè, ferendũ erit patienter, & bene confidendum, propterea q̃ Deus, qui tunc uocat nos ad crucem et

Malo an resistendum.

mortem

mortem,ſeruaturus etiam ſit nos in ipſa cruce & morte,propter filiũ ſuũ Ieſum Chriſtum.Reſponderunt ei Iudęi dicentes:Ob bonum opus « non lapidamus te,ſed ob blaſphemiam,& quia tu homo cum ſis,facis te « ipſum Deum. Hęc eſt uſitata & perpetua uox impiorum,quòd perſe- « quantur pios,non propter pietatem,ſed propter impietatẽ. Ahab perſecutus eſt Eliam.Non dicebat autem ſe hunc perſequi, quòd eſſet pius Propheta,ſed quòd eſſet ſeditioſus & turbulentus.Herodes cepit Ioannem.Nõ affirmabat autem,ſe hoc facere,ꝙ Ioãnes eſſet uir ſanctus, ſed ꝙ congregaret turbas hominũ, & meditaretur defectionẽ à ſuo regno. Iudęi rapuerũt Stephanum,ut lapidarent ipſum, non hoc prætextu,ꝙ Stephanus eſſet uir pius,ſed ꝙ dicerent eum eſſe cõtumelioſum in Moſen ac Deum.Nam impij fingunt ſibi tantam in perſequendis & occidẽdis pijs iuſticiam,ut exiſtimẽt ſe nunc̃ eſſe Deo acceptiores, c̃ cum pios opprimant,ac ueluti catharmata & peripſemata trucident. Veniet tẽpus,*inquit* Chriſtus,ut quiſquis interficiat uos,uideatur cultum pręſtare *Deo*.Hęc ſunt diligenter cognoſcenda,Primũ propter hanc cauſam, *ut* ſi quis propter pietatẽ uel malè audiat, uel malè tractetur ab aduerſarijs,non admiretur,nec offendatur,ſed conſtet ac perduret in profeſſione & obedientia pietatis. Nihil.n.noui accidit,etiamſi impij uociferentur ſe iuſtiſsimas habere perſecutionis ſuę cauſas.Sic perſecuti ſunt Prophetas,& Chriſtum ipſum,qui & ait:Hęc locutus ſum uobis, ut cum uenerit tẽpus illud,reminiſcamini eorum,ꝙ ego dixerim uobis. Non.n. curandum eſt nobis, qui ſint impiorum aduerſum nos clamores, ſed prouidendum eſt,ut certam habeamus cognitionem ueręac pię doctrinę,Quam ſi tenuerimus,nihil incõmodi accidet nobis, etiãſi aduerſarij dixerint aduerſum nos omne malum uerbũ. Gaudete,inquit,& exultate,quia merces ueſtra copioſa eſt in cœlis.Deinde,ꝙ impij ſuperẽt pios in hoc mundo,non ſolum externa uiolẽtia, uerumetiam ſpecie iuſticię, manifeſtè docet alium eſſe mũdum,& aliud eſſe iudicium Dei reliquũ, in quo uiciſsim impij opprimantur,& iniuſticię damnentur, pij uero liberentur,& iuſticia perpetua ornẽtur.Quare cum nihil certius ſit,recto Dei iudicio,quo tandẽ impij damnabuntur & pij ſeruabuntur, ferenda ſunt pijs ęquo animo aduerſa,quę ipſis ab impijs inferri ſolent. Sed accedamus ad Apologiã Chriſti. Reſpondit eis Ieſus:Nonne ſcriptũ eſt « in lege ueſtra,Ego dixi,dij eſtis? Si illos dixit deos,ad quos ſermo Dei fa- « ctus eſt,& nõ poteſt ſolui ſcriptura.Quem Pater ſanctificauit,& miſit in « mundũ,uos dicitis me blaſphemare,quia dixerim Filius Dei ſum? Ieſus « defendit ſe de blaſphemia,duobus argumentis.Alterũ ſumptũ eſt è Pſalmo octuageſimo ſecũdo,in quo Pſalmo Deus ſeueriter reprehendit magiſtratum,ꝙ nõ faciat ſuum officium,Et addit:Ego dixi quidem,Dij eſtis uos,& filij altiſsimi oẽs, attamen ſicut homines moriemini, & ſicut tyrannus quiſpiã cadetis.hoc eſt,Ego inſtitui quidem uerbo meo publicum magiſtratũ,& quia ornaui eum aliqua parte diuinę autoritatis, tribui ei epitheton & cognomen Dei.Moſen,qui electus erat in ducem populi mei,uocaui Deum Pharaonis.Iudices in Iſrael uocaui Deos.In Exodo enim cap. xx.ſcriptũ eſt:Si ſeruus dixerit,diligo dñm meum, uxorẽ

Magiſtratus officium.

& liberos,nõ egrediar liber,offerat eum Dominus dñs, hoc eſt, ordinarijs & legitimis iudicibus.Et poſtea cap.xxij.Dñs,hoc eſt, iudicibus nõ detrahes,& principi populi tui non maledices.Ex his ſcripturę locis uidetis,inquit Dominus in Pſalmo, me ornaſſe uos Iudices ac Principes epitheto Dei,uidelicet,admonẽs uos,ꝙ ut ueſtra uocatio eſt diuina, ita ueſtri ſit officij,ut uerbo Dei obediatis,ac memineritis uos exercere nõ hominis,ſed Dei iudiciũ. Vos autem abutimini ueſtra autoritate & potentia ad opprimẽdos pauperes.Quare nõ tractabo uos ut deos, ſed ut homines,imo ut tyrãnos,quorum ſolet eſſe horribilis interitus.Habes ſententiam huius uerſiculi in Pſalmo. Ex hoc igitur uerſiculo argumentatur Chriſtus ut refutet accuſationẽ Iudęorum.Scriptura,inquit,uocat homines,qui ciuili tantum magiſtratu funguntur,deos:& nõ poteſt ſolui,hoc eſt,negari,abrogari,aut mẽdacij ſeu blaſphemię argui.Cur ergo ob hãc cauſam,ꝙ affirmauerim me eſſe filium Dei,dicitis blaſphemare me,quem Deus Pater ipſe ſanctificauit,& miſit in mũdum, hoc eſt, quẽ & ab ęterno ex ſua ſubſtantia genuit, & conſecrauit eum, ut eſſet uerus Meſsias?Si nõ eſt blaſphemia aduerſus Deum,cum hi,qui politica tantum magiſtratus autoritate ornati ſunt,uocant dij, multo minus eſt blaſphemia,ſi is dicatur Deus,qui ornatus eſt maieſtate Meſsiæ. Hic enim ſuperat dignitate & officio ſuo omnes huius terrę reges & Monarchas. Hactenus de priori argumento.Sed priuſquàm accedamus ad explicandum alterum,pauca quędam dicenda uidentur de epitheto & cognomine Dei, quod et hominibus tribui ſolet. Primum enim ſcriptura uocat Principes & magiſtratus, Deos,quemadmodum nunc dictũ eſt.Vocat autem eos deos, nõ quòd natura ſint dij, ſed quòd officium ipſorum ſit diuina ordinatio.Sic enim Paulus ait:Quę ſunt poteſtates, à Deo ordinatę ſunt.Quare Principes hoc epitheto admonẽtur ſui officij, ut quod Ioſaphat ad magiſtratum ſui regni dicit,hoc & principes ſibi dictum ſciant. Videte,inquit ille, quid faciatis.Nõ enim hominis exercetis iudicium,ſed Domini,& quodcunque iudicaueritis,in uos redundabit. Sit timor Domini uobiſcum,& cum diligentia cuncta facite.Non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas,nec perſonarũ acceptio, nec cupido munerum.Deinde,ſi primam creationem hominis cõſideraueris,non magiſtratus tãtum,ſed etiam quiuis homo dicẽdus eſſet Deus. Initio enim cum uerus & ęternus Deus cõſtitueret hominem creare,dixit:Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinẽ noſtram. Ac poſtquàm creaſſet eum,dicit ſcriptura:Creauit Deus hominem ad imaginẽ & ſimilitudinem ſuam. Imago autem & ſimilitudo Dei,an non poteſt ſuo quodam modo dici Deus? Cum igitur homo ſit creatus ad imaginem & ſimilitudinẽ Dei,manifeſtum eſt, quòd homo dicendus ſit Deus, nõ quidem quòd ſit natura Deus ab ęterno, ſed quòd ſit à uero Deo factus & creatus Deus.Ac ſi quidem nõ peccaſſet homo,tunc inceſsiſſet in terra,uelut Deus quiſpiam coram omnibus animantibus terrę.Alter alterum hominem ueneratus eſſet ut Deũ, ac uerè fuiſſet uſitatum hoc prouerbium:Homo homini Deus.Et reliqua animantia ſiue in terra, ſiue in aere,ſiue in mari, præſtitiſſent homini ut domino ac Deo ſuo obedientiam

Magiſtratus dij ſunt.

Homines dij ſunt.

bedientiam & cultum. Sic enim dictum est ad hominem: Dominamini piscibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Nam quemadmodum, si Monarcha quispiã incedit, omnes alij homines, qui corã adstant, subijciunt se ei capite & genubus, & colunt eum, quanta possunt, obseruantia, ut putes nõ hominem, sed numen quoddam incedere, ita si homo non peccasset, ambulasset inter animantia tanta autoritate, ut ubicunq; uidisses hominem, ibi existimasses te uidere terrenum Deum. Postq; autem homo peccauit, amisit hanc diuinam autoritatem, & imago Dei, in qua creatus erat, ita obscurata est, ut propter peccatum deformatus sit homo ad imaginem & similitudinem Satanæ. Itaque factus est obnoxius non solum morti, sed etiam perpetuæ internecioni. Quid ergo? num Deus passus est hominem, quem ad suam imaginem creauerat, sic interire? Minimè omnium, sed ita misertus est eius, ut promiserit se unigenitum filium suum in hanc terram missurum, ut quotquot in ipsum crederent, reciperent imaginem Dei ac fierent iterum Dij, seu filij Dei. Nam quod unigenitus filius Dei est natura sua ab æterno, hoc fiunt per ipsum homines gratia, & adoptione per fidem. Quotquot receperunt eum, inquit Ioannes, dedit eis potestatem, ut filij Dei fierẽt, uidelicet his, qui credidissent in nomen eius. Et Paulus: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suũ, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos qui legi erãt obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Et iterũ: Accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba Pater. Quare, & si homo amisit per peccatum, diuinam maiestatem, qua initio ornatus fuit, tamen dedit nobis Christum filium suum, uerum ab æterno Deum, ut quotquot in ipsum credunt, recipiant diuinam maiestatem, ac fiant propter ipsum nõ tam terreni Dij, q̃ cœlestes. Pro quo beneficio, sic Domino Deo nostro agendæ sunt gratiæ, ut non tantum cogitationibus & uerbis usurpemus epitheton Dei, sed etiam declaremus factis ac operibus uitæ hanc maiestatem Dei in nobis esse. Si enim recreati sumus dij per lesum Christum, quid reliquum est, nisi ut etiam diuinã agamus uitam? Nihil certe turpius, nihil fœdius est, quàm ut gloriemur nos esse factos filios Dei ac Deos, interim autem ducamus uitam, ut filij Diaboli, ac diabolus ipse. Demus igitur operã, ut quam recepimus maiestatẽ per filiũ Dei, eam etiam honestate uitæ nostræ ornemus. Sed reuertemur ad Apologiam Christi. Audiuimus autem unum argumẽtum, è Psalmo ductũ, quo Christus defendit se de blasphemia. Si illos, inquiẽs, dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, si hi dicũtur dij, qui uel funguntur officio, q̃d diuino uerbo est ordinatũ, uel adoptantur ex diuina promissione in deos, quanto iustius is dicendus est Deus, qui non solum fungitur officio Messiæ, quod superat omnẽ regiam dignitatem, sed etiam qui est naturalis ab æterno filius Dei, & propter quẽ alij homines, qui in ipsum credunt, fiunt dij. Audiamus nunc & alterũ argumentum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: sin uero facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quòd Pater in me est, & ego in eo. Hoc argumentum ductum est à miraculis Christi. Facio, inquit, di-

uina opera, quę sunt miracula. Quare nō iniuria asserо mihi diuinā ma iestatē. Facio opera ueri Dei. Sum igitur natura uerus Deus. Sed quid? An nō etiā Prophetę & Apostoli ediderunt miracula? Mūdârunt enim & ipsi leprosos, & suscitârunt mortuos. Dicemus igitur eos esse natura Deos? Nihil minus. Nam, cū Christus citat miracula sua in testimoniū suę diuinitatis, nō sentit, miracula testificari simpliciter et per se diuinitatem eius personę, à qua eduntur. Etsi .n. uera miracula non possunt edi, nisi diuina potentia, tñ Deus hoc donum cōferre solet etiam in eos, qui nō sunt, nisi homines. Quare miracula per se non probāt eum hominē, à quo edūtur, esse natura Deum, sed probāt uocationē, & doctrinā eius esse ueram ac diuinā. Vnde & Christus disertè ait: Si mihi non creditis, operib. credite. hoc est, si quę doceo simpliciter absq; miraculis affirmarē, possent fortasis uana somnia uideri. Nūc aūt, addo opera, addo miracula. Quare miracula debent uos excitare, ut uerbis ac doctrinę meę fidem adhibeatis. Videamus igitur paucis, quid Prophetę & Apostoli, qd item Christus docuerint, ut cognoscamus quò in singulis spectent testimonia miraculorum. Elias & Elizęus Prophetę, non docuerunt seipsos esse Messias, ac unū cum Deo Patre, hoc est, se natura esse ueros Deos, sed docuerunt uenturū Messiam, qui sit uerè Dñs Deus Zebaoth. Dicit enim Petrus: Omnes Prophetæ à Samuele, ac deinceps, quotquot locuti sunt, adnunciauerunt dies istos. Nō solum aūt hoc docuerūt, sed ediderūt etiam magna miracula, mundarunt leprosos, aluerunt multos paucis panibus, & suscitârūt quoq; mortuos. Quid ergo de his miraculis dicemus? num probant hos Prophetas esse natura deos? Minimè oīm, sed probant potius Messiam uenturū esse natura Deum, ipsos aūt esse tantū Messię ministros. Probant .n. ueritatem doctrinæ eorū. Docuerunt aūt de uēturo Messia, q̄ sit uerè Dñs Deus Zebaoth, sicut & Esaias de Messia cōcionatur, cum ait: Exalta noli timere, Dic ciuitatibus Iuda, Ecce Deus uester, ecce Dominus Deus in fortitudine ueniet, & brachiū eius dominabitur. Et iterum: Quàm pulchri super mōtes pedes prędicantis pacem & salutem, ac dicentis: Zion, regnat Deus tuus. Quare tantū abest, ut miracula Prophetarum probent ipsos esse natura deos ut potius probent Messiam esse Deum, se aūt Messiæ seruos. Vide mihi etiam doctrinam Apostolorum. Hi enim docuerunt, nō seipsos esse Messias & deos natura, sed docuerunt solum Iesum esse uerum Messiam ac uerū Deum. Tu es Christus, inquit Petrus, filius Dei uiui. Et iterum: Certo sciat tota domus Israel, q̄ Dñm, & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Ediderunt etiam Apostoli multa ac magna miracula, & aliquo modo maiora, q̄ Christus edidit. Quid ergo? num hęc miracula testificantur Apostolos esse in Patre, & Patrem in Apostolis, hoc est, Apostolos esse natura deos? Nihil minus: sed testificantur ueritatem doctrinę eorum. Docuerunt autem Christum, non se, natura esse Deum. Quare miracula eorum, non hoc spectant, ut ipsi adorētur pro dñs, sed ut solum Iesum Christum, uerum Deum colamus. Nunc ergo audiamus quoque doctrinam Iesu Christi. Is enim non docuit alium, sed seipsum esse Christum. Docuit etiā seipsum esse Deum. Et edidit prętera mul-

Miraculorū Christi ratio

ta

ta & magna miracula. Quid igitur de his miraculis sentiemus? nũ sicut Prophetarum & Apostolorum miracula non testificantur ipsos esse naturadeos, ita nec miracula Iesu Christi testificãtur ipsum esse uerum Deum? Absit. Miracula enim sunt testimonia doctrinæ. Alia autem docuerunt Prophetæ & Apostoli de sua persona, alia docuit Iesus Christus. Illi docuerũt se nec esse Messias nec deos: Hic autem utrumq; de se ac sua persona docuit. Quare, quemadmodum miracula Prophetarũ & Apostolorum probant ipsos nõ esse Messias & ueros deos, ita miracula Iesu probant ipsum esse uerum Messiã, & uerum ab æterno Deum. Sed pergamus reliqua huius capitis percurrere. Quærebant iterum eum apprehendere, & exiuit de manu eorum, & abijt iterum trans Iordanem, in eũ locum, ubi fuerat Ioannes baptisans primum, mansitq; illic. Et multi uenerunt ad eum, ac dicebant: Ioannes quidem signum ꝑdidit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, uera sunt. Et crediderunt multi illic in eum. Etsi Christus defenderat se satis perspicuis argumentis de blasphemia, tamen intantum nõ sedat furorem impiorum Iudæorum, ut maiori in ipsum rabie grassentur, ac hoc unum conentur, ut apprehensum occidant. Quare Iesus secedit, non quòd fugiat crucem, propter quam subeũdam in hunc mundum uenerat, sed ut expleat tempus ministerij sui in hac terra, & doceat suo exemplo, nõ esse temerè sine certa uocatione Dei pericula suscipienda. Secedit autem in eum locum, in quo Ioannes initio baptisauerat. In quo secessu, uerisimile est ex ijs, quæ sequuntur, multa eum miracula edidisse. Homines igitur, qui magna frequentia ad Iesum uenerant, excitati miraculis, & admoniti conspectu eius loci, in quo Ioannes baptisauerat, conferunt inter se Ioannem & Iesum, ac manifestè intelligunt, non Ioannem, sed hunc Iesum esse uerum Messiam. Ioannes quidem, inquiunt, nullum edidit signum, hoc est, Ioannes fuit quidẽ uir tantæ sanctitatis & autoritatis, ut existimauerimus eum esse uerum Messiam, sed, ut uidemus, hic Iesus longè superat eum. Primum enim, Ioãnes nullum edidit miraculum. Hic autem Iesus tot & tanta edit miracula, ut nemo dubitare possit, quin diuinitus sit in hanc terram missus. Deinde Ioannes de hoc Iesu cõcionatus est, & iussit discipulos suos eum ut Messiã agnoscere. Ac uidemus planè in eo impleri, quę Ioannes de ipso uaticinatus est. Dixit Ioannes, sé oportere minui, hunc autem Iesum crescere. Dixit hunc esse fortiorem, cuius non sit idoneus, ut calceamẽta portet. Dixit Deum Patrem hũc diligere, & omnia dediſſe huic in manus, Et multa alia, quæ omnia uidemus manifestè in hoc Iesu impleri. Quare nihil certius, nihil uerius est, quàm hunc Iesum esse uerum illum Messiã, qui Patriarchis est promissus, & cuius desiderio omnes pij hactenus flagrarũt. Cęterum, quod homines hoc loco de Iesu definiunt, non existimes tam pauca complecti, quàm paucis uerbis recitatur. Nam cum firmum ac fixũ sit, quòd hic Iesus sit uerus Messias seu Christus per Prophetas promissus, Primum refutantur & damnantur omnes aliæ religiones, quæ aut ignorant, aut non agnoscunt Iesum Christum, quales sunt religiones Ethnicorum, Mahumetistarum, & Iudæorum, quales quidẽ his temporibus sunt Iudæi. Nec potest ullus ho-

Christus secedens nõ fugit crucem.

minum in his impijs religionibus ueram ſalutem conſequi. Non. n. aliud eſt nomẽ datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri, præter nomen Ieſu Chriſti. Deinde damnãtur etiam in Chriſtianiſmo ipſo, omnes Miſſæ Pontificiæ, oẽs regulæ & ordines Monaſtici, omnia collegia ſacrificulorum, omnes inuocationes ſanctorum, omnia denique merita, quæ hypocritæ ſibi ex operibus ſuis pollicentur. Hæc enim inſtituta ſunt & uſitata, ut expient peccata hominum coram Deo, & iuſtificent homines coram iudicio Dei. Nulla autẽ expiatio peccati, nulla iuſticia conſtat coram Deo, præterquàm expiatio & iuſticia ſolius Ieſu Chriſti, quã nos per fidẽ participamus. Quare illuſtrato Ieſu Chriſto, neceſſe habẽt obſcurari & damnari omnes Pontificum, ſacrificulorum, Monachorũ, & hypocritarum ſuperſtitiones ac impietates. Præterea iubẽtur omnes homines ex fide in Ieſum Chriſtum mandatis Dei uerè obedire, & damnantur omnes, qui non ambulant ſecundum ſpiritum, ſed ſecũdum carnem. Chriſtus enim non uenit in hoc, ut concedat licentiã peccandi, ſed ut expiato in cruce peccato noſtro, in iuſticia & nouitate uitæ ambulemus. Poſtremo, cum nihil certius ſit, quàm Ieſum eſſe uerum Chriſtũ, nihil etiam certius eſt, quàm quòd omnes qui credunt in eum, adoptentur in filios Dei, ac hæredes cœleſtium & diuinorum bonorum. Quotquot, inquit, receperũt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et iterum: Sic Deus dilexit mũdum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat æternam uitam. Quare conferamus in hanc rem omnes curas & cogitationes noſtras, ut uera ac firma fide comprehendamus Ieſum Chriſtum Dominum ac ſeruatorem noſtrum,
qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto
Deus benedictus in ſecula,
AMEN.

FINIS PRIORIS TOMI HOMILIARUM octuaginta duarum in Euangelium Ioannis.

EVANGELII

QVOD INSCRIBITVR, SECVNDVM IOANNEM, VNDECIM POSTERIORA CAPITA,

ab historia de resuscitato Lazaro usq; in finem,
septuaginta duabus Homilijs
explicata:

PER IOANNEM BRENTIVM.

Summa Euangelij, Mar. 16.

Ite in mundum uniuersum, & prædicate Euangelion omni creaturæ: Qui CREDIDERIT, *& baptisatus fuerit,* SALVVS ERIT: *qui uerò non* CREDIDERIT, *condemnabitur.*

IOANNES BRENTIVS PIO Lectori S. D.

HAEC posterior pars Homiliarum in Euangelion Ioannis, edita est superiori anno in lucem me absente. Quare, quæ in ea editione desiderantur, curaui nunc adijcienda. Agamus autem Deo patri Domini nostri Iesu Christi maximas gratias, quòd etsi cõtigit, ut horribilis tempestas in Ecclesiam his temporibus irruerit, non tamen patiatur, ut Satan pro libidine sua cœlum terra misceat. Etesias uocant eos uentos, quos his diebus rerum natura diuinitùs condita, in exortu Caniculæ excitat. Sic enim uisum est Domino, ut cum hoc tempore uapores solis accendantur, & feruentissimi fiant, Etesiæ sint ardoris temperamentum. Scilicet, clementissimus Dominus Deus noster prouideret, ut homines tam mali quàm boni suas haberent in summo anni calore Etesias: & non prouideret, ut Ecclesia, propter quam filius eius de cœlo descendit, haberet suam in summo Satanæ furore ἐκθεσιν? In Daniele, tres iuuenes conijciuntur in fornacem ignis ardentis, quòd nollent statuam à rege institutam adorare: sed mittitur angelus Domini, qui eos in medio ignis ita illæsos conseruat, ut rex & proceres eius obstupescerent. Non existimes autẽ filio Dei hos iuuenes sic curæ fuisse, ut interea suæ Ecclesiæ desit: quin potius hoc miraculo testatur, se Ecclesiam suam tanta sollicitudine complecti, ut malit rerum naturam inuertere, quàm interitum Ecclesiæ suæ ferre. Dixit iam olim ad cœtum Ecclesiæ suæ: Noli timere, quia redemi te, & uocaui te nomine tuo. Meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne, non cumbureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel, saluator tuus. Bene igitur confidamus, & pergamus nostra uocatione defungi, hoc est, Ecclesiæ quoquo officio possumus seruire, ut cum sciamus laborem nostrum nec Deo ingratum, nec uanum esse, expectemus admirabilem & salutarem de cœlo euentum omnium earum rerum, quæ nunc præsentem Euangelio filij Dei, & Ecclesiæ eius internecionem minari uidentur. Bene ac fœliciter uale. Mense Iulio. An. 1549.

CAPVT XI.

HOMILIA I.

VM Ezechias rex pietate clarissimus, graui ac periculoso morbo affligeretur, & acciperet diuinum nuncium, se non solum sanitatem recuperaturum, uerumetiam quindecim adhuc annos uicturum: tanta animi lætitia perfusus est, ut eam publico carmine sit testatus. Ac honestissimum quidē fuit, quod rex tam grata lętitia diuinum beneficium excepit: sed multo maiori lætitia excipienda à nobis est ea historia, quam Ioannes Euangelista de Lazaro à mortuis suscitato conscripsit. In hac enim historia adnunciatur nobis, quòd non tantum corporales nostri morbi, si in Christo sumus per fidem, nō sint mortiferi, sed etiam salutares: & quòd non simus quindecim tantum annos, sed perpetuò uicturi: quo nuncio nihil potest animo horroribus mortis perturbato gratius & iucundius accidere. Quare non est ullo modo committendum, ut hæc historia ex animo nostro unquam excidat. Aegrotabat, inquit Euangelista, quidam nomine Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororis eius. Maria autem erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus ægrotabat. Priusquam rem ipsam aggrediamur, dicenda quædā sunt de Lazaro & sororibus eius. Nam Lazarus, de quo hic fit sermo, non est mendicus ille Lazarus, qui apud Lucam ad ianuā diuitis ulcerosus iacuit, & mortuus est, priusquam Christus mortem subiit: sed est Lazarus Bethanien sis, frater Marthæ & Mariæ. Videtur autem nomen Lazari dictum pro Eleazaro, quod & ipsum pro Eliezer est usurpatum. Martha uerò & Maria hæ sunt sorores, quarum etiam fit mentio aqud Lucam: & quarum altera in administranda re familiari multum negocij habuit, altera in audienda cōcione Christi ocium contriuit. Et Euangelista disertè dicit, hanc fuisse eam Mariam, quę Iesum unxit, & pedes eius capillis suis tersit. Quod factū Mariæ attingit nūc Euangelista paucis tantum uerbis, postea capite duodecimo copiosius commemoraturus. Hæc familia excepit Iesum Christum & frequenter & libēter hospitio suo, & Iesus prosecutus est eam singulari fauore. Primùm igitur, etsi Christus tam pauper fuit, ut nō habuerit, ubi reclinaret caput suum: tamen uides eum sua habuisse hospitia, ad quę diuerteret, & in quibus summa beneuolentia exciperetur, ac tractaretur. Cum enim pater mitteret eum in hanc terrā, iussit eum pauperem esse. Ecce rex tuus, inquit Scriptura, uenit tibi iustus quidem & saluator, sed pauper, sedens super asinam, & pullum filium asinæ. & iterum: Non est species ei, neq; decor: quod ut de passione Christi, ita & de paupertate eius, quæ est pars passionis, intelligēdum est. Quare cum Christus obediuerit uocationi patris sui, & susceperit tantam paupertatē, ut ne propriam quidem domum in hac terra haberet: Deus pater uicissim tātam eius curam habuit, ut quocunq; diuerteret, multorum ei ædes patue-

Lazari nomē.

πανδοχεῖον

Christi hospitia.

rint. Non emit in terris unam aut alteram propriam domum, ut satisfaceret uoluntati patris sui, sed pro una domo accepit omnes omniũ piorum domos. Hoc Christo, inquis, contigit: mihi autem, qui Christo minimè conferendus sum, non potest idem contingere. sed audi tu uicissim. Videris enim hac obiectione ex Christo facere priuatum quẽdam hominem, qui suas tantum res agat, & cui non sint alij homines curæ. Longè autem aliud de Christo sentiendũ est. Non enim habendus est, ut priuatus quispiam homo, sed ut publicus seruator ac redemptor. Et quod in ipso gestum uidemus, hoc etiam in ijs qui sunt mẽbra eius per fidem, geri debet. Suscepit ex uocatione Dei paupertatem, & non possedit ullam propriam domũ: sed Deus reddidit ei tot domos, quot homines pij possidebant. Quare qui est membrum Christi, & suscipit nõ temerario aut superstitioso affectu, sed ex uocatione Dei, eam paupertatem, ut malit relinquere propriam domũ, quàm aduersus Deum, aut uerbum Dei peccare: is tantam accipit remunerationem à Deo, ut pro una domo, centum ei restituãtur. Omnis, inquit, qui reliquerit domos aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros propter nomen meum, centuplũ accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Et ne existimes hęc tantum ad Apostolos pertinere, considera mihi preces Christi apud Ioãnem capite decimoseptimo, in quibus Christus commendat Deo patri suo, non tãtum Apostolos, sed etiam omnes eos qui Euangelio apostolico fidem adhibent: Non pro eis, inquiens, rogo tantum, sed & pro ijs qui crediturі sunt per sermonem eorum in me. Non igitur soli Apostoli, sed etiam omnes credentes in Christum, tãtæ sunt curæ Deo, ut pro una domo, quam ex uocatione eius relinquunt, centum recipiant domos. Id autem non est sic intelligendum, quòd qui unam deserit domum, recipiat centũ pro more ciuilium contractuum: sed quòd pro usu unius domus, quàm ut obediret Deo, deseruit, inueniat diuino beneficio tam cõmodũ usum aliarum domorum, quantum impius quispiam ne è centum quidem domibus percipiat. Quæ res cognitu quidem dignissima est, sed non est hic locus plura de ea re dicendi. Deinde cogita mihi, quanto periculo, quantoq; sumptu constiterit Lazarum & sorores eius, quòd excepерint Iesum hospitio. Iesus enim erat Pharisęis, penes quos fuit eo tempore summa potestas Iudaicæ religionis, inuidiosus, & ab ipsis etiam proscriptus. Necesse igitur habebant Lazarus & sorores magna pericula subire, quòd Iesum in suam domum reciperent. Præterea Iesus non solebat solus ambulare, sed habebat magnum comitatum discipulorũ, quos hospitio suscipere, non mediocrem exigebat sumptum. Lazarus aũt, & sorores eius non deterrebantur his rebus, quo minus Iesum in domum suam reciperẽt. Credebant emi eum esse uerum Christũ. Ego credo, inquit Martha, quòd tu sis Christus filius Dei, qui in mundum uenturus erat. Quare nullum officij genus prętermittũt, ut testentur erga ipsum animi sui beneuolentiam ac fidem: Christus autem compensauit eis abundè, si quid periculorum ac sumptuũ nomine eius susceperunt. Quantum enim est hoc beneficium, quòd Lazarum iam mortuum resuscitauerit à morte? An non hæc est illustrior dignitas in uniuersa Ecclesia Dei, quàm si ornasset eum diademate regio? Ac aliàs magnis laudibus

Pij curæ sunt Deo.

Lazarus & sorores eius periclitãtur propter Iesum.

effert

effert Mariam, quòd precioso suo unguẽto non pepercerit, ut declararet erga ipsum fidem suam: Amen, inquiẽs, dico uobis, ubicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelion in toto mũdo, hoc quoq;, quod hæc fecit, narrabitur in memoriam ipsius. Quid aliud autẽ hoc est, quàm Mariæ instituere monumentum illustrius ac durabilius monumentis omniũ huius terræ regum ac monarcharum? Sed nec Martha suo cõmodo ac honore fraudatur, quẽadmodum ea quæ sequuntur indicabũt. Et hæc dicimus tantũ de externis beneficijs, quæ his in hoc seculo contigerũt. Quid autẽ dicemus de spiritualibus & perpetuis beneficijs, quæ acceperunt propter Christum in regno cœlesti? Hęc plura & maiora sunt, quàm quæ humana lingua explicare potest. Quare nõ pigeat nos propter Christum & Euangelion eius pericula subire, & sumptus facere, cum tãta sit liberalitas eius, ut non cõmittat, quin pro uno aut altero incõmodo, innumera & æterna cõmoda reddat. Sed quid? inquies, Hoc cine est præmium amicitiæ? hæccine est merces hospitij? Lazarus Christo acceptissimus est. Testãtur id sorores, cum dicunt, Ecce, quẽ amas, ægrotat. Testatur idem etiam Euangelista, cum postea ait, Iesus ḍiligebat Lazarum. Christus etiam ipse tam uerbis, cum dicit, Lazarus amicus noster dormit, quàm lachrymis, cũ postea ad tumulũ eius fleuit, testatus est se singulari fauore prosecutum esse Lazarũ. Et tamen non solum conniuet & permittit, ut ægrotet, sed etiam ut moriatur, ac fœtere incipiat. An hoc est amici officium, deserere amicum in summa & extrema eius necessitate? Sed bene habet, Christus ut seruat amicã suam beneuolentiam erga Lazarum, ita suo quodam, eoq; diuino consilio cõniuet ad morbum & mortem Lazari. Cum enim amicitia Christi cũ Lazaro uulgata fuerit, cogitauit Christus exemplũ uniuersæ Ecclesiæ suæ in Lazaro exhibere, ut uera amicitiæ ratio inter Christũ & pios cognosceretur. Nam si Christus Lazarum amicũ suum seruasset, ne uel morbo affligeretur, uel morte interiret, an non alij pij, qui credunt Christũ esse amicum suum, dubitarent de amicitia eius, si ipsi inciderent in morbos, & pericula mortis? Nũc autem Christus permittit, ut is uir, quem summa dilectione complexus est, ægrotet ac moriatur: quo doceat uniuersam Ecclesiam, fauorem & gratiam Dei haudquaquam posse à pijs morbo & morte tolli. Nõ enim discedit Deus, discedẽte sanitate carnali, non abit Christus, abeunte uita corporali: sed tunc maximè omniũ præstò adest, & seruat, cum omnia in oculis hominũ perdita uidentur. Quare hoc unum nobis curæ sit, ut cum Christo amicitia cõiungamur (id quod fit per fidem in ipsum) & hanc amicitiam cõstanter tueamur. Christus enim, etsi conniuet ad morbum & mortẽ Lazari amici sui, tamẽ nõ cõniuet, ut Lazarus pereat: sed ut maiori gloria seruetur, quemadmodum paulo pòst sequitur. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce, quẽ amas, ægrotat. Magna est prudentia harum mulierculârum, & rectè sciunt, quibus rebus animus Christi expugnetur. Mittunt enim legationẽ ad Christum, ac primùm, nõ dicunt, Lazarus ægrotat: sed, Quem AMAS, ægrotat. Hoc uno amandi uerbo non solum admonẽt eum omnium officiorum, quæ amicus debet amico, uerumetiam animum eius ita exuscitant, ut non possit teneri, quin succurrat Lazaro. Amas Lazarum, deseres ne amicum in summa eius necessitate?

Christus ad morbum & mortem Lazari conniuet.

ceſsitate? Negabis'ne opem tuã præcipuo amico? Deinde non addũt, Veni & reſtitue eum ſanitati: ſed ſimpliciter exponunt ei amici neceſsitatẽ, Aegrotat, inquiunt. Quid nunc à te petatur, aut expectetur, tuipſe intelligis. Diſcamus hoc exẽplo, quid & nobis in noſtris miſerijs & afflictionibus faciendũ ſit. Si enim premimur aut paupertate, aut morbo, aut periculo mortis, mittenda eſt legatio ad Ieſum Chriſtum, Dominũ Deum noſtrum. Mittitur aũt legatio inuocatione nominis Dei. Non enim excitandi ſunt mortui, qui pro nobis apud Deum intercedãt: ſed noſipſi inuocemus Deum, & hortemur eos qui adhuc nobiſcum in Eccleſia uitam agunt, ut etiã ipſi nos ſua inuocatione iuuẽt. Hæc eſt legatio, quæ in noſtris aduerſis ad Deum in cœlũ eſt mittenda, qua Deo pericula noſtra exponamus. Ac nouit quidem Deus, quid nobis opus ſit, priuſq; id cogitauerimus, nedum uerbis expoſuerimus: attamen exigit Deus, ut & nos noſtram indigentiã cognoſcamus, & noticiam noſtrã uotis ac precibus declaremus. In hac igitur legatione, non eſt opus multiloquio. Ethnici enim ſunt, qui putant ſe ob multiloquium ſuũ exaudiri: ſed opus eſt multa & magna fide, opus eſt ea uidelicet re, qua animus Dei expugnari queat. Hęc autem ſola eſt, Ieſus Chriſtus filius Dei, propter quem ſolũ Deus amat homines, & benefacit eis. Quare inuocaturo auxilium Dei in aduerſis, neceſſarium eſt, ut credat in Ieſum Chriſtũ, quòd propter hunc Deus ſit propitius. Hæc aũt fides ſuis etiam uerbis declarari ſolet, ut ſi quis, exẽpli gratia, dicat, Ecce Dñe, ille ego, propter quem miſiſti unigenitum filium tuum in terris, tanta premor paupertate, ut fame propemodum contabeſcam. Ecce Dñe, is quem tu ſanguine tuo redemiſti, eſurit unà cum liberis ſuis. Ecce Dñe, quem tu morte tua redemiſti, horrore mortis affligitur. Ecce Dñe, cui tu promiſiſti cœlũ & æternã uitã, in eum Satan unà cum ſuo inferno & damnatione graſſatur. Quid? Si hæc ex fide oraueris, putas'ne Deum poſſe teneri, quin te adiuuet? Montes, inquit, commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia aũt mea non recedet à te, & fœdus pacis meę nõ mouebitur, dicit miſerator tuus Dñs. Sed audiamus nũc, quid Ieſus mulierculis per
» legatos reſponderit. Audiens eñ Ieſus, dixit: Infirmitas hæc non eſt ad
» mortem, ſed pro glora Dei, ut glorificetur filius Dei per eam. Hoc eſt unum è præcipuis dictis, quæ in hac hiſtoria obſeruanda proponũtur. Etſi enim Chriſtus uidetur tantum loqui de infirmitate Lazari, tamen poſtea perſpicuè ſignificat, ſe idẽ ſentire de omniũ piorum infirmitatibus, cũ ait, Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Omnis, inquit (non Lazarus tm̃) qui in me credit, uiuet in æternum. In hoc igitur dicto, quod Chriſtus reſpõdet legatis ſororũ, de Lazari infirmitate, longè aliter deſcribitur corporalis infirmitas, q̃ eam Moſes deſcripſit. Moſes eñ docet, corporalem infirmitatem eſſe pœnã peccati, quę ſit ignominioſa & mortifera. In ſudore, inqt, uultus tui (hoc autẽ eſt omniũ corporaliũ infirmitatum genus) ueſceris pane tuo, donec reuertaris in tertam, de qua ſumptus es. Et in Deut. inter ſupplicia peccati etiã hoc enumerat: Augebit, inquiẽs, Dñs plagas tuas, & plagas ſeminis tui, plagas magnas & perſeuerãtes infirmitates, peſsimas & perpetuas. Manifeſtũ igitur eſt, q̃ iuxta Moſen, corporales morbi ſint ſupplicia peccati, ideoq; mortiferi,

Afflictis quid faciendum.

Infirmitas corporalis.

ferí, ac ut ita dicam, inferniferi. Nunc autem, Christus longè aliter describit morbos & infirmitatem corporalem. Dicit eñ eam nõ esse mortiferam, sed salutarem & glorioſam. Infirmitas hæc, inquiẽs, non est ad mortem, sed ad gloriam Dei, & ut filius Dei glorificetur per eam. Nunquid ergo Christus arguit Moſen mendacij? Nihil certè minus. Vera dicit Christus, uera dicit & Moſes, sed alius aliò ſpectat. Moſes eñ non est expiator, sed iudex peccatorum: & proponit sibi ob oculos eos homines, qui nondum habẽt remiſsionem peccatorũ, sed adhuc sunt peccatis obnoxij. In his hominibus infirmitas corporalis, ut est pœna peccati, ita affert mortem ac infernum. Christus autem est expiator peccatorum, & impetrauit à Deo patre suo, ut nulli eorum qui in ipsum credunt, imputentur peccata, sed ut reputentur coram Deo iusti. Vbi autem peccata nõ imputantur, ibi est beatitudo. Beati, inquit, quorum remiſsæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata: beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum. Quare, cum Christus definit corporalem infirmitatem nõ esse mortiferam, respicit in expiationem peccatorum, quam ipse fecit, & in eos qui credunt, quòd propter ipsum habeant peccatorum suorum remiſsionem. In his enim, fieri nõ potest, quin corporales morbi sint salutares, & sint organa illustrandæ gloriæ filij Dei. Nam quemadmodum nomen Iesu Christi filij Dei ex hoc maximè coram omni populo illustratum est, quòd resuscitauit Lazarum à mortuis: ita illustrabitur coram uniuerso mundo ex eo, quòd resuscitaturus sit omnes credentes in ipsum, ad perpetuam uitã & fœlicitatem. In hac enim resuscitatione publicè declarabitur, quòd conseruauerit pios in ipsum credentes, non solum in morbis, sed etiam in morte ipsa: ac tum uerè perspicuum erit, morbos corporales non fuisse mortiferos, sed salutares, & glorioſos. Vna igitur cura, unum studium noſtrum sit, ut in Christo simus, et in ipso maneamus. Sed hic perpende diligenter, quàm malè conuenire uidentur uerba Christi cũ euentu ipso in Lazaro. Christus enim nunciat sororibus, quòd infirmitas Lazari non sit mortifera (& hoc quidẽ est Euãgelion sororibus acceptiſsimum) uide autem cẽ diuersa accidant. Christus enim ita diſsimulat, quid de Lazaro agatur, perinde ac si nulla eius rei cura afficeretur. Vt enim audiuit, quod ęgro taret, tum quidem temporis manſit in eodem loco duobus diebus. Interim Lazarus non solum moritur, uerumetiam conditur in monumentum, & incipit fœtere. Quomodo hic euentus cõuenit cum uerbo Christi? Sed Christus uult sorores esse contentas uerbo Euangelij sui, & interea temporis exerceri fide, donec ueniret, ac re ipsa probaret uerbi sui ueritatem. Hoc est obseruabile exemplũ, quo admonemur, ut non sinamus nos diuerso euentu à fide Euãgelij Christi auelli. Christus eñ reuelauit & cõprobauit Euangelion suũ per spiritũ sanctũ. Sed multa solent Euangelio eius contraria accidere. Promiſit in Euãgelio suo purgationem à peccatis, & iuſticiã, sed sordes peccati adhuc inhęrent carni: promiſit rerũ omniũ benedictionem, sed omnia maledictionum genera imminent: promiſit cœlestes diuitias, sed grauiſsima nos premit paupertas: adnunciat nobis sanitatem, sed ecce tibi diuturnos morbos: adnũciat uitã, sed ecce mortis omnia plena. Quid igitur sentiamus? quid faciamus? Oportet nos cõtentos esse uerbo Euangelij, & quod ad Paulũ dicitur,

Propter aduersa non abijcienda est fiducia.

citur, Sufficit tibi gratia mea: idem ſciamus & ad nos dici, Sufficit uobis Enangelion meum. Etſi enim nunc omnia cõtraria apparent, tamẽ primùm, nihil eſt certius ueritate Euãgelij Chriſti: deinde uiſum eſt Deo, ut aliquãdiu fide exerceamur, donec reipſa reueletur, quod uerbo promiſſum eſt. Nam in hunc uſum conſtitutus eſt dies diuini iudicij, ut tũc reipſa accipiamus, quod nunc fide tantum apprehendimus. Cernimus nunc, inquit Paulus, per ſpeculũ in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc uerò cognoſcam, quemadmodũ & cognitus ſum. & Ioannes: Nũc filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid futuri ſumus. Scimus autẽ, quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum ſicuti eſt. Quare non moueamur aduerſis, ut abijciamus fiduciam, quam Deus exigit: ſed intueamur animo noſtro in ueritatem ac certitudinem Euangelij Chriſti, ut quę credimus, ſuo tempore percipiamus. Deinde poſt hoc dicit diſcipulis: Eamus in Iudęam iterum. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, modò quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Vide quàm præpoſterè res agatur. Diſcipuli docent præceptorem, & iuſtificatur, quemadmodum Chriſtus aliàs dicit, ſapientia à filijs ſuis. Reprehendunt enim Ieſum, quòd cum paulo antè uix euaſerit inſidias Iudæorũ, nunc ſe iterũ in pericula temerè conijcere inſtituerit: ſed uiciſsim & ipſi reprehenduntur. Reſpondit enim Ieſus: Non'ne duodecim ſunt horę diei? Si quis ambulauerit in die, nõ offendit, quia lucem huius mũdi uidet: ſi quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. Hæc eſt ſimilitudo à die ſumpta, qua Ieſus refutat conſilium & ſententiam diſcipulorum. Videbatur emĩ ipſis nõ eſſe redeundum in Iudæam, ne Ieſus à Iudæis interficiatur. Docet igitur Ieſus hac ſimilitudine, nihil eſſe periculi hoc quidẽ tempore metuendum. Nam dies habet in unaquaq; regione ſuam certam periodũ, ſuos horarum fines & terminos, quos inſequitur poſtea nox. Nõ enim perpetuus eſt dies in his regionibus, in quibus homines commodè habitare ſolent: ſed quemadmodum Scriptura ait, Cunctis diebus terrę, æſtas & hyems, nox & dies non requieſcẽt. & iterum: Fecit lunam in tempora, ſol cognouit occaſum ſuum: poſuiſti tenebras, & facta eſt nox. Etſi autem in alijs regionibus alia ſunt dierum & noctiũ diſcrimina in hyeme & æſtate, tamen in uere & autumno dies eſt, ſicut & nox, duodecim horarum: & quo regio propius accedit ad circulũ æquinoctialẽ (qualis eſt terra Chanaan, ſi conferatur ad noſtram Germaniam) eo diutius dies ſolet duodecim eſſe horarum. Quare quod Chriſtus dicit, Non'ne duodecim ſunt horæ diei? loquitur de ſua, in qua ipſe uitam agebat, regione, & de eius regionis conſuetudine, qua dies in duodecim tantũ horas diuidebatur. Vocatur autem dies, id tẽpus, quo ſol ſupra noſtrum hemiſphæriũ circumfertur. Itaq;, ſi quis hoc tempore ſuſceperit profectionem, non facilè offendit pedẽ ſuum ad lapidẽ, propterea quòd habeat lucem huius mundi, quæ eſt ſol, prælucentem: quod ſi autẽ ſuſceperit profectionem eo tempore, quo ſol óccidit, & nox eſt, uix fieri poteſt, quin in tenebris offendat, cũ non habeat ſolem prælucentem. Habes rem ipſam, à qua Chriſtus ſumit ſimilitudinẽ ſuã. Videamus igitur nunc, quomodo ad inſtitutum eius accõmodetur. Dies enim, eſt tẽpus uocationis, ſeu tempus miniſterij, quo defungendo Chriſtus in hãc ter-

Elcuatio poli in Hieruſalem 32 graduum. In Germania alicubi 48. alicubi 49. alicubi 50 graduũ.

ram

ram à Deo patre ſuo miſſus eſt. Duodecim horæ ſunt certa periodus huius miniſterij. Chriſtus enim non eſt miſſus in hanc terram, ut perpetuò in ea corporalem ageret uitam, & ſemper concionaretur Euangelion ſuum in humana carne: ſed ut impleto miniſterij & uocationis ſuæ tempore, iterum ad patrem reuerteretur per mortem. Itaq; hoc definitum à Deo patre tempus, dicitur dies duodecim horarum. Tempus autem, quo ſuſcipienda erat crux & mors, uocatur nox, ſeu tenebræ. Hęc, inquit, eſt hora illa ueſtra, & poteſtas tenebrarum. Quod ergo Chriſtus dicit, hanc habet ſententiam: Nolite metuere, ne hoc tempore aliquid mali mihi accidat, etiamſi redeamus ad Iudæam. Nam quemadmodum dies habet ſuam lucem certo tempore, quo ſi quis ambulat, nõ offendit, quia ſol cuncta ſua luce luſtrans et complens, facit ut offendicula caueat. Si autem ſol occiderit, & tenebræ fiant, non habet iam lucem, quæ illuſtret uiam, ut offendicula cauere poſsit: ita certum eſt tempus meæ uocationis, & mei miniſterij in terra. Quod ſi completum fuerit, moriendum certè mihi erit, etiamſi non rediero in Iudæam. Si aũt nondum fuerit completum, non poſſunt me interficere Iudæi, quia ambulo adhuc in die miniſterij mei, quo ſol diuinæ protectionis ita prælucet mihi, ut etiamſi omnes omnia conſilia & uires ſuas in unum cõferrent, non tamen poſſent me uel lapidibus obruere, uel in crucem ſuſtollere, uel alio genere mortis perdere. Quod Chriſtus de ſuo miniſterio, ac ſui diei opere cõcionatur, idem ſentiendum eſt de omnibus piorum hominum miniſterijs. Vnuſquiſq; enim piorũ hominùm habet ſuum miniſteriũ in hac terra, & ſuum diei opus, ad quod diuinitùs uocatus eſt. Etſi autem tempus durationis huius miniſterij hominibus ignotum eſt, tamẽ non eſt perpetuum in hac terra, ſed certa eſt periodus, certus eſt finis eius coram Deo. Breues, inquit, dies hominis ſunt, numerus menſiũ eius apud te eſt: conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. & iterum: Veſtri etiam pili capitis omnes numerati ſunt. Quid? Ergo'ne, quia tempus uitæ & miniſterij noſtri in terra, certò apud Deũ conſtitutum eſt, licebit quæuis pericula temerè ſubire? Quid eĩ iuuabit prouidentia, ſi tempus eſt completum? Quid nocebit temeritas, ſi tempus nondum eſt completum? Sed quæ de conſtituta apud Deũ certitudine noſtræ uitæ ac miniſterij cõmemorantur, nõ eò dicuntur, ut imprudenter & incogitãter res aggrediamur, & pericula temerè ſuſcipiamus: ſed ne metu periculorum à uocatione noſtra ſectãda deterreamur. Etſi eĩ certum eſt tẽpus miniſterij noſtri, tamen prodeſt prouidentia: quia uocatio Dei eſt, ut prudenter pericula caueamus. Eſtote, inquit, prudẽtes ſicut ſerpentes: nocet aũt temeritas & ſtultitia, quia Deus abominatur eam. Itaq; omnia pericula ſunt prudenter cauenda: ſed ſi talis caſus inciderit, ut aut prætermittendum ſit officium ac miniſteriũ, ad quod uocatus es diuinitùs, aut ſubeunda ſint pericula, tunc nõ debemus metu periculorum officium noſtrum deſerere. Quid enim metuis? num exilium? Sed Domini eſt terra, ac plenitudo eius. Num mortẽ? ſed qui occidunt corpus, animam non poſſunt occidere: imò ne corpori quidem nocere poſſunt, ſi nondum fuerit eis datum è cœlo. Quare pergendum eſt in uocatione Dei magna fiducia, ut quicquid acciderit, inueniamur à Domino in officio obediẽtiæ, & conſequamur ab eo auxilium & ſalutem,

per

per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA II.

EXposuimus ex Euangelio, ꝙ Iesus Christus sororibus Lazari nunciauit, quid sit corporalis infirmitas. Dixit enim: Infirmitas hæc nõ est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut filius Dei glorificetur per eam. Exponamus nunc quid sit mors corporis. Quæ res cognitu tam necessaria est, quàm communis est mors omnibus hominibus. Sẽper enim mors nobis impendet, & quamprimùm nati sumus, ad mortem tendimus: ac tanta est mortis tyrannis, ut cum in hominem grassari instituit, nemo est, qui eam uel precibus placare, uel uiolẽtia repellere queat. In morte enim non potest maritus uxori, non uxor marito, non parentes liberis, non serui dominis subuenire. Pone tibi ob oculos monarcham huius terræ potestate mortis arreptum: non eripiunt eum milites, nõ equites, non ciues, nõ amici: ac ne habet quidem, qui comitetur ipsum, sed necesse habet solus in tenebras mortis ingredi. In hi-
Herodotus. ἐνιπλωομένη. storijs Gentium adnotatum est, quod Scythæ, postquam rex ipsorum è uita excesit, strangulauerint unam ex uxoribus eius, ac simul cum ipso & uxore sepelierint pincernam, coquum, equi curatorem, quem nunc Marscalcum uocant, nuncium & equos: ac reuoluto anno, occiderint quinquaginta ingenuos, totidẽꝙ equos. Hæc fuit immanis crudelitas, & tamen habuit apud has gentes speciem prudẽtiæ & pietatis. Voluerunt enim, quemadmodum coniecturis assequi licet, hoc more, partim uiuentis regis incolumitati cõsulere: ut cum pincerna, coquus, & alij ministri scirent sibi unà cum rege moriendum esse, tanto diligentius salutem regis tuerentur, quanto chariorem suam haberẽt salutem: partim uoluerunt defunctum regem comitibus & ministris iuuare. sed hac opinione nihil fuit uanius aut stultius. Non enim iuuatur moriens, ne si decem quidem myriadas hominum unà cum ipso occideres. Nam tenebræ mortis crassiores sunt, quàm ut in ipsis alter alterum uel agnoscere, uel manum porrigere & tenere possit. Quare necessarium est, ut rectam de morte cognitionẽ assequamur, quo tenebras eius intrepidè subire queamus. De hac autem re audiendus est Iesus Christus Dominus noster, qui solus nos in morte seruare potest. Hæc ait, & post hęc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut à somno excitem eum. Etsi Iesus loquitur hic de Lazari tantum morte, quam uocat somnum, tamen postea, cum dicit, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuit: definit generaliter mortem esse somnum. nam quod hic ait, Lazarum dormire, manifestum est ex ijs, quæ mox sequuntur, quòd loquatur de morte. Ergo Iesus Christus unigenitus filius Dei, qui est ueritas ipsa, mortẽ uocat somnum. Videamus igitur, quid sit somnus, ut & in-
Somnus quid sit. telligamus, quid sit mors. Somnum autẽ res ipsa declarat esse dulcissimam quietem, & perfugium omnium laborum ac sollicitudinum. Nec est talis res, quam homines detestentur & fugiant, sed quam post multas & uarias diei molestias sibi contingere optent, & ad eam capessendã festinent, ut somno recreati, alacriores & uegetiores ad sua studia & negocia redeant. Duo tantum hominum genera sunt, qui ægrè ad capien-

dum

dum ſomnum abeunt. Alterum, pueri qui ignorãt commoditatem ſomni: alterum, helluones, qui cum ſciant ſe poſt ſomnum propter crapulã & ebrietatem capite dolere, malunt uino quàm ſomno indulgere. Alij autem homines recipiunt ſe cubitum magno deſiderio, & res ſuas quã citiſsimè poſſunt, peragunt, ut in tempore ſe ad capiendum ſomnũ componant. Cum igitur Chriſtus mortem uocet ſomnum, manifeſtè docet, quòd mors non ſit interitus, ſed perfugium laborum, & iucunda quies, per quam recipias te ad ueram fœlicitatem. Definierunt etiam Ethnici mortem non eſſe interitum, omnia tollentem atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem commutationemq; uitæ. Hanc autem ſententiam de morte, à patriarchis traditam, & ad Ethnicos uſq; uulgatã, gentes nec ſeriò agnouerunt, nec conſtanter ſeruarunt. Ignorauerunt enim ueram cauſam mortis, quæ eſt peccatum: ignorauerũt etiam uerum autorem uitæ, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quare doloribus & terroribus mortis comprehenſi, nõ potuerunt ullam in morte ſperare ſalutem. Nam ſi mortem iuxta naturam ſuam conſideraueris, nõ eſt niſi interitus, omnem fœlicitatem tollens. Mors enim intrauit in mũdum per peccatum. Vbi autem eſt peccatum, ibi eſt petpetuus interitus. Reliquum igitur eſt, quòd ſi de mortis natura iudicaueris ſecundũ peccatum, fieri non poteſt, quin ſentias mortem afferre internecionẽ, & eſſe uiam ad infernum: ſed bene habet, Ieſus Chriſtus expiauit peccatum, & ſatisfecit Deo patri pro peccato. Qua ex re factum eſt, ut tam in ipſo, quàm in omnibus qui fiunt membra eius per fidem, commutata ſit natura mortis. In Ieſu enim Chriſto mors nõ eſt interitus, ſed ſomnus: nõ eſt uia ad infernum, ſed uia ad cœlum. Abſorpta eſt, inquit, mors in nictoriam. Vbi tuus, mors aculeus? ubi tua, inferne, uictoria? & iterum: Per mortem aboleuit eum, qui mortis habebat imperiũ, hoc eſt, diabolum, ut liberos redderet eos, quicũq; metu mortis per omnem uitã obnoxij erant ſeruituti. Quare, cum alia ſit natura mortis per peccatum, alia per Chriſtum, et nos credimus, quòd habeamus propter Chriſtum remiſsionem peccati, non debemus mortem ſecundũ eam faciem, quã habet ex peccato, ſed ſecundum hanc, quam habet ex Chriſto, intueri. Deinde cum Chriſtus mortem uocet ſomnum, & recipiat, ſe Lazarum à ſommo, hoc eſt, à morte excitaturũ: haud obſcurè ſignificat, quàm ſeruiliter, quàm impotenter mors ſit poteſtati ipſius ſubiecta. Homo excitat hominem à ſommo una aut altera uoce, aut manuũ concuſsione, aut leui quodam ſtrepitu: multo facilius Ieſus Chriſtus excitat hominem à morte. Lazarũ uno aut duobus uerbis uocabit, & continuò egredietur uiuus è monumento. In nouiſsimo die deſcendet cũ hortatu & uoce archangeli, ac tuba Dei. Quid fiet? nulla bellica tuba tam facilè poteſt milites ad capienda arma excitare, q; illa Chriſti tuba omnes mortuos homines excitabit. dixit quondam: Germinet terra herbam uirentem, cũ nulla prorſus herba eſſet, & cõtinuò terra germinauit herbas omnis generis: ſic cum dicturus eſt ad terram, Redde mortuos tuus, quomodo terra non obediret? Iudicandũ igitur eſt de morte, & excitatione à morte, non ſecundum humanum imbecillitatem, ſed ſecundum diuinam potẽtiã & maieſtatẽ. Dixerũt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat aũt Ieſus de morte eius, at illi putauerũt, quòd de dormitione

Mors quid ſit.

Mors in Chriſto ſomnus.

Mors ſub poteſtate Chriſti.

» mitione ſomni diceret. Fieri enim aliquoties ſolet, ut ſomnus in ijs qui aduerſa ualetudine laborant, ſignum ſit futuræ ſalutis aut ſanitatis. Nec ingratus erat hic ſermo diſcipulis, nõ tam propter Lazarum, quàm propter ipſorum tranquillitatem. Sperabãt enim fore, ut Ieſus non ſuſciperet profectionem in Iudęam, ſi Lazarus dormiret. Si dormit, inquiunt, ſaluus erit: ſomnus indicium eſt ſanitatis mox ſecuturę. Quid igitur neceſſarium eſt, ut tu abeas in Iudæam, & conijcias te & nos in pericula? Vides metum diſcipulorum. Miranda autẽ res eſt, quòd cum diſcipulis nullum unquam incommodum acciderit, cum eſſent apud Ieſum, & Ieſus paulo antè promiſerit eis ſecuritatem, nõ tamen adhibuerint ei firmam fidem. Sed hæc eſt natura humani ingenij, quæ magis ponit ſibi ob oculos uarietatem humanorum caſuum, quam ueritatẽ Euangelij, & potentiam Chriſti. Porrò Chriſtus non patitur diſcipulos in hac de ſomno ſententia errare, ſed exponit eis apertè quid uelit, ut reddat eos
» ad miraculum attentiores. Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſtè: Laza-
» rus mortuus eſt. & gaudeo propter uos, ut credatis, quòd non fuerim
» ibi: ſed eamus ad eum. His uerbis docet Ieſus, quo conſilio ſuſcipiat edenda miracula, & quis ſit uſus miraculorũ eius. Gaudeo, inquit, quòd non fuerim ibi, ut cum paulo pòſt quatriduanũ à morte reſuſcitauero, cognoſcatis ueritatem miraculi, & credatis meo Euangelio. Apoſtoli enim in hunc uſum electi ſunt à Chriſto, ut eſſent teſtes doctrinę eius in toto orbe terrarum: doctrina autem confirmatur miraculis. Sed ſunt etiam falſa ac uana miracula magorum & impoſtorum, quæ magis ſunt oculorum illuſiones, quàm miracula: Chriſti autem miracula ſunt uerè cœleſtia, & diuina miracula. Quare Chriſtus hoc agit, ut Apoſtoli ipſius non ſolũ uideant miracula ipſa, uerumetiam cognoſcant circumſtantias eorum, quo probè ſciant, non eſſe impoſturas, & oculorum illuſiones, ſed certiſsima & ueriſsima miracula. Gaudeo, quòd nõ fuerim ibi. Ex hoc enim cognoſcetis ueritatẽ huius miraculi, quod paulo pòſt editurus ſum in Lazaro. Scitis me hoc tempore non fuiſſe Bethaniæ, & tamen uideo Lazarum eſſe mortuum. Deinde, cum eò uenerimus, reipſa comperietis, eum uerè eſſe mortuum, & iam quatriduanum in monumento. Poſtea uidebitis coràm, me uno tantum & altero uerbo excitaturum ipſum à morte, uidebitis ipſum è monumento uiuum proditurum. Has & alias circumſtantias miraculi obſeruate, ut cognita miraculi certitudine teſtificemini de meæ doctrinæ ueritate. Hoc enim omnia mea miracula ſpectant, ut meum Euangelion confirmetur: ſed de miraculorum Chriſti ratione ſæpe antè diximus. Nunc priuſquam proficiſcamur cum Chriſto in Iudæam, audiamus quid Thomas interloquatur. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus (quem enim He-
» bræi uocant Thom, eum Græci uocant δίδυμον, Latini Gemellum) ad
» diſcipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo. Hæc uerba etſi intelligi poſſunt, quòd ſint ſeriò dicta à Thoma, & quòd exhortetur his collegas ſuos, ut intrepidè cum Chriſto proficiſcantur, etiamſi cum ipſo moriendum ſit: tamen ſi conferamus ea cum ingenio Thomæ, quod aliàs, etiam poſt reſurrectionem Chriſti prodidit, cum ait, Niſi mittam manum meam in latus eius, non credam, apparet eum loqui ironicõs: & quod dicit, Moriamur cum eo, de Lazaao, non de Chriſto intelligere, ut hic

Miraculorum Chriſti certitudo.

תאום *Gemellus.*

ut hic sit sensus. Noster præceptor dicit se excitaturũ Lazarũ iam qua/ triduanum à morte. Sed quid? num creditis eum hoc aut facturũ, aut fa cere posse? Quin si creditis, agite, abeamus ad Lazarũ, & moriamur unà cum ipso, ut etiam cum ipso à morte excitemur. Ego uero, ut uobis planè dicam, quod sentio, à nullo hominum induci possum, ut credã, quòd noster ille præceptor reuocaturus sit Lazarũ, (si modo uerè mor tuus est) ad uitam. Credat hoc inter uos, qui uolet, ego certe nõ credã. Hãc sententiam de incredulitate Thomæ, uerisimilem facit ea incredu litas, quam prodidit de seipso in resurrectione Christi. Obsecro autẽ te, quid est, quod Christus tam incredulum & indocilẽ discipulum se/ cum tulit? Nõ est id absq; diuino consilio factum. Primum enim Chri stus tolerauit in discipulorum suorum numero tam incredulũ peccato rem, ut cognosceremus eum uenisse propter peccatores, nõ quidem ut in peccatis manerẽt, & peccare pergerent, sed ut consequerent propter ipsum remissionem peccatorũ, & darent operã, ne peccatum in mor/ tali suo corpore regnaret. Nam & Thomas hoc cõsecutus est, quemad modum Apostolica scripta testãtur. Deinde tolerauit incredulũ Tho/ mam, ut hac occasione ueritas Euangelij et miraculorum eius magis cõ firmaretur. Nam quemadmodum Christus non elegit sapiẽtes huius mundi, aut eloquentes, & oratores huius seculi, aut potẽtes externa do minatione, in Apostolos suos, partim, ne gloriaretur, ut Paulus ait, ulla caro in cõspectu Dei: partim, ne posteritas existimaret illos oratiõis fu co ac splendore imposuisse maioribus, aut hos coegisse uiolẽter maio res nostros, ut susciperent religionem de Christo, ita elegit Thomã in Apostolum, uirum nec stultum, nec simplicem, nec credulũ, qui teme/ rè quibuslibet dictis aut factis, pro puerorum more, fidem adhibeat, sed durum, difficilem, agrestẽ, qui nihil crediderit, nisi data, ut dici solet, fi/ de in manũ. Nam si quis hoc ingenio præditus fuerit, facile intelligi po test, eum non nisi cognita & perspecta testificari. Cum igitur Thomas uir minimè credulus dixerit postea unà cum alijs Apostolis testimoniũ de doctrina, de miraculis, de resurrectiõe, & de regno Domini nostri Ie su Christi, dubium non est, quin hęc omnia probè cognouerit, ut testi/ monium eius tanto maius autoritatis põdus habeat, quanto minus an/ tea credulus fuerit. Sed pergamus ad reliqua: Venit itaq; Iesus, & inue/ nit eum quatuor dies iam in monumento habentẽ. Hoc cõmemorat E/ uangelista, ut doceat Lazarum uerè fuisse mortuũ, & ut miraculũ, quod paulo post in Lazaro editum est, magis illustretur. Recẽsentur quidem nonnulli ab Ethnicis, qui elati reuixisse dicuntur, Sed alij nõdum uerè mortem obierant, de alijs incerta est autorum, qui ea prodiderũt, fides. A seculo autem nunq; auditum est, quòd homo uerè mortuus, aliquot iam diebus in monumẽto cõditus, redierit ex uocatione hominis ad ui tam. Non ignoro hominẽ mortuum proiectum in sepulchrũ Prophe/ tę Elizęi, mox tactis ossibus eius, reuixisse. Sed manifestum est, quòd ut hoc miraculum, ita & illud superat omnes humanas uires, ac fieri nõ po test, quin utrunque diuina potentia factum sit. Quare quemadmodum hoc Elizęi miraculum, probauit ueritatẽ uaticiniorum eius, ita & illud

Thomæ incredulitas.

Philo li. 7. cap. 52.

4. Reg. 13.

quod Iesus in Lazaro edidit, confirmat doctrinam Euangelij eius. Docuit autem Iesus, se non talem esse Prophetã, qualis fuit Elias, aut Elizæus, sed esse Prophetarũ dominum, de quo alij Prophetę sint uaticinati, uerum Messiam, uerum Deum ac seruatorem nostrum. Cum igitur excitauerit à morte Lazarę quatriduanum, sentiendum est in Iesu Christo aliquid homine augustius esse, hoc est, ipsum & uerum esse hominẽ, & uerum Deum. Sed de his fortasis postea, nunc percurramus ea quæ sequuntur. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam ferè stadijs quindecim, multique ex Iudęis uenerant ad Martham ac Mariam, ut cõsolarentur eas de fratre suo. Vt nos in mẽsurandis locorum interuallis utimur miliaribus, ita ueteres Iudęi & Gręci usi sunt stadijs. Sic supra dictum est, discipulos remigasse fermè stadia uigintiquinque aut triginta. Et in Luca, Emaus abest ab Hierosolymis spacio stadiorę sexaginta. Octo aũt stadia faciunt unum miliare Italicum, (hoc est, mille passus) quartã autem partem miliaris Germanici. Itaq; quindecim stadia, quibus Bethania à Hierusalem distabat, faciunt duo penè miliaria Italica, dimidiũ autem ferè miliare Germanicum. Cęterum, quod multi Iudæi uenerint è Hierusalem ad Bethaniam, ut consolarentur Mariam & Martham, nõ obscurè indicat, hanc familiam fuisse nobilitate & diuitijs illustrem. Sic enim in hoc seculo fieri solet, ut nobilium ac diuitum funera sint frequẽtissima, & tñ inter hos omnes consolatores nõ erat, qui potuerit uel Lazaro mortuo, uel sororibus adhuc uiuẽtibus aliquid firmi solacij & auxilij afferre, donec uenit Iesus Christus, qui ut certam affert salutem, ita etiam hac turbę frequẽtia bene ad testimonium miraculi sui utitur. Audiamus igitur nunc colloquium Iesu cum Martha, ut postea ad spectaculum miraculi accedamus. Martha ergo, ut audiuit, quòd Iesus uenisset, occurrit illi. Maria uero domi desidebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus. Sed & nũc scio, quod quęcunq; poposceris à Deo, daturus tibi sit Deus. Martha uidetur quidem piè loqui, ac rectè de Iesu credere, nondũ autem intelligit fidem suam. Nam credit, quemadmodũ postea sequitur, quòd hic Iesus sit uerus Messias seu Christus, filius Dei, quem Prophetę in hunc mundum uenturum promiserunt. Qui autem hoc de Iesu credit et rectè intelligit, is certè credit Iesum non solum esse hominem similem Prophetis, aut aliquanto excellẽtiorem, sed etiam credit eum esse uerum ab ęterno Deum: credit quoq;, quod consequitur, eum posse non tantum extrinsecus prędentẽ & uisibilẽ, sed & absentẽ & inuisibilem subuenire miseris. De Messia. n. dictũ est: Benedictus Dñs Deus Israel, qui fecit mirabilia solus. Et benedictum nomen maiestatis eius ingternũ; & replebitur maiestate eius omnis terra. Et iterum: Nunquid non ego Dominus & non est ultra Deus absq; me? Deus iustus & saluans non est prędter me. Conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terrę, quia ego Deus, & non est alius. Hęc & id genus multa de Messia dicta sunt. Quare qui credit hunc Iesum esse Messiam, & recte intelligit hãc fidẽ, credit etiã eum esse uerum Dominũ Deum nostrum. Martha aũt etsi agnoscit Iesum prouero Messia, tamẽ cum dicit: Si fuisses hic, frater męus nõ fuisset mortuus.

Ioannis. 6.

Marthæ fides de Iesu erronea.

Psalm. 71.

Esai. 4.

Et

Et addit: Scio, ꝙ quęcunꝙ popoſceris à Deo, daturus tibi ſit Deus, non obſcurè ſignificat, ſe nõdum intelligere, eum uerum eſſe Deum, ſed eſſe hominem reliquis quidem hominibus, aut etiam Prophetis, excellẽtiorem, cuius precibus Deus nihil neget, duntaxat tamen hominem, nõ itẽ Deum ipſum. Quare Chriſtus ſuſcepit eam erudiẽdam, ut quod credit, rectè etiam intelligat. Et dicit illi: Reſurget frater tuus. Hęc pauca quidẽ ſunt uerba, ſed quibus Chriſtus res maximas ſignificat. Primum.n. promittit Lazarum à morte excitãdum, quod confeſtim fuiſſet Marthę gratiſsimum, & iucundiſsimum Euãgelion, ſi rectè intellexiſſet. Deinde tãta autoritate hęc uerba loquit̃, ut non obſcurè ſignificet, ꝙ ſua ipſius potẽtia excitaturus ſit Lazarum à morte, quemadmodũ ſtatim ea exponit. Sed Martha nondum intelligit hoc Euangelion, ideoꝙ dicit ei: Scio ꝙ reſurget in reſurrectiõe in nouiſsimo die. Quæſo te, obſerua mihi, quid ſit Euangelion Chriſti nõ recte intellectum audire. Martha putat Chriſtum miſerię & calamitati ipſius illudere. Quod.n. dicit, hanc habet ſententiam: Speraui in tãtis meis afflictionibus tuam preſentem opem, ſed ut uideo, ludis me, & reiicis me ac fratrem meum in extremum diem. Ego uero mallem, ut frater meus, hoc tempore, uita frueretur, quàm ut tãdiu in puluere terrę abſcꝙ omni rerum ſenſu putridus iaceret. Idem ferè ſolent iſti reſpondere, qui aut calamitatibus preſsi, aut iniurijs affecti iubentur bene ſperare, quòd Deus uindicaturus ſit populum ſuũ, & liberaturus ex omnibus miſerijs. Sed quando hæc erunt? inquiunt. Tu concionaris mihi de diuino auxilio, quod in extremo neſcio quo die uenturum eſt. Quis autẽ me interea temporis ſeruat? quis liberat? His uerbis ſignificant homines, ſe audiuiſſe quidem nõnulla de extremo iudicio dici, hoc autem protrahi longius, q̃ ſuę ſit ſaluti conſultum. Se enim neceſſe habere interea temporis perire. Scilicet pereunt homines nomẽ Dei inuocantes, cum moriunt̃. Sic quidem humanæ rationi uidetur. Domino autem Deo noſtro multo aliter uiſum. De qua re Chriſtus mox apertę cõcionabitur. Nam quod ad Martham attinet, recte ſentit, quòd futura ſit generalis reſurrectio mortuorum in nouiſsimo die. Sed plurimũ errat, quòd exiſtimat Lazarum interea temporis periſſe, ac non habere ueram in Deo uitam, etiamſi carne mortuus ſit. Quare Chriſtus reprehendit errorẽ eius, & dicit ei: Ego ſum reſurrectio & uita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis, qui uiuit & credit in me, nõ morietur inæternũ. Hęc eſt memorabilis concio, digna quę nõ atramẽto, ſed auro ſcribatur, & quę non humana, ſed angelica uoce adnuncietur. Non enim continet tantum uniuerſum Euangelion de Chriſto, ſed etiã eſt ſcopus, quẽ ſpectat, & quo tẽdit ſcriptura totius Veteris ac noui Teſtamẽti. Et hoc illud Euangeliõ eſt, de quo Paulus dicit, quòd ſit potentia Dei ad ſalutem omni credenti. Quare tanta diligentia percipiendum eſt, ut etiam ad uerbum ediſcamus. Sed ut ſententiam eius rectè intelligamus, errores Marthę iterum in medio ponendi ſunt. Martha enim pauca uerba collocuta eſt cum Chriſto, ſed magnos protulit errores. Alter eſt, quòd etſi credit Ieſum eſſe uerum Meſsiam, ſeu Chriſtum, tamen non credit eum eſſe uerum Deum, ſed tantum inſignem & excel-

Marthæ error de fratris reſurrectione.

Marthæ error duplex.

lentem miniſtrum Dei, quales olim Prophetę fuerunt. Alter eſt, quòd ſentit Lazarum fratrem morte ſic perijſſe, ut nunc minimè uiuat, donec in nouiſsimo die iterũ reſuſcitetur. Hos errores refutat Ieſus Chriſtus, & docet non ſolum quid de ipſo, ſed etiam quid de omnibus credentibus in ipſum ſentiendum ſit. Ego ſum, inquiens, Reſurrectio & Vita. hoc eſt. Non ſum talis miniſter reſurrectionis, qualis olim fuit Elias, aut Elizęus, qui & ipſi excitârunt mortuos: aut qualis fuit Ezechiel, qui de uita aridorum oſsium uaticinatus eſt, Sed ſum Reſurrectio ipſa, hoc eſt, Deus ipſe, qui nõ ſolum excitaturus ſum mortuos in nouiſsimo die, ſed & hoc tempore mortuos uno uerbo excitare poſſum. Nec ſum adminiſtrator uitę, uel ſpiritualis, ſicut Prophetę adminiſtrant hanc uitam ſua prędicatione: uel corporalis, ſicut parentes, ſed ſum uita ipſa, hoc eſt, Deus ipſe, qui non ſolum tribuo omnibus animantibus uitam corporalem, uerumetiam conſeruo eis ad ſuum uſque tempus hanc uitam, pios autem conſeruo ad uitam ęternam. Ego is ſum, qui per Eliam & Elizæum excitaui mortuos. Ego is ſum, qui per Oſeam dixi: De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors, morſus tuus inferne. Ego is ſum, qui per Ezechielem dixi, Ecce ego aperiã tumulos ueſtros, & educam uos de ſepulcris ueſtris populus meus. Ego denique is ſum, qui, cum Patriarchę Abraham, Iſaac & Iacob in oculis hominũ mortui eſſent, dixi ad Moſen: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abrahã, Deus Iſaac, & Deus Iacob. Quid ergo? Cum ego uocauerim me horum Patriarcharum Deum, ſiccine mortui fuerunt, ut nullo modo uiuerent? Abſit. Non agunt uitam in oculis hominum, ſed agunt uitam coram Deo. Deus enim non eſt Deus mortuorum, ſed uiuorum. Et ut manifeſtum ſit, quòd non ſolum Patriarchę, uerumetiam omnes pĩ uiuant, etiam poſt mortem, addit Chriſtus hoc loco: Qui credit in me, etiãſi mortuus fuerit, uiuet. Et, OMNIS qui uiuit, & credit in me, non morietur inęternũ. Duos ponit ordines: Alterum uiuentium, in hoc uidelicet ſeculo. Alterum, mortuorum. Et affirmat utroſque, ſi in ipſum crediderint, uiuere. Omnis, inquiens, qui uiuit, hac uidelicet corporali uita, & credit in me, non morietur inęternum. Ex hoc ſequitur & illud prius, quòd qui credit in Chriſtum, uiuat, etiamſi mortuus fuerit. Hoc certe nihil aliud eſt, quàm ſi dixiſſet, Omnes mortui, qui in me crediderũt, uiuunt, & Nullus uiuens unquam morietur, ſi in me crediderit. Itaque credentes in Chriſtum ſemper uiuunt, ſiue adhuc corporalem agant uitam, ſiue mortui fuerint. Quid hoc Euangelio nobis iucundius & gratius adnunciari poſſet? Quid item hoc Euãgelio uerius, ac certius? Nam Chriſtus, quemadmodũ antè expoſuimus, eſt Reſurrectio & uita ipſa. Qui autem credunt in eum, & cõfidunt eo, fiunt membra eius per fidẽ, & adoptantur per ipſum in ius filiorum Dei, ut quod ipſe eſt natura, credentes fiãt adoptione. Omnes, inquit Paulus, filĩ Dei eſtis, eo quòd credidiſtis Chriſto Ieſu. Nam quicunque baptiſati eſtis, Chriſtum induiſtis. Et iterũ: Accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Idem ſpiritus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro, quòd ſimus filĩ Dei. Quod ſi filĩ, igitur & hęredes. Hęredes quidem Dei, cohęredes autem

Ezech. 37.

Chriſtus ipſa reſurrectio & uita.

Oſeæ ca. 13.

Credẽtes in Chriſtum uiuunt.

autem Christi. Ac rursus: Omnia subiecit sub pedes illius, & dedit eum caput super omnia Ecclesię, quę est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Corpus autem participat honorem capitis sui, & singula membra fruũtur beneficijs, quę corpus accipit. Quare, cum credẽtes in Christum sint membra eius, & fratres eius adoptiui, dubium non est, quin sint omnium bonorum eius participes & cohęredes: & cum ipse perpetuò ac fœliciſsimè uiuat, manifestum est, quòd & credẽtes in ipsum perpetuò ac fœliciſsimè uiuant. Quid nunc, Martha, de morte fratris tui conquereris? Videtur quidem in oculis tuis mortuus, sed quia in me credidit, uerè adhuc uiuit. Nec ipse tãtum uiuit, sed et Ioannes Baptista ab Herode interfectus, Zacharias pater eius, Elizabeth mater eius, Simeon, Anna Prophetiſsa: & ut ad superiora secula rediam, Malachias, Zacharias Propheta, Aggęus, Hieremias, Ezechiel, Esaias, Micheas, Oseas, Ezechias, Dauid, Moses, adeoque omnes Prophętę & Patriarchę iamdiu mortui, adhuc uerè uiuũt. Dicam, quod fortasis tibi incredibilius uidebitur, Tu Martha, quę adhuc uitam in terra agis, nunquam morieris in ęternum. Nec morietur soror tua Maria, nec morietur hi comites & discipuli mei Petrus, Andreas, Ioãnes, Iacobus, & reliqui. Quid plura? Nullus eorum, qui iam uiuit, & in me credit, morietur unquam. Quid igitur est, quod Petrus & Andreas postea sint crucifixi? quid quòd Iacobus est occisus? quid quòd alij tam Apostoli q̃ discipuli diuersis mortis generibus sint extincti? Hæc certe etsi uidẽt in oculis hominum mors, tamen non est mors, sed quemadmodum Christus supra definijt, somnus, in quo credentes in Christum, non iacent mortui, sed sunt uerè in Christo uiui. Quæ res non tantum declarabitur manifestè in nouiſsimo die, uerumetiam Christus testificatus est eã miraculo illo longè omnium clariſsimo, quod in hoc capite de resuscitatione Lazari describitur, & quod Iesus se editurum Marthæ promittit. Postquàm enim de uita credentiũ in ipsum disseruiſſet, uertit se ad Martham, & ait: Credis hoc? Cum autem postea ad Martham dicat, Nonne tibi dixi, quòd si credideris, uiſsura esſes gloriam Dei? apparet Christũ aut copioſsius, quàm scriptum sit, cum Martha collocutum, aut quod dicit, Credis hoc? sic intellexiſse: Ego tibi nunc cõcionatus sum de uera uita eorum, qui in me credunt. Cum igitur tuus frater Lazarus etiã in me crediderit, non est mortuus, sed adhuc uiuit. Hæc non sunt uana uerba, Sed declarabo ueritatem eorum reipsa. Non reijciam te in nouiſsimum huius seculi diem, sed nunc hac ipsa hora reddam gloriam Dei, seu ueritatem męę cõcionis illustrem per fratrem tuum. Credis ne me hoc posse (de uoluntate enim mea, scio, non dubitas) facere? Respondet Martha: Etiam Domine, Ego credo, quòd tu sis Christus ille filius Dei, qui in mundum uenturus erat. Hęc est insignis ac planè Apostolica confeſsio de Iesu. Duo autem, sed summa & maxima omnium, tribuuntur Iesu in hac confeſsione. Vnum, quòd sit uerus ille Messias, seu Christus, quem Prophetę hactenus è spiritu sancto promiserunt, & quem tanto tempore pij omnes uenturum expectârunt. Alterum, quòd sit filius Dei, nõ quidem talis, quales alij homines, à Deo creati, & adoptati, sed

Marthæ confeſsio de Iesu Apostolica.

naturalis, â Deo ab æterno genitus, hoc est, uerus Deus. Habes igitur pauciſsimis uerbis naturam & officiũ Ieſu Chriſti. Natura enim eſt uerus homo & uerus DEVS. Officio autem eſt uerus CHRISTVS â Deo Patre ſuo unctus & ordinatus, ut ſeruet omnes credentes in ipſum ad ęternam uitam. Poſſemus nunc ſigillatim ea beneficia, quæ Prophetę Meſsiam nobis de cœlo allaturum dixerunt, hoc loco commemorare, ut oſtenderemus, quòd hæc Marthæ confeſsio, pauca quidem, quod ad uerba attinet, uideretur tribuere Ieſu, quod autem attinet ad ſentẽtiam eorum, tribueret ei, & ut ita dicam, effunderet in eum, duobus aut tribus uerbis, omnia ea, quæ unquàm tot Prophetę & Patriarchę de Meſsia prędicauerunt, & ſperauerunt. Sed hęc aliàs copioſè expoſuimus. Quare, ne longiores ſimus, proponamus nobis ob oculos fidei noſtrę, quod fuit in hac concione prędipuum, uidelicet, mortem in Chriſto non eſſe mortem, ſed quia Chriſtus eſt reſurrectio & uita, idcirco hi, qui in Chriſto moriuntur, nõ moriuntur, ſed uerè uiuunt. Nec eſt ulla alia res, quę nos poſsit in morte iuuare, Non opes, non amici, non liberi, non parentes, nõ Principes, nõ Monarchæ. Solus aũt Ieſus Chriſtus eſt adiutor & ſeruator noſter. Incumbendũ igitur eſt in hoc ſtudiũ, ut Euãgeliõ Ieſu Chriſti fide accipiamus, & fidẽ obedięntia declaremus, quo faueat nobis, & perducat nos per horribiles tenebras mortis, ad clariſsimã & iucundiſsimã lucẽ ęternę uitę, Ieſus Chriſtus Dñs noſter, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA III.

MEmento, inquit Decalogus, ut diem Sabbati ſanctifices. Hũc aũt diem is demum rectè ſanctificat, nõ qui Iudaico more externum ociũ in ſeptimo die hebdomadę cõſumit, aut iuxta uulgi conſuetudinẽ, tẽpus diei, quẽ ita uocant, Dominici cõuiuŋs traducit, Sed qui omnes curas & cogitationes ſuas ad cognoſcendum uerbũ Dei, & ad obediendũ diuinę uoluntari confert. Cum igitur hodie iterũ in hanc Eccleſiaſticã ſcholã cõuenerimus, agite amiciſsimi, ſanctificemus hunc diem, audiamus doctrinã uerbi Dei, cognoſcamus uoluntatẽ Dei, ut ſpiritu ſancto adiuti, ad eam nos toto fidei ſtudio accõmodemus. Expoſuimus autem ſuperiori die colloquium Ieſu Chriſti cum Martha. Exponamus nunc colloquium eius cũ Maria ſorore Marthę, & comitibus eius, ut tandem ad ſpectaculum reſuſcitari Lazari per
» ueniamus. Cum hęc (inquit Euangeliſta) dixiſſet Martha, abŋt & uo-
» cauit Mariam ſororem ſuam clanculum, dicẽs: Magiſter adeſt, & uocat
» te. Illa ut audiuit, ſurgit cito, & uenit ad eum. Nõdum autem uenerat Ie-
» ſus in caſtellum, ſed erat in eo loco, ubi ocurrerat ei Martha. Iudæi er-
» go, qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cum uidiſſent Ma
» riam, quòd cito ſurrexiſſet, & exiſſet, ſecuti ſunt eam dicentes: Vadit ad
» monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum ueniſſet eò ubi erat Ieſus,
» uidens eum, accidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hic, non
» eſſet mortuus frater meus. Ieſus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæ-

os,qui uenerant cum ea plorãtes,infremuit ſpiritu, & turbauit ſeipſum & dixit: Vbi poſuiſtis eum? Hic nobis pauliſper conſiſtendum & commorandum eſt,ut cognoſcamus,quid ſibi uelit hic fremitus & hęc perturbatio Chriſti. De fremitu enim & ira eius,non eſt iuxta noſtrum humanum ingenium iudicandum,quippe quòd nos ſoleamus aliquoties propter putamen,ut dicitur,nucis fremere ac iraſci, ſed ſentiendum eſt fremitum Chriſti cœleſtem eſſe ac diuinum,& maximis de cauſis ſuſceptum. Quid ergo eſt? num fremit propter lacrymas Mariæ & Iudæorum,ut ſignificet eas eſſe deteſtandas, & damnandas? Nihil certe minus. Videbimus & ipſum paulò poſt lacrymaturum. Nam quod ad rationem lugendi mortuos attinet, ex una quidem parte deteſtabilia ſunt genera illa lugendi,quę apud Ethnicos uſitata fuerunt, lacerationes genarum,pectoris & capitis percuſsiones,& capillorum euulſiones. Super mortuo,inquit ſcriptura,nõ incidetis carnes ueſtras. Et Paulus: Ne doleatis de ijs,qui obdormierunt,quemadmodũ & cęteri,ſpẽ nõ habẽtes. Ex altera autẽ parte deteſtabile eſt funera riſu & cachinnatione proſequi. Sunt qui ſcribunt Trauſos,gentem Thraciæ, luctu & deploratione recens natos excepiſſe,defunctos aũt lętitia, & riſu terris mandaſſe. Hęc fuit barbara & inhumana conſuetudo. Vt enim illi lacerationibus genarum ſuarum nimis declinârũt ad ſiniſtram,ita hi lętitia & choreis ſuis nimis declinârunt ad dextram. Quid ergo in luctu faciendum? Regia uia incedendum eſt. Defuncti ita lugendi ſunt, ut ſimul & fidei & charitatis ratio ſeruetur. Fides iubet nos de amico, qui in Chriſto obdormiuit,bono animo eſſe. Nã ſi credimus,inquit Paulus,ꝙ Ieſus mortuus eſt,et reſurrexit,ſic et Deus eos qui obdormierũt,per Ieſum,adducet cum illo. Charitas autẽ dolet ſe amici cõſuetudine priuari. Quare ut Deo placet hilaritas ſpei de amico defuncto, quia eſt fructus fidei,ita etiam placet ei mediocris luctus,qa eſt opus charitatis. Accedit & hęc utilitas luctus in funere, ꝙ hoc ſpectaculo admonemur de peccato, propter quod mors exercet tyrannidem ſuam in homines, & excitamur ad reſipiſcentiam,ad agnitionem peccati, ad quęrendam remiſsionem peccati,& ſalutem in Chriſto,ne mors nos imparatos opprimat. Funus enim quod prędit,ſingulos,qui comitãtur,eo,quem Sirach deſcribit, modo alloquitur: Memor,inquiens,eſto iudicij mei. Sic enim erit & tum: Mihi heri & tibi hodie. Dicit etiã Eccleſiaſtes: Melius eſt ire ad domum luctus,quàm ad domũ conuiuij. Solẽt enim homines multo peiores à cõuiuijs domum redire, quàm ad cõuiuia acceſſerant. Quid enim ibi magna ex parte audias & uideas prętер obtrectationes,conuicia,turpiloquẽtiam,compotationes, & ebrietates? In funere autem admonemur humanę conditionis,ut ſciamus,nos non eſſe ciueshuius terrę,ſed hoſpites tantum,ideoꝙ patriam inquirẽdam eſſe. Quòd ſi nulla alia eſſet utilitas honeſti & mediocris luctus in funere,certe hęc non eſſet contemnenda,quòd adoleſcentia hoc exemplo ad pia officia erudiatur, ne cum uideant maiores natu abijcere defunctos inhoneſtè, ac uelut beſtiarum cadauera,diſcant barbariem,& aſſueſcant immanitati. Quare non eſt ſentiendum, quòd Ieſus Chriſtus hoc loco fremat & iraſcatur pro-

Lugere propter mortuos an damnetur.

Leuit: 19.

Herodotus in πεϱὶ ἰχέϱων.

Lugẽdi mortuos uera ratio.

Eccleſiaſt.30.

Eccleſiaſt.7.

Christi fremitus & indignatio.

pter lacrymas Marię & Iudęorum. Placet enim ei officium humanitatis, quo Maria fratrem suum adhuc uiuentem coluit, & quod nunc lacrymis utcunq; testatur. Sed lõge alia est causa fremitus. Fremit enim Christus & stomachatur propter tyrannidem mortis. Recordatur enim quãta semper crudelitate mors grassata sit ab initio mũdi in optimos quosque suos maiores, proauos, & amicos, in Abrahamũ, Isaacum, Iacobũ, Mosen, Dauidem, Prophetas, & superioribus diebus in honestissimũ uirum Ioannem Baptistam, ac paulo ante in suauissimum suum amicũ Lazarum, adeoque lacrymę Marię & Iudæorum refricant ei omnia illa uulnera, quæ hactenus ex morte omnium sanctorum suorum accepit. Quare stomachatur aduersus mortem grauissimè. Quid? hæccine tyrannis & crudelitas mortis tamdiu ferenda est? Nunquam ne sæuitia mortis exterminanda & opprimenda est? Nõ certe committam, ut tam impune in meos grassetur. Necesse habebit, quamuis inuitissima, & ualde repugnans, à meo Lazaro discedere. Agite ergo, ostendite ubi posueritis eum. Mors cogetur eum dimittere, etiamsi abstraxisset ipsum mille cubitis subtus terrã. Habes quid sibi uelit fremitus & indignatio Christi. Obserua igitur, quòd Christus lõge aliter afficiatur erga mortem hominis, quam Caligula quispiam aut Nero. Horum ludus & delectatio fuit, homines periculis mortis obijcere, & eos interimere. Caligula palàm dixit: Vtinã populus Romanus unam ceruicem haberet, uidelicet significans, se cupere, ut uno ictu oẽs ciues trucidare posset. Quid hoc monstro immanius? Ac id ferè ingenium est tyrannorum, ut erga mortem hominis leuius afficiantur, q̃m erga mortem cerui, aut anseris, aut gallinę. Iesus Christus autem tanta grauitate erga mortem hominis afficitur, ut teneri non possit, quin palàm tam uultu quàm gestibus iram et indignationem suam declaret. Quid igitur dicemus? Si Christus omnipotens, omnipotentis Dei filius irascitur morti, & odio habet eam, cur fert tyrannidem & sęuitiam eius? Cur non exterminat eam è toto mundo? Sed enim hoc maximè omnium agit Christus, ut exterminet mortẽ è mundo, & deleat eam totam. Initio enim, cum mors intrasset in mundum, promisit Deus Christum filium suũ, qui contereret caput serpentis, hoc est, aboleret mortẽ. Deinde uenit Christus iuxta promissionem suam in hunc mundum, & susćepit mortẽ, ut expiato peccato, superaret ac deleret mortẽ. Ad hoc apparuit, inquit Ioannes, filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli, inter quæ mors principem penè locum obtinet. Postremo ueniet Christus in nouissimo die, magna gloria & maiestate, & de morte ita triumphabit, ut totus mundus uisurus sit perpetuum interitum mortis. Oportet, inquit Apostolus, eum regnare, donec posueris omnes inimicos sub pedes suos. Nouissimus hostis aboletur mors. Quare, cum sęuitia mortis grassatur in hominem, reuocandus est in mẽtem fremitus Christi, ut cognita indignatione eius aduersus mortem, sciamus mortem non impunè laturam suam tyrannidẽ, sed eam necesse habere in Christo uictam & postratam interire, atque nos liberos dimittere. Dices autem mihi, Quomodo hæc conueniũt, quòd cum Christus antea longè absens cognouerit Lazarum esse mortuum, nunc autem

Caligulæ immanitas.

tem non cognoſcat monumẽtum eius? Dicit enim: Vbi poſuiſtis eum? Sed bene habet, Non ignoraſſet etiam monumẽtum, ſi uoluiſſet. Suſcepit autem huius ignorationẽ, ut redderet hac occaſione ſpectatores ad miraculum, quod editurus eſt, attentiores. Poſtquàm enim audierunt eum de monumento interrogare, & uiderunt eum ad monumentum proficiſci, ſtatim omnes erexerunt animum & oculos ſuos, & comitati ſunt eum magna euentus expectatione. Dicunt ei: DOMINE ueni & uide. Et lacrymatus eſt Ieſus. Quid? Hac ne cauſa profectus eſt Ieſus ad monumentum, ut eiularet? Expectauimus aliquod ſtupendum miraculum, ſed ecce lacrymæ. Quod autem antè de fremitu eius dictum eſt, hoc idem nunc ſentiendum eſt de lacrymis eius. Hę lacrymę non ſunt pueriles aut muliebres de rebus leuiculis, ſed ſunt lacrymæ filij Dei, quibus teſtatur animi ſui dolorem propter mortem Lazari, hominis amiciſsimi. Nam lacrymæ ſunt quaſi ſanguis animi uulnerati. Quemadmodum enim ſanguis è carne manãs ſignificat eam eſſe uulneratam, ita lacrymę ex oculis profluentes indicãt animum eſſe uulnere aut dolore affectum. Quare cum CHRISTVS lacrymatur ad monumentum Lazari, palàm ſignificat, ſe morte hominis amiciſsimi animo grauiſsimè affligi. Suſcepit autem Chriſtus hunc affectũ, non ſua quadã neceſsitate, aut peccato aliquo, ſed propter noſtram utilitatem, ut reipſa experiretur, quàm grauis eſſet dolor eorum, quibus mors abripit ſuauiſsimos amicos. Debuit, inquit Epiſtola ad Hebręos, per omnia fratribus ſimilis reddi, ut miſericors eſſet & fidelis Pontifex, in his quæ apud DEVM forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex hoc, quòd ipſi contigit tentatum eſſe, poteſt & his qui tentãtur ſuccurrere. Et iterum: Non habemus Pontificem, qui non poſsit affici ſenſu infirmatum noſtrarum, ſed tentatum per omnia, iuxta ſimilitudinem abſque peccato. Quare ſi optimi quique amici noſtri auferuntur nobis morte, accedamus cum fiducia ad thronum gratię, conqueramur dolorem noſtrũ Ieſu Chriſto, admoneamus eum ſuarum lacrymarum, ut conſequamur miſericordiam, & inueniamus gratiam ad opportunũ auxilium. Sed audiamus quomodo Iudęi interpretati ſunt lacrymas Chriſti. Dixerunt ergo Iudęi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipſis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos cęci, facere, ut & hic non moreretur? Iudęorum multitudo in duas partes diuiditur: Altera ſentit de lacrymis Ieſu honeſtè & piè. Dicunt, quod res eſt, lacrymas eius eſſe caritatis argumentum. Horum uirtus merito commẽdanda eſt, quia proximi dicta aut facta amicè & candidè interpretari, officium eſt, quod lex mutuæ dilectionis exigit, & quod DOMINO Deo noſtro mirum in modum placet. Altera pars ſentit de lacrymis Chriſti peſsimè ac uirulentiſsimè. Sic enim dicere uidentur: aiunt hunc aperuiſſe oculos cæci, Si tam potens eſt, ut cęcis reſtituat uiſum, quomodo non poſſet moriturum ſeruare, ue moreretur? Cum autem non potuerit hunc Lazarum tam amicum ſeruare, uaniſsimæ nugæ ſunt, quæ de miraculis eius uulgantur. Hę ſunt uerè Satanicæ calumniæ. Peccant autem præcipuè dupliciter. Vnum peccatum eſt, quòd iudicent priuſquàm rẽ cognoue

Chriſti lacrymæ propter Lazarum.

rint. Qui prius respõdet (inquit Salomon) quàm audiat, stultum se esse declarat, & confusione dignum. Alterũ est, quod humanissimè factum, interpretentur inhumanissimè. Hoc aũt est uulgare inter homines peccatũ, quòd alter alterius tum facta, tum dicta peruerse interpretetur. Manifesta quidem scelera, ut furta, latrocinia, adulteria, & id genus alia, nõ sunt approbanda aut laudanda, sed potius legitimè pũnienda, si modo probè cognita fuerint. Ea autem, quę ab alio ita uel facta, uel dicta fuerint, ut aut sint manifestè honesta, aut possint honestè accipi, in malã partem peruertere & calumniari, id demum est diabolicum flagicium. Primum enim, calumniator peccat contra naturam pię caritatis. Caritas, inquit Paulus, non cogitat malum, non gaudet de iniusticia, sed cõgaudet ueritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat. Calumniator aũt cogitat malum, gaudet de iniusticia: quod bene dictum aut factum est, nõ credit, nec sperat bene uel dictum uel factum esse. Quare peccat aduersus ueram caritatis naturam. & cũ caritas sit legis aut secundę tabulæ impletio, (qui enim alterum diligit, inquit Paulus, legem expleuit) calumniator autem uiolet caritatem, dubium non est, quin calumnijs suis uiolet totam secundam tabulam decalogi. Deinde calumniator peccat figillatim contra illud prȩceptum, Non occidas: Calumnia enim est genus homicidij. Filij hominum, inquit Psalmus, dentes eorum arma & sagittę, et lingua eorum gladius acutus. Vide mihi exemplum Doeg, qui cũ uidisset Dauidem diuerti ad sacerdotem Achimelech, sic calũniatus est illud, perinde ac si Dauid & Achimelech conspirassent aduersus Saulẽ. Quę una calumnia effecit, ut nõ solum sacerdos ipse, uir optimus, sed & plusquàm octoginta collegę eius, & uniuersi ciues, mulieres, adolescentes & infantes in ciuitate Nobe crudelissimè trucidarentur. Quare calũnia inter homicidij genera merito numerat. Quid pluribus opus? Ab hoc peccato Satan cognomen Diaboli, quod calumniatorem significat, sortitus est, quippe quòd hoc sit ingenium, hæc sit natura Satanę, quòd quęuis Dei & hominum dicta ac facta pessimè interpretetur, ac uirulentissima deprauatione peruertat. Quod cum & homines calumniatores faciant, quid reliquum est, quàmquòd exuant humanam naturam, & induant Satanicam? Agnoscamus igitur magnitudinem huius peccati, & caueamus ab eo, ac oremus iuxta Psalmum, ut Dominus ponat custodiã ori nostro, & ostium circumstantiæ labijs nostris, ne delinquamus lingua nostra. Sed nec hoc spectaculum clausis oculis prętereũdum est, q̃ Christus appareat nunc ex lacrymis longè omnium imbecillimus & impotentissimus, paulò post autem ostentet summam potentiam & maiestatem, dum uno & altero uerbo reuocat Lazarum iam quatriduanum ad uitam. Non dissimile spectaculum est, quod in cruce audit: Alios saluos fecit, seipsum non potest seruare. Et clamat: Deus meus, ut quid me dereliquisti? & tamen non diu pòst, crucem & mortem ita euadit, ut nõ solum è sepulcro uiuus discedat, sed etiam ascendat super omnes cœlos, & sedeat ad dextram Dei patris sui. Hoc aũt idcirco nobis obseruãdum proponitur, ut confirmemus fidem nostram in ijs tẽtationibus, quibus nunc à Satana ipso, nunc à Turcis, nunc ab alijs impijs percelli solemus.

Calumniator quantũ peccet.

Cum

Cũ enim premit nos onus paupertatis, aut ſequit in nos horror mortis, Satan occaſionẽ nactus, aggreditur cogitationes noſtras. Quid? inquiens, Vbi nunc eſt Chriſtus tuus, in quem tam diu credidiſti? Cur te nõ iuuat? cur te non ex his malis eripit? Cum Turcæ abducũt Chriſtianos captiuos, ſolent & miſeris obijcere: Vbi nunc eſt Chriſtus ueſter? Si eſſet uerus Deus ac ſeruator, certe defenderet uos, nõ pateret, ut nos Turcæ uictoriam reportaremus. Irridẽt & alij impij eos miſeros, qui cum Euangelio Chriſti fidem adhibent, calamitatibus tamẽ affligũtur. Vbi eſt, inquiunt, Euangelion tuum? Apage à me. Quid à me requiris auxilium? Dic ut te Euangelion tuum adiuuet? Hęc ſunt uirulenta & ignita tela Satanę, ac organorum eius. Quid ergo faciendum? Non eſt his aduerſis cedendum. ſed cognoſcenda, & in mentem reuocanda ſunt hæc ſpectacula, quę modo de Chriſto commemorauimus. Solenne quidẽ eſt, quòd Chriſtus initio appareat lacrymãs, imbecillis & impotẽs, ſed paulo poſt declaret omnipotentem ſuam maieſtatem. Non enim prę ſe fert imbecillitatem, & incuriam erga ſperantes in ipſum, ut ſemper maneat imbecillis, & ſit reuera incurius, ſed ut maiori & illuſtriori gloria potentiam ſuam & curam erga pios declaret. Ad punctum, inquit, in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui. Et aliàs: Ad momentum eſt ira eius, & uita deſiderium eius. Per ueſperum durabit fletus, ſed mane redit lętitia. Et in Abacuc: Si adhuc uiſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur. Si moram fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ac rurſus in Eſaia: In ſilentio & ſpe erit fortitudo ueſtra. Et iterum: Scies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eũ. Contẽnamus igitur uirulentas ſuſurrationes Satanę, & blaſphemas uoces impiorũ, ac expectemus patiẽter reuelationẽ potentię & maieſtatis Ieſu Chriſti, ſeruatoris noſtri, ut cũ ipſo fruamur cœleſti hęreditate, qui eſt unà cũ Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Impiorũ uoces blaſphemæ in afflictione piorum.

Pſal. 30. Quoniam ira in indignatione eius et uita &c.

HOMILIA IIII.

LAZARVS Ad quartum uſq; diem in ſepulcro mortuus iacuit. Quartus hic dies eſt, quo hanc de Lazaro hiſtoriam explicamus. Quare ne Lazarum expoſitione noſtra diutius detineamus, quàm in ſepulcro commoratus eſt, agite, accedamus cũ Chriſto ad monumentum, ut uideamus Lazarum à mortuis reſuſcitatum è monumento uiuum exire. Ieſus ergo rurſum fremens in ſeipſo, uenit ad monumentum. Iterum uides Ieſum fremere, ut ſignificet ſe priorem fremitum non temerè ſuſcepiſſe, ſed ſeriò de morte & ſæuicia eius indignari. Erat autem ſpelunca, & lapis impoſitus erat ei. Ait Ieſus: Tollite lapidem. Quid? Qui reuocaturus erat mortuum ad uitam, nõ potuit remouere lapidem? Certe potuit, ſed maluit ut alij remouerent lapidem, quo interea temporis dum lapis tolleretur, omniũ animi ad ſpectaculum miraculi excitarentur, & hi qui lapidem amouerent, teſtificarentur, Lazarum uerè mortuum fuiſſe. His enim & alijs circum

ſtantijs id agitur,ut ueritas mortis Lazari comprobetur, quo deinceps manifeſta fiat ueritas excitationis eius à morte. Dicit ei Martha, ſoror eius, qui mortuus fuerat, Domine, iam olet: quatriduanus eſt enim.

Promißionũ diuinarũ facilis eſt obliuio.

Quæſo te,conſidera mihi in Martha,quàm facilè excutiatur homini diuina promiſsio,per diuerſa rerumſpectacula.Martha audiuit antea perſpicuam promiſsionem Chriſti, quòd Lazarus eſſet reſurrecturus,& ſignificauit Chriſtus haud obſcurè, quod non loquatur de reſurrectione, quæ fiet in nouiſsimo die,ſed quę mox in Lazaro admirabiliter ſit ſecutura.Ad hæc,confeſſa eſt Martha ipſa palàm, ſe credere Ieſum eſſe uerum Meſsiam,filium Dei: qua confeſsione tribuit Ieſu poteſtatem non ſolum ſanandi ęgrotos,ſed etiam excitandi mortuos. Attamen, cum habeat nunc ob oculos poſitum monumentum Lazari,& recordetur eum quatuor diebus in ſepulcro iacuiſſe ac fœtere,obliuiſcitur omnium dictorum ac promiſsionum Chriſti. Sic eſt humanum ingenium:Magis defigit oculos ſuos in externa rerum ſpectacula,quàm in uerbum Dei.Quare mirum nõ eſt, quòd in aduerſis animum deſpondeat. Sed ſi tibi ſalus tua curę fuerit,auertendi ſunt oculi ab ijs rebus, quæ minantur exitium,& defigendi in uerbum Dei, quod promittit liberationem.Quod & Chriſtus docet,cum reuocat Martham ad eam promiſsionem,quam antea propoſuerat.Dicit enim ei Ieſus:Nõne dixi tibi,quòd ſi credideris,uiſura eſſes gloriam Dei?Promiſi tibi admirandam fratris tui reſuſcitationem.Quid igitur adhuc dubitas?Putas ne mortẽ & monumentum,ac etiam putorem potẽtiora eſſe meo uerbo?Quare noli in iſta reſpicere,ſed reſpice inmeũ uerbũ,& crede.Si.n.credideris,uidebis miraculum clariſsimum.Quod autem Chriſtus ad Martham dixit,hoc idem ſentiamus etiam ad nos dici,in omnibus aduerſis. Si credideris, uiſurus es gloriam Dei,uiſurus es admiranda & ſtupenda.Sed quod de credendo dicitur,rectè intelligendum eſt:Si credideris,inquit, Non ait:Si opinatus fueris, aut tibi ipſi finxeris, Sed CREDIDERIS. Non potes autem credere, niſi antè habeas uerbum Dei. Fides,inquit Paulus,ex auditu eſt,auditus autem per uerbum Dei. Nam ſi quis diceret,ſe crediturum,quòd inuenturus ſit poſtridie theſaurũ in terra defoſſum,aut quòd creaturus ſit ex lapidibus panes, non eſſet fides,ſed fictio,nec uiſurus eſſet admiranda,ſed reportaret potius ludibrium. Nõ enim extat certum uerbum DEI,quòd ſis inuenturus theſaurum poſtridie,aut quòd ſis creaturus panes ex lapidibus. Quare antè omnia neceſſe eſt,ut habeas certum uerbum,certam promiſsionem Dei,ex qua fidem concipias & confirmes. Deinde, neceſſe eſt, ut in hac fide,aut potius in hoc uerbo per fidem conſtes, nec ſinas te ſenſu aduerſarum rerũ à fide uerbi abduci.Sic enim fieri nõ poteſt,quin uiſurus ſis uel tandem admirandam gloriam Dei,etiamſi nihil minus futurũ,ſi externa & humana conſideraueris,uideatur.Sed ut huius doctrinę uſum cognoſcamus,ponemus in medio exemplum. Homo quiſpiam incidit in graue et periculoſum morbũ,ex quo non ſit euaſurus,ſed moriturus. Ad hũc dicitur: Bene cõfide,ſi credideris,uiſurus es gloriam Dei.Quid autem credat?Primum credat Euangelio Chriſti, quod eſt uerbum & potẽtia

Fides nõ eſt ſine certo uerbo Dei.

Dei

Dei ad ſalutem omni credẽti. In hoc enim dicitur, quòd Chriſtus ſit uictor mortis, quòd omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat æternam uitam. Hæc non ſunt humana ſomnia, ſed certiſsimæ Dei promiſsiones. Deinde credendo conſtet in Euangelio Chriſti, etiamſi morbus ingraueſcat, & mors propè adeſſe uideatur. Nam qui ita crediderit, etſi moritur, tamen non interit in morte, ſed uidebit gloriam Dei, qa conſeruatur in media morte per Chriſtum, & excitabitur ſuo tempore ad accipiendam unà cum omnibus ſanctis cœleſtem hæreditatem. Sed nimis diu detineo uos à ſpectaculo reuiuiſcẽtis Lazari. Pergamus igit ad ea, quę ſequuntur. Suſtulerunt ergo lapidem à loco, ubi is, qui mortuus fuerat, erat poſitus. Ieſus autem attollẽs oculos ſurſum, dixit: Pater, « gratias ago tibi, quoniam audiſti me: Ego autem ſciebam, quòd ſemper « me audis, ſed propter turbam quę circumſtat, dixi, ut credant, quòd tu « me miſeris. In hoc ſermone Chriſtus tria diligenter obſeruanda dicit. « Vnum eſt, quòd agit gratias Deo patri, quòd exaudiuerit ipſum. Ergo ne Chriſtus orauit? Hoc certè manifeſtè ſignificat, cũ dicit, ſe eſſe exaudi tum. Quid ergo, aut pro qua re orauit? Nec hoc eſt obſcurum. Nam cũ hic tractetur de admiranda reſuſcitatione Lazari, facilè intelligi poteſt, Chriſtum oraſſe Deum Patrem, ut fortunet in ipſo donum edendorũ miraculorũ, quo Lazarum à morte excitet. Sed quomodo, inquies, hoc conuenit cũ maieſtate Chriſti? An Chriſtus nõ eſt natura Deus? Nihil hoc eſt certius, & mox id ſignificabit Chriſtus ipſe. Cur ergo orauit, ut fortunetur donũ edendorum miraculorũ? Non orauit, quòd ipſe indigeat oratione aut miraculis, ſed orauit alijs de cauſis. Primũ, ut ſignificaret ſe uerũ hominẽ, unà cũ humanis imbecillitatibus, abſq; tamẽ peccato, ſuſcepiſſe. Homines. n. ſi indigent donis Dei, nõ poſſunt ea ex ſe petere, ſed neceſſe habẽt ea petere à Deo. Hęc eſt humana imbecillitas. Quare Chriſtus aſſumpſit hãc imbecillitatẽ: & quanquàm habuit natura ſua potentiam excitandi mortuos, & edendi alia miracula, & potuit eam ex ſeipſo petere, tamen orauit Deum Patrem, ut palàm declararet ſe aſſumpſiſſe uerum hominẽ. Deinde, Chriſtus cõiecit ſe in humilitatem & obedientiam orandi, ut hac humilitate placaret Deum Patrem hominibus. Etſi enim orauerũt Deum omnes ſancti, nullius tamen hominis oratio per ſe ita pia & ſancta fuit, ut potuerit Deo placere. Sola aũt oratio Chriſti tã perfectè ſancta fuit, & Deo ita placuit, ut propter eã Deus exaudiat orationẽ omniũ piorũ, qui ex fide ipſum inuocant. Quicquid petieritis, inquit, Patrem in nomine meo, hoc dabit uobis. Poſtremo orauit Chriſtus, ut & nos ſuo exẽplo ad orationem prouocaret. Si. n. Chriſtus orauit Deũ, ad accipienda diuinitus ea, quę miniſterio eius erãt neceſſaria, cum tamẽ antè poſsideret ea naturaliter, & q; deteſtabilis eſt noſtra ignauia, qui etſi rerum omniũ egentes ſumus, tamẽ raro dignamur Deũ hoc honore, ut ab ipſo, quæ nobis neceſſaria ſunt, oratione petamus. Sed de hac re hactenus. Alterũ eſt, quòd ut Chriſtus antè ſignificauit ſe aſſumpſiſſe uerũ hominẽ, ita nũc ſignificet ſe eſſe uerũ Deũ. Ego, inquiẽs, ſciebam, quòd me ſemper audires. hoc eſt, Ego nõ indigeo oratione, Sẽper impetro, quod uolo, ſemper habeo, & poſsideo omnẽ cœleſtiũ bonorũ

Chriſtus quare orauerit.

Chriſtus uerus Deus.

thesaurum, quia sum unius tecum essentię & uoluntatis. Ego enim & tu Pater unus sumus Deus omnipotens omnium rerũ creator. Nã si Christus tantum esset homo, & non etiam uerus Deus, certè Pater non semper eum exaudiret, quippe quòd irascente Deo necesse habet omnis caro, iuxta Prophetam, à facie eius silere. Nũc autem Christus dicit se semper à Patre exaudiri. Manifestè igitur docet se esse uerum ab æterno Deum. Tertium est, quòd Christus edat miracula sua ad comprobandum, se esse missum à Deo Patre suo, & doctrinam suam esse ueram ac diuinam. Sed propter turbã, inquiens, quę circumstat, dixi, ut credãt quòd tu me miseris, hoc est, petò, ut edam miracula, non mea causa, cui ad summam maiestatem nihil deest, sed edo miracula propter turbã hominũ, ut excitati magnitudine miraculorum, credant doctrinã Euangelij mei non esse humanum figmentum, sed cœleste ac diuinum mandatum. Opera, inquit alias, quę dedit mihi Pater, ut perficiã ea, ipsa, inquã, opera, quę ego facio, testificantur de me, quòd Pater miserit me. Quæ cũ ita se habeant, arrigamus nunc aures, intẽdamus animum & oculos, ut audiamus & uideamus, quid dicat & faciat Christus, ut excitet Lazarũ à morte. Atq; cũ hęc dixisset (inquit Euangelista) uoce magna clamauit: Lazare, ueni foras. Et prodijt, qui fuerat mortuus, manus & pedes habens rectos fascijs sepulcralibus, & facies illius sudario erat obuincta. Dicit eis Iesus: Soluite eũ, & finite abire. Hoc est magnũ illud & inusitatũ miraculum, ad quod edendũ Christus cũ discipulis in Iudæã redierat, & qd merito traducit cunctos non spectatores tãtum, sed & eos, ad quos fama eius peruenit, in summã omniũ admirationẽ. Cogita. n. mihi, quale hoc fuerit spectaculũ, & quantũ obstupuerit omnis turba, cum uiderunt eũ, quem sciebant mortuum, & qui iam quatriduo in monumẽto iacuerat, ad unum & alterum uerbum Iesu, nõ uiuum modo, uerum etiam adhuc sepulcralibus fascijs ornatũ, è sepulcro prodire. Sed hoc me nõnihil sollicitũ habet, quòd Iesus clamat uoce magna. An non potuit uno uolũtatis nutu, mortuum excitare? Potuit, sed maluit magna uoce clamare, & uelle tantũ, & nihil dicere, ut euitaret calumnias impiorum sycophantarum. Nihil enim est uirulẽtius sycophantis & calumniatoribus, qui cũ uidissent Christũ in edendo hoc miraculo, labia tãtum mouere, & nihil apertè & publicè loqui, dixissent eum recitasse secum quędã magica uerba, quorũ uirtute factum esset, ut apparuerit homo quasi uiuus, quemadmodum incantatores aliquoties fecisse narrantur. Nunc Iesus altè clamat, & publicè uocat Lazarum è monumẽto. Quare nõ relinquitur hic ullus locus suspicioni de magicis artibus. Huc accedit & alterum, quòd Iesus ita excitat mortuũ, ut tñ relinquat in eo uestes sepulcrales, & iubeat eas tollere. An, qui reuocauerat mortuũ ad uitã uerbo suo nõ potuit etiã efficere, ut uno momento uiuus abijceret funestum illum habitũ, & ornaretur uestimentis regijs? Nihil defuit potẽtiæ Christi, sed quod fecit, profuit illustrãdo miraculo. Relictę em̃ sunt in Lazaro uestes sepulcrales, ut & hi qui Lazarum his uestibus induerunt, testarent hunc uerè eũ esse, quẽ antea uidissent & cõtrectassent mortuũ: & illi, qui has uestes soluerẽt, ac alijs eũ induerẽt, reipsa uiderẽt eũ uerè uiuere, ac testimoniũ ferrent.

Zachar. 2.

Finis miraculorum Christi.

ferrent, quòd uerè sit à morte resuscitatus. Audiamus igit̃, quam utilitatem hoc magnum miraculum Iudęis attulerit. Multi, inquit Euãgelista, ex Iudęis, qui uenerant ad Mariam, & uiderant, quę fecisset Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisęos, & dixerunt eis, quę fecisset Iesus. Vide quàm diuerso studio miraculũ Christi accipiatur. Alĩ excitãtur hoc miraculo, ut credãt doctrinam Iesu esse ueram ac diuinam, Et hi rectè utuntur hoc miraculo. Alĩ autem nullã habent curam doctrinę Iesu, sed tenentur tãtum nouitatis studio, & diuulgant miraculum, ut cõmemoratione tantę rei assequantur hominum fauorem, nihil interim de sua ipsorũ salute solliciti. Sed sumamus & nos hoc miraculum in manus nostras, & cõsideremus uerum eius usum. Ac initio, dubium non est, quin hoc miraculum sit res uerè gesta. Etsi enim alĩ Euangelistę non faciunt nominatim aliquam mentionẽ huius miraculi, tamen Ioannes, qui hoc descripsit, tantę est autoritatis, ut Spiritus sanctus cõmendauerit eum unà cum alĩs Apostolis publicè cœlestibus donis in die Pentecostes. Et testimoniũ dicũt alĩ Euãgelistę de Ioanne, cum numerant eum inter pręcipuos Apostolos: ut non & hoc addam, quod reliqui Euangelistę generaliter testentr̃, mortuos à Christo resuscitatos, quorꝝ etiam aliquot nominatim recensent. Quare probant his testimoniis suis, quòd etiam hæc historia, quã Ioannes de Lazaro cõscripsit, certissima sit ueritas. Non adhibẽt hisce scriptis fidem Iudęi & Turcæ. Sed hi tanta sunt impietate, ut digniores sint, qui adhibeãt fidem impudẽtissimis suis Mahumetanis & Thalmudicis ac Rabinis fabulis, cꝫ cœlesti ueritati. Nos autẽ, qui accepimus hęc Apostolica scripta de manu in manum, iam inde ab initio, & ab eo tẽpore, quo hęc gesta sunt, & quo habuerunt innumeros testes, qui ea coràm uiderũt & perspexerũt, probè cognoscimus, quòd ea tam uera sint, ut ne angelo quidem contraria dicenti fides sit adhibenda. Deinde nec hoc dubiũ est, quin hoc miraculum non fuerit illusio oculorum, qualia solent esse miracula Magorꝝ, sed sit uerè editũ. Lazarus uerè fuit mortuus, ac postea uerè reuixit. Nõ fuit spectrum, subito euanescens, sed uerus homo, qui ambulauit, edit, bibit, ac reliqua humanę uitę officia, postcꝫ excitatus est, peregit. Quid igitur hoc miraculũ spectat? quid probat? Num probat Iesum huius miraculi effectorem, esse uerum natura Deum? Probat quidem, nõ autem proximè. Nam Elias quocꝫ, & Elizęus excitârunt mortuos, non tamen probatur ex ipso, quòd sint ueri natura dĩ. Num probat, ut hoc exẽplo unusquisqꝫ debeat sperare amicum suum defunctũ, post quatuor dies iterꝝ è monumẽto uiuum egressurum? Sed uidemus huic spei obsistere ipsam rerum experientiã. Et Christus excitauit quidẽ quosdã à morte, sed quia regnũ eius nõ est de hoc mundo, non uoluit his exẽplis significare, quòd omnes mortui excitandi sint in hanc corporalem uitam, ante nouissimum huius seculi diem. Quid ergo probat? Vt turba, inquit, credat, cꝫ Pater miserit me: hoc est, Christus edidit hoc miraculũ, ut probaret doctrinã suam esse uerã, cœlestem, ac diuinã. Miracula enim sunt cœlestia testimonia & sigilla ueritatis doctrinæ. Audiamus ergo, quid docuerit Iesus, ut & uerũ huius miraculi usum cognoscamus. Nõ loqui

Miraculi utilitas.

Miraculorũ Christi usus

mur aũt nunc de eo doctrinæ genere, quod est Iesu cõmune cũ Mose,& alijs doctoribus legis,sed de eo, quod est ipsius propriũ.Primum eñ Iesus docuit,quòd ipse sit uerus Messias seu Christus,quem Deus Patriarchis promisit.Docuerunt quidem Prophetę Messiam uẽturum, nullus aũt eorum docuit seipsum esse Messiam.Quare,etsi nonnulli eorũ excitârunt mortuos,hoc tamẽ miraculũ nõ probauit ipsos esse Messias,sed probauit doctrinam eorꝝ,uidelicet,quòd ipsi non sint Messię,sed quòd uerus Messias in plenitudine tẽporis sit uẽturus.Inter ueros aũt & diuinos Prophetas solus Iesus docuit,se esse Messiã. Nomine uero Messiæ continẽt omnia ea,quę de Messia scripta sunt,uidelicet, quòd sit expiator peccatorum nostrorꝝ,quòd sit reconciliator noster, quòd sit uictor mortis & redemptor. Hęc enim sunt officia Messię.Quare hoc miraculum testatur & confirmat Iesum esse Messiam,expiatorem,reconciliatorem,mortis uictorem,& redemptorẽ nostrũ. Deinde Iesus docuit se esse filium Dei,hoc est,uerũ natura & ab ęterno Deũ,unius essentiæ, potentię & maiestatis cum Patre suo, quemadmodũ cõciones eius palàm testantur,& Apostoli perspicuè de ipso prędicârunt.Quod ad Prophetas quidem attinet,nullus eorum prędicauit seipsum esse uerũ Deũ,sed tribuerunt diuinam maiestatem Messię seu Christo, cõfitentes interim se esse ueri Dei aut Messię ministros. Iesus aũt docuit seipsum esse uerũ Deum.Quare ut Prophetarum miracula non probârũt ipsos esse natura Deos,quia hoc nõ docuerunt,ita miracula Iesu probârũt ipsum uerè esse natura Deum,quia hoc perspicuè docuit, & Apostolis docendũ ac in toto orbe terrarũ uulgandũ tradidit.Reliquũ igitur est, ut hoc miraculo,quod per Iesum est in Lazaro editum,admoniti, nõ quæramus alium Messiam,nec adoremus alium Deum,pręter Iesum Christum Dominum nostrum,qui antè quidem fremẽdo & lacrymãdo præbuit de se speciem quandam imbecillitatis, nũc aũt excitãdo mortuum ad uitam, manifestè cõfirmauit se id uerè esse,quod dixerat,uidelicet, Vitam & resurrectionem nostram.Sed quid? num Lazarus hoc nos tantum docet, ꝙ cõseruemur per Christũ in morte, et simus in nouissimo die ad uerã & perpetuã uitam resurrecturi? Maximè quidem omnium hoc docet,

Miraculi allegoria.

interim aũt admonet etiam nos nostrę conditionis & officij in hac corporali uita.Lazarus.n.fuit corporaliter mortuus & sepultus. Nos,etsi adhuc uiuimus corporaliter,tamẽ si naturam nostrã cõsiderauerimus, mortui sumus propter peccatum,& sepulti spiritualiter. Peccatũ.n. est,

Rom.5.

quod nos iam antè tradidit morti & sepulturę. Propter unum hominẽ, inquit Paulus,peccatũ in mũdum introijt,ac per peccatum mors, & sic

Ephes.2.

in omnes homines mors peruasit,quatenus oẽs peccauimus.Et iterum: Mortui sumus per delicta.Porro,quemadmodum lapis fuit impositus monumẽto Lazari,ita & super nos in pctõ sepultos ingens lapis impositus est.Hic lapis est decalogus,olim in lapideas tabulas scriptus.Onus aũt huius lapidis multo grauius est,q̃ ut ferre queamus. Deprimit nos usq; ad infernũ.Lex enim,inquit Paulus,operatur irã & occidit. Quid igit̃ fieri debet,ut reuiuiscamus,& è monumẽto liberemur? Primũ,lapis remouẽdus est.Tollite,inqt Christus,lapidẽ. Quid ergo est remouere

lapidem?

lapidē. Quòd si obseruauerimus uerba Marthę, cũ dicit: Dñe, iam olet, haud obscurè significatur, ꝙ in hoc allegorico exponendi genere, lapidem remouere nõ sit decalogũ abiicere aut contẽnere, sed sit obscuritatẽ decalogi illustrare, & decalogũ rectè explicare, ac perspicuè iuxta sententiã spũs sancti explanare. Quod si fiat, dubiũ nõ est, quin quemadmodũ Martha dicit, Lazarũ remoto lapide offensurę fœtore suo omnẽ circũstãtem turbam, ita reuelato decalogo, terrimus odor peccati ex homine exhalet. Per legem enim agnitio peccati. Et ueniente mandato, peccatum reuixit. Vbi autem peccatũ reuelatur, ibi latè spargitur abominabilis fœtor usqꝫ ad cœlum & in terra, tam corã Deo, quàm inter homines. Nihil enim est abominabilius peccato. Et tamẽ homines eo sunt ingenio, ut nisi peccatum agnoscant, & fœtorem eius manifestè sentiant, non quęrant medicinam, aut peccati remissionem. Quare ad recuperandã uitã, primũ omnium necessarium est, ut lapis à monumento remoueat, hoc est, ut per decalogum agnoscamus fœtorem & grauitatẽ peccati nostri. Deinde, ut in excitando Lazaro, nõ satis fuit, lapidem remouere, sed addita est uox Christi, qua Lazarus è monumẽto ad uitã reuocatus est: ita post agnitionẽ peccati, necessariũ est, ut audiamus Euangeliõ Iesu Christi, quo docemur Iesum Christum esse peccati nostri expiatorẽ, & donare nobis suam iusticiam. Qua Euangelij uoce, si ei fidem adhibuerimus, ita reuiuiscimus, ut iam nõ simpliciter simus homines, sed filij Dei, & hęredes omnium cœlestium bonorum. Sed hoc interim nõ est prętereundum. quòd etsi Lazarus fuit uerè à morte resuscitatus, tamẽ prodijt uinctus adhuc fascijs sepulcralibus, quas debuit soluere & abijcere, ut expeditè potuerit ambulare: ita postꝫ nos reuiximus per Euangelion Christi, reputamur quidem coram Deo toti iusti propter Christum, uincti aũt adhuc sumus reliquijs carnis et peccati, tanquã fascijs sepulcralibus. Hę certè sunt soluendę, ut possimus rectè & expeditè incedere. Soluuntur autẽ, cum in hoc studium incumbimus, ut nõ obediamus cupiditatibus peccati, & ut mortificemus opera carnis per spiritũ. Quare admoueamus manus nostras, & accommodemus membra nostra ad obediẽdum uerę iusticię, ad quam resuscitati sumus, ut in nouitate uitę, ad cœleste regnum ambulemus, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA V.

Miranda res est, quòd Lazarus, qui quatriduo in monumento mortuus iacuerat, à morte sit excitatus, sed magis penè mirãdum est, ꝙ Pontifices & Phariseꝰi Iudęorũ ex tanto miraculo non sint ab impietate sua ad agnoscendum uerũ Messiam excitati. Postꝫ enim Iesus manifestè reuocasset Lazarum ad uitam, tantã cõsecutus est autoritatẽ, ut maxima hominum multitudo iudicaret doctrinam eius esse sacrosanctam & cœlestẽ, ac sentiret ipsum esse uerum Messiam. Pontifices autem & Phariseꝰi pergunt suo more non solum uirulento odio Iesum ptosequi, sed etiam crudelia consilia inter se de ipso

interficiendo conferre. Veniamus igitur in ſenatum eorum, (patefecit .n. nobis fores eius Euãgeliſta) ut cognoſcamus, quę fuerint cõſilia ipſo
» rum aduerſus Dñm, & aduerſus Chriſtũ eius. Cõgregauerunt (inquit)
» Pontifices & Phariſęi Conciliũ, ac dicebant: Quid facimus, quia hic ho
» mo multa ſigna edit? Si permiſerimus eũ ſic, oẽs credent ei. Venientq;
» Romani & tollent tum locum noſtrum, tum gentem. Principio conſide

Sanhedrin Iudæorum.

randum eſt, quòd ad deliberandũ de Ieſu conuenerit Senatus nõ abiectorum hominum, ſed ſummorũ Pontificum & Phariſęorũ. Euangeliſta uocat Συνέδριον, quod Iudęi corruptè dicunt Sanhedrin. Hic fuit cõſeſſus ſummorũ Iudicum in Iſrael. Nam quemadmodum in quouis regno ſua ſunt in rebus ciuilibus extrema iudicia, aut ut uocant, conſiſtoria, quorũ ſententię habentur ita inuiolatę, ut ab ipſis ad alia iudicia non liceat appellare, ita in Iſrael erat Senatus Synedriũ, cuius iudicium tam ſacroſanctum habebat, ut crederetur uulgo nõ eſſe humanũ, ſed diuinum. Quare nõ eſt ſentiẽdum, quòd hoc cõcilium fuerit temerarium quoddã obſcurorum & priuatorum hominum cõuenticulum, ſed fuit Synodus clariſſimorũ in Iudaiſmo Pontificũ ac Principũ, penes quos erat maxima oĩm in ſua gẽte autoritas. De qua re idcirco uos admonere uolui, ut cũ laudiamus ſummos Põtifices in populo Dei cõgregare cõciliũ aduerſus Chriſtũ, nõ offendamur, ſi idẽ noſtris temporibus accidere uideamus, nec moueamur cuiuſuis hominis uel autoritate, uel poteſtate, ut ueritatem Euãgeliũ ex ipſis Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis cognitã, deſeramus. Deinde Põ.ifices & Phariſęi cõueniunt in Senatũ, deliberaturi nõ de aſini, quod aiunt, proſpectu, ſed de ſumma gẽtis ſalute, ne quid detrimenti reſpublica eorũ acciperet. Nã in hac deliberatione tm̃ momẽti ſitum fuit, ut ſi Põtifices de re propoſita rectè ac piè definiſſent, ac cõſtituiſſent, cõſeruaſſent totam Rempub. ac uerã populi ſalutẽ. Nũc aũt quia crudelia et impia cõſtituunt aduerſus Ieſum Chriſtũ, ſeruatorẽ noſtrũ, non ſolum cõiũciunt ſe et gentẽ ſuã in extremas calamitates huius ſeculi, ſed etiã in perpetuã internecionẽ, ac fiunt autores, ut nõ tantum auferat à Iudęis regnũ terrenum, ſed etiam regnum cœleſte, & ut Iudęi exhæredẽtur à Deo, ne ſint amplius populus Dei. Quare hoc Synedriõ non eſt

Synedrij ſenatores.

Iudei deliberant de tollẽdo Ieſu nõ cognita cauſa eius.

oſcitanter percurrẽdum. Quid facimus? inquiunt. Hic homo, niſi prouideamus, autor erit internecionis totius Iudaicę gentis. Cõparat ſibi magnam autoritatem miraculis ſuis. Qua ex re comparabit etiã ſibi exercitum populi. Quod cum factum fuerit, nihil aliud reliquum eſt, quàm ut Romani iterum quãtis poſſunt uiribus nos ut ſeditioſos & defectores inuadant, & deleant nõ hanc urbem tm̃, ſed etiam uniuerſam gentẽ. Ob ſtandum igit eſt principijs, ut rempub. noſtrã ſaluã conſeruemus. Quis autem hoc propoſitum Põtificum damnaret? Magna enim pietas eſt, pro ſalute patrię excubare. Sed quales quales uideant hi Põtifices, certè in hac deliberatione deſignãt grauiſsima peccata. Vnum peccatum eſt, quòd antè deliberent de opprimendo & perdendo Ieſu, quàm cognoſcant cauſam eius. Quale eſt, ſi deliberet de ſupplicio hominis, de quo nondum conſtat, utrum ſit nocens, an innocẽs, ſacrilegus ne an incẽdiarius. Quis non dicat hoc eſſe præpoſterum, & peruerſum iudicium?

Peccata Iudæorum.

Multa

Multa,inquiunt,signa hic homo facit.Rectè.Accipimus uestram cõfes-
sionem. Vos ipsi testes estis,quòd Iesus multa & magna miracula uerè e
diderit.Cur ergo dubitatis,quid sit faciẽdum? Nimirũ hoc erat officiũ
bonorum uirorẽ,ut ex his cœlestibus ac diuinis miraculis excitarentur ad
habendam fidẽ doctrinę Iesu.Miracula enim sunt testimonia doctrinę.
Ex doctrina aũt Iesu facilè cognosci potuit,quòd ipse sit uerus Messias,
præsertim cum præter miracula,omnes etiam aliæ circumstantię, quas
Prophetę de genere,de matre,de loco natiuitatis,&de tẽpore aduentus
Messię prędixerunt,in hunc Iesum conuenirent. Verus aũt Messias est
adorandus,& omni officiorum genere colendus.Quare cum Põtifices
interrogarent seinuicem,quid faciant? pius quispiã senator aut Põtifex
facilè potuisset respõdere,doctrinã Iesu miraculis cõfirmatã esse,ideoq;
adhibendam ei fidem,& ipsum iuxta doctrinam eius, uerum Messiam
agnoscendum.Etsi aũt fieri potuit,quòd in hoc concilio adfuerint Nico
demus & Ioseph,de quibus scriptura testatur, quòd nõ consenserint in
consilium Pontificum,tñ impij prędominati sunt(sic enim ferè fieri solet, ut
maior pars uincat meliorẽ)& non hoc egerunt, ut cognosceretur causa
Iesu,sed ut deliberaretur de tollendo Iesu.Hoc est peccatum nõ imprudentię tantum,sed etiam temeritatis & crudelitatis. Alterũ peccatũ est,
quòd etsi cognouerũt,aut si non cognouerunt,certè cognoscere debuerunt,hunc Iesum esse uerũ Messiam, & maiestatem Messiæ diuinitus ei traditam esse,inuidia tamen & odio aduersus ipsum cęcati,conãtur quo quo modo possunt,maiestatẽ Messię ab ipso auferre, & eum opprimere. Hoc autem nõ est simpliciter peccare,sed bellum aduersus Deum suscipere.Quod quàm fœliciter promoueat, exemplum horum Pontificum docet.Conati sunt à Iesu auferre maiestatem Messiæ, sed eo ipso Iesus maiestate sua illustratus est, ipsi autem amiserunt non solum suam in terris maiestatem,sed etiam suam in cœlis salutem. Quæ res non tantum auditu est percipienda,& mente cogitanda,sed in usum transferenda,uidelicet,ut hoc exemplo admoneamur,ne alterius commoda, quæ uidemus ei diuinitus contingere,conemur odio,inuidia, & malis artibus impedire,sed potius ex caritate eum iuuare.Sic enim fiet,ut fructus eorum commodorum non solum ad illum alterum, sed etiam ad nos ipsos diuina clementia perueniat.Tertium peccatum est, quòd sentiant nullam fore prosperam fortunam in Israel,si doctrina Iesu,quem negare non potuerunt esse uerum Messiam,promoueat.Venient,inquiunt, Romani & tollent tum locum tum gentem nostram.Magnahęc est diuinarum promissionum obliuio & impietas. Extant enim perspicuæ promissiones de Messia, quòd afferat benedictionem,hoc est,rerum prosperitatem,quod dominaturus sit à mari usq; ad mare, q; Reges sint eũ adoraturi,q; gẽtes sint ei seruiturę. Ac manifestum est, quòd quicquid hactenus fœlicitatis in terra contigit Iudęis, hoc contigerit eis propter Messiam.Dedit enim Deus posteris Abrahę terram & regnum Chanaan,dedit eis uictoriam aduersus hostes,ut esset certa gens,in qua conseruarentur promissiones de Messia,ex qua Messias nasceretur,& in qua Messias Euangelion suum prędicaret: Nec abstulisset ab eis Deus hæc

Homines cõmoda alterius impediũt.

Homines metuunt extrema mala in uocatione Dei.

beneficia,ſed potius cumulaſſet,ſi non tã crudeliter & impiè abieciſſent Meſsiam.Nunc aũt Pontifices contẽptis his omnibus promiſsionibus & beneficijs Dei de Meſsia,uociferantur ſibi à Romanis extremã immi nere internecionem,nec ullam eſſe reliquã fœlicitatem,ſi doctrina Ieſu, qui erat Meſsias,obtineat.Quid eſt impietas & ingratitudo, ſi hęc non eſt? Non exiſtimes aũt,Pontifices tãtum hac in parte peccaſſe. Vulgare hoc eſt peccatum,quòd homines metuant, ne ſi agnoſcant Euangelion Chriſti,Romani ueniant,& tollant locum ac gentẽ,interim aũt pollicen tur ſibi ſecuritatem,ſi contemnant Chriſtum. Alij metuũt, ne ſi in nego ciatione ſua uera dicant,& iuſta agant,Satan conijciat ipſos in pauperta tem,interim uero ſperãt magnas diuitias,ſi dederint operã impoſturis. Alij metuunt,ne ſi impijs mandatis Principum ſuorũ non obediant,ne ceſſe habeant omnes ſuas fortunas unà cũ uita amittere,ſed interim pro mittunt ſibi omnẽ in impietate fœlicitatẽ. Itaq; uulgare eſt,quòd homi nes metuant extrema mala in uocatione Dei,nõ metuant aũt ea in uoca tione Satanę. Quis eſt hic peruerſus metus , quę præpoſtera ſecuritas? Fieri enim nõ poteſt,ut ibi ſit infœlicitas,ubi eſt fauor et protectio Dei. Nec fieri poteſt,ut ibi ſit fœlicitas,ubi dominatur Satan, & Deus iraſci tur. Deus aũt fauet pietati & iuſticię,ac tueẽ eos,qui ſectantur uocationẽ Dei. Impietati uero & iniuſticię iraſcitur,ac punit ea ſeueriſsimè. Quare etſi impietas aliquandiu uidetur fœlix,& pietas infœlix,tñ nihil certius eſt,quàm quòd benè erit,quemadmodũ Salomon ait, timentibus Deũ, his qui uerentur faciẽ eius. Audiuimus ſenatores huius Synedrij,audia mus nunc Prę ſidem eius. Vnus aũt ex ipſis Caiaphas nomine,cum eſſet Põtifex anni illius,dixit eis: Vos neſcitis quicquam,nec perpenditis, q̃ expedit uobis, ut unus homo moriatur pro populo,ac nõ tota gẽs pere at. Hoc aũt à ſemetipſo non dixit,ſed cum eſſet Pontifex anni illius, uati cinatus eſt,quòd Ieſus moriturus eſſet pro gente, & nõ tantum pro gen te,ſed ut filios Dei,qui erant diſperſi,cõgregaret in unum. Initio pauca quędam de Caiapha dicenda ſunt: deinde percurremus ſentẽtiam eius. Euangeliſta aliàs dicit Caiapham fuiſſe generum Annæ, & hoc anno ſummum in Iudaiſmo Pontificem. Nam quemadmodum Ioſephus ſcri bit, Valerius Gratus , Romanus in Iudęa prę ſes,abiecit ab officio Pon tificatus Simonẽ,& inſtituit pro eo Ioſephum Caiapham. Iam enim Iu dæorum res ambitione Principum in eam fortunam deuenerat, ut ſum mi Pontifices ſingulis penè annis pro libidine Romanorum prę ſidum mutarentur. Magnum id argumentum erat,finem Aaronici Põtificatus inſtare,& mutationem Iudaicarum rerum imminere, adeoq; uerũ Pon tificem,non ſecundum ordinem Aaron,ſed ſecũdum ordinem Melchi ſedec inſtitutum,prę ſto adeſſe. Cum igitur Ioſephus Caiaphas hoc an no,quo Ieſus Chriſtus crucem ſubiturus erat, ſummum Pontificatum adminiſtraret, & in Concilio prę ſideret, primum reprehendit pro ſua autoritate aliorum inſcitiam & incogitãtiam: deinde exponit ſuam ſen tentiam , Vtilius, inquiens,eſt,ut unus homo occidatur,quàm ut tota gens pereat. Ioannes dicit hãc ſententiam eſſe Propheciam , Cum eſſet, inquiens,Pontifex anni illius,prophetauit. Ergo ne, quicquid dixerint

Eccleſiaſt.8.

Synedrij præſes Caiaphas.

Pontifices,

Pontifices,est Prophecia,& uerbum Dei? Quẽadmodum Iuriſconſulti de Principe dicunt,Quod Principi placuit,legis uigorẽ habet,ita ne de Pontifice dicendum erit,Quod Põtifici placuit,Prophecię & uerbi Dei uigorẽ habet? Minime omnium. Alia enim res eſt politicus Princeps, alia Eccleſiaſticus Põtifex.Principes politici ſua habent iura ſtatuẽdi de rebus ciuilibus,quę tñ in quouis regno certis modis ſunt aſtricta. In ad miniſtratione aũt rerũ ſacrarũ,et diuini cultus,perſpicuè dicitur, Quod prȩcipio tibi,hoc tãtum facias Domino,Nec addas quicq̃ nec minuas. Nec obſcurũ eſt, quòd multi fuerint in Iudaiſmo impij Põtifices & Sacerdotes,qui à ſpiritu ſancto tam alieni fuerũt,ut impietatẽ ſuam publicè declarauerint,de qua re extãt manifeſta teſtimonia in Hieremia,et in alijs Prophetis.Quare cum Ioãnes dicit, Caiapham prophetaſſe, quòd eſſet Pontifex anni illius,non ſignificat ſpiritum propheciæ Põtificatui ita alligatum eſſe,ut quicquid Pontifex dicat,ſit diuinum oraculum,ſed ſignificat Deum fauere miniſterio à ſe inſtituto.Etſi enim Caiaphas fuit uir impius,tñ Pontificatus,quo functus eſt,erat officiũ diuinitus inſtitutum.Quare Deus ponit in ore eius uerba Prophetica,ut declaret Põtificatum per ſe eſſe legitimũ & diuinũ miniſterium.In gubernatione Reipublicę ciuilis ſæpe ſolent eſſe crudeles tyranni, & tñ quia Magiſtratus eſt ordinatio Dei,ſalus Reipublicæ multo melius per hos cõſeruatur,q̃ per clemẽtiſsimos ſedicioſos. Deus enim,etſi damnat crudelitatẽ tyranni,tñ honorat legitimũ eius officium,& cõfert per ipſum beneficia Reipublicę,ut homines diſcãt,diuinas ordinationes nõ eſſe temerè turbandas.Ad eundem modum Aaronicus Põtificatus in Iudaiſmo fuit miniſterium diuinitus inſtitutum.Caiaphas igit̃, etſi uir alioqui impius, tamen quia fungebat̃ hoc miniſterio,protulit diuino beneficio uerba prophetica de uero Pontifice Ieſu Chriſto,ut quemadmodũ hoc Caiaphæ oraculo tota ueterum ſacrificiorũ ratio in unum Chriſti ſacrificiũ tranſlata,& in eo conſummata eſt, ita & tota Pontificia dignitas trãsferretur in unum & ſolum Ieſum Chriſtum,ſeruatorem noſtrum. Sed exemplo Caiaphę non poſſunt ſe tueri Romani Pontifices.Magnum.n.eſt diſcrimen inter Pontificatum Romanum,quem Papatum uocant, & Aaronicum.Hic eſt inſtitutus à Deo,ille eſt confictus ab hominibus.Hic fuit inſtitutus ad exemplar Chriſti,ille adminiſtratur aduerſus Chriſtũ. Hic regibus fuit ſuo modo ſubiectus,ille effert ſe non ſolũ ſupra reges in terris,ſed etiam ſupra angelos in cœlis.Solet enim his mandare,ut animas transferant ex igni purgatorio in cœlum. Hic non habuit poteſtatẽ mutandorum ſacrorum,quę uerbo Dei inſtituta erãt, ille arrogat ſibi poteſtatem mutãdarum legum humanarum & diuinarum. Quare Romani Pontifices non poſſunt ſibi autoritate Põtificatus ſui aliquẽ ſpiritũ Prophecię exemplo Caiaphę,polliceri. Sed ſumemus nũc in manus uerba Caiaphę.Expedit,inquit,uobis,ut unus homo moriatur pro populo,ac non tota gens pereat.Hæc uerba ſunt quidẽ Prophetica,ſed aliter intelligit ea Caiaphas,aliter ſpiritus ſanctus.Itaq̃ habes duplicem ſententiã. Vna eſt Caiaphę,qui ſentit,quòd utilius ſit unum hominẽ, quamuis innocentem,occidere,quàm totam gentem periculo obijcere,adeoq̃ uult

Pontificum uerba an ſint prophetiæ.

Caiaphas impius prophetat.

Aaronici & Romani Pontificatus collatio.

facienda esse mala, ut eueniant bona. Hęc est prudentia in hoc seculo usi
2. Paralip. 21 tatissima. Iorã filius Iosaphat, Rex Iudę, metuit, ne si fratres eius superstites essent, nulla foret regni trãquillitas. Quare iudicauit utilius esse, quatuor aut quinq; uiros, quamuis innocentes, & fratres suos interficere, q̃ tot milia uirorum, mulierum & infantium periculis belli exponere. Ma
Mundi prudẽtia, facere malũ ut eueniat bonum. gistratus metuit, ne si aduersus hominẽ diuitem ac potẽtem pro uidua, quę iustam habet causam, iudicet, seditio in urbe per factiosos diuitis cognatos & affines cõcitetur. Existimat igitur utilius esse reipublicæ, ut una uidua patiatur iniuriam, q̃; ut tota urbs in magnum discrimen adducatur. Paterfamilias metuit, ne si iustè negocietur, familia eius necesse habeat esurire & algere. Itaq; sentit magis expedire, ut aliquid ex opibus unius aut alterius alieni hominis per impostu ras detrahat, q̃; ut tota sua familia famẽ patiatur. Hęc uidetur quidem magna esse prudẽtia, sed impijssima & pernicioſissima. Peccato enim nõ propulsatur periculũ, sed potius conflatur, & augetur. Quomodo enim posset peccatũ esse fœlix, cum Deus, à quo solo est omnis fœlicitas, peccatum summo odio prosequatur? Considera mihi euentum huius Cõcilij, de quo in prętentia loquimur. Põtifices uolunt propulsare cęde innocentis uiri periculum de uastationis à sua regione, sed hoc ipso adducũt et se et suã regionẽ in extremum periculum. Caue igitur ne facias mala, ut eueniãt bona, sed potius facias bona, ut euites mala. Altera horũ uerborũ sententia est Spiritus sancti, quam & Ioannes recitat. Significant enim, q; Iesus moriturus esset pro gente, uidelicet Iudaica, & non solum pro hac gẽte, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum ex omnibus gentibus. Hic
Passionis & mortis Christi fructus. ergo primũ obserua usum & fructũ passionis ac mortis Domini nostri Iesu Christi. Mors enim eius, nõ est talis mors, qualis est aliorũ Sanctorum. Etsi enim horum multi occisi sunt ab impijs crudeliter, & cõtra omnia humana & diuina iura, tñ mors eorũ, non fuit expiatio peccatorũ corã Deo. Sola autem mors Christi habet hanc dignitatẽ & maiestatẽ, quòd expiauerit corã Deo peccata hominum, et placauerit irã Dei. Deinde beneficium mortis Christi non pertinet tãtum ad Iudęos, sed ad omnes populos & nationes in uniuerso orbe terrarũ. Non pro gente tantum (inquit) hoc est, nõ pro Iudęis tñ, sed pro omnibus, qui sunt inter
Filij Dei. alias gentes, & credũt Euãgelio eius. Pręterea, uocat hoc loco filios Dei, eos, qui credũt in Christũ. Vt congregaret (inquit) filios Dei. Si autem credentes in Christũ sunt filij Dei, manifestũ est, quòd sint hęredes Dei, & cohęredes Christi. Quid igitur credenti in Christũ deesse potest? Esurit nunc, alget, sitit, dolet, et moritur: sed habet hęreditatẽ cœlestẽ, quam si in Christo constiterit, nec fames, nec frigus, nec dolor, nec mors ipsa, auferre possunt. Postremo, quod ait: Vt filios Dei, qui dispersi erant, cõgregaret in unum, significat quòd una sit Ecclesia filiorũ Dei in uniuerso mundo, quę Ecclesia nõ tunc dicitur in unum congregari, cum homines coguntur unum Romanum Pontificem pro capite Ecclesiæ agnoscere, sed congregatur in unum, cum in uniuerso mundo prędicatur idẽ Euangelion Apostolicum de Iesu Christo, & cum ex Euãgelio unus solus Iesus Christus pro uero nostro seruatore agnoscitur. Ecclesia. n. generalis,

neralis, quam uocant Catholicã, nõ est illa, quę sine omni recto iudicio amplectitur ueteres ac nouas impietates Pontificũ, sacrificulorũ & Monachorũ, sed quæ ex uera fide amplectitur piam doctrinam Euãgelij de Iesu Christo, traditã ab Apostolis. Quare, etsi his tẽporibus multi proscripti sunt per Põtifices à Romana Ecclesia, tñ si credũt Euangelio Christi, & sectantur uocationẽ eius, non sunt proscripti à uera Catholica Ecclesia, in qua tãtisper manent, ac beneficijs eius fruunt̃, dum nõ abijciũt Iesum Christum, unicum nostrũ seruatorem. Sed audiamus nũc huius Concilij definitionẽ, seu ut nunc loquuntur, Recessum. Ab illo ergo die consultabant inuicẽ, ut interficerent eum. Definiunt Iesum Christũ esse occidẽdum, quoquo modo id fieri potest. Hoc aũt decretum non est oscitanter considerandum. Etsi enim hactenus multi ludęi cõtempserunt Iesum, nec uoluerũt eum pro Messia seu Christo agnoscere, tñ peccatũ priuatorum hominum non solet imputari cõmunitati gentis. Nunc aũt abijciunt & damnant Iesum Christum hi, qui habebãt publicam gubernationem totius Iudaicę gentis. Quare ut hi incipiunt ab hoc cõcilio cogitare de opprimendo & interficiẽdo Iesu Christo, ita uicissim Deus cogitat ab hoc tempore hanc Iudaicam gẽtem abijcere, & in ipsis implere, quod iam antè à Prophetis dictum est. Moses dixit: Deũ, qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus, & ad iracundiam prouocatus est, quia prouocauerũt eum filij sui & filię. Et dixit: Abscondam faciẽ meã ab eis, & cõsiderabo nouissima eorũ. Generatio enim peruersa est, & infideles filij. Ipsi me prouocauerũt in eo, qui nõ erat Deus, & irritauerũt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos, in eo, qui nõ est populus, & in gẽte stulta prouocabo eos. Et Dauid: Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuę comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deserta, et in tabernaculis eorũ nõ sit, qui inhabitet. Quid multa? Testatur tota ueteris testamenti scriptura, quòd Deus abiecturus sit electum suum populum, propterea quòd abiecturi sint electum filium suũ Iesum Christum. Quę res cum manifestè sit in Iudęis impleta, agite, amicissimi, fruamur aliena insania, obediamus diuinę uocationi, agnoscamus Euangelion Christi, ut iustificati ex fide, ueram salutem consequamur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre et Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Ecclesiæ generalis quæ sit.

Synedrij recessus.

HOMILIA VI.

VIdimus in eo miraculo, quo Lazarus à morte excitatus est, diuinam potentiam & maiestatem Domini nostri Iesu Christi, uideamus nunc in ea fuga, qua Iesus se ad ciuitatem deserti recepit, humanam ipsius impotentiam & humilitatem. Postquam enim Pontifices non solum cogitârunt, sed etiam decreuerunt Iesum interficiendum, & mandârunt, ut quisquis cognouisset, ubi esset, indicaret, quo comprehenderetur, Non iam propalàm, inquit Euangelista, ambulabat inter Iudæos, sed abijt illinc in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Ephraim, & ibi uersabatur cum discipulis suis. Admirabitur ergo quispiam, quid Christo acciderit, quòd cum antea publicè prędicauerit se esse uitam & resurre-

ctionem,& comprobauerit illud excitatione Lazari à morte, nunc autem ita metuat insidias Pontificum & Phariſęorum,ut etiã fugiat,& ſeſe in ciuitatẽ deſerti abdat. Num qui fuerat paulò antè uictor mortis in Lazaro,non potuit eſſe uictor inſidiarum in Pontificibus? Potuit ſanè,ſed qui ſuſceperat propter nos humanã ſubſtãtiã,ſuſcepit etiã propter nos humanas imbecillitates. Cũ Chriſtus,inquit Paulus,eſſet in forma Dei, non rapinã arbitratus eſt,ut eſſet ęqualis Deo,ſed inaniuit ſemetipſum, forma ſerui ſumpta,in figura hominum cõſtitutus,& figura repertus ut homo. Quę autem eſt forma ſerui? quę eſt figura hominum? Seruus metuens uerbera domini ſui,fugit & abſcõdit ſe in occultũ locum. Homo inermis metuens inſidias aduerſariorũ,ſolet ſeſe è manibus,et ex oculis eorũ aliò conferre,ut ſaluti ſuę conſulat. Quare,cum Chriſtus acceperit formã hominis,adeoq; ſerui hominis,fugit & ipſe ſuos aduerſarios,cũ tamen potuerit uno nutu omnes perdere. Fugit autem,nõ ut peccet,nõ ut uolũtati Dei,qua ad ſubeundam crucem & mortẽ uocatus erat, obſiſteret: Paulò pòſt enim,cum tempus eſſet,non ſolum reuertitur,uerum etiam tradit ſe aduerſarijs captiuum,percutiendum & occidẽdum. Sed fugit præcipuè propter duas cauſas. Altera eſt, ut ſua experientia edoctus,meticuloſis ſuccurreret. Non habemus,inquit Apoſtolus, Pontificem,qui non poſsit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum,ſed tentatũ per omnia,iuxta ſimilitudinẽ abſq; peccato. Altera eſt,ut in ſua perſona oſtẽderet,quale ſit regnũ ſuum,in mẽbris ſuis,dum adhuc in hoc ſeculo uitam agunt. Multa.n. præclara ſcripta ſunt de ijs, qui Chriſtũ agnoſcunt, & eum obediẽter ſuſcipiunt. Eſaias ait: Venient ad te curui filij eorũ,qui humiliauerũt te,& adorabũt ueſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi. Et Hieremias: In diebus illis ſaluabitur Iuda,& Iſrael habitabit cõfidenter. Has & alias id genus promiſsiones poſſent hi,qui credũt in Chriſtũ,ſic intelligere,perinde ac ſi Chriſtus deberet in ipſis, in hoc corporali ſeculo,tã potens eſſe,tamq; fortis,ut eſſent externa maieſtate cũctis hoſtibus ſuis formidabiles,nec ipſi fugerẽt unq; ſuos aduerſarios,ſed potius aduerſarij fugerent ipſos. Chriſtus aũt dãnat hũc ſenſum ſua fuga,& cũ necq; diſcipulus ſit ſupra præceptorẽ,necq; ſeruus ſupra dominum,ſignificat,quòd quemadmodũ in ſua perſona tã imbecillis eſt, ut nunc quidẽ fugiat,poſtea autem capiatur, crucifigatur, & interficiatur,ita uelit & in mẽbris ſuis tam imbecillis eſſe,ut aduerſarios ſuos metuant,& fugiant,ac ſi non ſemper ab ipſis occidantur, tamen neceſſe habeant uel tandem mortis tyrannidem ſubire. Quare nõ admiremur in aduerſis,quòd nõ ſentiamus externũ auxiliũ Dei, quòd Deus non perdat aduerſarios noſtros fulmine,quòd Chriſtus nõ eripiat nos admirabiliter è manu aduerſariorũ,ſed cogitemus, quòd quemadmodũ Chriſtus fuit in hoc ſeculo imbecillis in ſua perſona, ita etiam uelit adhuc in mẽbris ſuis imbecillis eſſe. Sed quid? Num hęc imbecillitas Chriſti eſt perpetua? Nihil minus. Quẽ.n. uidemus nunc inſidias aduerſariorum fugere,& poſtea capi ac mori,eum uidebimus paulò pòſt,clariſsimã uictoriam à morte reportare,in cœleſtẽ ſublimitatẽ extolli, & ad dexterã Dei ſedere,ac omnia tam in cœlo q; in terra ſibi ſubijcere. Sicut autem

Chriſti fuga.

Chriſti imbecillitas.

non

nō fuit perpetuò in ſua perſona imbecillis, ita non eſt perpetuò in membris ſuis imbecillis, ſed ſeruabit ea ut potenter, ſic & opportunè. Si commortui ſumus, inquit Paulus, & conuiuemus, ſi ſufferimus, & conregnabimus. Et iterū: Noſtrum politeuma eſt in cœlis, unde et ſeruatorem expectamus Dn̄m Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus noſtrū humile, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficaciā, qua poteſt ſibi ſubiȷcere omnia. Quare in imbecillitate noſtra nō ſunt defigēdi oculi in externa rerū ſpectacula, quę cum uideātur horribilia, ſollicitare nos ſolent ad abiȷciendam omnem ſpem ſalutis, ſed defigēdi ſunt in maieſtatē Chriſti, quam recepit ſe cum omnibus iȷs, qui in ipſum credunt cōmunicaturum. Inſtabat autem Paſcha Iudęorum, & aſcenderūt multi Hieroſolymam è regione ante Paſcha ut purificarent ſe. Hoc eſt illud Paſcha, quo Chriſtus poſtea mortem ſubiȷt. Nō eſt autem opportunum nec neceſſarium, ut hoc loco totam Iudaici Paſchę rationē explicemus, quo Iſraelitę ueſcebantur agno Paſchali. Dicamus tamen quædam de purificatione, cuius hīc fit mētio. Nam in eſu agni Paſchalis, nullus datus eſt locus immundis & impuris. Habebantur autem immūdi, qui uel non erant circūciſi, uel tetigerant morticina, uel laborabant impuro morbo aut fluxu: denicꝫ contrahebat immundicies in lege Moſaica multis aliȷs rebus, quas nō eſt opus hoc loco cōmemorare. Quod.n. ad eſum agni Paſchalis attinet, arcebantur ab eo incircumciſi, quēadmodum ſcriptum eſt in Exodo cap.xiȷ. Si quis (inquit) circūciſus nō fuerit, non ueſcetur ex eo. De aliȷs autem immundis ſcriptum eſt in Numeris cap.nono. Tanta enim ſeueritate obſeruatū eſt, ut non niſi mūdi ueſcerentur agno Paſchali, ut lex maluerit celebrationem feſti Paſchæ reiȷcere in ſecundum menſem, quàm ferre, ut immundis daretur locus in eſu agni Paſchalis. Et cū Ezechię temporibus contingeret, ut ne in ſecundo quidem menſe omnes mundi eſſent, neceſſe habuit Ezechias immūdos publica oratiōe expiare ac ſanctificare. Orauit, inquit ſcriptura, pro eis Ezechias dicens: Dominus bonus propiciabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deū patrum ſuorꝫ, & non imputabit eis, cꝫ minus ſanctificati ſunt. Porrò ſanctificatio & purificatio in lege fiebat uariis cęrimoniȷs. Incircumciſus neceſſe habebat circumcidi. Leproſus, mūdabatur ſacrificiȷs & aſperſione ſanguinis. Aliȷ mundabant aqua expiationis, de qua eſt in Numeris cap.decimonono. Quod cū ita ſe haberet in lege Moſaica, non eſt nūc obſcurum, quid ſibi uelit, quòd Euāgeliſta hoc loco dicit, multos Iudęos aſcendiſſe ante feſtum Paſchæ ad Hieruſalem, ut ſe purificarent, uidelicet hoc egerunt, ut ab immundicia ſuis ritibus ſanctificati, redderentur mundi & idonei ad ueſcendū agno Paſchali. Sed quemadmodū eſus agni Paſchalis fuit cęrimonia per ſe nec iuſtificans nec ſanctificans ueſcentem, ita nec externus ille & Moſaicus ritus purificationis emundabat hominem coram Deo. Primum enim hęc cærimonia erat tantum ciuilis quędam mūdicies, propter quam dabatur ei, qui antè immundus iudicatus fuerat, locus in publica Eccleſiæ cōgregatione. Deinde adumbrabat ueram emundationem, quæ fit per fidem propter ſolum Ieſum Chriſtum. Veſci eī agno Paſchali, eſt frui benefi-

Agni Paſchalis eſus.

2. Paral. 30

cĳs Christi, qui est uerus agnus paschalis. Beneficia autẽ Christi sunt, remissio peccatorum, iusticia, liberatio, salus, perpetua uita & fœlicitas, quibus certè nemo frui potest, nisi fuerit antea purificatus & sanctificatus. Sanctificamur aũt tribus præcipuè rebus. Vna est, agnitio sordium, hoc est, peccatorum nostrorum. Ergo, qui aut putant se meritis suę iusticię sanctos, aut impudenter peccant, nec uolũt propter peccata reprehẽdi, sed defendunt ea, hi nõ sunt idonei ad esum ueri agni paschalis, & nõ fruuntur beneficĳs Christi. Altera est fides in Iesum Christum, & propter hunc solum reputemur corã Deo iusti, & mundi à sordibus peccatorum. Ergo, qui contemnunt Iesum Christum, nec obediunt Euangelio eius, hi non sunt præparati ad uescendũ agno paschali, hoc est, ad fruendũ beneficĳs Christi. Tertia est, honestas uitę ex spiritu Christi. Hæc honestas etsi per se non sanctificat hominem coram Deo, tamen ubi est uera fides in Christum, ibi necessario sequitur honestas uitę, quæ etiam Deo grata est propter Christum. Ergo, qui gloriãtur nomine Christi, & tamen pergunt conscelcratam uitã agere, hi non sunt idonei, ut edant agnum paschalem, & fruantur beneficĳs Christi. Non est autẽ uno tantum tempore agnoscendum peccatum, credẽdum in Christum, & uiuẽdum honestè, ac piè: sed hoc est officium nostrũ, quod toto uitæ nostræ tempore agendum erit. Quare tota mente in hoc studium incumbendũ est, ut quicquid id est officĳ, diligentissimè faciamus, quo detur nobis locus in esu cœlestis agni. Sed reuertamur ad Iudęos. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur inter se, in templo stãtes: Quid uidetur uobis, quòd nõ uenerit ad diem festum? Vt sunt uaria hominum ingenia, ita uaria sunt studia eorum, qui quęrunt Iesum. Alĳ quęrunt eum nouitatis studio, ut uideant illum, quem audiuerũt mortuos excitare. Alĳ, ut prodant eum Põtificibus & Phariseis. Alĳ, ut hac occasione exprobrẽt populo suam credulitatem, qui sentiebant Iesum esse uerum Christum. Pontifices enim non solum decreuerant se interfecturos Iesum, sed etiam ediderant mandatum, quo iubebant indicari, ubi Iesus esset, ut comprehenderetur. Cum autem Iesus nõ ueniret ad Hierusalem eo tempore, quò alĳ, ante diem festum Paschæ, arripiunt occasionem calumniandi eum, & significandi populo, quòd non possit esse uerus Messias. Stãt enim in templo, quasi iam uicissent, & dicunt: Quid uidetur uobis, quòd non uenerit ad diem festum? Hoc autem uolunt dicere. Quid? Vos qui è uulgo estis, creditis hunc Iesum esse Messiã, sed ecce uobis eum. Metuit, fugit, latet, nõ audet prodire in lucẽ. Si esset uerus Messias, quis posset ei obsistere? quis posset in eũ manus inĳcere? Dictũ enim est de Messia: Dominabitur inmedio inimicorum suorum. Dominabitur à mari usq; ad mare. Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terrã lingent. Confundantur & deficiant detrahentes animę meę, operiantur cõfusione & pudore, qui quęrũt mala mihi. Hęc & multa id genus alia de Messia scripta sunt. Nunc aũt hic Iesus metuit minas inimicorũ suorũ, & quærit sibi salutem fuga, ut manifestè appareat, quòd succumbat hostibus suis. Quare fieri nõ potest, ut sit uerus Messias. Habes sententiam calumniatorũ. Sed cur Iesus Christus recesserit antea ac fugerit, suas habet, easq; iustas

Sanctificatio quomodo fiat.

Hominũ studium uariũ quærendi Iesum.

Iudæorum calumnia de fuga Iesu.

iustas & diuinas causas, quarum nõnullas suprâ exposuimus: hoc autẽ loco considerãdum nobis est, quàm iniquè iudicet hic mũdus de factis Iesu Christi. Non potest in eo ullam imbecillitatẽ ferre, nec potest quicquam candide interpretari. In alijs fuga periculorũ iudicat esse prudẽtia laude digna. Hic, inquiunt, uir est prudentissimus, qꝙ in tempore prouiderit se è medio. Hic est fortunatus, qꝙ opportunè euaserit manus inimicorum suorum. In Iesu autem damnatur fuga periculorum, & iudicatur esse argumentum, quo probetur, eum non esse uerum Messiam. Quid hoc iudicio magis peruersum? Nam scriptura, quæ concionatur de maiestate Messię, ea cõcionatur etiam de humilitate & imbecillitate eius. Quę res manifestior est, quàm ut debeat hoc loco multis explicari. Quod autem Iesu Christo accidit, idem etiam membris eius in hoc mũdo accidere solet. Non potest.n. mũdus in his qui credũt in Christum, & ueram pietatem profitentur, ferre aliquam imbecillitatem aut leue aliquod erratum. Si quid ab his rectè aut mediocriter fit, obnoxiũ est calũnię, & rapitur in pessimam partẽ. Si quid erratur, hîc omnes exclamare solent, Hoccine est Christianũ? hoccine est Euangelicũ? Itaqꝫ cum mundus non solum ferat in suis grauissima quæqꝫ scelera, sed etiã defendat, aut si id non potest, excusset ac extenuet ea, non potest tñ ferre in professoribus uerę pietatis, uel cõmune erratum, uel etiam non iniquè factũ. *Mundus peccata doctorum leuissima calumniatur.*

Non est autẽ res miranda: Hic enim mundus est regnum Satanę, quippe qꝙ Satan sit huius mundi princeps. Vbi autem Satan dominatur, ibi necesse habent pij multas & graues ferre afflictiones. Et sciunt pij, se peregrinos in terris agere. Inter extraneos autem facilè inuenias inimicos, qui non data tm̃, sed etiam arrepta occasione in te inuehãtur. Quare cũ hęc sit in hoc mundo piorũ conditio, debent summam dare operam, nõ ut indiscriminatim omnibus hominibus etiam impijs placeãt, sed ut rectè faciant, ac Dño Deo suo placeãt: deinde si errauerint alicubi, quis. n. est qui non peccet? conferant omne studium suum ad resipiscendũ, ut si ue Satã, siue organa eius, impij homines, in ipsos uel calumnijs, uel alijs iniurijs grassanť, diuinitus cõseruentur. Sed audiamus nunc, quod Euãgelista in fine huius capitis addit: Dederant autẽ Pontifices & Pharisæi cc
pręceptum, ut si quis cognouisset, ubi esset, indicaret, ut cõprehenderẽt cc
eum. Quid ergo hoc pręcepto effectum est? num cõprehenderunt eum cc
ante suum tempus? Nihil minus. Etsi enim Iesus secessit in ciuitatem deserti, tamen uersabatur in ea nec ociosus, nec obscurus, Concionabatur, edebat miracula, quemadmodum alij Euangelistę testantur. Post, redit ad Bethaniam. Ingreditur urbem Hierosolymam asello. Ejcit uẽdentes & ementes è templo. Concionatur in templo. Ac postꝫ exijsset urbem, iterum reuertitur in eam, & edit tandem in ea agnum Paschalẽ publicè & liberè, nec quisquam est, qui manus in eum injciat, & comprehendat ipsum, donec tempus illud aduenit, quod à Deo cõstitutum erat. Vides igitur mandatum Pontificum fuisse uanissimum. Hoc autẽ duplici nomine obseruandum est. Primum, ut simus forti & firmo animo in minis aduersariorum. Si quis enim Christi membrum est, tantę curę est Deo, ut aduersarij ne pilum quidem capitis eius mouere possint, nisi accepe-

rint potestatem à Domino. Non datur autem eis potestas à Domino in pios, nisi si cogitet magna piis beneficia conferre. Quare minæ aduersariorum non sunt metuendę, sed potius metuendum & cauendum est, ut aduersus Dominum non peccemus, sed in uocatione eius pergamus & perduremus. Deinde prodest hoc diligenter cognoscere, ut compescamus cupiditatem inferendi mala hominibus. Ponamus enim huc in medio hominem, qui cogitat malis afficere proximum suum. Quęso igitur te, considera cum animo tuo, quàm uanum, quámque tibi ipsi perniciosum laborem suscipias. Aut enim Deus nondum statuit mala seu aduersa proximo tuo immittere, Quis igitur tu es, qui posses obsistente Deo proximum affligere? Aut Deus statuit aduersa proximo tuo immittere: Accidēt ergo ei aduersa etiam sine tua cooperatione. Quòd si autem tu prętera manum tuam admoues, & proximo contra legem Dei malefacis, nihil certius est, quàm quòd malum tādem in te recidat. Voluit Deus unigenitum filium suum cruci & morti obiicere. Prębuerunt autē se organa ad hanc rem perficiendam Pontifices ac Pharisęi, idq; ex impietate & inuidia erga filium Dei. Quid ergo factum est? Crucifixus quidem est & mortuus filius Dei, sed hic euasit crucem & mortem magna maiestate, illi autem coniecti sunt in perpetuam mortem & infernum. Voluit Deus affligere Dauidem, Cui rei perficiendæ prębuit sese organum Absolom filius eius, qui et patrē è regno expulit. Quid ergo factū est? Abiit quidē Dauid in exilium, sed paulò pòst reuersus est in regnū magna gloria, Absolom autem pependit. De impiis malefactoribus dicit Psalmus: Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde. Sequitur aūt: Dominus pluet super peccatores laqueos. Ignis & sulphur & spiritus procellarū pars calicis eorum. Et iterū de malefactore dicitur: Ecce parturit iniusticiam, cōcepit dolorem, & peperit iniquitatem. Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor in caput eius, & in uerticē ipsius iniquitas eius descēdet. Quare abstineamus manus ab inferendo malo proximis nostris, studeamus aūt eis benefacere, ut nobis uicissim benefiat per Iesum Christū Dominū nostrum, qui est unà cum patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Aduersariorum minæ non metuendæ.

CAVPT XII.

HOMILIA VII.

AEpe & multū concionatus est Christus discipulis suis, cę esset in Ierusalem, urbe Prophetarum cæde illustri, crucem & mortem subiturus. Venit enim in hunc mundum, non ut ageret externum Monarchā in terra, nec ut iucundam uitam duceret in carne, sed ut susceptra humana imbecillitate, afficeretur morte, quo expiaret peccata nostra, & reconciliares nos cum Deo Patre suo. Postquàm igitur hi festi dies

Paschæ,

Paſchę,quibus diuinitus conſtitutum erat,ut Chriſtus filius Dei interficeretur,appropinquarent,ſuſcipit ſua ſponte profectionem ad urbem Hieroſolymam,ut uolũtati & uocationi Dei patris obſequeretur. Ac ſe ceſsit quidem antea nonnunq̃,& fugit aduerſarios ſuos,nunc autem incipit ſeſe ultro eis offerre,ut palàm ſignificet,ſe non fugiſſe antea impio metu mortis,ſed pia prudẽtia declinaſſe pericula. Ieſus ergo antè ſex dies Paſchę(hoc eſt ſex diebus ante Paſcha) uenit Bethaniã, ubi Lazarus fuerat mortuus,quem ſuſcitauit à mortuis. Hęc eſt illa profectio uerſus urbem Hieroſolymam,in qua profectione Ieſus manifeſtè concionatus eſt diſcipulis ſuis,quę ſibi Hieroſolymis eſſent euentura. Ecce (inquit) aſcendimus Hieroſolymã,& filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis,& condẽnabunt eum ad mortem,& tradent illum gẽtibus,& illudent illi,& flagellabunt eum,& inſpuent in illũ,& occident eum,& tertia die reſurget. Etſi autem diſcipuli hęc non intelligebant, tamen quia ſciebant prȩceptorem ſuum in magna eſſe inuidia apud Põtifices,ac iam uulgatum eſſe à Pontificibus edictum,ut cõprehenderetur, ſequebantur eum pauefacti,ut Marcus ait,& magno timore perculſi. Primum igitur,uides in diſcipulis exẽplum humanę imbecillitatis & incredulitatis. Diſcipuli enim agnoſcebant hũc Ieſum pro uero Meſsia,habebãt promiſsiones eius, Veſtri etiã pili capitis omnes numerati ſunt. Et: Qui in me credit,non perit,ſed habet ȩternam uitam: ſciebant miracula eius, fuerant antea ſępè in periculis maris, & in fame mirabiliter ſeruati, attamẽ ſunt tam imbecilli animo, ut ſequantur quidem Ieſum uerſus urbem Hieroſolymã,ſed magna trepidatione. Quid eſt,quod nõ ſint fortiores? In promptu cauſa eſt,quia non ponunt ſibi ob oculos conciones Chriſti,non certitudinem promiſsionum eius,non miracula eius,nõ ueritatem Propheticorum dictorum de Chriſto, ſed defigunt & intendũt animos tantum in minas & edicta Pontificum,& in pericula,quę Hieroſolymis uidebantur propter Chriſtum ipſis euẽtura. At enim ſi quis forti animo,ut debemus,uocationem Dei ſectari uoluerit, non eſt ei reſpiciendum in humanas minas,& externa pericula,ſed in diuinum uerbũ, quo ambulanti in uocatione Dei omne cœleſte auxiliũ promiſſum eſt. Inuoca me,inquit,in die tribulationis,& eruam te,& honorificabis me. Quòd ſi quis autem uoluerit metuere pericula, metuat magis grauiora q̃ leuiora. Ne metuatis,inquit,uobis ab his,qui occidunt corpus,animã autem non poſſunt occidere,ſed metuite magis illum,qui poteſt & animam & corpus perdere in gehẽna. Deinde habes in Chriſto exemplũ diuinę clementię. Diſcipuli merebantur propter hũc importunum metum non reprehendi tantum,ſed etiam abiici, Chriſtus autẽ tolerat imbecillitatem eorum clementiſsimè, ut perſpicuè doceat,ſe nõ ueniſſe in hunc mundum propter ſanos, ſed propter infirmos, ideoq̃ non debemus in infirmitatibus noſtris animum deſpondere,ſed quãto maior eſt infirmitas,tanto certior nobis ſalus per Chriſtum ſperanda eſt. Fecerũt autem ei cœnam ibi,& Martha miniſtrabat,Lazarus uero unus erat de numero diſcumbentium cum eo. Iterum cõmendatur pietas & hoſpitalitas duarum ſororum,Marię ac Marthæ & fratris earum Lazari, erga

Diſcipulorũ Chriſti imbecillitas,& incredulitas.

Chriſti clementia.

Iesum Christum. Nec recensentur nomina eorũ ociosè. Marthę tribuitur ministerium mensę, pro ueteri eius sollicitudine. Lazarus commemoratur inter discumbẽtes, ut rursus admoneamur de ueritate miraculi in ipso editi. Lazarus enim non euanuit ex oculis hominum post excitationem eius, sed uixit superstes Ecclesię, exercuit uera opera uitę, edit & bibit cum alijs hominibus, ut manifestè cognosceretur, quòd non fuerit spectrum, sed uerè à morte excitatus. Reliquum igitur est, quòd cum miraculum in Lazaro editum, sit certum ac uerum miraculum, doctrina etiam Iesu Christi, qui hoc miraculum edidit, sit certa ac uera. Maria autem soror Marthę & Lazari prȩcipuas habet partes in cœna, quippe quòd propter factum eius hęc cœna ab Euangelista commemoretur.

» Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistię preciosę, & unxit pe-
» des Iesu, & extersit capillis suis, domus aũt impleta est ex odore unguen-
» ti. Non disputabimus nunc, utrum hæc unctio alia fuerit, quàm ea,
quę à Matthæo & Marco describitur in domo Simonis leprosi facta.
Pedes lauare. Rem ipsam considerabimus. Gentilitius mos erat, honestis hospitibus pedes lauare. Ex quo illud Pauli est, quod de uidua scribit: Si fuit hospitalis, si pedes sanctorum lauit. Sic & Christus, cum significare uellet, se discipulos excepisse quasi hospitio, & cupere ipsis ministrare, lauit pedes eorum. Itaq; Maria soror Lazari, postquam excepisset Iesum Christum hospitem lõgè omnium honestissimum, non usa est uulgari aqua ad lauandos pedes eius, sed ut testaretur summum & ardentissimũ amorem suum erga Iesum, pro aqua utitur unguento optimę nardi, quod habebat inter prȩcipua χειμήλια sua repositum. Valebat enim, ut postea sequitur, trecentis ferè denarijs, hoc est, si ad nostrum nomisma conferas, triginta septem aureis Rhenanis. Huic tam precioso unguẽto nõ peper cit Maria, sed effudit ipsum uelut aquam in pedes Iesu, ad quos extergẽdos pro linteamine usa est suis ipsius capillis, ut hoc spectaculo declararet quanta fide & beneuolentia Iesum amplecteretur. Oritur ergo disputatio de hoc opere Mariæ, utrum sit opus bonum, an malum. Sunt aũt hîc diuersæ sententiæ. Nam Iudas & nõnulli alij prorsus damnant hoc
» opus. Sic enim sequitur: Dicit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Simo-
» nis Ischariotes, qui erat eum proditurus: Quare hoc unguentum nõ ue-
» nijt trecentis denarijs, & datum est egenis? Iudas sentit improbè factum
q̃ mulier tam precioſum unguentũ in pedes Iesu effuderit. Et addit causam, Deus prȩcepit, ut iuuemus pauperes. Potuisset hoc unguentum uenundari magno, & dari pauperibus. Quod certè multo utilius, & Deo
Iudæ peccata et scelera. gratius fuisset, cũ q̃ quòd tam temere est in pedes & terram effusum. Quid uidetur posse religiosius dici? Et quis negat pauperibus esse benefaciendum? Sed Iudas omni scelere coopertus est. Primum enim impiè abutitur nomine pauperum, imo præceptoDei de Pauperibus, ad tegendam
» & uelandam cupiditatem suam. Sequitur enim: Dixit autem hoc, nõ q̃
» pauperes illi curę essent, sed quia fur erat, ac marsupium habebat, eaque
» quæ mittebantur portabat. Exemplum Iudæ sequuntur hi magistratus ac officiales, qui nomẽ reipub. prætexunt suæ uel inuidiæ, uel auariciæ, uel tyrannidi. Sequuntur & hoc exemplum Pontifices Euangelij persecutores,

cutores, qui prętexunt nomen Christi suę ambitioni & impietati, ac dicunt se quęrere tantum gloriam Christi, cum interim in hoc solum studium incumbant, ut suam dignitatem imposturis partã tueantur. Hi autem, uno facto uaria & horrenda peccata designãt. Peccant enim uel ambitione, uel inuidia, uel furto, uel tyrannide. Et peccãt blasphemia nominis aut uerbi Dei, quòd abutãtur nomine aut uerbo Dei ad operculum peccati sui. Deinde Iudas prodidit sordidum suum ingenium, quòd existimat hoc demum esse honestũ, quod est quæstuosum. Potuit, inquit, hoc unguentum uenundari trecentis denarijs. Ergo sentit pecuniam parare, pręcipuam esse honestatem & utilitatem. Iudam imitantur hi, qui inter opifices aut negociatores non curant, quãm piam negociationem, sed quàm quęstuosam sectentur. Imitantur & hi Iudam, qui inter studiosos bonarum artium, deserunt studium sacrarum literarum, & sectãtur alia studia, hac tantum causa, quòd uideant sacras literas esurire & algere, alia autem studia facere magna compẽdia. Hi sunt uerè sterquilinia, quine cum honestis quidem Ethnicis conferendi sunt. Honestas enim non est metienda pecunia, sed ut Ethnici loquuntur, uirtute, ut nos autem loquimur, uoluntate Dei, lege & uerbo Dei. Prętera Iudas committit furtum. Fur, inquit, erat, ac marsupium habebat, eaq; quę mittebantur, portabat. Qui autem furatur publicam pecuniam, curæ suæ demandatam, nõ committit simplex furtum, sed peculatum, ac sacrilegiũ. Adhęc Iudas est ingratus (quid autẽ uitio ingratitudinis aut maius aut turpius?) in Dominum ac pręceptorem suum. Accepit enim multa & magna beneficia à Iesu Christo. Non commemorabo iam illa beneficia, quę sunt Iudę cum alijs hominibus cõmunia, uidelicet, quòd per Christum sit homo creatus, & hactenus in uita cõseruatus, sed de his dicam, quę Christus in ministerio Euangelij in Iudam contulit. Elegit eum in Apostolum suum. Dedit ei donum ędẽdorum miraculorum. Cõmendauit ei tanquam diligentiori curam fisci. Egestas eius, beneficio Christi hactenus sustentata est. Quę enim conferebãtur in fiscum, quo Christus & Apostoli usi sunt, ea non propter Iudam, sed propter Christum conferebantur. Et tamẽ, cum tot beneficijs fuerit à Christo affectus, tantę est ingratitudinis, ut non possit æquo animo ferre iacturam aliquot aureorum numorum, qui in Christum impendebantur. Nõ dissimilis ingratitudo est liberorum in parentes. Etsi enim parentes educarũt liberos magno labore & sumptu, ac etiam elocarunt honestè, liberi tamẽ solent aliquoties tam ingrati esse, ut in parentes ægritudine & senectute grauatos, ne paucorum quidem argenteorum sumptum faciãt. Eadem ferè ingratitudo est populi erga suum magistratum. Nam quicquid populus facultatũ possidet, hoc possidet beneficio quidem Dei, officio autem magistratus, qui tuetur publicam tranquillitatem. Sed uide populi ingratitudinem. Si quid conferendum est ad publicam necessitatẽ, ibi non audias nisi murmura, conuicia et maledicta. Quid dicam de ingratitudine Ecclesię erga suos ministros? Mediocres sunt opes Ecclesiasticę, quæ adhuc relinquę sunt. Ex his, si ministris, quorum officio cœlestia nobis bona diuinitus conferuntur, aliquid ad sustentandam ipsorũ hone-

Iudas imago impiorũ magistratuum, Officialium, Pontificum, &c.

Christi beneficia collata in Iudam.

ſtatem numerandum eſt,continuo uociferari ſolent: Quis auarior eſt ſacrificulis? quis cupiditatem eorũ explere poteſt? Sed interim, qui ſic miniſtros Eccleſię accuſant auaricię,in hoc præcipuè ſtudium incumbere uidentur,ut ipſi Eccleſiaſticis opibus fruantur. Exiſtimas ne Dominũ Deum noſtrum tantam ingratitudinem impunè laturum? Nõ feret, nõ feret,inquam. Domus mea,dicit Dominus Zebaoth,deſerta eſt,& uos unuſquiſque feſtinatis in ſuam domũ,propter hoc ſuper uos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem, & terra prohibita eſt,ne daret germen ſuũ, & uocaui ſiccitatem ſuper terram,ſuper montes,& ſuper triticum,& ſuper uinum,& ſuper oleum,& quęcunq; profert humus, & ſuper homines,& ſuper iumenta,et ſuper omnem laborem manuũ.De peccatis quidem & ſceleribus Iudæ hactenus.Sed priuſquam à ſententia Iudę ad exponendam ſententiam Chriſti ueniamus,non eſt prętereundũ, q̃ in ea unctione,quam alij Euangeliſtæ deſcribunt,ſignificetur nonIudam tantum,uerumetiam alios diſcipulos indignatos fuiſſe,& de effuſione tam precioſi unguenti uociferatos:Ad quid perditio hæc? Veriſimile igitur eſt,q̃ unus Iudas initio de effuſione unguẽti, hoc quod diximus,clamauerit,alij autem nonnulli clamore eius excitati ſunt, ut & ipſi indignarẽtur.Hoc illud eſt,quod Salomon dixit: Vnus peccator,perdit multa bona,ſicut muſcę mortuę perdunt ſuauitatem unguenti. Alij enim diſcipuli per ſe quidem bene conſuluiſſent effuſionẽ unguenti. Sed quia habẽt in cõtubernio ſuo Iudam clamatorem et calumniatorem,fiunt & ipſi clamatores & calũniatores,ſecundũ id quod uulgo dici ſolet: Si iuxta claudum habitaueris,fies & ipſe claudus.Fugiamus igitur cõtubernia malorum,ne ſimiles ipſorum contagione efficiamur. Quod cũ ita ſe habeat,

Cõtubernia malorum fugienda.

» audiamus nũc ſententiam Chriſti de opere Marię.Dixit ergo Ieſus: Si» ne illam,In diem ſepulturę meę ſeruauit iſtud. Pauperes enim ſemper» habetis uobiſcum,me uero non ſemper habetis. Longè alia eſt ſentẽtia Ieſu Chriſti,quàm Iudæ Iſchariotis,de opere Mariæ.Hic enim uocato pus perditum,Ieſus autem,Bonum,inquit,opus operata eſt erga me.Et addit cauſam:In diem,inquiẽs,ſepulturę meæ ſeruauit iſtud.hoc eſt,ualde opportunè effudit in me hoc unguentum.Ego.n. paulo poſt moriar & ſepeliar.Solenne autem eſt,ut mortui condantur aromatibus.Sic eñ poſtea ſcribit Ioannes de Ioſeph & Nicodemo:Acceperũt,inquiẽs, corpus Ieſu,& obuinxerũt illud linteis cum aromatibus,ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.Quod ergo alij mortuis impẽdunt,hocMaria mihi adhuc uiuo impendit,ut ſignificetur me nõ diu uicturum in hac terra, ſed breui moriturum,& ſepeliendum. Quantum obſecro ſumptus inſumptũ eſt iam inde à temporibusPatriarcharum,in ſacrificia boum,ouium,caprarum,agnorum,& aliarum rerum? Hæc fuerunt ſuauiſsimus odor corã Deo,nõ propter boues ipſos aut capras,ſed propter mortẽ meam, quã adumbrabant. Si autem ſacrificia, quæ tanto ſumptu conſtiterunt,fuerunt bona opera,propterea quòd ſignificarent meam mortem,cur non & hæc unctio Mariæ inter bona opera numeraretur,cũ ſignificet me ſepeliendum? Quid ergo dicemus? Si omnia ea ſunt uerè bona opera, quæ adumbrant paſsionẽ,mortem & ſepulturam Chriſti,magnã habebunt

Sacrificia mortis Chriſti adumbratio.

bunt laudē hypocritę in Christianismo, ꝙ instituerint tot cærimonias, quibus totam historiā passionis Christi spectatoribus ob oculos posuerunt: Sculpserunt imagines, proposuerunt picturas, instituerūt uestes Missaticas, ordinârunt pulsus campanarum, fecerūt etiam publicos ludos, quos uocarunt, Paschales, et multa alia, quibus uoluerūt passionē, mortē & sepulturā Christi adumbrare. Dicemus ne ista omnia esse bona opera, & Deo grata? Sed longe alia est ratio horum operū, quàm unctionis Marię. Primum enim, ante mortem Christi adhuc erat tempus umbrarum, & typorum. Nunc autem, postꝙ Christus mortuus est & resurrexit, ac uulgauit Euangelion suum in totum orbem terrę, non est amplius tempus umbrarum, sed clarissimę & manifestissimę ueritatis. Nox abijt, dies autem appropinquauit. Quare, si quis ea, quę in Euāgelio Christi reuelata sunt, nouis & à seipso excogitatis typis ac figuris intelligenda proponat, is magis obscurat ea, ꝙꝑ illustrat, ac Soli clarissimè lucenti nubes suas & nebulas opponit. Deinde Maria fecit opus suū ex summa fide & caritate, quam habuit erga Iesum. Credidit enim eū esse Christum seruatorem suum, & ꝙ propter ipsum solum consequatur ueram salutem, ideoꝙꝑ complexa est ipsum, ut honestissimo, ita etiam ardētissimo amore, quē ut palàm declararet, non pepercit preciosissimo suo unguento. Hypocritę autem non faciunt sua opera ex uera fide in Christum, sed potius contra fidem in Christum. Faciunt enim ea, non quòd credāt solam Christi mortem esse expiationem peccatorum, & meritū uitę ętęrnę, sed ꝙ sentiant, hęc sua opera, quæ ipsi faciunt, esse tanti meriti coram Deo, ut expient peccata, & impetrent ętęrnam uitam. Hoc autem est cōtra fidem in Christum. Quare opera hypocritarū haudquaꝙꝑ conferenda sunt cum opere Mariæ. Nam hęc demum sunt Deo grata opera, quę ex uera fide & caritate non simulata proficiscuntur. Cęterū, postquàm Christus ostendit opus Marię esse bonum, & sibi gratum, refutat etiam rationē ludę. Dixerat hic: Potuit dari pauperibus. Christus uicissim respondet: Pauperes semper habetis uobiscū, & quandocunꝙꝑ uolueritis, potestis illis benefacere, me uero non semper habetis. Quid? An Christus non est caput suę Ecclesiæ, & semper cum Ecclesia usꝙꝑ ad consummationem seculi? Cur ergo dicit, Me non semper habetis? Non subducit se his uerbis à sua Ecclesia, sed uaticinatur de morte sua, & significat se in eam gloriā ingressurum, in qua nullis corporalibus officijs, sicut in hac corporali uita, indigeat. Proponit aūt pręcipuè tria his uerbis obseruanda. Vnū est, ꝙ cum approbat factum mulieris, & dicit, Me nō semper habetis, significet, hoc officium nec importunè, nec iniustè in ipsum collatum esse. Quis enim est, qui hęc uerba dicit? ME, inquit, non semper habetis. Quem autē me esse didicistis? Quem me esse creditis? Docui me esse uerū Christū, & confirmaui hoc miraculis. Ac uos nunc ita creditis. Quid autem est de Christo scriptum? Et quę officia Christo debentur? Reges Tharsis, inquit Psalmus, & insulę munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes seruient ei. Ac mox: Et uiuet & dabitur ei de auro Arabię. Et Esaias: Omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes,

Typi & figuræ in Papatu obscurant ueritatem.

Christo quæ officia debeantur.

& laudem Domino adnunciantes. Si Reges honorabunt Christum auro, ut declarent suam erga illum beneuolentiam & obedientiam, cur reprehenditur mulier, quòd honoret Christum unguẽto? Psalmus dicit de Christo: Postula à me & dabo tibi gentes hęreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terrę. Et iterũ: Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues & boues uniuersas, insuper & pecora campi. Si Deus subiecit sub pedibus Christi sui omnes creaturas cœlestes & terrestres, quomodo peccasset mulier, cp subiecerit sub pedibus eius unguentum, quantũuis precio sum? Quare qui damnat opus mulieris, is aut nõ credit me esse uerum Christum, aut si credit, longè omnium est ingratissimus & impudentissimus. Alterũ est, cp Christus doceat his uerbis, dare eleemosynam mẽdicis, quos ludas nomine pauperũ intelligit, nõ esse tantum bonum opus, sed multa etiã alia esse bona opera. Pauperes, inquit, semper habetis, me autem non semper habetis. hoc est, Volo quidem & ipse, ut pauperibus benefaciatis. Non est autem existimandum, quòd is tãtum faciat bonum opus, qui mendico largitur unum aut alterum obolũ, sed sunt infinita alia tum fidei, tum caritatis opera, quę pro uerè bonis operibus habenda sunt. Abraham inuitauit in domum suam tres peregrinos uiros, & instituit eis conuiuiũ minimè sordidũ. Quid? num occines ei, hunc sumptum impendendum fuisse pauperibus? At hęc Abrahæ hospitalitas fuit Deo gratissima. Parauit postea Abrahã amicis grande cõuiuium in die ablactationis filij sui. Quãto putas sumptu hoc cõuiuium constitisse? Cur non expendit in pauperes? at habuit etiam pauperũ rationem, & fuit hoc conuiuium, opus caritatis ac ciuilitatis. Non probantur conuiuia prẹter modum sumptuosa, sed commendatur caritas & honestas. Diliges, inquit lex, proximum tuum sicut teipsum. Quare nõ id tantum iudicandũ est bonum, cum unus & alter numus numeratur mẽdico, sed bonum est, quocunq; secundum sententiam uerbi Dei declaueris ueram tuam fidem erga Deum, & synceram caritatem erga proximum. Postremo docet & hoc Christus, cp ueræ pietatis sit, non tam absentium pauperum, quàm præsentium amicorum rationem habere. Vide enim mihi prẹposteram pietatem ludę. Etsi enim pauperes non erãt ei curę, tamen fingamus nunc eum hoc egisse, ut pauperes iuuẽtur, quid est, quòd maiori ei curę sint pauperes absentes, & adhuc ignoti, cp præsens optimus & notissimus amicus ac prẹceptor? Idem faciũt hi diuites, qui malunt instituere publicas eleemosynas, quibus iuuentur pauperes post quinquaginta aut centum annos futuri, q̃ iuuare prẹsentes suos cognatos aut amicos, qui nũc hoc tempore degunt uitam in egestate. Sunt alij, qui prẹtextu iuuandę Ecclesię instituunt publica stipendia, qubus alantur adolescentes, ut in futurum ad Ecclesiã aut rempub. accedant, interim autem sinunt prẹsentes pastores & ministros Ecclesiarum esurire & algere. Magna quidem ratio habenda est piorum studiorum. Curandum etiam est, si fieri potest, ut pauperes pòst futuri habeant sua alimenta: sed prẹ his negligere prẹsentes, hoc demum dignum est reprẹhensione. Nam quemadmodum Christus ad Iudam dicit, pauperes semper habebis, me autẽ non semper habebis, ita ad hos prẹpostere sollicitos dici

Opera multa caritatis.

Præsentes iuuandos esse.

potest,

poteſt,Pauperes & ſtudioſi ſemper erunt,cognati autem tui & amici, ac preſentes miniſtri Eccleſię non ſemper tecũ erunt. Quare danda eſt opera,ut noſtrum in præſentia officium faciamus, quod etſi complectitur etiam curam poſteritatis,tamen maximè omnium exigit,ut id non prętermittamus,quod primum,ac ſummè eſt neceſſarium. Imitemur exemplum Marię:Domus,inquit Euangeliſta,impleta eſt ex odore unguenti. Vnguentum eſt bona fama. Salomon ait:Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta precioſa. Viuamus piè et honeſtè,ut ſimus bonus odor Chriſti,quo odore domus Eccleſię ita impleatur, ut etiam hi,qui foris ſunt,ad Eccleſiam inuitentur. Pergamus obedire vocationi Chriſti. Nõ deterreamur à noſtro officio calumnijs ſycophãtarum. Calũniatus eſt Mariam Iudas,ſed Chriſtus defendit eam grauiſsimè. Defendemur & nos corã uniuerſa creatura in cœlo & in terra,ſi modo normã uerbi Dei piè & conſtãter ſectemur,per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula,Amen.

HOMILIA VIII.

QVOD Chriſtus ad Iudam dixit:Pauperes ſemper habebis, me aũt nõ ſemper habebis,ſic dictũ uidetur,perinde ac ſi magiſcõmendaretur ſuperuacaneus ſumptus,quàm neceſſaria eleemoſyna. Sed Chriſtus refutat his uerbis prępoſterã curã Iudę,& docet magnã quidem rationẽ habendã eſſe pauperum, interim aũt non prętermittenda eſſe alia officia,quibus declares ueram fidẽ tuã erga Chriſtũ ſeruatorem,& ſyncerã caritatem ac gratitudinẽ erga ſummos amicos. Nam cum Chriſtus aliàs iubet adoleſcẽtem facultates ſuas uendere & dare pauperibus, ut habeat theſaurũ in cœlo, ac laudat pietatem Zachęi,qui recipiebat ſe dimidium bonorum ſuorũ pauperibus daturum,perſpicuè ſignificat,quòd pauperes debeant nobis magnę eſſe curę. Dicamus igitur nunc quędam de eleemoſyna, qua pauperes iuuantur,ut admoneamur de officio noſtro, & excitemur ad pręſtandam obedientiam diuinę uocationi. Non inſtituam autem nunc cõcionem, in qua doceam, quòd danda ſit pauperibus eleemoſyna. Quid enim ex ſcriptura ſacra,quid ex pietate Chriſtiana notius eſt,quàm pauperes eſſe noſtra eleemoſyna alendos? Eſaias dicit: Frange eſurienti panem tuum,& egenos uagoſcę introduc in domum tuam:cum uideris nudũ, operi eum,& carnem tuam ne deſpexeris. Chriſtus ait: Tu cum præſtabis eleemoſynam,neſciat ſiniſtra tua,quid faciat dextra tua, ut ſit tua eleemoſyna in occulto,& Pater tuus,qui uidet in occulto, reddet tibi in propatulo. Cum ait: Patrem redditurum eleemoſynam in propatulo,manifeſtè ſignificat,eleemoſynam DEO plurimum placere,ideoque liberaliter eſſe dandam. Ioannes ſcribit: Qui habuerit ſubſtantiam mundi,& uiderit fratrem ſuum egentem, & clauſerit uiſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Quid plura? Huc uocat nos lex ipſa naturæ:Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Quare cum notiſsimũ ac certiſsimum ſit,pauperes eſſe eleemoſyna iuuandos,non erimus hac

Eleemoſynã eſſe præſtandam.

in parte longiores,ſed dicemus de publica colligendę eleemoſynæ ordi natione.Inſtitutum enim eſt,ut hi,qui curādis pauperibus tam peregri nis,quàm incolis præfecti ſunt,petant publicè in cœtu Eccleſię præ fori bus templi eleemoſynam,qua, nomine Eccleſiæ, iuuent eos, quos uerè pauperes & indigentes,ac eleemoſyna non indignos cognouerint: qua etiam cauetur,ne paſsim mendici templum & plateas petēdis eleemoſy nis compleant.De hac inſtitutione & ordinatione dicendum eſt, ut nō exiſtimemus eam eſſe aucupium pecunię humana uel auaricia uel ſuper ſtitione excogitatum,ſed ut cognoſcamus eam in Chriſtiana politia eſſe neceſſariam,& pioꝝ hominum officium eſſe,tam opem quàm opes ſu as ad conſeruandam eam conferre.Ac primum, cum Moſes multa utili ter in Repub.Iſraelitica inſtitueret,tulit etiam hāc legem in Deutorono mio cap.decimoquinto:Omnino indigens & mendicus non erit inter uos.Qua lege cauet,ne pauperes & mendici paſsim ad petēdam eleemo ſynam uagentur.Quid ergo? Non feremus,ut oſtiatim petant eleemo ſynam,feremus aūt,ut fame & inedia pereāt? Infirmiorer enim, aut im peritiores ſunt,quàm ut queant labore & induſtria ſua uictum ſibi para re.Necabimus igitur eos fame? Abſit tanta crudelitas.Non.n. hoc uult ſpiritus ſanctus in Moſe,ſed iubet hac lege eam ſuſcipere curā,qua pau peres tam liberaliter alantur,ut non neceſſe habeāt eleemoſynam oſtia tim petere. Vnde et inſtituit ſuas ordinationes,quibus pauperes ad hūc modum iuuari queant.Dicit enim in Deut.cap.xiiij. Anno tertio ſepa rabis aliam decimā ex omnibus, quæ naſcuntur tibi eo tēpore, & repo nes intra ianuas tuas,uenietq; Leuites,qui non habet aliam partem nec poſſeſsionē tecum,et peregrinus ac pupillus & uidua, qui intra portas tuas ſunt,& comedent & ſaturabunt.Sed & aliud addit,cap.xxiiij. Quā do meſſueris ſegetem in agro tuo,& oblitus manipulum reliqueris, nō reuerteris ut tollas eum,ſed aduenam,pupillum & uiduā auferre patie ris.Hę certe fuerunt utiles ordinationes, quibus alimēta pauperum ita parari potuerunt,ut non neceſſe habuerint paſsim in templo & plateis mendicare. Sed hęc, inquis,ſunt Moſaica & Iudaica, nec pertinent ad Chriſtianos,qui non agnoſcunt Moſaicam politian.Rectè dicis, ſiquidē ſenſeris de decimis tertij anni,et de relinquendis manipulis in agro. Hæc enim ſunt Moſaica.Si autem ſentias de iuuandis pauperibus quo quo modo honeſtè fieri poteſt,ne cogantur præ fame publicè in plateis expoſiti eſſe,profecto nō eſt tantum legis Moſi, ſed eſt legis naturę,quę exigēdo caritatem proximi,exigit etiā ut in quauis honeſta politia pau peres honeſtè alantur.Deinde ſcribunt Euangeliſtę, quòd Chriſtus ui derit eos,qui mittebant munera ſua in Gazophylaciū,nec eiecerit ipſos è tēplo,ſicut uendentes et ementes,ſed potius approbauerit pietatem eo rum. Vocat enim munera Dei. Ac prefert quidem duo minuta uiduæ, donis diuitum,non damnat autem hoc genus collationis. Etſi em̄ appa ret,q; in hoc Gazophylacium ea tantum collata ſint, quæ inſumebātur ad conſeruandum ędificium templi,ad panes propoſitionis,ad iuge ſa crificium,& ad alia ſacrorum impēdia,quemadmodum ſcriptum eſt in Nehemia cap.x.tamen non eſt dubium,quin ſi Chriſtus hoc genus col

Ordinatio Moſaicæ legis de iuuandis pauperibus.

lationis

lationis approbauerit,nõ improbet ea instituta,quibus publicè conferẽ eleemosyna ad iuuandos pauperes.Sed audi,quid de his institutis Paulus scribat:De collatiõe,inquit,in sanctos,(sic.n.uocat Christianos pauperes,qui erãt in Iudęa) quẽadmodum ordinaui Ecclesijs Galatię,ita et uos facite.In una sabbatorũ,unusquisq; uestrũ apud se ponat,recõdens, quicquid cõmodum fuerit,ne cum uenero,tũc collationes fiãt.Et iterũ: Necessariũ arbitratus sum adhortari fratres, ut prius accederẽt ad uos, & præpararent iam antè promissam bonam collationẽ uestram,ut ea sit in promptu sic tanquam bona collatio, & non tanq; fraudatio. Vides Paulum non simpliciter monere, ut pij adiuuent suis opibus pauperes, sed etiam ut certas habeãt ordinationes,quibus ea quę pauperibus danda aut mittenda sunt,in cõmune cõferant.Quare non est nouum exemplum,q; eleemosyna pauperibus publicè colligatur,sed ut est inter pios inhonesta politeia res necessaria,ita est non tã à Mose, quàm à Christo ipso & Apostolis eius approbata.Sunt aũt multę huius instituti utilitates,tam publicę,quàm priuatę,tam corporales, quàm spirituales & cœlestes,quæ merito quosuis excitare debẽt, ut ad conseruandũ opes suas liberaliter conferant.Nã si in politeia,hi pauperes,qui & egestate & grauibus morbis,ac horrẽdis ulceribus miseri sunt, ad hoc necessitatis adiguntur,ut necesse habeant publicè in hominũ cõspectu prostare,& eleemosynam petere,manifestum argumentum est,quòd ciues non habeãt eam pauperũ curam,quam caritas proximi exigit.Et est genus crudelitatis,hominẽ ulceribus fœdum ita negligere, ut cogatur ea ulcera omniũ oculis obtrudere,quo sustentet inopiam suam.Deus autẽ immisericordiam & crudelitatem non fert inultam.Lex Mosi iubet eum,qui suspensus est in patibulo,eadem die deponi & sepeliri. Et iterũ iubet sceleratũ uapulare,sed ita ut numerus plagarum non excedat quadragenariũ. Et addit causam:Ne frater tuus fœdè laceratus obeat ante oculos tuos.Moses iudicat esse inhumanũ,si homo sceleratus pendeat aut iaceat publicè in omniũ cõspectu fœdè laceratus,quãto inhumanius est,si nostra incuria aut contemptu fiat,ut homo innocens necesse habeat ad quærẽdum necessarium uictum fœditatem corporis sui publicè ostentare,et eam omnium oculis obtrudere.Punit aũt Deus tantam inhumanitatẽ tam priuatim,quàm publicè.Nam mulieres pręgnantes,cum obijciuntur ipsis tam horribilia spectacula,pariũt aliquoties infantes ijsdẽ morbis & fœditatibus obnoxios.Itaq; fiunt & infantes miseri, propter maiorũ suorũ inhumanitatem.Nec contentus est Deus paucorum tantum, & priuatorum pœna,immittit & publicè grauissimos quosq; morbos,imo & gentium deuastationes.Si nõ audieris,inquit,uerbum Domini Dei tui,percutiet te Dominus ulcere pessimo,in genibus, in suris,sanariq; nõ possis à planta pedis usq; ad uerticem tuum.In uerbo aũt Dei etiam hoc cõtinetur,ut eam habeamus pauperum curã,ne sint inter nos mẽdici.Zodomitę perierunt igni è cœlis misso.Inter alia autem scelera,etiã hoc recensetur,q; non porrexerint egeno & pauperi manum.Quare,qui confert eleemosynã suam in ecclesiasticũ gazophylacium, ut ex eo pauperũ inopia ita sustẽtetur, ne necesse habeant ad quærendum uictum ulcera

Eleemosynas pauperibus publicè colligendas esse.

1.Corinth.16

2.Corinth.9

Inhumanitatis supplicia.

& miseriã suam publicè ostentare, is confert hoc opere operam suam ad conseruandam tam suam, quàm ciuium suorũ sanitatẽ & incolumitatẽ: Quod officium honesto ciue dignissimum est. Nõ addam nũc & illud incõmodum, quòd cum peregrini & ignoti mendici liberè per singulas domos circumeant, ut petant eleemosynam, solent se alij cum turba mẽdicorũ cõiungere, qui partim sunt eleemosyna indigni, partim cogitãt prętextu mendicitatis, non uni tantum urbi, sed toti regioni exitium inferre. Hoc quicquid est incõmodi, diminuere ac deuitare iuuãt, qui conferunt eleemosynam suam, ut peregrinis pauperibus sua pars per prętfectos publicę eleemosynę exhibeatur. Sed maiora sunt, quę nos in hac re ad beneficentiã, & liberalitatẽ excitare debẽt. Nam Dominus Deus noster promisit prolixam benedictionem frumẽti, uini, & omniũ fructuũ terrę, si nos fiscum pauperum prolixè implere studeamus. Cũ enim dixisset scriptura: Non sit inter uos indigens & mendicus, addit: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quã daturus est tibi. Et postea cũ dixisset de relinquendis manipulis & racemis, addit: Vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarũ. Quid igitur aliud reliquum est, cẽ quòd is, qui confert ex fide eleemosynam suam in fiscũ pauperum, impetret benedictionem terrę, & fructuũ eius? Qui autem uel auaricia uel alio impio affectu nihil confert, adiutor est publicę maledictionis ac sterilitatis terrę. Nec potes meliorem, aut magis piam rationẽ inire, qua etiã tuas priuatas opes augeas, cẽ si fueris in pauperes liberalis: Qui dat, inquit Salomon, pauperi, non indigebit: Qui despicit deprecantem, sustinebit iniuriã. Et iterum: alij diuidũt propria, & ditiores fiunt: Alij rapiunt nõ sua, & semper sunt in egestate. Anima quę benedicit, impinguabitur, & qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur. Huc facit & illud, ꝙd Paulus ait: Qui sementẽ facit parcè, is parcè messurus est: Et qui sementẽ facit libenter ac benignè largiendo, copiosè messurus est. Alij alias sectãtur rationes, quibus congregent diuitias. Hęc autem pñsima & certissima omniũ est, ut pauperibus ꝙquo modo potes, benefacias. Ac unus quidem & alter tantum præfectus eleemosynæ petit à te egredientẽ è templo eleemosynam, memineris aũt huius unius uoce, uniuersam pauperum & miserrimorũ hominum turbam, imo Christũ ipsum Dominum ac seruatorẽ nostrum eleemosynam à te petere. Quid ergo fiet, si hãc uocem contẽpseris? Qui obturat, inquit Salomon, aurẽ suam ad clamorem pauperis, clamabit & ipse, nec exaudietur. Si aũt aures Domini fuerint occlusę, quam, obsecro, habebis uel terrestrium uel cœlestium bonorum benedictionem? Itaque fieri non potest, quin cui sumptui in pauperes parcas, eũ necesse habeas insumere ubi minimè uelis, & maximè doleas. Sed transeamus à corporalibus commodis ad spiritualia, & cœlestia, quæ his, quibus pauperes curæ sunt contingunt. In Daniele dicitur: Peccata tua redime iustitia, & iniquitates tuas misericordijs seu eleemosynis pauperum. Et erit reparatio salutis tuæ. Ergo ne dicemus opus eleemosynæ expiare peccata coram Deo? Sic hypocritæ de eleemosyna sentiunt, ideoq; exponere solent eleemosynam pauperibus plena manu. Ac commendanda quidem est liberalitas in pauperes,

Eleemosynã cõferens in fiscum ex fide adiuuat benedictionem publicam.

Prouerb. 28.
Prouerb. 11.

Quod nõ tollit Christus tollit fiscus.
Wz man nicht gibt dẽ Christ/ das frisst die gemein fist.

peres,ſed hęc eſt magna impietas,q̄ tribuãt operi eleemoſynę,quod ſo li Chriſto ſeruatori noſtro tribuendũ eſt.Eleemoſyna enim non expiat peccatũ.Arbitramur,inq̃t,hominẽ iuſtificari fide abſq̄ operibus legis. Et:Gratia ſeruati eſtis per fidem,idque nõ ex uobis,Dei donũ eſt,nõ ex operibus,ne quis glorietur.Cur igitur iubet Daniel Regem peccata ſua redimere eleemoſynis pauperũ? Daniel non docet peccata expiari corã Deo meritis eleemoſynę,ſed concionat̃ de fructibus fidei,per quam ſolam,propter Chriſtũ,conſequimur remiſsionẽ peccatorũ.Manifeſtũ.n. eſt,q̄ nulla eleemoſyna ſit accepta coram Deo abſq̄ fide.Quod non eſt ex fide,inquit Apoſtolus,peccatũ eſt. Vbi aũt eſt fides, & ex fide datur eleemoſyna,ibi cum ſit remiſsio peccatorũ per fidem, cuius fructus eſt eleemoſyna,dici etiã de ipſa eleemoſyna poteſt, quòd redimat peccata, nõ propter operis meritũ,ſed propter Chriſtũ per fidẽ, ex qua eleemoſyna exponitur.Quare cum Daniel hortatur Regẽ, ut redimat peccata ſua per iuſticiã,& iniquitates ſuas per eleemoſynas pauperũ,non excludit fidem,ſed ſubintelligit eam,& cõmemorat regi ſuum officiũ, quod ex fide facere debeat,ut recuperet ſalutem.Officium.n. regis eſt, poſtq̄ redijt cum Deo in gratiam,& accepit ab eo remiſsionem peccatorũ (id quod fit per ſolam fidem) ut adminiſtret regnũ ſuum iuſtè, benefaciat pauperibus miſericorditer,defendat et tueatur miſeros.Sic enim fiet,ut redimat peccata ſua,hoc eſt,ut remiſsionem peccatorũ, quam per fidem accepit,conſeruet.Itaq̄ eleemoſyna ſeu beneficia,quę pauperibus ac miſeris hominibus conferunt̃,non expiant quidẽ per ſe,ſuis meritis,peccata hominũ,ſed cum ſunt fructus fidei,teſtant̃ hominem accepiſſe à Deo remiſsionẽ peccatorũ,& palàm declarant hominem in remiſsione peccatorum per Chriſtum cõſeruari.Quid ergo? num quia eleemoſyna nõ expiat peccata,ſed tantum conſeruat ſuo quodã modo in homine peccatorum expiationẽ,ignauior eris & parcior ad exponẽdam eleemoſynã? Profecto hęc cauſa nõ minus nos q̄ illa mouere debet. An neſcis nõ minorem eſſe uirtutem partas opes tueri & conſeruare, q̄ opes acquirere? Maximę opes ſunt remiſsio peccatorum,& iuſticia coram Deo. Hæ opes acquiruntur per fidem propter ſolum Chriſtum.Conſeruãtur aũt per gratitudinem,per obedientiã,per fructus fidei, per opera caritatis, inter quę eleemoſyna ſuum,eumq̄ haud quaq̃ poſtremum locum obtinet.Qui em̃ crudelis eſt in pauperes, nec adiuuat eos opibus ſuis,cum poſsit,is repellit à ſe Chriſtum,quem antè per fidem acceperat.Repulſo aũt Chriſto,repellitur etiam remiſsio peccatorũ,& iuſticia.Sed qui cum fidem habeat in Chriſtũ,liberalis eſt in pauperes ex fide propter Chriſtum,is cõſeruat & retinet ſecum Chriſtum. Vbi autẽ manet Chriſtus, ibi manet etiam remiſsio peccatorũ & iuſticia. Quare ſi nobis ſalus noſtra curę eſt,non debemus minori diligentia & liberalitate pauperibus benefacere,quàm ſi propter hęc beneficia remiſsionem peccatorum cõſequeremur.Quid,quòd eleemoſyna,ſi ex fide & caritate pręſtet̃, paret nobis amicos,qui ſuſcipiant nos in regnum cœleſte? Facite,inquit Chriſtus,uobis amicos de mammona iniquitatis,ut cũ defeceritis,recipiant uos in ęterna tabernacula.Sed quomodo hoc,inquis,fieri poteſt? Vide

Peccatorum remiſsio & iuſticia corã Deo quomodo cõſeruentur.

licet,quod partim Christus,qui nos recipit in cœlum,iudicet sibi factũ, quod homini misero factum est:partim, hi quibus benefecimus testent in iudicio Dei de nostra fide, per quã propter Christum consequimur ęterna tabernacula.Suscipiẽdum est igitur studium eleemosynę,ut quo pluribus benefacimus, eò plures habeamus amicos, q nos testimonio suo iuuent ad accipiẽdam cœlestem hæreditatẽ.Sunt quidem homines ingrati,q solent aut obliuisci benefactorum,aut pro benefactis repẽdere malefacta.Deus autẽ nec est obliuiosus,nec malefactor, sed quod de Hierusalem in Psalmo dicit,hoc de singulis pñs,qui sunt ciues cœlestis Hierusalem intelligendũ est.Si oblitus fuero tui Hierusalem obliuioni detur dextera mea.Adhęreat lingua mea faucibus meis, si nõ meminero tui:si nõ fecero Hierusalem summam lęticiam meã.Sed de prestanda pauperibus eleemosyna hactenus satis dixisse uidemur.Reliquũ est,ut nõ solum benefici & liberales simus in pauperes,sed etiã ut rectè de hoc officij genere sentiamus. Nõ enim existimandum est,q̃ qui unum & alterum uel argẽteum uel aureum numum in gazophylacium pauperũ reposuit,uniuersum officium Christiani hominis absoluerit,ac omnes eleemosynę partes impleuerit. Vnum quidẽ genus eleemosynæ præstitit,sed relíqua adhuc sunt multa & magna eleemosynę officia,quæ alter alteri debemus.Nam ἐλεημοσύνη,si interpreteris,significat misericordiam aut beneficium.Quid ergo? num beneficia,quę proximus proximo debet,unius tantum sunt generis? Diliges proximum tuũ,inquit lex, sicut teipsum.Hic cõprehenduntur omnia opera dilectionis, quę uerè nomine eleemosynę ueniunt. Nomine autem proximi continetur non tantũ amicus,sed etiã inimicus.Fauere igit non solũ amico, uerũetiam inimico,eleemosyna est.Orare pro amicis & inimicis, pro benefactoribus & persecutoribus,eleemosyna est.Bene loqui de amicis & maledicis,eleemosyna est.Iniuriam nõ ulciscí,sedDeo uindictã tradere,& malefactori benefacere,eleemosyna est.Exponere se ad uocationẽ Dei extremis periculis,ut proximum serues,eleemosyna est.Hoc est pręceptum meũ,inquit Christus,ut diligatis uos inuicẽ,sicut ego dilexi uos. Christus aũt sic dilexit nos,ut posuerit pro nobis animã suam. Quo eleemosynæ seu beneficij genere,quid potest dici maius aut illustrius? Exemplum autẽ Christi proponitur nobis imitandum.Per hoc, inquit Ioannes,cognouimus caritatem quoniã ille animam suam pro nobis posuit. Et nos debemus pro fratribus animas ponere.Non hoc uoluit Christus & Ioannes,ut si fur quispiam fuerit captus,& abducatur ad crucẽ, Christianus obtrudat sese lictori,&petat ut ipse pro fure in crucem suspẽdatur,&fur liber dimittatur.Hęc est illegitima temeritas,quam diuina lex, cum ait, Deum nõ esse tentandum,uetat,tantum abest,ut ad eam nos uocet.Sed tunc anima pro fratribus ponenda est,cum officium exigit, ut ad obediendum diuinæ uocationi extrema quęuis pericula propter fratres subeamus.Sic Moses posuit animam suam pro Israelitis,cum reuersus est in Aegyptum,ut liberaret Israelitas à tyrannide Pharaonis. Hoc enim erat officium Mosi,ad quod diuinitus uocatus erat. Sic Dauid posuit animam suam pro Israelitis,cum suscepit monomachiam cum Goliathe.

Eleemosynæ nomine quæ ueniant.

Animã pro fratribus ponere.

Hug

Huc enim Dauid uocabatur diuinitûs. Sic Hieremias posuit animam suã p populo suo, cum publicè adnunciauit deuastationẽ urbis Hierusalem, & hortatus est ciues ad pœnitẽtiam, quia hoc erat officiũ Hieremiæ. Sic Apostoli posuerunt animas suas pro Ecclesia, cũ summo uitæ suæ discrimine prædicauerunt inter Iudæos & Gentes Euangelion de Christo. Vocati enim erant diuinitûs, ut prædicarent Euãgelion in toto orbe terrarum. Quid plura? Vocatio Dei sectanda est, in qua, si quis obijcitur periculis, & manet in obediẽtia, uerè dicitur animã suam p fratribus ponere. Hęc est præcipua eleemosyna, quam nobis inuicẽ debemus. Nõ puto superuacaneum esse, ut hoc loco cõmemorem, quid hac in re Ecclesiastici scriptores adnotauerint de Ioãne Episcopo Alexãdrino, q & dictus fuit Eleemosynarius, propterea quòd magna semper cura pauperibus benefecerit. Is enim cum expendisset homini in extremã paupertatẽ coniecto aliquot libras auri, (non enim numerabat miseris obolos, sed aureos & libras auri) & audiret eum nõ solum maximas ipsi gratias agere, ac suam gratitudinẽ prolixè polliceri, uerũetiam hoc beneficium in immensum tollere, respondisse fertur: Nõdum sanguinem pro te frater effudi, sicut mãdauit mihi Dominus meus Iesus Christus. Hic Episcopus rectè intellexit, quale genus eleemosynę nobis inuicem debeamus. Quis aũt pro altero effunderet sanguinem suum, qui uix unum aut alterũ obolũ p miseris pauperibus ęquo animo effundit? Qui habuerit, inquit Ioãnes, substãtiam huius mũdi, & uiderit fratrẽ suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, q̃modo caritas Dei manet in eo? Quare filioli mei (libet eñ & hîc uerbis Ioannis uti) ne diligamus nos inuicem uerbo tantum & lingua, sed opere & ueritate, ut maneamus in dilectione Domini nostri Iesu Christi, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA IX.

IN superiori concione digressi sumus ad dandam eleemosynam pauperibus. Quod cum, quantum in præsentia satis uidetur, cõpleuerimus, reuertemur nunc ad exponẽda ea, quę post unctionem in Bethania gesta describuntur. Cognouit ergo, inquit Ioannes, turba multa ex Iudæis, q̃ Iesus illic (uidelicet in Bethania) esset, & uenerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum quoque uiderent, quem resuscitauerat à mortuis. Non dubito quidem, quin multi profecti sint ad Bethaniam, non ex curiositate, sed ex uera pietate, ut doctrinam Euangelij Iesu cognoscerent. Euangelista autẽ perstringit quosdam, qui susceperũt profectionem ad Bethaniam curioso magis, quàm uerè pio affectu. Venerunt, inquiens, non tantum propter Iesum, sed ut Lazarum quoq; uiderent. Vulgaris eñ hominũ incredulitas & curiositas est, q̃ non adhibeant fidem Prophęticis scriptis, & concionibus, quę sunt cœlestibus ac diuinis testimonijs firmatę, sed cupiant audire quosdam, qui ex mortuis resurgant, & adnunciẽt nobis, quis sit rerum status in altero seculo. Notum est, quid diues ex inferno ad Abrahamũ clamet: Si quis ex mortuis ierit ad eos, resipiscent. De hac re quędam nobis dicẽda sunt. Deus enim non ita constituit rationẽ

Curiosit as carnalis de altero seculo.

ſalutis noſtræ,ut mortui eſſent concionatores uiuẽtium, ſed propoſuit nobis Patriarchas & Prophetas, deinde etiam Apoſtolos, quibus reuelauit ea,quæ ad cõſequendam uerã in altero ſeculo ſalutẽ neceſſaria ſunt, ut docerent ea,& traderent poſteris ſuis. Autoritatem horũ tantis tamq; cœleſtibus ac diuinis teſtimonijs cõfirmauit, ut ſi Angelus de cœlo aliud prædicaret, ꝑ anathemate habendus eſſet. Habent (inquit Abrahã) Moſen ac Prophetas, audiant illos. Quòd ſi hos nõ audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent. Et Eſaias: Nunquid nõ populus à Deo ſuo requirit uiſionẽ? Pro uiuis ne interrogabit mortuos? Quin potius legem, & teſtimoniũ. Quare nõ eſt curioſè affectandum, ut mortui concionentur nobis, quid rerum in altero ſeculo geratur, ſed piè & conſtanter credendum eſt Propheticis & Apoſtolicis cõcionibus, in quibus cõtinetur uerè ſalutaris doctrina de tota noſtra ſalute. Quid eñ de his cõcionibus ſentis? An putas eas in hac terra, & in hoc ſeculo natas eſſe? Nihil certè minus, ſed allatæ ſunt ad nos ex altero ſeculo, & è cœlo. Deus enim ipſe, & angeli eius collocuti ſunt cũ Patriarchis & Prophetis, & iuſſerũt ea, quę loquebãtur, tradere poſteris ſuis. Scio, inquit Deus de Abrahamo, ꝙ præcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiãt uiam Domini, & faciant iudicium, & iuſticiã. Dicunt & Iſraelitę ad Moſen: Tu accede, & audi cuncta, quę dixerit tibi Dominus Deus noſter, loqueriſq; ad nos, & nos audiẽtes faciemus ea. An nõ Deus & angeli eius ſunt incolæ alterius mundi? Quare ſi uoluerimus audire cõciones ex altero mundo, audiendę nobis erunt conciones Patriacharũ & Prophetarũ. Deinde Prophetæ, ut Elias & Elizæus, excitarunt nõnullos à morte, q certè ex altero ſeculo in hoc externum redierũt. Quid ergo hi ſunt concionati? Non attulerunt nouam aliquã doctrinam, ſed approbarũt & ſectati ſunt doctrinam Prophetarũ, qui ipſos à mortuis excitauerant. Reliquũ igitur eſt, quòd hoc ſuo teſtimonio confirmauerint, Propheticam doctrinam uerè tradere ea, quæ in altero ſeculo gerantur, quantum quidem nobis cognitu utile eſt, & rectè exponere ea, quæ nobis ad conſequendam in altero ſeculo ſalutẽ neceſſaria ſunt. Quid dicemus de ijs, quæ in Chriſto & per Chriſtum geſta ſunt? Nam cum Chriſtus baptiſaretur, uenit Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ, & audita eſt uox Patris dicentis: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitũ eſt. An non hæc ſunt ex altero ſeculo ad nos delata? Quid ꝙ in transfiguratione Chriſti, uidentur & audiuntur apud Chriſtũ, Moſes & Elias, qui iam dudum fuerant alterius mũdi ciues? Deinde Chriſtus excitauit nõnullos à mortuis, ac præcipuè Lazarũ, qui nobis dedit de hoc argumẽto occaſionẽ dicendi. Etſi aũt non extant conciones Lazari, tamẽ cum poſt excitationem adhęſerit Chriſto magna fide, & agnouerit Euangelion eius, profectò publicum dicit teſtimoniũ, ſe in altero ſeculo, in quo uſq; in quartum fuit diem, reipſa comperiſſe, hũc Ieſum eſſe uerũ Meſsiam, & doctrinam eius eſſe uerè cœleſtem ac ſalutarẽ. Sed quid? an non Ieſus ipſe reſurrexit à mortuis, & redijt ex altero mũdo, in hunc externũ mundum ad ſuos diſcipulos? Manifeſtum aũt eſt, quid poſt reſurrectionem ſuam concionatus ſit, nimirum id, quod antè ſæpe, adhuc in hoc ſeculo

uiuens

uiuens, dixerat. Nihil igitur certius est, q̃ Euangelion, q̃d Christus tam antè, quàm post resurrectionem suã prędicauit, esse eam doctrinã, quæ in altero seculo agnoscitur & approbatur, & in hoc seculo uerã uiam ad salutem nobis demonstrat. Prędterea testatur Apostolica scriptura, multos cum Christo resurrexisse, & apparuisse ciuibus Hierosolymitanis. Existimas aũt eos mutos apparuisse, & nõ potius testimonium dixisse, in altero seculo hoc unum agi & tractari, ut Iesus ille, q̃ passus est & resurrexit, uerè ut filius Dei & Messias, adoretur & colatur? Quid, q̃ & Angelus, qui est alterius mundi incola, iubet in actis Apostolicis Corneliũ uocare ad se Petrum, & audire ex ipso, quid facere debeat. Quo mandato apertè testificatur, Euangelion de Iesu Christo, quod Petrus & alĩ Apostoli prędicauerũt, esse eam doctrinam, quę rectè exponat, quis sit rerũ status in altero seculo, in quod nobis per mortem est ingrediẽdum. Addam huc & Paulum, q̃ raptus est ex hoc mundo in Paradisum & in tertium cœlum, reuersus autem in hunc mũdum non prędicauit aliud Euangelion, quàm quod antea Apostoli prędicauerant. Et gloriatur se Euangelion suum non accepisse nec didicisse ab homine, sed per reuelationem Iesu Christi. Ex qua re manifestum est, q̃ status rerum in altero seculo ita planè se habeat, quemadmodum nobis exposuit Euangelion Pauli. Quid ergo post tot testimõia ex altero seculo allata, desideras adhuc audire aliquem ex mortuis redeuntem? Is enim, si uera diceret, certè non posset alia dicere, q̃ quæ antea Prophetę & Apostoli dixerunt. Si autem alia diceret, ꝑ anathemate habendus esset. Abĩciamus igitur curiositatem carnis, & sequamur hoc spiritus Euãgelion, de quo dictũ est, quòd qui crediderit & baptisatus fuerit, salutem consequatur. Deinde cum Euangelista dicit, quosdam ad Bethaniam profectos magis desiderio uidendi Lazari q̃ Christi, notat prępostерũ cultum Sanctorum. Vt enim hi Iudæi magis admirantur Lazarum exuscitatũ, quàm Iesum exuscitatorem, ita Hypocritæ plus sibi clemẽtiæ & auxilĩ de sanctis, quos inuocant, cũꝫ de Christo ipso pollicentur, quemadmodum etiam Ethnici magis uenerabãtur Solem & Lunam creaturas, quàm Deum creatorem. Hęc est magna impietas. Etsi emẽ Lazarus non est contemnendus, nec debemus esse contumelioſi in Sanctos, q̃ sunt in cœlo: & Sol ac Luna, & reliquæ creaturę suũ habent usum, tamen hæc nõ sunt nobis ꝓposita, ut contẽpto & abiecto Deo, ac Christo filio eius, creaturas colamus, sed ut ex ĩs, quæ uidentur, excitemur in cognitionem Dei, q̃ non uidetur, & ut in sanctis hominibus discamus, quanta beneficia Dei per Christũ, contingant credẽtibus in ipsum. Cõsecutus sum, inquit Paulus, misericordiã, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendũ exemplar his, q̃ crediturі essent in ipso in uitam æternã, Quare, ut illi curiositate peccant, qui ad Bethaniã magis uidendi Lazari, cũꝫ cognoscendi Christi gratia proficiscuntur, ita hi rectè faciũt, qui propter Lazarum agnoscunt Christum, & credunt in eum. De his enim ita sequitur: Consultabant autem Principes Sacerdotum, ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum. Hic est uerus usus̃ seu miraculorum Christi, seu eorũ,

Euangelion Christi in altero seculo approbatur.

Sanctorum cultus prąposterus.

Miraculorũ Christi et sanctorum eius uerus usus.

sanctorum, in quibus miracula sunt edita, uidelicet, non ut in ipsis miraculis aut sanctis hereamus, sed ut per ea excitati, assurgamus ad uerã cognitionẽ Christi. Sunt em̃ testimonia, quibus cõprobatur Iesum Christum in hoc à Deo Patre nobis datũ esse, ut in ipso cõsequamur ueram iusticiam & salutem per fidem. Sed hîc iterũ uide mihi uiros sanguinũ. Pontifices nõ sunt contenti occisione Christi, statuunt etiam Lazarum occidere. Quid aũt mali meritus est Lazarus? Multi, inquit, propter illum abibant ex Iudeis, & credebant in Iesum. Quare ut Põtifices tollant è medio regnum Christi, uisum est ipsis etiam Lazarũ tollere. Hęc non est noua sed uetus sapiẽtia impiorũ, q̃ sperent se regnum Christi crudelitate sublaturos. Hoc fuit cõsilium Cain, Ismaelis, Esau, Pharaonis, Saulis, & omnium eorũ, qui unq̃ cum Christo & Ecclesia eius bellum gerẽdum susceperunt. Primum aũt dictum est iam olim, q̃ semen mulieris, qui est Christus, cõtriturum sit caput serpẽtis. Quare, etsi serpens mordet calcaneum Christi, dẽtibus mancipiorum suorum, tñ nihil certius est, quàm q̃ caput, hoc est, omnis potentia eius per Christum opprimatur. Deinde impĩj putant quidẽ summam esse sapientiam, tollere è medio crudelitate, etiã innocentes, ut publicę tranquillitati cõsulatur, sicut & Caiaphas suprà dixit: Vtilius esse, ut unus homo occidat, quàm ut tota gens pereat: hęc aũt summa est stulticia, & impietas. Initium sapiẽtiæ, inquit Psalmus, timor Dei. Timere aũt Deum, est uerbũ Dei reuereri, & uoluntati eius obsequi. In uerbo em̃ Dei sola uera est sapientia. Super oẽs docentes me, inquit Psalmus, intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est: Super senes intellexi, quia mãdata tua quæsiui. Et iterũ: Lex Domini immaculata conuertens animas, testimoniũ Domini fidele, sapientiã prębens paruulis. Ex his manifestum est, q̃ in uerbo Dei sit uera sapientia. Quod igitur agendũ suscipitur cõtra uerbum Dei, falsa sit sapientia, imo maxima sit stulticia, necesse est. Innocentem aũt occidere, an non est contra uerbum Dei? Dicit. n. decalogus, (qui est breuissima præceptorũ diuinæ sapientiæ epitome,) Non occidas. Quare, nõ est sapiẽtia, sed summa stulticia, q̃ Pontifices cogitant non Christum tantũ, sed etiam Lazarũ occidere. An nõ hęc est sapientia, consilia sua ita instituere, ut res fœliciter ꝓcedant, & assequantur prosperum finẽ? Sulticia uerò est, tam inconsideratè agere, ut te & tua omnia in extremam calamitatem conñcias. Fœliciter aũt procedit, quicquid ex uerbo Domini, in quo uera est fœlicitas, instituitur, & infœliciter exit, quicquid uetante Dei uerbo agendũ suscipitur. Etsi enim ea quæ rectè iuxta Dei uerbũ, fiunt, solent initiò infœlicia uideri, & ea quæ prauè geruntur, fœlicia, tamen illorũ exitus semper est fœliciſsimus, horum autẽ infœliciſsimus. Considera mihi exemplum horum Põtificum. Existimabant se rebus suis sapientiſsimè consulere, si Iesum & Lazarũ occiderent, ac uidebantur initia satis prospera esse, cum postea comprehendissent Iesum, & ad crucem adegissent. Sed quia hoc erat consilium aduersus uerbũ Dei, in quo solo est omnis sapientia & fœlicitas, coniecerunt se & omnia sua in perpetuam interrecionem. Quare, si in suscipiẽdis consilñs rerum agendarum uolueris sapienter facere, & fœliciter pergere, pone tibi ob ocu-

Pontificum consilium de tollendo regno Christi.

los uerbum Dei, ſequere uocationem uerbi Dei, obtẽpera uolũtati uerbi Dei, quod cum initio condiderit cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ac conſeruet ea ſemper uſq; ad definitam ſuam periodum, cõſeruabit etiam te ipſi obedientem, in omnibus aduerſis, ac in morte quoq; ipſa, per Ieſum Chriſtum uerum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA X.

OSANNA, benedictus, qui uenit in nomine Domini, rex Iſraelis. Licet enim mihi hanc concionẽ, qua ingreſſum Domini noſtri Ieſu Chriſti in urbem Hieruſalem in die Palmarum explicare inſtitui, ijſdem uerbis incipere, quibus eum Iſraeliticus populus magna alacritate excepit. Quanq; uulgato iam Euangelio Chriſti in totũ orbem terrę, multo maior ratio eſt, quę nos ad tam fauſtam acclamationẽ excitare debet, q̃ quę quondam Iſraeliticam turbam excitauit. Hęc enim nondum reipſa cõpererat Chriſtũ ingreſſum perreſurrectionem in regnum ſuum, & pollicebatur ſibi externa tantũ & corporalia bona in Chriſto. Nos aũt cognouimus Chriſtum iam regnare, & ſedere ad dextrã Dei Patris ſui, ac afferre & donare nobis cœleſtia & perpetua bona. Quare tanto alacrius excipiendus eſt, quãto magis cœleſtia terrenis antecellunt. Cæterũ, q̃ diligenter uoluerit Spiritus ſanctus hanc hiſtoriam de ingreſſu Ieſu Chriſti in Hieruſalẽ in die Palmarum, Eccleſię cõmendare, haud obſcurè ex eo ſignificat, q̃ non unus tantum Euangeliſta, ſed ſinguli quatuor eã copioſè deſcripſerint. Nos audiemus nunc Ioannẽ noſtrum: Poſtero die turba multa, quæ uenerat ad diem feſtum, cum audiſſent, q̃ ueniret Ieſus Hieroſolymã, acceperũt ramos Palmarum, & proceſſerunt obuiam ei, & clamabant Oſanna, benedictus qui uenit in noĩe Domini rex Iſrael. Nactus aũt Ieſus aſellam, ſedit ſuper eam, ſicut ſcriptum eſt: Noli timere filia Zion, ecce Rex tuus uenit ſedens ſuper pullum aſinæ. Quę huc pertinent, de adductiõe aſini per Apoſtolos, & de ſubſtratis ueſtimentis, ex alijs Euangeliſtis petẽda ſunt. Nam, ut hinc expoſitionis initium ſumam: Si hunc ingreſſum Ieſu in urbem Hieruſalem, quæ eſt metropolis regni ſui, conſideraueris iuxta humanam ſapientiam, uidetur non ſolum humilis & abiectus, uerumetiam ridiculus. Diceres in urbem ingredi hominẽ quẽdam iocularium, tantum abeſt, ut uideatur ingredi Rex quiſpiã aut Meſsias. Nã Reges & Monarchæ ſolent magno & admirando apparatu in ſuum regnum ingredi. Habent pedites & equites, habent multos clitellarios, fulgent ephippia & freni ære, argento & auro, comitantur eos non priuati tantum homines, ſed principes & potentes, omnia crepant bombardis, tubis & tibijs, adeoq; nihil deeſt, quod humana ratio ad amplificãdam maieſtatem excogitare poteſt. Ieſus Chriſtus autem ingreditur in Hieruſalem pauperrimus. Non habet proprium equum, quo utatur, ſed uehitur aſino alieno, quem accommodato accepit. Non habet ephippium, ſed utitur pro ephippio diſcipulorum ſuorum ueſtimẽtis, nec holoſericis, nec precioſis. Comitãtur eum publicani, piſcatores & reliquum uulgus; Clamant carmen quidem ſacrum, ſed incondite. Accurrunt &

Chriſti ingreſſus in urbem Hieruſalem ridiculus.

pueri. Quid multa? Spectaculũ fuit in oculis ſapientũ huius ſeculi riſu magis q̃ uiſu dignũ. Sed in cõſpectu Dei, nullius unq̃ Regis aut Monarchę ingreſſus in toto orbe terrarũ inſignior ac illuſtrior fuit. Nam ſi cõſideraueris ea, quę hunc ingreſſum Chriſti in Hieruſalem prȩceſſerũt, uidit eum Spiritus ſanctus multis annis priuſquã reipſa fieret, & cõcionatus eſt de eo, primum quidẽ per Dauidẽ, qui, quaſi in hoc populi cœtu prȩſens ſpectator & auditor fuiſſet, ita deſcribit acclamationem, qua Chriſtus excipitur: O Domine, inquiẽs, ſaluũ fac, o Domine bene proſperare, benedictus qui uenit in nomine Dñi. Hoc ſcriptũ eſt in Pſalmo iuxta uulgarem rationem cẽteſimo decimoſeptimo, In quo de ingreſſu Chriſti in regnũ ſuũ, & de dominatione eius, cui turba Iſraelitica in die Palmarum uno ore, & publica acclamatione proſperũ ſucceſſum precata eſt, perſpicuè ſcribitur. Deinde cõcionatus eſt de eo Spiritus ſanctus per Eſaiam, qui capite ſexageſimo ſecundo ita ait: Dicite filię Zion: Ecce Rex tuus uenit, ecce merces eius cũeo, et opus eius corãillo. Hęc ſunt manifeſtè dicta de eo aduentu, quo Chriſtus ſeſe publicè toti Iſraelitico populo conſpiciendũ propoſuit, & beneficia ſua accipiẽda omnibus obtulit, id quod cum aliàs, tum etiã in die Palmarum factũ eſt. Prȩterea cõcionatus eſt nõnihil Spiritus ſanctus de hoc ingreſſu Chriſti in Hieruſalẽ per eundem Prophetã Eſaiam capite quadrageſimoquarto, ita dicentẽ: Noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſsimè quẽ elegi. Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam. Hoc loco conſolat Chriſtus Eccleſiam ſuã, & promittit ſe aduentu ſuo allaturum omnẽ benedictionem & fœlicitatem. Cum aũt in die Palmarum exhibuerit ſe uidendum & ſuſcipiendum omnibus ciuibus & aduenis in Hieruſalem, quæ erat tunc metropolis Eccleſię Dei, nõ eſt dubium, quin Spiritus ſanctus in hoc Eſaię loco uiderit Chriſtũ in die Palmarũ aſino aduehi & in Hieruſalem ingredi, id quod & Ioannes ſignificat, cũ in citando teſtimonio Zachariæ, nõ prȩponit cohortationẽ illam (Exulta ſatis filia Zion) quã Zacharias præponit, Sed eã, quã modo ex Eſaia cõmemorauimus: Noli timere, quẽadmodũ Matthæus præponit illam alterã ex Eſaia: Dicite filiæ Ziõ, ut & ipſe ſignificet, q̃ Spiritus ſanctus uiderit in eo Eſaię loco hunc ingreſſum Chriſti in Hieruſalem. Adhæc, Spiritus ſanctus cõcionatus eſt per Prophetã Zachariam, non ſolum de hoc ingreſſu Chriſti in urbẽ Hieruſalem, uerumetiam de iumento, in quo Chriſtus ſeſſurus eſſet: Ecce, inquiẽs, Rex tuus uenit tibi iuſtus & ſaluator ipſe, pauper, & aſcendens ſuper aſinã, & pullum aſinę. Habes de hoc ingreſſu à Prophetis prædictum fuiſſe, nõ uno & altero anno, ſed pluſquàm quadringentis, imo pluſquàm mille annis, priuſquàm externo ſpectaculo à Chriſto ſuſciperetur. Putásne eum tantæ curæ futurũ fuiſſe Spiritui ſancto, niſi exiſtimatio eius fuiſſet in conſpectu Dei ſanctiſsima? Deinde ſi cõſideris comitatũ Chriſti in hoc ingreſſu, non uides quidẽ mundanos Reges & Principes, ſed quẽadmodum paulò antè diximus, publicanos, piſcatores, & pueros. quæſo autem te, circumſpice cum tua mente, qui & quanti ſint hi in conſpectu Dei, quos tu tam cõtemptos & abiectos iudicas. Pueri ſunt, ſed quorum eſt regnũ cœlorum, & de quibus ſcriptum eſt:

Chriſti ingreſſus à Prophetis prædictus.

Chriſti comitatus.

est: Ex ore infantium & lactentiũ perfeciſti laudem. Publicani ſunt & pi ſcatores, ſed quod Deus elegit in Apoſtolos, & in Principes regni cœle ſtis, qui & plura & maiora ſtrategemata in terris fecerunt, quàm omnes mũdani Reges & Principes. Vulgus hominũ ſunt, ſed hi homines ſunt uera Dei Eccleſia, propter quã Deus tam diu terram conſeruat, propter quã Deus miſit unigenitum filium ſuũ in carnem, & qui Deus dat cœle ſte ac perpetuũ regnum. Quis unq̃ Monarcha talem ac tantum habuit comitatum? Monarcha quiſpiã ducit ſecum equites & pedites. Sed qua les? Nõ nego, quin in magno exercitu ſint aliquot uiri honeſti, ſed ea eſt fortuna huius ſeculi, q̃ magna equitũ & peditũ pars ſoleat magna eſſe colluuies impiorum, blaſphemorũ, latronum, prędonum, ebrioſorum, adulterorũ, denicq̃ perditiſsimorum hominũ, qui etſi unà cõgregati, & armis conſpicui magnę ſunt exiſtimationis in humanis oculis, corã Deo aũt, quid aliud, obſecro, ſunt, quàm fœditas & abominatio? Chriſti ue ro comitatus, etſi & ipſe collectus eſt ex peccatoribus, tamen hi ſunt pœ nitentes, & propter Chriſtum, in quem credũt, tam iuſti coram Deo re putati, ut habeantur digni cœleſti regno. Quare nullius mũdani Regis ingreſſus conferendus eſt cum hoc ingreſſu Chriſti in urbẽ Hieruſalẽ. Quòd ſi non tm̃ comitatum, ſed etiã perſonas Chriſti & aliorum Regũ inter ſe conferas, immanè, quantum hoc eſt diſcrimen. Alĩ enim Reges ingrediuntur tantum homines, Chriſtus aũt ingredit nõ homo ſolum, ſed etiã uerus ęternus & omnipotens Deus. Spectaculo igitur huius in greſſus nihil unq̃ in terris corã cœleſtibus ſpiritibus illuſtrius factum eſt. Inter homines ſonuit quidẽ uox illa Oſanna, benedictus qui uenit in nomine Dñi, inter angelos aũt, an non ſonuiſſe dicemus Eſaię illud: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Zebaoth. Plena eſt oĩs terra gloria eius? Poſtremo beneficia etiam, quę Chriſtus ſuo ingreſſu attulit Eccleſię ſuę, conferenda ſunt cum ĩs beneficiĩs, quę ſolent mundani Re ges ſuis populis afferre, & donare. De qua re, cum nobis dicendũ ſit, po nemus in medio uerba Zacharię. Dicit em̃ Zacharias, Exulta uehemen ter filia Zion, iubila filia Hieruſalẽ. Hęc eſt cohortatio, qua ſpiritus ſan ctus per Zachariã excitat Eccleſiam, ut magna fide & alacritate excipiat Chriſtũ. Sed propter quã cauſam ſic excipiẽdus eſt? Sequitur: Ecce Rex tuus, qui eſt Chriſtus, uenit tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe pauper & ſedens in aſina & pullo aſinę. hoc eſt, Chriſtus uenit quidem in cõſpectu homi num abiectus & miſer, quippe qui tam pauper ſit, ut ingreſſu ſuo utatur aſina mutuo accepta, ſed interim affert ſecum tanta beneficia, quãta nul lus hominũ ſatis dignè ęſtimare poteſt. Feuda uocant, ea quæ Reges ac Principes in ſeruos ſuos bene de ipſis meritos cõferre ſolẽt. Videamus igitur quale id ſit feudorũ genus, quod Chriſtus in ſuos, qui ſunt creden tes in ipſum, confert. Alĩ enim Reges, cum aduenĩunt, cõferunt in ſuos feuda quędam agrorum, ex quibus hi nec iuſticiam nec ueram uitã me tere poſſunt. Quomodo enim Reges iuſtificarent ſuum populum, cum ipſi ſint peccatores, & aduenientes afferant ſecum multa et magna pecca ta? Ac poſſent quidem legibus ſuis externã quãdam iuſticiam in popu lo ſuo inſtituere, ſed ut ipſi, ita & ſubditi eorum per ſe ſemper manẽt co-

Chriſti in greſſus bene ficia.

Feuda Chri ſti.

ram Deo peccatores. Christus autẽ uenit, quemadmodũ Propheta ait, IVSTVS. Non solum enim ipse sua persona iustus est, sed etiam iustificat omnes in ipsum credentes, adeoq; confert in eos, tãquam feudi genus, iusticiam. Quotquot enim in Christum credunt, reputãtur coram Deo tam iusti propter Christum, quàm si totam legẽ perfectè impleuissent.

θέλω τὸν χῆσ σαλα ημὸν ἢ φρε= νῶν πίθους Quid? an ullum terreni Regis feudũ tãti momẽti esse potest, quod cum hoc Christi beneficio equetur? Homines quidem huius seculi spirãt tantum terrena, & malunt, ut est in prouerbio, stillam fortunę, quàm doliũ iusticię: qui aũt pia mente preditus est, nõ commutaret hoc beneficium Christi cum omnibus omniũ regum feudis, imo regnis & Monarchijs. Deinde Reges terreni afferunt pacem ciuilem & trãquillitatem mundanam. Hęc sunt feuda, hęc sunt beneficia eorum. Et tamen nec sunt perpetua, nec uera & perfecta. Quàm facilè turbatur humana illa pax siue publicè siue priuatim, etiãsi confirmata fuerit pactis, promissis, literis, sigillis, fœderibus, iuramẽtis, sacramẽtis, ac diris quoq; execrationibus. Sed fingamus eam multis annis constare, quid ergo? num hac pace fit, ut intereat hostis noster Satan, & reconciliemur cũ Deo? Nihil certe minus. Etsi fruimur externa pace & tranquillitate, tamen uiuit adhuc Satã, grassatur in nos mors, & manet in nobis, quantum quidem ad hanc pacem attinet, ira Dei. Quid igitur prodest euanida tranquillitas, cum sumus adhuc perpetuę infœlicitati & damnationi obnoxij? Christus aũt aduenit, ut Zacharias ait, SALVATOR. Salutis nomine hoc loco continetur pacificatio cum Deo, liberatio à Satana, uictoria super mortẽ, perpetua uita, tranquillitas & fœlicitas. Hęc .n. intelligit spiritus sanctus, cum de Christo cõcionatur, q; sit cõtriturus caput serpẽtis. Dicit et Christus ipse: Ego sum resurrectio & uita. Qui credit in me, etiãsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inęternũ. Quare cum tribuitur Christo epitheton Saluatoris, sentiendũ est, quòd afferat credẽtibus in ipsum, tanq; feuda, reconciliationẽ cum Deo, liberationẽ â Satana & morte, ac perpetuã uitã et fœlicitatẽ. Quibus feudis aut beneficijs, quid potest esse maius, ac nobis utilius? Cũ igitur Iesus Christus tanta bona obtulerit Ecclesię suæ in ingressu suo in urbem Hierusalem, debemus hunc ingressum merito magnificare, et anteferre eum omniũ Regum ac Monarcharũ maiestati. Debemus aũt nõ solum eum admirarí, sed etiã ad salutem nostram uti. Satan enim aggreditur nos uarijs modis, ut trahat nos in exitium. Nunc enim obijcit nobis peccata, nũc mortem, nũc flãmas inferni, quibus efficiat, ut de salute nostra desperemus, & nos ipsos condẽnationi tradamus. Hîc ergo reuocandus est in memoriam ingressus Christi in Hierusalem, ponendum est ob oculos mentis nostræ dictum Zacharię, quod Christus ueniat abiectus quidẽ in oculis hominum, sed ueniat iustus & saluator. Agnoscendum est, quod cũ credimus in Christum, facti simus per fidem feudatarij, seu ut uocãt, uasalli Christi. Vasallus ius habet utendorum eorum bonorum, quæ dominus clementer in ipsum contulit, & dominus tuetur eum, si aduersarius conatur ab ipso auferre bona. Christus autem contulit in nos, tanquàm uasallos suos, iusticiam, uitam, & regnum cœleste. Hęc sunt feu-

Credentes sunt uasalli Christi.

da, quæ

da,quæ à Christo per fidem in baptismo accepimus.Quare si Satan obtrudit nobis peccata nostra,ut auferat à nobis iusticiam à Christo donatam,& terret nos horroribus mortis & inferni,ut auferat à nobis uitam & cœlum,quorum iura beneficio Christi accepimus,benè confidamus, & inuocemus auxiliū Domini nostri Iesu Christi,qui cùm maluerit sanguinem suū profundere, quàm nos seruituti & captiuitati Satanæ relinquere,nunquam committet,ut sinat nos uasallos suos ab aduersario opprimi,& beneficijs suis priuari. Sed redeamus ad Euangelistam,qui ut hoc spectaculum ingressus Christi commendaret Ecclesiæ, & significaret argumētum esse,quòd hic Iesus sit uerus Christus,addit: Hæc autem « non cognouerunt discipuli eius primùm,sed quando glorificatus est Ie « sus,tunc recordati sunt,quòd hæc essent scripta de eo,& quòd hæc feci« sent ei. Multa sunt certissima argumēta,quæ probant Iesum filium Ma« riæ,esse uerum illum Messiam seu Christum, quem Prophetæ uenturum,& populum suum à peccatis liberaturum promiserunt. Inter hæc autem,etiam illud numerandum est, q̄ in Iesu impleta sint ea, quæ Zacharias de Messia in asina aduehendo uaticinatus est. Nam quòd discipuli,& reliqui Israelitæ introduxerint Iesum in asina sedentem, in urbē Hierusalem,tanta pompa & tam faustis acclamationibus, nō fuit humanum consilium,nō enim cognouerunt(inquit Euangelista)discipuli eo tempore,quo hæc fecerunt,quòd tale quid de Messia scriptum esset,sed fuit diuinus instinctus, quo excitati sunt homines, ut ignari implerent in Iesu Propheticū uaticinium. Quare,quod ad hoīes attinebat, uidebatur,quicquid id est rei,temerè fieri,sed quod ad Deum attinet, factum est prudentissimo eius cōsilio,uidelicet,ut Prophetica ueritas in Iesu impleretur,& Iesus etiam hoc argumēto uerus Messias declararetur. Huc respicit quoq; miraculum, quod antè in Lazaro editum erat. Sequitur enim: Testificabatur igitur turba,quæ erat cum eo,quādo Lazarum uo« cauit de monumento,& suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam « uenit ei turba, quòd audierant eum edidisse hoc signum. Vides quo « consilio Christus excitauerit Lazarum à mortuis. Ac multæ quidem & graues sunt causæ, propter quas Christus hoc miraculum in Lazaro edidit, quas & suprà exposuimus,inter illas autem,etiam hæc una est, ut occasione huius miraculi homines excitarentur ad procedēdum obuiam Iesu in asina sedenti,& ad excipiēdum eum faustis acclamationibus, quibus publicè cognosceretur,eum esse uerum Messiam.Sed hîc considera mihi pertinacem Phariſæorum impietatem.Etsi enim manifestum erat miraculū in Lazaro editum, & uidebant ingressum Iesu in Hierusalem,ac publicas totius populi acclamationes, prorsus conuenire cum Propheticis uaticinijs,ad eoq; quicquid id est negocij,diuinitus geri,tamen adhuc pergunt reclamare ac fremere aduersus Christum. Dicit em̄ Euangelista: Phariſæi ergò dixerunt inter se: Videtis,quòd nihil profici« tis? Ecce mundus post eum abit. In alijs Euangelistis non inter se tan« tum de interficiendo Iesu deliberant,sed etiā grauiter in Iesum inuehuntur,quòd propter tales acclamationes non reprehendat pueros & discipulos suos. Itaq; cùm alij omnes sua officia Iesu in hoc ingressu præsta-

Ingressus Iesu argumentum est eum esse Messiā.

rent,& hic quidem adduceret asinam,ille sterneret uestimenta super assi nam:hic cęderet frondes arborum,& substerneret in uia, ille etiam ue stimẽta substerneret:hic gestatione palmarum testaretur se Iesum agno scere suum regem ac Messiam,ille etiam contenta uoce id publicè confi teretur,SoliPharisæi nihil horum officior̃ ei pręstiterunt,sed hoc unũ agunt,ut interficiant eum.Quid ergo? sequemur ne potius iudiciũ Pha risęorum,quàm totius populi? Non ignoro,paucos sapientes nonnun quàm melius de rebus iudicare, q̃ multos ex hominũ uulgo,sed quod ad cognitionem Christi attinet, non est obscurum quid sibi uelit Chri stus,cum agit gratias Patri suo,q̃ absconderit mysteria regni sui à sapi entibus & prudentibus,ac reuelarit ea paruulis.Dicit & scriptura alibi: Perdam sapientiam sapientum, & intelligẽtiam intelligentiũ reiiciam. Et iterum:Videtis uocationem uestram, q̃ non multi sapientes secun dum carnẽ,non multi potentes,nõ multi claro genere nati, uerùm quæ stulta erant secundũ mũdum delegit Deus,ut pudefaceret sapiẽtes.Præ terea etsi in hoc uulgo,q̃ clamabant Iesum esse Messiam,multi erant im pij,tamen continebatur in eo uera & electa Dei Ecclesia,Apostoli,& re liqui discipuli Iesu. Quare fugienda nobis est impietas Pharisæorum, quamuis sapientũ,sectanda autem est pietas Ecclesię Dei,quãuis coram hominibus abiectæ,ut agnoscamus hunc Iesum,uerum Messiam,& tri buamus ei oĩa officia obedientiæ. Nam quod discipuli Christo in hoc ingressu pręstiterunt,hoc idem etiam nos debemus ei obedienter præ stare.Non loquor iam de puerili illo spectaculo, quod in die Palmar̃, ad exemplum huius ingressus Iesu in asino aduecti,usitatum fuit.In hoc spectaculo non persoluũtur uera illa officia,quæ Christo debemus,sed longè alia facienda sunt.Apostoli adduxerũt mandato Christi primùm quidẽ manu sua asinam & pullum eius,deinde adduxerunt ad Christũ, prędicatione sua,Iudæos & Gentes,qui per asinam & pullũ eius adum brantur.Adducamus & nos ad Christum,liberos & familiam nostram, qui sunt ignauissimi asini,ut Christo subiiciãtur.Adducamus item no stram ipsorum carnem, quæ & ipsa est asina inertissima, ut discat onus Christi portare.Discipuli substrauerunt Iesu uestimẽta sua,Substerna mus ei & nos nostra uestimenta. Vtamur omnibus facultatibus nostris ad obsequium Christi,iuuemus opibus & officijs nostris,quibus possu mus,Ecclesiam Christi, ut declaremus ueram nostrã fidem in Christũ. Discipuli gestârunt manibus suis ramos palmarum, & acclamarũt ei so lenne illud Osanna.Palma est insigne uictoriæ in certaminibus.Victo ribus enim palma dabatur.Et addunt scriptores causam,quòd uictores & palma habeant inter se quandam similitudinem.Si enim imponas su per lignum palmæ magna pondera,non cedit palma deorsum,nec infle ctitur,sed resurgit aduersum pondus,& sursum nititur: ita qui uicerũt, non cesserunt aduersarijs,sed contra audentiores iuerunt.Sumamus & nos in manus palmas,& offeramus eas Iesu Christo,hoc est, credamus & confiteamur Iesum Christum esse uictorem mortis & inferni,ac seruatorem nostrum in omnibus malis,sicut & in Apocalypsi,Ecclesia ex omnibus gentibus collecta gestat palmas in manibus,& clamat magna uo-

Christo ingredienti quæ officia præstanda.

Palmæ uictoriæ insigne.

cę

ce: Salus ei qui ſedet ſuper thronum Dei noſtri, & agno. Tradunt autores, Palmis non decidere folia. Admoneamur igitur ſpectaculo Palmarum, ut ſtudeamus eſſe tales arbores, quæ iuxta decurſus aquarũ planta tæ fructum ſuũ afferant in tempore ſuo, & quarum folia nunq̃ defluant. Sic enim fiet, ut quemadmodum Pſalmus ait: Omnia quæcunq; fecerimus, proſperentur in Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro, qui eſt unà cum patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XI.

ECce mundus, inquiunt Phariſæi, poſt Ieſum abit. Nomine autem mundi non continentur tantùm ciues, & incolæ, uerumetiam exteri & alieni, nec Iudæi tantùm, ſed etiam Græci. Quare cùm Euangeliſta commemoraſſet antea, quanta obſeruantia exceperint Ieſum aſina aduectũ Iudæi, deſcribit nunc quanto deſiderio cupiant ad familiaritatem Ieſu applicari Græci. Dicit enim: Erant autem quidam Græci ex his qui aſcenderant, ut adorarent in feſto. Hi ergò acceſſerunt ad Philippum, qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum dicentes: Domine, uolumus Ieſum uidere. Venit Philippus, & dicit Andreæ, Andreas rurſum & Philippus dicunt Ieſu. Etſi per hos Græcos, quorum hìc fit mentio, intelligi poſſunt hi, qui uel Iudæi fuerint, in Græcia habitantes, uel proſelyti fuerint, ex Græcis ad Iudaiſmum conuerſi, tamen quia tàm Euangeliſtæ quàm Paulus aliâs per ἕλληνας, hoc eſt, Græcos, intelligunt gentes incircumciſas, & Eccleſiaſtici ſcriptores ſequuntur hanc ſententiam, ſentiamus & nos, q; hi Græci fuerint Ethnici incircumciſi. Nõ enim obſcurum eſt, quòd etiam Ethnici nõnulli obtulerint ſacrificia ſua ad templum Hieroſolymitanum, & coluerint Deum in Zion. Salomon in dedicatione templi ſic orat: Alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cum uenerit de terra longinqua, propter nomen tuum. Audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubiq;. Cùm uenerit ergò & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui. Et teſtantur alij ſcriptores, q; & exteræ gentes adduxerint ſacrificia ſua ad templum Hieroſolymitanum, & ſacerdotes ea ſuſceperint. Hęc idcirco nobis recitantur, ut ſciamus, quòd etſi Iudæi multas habuerunt prærogatiuas præ incircumciſis gentibus: Quorum (inquit) eſt adoptio & gloria, & teſtamenta, & legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones, quorum ſunt Patres, & ij ex quibus eſt Chriſtus, quãtum attinet ad carnem, tamen Deus etiam inter gentes ſuos habuit electos, non eos qui in impietate ſua perdurarunt, & idola colere perrexerunt, ſed qui uerũ Deum Zionis cognouerunt & inuocarunt. Quod ſi hoc factum eſt eo tempore, quo Chriſtus nõdum erat publicè reuelatus, quantò magis hoc tempore, quo Euangelion iamdudum uulgatum eſt in toto orbe terrarum, Chriſtus ſua habet Eccleſiæ ſuæ membra inter omnes gentes, adeoq; inter Turcas ipſos, non quòd hi qui impium Turciſmum ſectantur, ſint membra Eccleſiæ, ſed quòd inter Turcas ſint, qui contempta Turcica aut Mahumetica impietate, Ieſum Chriſtum ſeruatorẽ ſuum agnoſcant. Quare ſentiamus Eccleſiam Chriſti non terminari ijs finibus, quibus

Ioſephus de bello Iudaico lib. 2. cap. 17. πᾶσι γὰρ τοῖς ἐμπίρεια τ παξίαν ἰα ρεῖς ἀφικγε μένοις, ὅ π παντες ὁι πρόγονοι τὰς ἀπ᾽ ἀλλογε νῶν θυσίας ἀπελέ χουσ.

Ecclesiæ termini.

externum nomen Christianorum continetur, sed dilatari ad omnes eas populorum familias, in quibus est agnitio Iesu Christi per fidem, etiam si habitauerint in medio nõ tantùm barbararũ gentium, uerũetiam immanissimarũ bestiarum. Sed redeamus ad nostros Græcos, de quibus Euãgelista scribit. Hi cupiũt Iesum Christũ uidere, uidelicet nõ tantùm de facie nosse, sed etiã in familiaritatẽ eius uenire. Cum aũt nollẽt Christum accedere, nisi impetrato antè aditu, rogant Philippum, ut patefaciat ipsis aditum ad Iesum. Philippus autem non refert hanc Græcorum petitionem ad Iesum, nisi prius cõmunicato consilio cum Andrea. Hęc Euangelista diligenter cõmemorat, partim ut recitando circũstantias, confirmet ueritatem rei gestæ, partim ut significet, hoc iam egisse spiritum sanctum, ut gentes ducerentur ministerio Apostolorum ad cognitionem Christi. Quare Christus accipit ex hac re occasionem concionandi de morte & resurrectione sua, ac de uocatione gentium per Apostolos, quæ statim resurrectionem Christi insecuta est. Iesus respondit eis dicens: Venit hora ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti deiectum in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si uerò mortuum fuerit, multum fructum affert. Hęc est insignis concio de modo quo Christus accepturus erat regnũ suum. Nam Andreas & Philippus dicunt Christo, hoc est, magno gaudio adnunciant Christo, quòd non Iudæi tantùm, sed etiam Græci seu gentes cupiant se cum ipso coniungere. Et quia sperant regnũ Christi fore carnale, & Christum collecturum exercitum militarem, cuius opera iuuetur ad accipiendum regnum suum, existimant se afferre Christo lętissimum nuncium, quòd & gentes petant in familiaritatẽ eius recipi, significantes hac occasione licere ipsi etiam ex gentibus exercitum congregare. Vetus hoc est ingenium hominum, ac etiam Apostolorum Christi, quòd nõdum illustrati uera regni Christi cognitione, quærant in Christo tantũ carnalia & mundana, existimantes se ad consequenda spiritualia & cœlestia non indigere opera Christi, sed ea suis se uiribus parare posse. Det uitam, (inquiunt) det opes, animum mi ęquum ipse parabo. Christus autem refutat hanc opinionem Apostolorum de regno suo, & ait: Venit quidem tẽpus, ut glorificer, ut maiestatem regni accipiam, & non Iudæos tantùm, uerũetiam gentes mihi subiiciam, non autem glorificabor eo modo, quo uos existimatis, sed crucifigar, & moriar, ac postea resurgam à morte, & colligam Ecclesiam prędicatione Euãgelij per uestrum ministeriũ ex omnibus gentibus. Sicut enim granum frumenti non fert fructum, nisi sparsum in agrum, moriatur. Postquàm autem in terra mortuum fuerit, affert suo tempore copiosum fructum: ita & de me sentiẽdum erit. Nisi occisus fuero, peccata nõ expiabuntur, & Euangelion non reuelabitur inter gentes. Postquàm autẽ fuero occisus, maximas afferam utilitates. Resurgam enim à mortuis, & mittam spiritũ sanctum, ut Euangelion meum uulgetur per uos in totum orbem terræ, & congregetur innumerabilis gentium multitudo ad Ecclesiam meam, & ad accipiendam maiestatem cœlestis regni. Porrò autem, etsi Christus, cùm facit mentionem grani, quod seminatur, & in terra emoritur, nõ uidetur

Christus quo modo regnũ suum sit acceptarus.

detur de rebus cœlestibus ac diuinis, sed tantùm de rebus rusticis & terrenis concionari. Dicit enim ea, quæ sunt uulgaria & cuiuis agricolę notissima: tamen si hoc dictum de grano diligenter perpendas, magna mysteria nobis exponit. Paulus ait: Quæ sunt inuisibilia Dei, cognoscũtur ex opificio mũdi, & intelliguntur ex operibus. Videamus ergò, quę nobis per uisibile granum frumenti demonstrẽtur. Primùm, Christus in hoc loco docet, quòd per granum frumenti tota ferè historia Euangelij adumbretur. Christus .n. uenit in hunc mũdum, ut susciperet passionẽ ac mortem, & resurgeret iterum à mortuis, non ut hæc ociosa essent, sed ut afferrent uniuerso humano generi, tam Iudæis, quàm gentibus, longè omnium maximum fructum, uidelicet remissionem peccatorũ, uerã iusticiam, uictoriam mortis, & ppetuam salutẽ, quibus nihil potest homini excellentius ac magis salutare contingere. De his aũt omnibus admonet nos granum frumenti, quod cum in agrum sparsum fuerit, tum demùm fructũ affert cum emoritur. Quare sentiẽdum est, ꝙ granũ frumenti rectè cõsideratum, exatiet nõ tantùm corpus, uerũetiam animam nostram. Deinde Paulus ad Corinthios scribens, docet nos, ꝙ Deus inscripserit in granum frumẽti imaginem generalis resurrectionis mortuorum. Stulte, inquiens, Tu quod seminas, non uiuificatur, nisi mortuũ fuerit. Et hoc quod seminas, non corpus, quod nascetur, seminas, sed nudum granum, exempli causa, Tritici aut alicuius ex cæteris, sed Deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuiꝙ seminum suũ corpus. Vides, unumquodꝙ granum docere & testari futuram mortuorum resurrectionem. Quare sentiamus grana nõ tantùm esse cibum corporalem, uerũetiam spiritualem, & si agricolæ uoluerint in spargenda semente nõ solum externum corporis, sed etiam internum mentis agrum colere, debent grana, quæ in terram proijciunt, iuxta hanc Christi & Pauli doctrinam intueri, ut ex uisibilibus creaturis cognoscant inuisibilia Dei, & bene de uita ac salute sua, etiam in media morte, propter Christum sperent. Consideremus & hoc, ꝙ quam habet conditionem granum frumenti in conspectu hominum, eãdem unusquisꝙ nostrum habet in conspectu Dei. Granum frumẽti, si repositum seruetur in horreo, nullum affert fructũ, nec est adhuc idoneũ ad cibum, nisi aut proiectũ in agro moriatur, aut mola in farinam conteratur, & igni coquatur. Eadem planè est etiam nostra cõditio. Si ignauiter ociamur, aut uoluptate huius mundi fruimur, nullus adhuc è nobis fructus demetitur, nec prępărati sumus, ut fiamus cœlestis cibus. Sed si fructum ferre uoluerimus, & fieri panis cœlestis mensæ, necesse habemus mola aduersitatis cõminui, igni afflictionis cõ coqui, ac postremo etiam mori. Memorabile est, quod Ignatius martyr, bestijs iam obijciendus dixit. Cum em̃ ad leones damnatus esset, & audiret eos rugientes, ait: Frumentũ Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inueniar. Quare, cum obruunt nos aduersa, cogitemus Dominũ Deum nostrum non hoc agere, ut pereamus, sed ut aduersis tanquàm mola cõteramur, quò fiamus cœlestis cibus, & ut afflictiõibus exerceamur, ac moriamur, quò iterũ ad uitam resurgamus. Cętĕrum, postꝙ Christus concionatus est de se ipso, ꝙ intraturus quidẽ sit

Granimysteria.

1. Cor. 15.

Ignatius martyr.

in gloriam & maiestatem regni sui, sed per crucem & mortem, cõciona-
tur etiam de Apostolis & discipulis suis, ꝙ sicut ipse, ita hi necesse habe
» ant per afflictiones ueram salutem consequi. Dicit enim: Qui amat ani-
» mam suã, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam
» ęternam custodiet eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi sum
» ego, illìc & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, cohonestabit
» eum Pater. Hæc concionis pars, ad Apostolos ac discipulos, imò ad uni-
uersam Ecclesiam Christi pertinet. Est aũt hæc sententia eius: Vos disci
puli, sicut existimatis me regnaturum mũdana dominatione in hac ter-
ra, ita speratis uos per me consecuturos in hoc mundo magnam potenti
am & uoluptatem. Sed nõ sinam uos opinione falli. Dixi granũ frumen
ti nõ ferre fructum, nisi mortuum. Itaq; granum necesse habet uitam su
am, ut ita dicam, amittere, quò uitam conseruet. Hoc exẽplum & in me,
& in uos discipulos meos conuenit. Ego enim, ut uniuerso mundo uerã
uitam parem, mori debeo, & per mortem in regnũ meum ingredi. Sic &
uestri officij erit, uitam morti exponere, ut mortem effugiatis, & uitam
conseruetis. Non conseruabitis uitam, si amore uitę abnegaueritis meũ
nomen, ac meũ Euangelion. Sed custodietis & conseruabitis eam in ęter
nam uitam, si eam confessione nominis mei ita periculo mortis expo-
eritis, perinde, ac si ipsam odio haberetis. Nam si uultis me sequi ad glo
riam, ad uitam, ad ueram fœlicitatem, necesse habebitis me etiã sequi ad
ignominiam, ad mortem, & infœlicitatem. Non enim est minister ma-
ior domino suo. Si ego Dñs uester ingredior per mortẽ in uitam, debe
tis & uos ministri mei p mortem in uitam ingredi. Nec est metuẽdum,
ne in morte pereatis. Nam si mihi confessione uestra ministraueritis, &
mortem potius subire, quàm meũ nomen abnegare uolueritis, cõsequę
mini apud Deum Patrem meum, multò maiorem honorem, quàm quẽ
optare aut sperare potestis. Habes sententiam uerborũ Christi. Sed sin-
gula in his singulari obseruatione digna sunt. Nihil hìc est ofcitãter prę
tereundum: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Hæc est gene
ralis sentẽtia, sępe à Christo usurpata, quẽadmodum & alij Euangelistæ
scribunt. Quid igitur dicemus? an non hæc inter se pugnant, amare seu
tueri uitam, & perdere uitam? Quomodo ergò dicitur is perdere uitã,
qui tuetur & seruat eam? Si hęc rectè intelligas, non pugnant inter se. A-
Amare seu seruare uitã. mare em̃ seu seruare uitam in hoc loco, non est tueri uitam suam ex offi-
cio, & legitimè, sed est tanto uitæ desiderio teneri, ut studeas eam retine
re contra officium, illegitimè & impiè. Declarabimus id exemplis. Rex
quispiam iubet seruum suũ fortiter cum hoste pugnare. Hoc est officiũ
serui. Quare si seruus non aggreditur hostem, nec educit gladium suum
aduersus hostem ut nõ subeat periculum mortis, is certè studet contra
officium suum conseruare uitam. Pastor quispiam, uidet irruẽtem lupũ
in gregem suum. Officium aũt & uocatio pastoris est, gregem defende-
re, & lupum à grege arcere. Sed pastor mauult studio conseruandæ ui-
tæ suæ gregem deserere, quàm periculo uitæ eum defendere. Amat igi-
tur & conseruat uitam suam contra officium. Sic & discipulus quispiam
Christi est, & obijcitur persecutionibus propter Euangelion Christi.

Officium

Officium autem & uocatio discipuli Christi est nomen Christi cõfiteri, & gloriam eius illustrare. Sed is mauult amore uitæ abnegare Christũ, quàm periculo uitæ confiteri eum. Quare dicitur uitam suã amare & cõ seruare contra officium. Quid ergò fiet? Num q̃ sic amat & conseruat uitam, uerè eam cõseruat? Nihil minus, sed potius perdit eam. Seruus qui cõtra officiũ parcit hosti, ne exponat uitam suam periculo, aut ab hoste trucidatur, propter ignauiam, aut à Domino capite plectitur, propter officij̃ desertionem. Itaq; perdit uitam, quã amabat, & conseruabat. Pastor deserens gregem, & fugiens lupum, amore uitæ, abr̃icitur & fame necatur. Itaq; quam retinebat uitã̃, perdit. Nam quemadmodum negociator non seruat pecuniam, nec auget eam, si amore conseruandæ pecuniæ, nõ exponit eam pro mercibus, quas maiori postea precio uendat, ita non seruat uitam suam, qui eam nõ exponit ubi exponenda est. Discipulus Christi abnegans Christum metu amittendæ uitæ, uerè uitam amittit. Quid .n. uitæ reliquum est amisso Christo? Amittitur autem Christus abnegatione. Quisquis, inquit, negauerit me corã hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Quare necesse habes propter Christum periculo exponere, & amittere uitam terrestrem, ut cõserues uitam cœlestem. Contrà autem: Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodiet eam. Hoc apud alios Euangelistas sic dicitur: Quisquis perdiderit animam̃ causa mea & Euãgelij̃, hic seruabit eam. Videntur & hæc pugnantia esse, sed rectè conueniunt, si rectè intelligantur. Odisse enim animam suam, & perdere hoc loco non est seipsum interficere. Sic enim nemo debet uitam odisse: sed est malle mortem ab alij̃s illatam subire, & uitam deserere, quàm officiũ suum prętermittere, aduersus Dominũ Deum peccare, & Christum filium eius abnegare. Sic odio habuit animam suam Ioannes Baptista, sic Apostoli, sic martyres: Sic odio habent animam suam oẽs uerè pij̃. Tantum em̃ abest, ut aduersus Deum peccent, & Christum abnegent, ut malint sexcenties uitam suam perdere. Sed quid? num perdunt uitam? Minimè omnium, sed inueniunt eam, & custodiunt ipsam in æternam uitam. Quod de uita dicitur, hoc idem intelligendum est, de omnibus rebus, quibus diuinitùs donati sumus, uidelicet de regno, de sanitate corporis, de uxore, de liberis, de amicis, de facultatibus. Hæc em̃ quisquis odio habuerit & perdiderit propter Christum, seruabit. Quicquid em̃ ex diuina uocatione & obediẽtia fidei derelinquitur, hoc deponitur in manum Dei. Deus autem tàm liberalis rerum custos est, ut deposita nõ solùm tueatur, sed etiam augeat. Omnis, inquit, qui reliquerit domos, aut fratres aut sorores, aut patrem aut matrẽ, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hæreditatem. Confirmemus igitur hoc dicto fidem nostram, ut obediamus uocationi Dei, & sufferamus libenter ablationem rerum terrenarum propter Christum, ut recipiamus cœlestia. Quod autem additur: Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi ego sum, illìc & minister meus erit, uidetur quidem dici de imitatione uirtutum Christi, propriè autem dicitur de subeunda cruce, exẽplo Christi. Christus afflictus est,

Odisse seu perdere animam.

inquit Petrus, pro nobis, relinquens nobis exẽplum, ut insequeremini uestigia ipsius. Etenim Christus susceptit passionem, nõ ut nos nihil aduersi pateremur, sed ut accepta per fidem remissione peccatorũ, quæ ipse passione sua expiauit, aduersis exerceremur, & malis affligeremur.

Afflictiones cur pijs immittantur.

In mũdo, inquit, afflictionẽ habebitis. Et: Non rogo ut tollas eos de mũdo, hoc est, non rogo, ut nõ affligantur in mũdo. Quid ergo? Num hoc tantùm Christus post se reliquit, ut ministri ac discipuli eius in hoc mũdo affligãtur? Reliquit quidem hoc post se, non aũt eo consilio, ut in afflictiõibus pereant, sed ut per afflictiones ueram & perpetuã salutem cõsequantur. Dicit quidem: In mundo afflictionẽ habebitis, sed addit: Bono animo sitis, ego uici mundum. Dicit item: Non rogo ut tollas eos de mũdo, sed addit: Rogo ut serues eos à malo. Siquidem, inquit Paulus, simul cũ eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Et iterum: Si cõmortui sumus, & conuiuemus: si sufferimus, & conregnabimus. Hoc eñ est, quod & Christus ait: Si quis mihi ministrauerit, cohonestabit eũ Pater. Nemo existimet se frustrà suscipere cõtumeliam & ignominiã meo nomine. Nam si quis sectatur meam uocatiõem, & affligitur meo nomine aduersis, Pater meus cœlestis abundè compensabit. Pro paupertate eñ reddet diuitias, p cõtumelia honorẽ, pro ignominia gloriam, pro morte uitam, denicp pro doloribus inferni, cœleste gaudium. Beati, inquit, estis, cũ probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos, mentiẽtes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in cœlis. Ministrauit Christo Petrus, ministrauit ei Paulus, ministrarunt ei Prophetę & Apostoli, & passi sunt in hoc ministerio magnas & uarias afflictiones. Sed Pater cœlestis ita cohonestauit eos, ut nunc in Christo fœliciſsimè uiuant, & sint perpetuò cum ipso regnaturi. Non solùm autem hi ministrauerunt Christo publica eius Euangelij prædicatione, uerũetiam ministrant ei, quotquot credunt in ipsum, & sectantur obedienter in priuato uitę suæ genere uocationem eius, & quantum in ipsis est, illustrant gloriam nominis eius mansuetudine, temperantia, sobrietate, pudicitia, castitate, patientia, tolerantia, & id genus alijs uirtutibus. Expergiscamur igitur, & ministremus Christo, quoquo modo possumus & debemus, ut cohonestet nos Pater Domini nostri Iesu Christi per spiritum sanctum suum, & faciat nos cohæredes Christi filij sui, qui est unà cum Patre & spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XII.

GRatus & iucundus fuit Iesu Christo nuncius, quòd Græci ambiuerint ipsius familiaritatem, Sed iniucunda est mortis mox secuturæ meditatio. Postquàm enim Christus concionatur occasione aduentus Græcorum, de Passione & morte sua, quemadmadum antè exposuimus, tanto mortis horrore perfunditur, ut tota mente contremiscat, nec id silentio dissimulet. Dicit enim:

„ Nunc anima mea turbata est. Hoc certè eandem habet sentẽtiam cũ eo, quod postea in monte Oliueti ad discipulos ait: Tristis est anima mea usqp ad mortem. Primum igitur omniũ cõsiderandum nobis est quan-

to

in dolore, quanto horrore constiterit Iesum Christum filium Dei expiatio peccatorũ nostrorum. Non enim passus est tantùm afflictiones corporis, cũ uel flagellaretur, uel affigeretur cruci, sed etiam passus est afflictiones animi, & horrores mortis, q̃ multò grauiores sunt morte ipsa, idq̃ non semel, sed iterũ ac sæpius, ut & sanguineum sudorem effunderet: Tantæ molis erat, peccata nostra expiare. Quare nihil satis seueriter dici potest in hoĩm ingratitudinem, qui cùm ex doctrina Euangelij perspicuè cognoscant, quantos labores Christus p̃ peccatis nostris subierit, ipsi tamẽ tam temerè peccata designãda suscipiunt, ut uideãtur mortem Christi p̃ ludibrio habere. Putásne impunè ferent tantã impietatem? Sed amâbo te, quid est, q̃ Christus filius Dei meditatione mortis sic trepidet, cum tàm multi etiam inter Ethnicos fuerint, qui mortem generoso animo aggressi sint, nec ullam trepidationis significationẽ dederint? Sed huius rei causa est non obscura. Nam Christus non meditatur mortem Ethnicè aut Philosophicè. Habuerunt enim Philosophi gentium suas quasdam cogitationes de morte, uidelicet q̃ mors non sit supplicij causa constituta, sed necessitas naturæ, ac laborum & miseriarum finis. Hę cogitationes uidentur posse mortem leuiorẽ reddere, ac etiam appetẽdam, sed in ueris terroribus mortis non possunt constare. Deinde Christus nõ meditatur mortem more prædonum. Hi enim, cum admonentur, ut à præda abstineant, ne capiantur, & capite plectantur, solent quasi contemnendo & ridendo mortem dicere: Quid? Hæc omnia compensari possunt capitio pleno carnibus, aut capitij fulcro. Quibus uerbis significant, se contemnere mortem, ac parum curare etiamsi capite luant rapinas suas. Hæc fortiter quidem dici uidentur, sed alia sunt iudicia tribunalis Dei, alia temeritatis humanæ. Quare Christus q̃ in suscipiẽda morte adductus est ad tribunal Dei, nõ meditatur mortem pro temeritate prędonum, sed pro rei ipsius ueritate, & pro ea natura, quam mors à peccato accepit. Mors enim natura sua est stipendium peccati. Peccatum autem tàm uenenatũ ac pestiferum est, ut cùm afferat perpetuam damnationem, efficiat ut & mors sit extrema & æterna internecio. De Basiliſco serpente tradunt autores, quòd necet frutices, & exurat herbas non contactas modò, uerũetiam afflatas, ac tàm uenenatus esse serpens dicitur, ut hominem, si aspiciat tãtùm, interimat. Imago hæc est uirium peccati. Nam peccatũ infixit morti tàm pestiferos oculos, & inspirauit in eam tàm uenenatum spiritum, ut quemcunq̃ mors aspiciat, eum perpetua internecione perdat, & quemcunq̃ afflet, eum ęternis cruciatibus enecet. Hic est uerè aspectus & afflatus Basiliſci. Nec potest hómini maior & grauior afflictio accidere. Reliquæ omnes afflictiones, si cum hac conferantur, ludus sunt, & iocus. Hic horror superat omnia genera afflictionum. Quare, cum Christus meditaretur mortem non pro more philosophorum, nec pro more prędonũ, sed pro ea natura, quam mors ex peccato accepit, hoc est, non pro fine, sed pro initio ęternarum miseriarum, haudquaquam mirum nobis uideri debet, quòd conspectu mortis tota mente cõtremuerit. Sed quomodo, inquies, potuit Iesus Christus filius Dei mortem sic aspicere, cùm ipse nullum unquã pecca-

Christus mortis meditatione non trepidat.

Mortis remedia Philosophica.

Mortis natura.

tum fecerit, imo cùm ipse uera sit uita & resurrectio? Rectè dicis, Christum nullum fecisse peccatum, & Christum esse ueram uitam, ac resurrectionẽ, sed interim considerãdum est, propter quam causam sit in hanc terram missus, & quod officium faciendum susceperit. Missus enim est in hunc mũdum, ut peccatum mũdi expiaret. Peccatum aũt expiatur legitimis suis supplicijs. Porro supplicia peccati sunt oĩa genera corporalium & spiritualium afflictionum, uidelicet, ut peccator affligatur corpore & animo, & pereat ęternis cruciatibus mortis ac inferni. Quare etsi Christus Filius Dei nullum peccatum fecit, tamen quia suscepit peccatum expiandum, debuit susc̃ipere supplicium peccati, ut aspiceret mortem, nõ qualis contemptoribus & securis uidetur, sed qualis est natura sua, ꝓpter peccatum. Audiamus ergò nunc, quid Christus in tam horribili mortis obiectu fecerit. Nam si de alijs hominibus dicẽdum est, nullum inuenies, qui suis uiribus relictus, possit tam terribilem mortis cõspectum tranquillo animo ferre, & ueram salutis suæ rationẽ quærere.

Christus mortiobiectus quid fecerit.

Iob morti obiectus maledicebat diei suæ. Ahitophel & Iudas Ischariotes terroribus mortis comprehensi, ꝓripiunt se ad laqueos. Quibus rebus in tantũ non consulebant saluti suæ, ut in maiorẽ & grauiorem interitũ sese conĩcerent. Iesus Christus aũt rectà incedit. In tantis enim terroribus non cõfugit ad execrationes, sed ad deprecationes, nõ ad maledicta, sed benedicta, nõ ad laqueum, sed ad orationem. Deus enim, cum obtrudit hoĩbus grauitatem mortis, nõ uult ut ipsum fugiant, sed ut ad ipsum confugiant. Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Quę autem est maior tribulatio, ꝙ doloribus mortis & inferni obĩjci? Hoc rectè quidem dicitur: Sed quid mihi prodest exemplum Christi, cui licuit ad Deum suũ oratione confugere, quia non peccauit. Ego uerò quis sum, qui audeam ꝑcibus ad Deum accedere? Deus Christum filium suũ ex omni parte innocẽtem respexit. Me autem, qui sum peccator, nõ respicit clemẽter, sed potius repellit à se indignanter.

Psalm. 49.

Audio quidem ex Psalmo: Inuoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me. Sed in eodem Psalmo sequitur: Peccatori autẽ dixit Quare tu enarras iustitias meas, & assumis Testamẽtum meum per os tuum? Quò igitur me, qui peccator sum, uertam? Rectum & iustum est, quòd fatearis te peccatorem, & indignum, qui ad Deum precibus accedas, non autem rectè fit, ꝙ hac causa magis ad execrationem, quàm ad orationem, & plus ad laqueum, quàm ad Deum confugias. Christus enim propter hanc causam uenit in hunc mundum, & susc̃epit peccata expianda, ut te peccatorem cum Deo reconciliaret, & tibi aditum ad Deum patefaceret. Non opus, inquit, habent ĩj qui ualidi sunt, medico, sed qui malè habent. Ac mox: Non ueni ad uocandos iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam. Et Paulus: Certus, inquit, sermo, & dignus, quem modis omnibus amplectamur, quòd Christus Iesus uenit in mũdum, ut PECCATORES saluos faceret. Quare, cum inuenias te in catalogo peccatorum, inuenis etiam te in eorum catalogo, quibus salus propter Christum est proposita, & quibus Deus propter Christum ita fauet, ut uelit ipsos nomen eius propter Christum inuocantes, in omnibus

nibus periculis ſeruare. Sed erigamus aures, & attendamus animum, ut cognoſcamus, quid Chriſtus orauerit. Pater, inquit, ſeruato me ex hora hac. Hoc prorſus idē eſt, cum eo quod poſtea in horto orauit: Pater mi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Precatur. n. Chriſtus, ut Deus Pater ſeruet ac eripiat ipſum, ne hoc tempore crucem & mortem ſubeat. *Chriſtus mortem quare deprecetur.* Quid ergo de hac precatione ſentiemus? an non uoluntas Dei erat, ut Chriſtus ſuſciperet crucem? an non Chriſtus in hoc miſſus erat, ut pro peccatis hoīm mortem ſubiret? Cur ergo nunc deprecatur mortē? cur obſiſtit oratione ſua uolūtati Dei? Non eſt obſcurum, q̄ Chriſtus filius Dei, ſuſcipiendo hominem, ſuſceperit etiam, abſq; tamen peccato, humanam naturam. Ingenium autem humanæ naturæ eſt, quòd fugiat aduerſa, & deprecetur mortem. Nec hoc eſt per ſe peccatum, ſed potius generalis uocatio Dei, ut oremus, quò ab aduerſis liberemur: Ecce oculi DOMINI, inquit Pſalmus, ſuper metuētes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Iuſsit & Chriſtus ipſe nos orare: Ne nos inducas in tētationem, ſed libera nos à malo. Quæ autem eſt grauior tentatio, & quod malum maius uidetur hominibus, quàm tyrannis mortis? Quare, ſi de generali uocatione Dei ſermo eſt, orare ut mortem effugias, non eſt peccatum, ſed obedientia diuinæ uocationis. Si autem de ſpeciali aut perſonali uocatione Dei loqui uoluerimus, magnū peccatum eſt, nolle mortem iuxta hanc Dei uocationem ſuſcipere, & malle excutere mortem, quàm certæ uoluntati Dei obſequi. Chriſtus igitur initiò deprecatur mortem, iuxta ingenium humanę naturæ, quam ſuſceperat, & iuxta generalem Dei uocationē, qua iubemur in horroribus mortis deprecari mortem. Sed quia debebat ex perſonali uocatione Patris ſui mortem hoc tempore ſubire, idcirco ſtatim deprecationem ſuam quaſi corrigit, & ſubiicit ſeſe uoluntati Dei. Sed propterea, inquiens, Veni in hanc horam. Pater illuſtra nomē tuum. hoc eſt, Deprecatus ſum nūc mortem, & rogaui Deum Patrem, ut me ſeruet, ne hoc tempore crucifigar, & occidar, ſed quia mea perſonalis eſt uocatio, ut ſuſcipiam crucem, & ueni in hunc mundum, ac in hanc horam, ut ſubeam mortem ad expianda peccata hominum, idcirco non obſiſtam uoluntati Dei Patris, nec prætermittam meum officium. Voluntas Dei eſt, ut hoc tempore crucifigar. Meum officium eſt, ut hoc tempore mortem pro peccatis hominū ſuſcipiam. Non igitur hoc agam, ut non crucifigar, & non moriar, ſed ut nomen Patris mei illuſtretur, & gloria eius p̄moueat. De mea ſeu uita ſeu morte fiat, quod Deo Patri uiſum fuerit, tantūmodo, ut uoluntati Dei Patris ſatisfiat, & nomen eius glorificetur. Vnde & poſtea in horto, cum oraſſet: Pater mi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte, ſtatim addit: Veruntamen non ſicut ego uolo, ſed ſicut tu uis. Et mox: Pater mi, ſi nō poteſt hoc poculum tranſire à me, niſi bibam illud, fiat uoluntas TVA. Hæc eſt inſignis & memorabilis precatio, qua nobis, exemplo Chriſti, utendū eſt, in omnibus aduerſis huius ſeculi. Non eſt quidem, ut hanc appēdicem (Sicut tu uis) adiiciamus his precationibus, quibus petimus bona ſpiritualia p̄ Chriſtū nobis impetrata, & de quibus certas habemus p̄miſsio

Chriſtus ſe ſubiicit uolūtati Dei.

nes:ſed neceſſe habemus eã adĳcere his precationibus,quibus petimus bona corporalia, de quibus non habemus certam & perſonalem ꝓmiſſionem, circũſtantĳs ſuis definitam.Sunt enim duplícia bona.Alia ſunt ſpiritualia, quæ pertinent ad regnũ Chriſti,& quæ Chriſtus nobis iuxta Euangelion ſuum impetrauit.Hæc autem ſunt, Remiſsio peccatorũ, Adoptio in filios Dei,Conſeruatio in morte,& uita æterna.De his bonis certa & manifeſta eſt uoluntas Dei,ꝙ Deus uelit remittere peccatũ, & donare uitam æternam omnibus ĳs,qui credunt in Chriſtum.Quare cum precamur remiſsionem peccatorũ,propter Chriſtum, non erit dubitandum de uolũtate Dei,nec addendum,(Non ſicut ego uolo,ſed ſicut tu uis): manifeſta enim eſt uoluntas Dei ex Euangelio Chriſti,ideóque firma fiducia orandum eſt.Alia ſunt bona corporalia, quæ pertinent ad regna huius mũdi,& ad neceſsitatem ac utilitatẽ corporis.Hæc aũt ſunt,Diuitiæ,Sanitas corporis,Liberatio ex præſenti periculo mortis,ut diutius in hac terra uitam agas,& multa id genus alia. De his bonis etſi extant generales promiſsiones Dei,ꝙ Deus uelit pĳs inuocantibus ipſum in ueritate benefacere,tamen nõ eſt nobis manifeſtum,num ea ſint nobis iuxta noſtram ſententiam utilia corã Deo,& num illuſtrẽt nomenDei,ſi in nos conferantur:nec definitæ ſunt circũſtantiæ,uidelicet num Deus uelit ea in nos cõferre,hoc tẽpore,hoc modo,& hac menſura,qua nos ea petimus.In horum bonorum petitione præcipuum locum habet,quodPaulus ad Romanos ſcribens,ait:Hoc ipſum,quod oraturi ſumus,ut oportet,non nouimus, uerùm ipſe Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.Quare,cũ hęc bona petimus,ſub ĳcienda eſt noſtra uoluntas diuinæ uolũtati,&addendum erit precationi,quod Chriſtus addidit: ueruntamen non ſicut ego uolo,ſed ſicut tu uis.Et:Pater illuſtra nomen tuũ.Exemplis id declarabimus. Premitur quiſpiam grauiſsimo onere paupertatis.Orat igiẽ:Pater, ſeruato me ex hac hora:Pater tranſeat à me calix iſte paupertatis,& da mihi uel ſaltem mediocres diuitias,quibus egeſtatem meam ſuſtẽtem.Sed quid ſi diuitiæ allaturæ tibi ſint exitium,& paupertas adiumẽto tibi ſit coramDeo in bonum? Ideoq́ in hac precatione addẽdum erit, Pater illuſtra nomẽ tuũ,Non ſicut ego uolo,ſed ſicut tu uis. Si gloria nominis tui & mea ſalus promouerit paupertate,malo pauper eſſe q̃ diues. Quare quicquid mihi acciderit,hoc tantùm efficias Pater, ut gloria nominis tui illuſtretur. Alius affligitur graui morbo.Precatur igiturDeum,ut auferat morbũ,& largiatur clemẽter ſanitatem.Pater,inquiẽs,ſeruato me ex hac hora,& tranſeat à me calix iſte infirmitatis.Atq́ id quidem adhuc piè precatur,ſed quia ignorat quę ſit utilitas infirmitatis ipſius coramDeo,addere debet:Pater illuſtra nomẽ tuũ:Non ſicut ego uolo,ſed ſicut tu uis. Quicquid fiat de mea uel ſanitate uel infirmitate,hoc tãtùm efficias Pater,ut nomen tuũ glorificetur.Alius comprehẽditur manifeſto periculo mortis.Orat igitur Deum,ut ſeruet ipſum ex hac hora,& ut calix iſte mortis à ſe tranſeat. Atque hactenus quidem rectè orat,ſed quid ſi uita corporalis eſſet ei exitio,& mors lucrum? Addẽdum igitur erit:Non ſicut ego uolo,ſed ſicut tu uis.Pater illuſtra nomẽ tuum.Siue ego uiuam, ſiue

Bona ſpiritualia & corporalia.

In oratione uoluntati diuinæ nos ſubĳciamus.

siue moriar, hoc tantùm peto, ut gloria nominis tui, pmoueat. Hanc certè reuerẽtiam & obedientiã debemus Domino Deo nostro. Conditi. n. sumus à Deo, non ut nobis semper benè sit corporaliter in hac externa uita, sed ut gloria Dei per nos illustretur. Illustratur aũt, cum uel in preceptis Dei ambulamus, Vt uideãt, inquit, nostra bona opera, & glorificẽt Patrem, qui est in cœlis: uel cũ aduersa nobis imposita obedienter & patienter toleramus, ut Deus habeat occasionem nos iuuandi, & mirabiliter liberandi. Obsequamur ergò uoluntati Dei, & tradamus nos manui eius, ut fama nominis eius per nos celebretur. Porrò cum Iesus orasset: Pater illustra nomen tuum, Venit uox de cœlo, (dicens) Et illustraui, & rursus illustrabo. Apostolica scriptura testatur Deum Patrem ter de cœlo cũ Iesu Christo filio manifestè collocutum esse. Scimus quidẽ Christum esse uerum ab æterno filiũ Dei, unius essentiæ & maiestatis cum Deo Patre suo, ideoq; æternũ & ineffabile esse inter ipsos colloquiũ: nos autem loquimur nũc de manifesto colloquio, q̃d Deus Pater manifestè, de cœlo, audientibus hoibus, in hac terra habuit. Hoc ter factum esse scribunt Euangelistæ. Semel cũ Iesus in Iordane à Ioãne baptisaretur. Et iterum, cum in monte Thabor coram tribus discipulis transfiguraretur. Ac tertiò in hoc loco, cum p̃caretur, ut Pater illustret nomen suum per ipsum. Respondet ergò Pater: Et illustraui & iterũ illustrabo. Obseruabile responsum, quo Deus Pater significat se hunc Iesum Christum agnoscere pro uero unigenito & æterno suo filio, quem uelit à nobis audiri, quem semper exaudiat, & propter quem sit oĩbus audientibus ipsum, & credẽtibus in eum propicius. Quare cum Deus cõmendauerit nobis Christũ filium suũ cœlesti uoce, Euangelion eius magna fide & obseruantia audiendũ erit. Quòd uerò ait: illustraui & iterum illustrabo, cognoscendũ est, q̃modo Deus Pater illustrauerit nomen suũ per Iesum Christum filium eius. Primùm igitur Deus illustrauit nomen suũ per Christum, ex eo, q; misit ipsum in hunc mundũ, ut fieret homo. Ab initio. n. orbis terræ, pmisit Deus, se missurũ filium suum in terram, ut conterat caput Satanæ, & afferat benedictiõem omnibus gentibus. Quare, cum in mittendo filio seruauit, pmissionem suam, reportauit nomen, laudem, & gloriam clemẽtissimi & ueracissimi Dei, quippe q; tam clemens sit erga homines, ut maluerit filium suum omnibus humanis imbecillitatibus obijcere, quàm ad hominũ internecionem cõniuere: & tàm seruans sit promissi sui, ut maluerit uidere filium suum uarijs calamitatibus affligi, q; uerbum suũ recantare. Vnde & Zacharias parens Ioannis Baptistæ, exurgit in laudem nominis Dei, q; misisset filium suum, cuius Ioãnes precursor erat: Benedictus, inquiens, Dominus Deus Israel. Ob quam causam? Sequitur: Quia uisitauit & fecit redemptionem populo suo. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui. Similiter etiam Maria uirgo, cũ iam Christum concepisset: Magnificat, inquit, anima mea Dominũ, & exultat spiritus meus in Deo seruatore meo. Propter quam causam? Additur: Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ. Et mox: Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ, Sicut locutus est ad patres nostros, Abrahamo & semini eius in secula. Vides igit̃ apertè

Deus Pater ter manifestè cũ filio locutus est.

Deus quomodo illustrauerit nomen suum.

nomen Dei illustratum esse ex eo, quòd Christus filius Dei assumpserit hominem, iuxta promissiones, quæ ad Patriarchas dictæ fuerunt. Deinde illustratum est nomen Dei, per Euangelion, quod Christus prædicauit, & per miracula, quæ Christus edidit. In Euangelio enim prædicatur clementia & misericordia Dei, qꝑ gratis remittat peccata, propter Christum filiũ, qꝑ adoptet homines in filios suos, & faciat eos hæredes cœlestis regni, nullo meritorum respectu, sed tantũ propter Iesum Christum per fidem. Hæc est maxima laus clementię & misericordiæ Dei. In miraculis autem, quæ Christus edidit, manifestatur tàm potentia quàm uoluntas Dei, uidelicet qꝑ Deus & uelit & possit miseros & afflictos homines iuuare atqꝫ seruare. Scribit enim Euangelista Lucas, quòd Iesus Chri-
Luce 7. stus excitauerit à mortuis adolescẽtem mulieris uiduæ. Et postqꝫ Lucas cõmemorasset hoc miraculum, addidit: Accepit omnes timor, & glorificabant Deum dicentes: Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus
Matthæi 9. uisitauit plebem suam. Apud Matthæum, postq̃ Iesus sanasset paralyticum, admiratę sunt turbæ, & glorificauerunt DEVM, qui dedisset talem potestatem hominibus. Et aliâs mulier, quæ habuerat spiritũ infir-
Luce 13. mitatis annis decem, & octo, postquàm manu Iesu Christi tangitur, confestim erigit sese, & glorificat Deum. Habes igitur nomen Dei per Euangelion & miracula Christi maximè illustratum esse. Postremo illustratum est nomen Dei per passionem, mortem, resurrectionem, & ascensum Christi in cœlum, perqꝫ missionem Spiritus sancti, & diuulgationem Euangelij in totũ orbem terræ, ac conseruationem Ecclesię Christi in omnibus persecutionibus huius mundi. Nam in passione & morte Christi manifestatur partim seueritas iræ Dei aduersus peccata humani generis, Tanta enim est ira eius, ut ne filio quidem, qui peccata hominum expianda susceperat, parcere uoluerit: partim immensa eius misericordia & clemẽtia erga homines. Tanta enim est clementia eius, ut maluerit filium uidere crudeliter interfici, quàm hominum saluti deesse. In resurrectione autem Christi, & in conseruatione Ecclesiæ eius reuelatur potentia & maiestas Dei, uidelicet, quòd quemadmodum est Deus clementissimus, ita etiam sit omnipotens rerum gubernator, qui non tantum reduxerit filium suum Iesum Christum è morte ad uitam, & collocauerit eum in throno cœlestis regni, uerumetiam possit ac uelit omnes in Christum filium suum credentes, in morte seruare, & hæreditatem filij sui cum ipsis communicare. Hoc est nomen Dei, hæc est gloria nominis Dei, per Iesum Christũ filium eius illustrata. In Christo enim cognoscitur Deus, quòd etsi est seuerus ultor peccati, tamen sit erga eos, qui credunt Euangelio Christi filij Dei, remissor indulgentissimus, & Pater clemẽtissimus, adeoqꝫ seruator longè omnium potẽtissimus. Reuereamur igitur maiestatem Dei, & agnoscamus clementiam ac misericordiam eius, ut obsequamur uocationi eius, & collocemus in ipso omnem nostram fiduciam, ad consequendam ueram & æternam salutem, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Homilia

HOMILIA XIII.

CVm in promulgando Decalogo uox Dei ſonaret de cœlo, tantus terror inuaſit auditores, ut exiſtimauerint ſibi repentinam mortem oppetẽdam eſſe. Fieri enim nõ poteſt, ut humanus animus ſuis uiribus relictus, trãquillè & leniter ſuſferat iram Dei, quæ Decalogo reuelatur. Defecimus, inquit Pſalmus, in ira tua, & in furore tuo turbati ſumus. Et mox: Quis nouit poteſtatẽ iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Longè aũt alia eſt ratio eius uocis, quæ in cõmendando filio Dei, & in teſtificanda maieſtate Ieſu Chriſti, de cœlo ſonuit: Illuſtraui, inquiens, & iterum illuſtrabo. Hęc. n. non eſt uox iręDei, ſed fauoris Dei: nõ eſt uox legis, qua reuelatur ſeueritas Dei, ſed eſt uox Euãgelij, qua reuelatur clemẽtia Dei, nõ ſolùm erga filiũ ſuum, uerũetiam erga oẽs, qui filio ſuo credũt. Quare dubiũ non eſt, quin diſcipuli, qui ut antea, ita & hoc loco audiuerunt Patrem cœleſti uoce cõmendaſſe filium ſuum, ingenti animi lætitia perfuſi fuerint, & in Domino Deo ſeruatore ſuo exultauerint. De reliqua autem turba, quæ unà cũ diſcipulis hanc uocem audiuit, Euangeliſta ſic ſcribit: Turba ergò, quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruũ eſſe factũ. Alij dicebant: Angelus ei locutus eſt. Vide mihi, obſecro, uulgi ignauiam & oſcitantiam. Hæc cœleſtis uox: Illuſtraui & iterũ illuſtrabo, perſpicuè & manifeſtè ſonuit, attamẽ uulgus hoĩm ita adſtabat, ut aſinus ad lyram. Non intelligunt, quid ſit dictum, ſed alij iudicant factũ eſſe tonitruum, alij Angelum locutũ. Quo iudicio produnt ſomnolentiam ſuã, ꝙ etſi preſtò adſunt in hac concione Chriſti, tamen nulla cura cœleſtiũ rerum afficiantur. Non diſſimilis eſt ſocordia uulgi in audiendo & percipiendo Euangelio, quod hoc tempore de Ieſu Chriſto nobis adnunciatur. Solet eĩ aliquoties magna eſſe turba auditorum. Inter hos autẽ pauciſsimi ſunt, q̃ Euangelion Chriſti diligenter audiunt & cuſtodiũt, Reliqui audiunt quidẽ, ſed mente longè aliud agente. Cum enim eos de cõcione interrogaueris, ibi alij reſpõdent ſe audiuiſſe clamorem neſcio quem, quaſi tonitruũ: alij dicũt, ſublimiora eſſe, q̃ꝫ quæ intelligere queant, itaq; ſuo ſe inditio ꝓdunt, ꝙ cogitationibus rerum terrenarũ occupati, nõ curent cœleſtia. Sed longè alia eſt uocatio, longè aliud eſt officium noſtrũ. Martha, ad quam diuerterat Chriſtus, turbabatur multis negocijs, cum interim ſoror eius unum hoc agebat, ut audiret Euangelion Chriſti. Audit ergò Martha, Sollicita es, & tumultuaris circa multa, Atqui VNVM eſt neceſſarium, nimirum VNVM illud, quod Maria ſectabatur. Hoc aũt eſt auditus uerbi Dei. Fides eĩ ex auditu eſt, auditus autem ꝑ uerbum Dei. Cum igitur neceſſaria nobis ſit fides, ad ſalutem, neceſſarium etiam eſt, ut uerbum Dei, quo in nos fides, autore Spiritu ſancto, confertur, ſummo ſtudio percipiamus. Etſi autem auditores cœleſtis uocis non ſimiliter de ea iudicant, tamen Chriſtus exponit cauſam, propter quam hæc uox de cœlo ſonuit. Reſpondit enim & dixit. Non propter me hæc uox uenit, ſed propter uos. Non enim ignorũ erat filio Dei, quid de ipſo ſentiret Pater, & quid per crucem ac mortem eius futurum eſſet. Quare, quod ad Chriſtum attinet, non indige-

Exodi 20.

Pſal. 89.

Vulgi ſocordia in audiẽdo uerbo Dei.

bat hoc cœlesti alloquio. Cur ergò uenit? propter VOS (inquit Christus) uenit. Nam cũ Christus baptisaretur à Ioãne in Iordane, audiebatur quidem uox cœlestis, sed pauci prẽstò aderant. Deinde cum transfiguraretur in mõte, audiebatur similiter uox cœlestis, sed aderant & tũc pauci. Nunc aũt Pater publicè colloquit cum Filio de cœlo, non uno tãtum & altero auditore, sed prẽsentibus multis hominũ millibus, qui, ut antè dictum est, ad diem festum Paschæ cõuenerant, & Christo in asina aduecto obuiam ꝓcesserant. Videamus igit, quam cœlestis hæc uox utilitatem afferat. Primùm, postq̃ Christus antea clarè inuocauit Deum Patrem, & Deus respondet ei de cœlo, perspicuè ꝓbatur, ꝙ Deus uerè agnoscat hunc Iesum, filium suum, sicut & aliâs dixerat: Hic est Filius meus dilectus, in q̃ mihi benè cõplacitum est, hũc audite. Deinde, cum ait: Illustraui & iterũ illustrabo, palàm fatetur, tam doctrinam, ꝙ miracula Iesu Christi, uerè esse cœlestia & diuina. Per hæc enim nomen Dei illustratum est, quẽadmodum suprà ostendimus. Huc accedit, quòd Pater hac uoce doceat, se exaudire pias preces, etiamsi diuersum accidere uideatur. Christus .n. rogauit Patrem, ut illustret nomẽ suum. Pater aũt respondet, se id facturum. Et tamẽ statim sequitur captiuitas, crux & mors Christi. Quid? Siccine pater illustrat nomẽ suũ, cum obꝺcit filium probrosissimæ morti? Non uidetur quidem esse gloria nominis Dei, sed expecta mihi paulisper exitũ rei, & intende oculos mentis tuæ per diem Parasceues, ad diem usq̃ Paschæ, ad diem Ascensus, & ad diem Pentecostes, quid uidebis, nisi clarissimam Dei maiestatem, & summam eius gloriam? Itaq̃ crux & mors Christi, quæ uidebant esse interitus, reipsa ꝓbantur esse organa, quibus Deus illustrauit nomen suum. Quod autẽ factum est in Iesu Christo, naturali filio Dei, hoc idẽ fit in omnibus adoptiuis Dei filꝭs, qui sunt credentes in Iesum Christum. Hi enim, cum inuocant Dominũ Deum suum, per Iesum Christum filium Dei, statim quidem exaudiuntur. Quæcunq̃ enim, inquit, petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis: sed diuersa & aliena à precibus accidere solent. Paupertas enim augetur, morbus ingrauescit, mors horribilior incurrit, ignis inferni ardentius in conscientia inflammatur. Hæccine est exauditio Dei? Aliud quidem externo sensui apparet, sed spiritui manifestum est, hæc esse organa, quibus Deus illustret nomen suũ. Quare non defatigemur, nec torpescamus in precatione, ut finem fidei nostræ consequamur. Pergit aũt Christus exponere fructũ & utilitatẽ mortis suæ, ne cum uiderint ipsum capi & cruci affigi, offendãtur. Non propter me, inquit, hæc uox uenit, sed propter uos: uidelicet ut cognoscatis ꝙ mors mea, quæ mox secutura est, nõ sit interitus, sed illustratio nominis Dei. Dixit Deus, se & antè illustrasse per me nomẽ suũ, & iterũ illustraturũ. Quare cũ uideritis me obꝺci omni generi cõtumeliæ, adeoq̃ horribili morti, nõ existimetis me periturũ, sed potius magnum fructũ, & utilitatem mea morte allaturũ. Ecquæ est illa mortis tuæ utilitas? Sequit: Nũc iudiciũ est mũdi huius. Nunc Princeps mũdi huius eꝺciet foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, oẽs traham ad meipsum. Hæc est insignis & memorabilis concio, ac una è prẽcipuis concionibus, quas Christus in terra habuit

Patris uox cœlestis de filio quam afferat utilitatem.

Mortis Christi utilitas.

ra habuit. Docet enim quantum sit beneficium mortis suæ. Nam cp de morte sua concionetur, Euãgelista ipse exponit. Hoc aũt, inquiens, dicebat, significans, qua morte (uidelicet morte crucis) esset moriturus. Sed & turba ipsa auditorꝝ intelligit eum loqui de sua morte, quẽadmodum mox sequitur. Quod ergò Christus dicit, hanc habet sententiam. Nunc tempus est, q̃ mundus iudicabit, seu reformabitur, & omnia rectè cõponentur ac cõstituentur. Nunc tempus est, q̃ crudelissimus tyrãnus in exilium ejiciatur, & deportetur. Hic .n. mundus opprimitur à sęuissimo Principe ac tyranno, qui miseros hoïes crudeliter tractat, cuius libidine fit, ut omnia in rebus humanis sint prępostera, peruersa, & conturbata. Tempus igitur est, ut hic tyrãnus, proscribatur & in exilium deportetur, quò miseri hoïes à tyrãnide liberentur, & meo imperio, quod futurum est moderatissimũ, subjciant. Cum enim exaltatus fuero, attraham ad me oẽs homines à tyranno oppressos, ut in meo regno iucundam, tranquillam & fœlicem uitã ducant. Hæc ferè est sententia uerborũ Christi. Non dubito aũt, quin Iudæi ac etiam discipuli, ut erant adhuc carnales, intellexerint hęc uerba Christi de externa huius mũdi reformatione, & ejectione Tiberij Cæsaris, & aliorꝝ Regum ac Principum, qui tunc rerũ inter gentes potiebãtur, ut Messias cum Iudæis suis in tota terra dominaretur. De Messia .n. dicit Psalmus: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec auferatur luna: Et dominabitur à mari usq; ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. Et mox: Liberabit pauperem à potente, (hoc est, tyranno) pauperem cui non erat adiutor: Parcet pauperi & inopi, & animas pauperꝝ saluas faciet. Et in Esaia dicit Messias: Ponam uisitationẽ tuã pacem, & prępositos iusticiam. Non audietur ultra iniquitas in terra tua, uastitas & contritio in terminis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio. Dicit & Daniel regnũ Messiæ aboliturum oïa alia regna huius terrę. Cõminuet, inquiens, & cõsumet uniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum. Quare cum auditores concionis Iesu senserint eum esse Christũ seu Messiam, ac intellexerint hæc & id genus alia Prophetarꝝ uaticinia de corporali regno Messiæ, dubiũ nõ est, quin existimauerint Christũ hoc loco cõcionari, se externos huius mũdi Principes oppressurꝝ, & in exiliũ ejecturum, ut Iudæi tyrãnide liberati, trãquillam & fœlicẽ in hac terra uitã agere queant. Sed quẽadmodum Prophetę, etsi, cum de regno Messię uaticinant, utuntur pro tẽporis sui ratione, uerbis externã & corporalem fœlicitatem significãtibus, tamen per ea nõ intelligunt corporale, sed spirituale regnũ: ita Christus non docet in hac cõcione se in hoc primo suo aduentu mutaturum exaltatione sua externum huius mundi statum, sed suscipit se reformaturum hunc mundum spiritualiter, & oppressurum tyrannum spiritualem. Per mundum enim intelligit homines tyrannidi Satanæ propter peccatum obnoxios. Per Principem autem mũdi intelligit Satanam, qui ut hoc loco uocatur Princeps huius mũdi, ita & apud Paulum uocatur Princeps, cui potestas est aeris, & Deus huius seculi. Initiò enim cum hic mundus conditus sit à Deo per filium suũ, debetur etiam filio principatus mũdi. Deinde, cum homo sit conditus à Deo ad simili

Psalm. 71.

Christus quo
modo reformet mundum.
2 Corint. 4.
Ephes. 2.

tudinem & imaginē filij ſui, conſtitutus eſt & ipſe Princeps huius mundi, ut etiam hac parte reſpōderet imagini ſuę: Faciamus, inquit, hominē ad imaginem & ſimilitudinē noſtram, ut præſit piſcibus maris & uolatilibus cœli & beſtijs, uniuerſęq; terræ. Poſtq̄ autem homo peccauit, & factus eſt, ꝓpter peccatū imago Satanę, qui ab initiò peccat, nō ſolùm amiſit principatū, uerūetiam ſubiectus eſt poteſtati Satanę. Et quia Satan accepit, ꝓpter peccatum, dominatiōem in hominē, factus eſt etiam dñs & princeps huius mundi. Eſt aūt Satan mendax & homicida, ac hoſtis omnium diuinorū bonorū, quippe ꝙ odio filij Dei, qui eſt omnis fœlicitatis theſaurus, ſuſceperit cum ipſo irreconciliabile bellum. Quare poſtq̄ conſecutus eſt dominationem huius mundi, & principis eius, hominis, in hoc ſolū ſtudium incumbit, ut omnia diuinitùs ordinata inuertat & perturbet. Itaq; homo impellitur à Satana ad peccatū, cum ſit conditus ad præſtandam iuſticiam: affligitur morbis, exilijs, paupertate, & multis alijs calamitatibus, cùm deberet, iuxta cōditionem ſuam conſtanti ſanitate ac fœlicitate frui: traditur morti, cum deberet ꝓpetuam agere uitā: obijcitur flammis inferni, cum deberet frui cœleſti gaudio. Vides magnam rerum inuerſionē, ac deformationem, quam tyrānus Satan in orbem terrarū inuexit. Quid enim poteſt magis præpoſterum, cōfuſum, & perturbatum eſſe, quàm quòd homo, qui conditus eſt iuſtus, pius, immortalis, fœlix, dominus ac princeps huius mundi, factus ſit iniuſtus, impius, mortalis, infœlix, ſeruus ac mancipiū crudeliſsimi tyranni Satanæ? Sed bene habet. De reformatione huius rei, & ſalute hominis nondum prorſus conclamatū eſt. Nunc, inquit Chriſtus, eſt iudiciū huius mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras, hoc eſt, nūc aduenit tēpus, quo ego reformabo mundum, & reſtituam ei ſuam ſalutem. Nūc aduenit tempus, quo Tyrannus Satan proturbabitur è mundo, & priuabitur ſua poteſtate. Poſtquàm eū exaltatus fuero in crucē, & moriar, attraham ad me oēs, hoc eſt, non ſolū Iudæos, uerūetiam Gentes, ut quotquot ex ijs in me credūt, conſequantur iuſticiam, uitam, & cœleſte regnū. Nam, ut pauca quædam dicamus de fructu & utilitate exaltationis, ſeu mortis Chriſti, Primū mors Chriſti expiauit peccatū. Quare q̄ in Chriſtum credit, ſiue ſit circūciſus ſiue incircumciſus, habet remiſsiōem peccati, & reputat coram Deo iuſtus. Deinde mors Chriſti expugnauit ipſam mortem, & quæ ſunt mortis adminiſtrę, afflictiones. Quare, qui in Chriſtū credit, non poteſt in afflictiōibus & morte perire. Adhęc mors Chriſti expugnauit infernū, & recuperauit cœlum. Non derelinques, inquit Chriſtus in Pſalmo, animam meā in inferno, nec dabis ut ſanctus tuus uideat corruptionē. Et iterum: Ero mors tua, ô mors, morſus tuus inferne. Quid plura? Chriſtus morte ſua eiecit Satanā è tyrānide ſua unà cū peccato, morte, & inferno. De Chriſto .n. iam inde ab initio orbis terræ dictū erat: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, quod eſt tyrānis Satanę. Et q̄d promiſſum erat, hoc Chriſtus iam impleri docet, cum ait: Nunc eſt iudicium huius mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Docet & Paulus hoc, morte Chriſti impletum eſſe: Suſtulit, inquiens, è medio chirographum, affixum cruci, expoliatosq; principatus ac

Mortis Chriſti fructus.

Colo. 2.

tus ac potestates ostentauit palàm, triũphans de illis per semetipsum. Et Ioannes: Ad hoc apparuit filius Dei, ut dissoluat opera Diaboli. Et ad Hebræos: Posteaq̃ pueri cõmercium habent cum carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorũdem, ut per mortem aboleret eũ, qui mortis habebat imperiũ, hoc est, Diabolũ, & liberos redderet eos, quicũq̃ metu mortis per omnẽ uitam obnoxij erant seruituti. Quare nihil manifestius, nihilq̃ certius est, q̃ quòd Christus morte sua iudicauerit seu reformauerit mundũ, & eiecerit tyrãnum mũdi in exilium. Quid ergò dicemus? An tunc primum uictus & eiectus est Satan, cum Christus crucifixus & mortuus est sub Põtio Pilato? Quõ igitur seruati sunt Patriarchæ & Prophetæ ac alij pij, qui fuerunt ante aduentũ Christi in carnem? De hac re ita sentiẽdum est, q̃ uictoria quidẽ ipsa tũc primum parta est, cum Christus mortẽ subijt, fructus aũt eius uictoriæ nõ solùm peruenit ad eos homines, q̃ post aduẽtum Christi uitã agunt, & credunt in Christum, sed etiã peruenit ad oẽs eos, qui ante Christũ, crediderunt in Christum ꝓmissum, iam inde ab initio cõditi orbis. Nam quẽadmodum si lumẽ accenderis, spargit lucem suã non ad unam tãtum partem, sed ad oẽs eius loci partes: ita Christus sub Pontio Pilato in cruce exaltatus, & mortuus, sparsit fructũ mortis suæ nõ ad unã tãtùm ętatem hominum, sed ad uniuersas huius mundi ætates, siue antè siue post incarnationem suã, ideoq̃ agnus dicitur ab origine mũdi occisus. Nam ob hanc causam Christus statim post lapsum Adæ ꝓmissus est, ut tã ipse Adam, q̃ posteri eius, quotquot crederent in Christum, fruerentur beneficijs Christi. Abraham, inquit Christus, pater uester exultauit, ut uideret diẽ meũ. Vidit & gauisus est. Et Paulus: Bibebant, inquit, de spirituali quæ illos comitabatur Petra. Petra aũt erat Christus. Ac Petrus: Neq̃ patres nostri, neq̃ nos potuimus portare iugum legis, sed per gratiã Domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, QVEMADMODVM ET ILLI. Quare etsi Patriarchæ & alij pij ante aduẽtum Christi non peruenerunt corporali sua ætate in hoc mundo usq̃ ad externum tẽpus mortis Christi, peruenerunt tamen fide sua usq̃ ad beneficia, quę Christus morte sua omnibus credentibus in ipsum impetrauit. Sed q̃modo, inquies, eiectus est Satan, & Christus oĩa reformauit ac in legitimũ suũ ordinem restituit, cum nõ minus hoc tẽpore, q̃ ante aduentum Christi, Satan in homines grassetur, & homines peccent, affligãtur & moriant? Hic ergò obserua mihi, q̃ Satan proscriptus quidem sit, & eiectus in exilium, non autem occisus aut interfectus. Adhuc enim obambulat tanquàm leo rugiens, & quęrit quẽ deuoret. Ablata est ei per mortem Christi tyrannis, sed non est ei ablatus affectus tyrannidis. Adhuc enim affectat tyrannidem in hominem, adhuc omnem mouet, ut dici solet, lapidem, quo hominem morte Christi liberatum, iterum in uincula & captiuitatem suam retrahat. Quare summa dãda est opera, ut qui semel è uinculis eius per fidem in CHRISTVM euaserit, non amplius sese tradat ei captiuum. Tradimus autem nos captiuos Satanæ, si uersemur iuxta carnem, si obediamus cupiditati peccati, si accommodemus membra nostra, arma iniusticiæ peccato. Quantum igitur abhorremus a

1. Ioan. 3.

Patriarchæ, Prophetæ et alij pij ante aduentum Christi quomodo sint seruati.

Christus agnus ab origine mundi occisus.

1. Corint. 10. Actorum 15.

Satan quomodo eiectus sit & uictus.

Satana,& uinculis eius,tantùm abhorrere debemus à peccato,& cupidi tatibus eius.Deinde Christus ita reformauit omnia in hoc mundo,non ꝙ ſuſceperit ſe mutaturum externum huius ſeculi ſtatum, Donec enim hoc ſeculum ſteterit,homines habebunt peccatū in carne,affligentur & morientur,ſed ita reformauit, ut uulgauerit Euãgelion ſuum in uniuerſum orbem terrarꝝ, ut quicunꝙ crediderit per Euangelion in ipſum,& nõ uerſatus fuerit ſecundum carnẽ,reputetur coram Deo iuſtus,etiamſi habeat adhuc peccatū in carne,& nõ pereat,etiamſi affligat & moriatur. Nulla,inquit Paulus,eſt condemnatio his qui inſiti ſunt Chriſto Ieſu,ꝙ non iuxta carnem uerſantur,ſed iuxta ſpiritum.Et Chriſtus:Ego ſum reſurrectio & uita.Qui credit in me etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Quare etſi Satan graſſatur adhuc in homines omnibus generibus calamitatũ, adeoꝙ morte ipſa,nõ tamen poteſt perdere eos, qui ſunt in Chriſto Ieſu per fidem.Nec graſſabitur perpetuò.Nam hoc quidem tempore adhuc uagatur,& uagabitur uſqꝙ ad nouiſsimũ diem,ſi quo modo efficere queat,ut iterũ recuperet amiſſam ſuã dominationem in eos, qui credũt in Chriſtum.In nouiſsimo aũt die ita capietur & uincietur, ut in perpetuũ non poſsit amplius pijs uel externa uel interna afflictione moleſtus eſſe.Nouiſsimus(inquit Paulus)hoſtis aboletur mors.Et aliâs.Diabolus,qui ſeducebat eos,miſſus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris,ubi & beſtia & Pſeudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum. Quod igit̃ Chriſtus dicit:Nunc eſt iudiciũ huius mundi, nũc Princeps huius mundi eijcietur foras,ſentiamus eſſe concionẽ de uictoria, quam Chriſtus morte ſua ex Satana reportauit,ut nos à tyrannide Satanę liberemur.Et quia Paulus dicit: Verbũ Dei eſſe gladium ſpiritus, utamur hoc uerbo Chriſti aduerſus oẽs Satanæ incurſiones,quò poſsimus Satanæ reſiſtere, & uictoriam per Chriſtũ obtinere. Si .n. Satan ſollicitat te ad obediendũ cupiditati peccati, memẽto ꝙ Chriſtus dixit Satanam foras eiectum eſſe. Cur ergò tu iterum eum reciperes? cur tu eum iterũ in regnũ eius reſtitueres? Si Satan obtrudit tibi coram tribunali Dei peccata tua,obtrude tu uiciſsim ei ,pſcriptionem & eiectionẽ eius in exiliũ. Proſcriptus eſt,& ut iſti loquũtur,deportatus. Non habet ius ſtandi in iudicio Dei aduerſus eos,ꝙ per Chriſtũ liberati,& Chriſto inſerti ſunt. Si Satan,oborta afflictione,aut immiſsa morte, cogitat noſtri interneci nem,rideamus potius,q̃ extimeſcamus conſilium & conatum eius.Eiectus eſt em̃ per Chriſtũ, & omni ſua poteſtate ac tyrannide expoliatus. Quare etſi adhuc fremit & ſęuit,nocere tamẽ non poteſt.Sed agite,perſtringamus & ea uerba,quæ Chriſtus addit: Ego,inquiens, ſi exaltatus fuero à terra,oẽs traham ad meipſum.Quid eſt,ſi fuero exaltatus? Euangeliſta ipſe exponit, dicens eum ſignificaſſe his uerbis, qua morte eſſet moriturus,uidelicet morte crucis.In cruce .n.qui ſuſpẽduntur,exaltant̃ à terra.Quid ergo de hac exaltatione Chriſti ſentiendum eſt? Alij,ſi exaltantur cruce, exponuntur publicæ ignominiæ, & fugant potius à ſe homines , quàm quòd ad ſe attrahant. Quis enim uelit ſe coniungere cum ijs,qui ſunt à DEO maledicti,quales diuina ſcriptura pronunciat eos,qui pendent in ligno? Chriſtus autem exaltatus in cruce,primùm,

Peccata, afflictiones & mors quomodo reformata ſint.

1. Corint. 15. Apoc. 20.

Satanæ proſcriptio.

Chriſtus exaltatione ſua quid impetrauerit.

Deut. 21.

ſummam

ſummam cõſecutus eſt gloriã. Humiliauit, inquit Paulus, ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortẽ, mortem aũt crucis. Quapropter & Deus extulit illũ in ſummam ſublimitatem, ac donauit illi nomẽ, q̃d eſt ſupra omne nomen, ut in noĩe Ieſu omne genu ſe flectat cœleſtium, terreſtriũ, ac inferno-rũ. Deinde exaltatus in cruce traxit ad ſe OMNES, hoc eſt, nõ ſolũ Iudæos, uerũ etiam gẽtes. Nam cũ factus ſit maledictũ (Maledictus .n. à Deo, omnis q̃ pendet in ligno) redemit oẽs à maledictione legis, ut quotquot in ipſum credunt, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue dñi, ſiue ſerui, cõ ſequantur ueram & æternam iuſticiæ, uitæ, ac regni cœleſtis benedictionem. Sicut Moſes (inquit) exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hoĩs, ut OMNIS, (uidelicet, ſiue Iudæus, ſiue Græcus) qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat uitam æternam. Et Paulus: Vos, inquit, qui quõdam eratis longinqui facti eſtis propinqui per ſanguinem Chriſti, ipſe emĩ eſt pax noſtra, q̃ fecit ex utriſq; unum, & interſtitiũ maceriæ diruit. Et mox: Faciens pacem, ut reconciliaret ambos in uno corpore Deo, per crucẽ, perempta inimicitia per eam, & ueniens euangeliſauit pacẽ uobis, qui procul aberatis, & ijs qui prope. Cum igitur Chriſtus exaltatione ſua impetrauerit, ut Deus ſine omni perſonarũ reſpectu faueat ijs, qui in ipſum credunt, agamus ei gratias, & quia ſumus miſeri & abiecti hoĩes, tanto illuſtriorẽ ſperemus ſalutem, quãto ſumus in hac terra abiectiores. Cæterum, q̃ utitur uerbo TRAHENDI, Traham, inquiens, ad me oẽs, non intelligas de externa dominatione, & uiolenta coactione, ſed de iucundo illo tractu, qui fit Spiritu ſancto per Euangelion Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Poſtq; enim Chriſtus exaltatus eſt in cruce & mortuus, reſurrexit à mortuis, & uulgauit Euangelion ſuum in uniuerſum mũdum, inter omnes gentes. Quo factũ eſt, ut quotquot crediderunt Euangelio, traherentur ad Chriſtũ iucũdiſſima & gratiſſima uoluntate. Quis emĩ peccati onus ſentiens, nõ feſtinaret ad Chriſtũ, peccati onere liberãtem? Quis horroribus mortis cõcuſſus, non contẽderet citiſſimus ad Chriſtũ, mortis uictorẽ? Quis inferni ardoribus inflãmatus non accurreret ad Chriſtũ flãmarum inferni extinctorẽ? Hic eſt tractus Euangelij, hic eſt tractus Spiritus ſancti, quem q̃ ſequitur, ſuam ſalutẽ & æternã uitam ſequit. Sed audiamus nunc etiam uulgũ. Reſpondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, q̃ Chriſtus manet in æternũ. Et quõ tu dicis: Oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hoĩs? Hoc planè eſt contẽnere & p̃ nihilo putare inſignem cõcionem Chriſti. Quod emĩ dicunt, habet hanc ſententiam. Cõcionaris nobis, neſcio quæ, de tui exaltatione. Audiuimus & antea te eadẽ penè concionatũ eſſe de filio quodã hoĩs. Dicebas enim: Oportet filium hominis exaltari. Quis ergò eſt ille filius hoĩs? Tu non diſſimulas, te eſſe Chriſtum. Si Chriſtus es, q̃modo conuenit, ut exalteris, hoc eſt, ut moriaris? An nõ de Chriſto ſcriptum eſt: Regnaturũ eum ſuper ſolio Dauidis in ſempiternũ? Apage igit cum illa uerborũ tuorum pugnantia, qua nunc te iactas eſſe Chriſtum, nunc dicis te moriturum. Sed apagete potius uos cum ueſtra inepta obiectione. Non enim hoc agitis, ut Chriſtum uerè cognoſcatis, & ueram iuſticiam ac ſalutem in ipſo quæratis, ſed ut terrenam dominationẽ, & carna

Ephes. 2.

Spiritus ſancti tractus.

"
"
"

Ioan. 3.

Eſaiæ 9.

lem fœlicitatẽ per eum cõſequamini. Nam ſi ſeriò inueſtigaretis, quid de Chriſto ſcriptũ eſſet, profectò cognoſceretis, q̃ Chriſtus non tãtum eſſet perpetuò regnaturus, ſed etiam moriturus. Dauid enim & Eſaias, qui plura omnibus alijs Prophetis de Chriſto cõcionati ſunt, præclara quidẽ dicunt de maieſtate & æternitate regni Chriſti, ſed ĩdem multa etiam docent de cruce & morte Chriſti. Quod cùm manifeſtum ſit, non reſpondet hoc loco Ieſus ad obiectionem Iudæorũ, præſertim, cum inebriati opinione mundani regni Chriſti, nõ intellexiſſent, etiamſi multa de ſpirituali eius regno dicta eſſent. Sed reprehẽdit eorũ ſecuritatem, & monet, ut in tempore ſaluti ſuæ cõſulant. Dixit ergò eis Ieſus: Adhuc ad breue tẽpus lumen uobiſcum eſt. Ambulate, donec lucem habeatis, ne uos tenebræ occupent. Et q̃ ambulat in tenebris, neſcit quò uadat. Dum lucem habetis, credite in lucẽ, ut filij lucis ſitis. Hæc eſt grauis cohortatio, qua Chriſtus admonet Iudæos, ut dum licet, rebus ſuis ſuccurrant. Ac planè eadẽ eſt ſententia, cum ea cõcione, quam Ioãnes Baptiſta ad Iudæos habuit: Ne ſitis, inquiens, hac mente, ut dicatis intra uos ipſos, Patrem habemus Abraham. Dico.n. uobis, q̃ poſsit Deus facere, ut ex lapidibus his filij ſurgant ipſi Abrahæ. Iam uerò & ſecuris ad radicẽ arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor, quæ nõ facit fructum bonũ, excidit & in ignẽ mittitur. Eadem & Chriſtus hoc loco concionatur: Vos contemnitis & reijcitis meam doctrinã, ac exiſtimatis uos idcirco eſſe populum Dei, q̃ ducitis genus ueſtrũ ex Abrahamo, & habetis legem Moſi, nec quicq̃ uobis deeſſe putatis ad conſequendam iuſticiam & cœleſtem hereditatem, ſi modò animum ueſtrum ad legem & opera eius intenderitis, ac bona terræ huius poſſederitis. Ego uerò nihil uos celabo. Res ueſtræ multò peius ſe habent, q̃ uos cogitatis. Adhuc breue tempus lumen uobiſcum erit. Ego ſum lux huius mundi, & prædico uobis Euangelion meũ, quod eſt lux lucens omni credenti in æternã iuſticiam ac uitam. Sed nõ manebo multo tẽpore inter uos, nec diu fungar hoc prædicandi Euãgelij miniſterio. Sunt & mei Apoſtoli, ſua quadã ratione, lux mundi, & prædicabũt adhuc aliquanto tempore poſt meam mortem & reſurrectionem Euãgelion inter uos. Paulò poſt ſequetur totius gentis ueſtræ internecio & exæcatio. Veſtra urbs diruetur, uos abijciemini, ne ſitis amplius populus Dei. Itaq; amittetis non ſolùm corporalia, uerũetiam ſpiritualia & cœleſtia bona. Quare moneo uos, ne tã ſecurè & præfractè contẽnatis meum Euãgelion. Audite meã concionem, & ſectamini uocationẽ eius, dum licet, & lux lucet, ne ſi hanc occaſiõem neglexeritis, tenebræ uos occupent. Tempus illud inſtat, q̃ non ſolùm extremæ calamitates corporis, uerũetiam horribiles tenebræ & exæcationes animi ueſtram gentem obruent. Quare ſi uultis ueſtris rebus probè cõſulere, utimini hac luce, quæ nunc uobis lucet, credite Euãgelio meo, quod uobis perſpicuè adnũciatur, ut ſitis filij lucis, ut ſplendore huius lucis illuminemini, ut participes eius fiatis, ut fructũ & hereditatẽ, quam Euãgelion meũ pollicetur, capiatis. Quid ergò factum eſt? Num Iudæi hac cohortatione excitati ſunt ad ſectãdam lucem? Nihil certè minus. Tãtum enim abeſt, ut lucem Euangelij Chriſti agnouerint, ut paulò poſt Chriſtum

Occaſionem audiendi Euangelij non negligendam eſſe.

stum crucifixerint,& Apostolos eius crudeliter persecuti sint. Perierũt igitur supplicio factis suis dignissimo,ac nõ tãtum exuti sunt oĩbus terrenis suis fortunis, uerumetiam sic cæcati sunt, ut non possint amplius, nec è peccatis ad iusticiam, nec è morte ad uitam, nec ex inferni doloribus ad cœlestia gaudia euadere,sed quemadmodum Moses dixit: Palpent in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, ac inæternum pereant.Fruamur nos aliena insania, & faciant nos aliorum pericula cautos.Accensa.n.etiam inter nos est lux Euãgelij Domini nostri Iesu Christi,per diuinam clementiam,Qua luce uidemus rectam uiam ad iusticiam,uitam,& cœleste regnum.Hæc enim bona sunt, ad quæ sectanda & possidenda creati & recreati sumus.Hæc est uocatio nostra, cui si paruerimus, fieri non potest,quin splendore cœlestis lucis illustremur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula,Amen.

HOMILIA XIIII.

ON adeo maiestatis Domini nostri Iesu Christi obliti esse debemus, ut cum Euangelista scribit, eũ digressum abscondisse se à Iudæis, sentiamus eum carnali quodam metu fugisse,ne mortem,quę ex uocatione Dei Patris suscipienda erat,subiret.Dicit enim Euãgelista: Hæc locutus est Iesus, ac digressus,abscõdit se ab eis.Non est igitur nec ociosum,nec superuacaneũ, ut cõsideremus quibus de causis Iesus sese à Iudęis absconderit.Primùm enim,etsi abscondit se nũc, tamen paulò post,iterũ in medium ꝓcedit, ut cum instet tempus passiõis suæ, manifestè significet se non coactè,sed liberè susciperе mortem.Sic enim iam absconditus erat,ut nullus Iudęorum potuisset in ipsum manus injicere,attamen sponte sua, iterũ sese inferat turbæ Hierosolymitanæ,ut re ipsa uideamus, eũ in suscipienda cruce &morte uolũtati Patris ultrò parêre.Multum aũt refert scire,quòd Iesus sponte ac uoluntate sua susceperit mortem,uidelicet ut palàm constaret, ꝙ cum uerè & perfectè obedierit uocationi Patris sui, uerè etiã ac perfectè expiauerit peccata nostra. De qua re postea in historia passionis multa dicentur.Deinde Iesus abscondit se etiam ꝓpter hanc causam à Iudęis,ut palàm significet, se mox ab ipsis ita discessurum, ut relinquantur in omnibus miseriis corporis & animæ. Contemnunt.n. & derident eum unà cum suis concionibus & miraculis,nec uolunt intelligere tempus uisitationis suæ. Quare dignissimi sunt, ꝙ à Iesu Christo nõ tantùm corporaliter, sed etiam spiritualiter deserantur.Etsi autem Christus ascendit nunc in cœlum,& non amplius solet sese humana carne hominibus uisibilem in hac terra antè nouissimum diem ostẽdere, tamen ꝓposuit sese nobis quodãmodo uisibilem in uerbo Euangelij sui,& in sacramentis suis.Quid igitur faciendum est, ut retineamus eum præsentem, ne sese à nobis, sicut à Iudæis, abscõdat? Omnino enim præsentia eius necessaria nobis est ad salutem. Si sanitas corporalis discesserit, si terrenæ opes sese à nobis abscõderint, si corporalis uita aufugerit, uidetur quidem infœlicitas esse, non est autem nec summa nec extrema. Sed si discesserit ac dereliqueria

Christus quare se absconderit.

Christi discessio summa est infœlicitas.

nos Iesus Christus, hæc demũ est summa & extrema infœlicitas. Discedente. n. Christo, discedit æterna iustitia & uita, discedit sempiterna salus, & cœleste regnũ. In horum aũt bonorum locũ, succedũt peccatum, & mors, interitus & infernus. Nihil ergò magis necessarium est, q̃ ut retineamus nobiscũ Iesum Christum. Retinemus aũt eum ardenti amore uerbi eius, constanti fide Euangelij eius, & diligenti obedientia uocationis eius. Quare nihil nobis prius in mentẽ ueniat, q̃ ut Euangelion Iesu Christi summa fide & obsequio excipiamus. Sed audiamus nũc descriptionem incredulitatis & impietatis Iudæorum. Sic. n. scribit Euangelista: Cum aũt tam multa signa fecisset coram eis, nõ credebant in eum, ut sermo Esaiæ Prophetæ impleretur, quẽ dixit: Domine quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui reuelatũ est? Multa fecit Iesus miracula inter Iudæos, quæ si scribantur, quẽadmodum Euangelista aliâs dicit, per singula, nec ipse opinor mundus caperet eos, q̃ scriberentur libros, & tamẽ Iudæi non crediderunt eum uerũ esse Messiam. Quid magis mirũ dici potest? Ac profectò hæc Iudæorũ incredulitas, uidetur magno esse offendiculo. Nam q̃ tam pauci Iudæi crediderũt in Iesum Christum, & q̃ principes Iudæorũ persecuti sunt Iesum, nec agnouerũt eum Messiam, sed potius crucifixerunt eum, posset imbecillibus excitare suspitionem, hunc Iesum nõ esse uerum Messiam, seu Christum. Christus enim ꝓmissus fuit Iudæis, & dicit Propheta, Iudæos habitaturos confidenter sub Christo. Et alius de fœlicitate Iudæorum sub Christo sic cõcionatur: Venient ad te curui filij eorũ, qui humiliauerunt te, & adorabunt uestigia pedum tuorum oẽs qui detrahebant tibi. Et iterũ: Pro eo q̃ fuisti derelicta & odio habita, & nõ erat qui per te transiret, ponam te in superbiam seculorũ, gaudium in generationem & generationẽ. Hæc & multa alia prædicãtur à Prophetis de fœlicitate, quæ Iudæis per Christum euẽtura sit. Sed eccè rem admirãdam. Cum Iesus uenisset, ac significaret tam concionibus q̃ miraculis suis se esse uerũ Christum, Iudæi sic abominati sunt ipsum, ut etiam omni contumeliæ genere affectũ occiderint. Quis igitur nõ offenderetur, & cogitaret, hunc Iesum non esse uerum Christum? Manet idẽ offendiculum etiam hisce adhuc temporibus. Maxima oĩm gentium multitudo est Turcarum & Sarracenorum. Hi aũt nõ agnoscunt Iesum Christum, uerum esse seruatorem, & quanq̃ dicant eum fuisse Prophetam, tamen impiè negant diuinam eius maiestatem. Inter Christianos ipsos, paucissimi sunt, qui uerã habent cognitionem & fidem in Christum. An non hæc omnia possent imbecillibus & imperitis injcere cogitationes, q̃ hic Iesus non sit uerus Christus? Si enim esset uerus Christus, profectò plures crederent in ipsum. Sed hoc offendiculũ tollit è medio Euangelista uaticinio Esaiæ Prophetæ. Nam cum Esaias capite 53. describeret maiestatem Christi, & doceret eum illustrem & sublimem ualdè fore, ut & regibus sit formidabilis ac uenerabilis, addit: Quis credidit sermoni nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? hoc est, Christus magnus quidem erit & illustris, sed quia non erit iuxta humanam expectationem speciosus, nec dominabitur in terris regio more, idcirco quis credet Euangelio eius? &

Iudæorum incredulitas.

Hiere. 13.

Esaiæ 60.

Paucitas credentium multos offendit.

quis

quis agnoſcet brachiũ Domini? quis agnoſcet potẽtiam & maieſtatem Chriſti, qui eſt uerus Dñs Deus noſter? nimirum pauciſsimi. Allegat & Paulus hunc Eſaiæ locum de paucitate credẽtium in Chriſtum. Ad Romanos enim ſcribens: At non oẽs, inquit, obedierunt Euangelio. Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit ſermonibus noſtris? Nec unus tantũ nec in uno tantũ loco uaticinatus eſt Eſaias pauciſsimos Iudæos creditu ros in Chriſtum, ſed accedunt etiam uaticinia aliorũ Prophetarum. Primus Moſes dicit: Generatio peruerſa eſt, & infideles filij. Ipſi me ꝓuocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus ſuis. Et ego ꝓuocabo eos in eo qui nõ eſt populus, & in gente ſtulta irritabo eos. Dauid autem dicit: Fiat menſa eorũ coram ipſis in laqueũ, & in retributiones, & in ſcandalum. Obſcurentur oculi eorũ ne uideant, & dorſum eorum ſemper incurua. Hæc de exceꝯatione & incredulitate Iudæorum dicta eſſe, perſpicuè exponit Paulus in epiſtola ad Romanos capite undecimo. Sed de hac re Eſaias ſæpe ac multum cõcionatur. In primo cap. ait: Niſi Dominus Zebaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Zodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorra ſimiles eſſemus. Et ca. octauo: Dominũ Zebaoth ipſum ſanctificate, & ipſe pauor ueſter, & ipſe terror ueſter, & erit uobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis & petram ſcandali duabus domibus Iſrael, & in laqueum & in ruinam habitantibus Hieruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur. Et iterum, capite decimo: Si fuerit populus tuus Iſrael, quaſi arena maris, reliquiæ (hoc eſt, uiliſsima & pauciſsima pars populi) ſaluæ erunt. Hæc & id genus alia dicta, ſunt Prophetica teſtimonia, ꝙ etſi Chriſtus fuit Iudæis ꝓmiſſus, & Iudæi fuerunt populus Dei, tamen pauciſsimi Iudæi ſint in ipſum crediturí. Quare monuit nos ſpiritus ſanctus per Prophetas, ne offendamur paucitate Iudæorũ credentium in Chriſtum. Nam cum Prophetę tàm perſpicuè cõcionati ſint de incredulitate Iudæorum, multò magis admirandum eſſet, ſi multi, ꝙ ſi pauci eorum in Chriſtum credidiſſent. Cum autem tam pauci Iudæi agnouerint Ieſum Chriſtum, manifeſtũ & hoc, præter alia, argumẽtum eſt, ꝙ hic Ieſus, ſit uerus ille, quẽ Prophetæ ꝓmiſerunt, Chriſtus. Quid enim dicemus? Num ſentiemus eum eſſe uerũ Chriſtum, quẽ maxima Iudæorum pars Chriſtum agnoſcit? At uenit poſt uerũ Chriſtum Dominum noſtrum, Cochabas quidam, cui adiunxit ſe uniuerſa Iudæorũ colluuies, & crediderunt in eum tanq̃ in uerum Chriſtum: Ergóne dicemus hũc Cochabam fuiſſe uerũ Chriſtum? Minimè omniũ. Tantũ em̃ abſuit, ut hic liberauerit Iudæos ſuos à malis, & reſtituerit eos ſuæ fœlicitati, ut potius abduxerit tam ſe, quàm oẽs aſſeclas ſuos in extremam tã corporis, ꝙ animæ internecionem. Quod de Iudęis dictũ eſt, hoc idem intelligendum erit de multitudine hoĩm in toto mundo. Non agnoſcit Ieſum eſſe uerum Chriſtum uniuerſus hic mũdus: Suſpicabimur ergo eum non eſſe uerũ Chriſtum? Abſit longiſsimè. Non rogo, inquit Chriſtus, pro mundo, uidelicet manifeſtè ſignificans, non uniuerſum mundum crediturum in ipſum. Et mũdus totus in malo cõſtitutus eſt. Et iterum: Multi uocati, pauci uerò electi. Quare ſi uniuerſus mundus crede-

Deut. 13.

Pſalm. 68.

Incredulitas Iudæorũ argumẽtum eſt Ieſum eſſe Meßiam.

rent hũc Iesum esse uerũ Christum, multò magis suspicaretur quispiam eum non esse uerũ Christum, q̃ si pauci in ipsum crederent. Nunc autẽ quia uidemus magnam paucitatem uerè credentiũ, admonemur etiam hoc signo, ut solum hunc Iesum, uerũ Christum seruatorẽ nostrum adoremus. Sed quæso te, quid causæ est, q̃ tam pauci Iudæi crediderint in Christum, & adhuc his temporibus, magnæ molis sit, ex tot millibus Iudæorũ, unum pium Christianũ facere? Causa in promptu est. Non potuerunt credere, nec adhuc possunt credere. Sic em̃ addit Euangelista: Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcauit oculos eorũ, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & cõuertantur & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando uidit gloriã eius, & locutus est de eo. Hoc Esaiæ dictum, quod cap. 6. scribitur, celeberrimum & clarissimum est non solum apud singulos Euangelistas, uerum etiam apud Paulũ, in Actis Apostolicis cap. 28. & in epistola ad Romanos, cap. 11. Quare dignissimum est, quod magna diligentia conseruemus, & accurata obseruatione consideremus. Ac primum, Ioannes dicit Esaiam in eo, quem citauit, loco uidisse maiestatem Iesu Christi, & uaticinatum esse de Christo: Hæc, inquiens, dixit Esaias, quando uidit gloriam EIVS (uidelicet Christi, de hoc em̃ sermo est) & locutus est de EO. Manifestum autem & perspicuum est, q̃ Esaias affirmet se uidisse uerũ, uiuum, æternum & omnipotentem Deum. Vidi, inquiens, Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum. Et postea: Seraphim clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS Deus Zebaoth. Plena est omnis terra gloria eius. Cum igitur Ioannes Apostolus & Euãgelista exponat hanc Prophetæ Esaiæ uisionẽ de Iesu Christo, nihil certius, nihilq̃ firmius est, quàm q̃ Iesus Christus sit Prophetica & Apostolica autoritate, hoc est, cœlesti spiritus sancti testimonio, uerus DOMINVS Deus Zebaoth, nec sit alius, præter Iesum Christum, Deus, nec in cœlo, nec in terra, quærendus. Deinde obserua, quòd hoc dictum Esaiæ contineat causam, propter quam Iudæi non potuerint credere in Iesum Christum, uidelicet, quòd fuerint excæcati à Domino. Quod enim apud Esaiam dicitur: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, & uidete uisionem, & nolite cognoscere. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. hoc recitauit Euangelista magis secundum sententiam, quàm uerba. Excæcauit, uidelicet Dominus, oculos eorum, & indurauit cor eorũ, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, &c. Quid ergo dicemus? Si Deus excæcauit Iudæos, excusabimus ne Iudæos, & reijciemus causam incredulitatis & impietatis in Dominum Deum nostrum? Quis enim potest uoluntati & potentiæ Dei obsistere? Absit, ut faciamus Deum autorem impietatis. Etsi enim Deus omnia gubernat, & nemo potest potẽtiæ eius obsistere, tamen nõ est Deus uolens iniquitatem, aut faciens peccatum, sed potius est Deus puniens iniquitatẽ, & supplicio afficiens peccatum. Quare excæcauit Iudæos, & abiecit eos in extremas tenebras, non ut peccaret & impiè ageret, sed ut peccatum & impietatem Iudæorum puniret. Spiritus sanctus enim manifestè docet in scriptura, quòd excæcatio & abiectio in tenebras,

Paucitatis credentium causa.

Matth. 13. Mar. 4. Luc. 8.

Christus uerus ab æterno Deus.

nebras, sit suppliciũ impietatis. In Deuteronomio capite uicesimooctauo scriptum est: Si audire nolueris uocem Domini Dei tui, percutiet te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, ut palpes in meridie, sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non dirigas uias tuas. An non hîc perspicuè dicitur, cæcitatem & furorem mentis esse impietatis pœnam? In Ezechiele capite decimoquarto dicit Dominus: Homo de domo Israel & de proselytis, quicũq; aduena fuerit in Israel, si alienatus fuerit à me, & posuerit Idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit cõtra faciem suam, & uenerit ad Prophetam, ut interroget me per eum, Ego Dominus respondebo ei per me, & ponam faciem meam super hominem illũ, & faciam eum in exẽplum & prouerbium. Et mox: luxta iniquitatem interrogãtis, sic erit iniquitas Prophetæ. Habes iterũ, impiam doctrinam, hoc est, seductionem ac errorem, ex quo mentes hominũ excęcantur, & obdurantur, esse impietatis supplicium. Paulus ad Thessalonicenses scribens: Aduentus, inquit, hominis sceleroſi est secũdum operationem Satanæ, cum omni potentia & signis & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniusticiæ in ijs, qui pereunt, pro eo quod ueritatem summo amore dignam nõ receperunt, in hoc, ut salui fierent: Et propterea mittet illis Deus efficatiam illusionis, ut credant mẽdacio. Vides etiam ex hoc Pauli testimonio, q̃ supplicium eorũ, qui doctrinã uerè piam contemnunt, sit decipi mendacio, & illudi, ut pereant. Cognoscamus nunc, in quo statu fuerint res Iudaicæ. Nam Iudęi fuerunt homines impijssimi. Habuerũt manifestas promissiones de Christo. Et cum Iesus filius Mariæ prędicaret se esse Christum, & cõfirmaret doctrinam suam cœlestibus miraculis, audiuerũt Christum ipsum, & uiderunt miracula eius, ac si ulla fuisset in ipsis cupiditas cognoscendæ ueritatis, potuissent facillimè intelligere, hunc Iesum esse uerum Christum, per Prophetas promissum. Sed quid fecerunt? Non solum cõtempserunt eum, uerũetiam occiderunt, ac post mortem etiam, persecuti sunt eum in discipulis eius, tantum abest ut agnouerint, & coluerint eum. Quare, cum abiectio & excęcatio sit supplicium impietatis, Iudæi meritò sic à Deo abiecti & excęcati sunt, ut non possint amplius ad cognitionem ueritatis, & ad consecutionem salutis peruenire. Quod supplicium nõ in eos tantum Iudæos immissum est, qui fuerunt temporibus Christi & deuastationis Hierosolymitanę, quę à Romanis facta est, uerũetiam in posteros eorũ ita propagatum est, ut hoc tempore inter mille Iudæos uix unũ inuenias, qui syncerè & ex corde, ac uera fide ad Christum conuertatur. Et quanq̃ optandum, ac quoquo modo fieri potest, elaborandum est, ut nõ tantum omnes Iudæi, sed etiam Turcæ agnoscant Christum, tamen mirandum non est, si uanus fuerit labor, qui ad ducendos in cognitionem Christianismi pertinaces & induratos Iudæos suscipiatur. Quis enim est, qui possit iudicium Dei retractare, & supplicium iam diuinitùs illatum auertere? Dominus Zebaoth, inquit, decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta, quis auertet eam? Iudicãtur modo impij Iudæi, & supplicio excæcationis afficiuntur diuinitùs. Quare nullus hominum tantæ est uel potentiæ uel industriæ, qui queat eos cognitio-

Excæcatio supplicium impietatis.

Iudæos merito abiectos & excæcatos esse.

Papistarum & Anabaptistarum excæcatio.

ne ueræ lucis illustrare. Ac tolerabile fortasis esset, si soli Iudæi hac pœna affligerentur. Nunc autem hæc pœna, ô rem non fictis lachrimis deplorandam, propagari incipit etiam in Christianos. Ex una enim parte sunt hypocritæ, Monachi, Sacrificuli & Pontificij: ex altera sunt Anabaptistę, quos ita uocant. Hi magna exparte ita excęcati sunt, ut omnis opera & oleum pereant, quæ ad conuertendos ipsos in uiam ueritatis insumuntur. Vnde obsecro id accidit? Rogas? Supplicium est indurate impietatis. Pontificij enim multis iam annis admoniti fuerunt publica prędicatione Euãgelij Dñi nostri Iesu Christi, ut abiectis impijs sacris, quæ faciunt ad expiationem peccatorũ, agnoscant solum Iesum Christum esse uerũ peccatorum expiatorem, & iusticiam coram Deo contingere nobis tantum per fidem, propter solum Christum. Tantum autem abest, ut hanc doctrinam suscipiant, & impietatem abijciant, ut illam quidem quoquo modo possunt, igni, aqua, terra & aere persequantur, hanc autẽ coniunctis omnibus uiribus suis tueantur. Quare iustissimum est supplicium, ut in perpetuam excæcationem conijciantur, ac ne possint quidem unquam ad ueræ lucis cognitionem peruenire. Quid autem dicam de Anabaptistis? Hi maxima parte ex agricolis oriuntur. Nam restituta est propicio Deo, in multis Ecclesijs huius regionis pia doctrina Euangelij, & adnunciatur uerbum Dei publicè, & tam perspicuè, ut longè omnium stupidissimus sit, oportet, qui id nõ percipere queat. Quid ergo faciunt agricolę? Nonnulli diligentissimè quidem sectantur piam doctrinam. Alij autem cõtemnunt, & de Euangelio pessimè ac uirulentissimè loquuntur: alij surda aure transeunt: alij etsi audiunt, tamen animo longè alia cogitante audiunt. Multitudo certè agricolarũ tota intenta est ad suum Mammona. Properant contento cursu ad quasuis finitimas nundinas, idq; festis diebus, & magnis etiam itineribus. Sed ad audiendas Euangelij conciones paucissimos uideas acurrere, etiamsi locus concionis in propinquo fuerit. Hæc magna est agricolarum & aliorum hominum impietas, quæ cum aliâs alijs supplicijs, uidelicet, fame, peste, bello, puniri à Deo solet, hoc tempore punitur etiam mendaci doctrina & cæcitate mentis. Vagantur enim passim errones quidam, scelerati nebulones, qui uulgant inter Agricolas impiam doctrinam Anabaptistarum, ac simulãt pijssimam religionem. Hic tum uideas agricolas, magna admiratione eos obseruare, & conciones eorum tanq; cœlestia oracula excipere. Itaq; fit, ut alij desertis coniugibus & liberis sequantur hos nebulones, in regionem nescio quam, dicentes se hoc facto seruare dictum Christi, quo docuit, Deum magis diligendum esse, quàm uxorem & liberos. Alij diuenditis omnibus facultatibus suis, tradunt eas impijs suis præceptoribus, ac putant se hoc opere imitari exẽplum Apostolicum, certè omnes ferè qui hac impia doctrina corrumpuntur, in eum cęcitatis furorem & insaniam peruenĩut, ut malint extrema pati, q̃ impietatem suam deserere. Obsecro te, quid hæc sibi uolunt? Quid? rogas? Sunt uerè diuina supplicia. Agricolæ enim noluerunt hactenus ueritatem piæ doctrinæ audire, & eam sectari. Iustissimum igitur supplicium est, ut audiant nunc errores & excęcentur. Piguit eos, è foro aduicinum

Anabaptistæ ex agricolis.

cinum templum ire,ut erudirentur uera doctrina Euangelij. Aequissimum ergo supplicium est,ut necesse habeant nunc è patria sua ad externam & longinquam regionem,ad audiendam mendacẽ doctrinam abire.Lex Dei clarissimè explicata non potuit hactenus tantum ab ipsis impetrare,ut in contractibus suis ciuilibus iusti essent, ac mallent perdere unum aut alterum numum, quàm aduersus Deum & proximũ mendacijs ac impostoris peccare.Dignissima igitur pœna est, ut nunc ad obediẽdum legi & uocationi Satanæ,necesse habeant oẽs facultates suas deserere,aut alienis tradere. Euangelion Christi magna perspicuitate expositum non potuit hactenus in ipsis efficere,ut propter Christũ & confessionem uerbi eius contemnerent humanas minas. Quare rectè atq; ordine fit, ut nũc propter impios suos errores obijciãtur extremis uitæ suæ periculis.Sed hi, inquis,fiunt ex doctrina illa Anabaptistica,honesti,probi,& iusti. Non abutũtur amplius nomine Dei ad execrationes. Non student ebrietati,incedũt humillimi,orant deuotissimè,& faciunt multa alia bona opera. Quid ergo? An non multis iam annis ad rauim usq; ex uerbo Domini clamauimus, non esse abutendum nomine Dei, non esse studendum ebrietati, sed ducendam esse piam & honestam uitam? Isti autẽ noluerunt hæc audire,tantum abest,ut uoluerint huic Dei uocationi obedire.Nunc cum ex improuiso ad unam aut alteram conci unculam ignoti cuiusdam erronis,noctu ad lucernam, & in obscura syl ua dictam,mutentur,putásne hoc esse opus spiritus sancti? An non uul gus hominũ in Põtificia superstitione hactenus è bacchanalibus furijs, quas carnispriuiales uocant,derepente tẽpore quadragesimalis ieiunij, ac præsertim hebdomadæ passionis Christi dedicatę ita mutatum est,ut planè aliud genus hominũ uideretur? nihil tamen manifestius est,q̃ fuisse ficticiam superstitionẽ.Quid Monachi,præcipuè Carthusiani,quos ita uocarunt? Quid in horæ moribus desideras ti? An nõ fuerunt homines sobrij,modesti,incessu humilimo, & deuotissimi p̃catores? ergóne probabimus superstitiosum ac impium Monachorũ genus? Dicam de alio hominum ordine. Fures & prędones,qui propter scelera sua in uincula coniecti sunt,quàm sunt humiles,quàm deuoti in uinculis? Et cum è uinculis educuntur ad locum supplicij,quàm honestè incedunt,quàm demisso uultu? Non audias ex ipsis ullum maledictũ,non uideas ullum malefactum, ergóne probabimus eorũ furta, & rapinas, q̃ iam capti & ad supplicium destinati rectè agere uideantur? Nihil certè minus. Idem de Anabaptistis & ijs,qui eorũ doctrina seducti ac indurati sunt,sentiendum erit.Ostendimus enim suprà, q̃ cæcitas & furor mentis sit supplicium impietatis.Anabaptistæ igitur, capti sunt propter impietatem suam, & educuntur iam à carnifice Satana, ad æternũ ignem. Itaq; quemadmodum fures & prædones uident in captiuitate sua honestissimi, sic & illi solent incedere humillimi,& deuotissimi.Iusticia autem eorũ, nõ est uera iusticia,quę ex fide in Christum,sed quę ex desperatione & mentis induratione proficiscatur. Non eñ faciunt opera iusta,ut obediant fidei in Christum,& uocationi eius ad testãdam suam gratitudinem erga seruatorem suum,sed quia reuelatũ est eis aliquo modo iudiciũ Dei,

Execratio supplicium contemptt uerbi.

Anabaptistarum iusticia superstitiosa.

& agnoſcunt nonnulla ex parte grauitatem peccati ſui, ignorant autem uerum Euangelion de Chriſto, quod hactenus ſemper cõtempſerunt, idcirco neſcientes quò ſe uertant, ut conſequantur peccatorum remiſſionem, faciunt ea opera, quæ errones iſti prę ſcribunt eis, ſperantes ſe horum meritis peccata ſua expiaturos. Quod igitur Apoſtolus de impñs & excæcatis Iſraelitis dicit, hoc & de Anabaptiſtis intelligendũ eſt, uidelicet, cp etſi ſequuntur legem iuſticiæ, ad legem tamen iuſticię non peruenium. Propter quid? Quia non ex fide, ſed tanquam ex operibus legis. Quid ergo? Num quia Anabaptiſtarũ iuſticia reprehenditur, aliorum ſceleratorum hominum iniuſticia approbatur? Sunt em̃ homines quidã tam impudẽtes, qui data opera abutuntur nomine Dei ad execrationes & ſtudent ebrietati, aliaq; turpia & fœda facta deſignant, ne uideantur, ut ipſi dicunt, Anabaptiſtę. Quid? horum ne ſcelera commẽdanda ſunt? Minimè omnium. Pia enim Euãgelij doctrina, ut reiicit & damnat ſuperſtitioſam ac impiam Monachorum & Anabaptiſtarum iuſticiam, ita damnat etiam uitioſam & flagitioſam ſceleratorũ & impœnitentium hominũ uitam, exigit autem ab omnibus uerè pia opera, ut credamus ſolum Ieſum Chriſtum eſſe expiationem peccatorum noſtrorũ, & iuſticiam coram Deo, & faciamus bona opera, quæ Deus præcepit, ex hac fide in Chriſtum uidelicet, ut recõciliati cum Deo, ppter Chriſtum teſtemur noſtram gratitudinem, & obſequamur uolũtati ſeruatoris noſtri, ac conſeruemus beneficia eius. Quare, ut fugienda eſt impietas Anabaptiſtarum, ita etiam fugienda eſt impudentia ſceleratorum hominũ, ſectanda autem eſt uera pietas, quam docet Euangelion Chriſti, ut cum per fidem adoprati ſimus in filios Dei, fruamur hæreditate cœleſtis regni per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & ſpiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XV.

EVangeliſta expoſuit cauſam, cur Iudęi non crediderint in Ieſum Chriſtum. Non poterant, inquit, credere, quia Eſaias dixit: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorę, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur & ſanem eos. Neceſſaria aũt fuit cõmemoratio huius cauſæ. Non. n. dubito quin Apoſtolis adnunciantibus inter Gentes Euangelion Ieſu Chriſti, & urgentibus hunc ſolum eſſe ſeruatorẽ humani generis, iam olim per Prophetas promiſſum, ſępe ac multum obiectũ ſit, quid ita de hoc Ieſu Chriſto obtundant gentes, cum Iudęi eũ non agnoſcant? cur em̃ non perſuadeant Iudæis, ut in ipſum credant? Nam ſi hic Ieſus eſſet uerus Seruator mundi, maximè omnium agnouiſſent eum Iudæi, quibus fuit pmiſſus, & ex quorum genere in hunc mundum uenit. Nunc, cum hi non ſolum non agnouerint, uerũetiam condemnauerint ipſum, quis nõ iudicaret eum non eſſe uerum ſeruatorem? Hanc obiectionem refutat Euangeliſta, & docet, quòd quẽadmodum Prophetæ adnunciauerunt Chriſtum ſeruatorem uenturum ex Iudęis, ita ñdem uaticinati ſunt, Iudæos tantæ fore impietatis, ut etiamſi coram uideant & reipſa experiantur maieſta-

tem

tem Christi,tamen non recipiant eum, ideoq; perpetua cęcitate puniendos,& ex hæreditate cœlestium bonorum abiiciendos esse. Quare tantum abest,ut propter Iudæorũ incredulitatem,nõ agnoscamus hunc Iesum Christum,ut quò magis cõdemnarunt eum Iudæi, eò acceptior nobis esse debeat. Quid ergo? Num Iudæi oẽs ita excęcati fuerunt, ut nullus eum receperit? Non repulit Deus,(inquit Paulus) populum suum, quẽ antè agnouerat. Primum igitur, si de ignobili Iudęorũ turba loquẽdum est,receperunt eum Apostoli,& alij nõnulli,qui fuerunt ex infima sorte Iudæorũ. Sic enim apud Esaiam dicitur: Si fuerit populus tuus Israel,quasi arena maris,reliquiæ conuertentur ex eo,hoc est,uilissima & abiectissima pars populi. Deinde,si de Principibus loquendum est,etsi hi condemnarunt Christũ, tamen etiam ex his multi,ut ait Euangelista, "crediderunt in eum,sed propter Pharisęos non cõfitebantur,ne è Synagoga eijcerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis q̃ gloriã "Dei. Hic nobis considerandum est, quid sentire debeamus de his Prin- "cipibus, q dicuntur credidisse Iesum esse uerum Messiam, & tamen prę metu non esse sentẽ etiam suam ingenuè confessos. Quid enim? Num excusandi sunt? num dicemus eos uerã habuisse fidem? Nulla ferè est impietas tam manifesta,quæ non suos habeat assertores. Fuerunt em̃ nonnulli,q & hoc affirmarunt,q in persecutione liceat ore abnegare Deum & Christum eius,si modò corde conserues fidem. Dicunt enim persecutores esse porcos,Margaritas autem ante porcos non esse proiiciendas. Hæc est insignis impietas,& manifesta sacræ scripturę deprauatio. Nomen enim Christi confiteri coram persecutore,non est margaritas temere ante porcum proiicere,sed est uocationi Dei obedire, & gloriam nominis Dei illustrare. Ac fieri non potest,ut uera sit fides in Christũ,quæ non prodat sese confessione. Quisquis negauerit me,inquit, coram hominibus,negabo eum & ego coram Patre meo,qui est in cœlis. Et Paulus: Corde, inquit, creditur ad iusticiam, ore aũt fit confessio ad salutẽ. Huc etiam facit,quod Iacobus ait: Fides sine operibus mortua est. Inter opera autem continetur etiam confessio Christi. Quemadmodum em̃ lumen accensum teneri non potest,quin luceat, ita si fides non lucet confessione,mortua,imo nulla est fides. Sed audiamus iudicium Euangelistæ. Hic enim clarè damnat hos Principes: Dilexerunt,inquiens,magis gloriam hominum, q̃ gloriam Dei. Quæ est gloria hominum,quæ gloria Dei? Gloria hominum,ea est, quæ homini ab homine contingit, uidelicet, si quis inter homines habetur religiosus, obseruator publicę & auitæ religionis,ac obediens filius,ut mos est loqui, Ecclesiæ. Hæc gloria parabatur apud Iudæos,aut p̃secutione Euangelij Christi, aut dissimulatione ueritatis,& perseuerãtia in Pharisaicis traditionibus. Gloria aũt Dei est,quæ contingit homini coram Deo. Ea paratur confessione nominis Christi. Nam qui ex uera fide cõfitetur Christum,is consequitur maximam coram Deo gloriam per Christũ, quippe quòd Christus coram Deo Patre suo de ipso dicit: En Pater,hic homo iustus est,& meus frater,ideoq; tuus filius & hæres omnium cœlestium bonorum tuorum. Qua gloria quid posset homini contingere illustrius? Quid ergo

Esaiæ 10.

Epipha. contra Ossenos & Basilidianos.

Confessio oris necessaria ad salutẽ.

Iudæorum Principum fides fictitia.

dicemus? an non impium est, præ humana illa gloria, contemnere hanc diuinam gloriam, & malle coram hominibus ab homine, quàm coram Deo, à filio Dei laudari? Reliquum igitur est, ꝙ hi Iudæorũ Principes, ꝙ ita crediderunt in Iesum Christum, ut tamen non confiterẽtur propter Pharisæos, non habuerint ueram fidem, sed fictitiam, quæ cum non constiterit aduersus insultum Pharisæorũ, multò minus constare potuit aduersus insultum Satanæ. Sed quid? inquies, An nõ erat Principibus metuendum, ne eijcerentur è Synagoga? Iudæi enim fuerunt electus Dei populus. Quare qui ex populo abijciebatur, uidebatur ex Ecclesia Dei, & à Deo ipso abijci. Sed tu uicissim audi, Rectè quidem dicitur, inter Iudæos fuisse Ecclesiam Dei, sed Pharisæi non erant illa Ecclesia. Docebant enim impia, & persequebantur piam Euangelij doctrinam. Quare, etsi arrogabant sibi Ecclesiæ Dei autoritatem, tamen magis metuẽdum erat iudicium Dei, quo hi qui non confitentur Christum eijciuntur è cœtu cœlestium ciuium, quàm iudicium Pharisæorum, quo hi qui Christum confitebantur, eijciebantur tantum è cœtu externæ Synagogæ. Maledicent illi, inquit Psalmus, & tu benedices. Et Christus: Beati estis cũ probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint omne malũ uerbum aduersus uos mentientes propter me. Et iterum: Alienos à Synagogis facient uos. Et ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Sed paulò post additur: Bono animo sitis, ego uici mũdum. Et: Pater quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Nihil igitur certius est, quàm eum recipi à Christo, quem homines propter Christum abijciunt. Sed reuertamur ad illud, quod Euãgelista dicit: Multi principes crediderũt in eum, sed propter Pharisæos non confitebantur. Non enim hi tantum principes fauebant suæ, ut ipsis uidebatur prudentiæ, uerumetiam multi alij sunt, qui sentiunt, nihil referre, quid externis operibus facias, modò rectè corde tuo credas. Dicunt enim impudenter, Si cor bonum fuerit, non possunt reliqua esse mala. Itaq; alij quidem sectantur impostoras, alij contumelioſi sunt in proximum, alij abutuntur nomine Dei ad execrationes, alij helluantur, alij scortantur, alij alia designant scelera, & tamen interim iactant se optimum habere cor, & strenuè ac fortiter in Christum credere. Sed & hos Euangelista damnat. Sicut enim principes Iudaici magis diligebant gloriam hominum, ꝙ gloriam Dei, ita hi magis diligunt suũ affectum carnalem, suam animi cupiditatem, sua commoda & lucra, suas libidines & uoluptates, quàm affectum & uoluntatem Dei, ac obediẽtiam, quam debent uerbo D... Impium autem est suam cupiditatem anteferre Dei uoluntati: nec fieri potest, ut cor bonum sit, & uera fides, ubi opera sunt mala. Fieri quidem potest, ut pius, qui ueram habet fidem aliquoties erret, & occupetur, sicut Paulus dicit, in aliquo delicto, ac iterũ instauretur: fieri aũt non potest, ut qui secundum carnem ambulat, & pergit impudẽter & impœnitenter in sceleribus, ueram fidem aut habeat, aut retineat. Etsi enim sola fide iustificamur propter Christum, tamen ea fides teneri non potest, quin proferat fructum bonorum operum. Christus enim accipitur & possidetur fide, Christus autem affert secum spiritum sanctum.

Gala. 6.

Fides uera non est otiosa.

ctum. Et ſpiritus ſanctus mortificat cupiditatem peccati, ne peccatum re
gnet in mortali noſtro corpore. Quare fieri non poteſt, ut qui uerè in
Chriſtum credit, non etiam uocationi Chriſti obediat, & in nouitate ui
tæ ambulet. Itaq; uaniſsima eſt iactantia eorũ, qui cũ ſceleratiſsimam du
cant uitam, gloriantur tamen ſe fortiter in Chriſtum credere. Sed de his
hactenus. Audiamus nunc aliam concionem Chriſti. Ieſus autem clama
uit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eũ qui miſit me. Et
qui uidet me, uidet eum qui miſit me. Ego lux in mũdum ueni, ut omnis
qui credit in me, non maneat in tenebris. Suprà dixit Euãgeliſta, Ieſum
digreſſum eſſe, & abſcondiſſe ſe à Iudæis. Nunc autem, quia tempus ſu-
beundæ paſsionis inſtat, redit iterum ad ſuam functionem, & conciona
tur Iudæis ſuum Euangelion, ut pĩj confirmentur, impĩj autem nullam
habeant impietatis ſuæ excuſationem. Ieſus igitur concionaturus, nõ eſt
obſcura uoce locutus, Sed CLAMAVIT, Quo ſignificatur, hanc
concionem dictam eſſe in magna hominum frequẽtia. Adhæc Chriſtũ
ſeriò & perſpicuè docuiſſe, ac uoluiſſe doctrinam ſuam inter oẽs uulga-
tam eſſe. Vnde Caiaphæ reſpondet: Ego palàm locutus ſum mundo, e-
go ſemper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conue-
niunt, & in occulto locutus ſum nihil. Quid ergo illud eſt, quod hoc lo-
co intenta uoce docet? Docet ſe eſſe uerum Meſsiam, Filium Dei, & hor
tatur, ut auditores credant in ipſum. Qui credit in me, inquiens, nõ cre-
dit in me, ſed in eum, qui me miſit: & qui uidet me, uidet eum, qui me mi
ſit. hoc eſt. Videor uobis eſſe homo nuper natus, qui nõ ſim, niſi homo
uanus & mendax, ideoq; metuitis, ne ſi uerbis meis adhibeatis fidem,
abducam uos in exitium, quemadmodum nonnulli ſeditioſi attulerunt
ſuis ſectatoribus præſentẽ perniciem. At ego dico uobis, qui me uidet,
non uidet aut ſolum, aut mendacẽ hominem, ſed uidet Deum ipſum. Et
qui mihi adhibet fidem, non adhibet eam ſoli, aut uano homini, ſed ue-
ro Deo. Quid ita? Quia ueni, inquit, lux in mundum, ut omnis q̃ in me
credit, non maneat in tenebris. Eadem ſententia dicta eſt & ſuprà capite *Ieſus lux mundi.*
octauo, quam, niſi cognitu neceſſaria eſſet, nõ tàm diligenter repeteret
Chriſtus. Eſt autem ſumma, & cõpendium totius Euangeliĩ & doctrinæ
Chriſti. Quare etſi aliâs copioſè explicuimus hoc dictum, tamen nõ pu-
to ſuperuacaneum eſſe, ut & nunc quædam de eo dicamus. Ieſus uocat
ſe hoc loco palam & perſpicuè, Lucem mundi: Ego ueni, inquiens, lux *Eſaiæ 9.*
in mundum. De Meſsia autem ſeu Chriſto ſcribit Eſaias: Habitantibus *Eſaiæ 42.*
in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et iterũ: Dedi te in fœdus po
puli, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de con *Eſaiæ 42.*
cluſione uinctũ, de domo carceris ſedentes in tenebris. Ac rurſus: Parũ
eſt, ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael cõuerten
das. Dedi te in lucem gẽtium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ. In
his Eſaiæ locis, Chriſtus manifeſtè uocatur Lux mundi, hoc eſt, non tan
tum Iudæorũ, ſed etiam gentium. Hi enim duo populi fuerunt partes to
tius mũdi, nec fuit aliud hominum genus in terris. Cum igitur Ieſus tri
buat ſibi in hac cõcione, quod Eſaias antea tribuit Meſsiæ ſeu Chriſto,
manifeſtum eſt, q̃ Ieſus clarè cõcionetur ſe eſſe uerum illum Chriſtum

ſtum, quem Deus per Prophetas ꝓmiſerat. Si autem eſt uerus Chriſtus, ſtatim ſequitur, eum eſſe unigenitum Dei filium, adeoq; Deum ipſum, æternum: nam & hoc tribuunt Prophetæ Chriſto, quẽadmodum aliâs oſtẽdimus. Porro, ut cognoſcamus huius lucis uſum, diligenter cõſiderandum eſt, quod Chriſtus addit: Vt omnis, inquiens, qui in me credit, non maneat in tenebris. Cum dicit: Non maneat in tenebris, perſpicuè ſignificat, homines natura ſua eſſe in tenebris. Tenebræ aũt ſunt peccatum, infœlicitas, mors & infernus. Quare, q̃d ad naturam hominis attinet, non uidet, quâ ex peccato ad iuſticiam, ex infœlicitate ad fœlicitatẽ, ex morte & inferno ad uitam, & lucem cœleſtem ambulãdum ſit. Videt quidem humana ſua ratione, quâ eundum ſit ad iuſticiam ciuilem, & aliquoties ad ſanitatem corporalem, ſed quâ ſit eundum & perueniẽdum ad ueram iuſticiam coram Deo, & ad perpetuam uitam, nihil prorſus uidet. Nunquid ergò neceſſe habet manere in tenebris peccati & damnationis? Siquidem hominem ipſum ſuis uiribus reliqueris, nihil habet, quo ſe adiuuet. Sed bene habet, Venit LVX in mundum, quæ eſt Ieſus Chriſtus, in quem omnis, qui credit, nõ manet in tenebris. Diximus antea, hoc dictũ eſſe ſummam totius Euãgelij Chriſti. Non eſt igitur ociter percurrendum. Singulæ dictiones obſeruatu dignæ ſunt. OMNIS, (inquit) Non ait, Iudæus tantùm, aut circũciſus, aut diues, aut potens, aut prudens, ſed OMNIS, ſiue Iudæus, ſiue Ethnicus, ſiue circunciſus, ſiue incircunciſus, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue glorioſus, ſiue abiectus, ſiue honeſtus, ſiue inhoneſtus. Et additur: Qui CREDIT. Non ait: Qui ſabbatũ obſeruat, q̃ boues offert, qui ſe à carne ſuilla abſtinet, q̃ bonis ſuis operibus ac uirtutibus meret, ſed qui CREDIT. Quid, aut in quem credat? Num credat ſuauius eſſe uinum bibere q̃ aquam? aut iucundius eſſe ociari, q̃ magnos labores ſuſcipere? Num credat in Phariſæos, in Mahumetem, in Monachos, in Pontificem Romanum? Nihil certè minus. Sed ait: Qui credit in ME. Quid ergo eſt credere in Ieſum? Hìc ꝓponamus nobis Euãgelion Ieſu. Prædicauit enim Ieſus, ſe eſſe uerum Meſsiam ſeu Chriſtũ, ueram lucem mũdi, ueram uitam & reſurrectionem, qui expiet peccata hominum, qui reconciliet hoĩes Deo Patri, qui efficiat, ut homines adoptentur in filios & hæredes Dei. Quare credere in Ieſum, eſt credere ipſum eſſe uerum Meſsiam, & confidere, quòd propter ipſum Deus nobis ſit propicius, & nõ ſolum remittat nobis peccata noſtra, ſed etiam adoptet nos in filios ac hæredes ſuos, & ſeruet nos in omnibus malis, ut conſequamur perpetuam ac cœleſtem uitam. Hæc eſt illa fides, qua & iuſtificamur coram Deo, & ſeruamur. Vnde & additur: Non maneat in tenebris. Qui enim ſic in Ieſum Chriſtũ credit, primum, nõ manet in tenebris peccati, ſed uenit ad lucem iuſticiæ, quia reputatur propter Chriſtum corã Deo Patre iuſtus, & donatur ſpiritu ſancto, ut iuſta faciat, ſi non omni ex parte perfecta, attamen, quantum ad teſtificandam obedientiam, & gratitudinem in hac mortali & corrupta carne ſatis eſt: deinde non manet in tenebris infœlicitatis & mortis, ſed uenit ad lucem fœlicitatis & uitæ, quia Chriſtus uicit mortem, & conſeruat credẽtem in morte, ne pereat. Qui credit in me (inquit) etiamſi mortuus

Lucis uſus.

Fides iuſtificans.

tuus fuerit uiuet. Et Paulus: Siue moriamur, siue uiuamus, Domini su- Rom. 14.
mus. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. Postremo, non manet in tenebris & horroribus inferni, sed uenit ex his tenebris ad lucẽ regni cœlestis. De Christo enim dictum est: Non derelinques animam meam in inferno. Et: Ero mors tua ô mors, morsus tuus inferne. Quod autem Christi est, eo unusquisq;, qui factus est per fidem membrũ Christi, fruitur. Quod cum ita se habeat, ratio salutis nostræ exigit, ut doctrinam Euangelij omni, quo possumus, studio sectemur, quò mentes nostrę illustrentur uera luce Iesu Christo Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XVI.

QVAE beneficia contingant ijs, qui credũt in Iesum Christum, suprà satis hoc quidem tempore exposuisse uidemur. Ego, inquit, lux ueni in mũdum, ut omnis, q̃ credit in me, non maneat in tenebris. Audiamus igit̃ nunc, quã pœnam impietatis sue necesse habent pẽdere increduli. Si quis (inquit) audierit uerba mea, & non crediderit, ego non iudico eum. Quid ergo de ipso fiet? Non iudico, hoc est, non condemno, non punio eum. Ergóne euadet impunis? Sentiunt quidem nõnulli, q̃ coram Deo impunè sit, non credere in Iesum Christum, modò alioqui honestam ducas uitam. Existimant unuumquemq; in sua religione salutem cõsequi, si tantũmodo ciuilem iusticiã sectetur, & Deum publicis suę regionis sacris colat, etiamsi Christũ aut ignoret, aut nõ requirat. Hæc magna est impietas, & extrema ignoratio ueræ pietatis. Nulla enim potest esse salus absq; Christo. Et Christus hoc loco nõ dicit: Qui uerba mea non crediderit, nullo modo iudicabitur: Sed Ego, inquit, nõ iudico eum. Iudicabit̃ quidem incredulus seueriss imè, Sed EGO nõ iudico eum. Quam ob causam? Sequit̃: Non. n. ueni ut iudicem mundũ, sed ut seruem mundũ. Insignis sentẽtia, quę perspicuè nobis ob oculos ponit officiũ Christi, quæ & tantò diligẽtius inspicienda est, quã tò pauciores sunt, qui uerũ officium Christi intelligunt. Primùm enim docet, q̃ non uenerit in hunc mũdum, ut administret regnum mundanum, & coerceat ac puniat more mundani Magistratus inobedientes. In regnis em̃ huius seculi solent hi, qui Regem afficiunt cõtumelia, & sunt inobedientes ac sedicios i, extremis supplicijs coerceri, ut cæteri exẽplo admoneantur, & in officio cõtineantur. Christus aũt affirmat se uenisse in mũdum, nõ ut hoc modo ciuiliter aut criminaliter iudicet, condẽnet & puniat eos, qui sunt in ipsum cõtumelios i. Non enim rapit ad externũ supplicium impios & incredulos, Sed siquidem nõ peccauerint in politicas Magistratus sui leges, sinit eos, quantum ad se attinet, tranquillam in sua impietate uitam agere. Quod autem Christus dicit, hoc tam ante mortem suam, cum adhuc uitam in terris ageret, quàm post resurrectionem suam, cum consedit ad dextram Dei Patris sui, reipsa præstitit. Apud Lucam, non recipiunt eum proficiscentem ad Hierusalem Sama- Luc. 9.

Christi officiũ ut non iudicet mundũ ciuiliter.

ritani. Ac discipuli quidē cēsebant tam ingratos & impios homines cœlesti igni perdendos esse, Sed increpantur & audiūt: Nescitis cuius spiritus estis uos. Filius hominis nō uenit ad perdēdum animas hominum, sed ad seruandū. In hoc nostro Euāgelista Ioanne, capite octauo, dicunt Iudęi ad Iesum, Samaritanus es tu, & dęmoniū habes. Qua contumelia, quid potest dici grauius? Christus tamen non uindicat eam gladio, aut lancea, sed tradit uindictam Deo Patri suo. Ego, inquiens, nō quęro gloriam meā, est qui quęrat & iudicet. Cum Christus in monte Oliueti caperetur, abscidit Petrus Malcho auriculam. Etsi autem Malchus qui uenerat ad capiendum Christum, dignus erat, nō solùm ut auribus mutilaretur, uerūetiam ut omnino trucidaret, tamen Christus noluit impiū sua causa incōmodo affici, ideoq; & grauiter Petrum reprehēdit, & Malcho clementer aurem restituit, ut palàm declararet, se nō uenisse ad perdendos, sed ad seruandos hoīes. Coram Caiapha pcutitur à seruo Pontificis alapa, idq; iniquissimè, ac is quidem nebulo dignissimus fuisset, quē terra deuorasset, sed Christus, ut suo officio fungeretur, maluit eū uerbis tantū, q̄ hiatu terræ castigare. Quid dicā de crucifixoribus ipsis? Hi merebantur ut prętentem, ita & seueriſsimum interitum. Sed tātum abfuit, ut Christus grassaretur in ipsos externo supplicio, quemadmodum mūdani reges solent in suos aduersarios grassari, ut etiam ꝓ ipsis apud Patrem suū intercederet. Et hæc quidē ac multa alia exēpla officij sui exhibuit Christus ante suam mortem. Post resurrectiōem aūt suam nihil seuerius in hostes ac aduersarios suos inuehitur. Vide mihi Iudęos & Gentes, qui uno impetu cooriuntur aduersus Euāgelion Christi, & ad hoc tanq̄ ad commune incendium extinguendū accurrunt, Christus tamen sedens ad dextram Dei Patris sui, sinit eos impunè sæuire, & interim fœlicitate huius seculi frui. Etsi enim Iudæi deleti sunt postea à Romanis, ac meriti sunt eam internecionem, ꝓpter occisionem Christi, tamē Romani nō prętexebant hanc belli causam, q̄ Iudęi interfecissent Christū, sed q̄ defecissent à suo imperio. Vide etiam mihi Turcas. Hi magnis contumelijs afficiunt nomen Christi, & tamen Christus connuet, ac sinit eos in hoc mundo dominari. Quid dicam de Iudæis qui nūc sunt? Hi euomunt grauissimas blasphemias in cōuenticulis suis aduersus nomen Christi, attamen q̄d ad Christum attinet, securè ambulant in terris, & insuper etiam Christianos usuris suis expilant. Quantus, obsecro, numerus est Epicureorū inter Christianos ipsos? qui etsi palàm iactare audent, se non credere futuram esse mortuorum resurrectionem, hoc est, Christum esse uanum ac mendacem, tamen domus eorū securæ sunt, & pacatæ, ut Iob loquitur, & non est uirga Dei super illos. Manifestum igitur est reipsa, q̄ Christus non iudicet hunc mūdum, pro more mundani regis, sed sinit impios sic securè uiuere, perinde ac si in publica Dei tutela essent. Etsi enim nonnulli impij etiam in hoc seculo affliguntur, & sæpe grauissimis malis afficiuntur, tamen nō uidentur ꝓpter impietatem affligi, sed tantùm ex humanorum casuum uarietate, cum interim maxima pars impiorū ducāt in bonis dies suos, & in pūcto ad infernа descēdant, hoc est, ne infœliciter quidem corā hominibus diem suū obeant.

obeant. Hæc non idcirco cõmemorantur à Christo, ut significet q̃ nec magistratus, nec Paterfamiliàs debeant suum facere officium in punien dis manifestis blasphemis ac sceleratis: cùm enim Paulus dicat de Ma gistratu, quòd lex posita sit iniustis, inobedientibus, impijs & peccato ribus: ac de Patrefamiliâs, quòd debeat educare liberos per eruditionẽ & correptionem Domini, necesse habent hi, prout ratio cuiusuis officij exigit, diuina uocatione manifestam impietatem punire: Sed Christus commemorat hoc de suo officio, ut doceat quantum sit discrimen inter suum & mundanũ regnum, & ut nõ offendamur cum uidemus impios, oppressis pijs, in hoc seculo fœlicem agere uitam. Deinde quemadmo dum Christus non uenit ut iudicet mundum ciuiliter aut criminaliter, ita non uenit, ut iudicet eum spiritualiter, & puniat eum æterno interi tu. Lex enim, si spiritualem eius usum consideraueris, iudicat homines reos æternæ condemnatiouis, propterea q̃ nullus hominum legi per fectè satisfaciat. Christus autem nõ uenit, ut legislator, & quanq̃ aliquo ties interpretatus sit legem, tamen propter hoc officium non descendit è cœlo. Quare quod ad proprium Christi officium attinet, nullum ho minem cõdemnat. Quod ergo est proprium eius officium? & in quem usum uenit? Vt SERVEM, inquit, mundum. Venit, non ut iudicet homines, sed ut liberet eos à iudicio. Venit, nõ ut occidat homines, sed ut uiuificet eos. Venit, non ut damnet homines, sed ut seruet eos. Quod autem dicitur de salute, ad quam conferendam Christus uenit, hoc in telligendum est primùm de externa & corporali salute, quam contulit hominibus, cum adhuc ageret uitam inter homines. Sanauit enim infir mos, mundauit leprosos, reddidit cęcis uisum, excitauit mortuos, pauit famelicos in deserto, defendit suos discipulos, ne unà cum ipso ab ad uersarijs caperentur, adeoq̃ ea tempora, quibus Iesus Christus in terris uixit, hanc habuerunt prærogatiuam, quòd consecutus sit etiam corpo ralem salutem, quicunq̃ eam à Christo petijt. Dixit em̃: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego refocillabo uos. Deinde in telligendum est maximè omniũ de uera, spirituali & æterna salute. Chri stus enim suscepit in se oẽs humanas infirmitates, crucem & mortem, ut expiaret peccata, ut uinceret mortem, ut reconciliaret homines cũ Deo, ut recuperaret hominibus iusticiam, uitam, & perpetuam fœlicitatem. Hoc est proprium officium Christi. Propter hoc officium descendit Christus filius Dei de cœlo, ut omnis, qui credit in ipsum, consequatur propter ipsum hæreditatem omnium cœlestium bonorum. Hoc non est esse iudicem, & condemnatorem, sed Seruatorem & liberatorem. Quid ergo aliâs dicitur: Pater omne iudicium dedit filio suo? Et quo modo confitemur eum esse Iudicem uiuorum & mortuorum? Hic no men iudicij rectè intelligendum est. Cùm enim dicitur, Patrem dedisse omne iudicium Filio, & Christum esse Iudicem uiuorum ac mortuor̃, non significat Christum iuxta proprium suum officium, esse condem natorem, sed significat uniuersam hominum salutem in solo Iesu Chri sto collocatam esse, nec esse aliud nomen, in quo homines seruentur, si cut & aliâs dicit: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Qua

Christi pro priũ officiũ.

Salus quã con fert Christus.

Christus iudex.

uoce non significat potestatem se in hoc accepisse, ut occidat, trucidet, & damnet homines, sed potius ut uiuificet ac seruet homines. Vnde & instituit ministeriũ salutis. Euntes, inquiens, docete oẽs gentes, baptisantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia, quęcunq; præcepi uobis. Hoc certè est instituere ministeriũ non quo homines damnantur, sed quo seruantur, & uerã ac æternam salutẽ consequuntur. Quid igitur dicemus? Cùm Christus non sit cõdemnator, sed seruator, ergo impij & increduli non damnabuntur, sed euadent impunes? Absit. Sequitur eñ: Qui reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in extremo die. Cum hoc dicto conuenit & illud: Hæc est condemnatio, q̃ lux uenit in mundum, & homines magis dilexerunt tenebras, q̃ lucem. Et illud: Qui non crediderit, condemnabitur. Nã quod Christus hoc loco dicit, hanc habet sentẽtiam: Si quis contempserit me, & nõ acceperit fide meũ Euangelion, hunc ego non condemnabo. Meum enim officiũ, mea uocatio est, Seruare: sed condemnabitur, propterea quòd nõ adhibuerit fidem meo sermoni, & non uoluerit meo officio uti, ac salutem meo Euangelio oblatam accipere. Omnes eñ homines sunt natura sua peccatores, ideoq; sunt etiam natura sua damnati. Christus aũt uenit, ut expiaret peccata, & liberaret homines in ipsum credẽtes à damnatione. Quare q̃ non credit in Christum, nõ damnatur à Christo, sed quia iam antè natura sua damnatus est, manet in ea damnatione. Manet aũt in ea, non q̃ sit peccator, sed quòd sermonem Christi offerentẽ liberationem, non accipit. Hęc enim, inquit, est cõdemnatio, non q̃ homines peccauerint, non quòd homines sint obruti tenebris peccati & mortis: Si enim hæc esset condemnatio, nullus hominum seruaretnr, quia omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, Sed hæc est condemnatio, q̃ lux Euangelij, & Christus ipse uenit in mundum, homines aũt impij & increduli malunt in tenebris peccatorum suorũ manere, q̃ lucem Euãgelij aspicere, & in Christum seruatorem credere. Additur autem diserte: In extremo die. Quid? ergóne impij habent interea temporis inducias, & euadent impunes usq; ad extremum huius seculi diem? Negari certè nõ potest, quin Christus hoc manifestè significet. Dicit enim: Sermo, quem locutus sum iudicabit eum in extremo die. Si iudicium & supplicium impiorum reiectũ est usq; ad extremum diem, profectò erũt interim à supplicio liberi. Hìc iam impij & scelerati teneri non possunt, quin sublata cachinnatione exclament: Quid? si in tam longinquũ tempus suppliciũ nostrũ differtur, agitedum uiuamus pro nostra libidine, fruamur occasione. Multum enim adhuc temporis supereſt, quo nihil suppliciorum nobis metuẽdum erit. Itaq; impij rident cõciones, de extremo iudicio, & existimant eas esse uanissimas nugas. Sed tu, quisquis es, nihil habes quo tibi in impietate & sceleribus tuis blandiri queas. Primùm eñ, nihil certius est, quàm futurũ esse iudicium Dei in extremo die, in quo & pij consequentur cœleste regnum, & impij conijciẽtur in æterna supplicia. Prædicatio de hoc extremo iudicio, non est recens excogitata, sed fuit ab initio orbis terræ inter homines reuelata diuinitùs, & confirma

Incredulitatis pœna.

Impiorũ supplicij in extremum diem reiectum est.

Impij rident comminationes de extremo die.

ta magnis

tā magnis ac multis miraculis. Quare siue rideant, siue plorent impĩ, nihil certius, nihil firmius est, q̃ futurum esse hoc iudiciũ, quod ipsi tanta animi securitate cõtemnunt. Deinde, etsi magna pars impiorũ, non affligitur externis supplicijs in hoc seculo, tamen multi inter eos traduntur propter impietatem in reprobam mẽtem, quemadmodũ Paulus ait, ut faciant ea, quæ nõ conueniũt, & designent manifesta ac horrenda flagitia, propter quæ uel à magistratu, uel ab hostibus, uel alijs aduersis etiã in hoc mũdo puniuntur. Exemplo sunt Iudęi, q̃ cum crucifixissent Christum, uidebantur adhuc fœlices, Sed propter impietatem ipsorꝫ, traditi sunt in reprobã mẽtem, ut fierent nõ modò inter se ipsos seditiosi, latrones & homicidæ, uerũetiam aduersus Romanos, quibus subiecti erant, perfidi defectores. Quibus rebus Romani excitati susceperunt contra ipsos bellum, q̃ bello ita afflixerunt eos, ut facti sint exemplum & opprobrium in oĩbus gentibus. Non habent igit impĩ, quo polliceantur sibi oẽm in hoc seculo securitatẽ, etiãsi Christus, q̃ ad se attinet, reseruat supplicium impietatis eorꝫ in extremũ diem. Huc accedit, q̃ impĩ nõ possunt diutius impiè agere, cũ̃ usq̃ ad diem mortis suę. Nam eo tẽpore incipit supplicium eorꝫ. Sicut em̃ pĩ in Christo obdormiscentes uiuũt fœliciter cũ Christo, usq̃ ad extremũ diem, q̃ & corpus ipsorum excitabit, ita impĩ, q̃ in impietate sua moriuntur, quia sunt membra Satanæ, pręcipitantur etiã in Tartarum, & uinciuntur catenis noctis, quemadmodũ Satan, ut in extremo die excitati, audiant: Ite maledicti in ęternũ ignem, qui prępараtus est Diabolo & angelis eius. Quis aũt scit, cũ̃ longè adhuc absit dies mortis suæ? An non breues dies hominis sunt? An non quasi flos egreditur, & cõteritur, & fugit uelut umbra, nec unq̃ in eodem statu permanet? Vidi impiũ, inquit Psalmus, superexaltatum & eleuatũ sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce nõ erat, & quęsiui eum, & nõ est inuentus locus eius. Et Paulus: Cum dixerint pax & tuta oĩa, tunc repentinus eis imminet interitus, sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. Quare impĩ non debent sibi blandiri in sua securitate, & fœlicitate huius seculi, sed sciant sibi tantò grauius & horribilius supplicium imminere, quantò longius ac diutius proferri uideť. Cętерum, cũ Christus dicat: Sermonẽ suum iudicaturũ impios in extremo die, amâbo te, dic nobis quid causæ est, q̃ homines iudicẽtur, & damnẽtur, propterea q̃ non recipiant sermonẽ Christi? Quis, obsecro, sermo ille est, propter cuius aut neglectum aut contemptũ tot myriades hominum damnani? Sequitur: Quia ego ex meipso nõ sum locutus, sed q̃ misit me Pater, ipse mihi mandatũ dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio, q̃ mandatum eius, uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor. Vides nunc, quam ob causam hoĩes damnentur, q̃ non recipiunt sermonem Christi. Quia ego, inquit, nõ sum locutus ex meipso, hoc est: Sermo meus non est humanum somnium, sed diuinum mandatum. Diuinum autem mandatum est uita æterna. Quare qui hoc mandatum nõ recipit, is non recipit uitam ęternam, ideoq̃ necesse habet ętерna morte perire. Cognoscẽdum autem est, quid mandauerit Deus Pater Christo filio suo, quod in hoc mundo concionetur, ut cognoscamus etiam quo-

Iob 14.

Psalm. 34.

1. Thessal. 5.

Christi sermonem non recipiens quare damnetur.

Deus Pater quæ mãdauerit filio suo.

modo uitam æternam consequamur. Initio dubium non est, quin & hæ cõciones, quibus Christus exposuit legem, & cohortatus est discipulos ad faciẽdam legem, sint mandata Dei, non sunt aũt ea mandata, propter quæ potissimu ac prẽcipuè Christus in hanc terram missus est. Ea enim mandata extiterũt antea in terris, per Mosen uulgata, & p̃ Prophetas exposita, priusq̃ Christus homo factus est: & quia erant Pharisaicis traditionibus obscurata, ideo Christus suscepit ea explicanda. Vnus autẽ est sermo, unũ est mandatum, ꝓpter quod maximè oĩm Christus de cœlo descendit. Hoc est Euãgelion illud, quod de seipso prẽdicauit, uidelicet, q̃ ipse sit uerus Messias, uerus ab æterno filius Dei, uerus expiator peccatorũ, uerus recõciliator ac redemptor hoĩm. Hic est sermo, hoc est mãdatum, quod Pater iussit Filium in terris prẽdicare. In Psalmo emñ secundo, dicit Christus: Prẽdicabo prẽceptum, quod Dñs dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Et in Esaia ait: Spiritus Dñi super me, i-
Esaiæ 61. deo unxit me, ad prẽdicãdum humilibus misit me, ut mederer contritis corde, ut prẽdicarem captiuis liberationem, et clausis apertionem. Et iterum dicit Deus Pater ad Christum filium suũ in Esaia: Dedi te in fœdus
Esaiæ 42. populi, & in lucem gẽtium, ut aperires oculos cẽcorũ, & educeres de cõclusione uinctũ, de domo carceris sedentes in tenebris. Ex his scripturæ locis perspicuè habes, q̃ Deus mandauerit Christo, ut prẽdicet in terris se esse uerum illum Messiam & Filium Dei, q̃ liberet homines à captiuitate & tenebris peccati, mortis & inferni, & ducat eos in libertatem & lucem iusticiæ, uitæ & regni cœlestis. Vocat autẽ Christus hoc mandatũ, uitam æternam, propterea q̃ afferat hominibus uitam ẽternam, & quicunq̃ adhibet ei fidem, accipiat uitã æternam. Sic emñ Deus dilexit mundum, (inquit aliâs) ut Filium suũ unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum nõ pereat, sed habeat ẽternã uitam. Reliquum igitur est, q̃ homines nõ damnentur, quia peccauerũt, sed quia cùm peccauerint, non accipiunt mandatum Christi, quod est Euãgelion eius. Hoc etsi in imperita hoĩm multitudine periculosè dicitur: postq̃ enim hi, qui libenter quẽrunt occasionem peccandi, audiunt homines nõ damnari, quia peccauerunt, uociferantur sibi hac concione, qua putant sibi dari impunitatem peccandi, nihil gratius esse: attamen utcunq̃ hi abutuntur pia doctrina, uerissimè ac necessariò dicitur. Non enim cõceditur, si rectè intelligas, peccandi licentia, sed primùm docemur hoc dicto, quomodo possimus constare in iudicio Dei. Cùm enim ducimur ad tribunal Dei, in conscientia nostra, & accusamur non solùm natiuæ nostræ impietatis, uerum etiam grauissimorum scelerum, quæ designauimus, ibi tum cogitandũ est, eam accusationem non esse Christi, sed legis, & in medium producendum, ac fide arripiendum est mandatum Christi, quo nobis adnunciatur, quòd ipse sit expiator peccatorum, & q̃ homines non damnentur, quia peccauerunt, sed quia non agnoscunt hoc mandatum Christi. Agnoscamus igitur hoc mandatum, & opponamus ipsum accusationi legis, ut etsi peccauimus, tamen propter Christum liberemur iudicio ac supplicio peccati. Deinde iubemur hoc dicto à peccatis resipiscere, peccata uitare & fugere, tantum abest, ut concedatur eo licentia peccandi.

Iubemur

Iubemur enim sermonem ac mandatum Christi agnoscere,& fidem,teneri nõ potest,quin declaret se gratum erga Christũ, per obedientiam, & dominetur reliquijs peccati,ut facta corporis mortificentur. Hæc est illa nouitas uitæ,ad quam semper uerbo Dei uocamur,per Iesum Christum Dominum nostrum,qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XIII.

HOMILIA XVII.

Vm satis superq́ in explicandis concionibus Christi, quas Ioannes in duodecimo capite descripsit,cõmorati sumus,tempus est iam ea,quæ in nouissima cœna Christi acta & dicta sunt,interpretatione nostra aggredi. Etsi em̃ Christus in his sex diebus,quę ultimum Pascha eius pręcesserũt,multas alias cõciones, pręter eas quę in superiori capite descriptę sunt,habuit tñ quia alij Euãgelistę cõmemorarunt eas copiosè, properat Ioãnes ad recẽsendas res gestas in nouissima cœna: quæ cùm sint memorabiles, uisum est eas literis diligenter mandare. Sic ergo dicit: Ante festum Paschę (uidelicet uesperi eius diei, quẽ insecuta est magna,ut uocant, Parasceue, in qua Christus crucifixus est, & mortuus) sciens Iesus,q́ uenisset hora ipsius,ut transiret ex hoc mundo ad Patrem,cum dilexisset suos qui erant in mũdo,usq́ ad finem dilexit eos. Euãgelista suscepit describẽdam lauationẽ pedum,& cõcionem quam Christus post eam lauationẽ habuit. Quare primùm oĩm cõmendat insignẽ illam caritatem, qua Christus cõplexus est discipulos suos, adeoq́ uniuersam Ecclesiã suam. Christus.n. non cõclusit caritatem suã intra tam angustos fines,ut solis duodecim Apostolis terminaretur,sed dilatauit eam in totũ illum hoĩm cœtum,q́ ipsum ex Apostolica prędicatione per fidẽ agnoscunt. Non ꝓ eis,inquit,tantum rogo,sed & pro ijs, qui crediturí sunt per sermonem eorũ in me. Quæ igit̃ hoc loco de dilectione Christi dicũtur,pertinent ad uniuersam Ecclesiam. Cùm dilexisset,inquit Euãgelista,suos,usq́ in finem dilexit eos,hoc est,perseuerauit ipsos semper ac ꝑpetuò diligere & tueri. Amplificat aũt Euãgelista hanc dilectiõem,Primùm collatione ꝓpensissimæ eius uoluntatis qua Christus sua sponte crucem & mortem suscepit. Sciens, inquiens,q́ uenisset hora ipsius,ut transiret ex hoc mũdo ad Patrem,hoc est, Christus intantum dilexit suos, ut etiãsi cognouerit iam imminere horã passionis suæ ac potuerit fugere,& sese in tutum locum recipere, tñ maluerit animam suã ꝓ discipulis & Ecclesia sua ponere,q̃ eos in interitu peccati & mortis deserere. Hęc est immensa caritas,quæ non potest uerbis satis explicari, quod & Christus paulò post significat: Maiorem,inquiens,hac dilectionẽ nemo habet,ut quis animam suã ponat ꝓ amicis suis. Cęterũ,priusq́ perstringimus alia, quibus Euangelista cõmendat & amplificat caritatẽ Christi,non est negligẽter cõsiderandum, quod epitheton tribuatur

Dilectio Christi.

hoc loco crũci & morti. Cùm eñ Ioannes faciat uerba de cruce & morte Christi, nõ dignatur mortem, uocare mortem, sed uocat eam transitum ex hoc mũdo ad Patrem. Itaq; tribuit morti nouũ epitheton, uidelicet significans, mortem nõ amplius esse ꝑditionem, sed transitum ex hoc mũdo ad Patrem. Quid ergo est hic mundus? Quid est PATER? Mũdus est lerna malorũ. Mundus est sentina oĩm scelerum & calamitatũ. Deus aũt Pater est perfecta & æterna iusticia, ac fœlicitas. Cùm igit̃ mors dicatur transitus ad Patrem, ꝑfectò nõ erit, nisi transitus ex peccato ad iusticiam, & ex calamitatibus ad ueram & ꝑternam fœlicitatem. Sed hęc mortis inquies, descriptio pertinet tantũ ad mortem Christi filij Dei, non itẽ ad alios hoĩes, q̃ cùm sint in peccatis concepti & nati, ingrediũtur per mortem in perpetuũ interitum. Rectè quidem, si cõsideraueris mortem secũdum naturam, quã habet ex peccato, de hoĩm morte loqueris, sed longè erras, si de morte loqueris, secundũ eam cõditionem, quã ex Christo accepit. Christus. n. expiauit morte sua peccatũ, & euasit per mortem ad uitam, non sua tantũ causa, sed ut hoĩes ꝓpter ipsum per mortem in uitam ingrederẽt: Ego sum, inquit, resurrectio & uita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, & omnis q̃ uiuit, & credit in me, nõ morietur inꝑternum. Et in Epistola ad Hebrẽos: Posteaq; pueri commercium habent cũ carne & sanguine, & ipse similiter particeps factus est eorũdem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc est diabolum, & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per oẽm uitã obnoxij erant seruituti. Manifestum igit̃ est, q̃ ꝙmodum mors Christi, ita etiam mors oĩm qui credunt in Christũ, sit transitus ex oĩbus malis, ad uerã & perpetuã beatitudinem. Sed reuertamur ad ꝓpositum. Ioãnes amplificauit dilectionẽ Christi, ex eo q̃ Christus maluerit mortẽ, quã iam imminere sciebat, & effugere poterat, subire, q̃ saluti Ecclesiæ suæ deesse. Nunc aũt amplificat eam ex collatione cum ꝓditione Iudæ.

,, Sic eñ sequitur. Et cœna facta, cum diabolus iam immisisset in cor Iudę
,, Simonis Ischariotæ, ut proderet eum. Nam cum Iesus uesperi ad edendum Pascha cum discipulis suis in urbem Hierololymã ueniisset, fuit & Iudas Ischariotes, unus è duodecim prẽsens, q̃ iam cum Pontificibus de proditione pepigerat. Hoc nõ ignorauit Christus, sed multò certius cognouerat, q̃ si pacto proditionis inter Pontifices uisibilis affuisset. Prẽterea sciebat etiã alios discipulos ab ipso defecturos, & ipsum turpissimè deserturos, nihilominus tñ tanta fuit bonitas & dilectio eius, ut nec in Iudam ꝓditorem inhumaniter ꝯraſſatus sit, nec alios discipulos acerbè abiecerit, sed multò magis seruierit eis, non tñ lauatione pedum, uerum etiam susceptione mortis ꝓ peccatis ipsorũ. Quis posset magnitudinem tanti amoris ꝓ dignitate satis animo suo cõprehendere? Homo quispiã cui ob oculos positi essent proditor, & amici tam ingrati, dixisset: Quid egóne ꝓ his sceleratissimis & ingratissimis nebulonibus mortem subirem ac sustinerẽ? malo fulminis ictu pereãt. Christus aũt etsi non tñ Apostolos suos desertores, uerũetiam oẽs homines pro quibus passurus erat, impios cognouit, & corã pro maiestate sua uidit, nihil tñ uel amarulentũ, uel crudele cogitauit aut dixit, Sed ut Ioãnes loquitur, dilexit eos

Mors transitus ex hoc mundo.

Ioannis vi.

Hebræ. 2.

Dilectionis Christi magnitudo.

in

in finem, perrexit semper oĩa caritatis officia eis exhibere, adeoq; mortẽ propter ipsos suscipere. Cõmendat Ioãnes etiã aliâs magnitudinem huius caritatis in Christo. Per hoc, inquiens, cognouimus caritatem, quoniam ille animam suã pro nobis posuit. Et Paulus: Christus, inquit, cum adhuc essemus infirmi iuxta temporis rationẽ, pro impijs mortuus est. Nam uix p iusto quisq; moritur. Etsi aũt fortasis fieri potest, ut quisq; moriatur pro bono suo amico, Deus tñ commendat suam caritatem erga nos, q cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus est. Quare nulla potest cogitari caritas, quæ superat eam caritatem, qua Christus suã Ecclesiam complexus est. Præterea Ioannes amplificat caritatem Christi collatione maiestatis eius. Sciens, inquit, Iesus, q omnia dedisset sibi Pater in manus, & quòd à Deo exisset, & ad Deum iret. Hoc est, etsi probè cognoscebat quanta esset sua maiestas, uidelicet, q æqualis esset Deo Patri, q eiusdem esset cum Patre essentię & potentiæ, ac assumpsisset quidẽ hominem humanis fragilitatibus obnoxiũ, & mortalem, resurrecturum aũt à morte, ascensurum in cœlum, & sessurũ ad dextram Dei, (hoc eñ est à Deo exire, & ad Deum ire) ideoq; potuisset sibi uno nutu oẽs Monarchas huius seculi subijcere, ac cœlestem suam maiestatem palàm ostentare, tanta tñ fuit dilectio eius, ut uoluerit abiectissimus discipulorum suorum seruus fieri, sese ad pedes eorum abijcere, pedes eorum lauare, corpore & sanguine suo eos pascere, adeoq; corpus suum pro ipsis in mortem tradere, & sanguinem suũ pro ipsis effundere. Quis fando posset magnitudinem tantæ dilectionis explicare? Hæc autem non proponũtur nobis, ut sciamus tantùm, & admiremur, sed ut ijs ad salutem nostram utamur. Nam consideratio huius immensæ caritatis Christi erga nos excitat & confirmat in nobis fidem & mutuam caritatem, quæ sunt præcipuus cultus Dei, & quæ necessariò prę standa sunt. Primùm enim exigitur FIDES, qua credamus nos Deo curæ esse, & qua inuocemus Deum. Sed multa sunt, quæ solent nos ab hac fide auocare. Vnum est, quòd cogitemus nos esse cõditione nostra indigniores, quam quos Deus respiciat. Alterum: quòd cogitemus nos esse sceleratiores, quàm quibus Deus faueat. Huc accedit, quòd existimemus maiestatem Dei esse sublimiorem, quàm quæ se ad conseruandum nos demittat. Sed hæc omnia refutantur consideratione immensæ huius caritatis, qua filius Dei, qui est ipsa Patris imago, discipulos suos, imo uniuersam Ecclesiam suam prosequitur. Filius enim Dei habet coram se discipulos suos, homines indignos, abiectos, & sceleratos: præterea non ignarus est maiestatis suæ, & tamen tanta est caritas eius, ut teneri non possit, quin fiat seruus ipsorũ, & suscipiat pro ipsis probrosissimam mortem. Si enim nos indigni sumus, quos filius Dei respiciat, ipse tamẽ dignus est, qui miseros iuuet, quò clementia eius illustretur. Si peccatores sumus, ipse tamen iustus est, & peccata nostra expiauit. Si magna est maiestas eius, afflictos tamen respicere & tueri, non est maiestatem minuere, sed conseruare & augere. Quare, quò indigniores & miseriores nos esse agnoscimus, eo melius de clementia Dei confidendum est. Deinde exigitur mutua caritas. Diliges, inquit lex, proximum tuum,

1. Ioan. 3. Rom. 5.

Dilectionis Christi consideratio quid nobis profit.

Amoris Christi consideratio excitatim nobis fidem.

ſicut teipſum. Ab hac aũt dilectione auocat nos, ꝙ non rectè conſideremus, quanta dilectione filius Dei proſequatur proximum noſtrũ, & q̃ gratum ſit ei officium, ſi proximo benefecerimus. Exiſtimamus enim ꝙ filius Dei tam frigido affectu cõplectatur proximũ noſtrum, q̃ nos eum cõplecti uidemur, & ꝙ non ſit ei curę, quid quiſq; alteri uel boni uel mali fecerit. At manifeſta eſt dilectio filij Dei. Etſi em̃ proximus noſter eſt peccator, tñ filius Dei tanto amore eius arſit, ut ꝓpter ipſum mortem ſubierit. Ne cibo tuo, inquit Paulus, illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Adhęc, tantę curę eſt Chriſto, quæ officia nobis inuicẽ confera mus, ut etiam ob hanc cauſam ſuſceperit erga nos tantum caritatis ardorem, quò & in nobis mutuã caritatem accenderet. Remittit nobis peccata, ut & nos proximis ſua peccata remittamus. Seruat nos in aduerſis, ut & nos proximũ ꝓ noſtra uirili, in aduerſis ſuis ſeruemus. Donat nos iure regni cœleſtis, ut iuuemus ꝓximum in hoc regno terreſtri. Breuiter, adoptat nos in filios Dei, & hęredes oĩm cœleſtium bonorę, ut imparti amur proximis noſtris honorem, tanq̃ etiam ipſis cohæredibus gratiæ uitæ. Quis igit̃ tam ingratus eſſet, q̃ pro tantis beneficijs nõ referret tantilla officia? Fingamus eſſe diuitem quẽdam, q̃ donet mendico mille aureos numos, & hãc uiciſſitudinem ab eo petat, ut tantũ duos aut tres aureos ſuo noĩe, ad declarãdam animi gratitudinem alteri mẽdico, proximè obuiam uenienti exponeret. Quanta, obſecro, hęc eſſet ingratitudo, quanta indignitas, ſi mendicus ille, q̃ accepit dono mille aureos numos, non ſolũ nihil donaret ꝓximo mẽdico, uerũetiam cõuicijs eum proſcinderet? An nõ digniſsimus eſſet, cui non ſolũ auferrentur ſui mille aurei ſed etiam q̃ multis plagis uapularet? At Chriſtus non dedit nobis mille tantũ aureos numos, ſed dedit hęreditatem regni cœleſtis. Quæ eſt illa ingratitudo, ꝙ non uiciſsim ad teſtandã animi noſtri gratitudinem, impertiamur egeni proximo aliquid de hæreditate huius terreſtri regni, quod tñ magis eſt ſeruitus, q̃ regnum? Nota eſt parabola de eo, qui debuit dño ſuo decem m[illia] talentorum, & non uoluit uiciſsim conſeruo ſuo remittere centũ denarios. Quare, ne eijciamur ex dilectione filij Dei elaborandum eſt, ut accendentur in nobis dilectio erga proximos noſtros. Accenditur aũt diligenti & fideli conſideratione immenſæ illius dilectionis, qua filius Dei in nos exarſit, & qua donauit nos omnibus cœleſtibus bonis. Cariſsimi, inquit aliâs Ioannes, ſi ſic Deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere. Et Chriſtus poſtea ait: Hoc eſt meum prȩceptum, ut diligatis uos inuicem, ſicut dilexi uos. Sed de hac re hactenus. Videamus nunc, quibus rebus Chriſtus teſtatus ſit ſuam dilectionem erga diſcipulos ſeu Eccleſiam ſuã. Vna eſt, Lauatio pedum. Altera eſt, cœna Dñica, qua dedit corpus ſuum ueſcendum, & ſanguinem ſuũ bibendum. Tertia eſt, Paſsio & mors Chriſti. His tribus rebus Chriſtus dilectiõem ſuam ita teſtatus eſt, ut nulla maior aut excellentior animo concipi poſsit. De ordine autem lauationis pedum & cœnæ Dominicæ, controuerſia quædam eſt. Alij ſentiunt Ieſum lauiſſe pedes diſcipulorum, priuſq̃ cum diſcipulis cœnatus ſit. Hi, cùm Euangeliſta dicit, Cœnam factam, intelligunt, cœnam paratam quidem, nondum autem abſumptam,

Rom. 14.

Amoris Chriſti conſideratio docet quid debeamus proximo.

Matth. 18.

1. Ioan. 4.

Dilectionem ſuã Chriſtus quibus rebus teſtatus ſit.

abſumptam. Alij ſentiunt, Ieſum lauiſſe pedes diſcipulorꝝ, poſt ſumptã cœnã. Hæc utcunqꝫ ſe habeant, parũ retulerit. Nos remipſam perſequamur. Ioannes nõ deſcribit cœnam Dñicam multis, ſed facit mentionem eius uno tantũ uerbo. Cœna, inquiens, facta. Et: Surgit à cœna. Noluit aũt hanc cœnam multis uerbis deſcribere, nõ quòd iudicaret eam ociosam aut ſuperuacaneam, quemadmodũ prophanatores ſacramẽtorum exiſtimant, ſed quòd ea antè copioſiſsimè deſcripta eſſet à tribus Euãgeliſtis, & ab Apoſtolo Paulo, qui & ipſe ſcripſit Epiſtolas ſuas priuſqꝫ Ioannes Euangelion ſuum conſcripſit. Itaqꝫ Ioãnes non iudicauit cœnam Dñicam eſſe ocioſam, ſed iudicauit ocioſum eſſe, eam poſt tã copioſam aliorum deſcriptionem, iterũ literis mandare, præſertim cùm ab alijs, nihil quod ad rem faceret, omiſſum uideret. Et quia pauciſsimis meminit cœnæ Dñicæ, dicamus & nos pauca de ea hoc tempore, quando aliâs copioſè de ipſa diximus. Poſtqꝫ enim Chriſtus filius Dei ſuſcepit humanũ genus redimendum, & omni beneficiorꝝ genere cumulandum, non uoluit tantum corpus ſuũ pro nobis in mortẽ tradere, & ſanguinem ad expiationem peccatorũ noſtrorum effundere, ſed ut teſtaretur immẽſam ſuam erga nos clemẽtiam, uiſum eſt, etiam ſacramento panis & uini corpus ſuũ nobis edendum, & ſanguinem bibẽdum dare. Veſcentibus emꝫ diſcipulis, accepit Ieſus panem, & poſtqꝫ egiſſet gratias, fregit deditqꝫ diſcipulis & ait: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro uobis datur. Hoc facite in mei cõmemorationem. Accepit deinde poculũ, & cũ gratias egiſſet, dedit illis dicens: Bibite ex hoc OMNES. Hic eſt enim ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur in remiſsionẽ peccatorum. Hæc eſt cœna illa, qua Chriſtus perſpicuè ſignificare uoluit, quanta caritate cõplectatur Eccleſiam ſuã, & quantum mors eius differat ab aliorũ ſanctorum morte. Etſi .n. Patriarchę & Prophetæ ac innumeri alij ſancti mortui ſunt, nullus tamen eorꝝ potuit tale teſtamentũ condere, in quo legaret amicis corpus & ſanguinem ſuũ, aut tale conuiuium inſtituere, in quo daret corpus ſuũ ueſcẽdum & ſanguinem bibẽdum. Solus aũt filius Dei hoc potuit, qui moriturus pro ſalute humani generis, Teſtamẽtum condidit, in quo legauit amicis ſuis preciоſiſsima, quæ habuit, bona, uidelicet ſuum ipſius corpus, & ſuũm ipſius ſanguinem, ac præbuit illa ſacramento panis & uini edenda & bibenda, in hunc uſum, ut qui ea per fidem ſumeret, & crederet Chriſtum eſſe ueram pctõrum ſuorum expiationem, fieret unà cum Chriſto una caro, & unus ſanguis, hoc eſt unũ corpus, ut quæcunqꝫ cœleſtia bona filius Dei poſsidet, ea etiam is, qui hac cœna in fide utitur, participaret. Poſsidet aũt Chriſtus, iuſticiam, uictoriam mortis, uitam æternam, & regnũ cœleſte. Quare, qui hac cœna utitur per fidem, is quia una fit caro & ſanguis cum Chriſto, reputatur propter Chriſtum iuſtus, ſeruatur in morte, & cõſequitur æternũ & cœleſte regnum. Quibus beneficijs, quid poteſt homini maius contingere? Sed hic oritur mare queſtionum & controuerſiarum. Alij enim diſputant panem & uinum huius cœnæ non manere panem & uinum, ſed mutari, ſeu ut ipſi loquuntur, tranſſubſtantiari in corpus & ſanguinem Chriſti. Alij putant pane & uino nõ diſtri-

Cœna Dominica.

Teſtamenti Chriſti bona.

Opiniones de cœna Dominica uariæ & impiæ.

bui reipſa corpus & ſanguinem Chriſti, ſed hæc tm̃ per panem & uinũ ſignificari. Corpus em̃ Chriſti eſſe in cœlo, non in cœna Dñica. Alij dicũt una tm̃ parte huius cœnę uulgo hoim utendũ eſſe. Alij ſentiunt in hunc uſum inſtitutã eſſe hãc cœnam, ut offeratur ꝓ peccatis uiuorũ & mortuorum. Alij cõtendunt hanc cœnam tantũ eſſe admonitionem mutuę caritatis, quã nobis inuicem pręſtare debemus. Breuiter, plures ferè ſunt opiniones de hac cœna, q̃ uerba, quibus eam Euãgeliſtæ cõmemorant. Longum aũt eſſet hoc loco ſingulas impias opiniones de hac cœna refutare. Et fecimus id alijs temporibus. Hoc unum paucis nũc admonendum duxi, ꝙ quemadmodũ impiè ſentiunt, qui dicunt hanc cœnam eſſe merito actionis ſuæ expiationem pro peccatis uiuorum & mortuorę,

Sacramenta uiorũ error refutatur.

ita etiam uaniſsimi ſunt, qui ſentiunt corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe reuera in hac cœna, nec diſtribui ſumentibus, pane & uino, ſed tantum ſignificari. Hi em̃ fingunt neſcio quas abſurditates, ꝙ tam magnũ corpus nõ poſsit contineri in tantilla panis particula. Quaſi uero in hac cœna tale ageretur negotiũ, quale eſt, cum mulieres recipiũt in laniena carnes bouis aut uituli in corbes ſuas. Sed ꝓfectò agitur hîc cœleſte negotium, in q̃ conſiderandum eſt, non quid rerum natura ferat, & humanæ imaginationi abſurdũ uideatur, ſed quid uerbum Dñi dicat, & quid fides ferre queat. Scimus quidẽ optimè, nullum hominem poſſe corpus ſuũ in tantillam particulã panis reponere. Sed de Ieſu Chriſto filio Dei longè aliter ſentiendum eſt, cꝫ de alijs hominibus. Hic .n. Chriſtus non habet tam nudum corpus aut carnẽ, cꝫ eſt caro alterius cuiuſdam hominis, ſed habet carnem coniunctam cum diuina natura in unitate perſonę. Verbum, inquit Ioannes, factũ eſt caro. Quod ſi diuinitas Chriſti implet panẽ cœnæ Dñicæ, quid prohiberet, q̃ minus ſecum carnẽ, quæ cũ ipſa in unitate coniuncta eſt, adduceret? Non ferunt hoc, inquis, naturales conditiones carnis. At nec fert naturalis cõditio carnis, ut diuina natura cũ ipſa coniungatur in unitate perſonę, ut ambulet ſuper aquas maris, quaſi ſuper aridam, & non demergatur, ut ſubito ex oculis hominũ euaneſcat, & fiat inuiſibilis, ut aſcendat abſq; ſcalis in altũ, & ſuſcipiatur à nube, ac multa id genus alia, & tamen hæc oĩa uerè ſunt in carne Chriſti.

Epheſ. 4.

Quid manifeſtius eſt, quàm Ieſum Chriſtum, qui deſcenderat in infimas partes terræ, aſcendiſſe non in cœlum tantum, ſed etiam ſuper omnes cœlos, ut omnia tam infera, quàm ſupera impleret? impleret aũt nõ diuinitate tantũ, ſed etiam humanitate. Faceſſat hinc humanæ rationis prudentia. Non eſt hæc impletio, qualis eſt raparum in ſacco, ſed eſt cœleſtis & diuina, quę dici quidem utcunq;, non autem humano captu intelligi poteſt. Quod ſi uerò Chriſtus implet humanitate ſua cœlum & terram (hoc enim ſibi uult aſcenſus eius in cœlum) quomodo nõ impleret etiam, iuxta uerbum ſuum, panem cœnæ Dominicę? At hoc modo, inquies, impleret etiam lapides & ligna, aut poma & pira. Ergóne dicemus eum ueſci corpore Chriſti, qui ueſcitur pomo? Hic nobis conſiderandum eſt, ꝙ Chriſtus humanitate ſua, quæ eſt cum diuina natura in unitate perſonę cõiuncta, aliter nobis eſt in cœlo, in terra ac partibus rerum terrenarũ, ut in pomo aut piro: aliter in pane cœnę Dominicæ. In

pomo

pomo enim aut piro non est, ut ibi distribuatur nobis, & sumatur. In pane autem & uino cœnæ Dñicæ sic præsto adest, ut etiam ibi nobis exhibeatur, & à nobis sumatur. Nam nec de pomo nec de piro dictum est diuinitus: Accipite, edite, hoc est corpus meum, sed hoc dictum est de pane cœnæ Dominicæ. Itaq; in cœna Dominica distribuuntur corpus & sanguis Christi, quia panis & uinum huius cœnæ habent uerbum Christi. In pomo aut & aqua non distribuuntur illa, quia non habent tale uerbum Christi, adeoq; rectè dictum est: Accedit uerbum ad elementum (non quidem quoduis, sed ad hoc diuinitus institutum) & fit sacramentum. Pauci ora dixi, quàm magnitudo huius rei exigere uidetur: sed si hæc rectè intelligantur, nō dubito quin unicuiuis pia mente prædito, & ueritatis magis, q̄ contentionis amanti, satisfaciant. Reliquum aut est, ut maximam operam in hanc rem cōferamus, quò cœna Dominica rectè utamur. Vtemur autē ea rectè, si utamur ipsa ex fide, hoc est, si crediderimus Iesum Christum carnem suā dedisse in mortem ad consequendā nobis uitam, & sanguinem suum effudisse ad expianda peccata nostra, ac instituisse cœnam suam, ut declararet caritatem suā erga nos, & communicaret nobiscum suā carnem & sanguinem, quò unum corpus cum ipso fieremus, & cohæredes eius efficeremur. Quare cùm obiicimur aduersis, & sollicitamur propter peccata, ut putemus Deum non esse nobis propicium, nec nos esse participes beneficiorū Christi, sumēda est cœna Dominica, ut hoc pignore confirmemus fidem, & certissimè cognoscamus, peccata nobis esse remissa, & hæreditatem cœlestium bonorū ad nos pertinere, per Iesum Christum Seruatorem nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Augustinus.

HOMILIA XVIII.

VIDIMVS Iesum Christum institutione cœnæ suæ, quam Dominicam uocamus, insignem beneuolētiam erga uniuersam Ecclesiam declarasse, & maxima in eam beneficia contulisse. Videamus nunc quid illud sit, quòd Iesus Christus susceperit pedes discipulorum suorum lauandos. Sciens Iesus (inquit Euangelista) q̄ omnia dedisset sibi Pater in manus, & q̄ à Deo exiisset, & ad Deum iret, surgit à cœna, & ponit uestimenta, & cùm accepisset linteū, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo præcinctus erat. Hîc res ipsa exigere uidetur, ut exponeremus, quid sibi uoluisset Iesus Christus, eiusdē cum Patre substantiæ ac maiestatis, & rerum omniū Dominus, hac pedum lauatione, opere uidelicet & officio maximè omnium seruili, Sed quia Christus ipse exponet hoc postea graui & copiosa oratione, percurremus prius contentionem, quam Petrus occasione huius lauationis cum Christo susceperit. Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio tu nescis nunc, Scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis meos pedes inæternum. Quod Petrus dicit ac facit, uidetur esse officium, quod discipulus magistro suo debeat, Nec cogitat se uelle hoc facto Christum ignominia, sed potius honore afficere: attamen

Pedum lauatio.

si rem rectè perpendas, magna est Petri incogitantia & impudẽtia. Considera eñ mihi huius rei circũstantias, & uidebis magnitudinem inepti arum Petri. Nam Petrus sensit de Iesu, idq; rectè admodum, q; non sit simplex quispiam homo è uulgo, sed quòd sit uerus Messias & filius Dei uiui, quemadmodũ antea sæpe de ipso confessus fuerat. Prẽterea, perspicuè potuit in hoc conuiuio uidere, q; Iesus ageret rem seriam. Postq; enim Iesus assederat mensæ, surrexit iterũ, hoc ipso significans, se rem necessariam, ac minimè prẽtermittẽdam prius facturum. Mox deponit uestimenta sua, & cõsiderata quadam tarditate prẽcingit se linteo, ac infundit ipse aquam in peluim. Quo spectaculo satis cuiuis diligenter intuenti significabatur, hoc opus nõ temerè à Iesu suscipi. Quid, quod Iesus uerbis minimè obscuris palàm affirmat, hoc sibi deliberatũ & cõstitutum esse, cum ait: Quod ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea: nihilominus tamen Petrus recusat officiũ Christi, & pertinaciter obsistit proposito eius: Non lauabis, inquiens, pedes meos inẽternũ. Itaq; Petrus bis peccat in Christum. Semel, q; non cedit uolũtati Christi. Et iterum, quòd sentiat se prudentiorem esse Christo, quippe quòd melius cogitet, quid fieri deceat, quàm Christus ipse. Hoccine est Christum honore afficere? imò magna est contumelia in Christum. Quid enim cõtumeliosius dici potest, quàm se prudentem, Christum autẽ stultum reputare, & uoluntati eius obsistere? Non hoc cogitauit, inquis, Petrus, sed cogitauit honorem, & obsequium Christo prẽstare. Permitto id sanè. Deus autem non iudicat iuxta uana & ficta consilia, sed iuxta recessus & latebras humani cordis. Petrus cogitauit quidẽ in summo corde, se honoraturum Christum, sed in imo pectore sensit se prudẽtem, Christum aũt stultum esse. Sensus enim & cogitatio hominis mala sunt ab adolescentia. Et prauũ est cor hominis & inscrutabile. Ac rursus: Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Hos cogitatus, etsi non semper uidet homo, uidet tamen eos Deus. Quid? An non impĩ cogitant se interficiendis Apostolis Christi prẽstare cultũ Deo? Deus tamen uidet in corde ipsorum impietatẽ & ignorationem Dei. Hæc, inquit, facient uobis, quia nõ nouerunt Patrem neq; me. Quare nõ est confidẽdum humanis nostris consiliĩs atq; cogitationibus, sed incumbendum est in hoc studium, ut omne animi nostri institutum, ad normam uerbi Dei dirigamus. Porro, Petrus meruit quidem contumelioſa sua reuerentia, ut abĩceretur, aut desereretur à Christo, maluit autem Christus ipsum seuerítate minarum ad obedientiam quasi compellere, quàm à se inhumaniter repellere. Respondit eñ ei Iesus. Si non lauero te, non habes partem mecum. Quid? num tanti est externa illa pedum lauatio, ut nisi quis eam suscipiat, non sit cohæres Christi? Primùm, si loquendum est de hac externa pedum lauatione, quam Christus uoluit discipulos suos in præsentia suscipere, institutum est personale, & ut ad solos illos discipulos, qui in hac nouissima cœna præstò adfuerunt, pertinuit, ita non minus necessarium ipsis fuit, ut externam illam lauationem à Christo susciperent, quam necessarium fuit, ut non furarentur, aut non occiderent. Videtur quidem res admodum leuicula, pedes habere uel lotos uel illotos, sed magnum

Petrus Christi officiũ recusat pertinaciter.

Petri pertinacia reprehenditur.

medium etiam alia exempla, quibus intelligamus, ꝙ in diuinis præceptis maxima omniū ratio habenda ſit mandati & uoluntatis Dei, etiamſi res ipſa, quæ mandata eſt, uideat nobis aut indifferens, aut nullius momenti. An non puerile uidetur ueſci pomo? Non autem eſt puerile uerbū Dei, quo prohibitū erat Adamo, ne ueſceretur pomo arboris ſcientiæ boni & mali. Colligere ſarmenta lignorum, non uidetur eſſe uel homicidium uel latrocinium, nihilominus Deus ipſe iubet eum hominē, qui in Sabbato collegerat ligna, lapidibus obrui. Sceleratiſsimum enim eſt, uerbum Dei, quo hoc opus prohibitum fuerat, cōtemnere, Samuel iuſsit mandato Dei Saulem expectare ſeptem diebus in Gilgal, & non offerre holocauſta, donec ipſe ueniat. Expectauit igitur Saul uſq; ad ſeptimum diem. Obtulit autem holocauſta ſeptimo die, nō expectato Samuele, qui tamen mox oblato holocauſto affuit. Itaq; opinor holocauſtum duabus tantum aut tribus horis antè oblatum fuiſſe, quàm præceptum erat. Quid ergo factum eſt? Saul audīt: Regnum tuum nequaq; ultrà conſurget. Bona uerba quæſo. Saul duabus tantum aut tribus horis citius obtulit holocauſtum, quàm cōſtitutum erat. Hoccine tam horrendum ſcelus eſt, ut Saul propter ipſum è maieſtate regni ſui deīciat? Saul rex eſt, Samuel autem uir ſeniculus, & Leuita, num tantus rex amittat regnum, propterea ꝙ non expectauerit duabus horis unum ſeniculum, & Leuitam? Res quidem per ſe parua apparet, Non expectaſſe tantillum̄ temporis: non eſt autem res parua, Verbum Dei, quo hæc expectatio per Samuelem mandata erat, & quod Saul impiè cōtemnebat. Lauare ſeſe in Iordane ſepties, aut etiam decies, nō uidetur magnam afferre utilitatem. Nunquid non, inquit Naaman Syrus, meliores ſunt fluuij Damaſci omnibus aquis Iſrael? ſed niſi ſe ſepties in Iordane lauiſſet, nō fuiſſet mundatus à lepra. Quid ita? quia lauatio in Iordane, etſi per ſe nō mundabat hominem à lepra, tamen quia Verbum Dei dicebat: Vade, laua te ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, certiſsima fiebat emundatio. Sic etiam ſentiendum erit de externa lauatione pedum, quā Chriſtus in cœna ſua faciendam ſuſcepit. Hæc lauatio per ſe parum ſanctificabat diſcipulos coram Deo, ſed quia Chriſtus filius Dei ſuſcepit eam ſingulari quodam conſilio faciēdam, tanti reputanda eſt, ut ſi quis diſcipulorum eam nō accepiſſet, non fuiſſet coheres Chriſti. Quare in diuinis præceptis nō eſt de re mandata iuxta externam eius ſpeciem, ſed iuxta uerbum & uoluntatem Dei iudicandum, ut ei officioſiſsimè obſequamur. Deinde, ſi loquendum eſt de lauatione Chriſti ἀλληγορικῶς, tunc hoc quod dicitur: Si non lauero te, non habebis partem mecum, nō tantum ad Petrum & reliquos diſcipulos, qui tunc in cœna affuerunt, ſed ad oēs homines pertinet. Lauatio enim Chriſti eſt, ꝙ effundat ſanguinem ſuū ad expianda peccata noſtra, & ꝙ inſtituerit baptiſmum, ut omnis qui credit, & baptiſatur, cōſequatur ſalutem. Sunt autem omnes homines natura peccatores, & carent æterna ſalute, nec poſſunt conſequi emundationem à peccatis, & ueram ſalutem, niſi propter Chriſtum per fidem. Quare quiſquis non ſuſcipit hanc lauationem à Chriſto, hoc eſt, non credit Chriſtum peccata ſua expiaſſe, nec utitur baptiſmo ad ab-

In præceptis diuinis quid conſiderandum.

Nume. 15.

1. Reg. 11.

4. Reg. 5.

Lauare pedes quid ſignificet.

luenda peccata ſua, non poteſt eſſe cohęres Chriſti. Non lauantur Turcæ, non Iudæi, Nec lauantur hypocritæ à Chriſto, quia illi contemnunt tam perſonam quàm officium Chriſti, hi etſi agnoſcere uidentur perſonam, nõ tamen agnoſcunt officium Chriſti. Non enim quęrunt in Chriſto, ſed in meritis ſuæ humanę iuſticiæ peccatorum ſuorũ expiationem. Reliquum igitur eſt, ꝙ nullam prorſus habeant partem cum Chriſto in regno ſuo. Sed audiamus nunc Petrum. Poſtꝙ enim audiuit ſeueritatẽ Chriſti, offert nõ ſolum pedes, ſed etiam manus & caput lauanda. Et dicit: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus & caput. Antè declinauit Petrus nimium ad ſiniſtram, nunc nimium declinat ad dextram. Hi ferè ſunt hoĩm mores. Aut nimis ſunt iuſti, aut nimis iniuſti. Media & regia uia incedere nec uolunt nec poſſunt. Tanta eſt humanæ naturæ corruptio. Vide enim mihi peruerſa hoĩm ſtudia. Ante in Pontificia religione obſeruarunt non ſolũ ſolennia & publica ieiunia, & feſtos dies, uerumetiam ſuſceperunt obſeruanda quædam priuata. Nunc reuelato Euangelio helluãtur pręcipuè in diebus ſolennium ieiuniorũ, ac ne diebus quidem Dominicis prophana ſua negotia intermittunt, ut audiant uerbum Dei. Ante inuocabantur oẽs Sancti, nunc tanta eſt hominum ignauia & impietas, ut ne ad Dei quidẽ inuocationem adduci poſsint. Ante omnes plateæ & templa plena erant eleemoſynis & oblationibus, nunc afflictiſsimi quiꝙ pauperes, & ueri miniſtri Eccleſiæ miſerrimè eſuriunt & algent. Sunt alĩ, qui cùm ante ne per uerbum quidẽ Dei perſuaderi potuerint, ut pauperem uel teruncio iuuarent, nunc diuenditis domibus & agris conferunt oẽs opes ſuas in ſpermologos & errones illos Anabaptiſtas. Quid poteſt magis prępoſterum & peruerſum dici? Lex enim dicit: Non facietis ſinguli, quod ſibi rectum uidetur. Et iterũ: Non declinabitis neꝙ ad dextram, neꝙ ad ſiniſtram, ſed per uiam, quã præcepit uobis Dominus Deus ueſter, ambulabitis. Ac rurſus: Quod pręcipio tibi, hoc tantum facias Dño, nec addas quicquam nec minuas. Huc accedit etiã Eccleſiaſtes Salomonis: Noli, inquiens, eſſe iuſtus multum, neꝙ plus ſapias, cũ neceſſe eſt. Quid ergo faciam, inquis, ut nec ad dextram nec ad ſiniſtram nimium declinem, aut nimium ſim uel iuſtus uel iniuſtus? Recta uia facilè tibi monſtrabitur. Caue ab humanis opinionibus, ſectare aũt uerbum Dei. Hæc enim ſola recta eſt uia, quæ ad ueram iuſticiam ducit. Petrus habebat uerbum filĩ Dei: Patere ut lauem tibi pedes. Habebat etiam cõfirmationem eius: Quod facio, neſcis nũc, ſcies autem poſtea, maluit tamen ſuam humanam opinionem ſectari, cũ uerbum filĩ Dei. Quare meritò reprehenſus eſt. Deinde cum intelligeret ſeueritatem Chriſti, tradidit quidem pedes lauandos, ſed obtrudit etiam Chriſto manus & caput lauanda. Itaque iterum aberrat à regula uerbi filĩ Dei, ideoꝙ iterum meritò reprehenditur. Dicit enim ei Ieſus: Qui lotus eſt, non opus habet, niſi ut pedes lauet, Sed eſt mundus totus. Antea reprehendit Chriſtus Petrum pertinaciæ, nunc reprehendit eum incogitantiæ & inſcitiæ. Cùm enim offerret etiam caput ac manus lauanda, admonetur rei omnibus notiſsimæ. Solenne enim eſt ꝙ acceſſuri ad publica & honeſta conuiuia, ingrediantur balnea, & la-

Petri incogitantia.

Deut. 12.

Deut. 5.

Deut. 12.

Eccleſiaſt. 7.

Incogitantia Petri reprehenditur.

uent

uent ſe toto corpore,ac prę ſertim Iudæi, qui eſuri erant agnum Paſcha-
lem, neceſſe habebant ſeſe prius lauatiõibus emũdare,atq; ſanctificare:
quod & diſcipulos Chriſti feciſſe ueriſimile eſt. Poſtq; igitur uẽtum eſ-
ſet ad cõuiuium,non iam quiſquam lauabatur corpore,ſed iudicabatur
ex priori lauatione totus mundus,unum aũt hoc exigebatur,ut lauaren
tur pedes.Iudęi em̃ diſcũbebant,non erecti ſedentes,qualis noſter mos
eſt, ſed ita iacentes, ut alter alteri pedes ſuos ob oculos poneret. Quare
modeſtiæ & ciuilitatis erat,pedes etiã poſt balneas lauare,ne proximè ac-
cumbenti uel ſordibus,uel pedore moleſti eſſent. Nos ante conuiuium
manus tantũ lauare ſolemus,q; pedes quales quales ſint, ſub tabula cal-
ceis tecti lateant. Cùm igiť Petrus prę ter pedes offerret etiã manus & ca
put lauanda,admoneť publicæ conſuetudinis,ut agnoſcat ſe prętermit-
tere officium non ſolũ in detrectanda obedientia, uerũetiam in prę ſtan
da ciuilitate. Qui lotus eſt, inquit,nõ opus habet niſi ut pedes lauet, ſed
eſt mundus totus.Hoc uult Chriſtus dicere.Intelligo te etiam publico-
rum morum oblitum. An non antè lauiſti te pro ſolenni conſuetudine,
toto corpore,priuſq; ad hoc cõuiuium agni Paſchalis acceſsiſti? Totus
igitur mũdus &purus iudicaberis,nec opus eſt,ut nunc laues caput,ſed
ſatis eſt,ſi pedes lauentur,ne interim cõtraxerint ſordes, & ſint accuben
ti abominabiles.Quid ad hæc dicemus? Num Chriſtus admonet Petrũ
de ciuili tãtum conſuetudine, & de ritu tantũ externę lauationis? Nihil
certè minus, ſed admonet his uerbis tam Petrum quàm uniuerſam Ec-
cleſiam de ratione ſpiritualis lauationis. Nam quemadmodũ in politi-
ca uita is iudicatur mundus,qui lauit corpus ſuũ antequam ad conuiui-
um acceſſerit, nec aliud ab ipſo exigitur, cùm iam ad cõuiuium uenerit,
niſi ut pedes lauet: ita etiam in ſpirituali uita totus mũdus & ſanctus iu-
dicatur is, q ſpirituali balneo lotus eſt,nec aliud deinceps neceſſe habet
facere,niſi ut pedes lauet.Spirituale balneum eſt fons ſanguinis Dñi no
ſtri Ieſu Chriſti,qui ad expiationẽ peccatorum noſtrorũ effuſus eſt. Spi
rituale item balneum eſt Baptiſmus,quem Chriſtus inſtituit,in noĩe Pa
tris & Filij & Spũs ſancti exhibendum. Qui autẽ credit in Chriſtum, q;
ipſe effuderit ſanguinem ſuum pro peccatis noſtris,& utitur Baptiſmo,
iuxta mandatum Chriſti,is lauat ſe in fonte ſanguinis Chriſti,& baptiſ-
mi eius.Quare reputatur in conſpectu Dei totus mũdus & ſanctus pro-
pter Ieſum Chriſtum,fide acceptum.Ergóne ſic ſatis prępărati ac ſancti-
ficati ſumus ad accumbendum cum omnibus Patriarchis, Prophetis &
pijs in cœleſti conuiuio? Satis admodum & ſufficienter,ſi autorem ſan-
ctificationis noſtræ reſpexeris. Quæ enim maior poteſt eſſe ſanctifica-
tio,quàm Ieſu Chriſti,quæ tota noſtra facta eſt per fidem? Sed quia poſt
agnitum Chriſtũ, non cõtinuo diſcedimus ex hac uita, pedes iterũ atq;
iterum lauandi ſunt. Pedibus autem ſignificatur conuerſatio noſtra in
hac mortali carne. Vt enim pedibus corporaliter ambulamus in terra,
ita operibus cõuerſationis noſtrę ducimus uitam inter homines. Quo-
modo ergo hi pedes lauantur? quomodo opera conuerſationis noſtræ
conſtituenda ſunt? Hoc docet Paulus perſpicuè,cum ad Romanos ſcri-
bit: Si ſecundum carnem, inquiens, uixeritis, moriemini. Quod ſi

Balneum ſpirituale.

Pedes lauare

ſpiritu facta corporis mortificetis,uiuetis. Et iterum: Quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Et ad Galatas: Spũ ambulate,& concupiſcentiam carnis nõ perficietis. Ac rurſus ad Coloſſenſes: Mortificate membra ueſtra terreſtria. Et: Sitis induti tanq; electi Dei,uiſcera miſerationum,comitatẽ,modeſtiam,&c. Vides igitur pedes lauare, eſſe opera carnis per ſpiritum mortificare,& in nouitate uitę ambulare. Nam qui poſtq; confitetur nomen Chriſti,ducit uitam ſceleratam,uel blaſphemijs,uel ſcortatione,uel helluatione,uel impoſturis,uel alijs peccati generibus,is ingerit oculis accumbentiũ ſordidos pedes,ac meretur, ut è conuiuio omnium piorum eijciatur. Quare, cum Chriſtus donet nobis totam ſuam mundiciem &ſanctitatem,incumbamus in hoc ſtudium,ut pedes continuè lauemus,ac ſemper in nouitate uitæ ambulemus,quò in noſtro cœleſti conuiuij loco maneamus. Cęterum,quod Chriſtus hoc dicto, Qui lotus eſt,non opus habet,niſi ut pedes lauet,ſed eſt mũdus totus,loquatur prȩcipuè de ſpirituali mundicie, apertè ſignificatur his uerbis, quæ ſequuntur. Et uos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim,quiſnam eſſet,qui proderet ipſum. Propterea dixit, non eſtis mundi oẽs. Quid? an Iudas non lauerat,non ſanctificauerat ſe ad edendum agnum Paſchalem? Non dubito,quin maiori quàm alij Apoſtoli ſollicitudine, ut hypocritæ ſolent, carnem ſuam lauationibus ſanctificauerit. Sed & Chriſtus ipſe lauit ei pedes. Cur ergo dicitur adhuc eſſe immũdus? Mundus erat corpore,ſed immũdiſsimus erat ſpiritu, id quod in ipſo uidit Chriſtus, priuſquàm hæc ſpiritualis immũdicies publicè in lucem prodiret.

Iudas ſolus immundus.

Sed de Iuda poſtea plura. Nunc uideamus, quid illud ſit, quòd cum fiat ſermo de ſpirituali mundicie, ſolus Iudas excipiatur. Vos mundi, inquit, eſtis, ſed non omnes. Hoc autem de Iuda proditore intelligẽdum eſſe,Euangeliſta ipſe exponit. Quomodo ergo Chriſtus hunc ſolum excipit, cum, ſicut uidit in Iuda proditionem, ita uidit etiam in alijs diſcipulis defectionem? Iudas prodidit Chriſtum Pontificibus. Horrẽdum & immane ſcelus. Sed ut de alijs Apoſtolis taceamus, quid de Petro dicemus,qui certe Chriſtum horribiliter abnegauit,ac diris etiamnum ſe deuouit,ſi noſſet eum? Quid? an hoc ſcelus non ſatis dignum eſt, propter quod Petrus iudicandus ſit immũdus? Ignatius,autore Hieronymo,audacter ſcribit, q; Dñs elegerit eos in Apoſtolos, qui fuerant peccatores ſuper omnes homines. Hos ne tu mundos dices? De hac re ita ſentiendum eſt, q; ut duplex eſt mundicies, ita etiam duplex ſit immundicies. Vna immundicies eſt naturalis, quæ contrahitur ex peccato originali. Hanc ſi reſpexeris,non ſolum Iudas,ſed oẽs Apoſtoli,imo omnes homines ſunt immundi. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Et: Non iuſtificatur in conſpectu tuo omnis uiuens. Altera immundicies ea eſt,quæ contrahitur ex fructibus peccati, cum non ſolum peccatũ inhæret carni, uerumetiam dominatur homini, & impellit hominem ad quæuis genera ſcelerum. Hanc ſi conſideraueris, ſolus Iudas inter Apoſtolos immundus erat in hac nouiſsima cœna. Alij enim Apoſtoli, etſi defecturi erant à Chriſto, tamẽ hoc tempore nõ meditabantur defectionem,

Iudæ & aliorum Apoſtolorũ collatio

nem,aut aliam impietatem,ſed obediant uocationi Chriſti.Iudas aũt ſuſceperat iam prodendũ Chriſtum,& meditabatur defectionem,adeoq; totus quãtus quantus erat,mancipiũ Satanæ erat.Quare meritò dicitur inter oẽs Apoſtolos immundus.Sed dicamus etiam de mundicie.Nam & hæc duplex eſt.Alia eſt,quæ fit per fidem,ex Euangelio Chriſti.Nam qui credit Ieſum Chriſtum eſſe ſuũ ſeruatorem,is reputatur coram Deo propter Chriſtum totus mundus.Cùm igit̃ reliqui Apoſtoli retinerent adhuc Chriſtũ per fidem,Iudas autem abiecerat iam ex animo ſuo Chriſtum,& ſuſceperat eum ꝓdendum, rectè dicitur Iudas immundus, reliqui aũt Apoſtoli mundi. Vnde & infra dicitur: Iam uos mũdi eſtis propter ſermonem,quem locutus ſum uobis. Alia mundicies eſt,quæ conſtat in operibus.Etſi aũt nullius hominis opera, quantumuis bona,perfectè munda ſunt, nec Apoſtoli iuxta hanc mundiciem per ſe mundi iudicari poſſunt,tñ qui credunt in Chriſtum,reputant̃ mundi etiam iuxta hanc mundiciem,propterea q; mortificent ſpiritu facta carnis,& ambulent in uocatione Dei,imbecilliter quidem,ſed tamen ex fide, per quam etiam imbecillitates condonantur ꝓpter Chriſtum.Iudas autẽ, nec hac mundicie iudicandus eſt mundus, quia nõ ſolùm abiecerat Chriſtum, propter quem imbecillitates pñs cõdonantur, uerumetiam inſtituerat immane ſcelus proditionis. Quare longe lateq; ſeparãdus eſt à reliquo cœtu Apoſtolorum. Ex his aũt exemplis Apoſtolorum & Iudæ, uides eos tantum mundos eſſe coram Deo, qui uerè credunt Euangelio Chriſti,etiamſi adhuc multis imbecillitatibus obnoxij fuerint. Reliquos autem oẽs,uidelicet, Turcas,Iudæos,hypocritas,Epicureos, impœnitentes,ſceleratos, eſſe uerè coram Deo immundos, q; & peccent operibus ſuis,& contemnant atq; abijciant Chriſtum. Conſeruemus igitur Chriſtum,ut nõ tantum reputemur coram Deo mundi,uerumetiã faciamus per ſpiritum eius opera mundiciei, quò declaremus gratitudinem noſtram,& expectemus inculpati diem Dñi noſtri Ieſu Chriſti,qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Mundicies.

HOMILIA XIX.

MIrandum fuit ſpectaculum, quòd Ieſus,uerus Meſsias, ac uerus filius Dei, abiecerit ſeſe in tam uile miniſterium, ut aqua in peluim miſſa lauarit ſordidos diſcipulorum ſuorum pedes. Sed quæ ſequitur concio perſpicuè exponit, Chriſtum ſuſcepiſſe hoc miniſterium conſilio longè oĩm prudentiſsimo. Poſtq; enim lauiſſet pedes eorum, receptiſq; ueſtibus ſuis accubuiſſet, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me Magiſtrum & Dominum,& bene dicitis.Sum etenim.Si ergo ego laui pedes ueſtros Dñs ac Magiſter, uos quoq; debetis inuicem alij alioru̇ pedes lauare. Exemplum enim præbui uobis,ut quemadmodũ ego feci uobis, ita & uos faciatis.Obſeruabilis & neceſſaria concio.Apoſtoli enim,& reliqui diſcipuli Chriſti duplici errore tenebantur. Alter eſt, q; exiſtimauerint regnum Chriſti fore mũdanum. Et quæ Prophetæ de regno Chriſti literis mandarunt,ea intelligebant de externa huius ſeculi monarchia. Etſi enim regnum Chriſti uocatur à Daniele regnũ cœli, tamen ſentiebant

Diſcipulorũ Chriſti error.Dani.2.

hoc regnum nõ dici regnum cœleſte, propter ſpiritualia bona, ſed propter fœlicitatem & perpetuitatem corporaliũ bonorũ, quæ in his terris futura ſomniabant. Alter eſt, q̃ ſperauerint, etiã ſe fore, autore Chriſto, in his terris illuſtres & potentes Principes. Vnde & cooriebant aliquoties in ſe inuicem rixis & cõtentionibus, quis ipſorum in hoc regno futurus eſſet maior. Chriſtus aũt reprehenderat ipſos ſæpe ac multum, & docuerat, nec regnum ſuũ fore mundanum, nec ipſos fore externos huius mundi Principes. Quare, cum iam ex hoc mundo diſceſſurus eſſet, ſuſcipit lauationem pedum, hoc eſt, miniſterium maximè oĩm ſeruile, ut quod hactenus uerbis docuerat, hoc nũc ſuo ipſius exemplo diſcipulis ob oculos poneret. Scitis, inquiẽs, quid fecerim uobis? Intelligitisne, quid hac lauatione uelim? Agite ergo, exponam id uobis perſpicuè. Ego ſum non tam ueſter, q̃ cœli & terræ Dñs, & tamen nõ ſumo nec arrogo mihi externam dominationẽ, ſed uiliſsimum miniſteriũ, quẽadmodum reipſa uidiſtis & ſenſiſtis. Quare uolo, ut uos meo exemplo nõ arrogetis uobis externam dominationẽ terræ, ſed ut alter alteri pedes lauetis, ac ſeruiatis. Hìc initio cõſiderandum eſt, q̃ cum Ieſus dicat: Vos uocatis me Magiſtrum ac Dñm, & bene dicitis, Sum etenim, poſſet in alio quodam homine inciuilis arrogantia & iactantia uideri. In Ieſu autẽ Chriſto eſt officiũ, & ſalutis noſtræ neceſsitas. Venit enim Chriſtus in hunc mũdum, ut gloriam maieſtatis ſuæ reuelaret, quò nos ueram & rectam de ipſo fidem conciperemus. Cùm enim neceſſariũ ſit, ut ad conſequẽdam ueram ſalutem, cognoſcamus Chriſtũ, neceſſarium etiam eſt, ut nobis Chriſti maieſtas explicetur. Quare Chriſtus nõ iactat dominationem ſuã carnali arrogantia, quod glorioſi homines facere ſolent, ſed prædicat eam Spiritus ſancti cõſilio, ut ueritas eius nobis perſpecta fiat. Deinde, quod Chriſtus hoc loco Apoſtolis ſuis cõcionatur, ſentiamus non ad Apoſtolos tantum, ſed etiam ad uniuerſam Eccleſiam pertinere. Nam ſi facit eos ſeruos, quos emiſit ad dilatandum prędicatione Euangelĩ regnũ ſuum, & quos ſcriptura ipſa uocat principes: Conſtitues, inquiens, eos principes ſuper oẽm terram. Et iterũ: Principes Iuda duces eorũ, principes Zebulon & principes Neptalim, quantò magis etiã hos facit ſeruos, qui per illorũ prędicationem crediturí erant in ipſum. Omnibus igit̃ in Chriſtum credentibus dictũ eſt: Si ego laui pedes ueſtros, Dñs & Magiſter, uos quoq̃ debetis inuicem alĩ aliorum pedes lauare. Quid ergo ad hæc dicemus? An nullus Chriſtianus, ſiue Apoſtolus, ſiue Epiſcopus, ſiue Laicus, ut uocant, poteſt eſſe bona cõſcientia mundanus dñs aut princeps, ſed neceſſe habet quiuis pedũ eſſe lauator, & ſeruus? Et quomodo debemus nobis inuicem pedes lauare? Num implet hoc exemplũ Chriſti, cum quiſpiam in magna feria quinta lauerit, religionis gratia, nonnullis mendicis externos illos pedes? Minimè oĩm. Hęc ceremonia, ut facilè pręſtari poteſt, ita nõ implet exemplũ Chriſti. Obſeruãdum igit̃ eſt, primùm q̃ Chriſtus hac ſua lauatione, & doctrina, non abroget ciuilia regna, & monarchias in hoc mundo, nec ſignificet Chriſtianos non poſſe mundanos eſſe Reges. Eſaias dicit: Reges ambulaturos in ſplendore ortus luminis Chriſti. Adhęc reges miniſtratu-

Lauationis pedum expoſitio.

Pſal. 44.

Pſal. 67.

Euangelion ſeu Chriſtus non abrogat ciuilia regna

Eſaiæ 60.

Eſaiæ 49.

ros

ros Ecclesię Christi, ac fore nutricios eius. Dicit & Paulus, Potestates esse à Deo ordinatas. Quod igiť Deus ordinat & constituit, hoc non abrogat filius Dei: sed docet hoc loco, discrimen esse inter suũ regnum & Politica regna: docet uel Apostolos uel reliquos Christianos non debere prętextu Apostolatus aut Christianismi inuadere imperia huius mũdi, & occupare externam dominationem. Apostoli eñ quemadmodũ antè dictum est, sentiebant regnũ Christi fore terrenã monarchiam, & se fore principes terræ, ac oẽm habituros in terra fœlicitatem, propterea q̃ essent Christiani. Sicut & aliâs hoĩes existimant, q̃ is, quem ipsi iudicant esse probum & sanctum, nullo debeat incommodo affici, sed fœlicẽ semper rerum suarũ successum in hac terra habere. Hanc uanã p̃suasionem reprehendit Christus hoc loco, & docet, q̃ etsi Christianis debetur omnis fœlicitas, hoc aũt non intelligendum est in terra, sed in cœlo: Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces uestra copiosa est. Vbi? num in terra? nihil minus: Sed in cœlis. Et: In mundo afflictionẽ habebitis. Sed bono animo sitis, ego uici mũdum. Ac licebit quidem Christianis habere regna, opes, sanitatem, & alia corporalia bona, quæ uel legitima hęreditate, uel ordinaria electione, uel pia industria, uel alijs iustis ratiõibus contingunt, non est autem sentiẽdum, q̃ cum fuerint abiecti, pauperes, & imbecilles, debeant statim fieri opulenti, ac rerũ in hac terra Dñi, propterea q̃ sint Christiani, sed animus instituẽdus est ad sufferenda quæuis aduersa. Nam Christus sustulit quidem maledictiõem legis coram Deo, non sustulit aũt eam coram hoc mũdo, donec uenerit nouissimus dies. Manet enim adhuc firmũ & fixum, quod initio de toto humano genere dictum est: In sudore uultus tui uescęris pane tuo. Et: In dolore paries filios tuos. Accedit prętera & hoc incõmodum, q̃ Satan singulari odio prosequitur pios, & studet eis toto animi affectu aduersa quæuis inferre. Itaq̃ pij obnoxij sunt afflictionibus duplici nomine. Altero, q̃ sint homines. Hoc enim nomine obnoxij sunt generalibus humani generis maledictionibus. Altero, q̃ sint pij. Hoc eñ nomine singularem habent hostem, qui nunquam non conatur eos opprimere. Quare, etsi pij possunt bona conscientia uti terrena fœlicitate, quæ ipsis diuina clementia contigerit, tamen sciant se pręcipuè in hunc usum positos esse, ut in hac terra aduersis crucientur, uera autem sua fœlicitate in cœlis fruantur. Deindę considerandum est, quòd cum Christus non abroget politica genera uitæ, debeat unusquisque in suo uitæ genere alteri pedes suos lauare. Quid ergo est lauare pedes? Externa quidem lauatio nota est, quam & suo tempore alter alteri, iuxta ordinariam uocationẽ & honestatem præstare debet, exempli gratia, liberi parentibus, serui dominis, minores maioribus, sani infirmis. Christus autem cum ait: Debetis inuicem alij aliorum pedes lauare, exigit inter Christianos mutua caritatis officia, mutuam seruitutem, uidelicet ut unusquisq̃ in suo uitæ genere suũ faciat officium, quod proximo & uocatione & caritate debet. Nam quemadmodum pedibus ambulamus, ita uitæ generibus conuersationem nostrã inter homines ducimus. Multa aũt & uaria sunt hominum uitia in ipsorũ conuersatione. Alius est morosus, alius iracundus,

pij quare distinguuntur

Lauare pedes quid sit

alius ſuſpicax, alius garrulus, alio alio uitio laborat. Hæ ſunt ſordes, quibus conuerſatio uitæ noſtræ inquinata eſt. Hæ ſordes ſunt lauandæ, & hęc eſt propriè lauatio, quæ inter Chriſtianos à Chriſto inſtituta eſt. Videamus ergo hanc lauationem primùm omnium in Chriſto. Non eñ ſentiendum eſt, ꝙ Chriſtus nunc primum lauerit diſcipulis ſuis pedes, ſed lauit iã antea ſæpenumero, priuſq; aquam in peluim miſiſſet. Quidñ nũ ſic lauit eos, ut abdicauerit ſe dignitate, maieſtate, & officio Meſsiæ, ac reiecerit ea in diſcipulos? Nequaq;, Sed retinuit eam dignitatem, ad quam diuinitũs erat uocatus, & manet Meſsias, in hac autem dignitate fecit ſuũ erga diſcipulos officium. Quod ergo eſt officiũ Meſsiæ? Dedi, inquit ſpiritum meũ ſuper eum, Iudicium gẽtibus proferet. Et mox: Calamum quaſſatum nõ conteret, & linũ fumigans non extinguet. Ac rurſus: Spiritus Dñi ſuper me, eò ꝙ unxerit me, ad Euãgeliſandum pauperibus miſit me, ut mederer contritis corde, & prędicarem captiuis indulgẽtiam. Et iterum: Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Ex his habes, ꝙ officium Meſsię ſit docere Euangelion, reprehẽdere impietatem, tolerare infirmos, conſolari afflictos, remittere peccata, & animam ſuã ꝓ ſalute humani generis dare. Hoc officiũ Chriſtus diligenter diſcipulis ſuis exhibuit. Docuit eos Euangelion perſpicuè. Reprehendit eorum errores. Tolerauit patientiſsimè ineptias ipſorum. Poſuit animam ſuã pro ipſis. Hæc eſt uera pedum lauatio. Quare Chriſtus non iam primũ lauat diſcipulis pedes, cum abluit eos externa aqua, ſed antea ſemper lauit eos, cum perſoluit eis officium ad quod uocatus erat. Ponamus in medio Apoſtolũ quendam Chriſti, uel Petrum, uel Paulum. Quomodo lauerũt hi pedes Eccleſię Chriſti? Num abdicarunt ſe Apoſtolatu, & reiecerunt illum in proximũ quẽdam hominem? Nihil minus, ſed manſerunt Apoſtoli, in hoc autem uitæ genere ſeruierunt Eccleſię, quibus potuerunt & debuerunt officijs. Petrus docet Hieroſolymitanos Euãgelion Chriſti, & interim grauiter accuſat eos homicidij. Quem uos, inquiens, crucifixum interemiſtis. Hoc erat pedes eorũ lauare. Poſtea inuehitur in Ananiam & Saphiram tanta ſeueritate, ut repentina morte intereant. Erat & hoc pedes Eccleſię lauare, quia q̃d faciebat, diuina erat uocatio, & officiũ eius. Deinde diuertit ad gentes, prędicat eis Euãgelion Chriſti, & recipit eas in Eccleſiam Dei. Hoc erat gentibus pedes lauare. Paulus lauit pedes Eccleſiæ, cum circũtulit Euãgelion Chriſti à Hieruſalem uſq; ad Illyricum. Lauit & pedes ſanctorũ, cum petijt, ut ditiores conferant eleemoſynã liberaliter in pauperes. Lauit pedes eorũ, cum dixit: Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis offenditur & ego non uror? Hæ eñ ſunt partes Apoſtolici officij. Dicamus etiam de Chriſtiano Principe. Debet & hic lauare pedes ſubditorum ſuorum. Num ergo hoc eſt pedes eorũ lauare, ſi abdicauerit ſe principatu, & tradiderit principatum cuiuis ex plebe, ut unuſquiſq; ꝓ ſua libidine uiuat, interim aũt ipſe agrum fodiat, aut ſuſcipiat profeſsionem monaſticam? Solent quidem nõnunq; principes diuinitũs è regnis ſuis eñci. Itaq; neceſſe habent potentem manum Dñi obedienter ferre. Hoc autẽ non eſt lauare pedes ſubditorum, ſi princeps ſine certa Dei uocatione deſerat

Meſsiæ officium.

Apoſtoli quomodo lauerint pedes Eccleſiæ.

Princeps Chriſtianus quomodo debeat lauare pedes ſubditorum.

deserat suũ principatum,& suscipiat ꝓ suo arbitrio aliud agendum,Sed hoc demùm est subditorũ pedes lauare, si princeps in suo principatu faciat suũ officium, sicut & Christus suum fecit in sua uocatione officium. Principis aũt officium est,iuuare Ecclesiam Christi,curare ut Ecclesia erudiatur ꝑia doctrina,cõseruare leges,tueri pupillos & uiduas,& punire malos. Itaq; princeps lauat suis pedes,cũ instituit ministerium prędicandi Euãgelij Christi,in sua regione,cum ius dicit,cum eripit pauperẽ à potente, cũ iubet furem aut latronẽ legitimo supplicio afficere, ut publica trãquillitas conseruet. Priuatorum quoq; hoĩm officium est, suos sibi inuicem pedes lauare. Quomodo aũt hoc fiet? Vicinus aut ꝓximus noster,aut est morosus,& iracundus,aut est pauper seu infirmus,aut afficit nos iniuria &cõtumelia. Hoc est sordidos habere pedes. Abluendę igitur sunt sordes. Abluitur autẽ ꝓximi morositas patientia, paupertas liberalitate,infirmitas cõsolatione,& alijs id genus officijs, contumelia æquanimitate,ac generaliter abluũtur,quantũ in nobis est,proximi uitia ꝑcibus & oratione coram Deo,ut remittant ei ꝓpter Christũ. Hę uirtutes aqua illa sunt,qua debemus pedes uicini nostri lauare. Itaq; tum lauas alterius pedes,cũ prestas ei officium boni ciuis,& pij hominis. Debemus,inquit Paulus,nos q potentes sumus,infirmitates impotentium portare, ac nõ placere nobis ipsis. Et iterũ: Si occupatus fuerit homo in aliquo delicto,uos q spirituales estis,instaurate huiusmodi spũ mansuetudinis,cõsiderans temetipsum,ne & tu tenteris. Hęc cum nobis prędicta sint,nõ sentiamus Christũ ac Euangelion eius cõfundere inter se politica genera uitæ,sed admonere unũquemq; sui officij in suo uitæ genere, ut nobis inuicem per caritatẽ seruiamus. Cæterum, postq; Christus exposuit suã dominationem & seruitutem,addit nũc generalem sententiam, ex qua discipuli facilè intelligere queant, quid ipsi serui facere debeant. Amen,amen,inquiens,nõ est seruus maior dño suo,neq; legatus maior est,eo q legauit ipsum. Hoc est generale dictũ, quod Christus ad suũ ꝓpositũ in prędentia accõmodat, ut admoneat discipulos sui officij. Seruorum em̃ officiũ est,ut nõ extollant sese supra dñm, nec arrogent sibi excellentiorẽ uel maiestatẽ uel fœlicitatem,q; dñi habent. Delicatissimus seruus est,q uult lautius uiuere, q; dñs uiuit. Ambitiosissimus seruus est,qui maiorẽ affectat honorem,q; dño suo competit. Ac siquidem seruus tam morosus fuerit, ut collocet sese in altiori dignitatis gradu,q; dño suo conueniat,non potest de iniuria conqueri, si multas & magnas plagas reportet. Quo autẽ hoc generale dictum respiciat, antè exposuit Christus.cum ait: Vos uocatis me Magistrum & Dñm,ac bene dicitis: Sum etenim. Si aũt ego Dñs uester,uos certè serui mei estis. Et si ego ablego uos ad prędicãdum meũ Euangelion,uos certè legati mei estis. Reliquum igitur est, q; cùm ego Dñs, non arrogem mihi ciuilem dominationem ,sed faciam me sernum uestrum, multò minus uos serui & legati debetis uobis ciuilem dominationem arrogare, sed uobis inuicem seruire. Ex his primùm obseruandum est, quantum absint à Christi sententia Pontifices Romani,qui cum iactent se esse successores Apostolorum & uicarios Christi , arrogant sibi maiestatem supra omnes Reges

Priuati homines quomodo debeant inuicem lauare pedes.

Seruorum officium.

Pontificis Romani arrogantia.

& Imperatores, ac dicunt se esse dominos orbis: sed uanitas eorum ex hoc loco manifestè coargui potest: Non est seruus maior dño suo. Christus autem non uoluit sibi arrogare regiam in hac terra maiestatem, & dominationem. Quare si Romani Pontifices sunt serui Christi, qua impudentia audent sibi sumere, quod Christus Dñs sibi non sumpsit? Si aũt non sunt serui eius, quis est in Ecclesia Christi usus eorum? Deinde hoc dictum ponendum nobis est ob oculos in omnibus aduersis, ut discamus patientiam & obedientiam. Christus enim Dñs & magister noster grauissimè afflictus est. Cur ergo nos serui & ministri eius tam delicati esse/mus, ut nullas ferremus afflictiones? Quinpotius si caruerimus afflictionibus, non sumus conformes imaginis Christi. Et ut Apostolus ait: Si alieni sumus à castigatione, cuius participes sunt omnes, spurij sumus, non filij. Porro quo Christus hoc suũ exemplum magis cõmendet, proponit etiam præmium. Dicit enim: Si hæc nouistis, beati estis, si feceritis ea. Non satis est hæc nosse, sed necesse est ea facere. Cognoscenda quidẽ sunt diligentissimè, sed maximè oĩm facienda sunt. Quare ambo cõiungit: Beati, inquiens, estis, si hæc nouistis, & si feceritis ea. Quid ergo? num meremur factis nostris beatitudinem? Non dicit: Merebimini beatitudinem, sed beati estis, uidelicet significans quòd opera mutuæ seruitutis, quę hîc exiguntur, non sint meritum cõsequendæ beatitudinis, sed sint fructus beatitudinis antè per fidem propter Christũ consecutæ. Vera enim beatitudo non contingit ulli hominum, nisi per remissionem peccatorum, propter Iesum Christum fide acceptum. Beati, inquit, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Eorum autem, qui sic beati facti sunt, officium est, ut cognoscant se esse seruos in hoc mundo, & lauent sibi inuicem pedes. Quare qui hoc suum officium fecerint, rectè iudicantur & dicuntur beati. Hîc autem uide mihi in quo consistat Ecclesiæ beatitudo seu fœlicitas in hac terra. Christus enim nõ dicit: Beati estis, si Pontifex Romanus superauerit maiestate sua omnes terrenos reges & principes. Non dicit, Beati estis, si episcopi fuerint potentes in hoc seculo principes. Non dicit: Beati estis, si Ecclesia multas habeat facultates. Hæc enim nec sunt beatitudo, nec conseruatio Ecclesiæ. Sed dicit: Beati estis, si hæc nouistis & feceritis ea. Quæ sunt illa? uidelicet si cognoueritis regnum meum non esse mũdanum, nec sumpseritis uobis externam dominationem, sed seruieritis uobis inuicem per caritatem, & memineritis uobis ferenda potius esse quæuis aduersa, quàm fœlicem in hac terra uitam agendam. Et aliâs: Beati, inquit, estis, cũ probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint. Et Petrus: Si probris afficimini in noĩe Christi, beati estis. Ac mox: Si ut Christianus affligitur aliquis, ne pudeat, sed glorificet Deum in hac parte. Suspicit quidẽ & admiratur hic mũdus eos, qui sunt externa fœlicitate illustres. Oues eorum fœtosę, inquit Psalmus, abundantes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, necq; transitus, necq; clamor *in plateis eorũ*. Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, Sed reuera ille populus beatus est, cuius Dñs Deus eius. Quare, etsi Dño Deo magnæ gratię agendæ sunt, si clementer dederit Ecclesiæ suæ externam quandam fœlicitatem

Afflictiones patienter ferendæ.

Hebræ. 12.

Opera seruitutis mutuæ, fructus sunt beatitudinis.

Fœlicitas Ecclesiæ in hac terra in quo consistat.

licitatem in hoc ſeculo, qua etiam utēdum eſt in uera pietate, tamen non eſt ſentiendum, ꝙ beatitudo Eccleſiæ conſiſtat in externa fœlicitate, ſed in hoc conſiſtit, ꝙ in oībus aduerſis, quibus in hoc ſeculo obnoxia eſt, habeat propiciū Deum per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XX.

DIcendum eſt nobis hodie de Iuda, non illo Lebbæo, qui cognominatus eſt Thaddeus, & mānſit in officio Apoſtolatus, ſed illo Iſchariote, quem ut Chriſtus ſuprà excepit è catalogo mūdorum, ita nunc excipit è catalogo beatorum. Si hæc nouiſtis, inquit, Beati eſtis, ſi feceritis ea. Non de oībus uobis loquor. Ego ſcio ꝙs elegerim, ſed ut adimpleatur ſcriptura: Qui edit mecum panem, ſuſtulit aduerſum me calcaneum ſuum. Nunc dico uobis priuſq̄ fiat, ut cum factum fuerit, credatis, quod ego ſim. Hęc de Iuda Iſchariote intelligenda eſſe, ex iſs quæ prędecedunt & ſequuntur, manifeſtum eſt. Iudas enim filius Simonis, cognomento Iſchariotes, fuit unus è duodecim Apoſtolis, cui Chriſtus non tantū officium Apoſtolatus, uerūetiam curam fiſci cōmendauit. Et ſunt autores, qui cōmemorant ipſum multa etiam miracula in Apoſtolatu ſuo edidiſſe, ut appareat ipſum haud poſtremas inter Apoſtolos obtinuiſſe. Etſi aūt tantis beneficijs à Ieſu Chriſto affectus & ornatus fuit, tamen eò immanitatis proceſsit, ut pepigerit triginta argenteis cū Pontificibus, ſe opportuno tempore Chriſtū proditurum. Cum igitur interea temporis inter diſcipulos & Apoſtolos cū Chriſto uerſaretur, uidēdum erit, qualē ſe Chriſtus ipſi exhibuerit. Nō em̄ ſentiēdum eſt, ꝙ inſtitutum Iudæ latuerit Chriſtum, ſed tam manifeſtum fuit ei, quàm Iudæ ipſi. Vidit conſilia animi eius, uidit eum cum Pontificibus colloqui & paciſci, audiuit oīa uerba eorū. Quid ergo Chriſtus contra faciēdum ſuſcepit? Hoc nobis cognoſcendū nec curioſè nec ocioſè proponitur, ſed ut diſcamus ꝙmodo peccata noſtra expiata ſint, & quomodo debeamus etiā nos exhibere erga amicos ingratos, & malefactores. Primùm igitur, Chriſtus non diſſimulat ſe ſcire inſtitutum Iudæ, ſed palàm ſignificat hoc ſibi notiſsimum eſſe. Antea dixit: Nonne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus eſt? Et iterum: Vos mundi eſtis, ſed non oēs. Nunc autem dicit: Non de omnibus uobis loquor. Ego ſcio, quos elegerim. Nec hoc tātum cōmemorat, ſed exponit etiam cauſas, cur tantam diſcipuli immanitatem doleret, & de ea tam manifeſtè concionetur. Tolerat em̄ eam ꝙ Spiritus ſanctus multis antè annis ſignificauerat, domeſticum amicum, & conuictorem, fore Chriſti proditorem. In Pſalmo enim quadrageſimo ſcriptum eſt: Homo pacis meæ, in quo ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Nam hunc Pſalmum, de Chriſto, & hunc uerſiculum Pſalmi de Iuda proditore intelligendum eſſe, teſtatur Chriſtus ipſe hoc loco perſpicuè, nec alius interpres, qui diuerſum ſentit, audiendus eſt, quippe quòd hic ille ſit, quem Pater audire iuſsit, & quo ſcriptura maximè omnium tendit. Concionatur autem Chriſtus de hac immanitate Iudæ, priuſquàm reipſa perficiatur, ut cum factum fuerit

Chriſtus Iudam è catalogo beatorum excipit.

Chriſtus quare toleret Iudæ immanitatem.

(inquit) credatis quòd EGO SVM. Sic & postea, cum de morte sua concionaretur, ait: Nunc dixi uobis priusq; fiat, ut cum factũ fuerit, credatis. Nam quemadmodũ filius Dei multa ædidit miracula in mũdandis leprosis, sanandis ægrotis, & excitandis mortuis, ut confirmaret his tanq; cœlestibus testimonijs uocationem suam, & ueritatem doctrinæ suæ, qua se uerum Messiam & filium Dei prædicabat, ita uaticinatur de proditione ludę, & de genere mortis, quam susceptus erat, ut Apostoli, qui erant futuri cõcionatores Euangelij in toto orbe terrarum, nõ solum cognoscerent ipsum scientem & uolentem suscipere mortem, uerũ etiam admonerentur ex hoc de ueritate Euangelij eius, & confirmarent fidem suam, uidelicet, hunc Iesum, qui & hæc prędixit, & in quo hęc iuxta scripturam impleta sunt, uerũ esse Messiam illum, qui fuit Patriarchis promissus, & per Prophetas prędicatus, nec in alio æternam iusticiam ac salutem quærẽdam. Sed quid? Num quia unus è duodecim Apostolis factus est crudelis proditor Christi, & eiectus è ministerio Apostolatus, sentiendum est etiam reliquorum Apostolorum ministerium esse uanum, & contemnẽdum? Imperiti quidem homines solent propter unum & alterum sceleratũ, exempli gratia, opificem aut agricolam, damnare uniuersum opificum & agricolarum ordinem. Christus autem nõ abijcit reliquos Apostolos, ppter unum sceleratũ, sed potius confirmat reliquorum ministeriũ & autoritatem. Sic enim sequitur: Amen amen dico uobis, qui recipit quemcunq; misero, me recipit. Qui autẽ me recipit, recipit eum, qui me misit. Dixi Iudam Apostolum fore proditorem. Nunquid ergo propter proditorem licebit Euangelion de Christo, q̃d alij Apostoli concionaturi sunt, contemnere ac damnare? Minimè oim. Etsi em̃ Iudas me prodit, & à me deficit, uos tamen reliquos Apostolos mittam in orbẽ terrarum, ut meũ Euangelion adnuncietis. Et ne quis uestram concionẽ cõtemnendam ducat, per memetipsum iuro, q; quicũq; uestram doctrinam recipit, & fide agnoscit, meipsum recipiat. Qui autẽ me per fidem ex uestro Euãgelio recipit, is Deum Patrem, qui me in has terras misit, & me maiestate Messiæ ornauit, recipit. Hæc est cõfirmatio autoritatis Apostolicæ doctrinæ, quæ tantò diligentius est considerandа, quantò magis humana autoritas in cõtrouersia de religionis doctrina nobis obijci solet. Cùm.n. his temporibus doctrina Christianissimi in disceptationem uocata sit, exigunt sapientes huius seculi, ut iudiciũ eius Pontificibus ita permittatur, ut quicquid ipsi pronunciauerint ac statuerint, obedienter agnoscamus. Sed hoc est exigere, ut fiduciã uerę ac perpetuę salutis nostræ collocemus in hoĩe, & ponamus carnem brachium nostrũ. Tametsi em̃ debet esse in Ecclesia iudicium & cognitio de doctrina: Prophetę, inquit, duo aut tres loquant̃, & cæteri dijudicent. Et iterũ: Probate spiritus, nũ sint ex Deo, tñ si omnes illi iudices ac probatores, essent Irenęi, Cypriani, Basilij, Nazianzeni, Chrysostomi, Augustini & Hieronymi, imo q̃d admirabilius uidebitur, etiamsi omnes essent Angeli, non tamen liceret his iudicium ita permittere, ut sententia eorũ nõdum cognita, iuraremus in obsequia ipsorũ. Non negandum est, quin Irenæus, Cyprianus, & reliqui eius generis Ecclesiastici scriptores ac Episcopi,

Imperitorũ hominum ingenium.

Apostolicæ doctrinæ autoritas & confirmatio.

Episcopi, fuerint uiri doctissimi & sanctissimi, atq; optandum esset, ut hi, qui nunc tenent loca Episcoporum, aliqua saltem ex parte pietati eorum responderent. Nec desideramus aliquid, quod ad hanc quidē rem attinet, in Angelis. Huc etiam accedit, q; nullius quantumuis abiecti hominis iudicium in Ecclesia Christi temerè contemnēdum sit: & parati simus etiam nos corrigere, si quid à uerbo Dñi discrepās senserimus: sed alienæ sententiæ siue humanæ siue angelicæ ita nos captiuos tradere, ut eam nec auditam nec cognitam, tanq; sacrosanctam nos amplexuros recipiamus, hoc demùm ab officio, quod debemus Christo seruatori nostro, longissimè abest. Christus em̄, quē Pater audire iussit, non remisit nos uel ad sanctos doctores, uel ad Angelos cœlestes, sed ad Apostolos suos. Qui uos, inquiens, audit, me audit. Et hoc loco: Qui recipit quem cunq; misero, me recipit. Ac postea: Paracletus ille, qui est Spiritus sanctus, quem Pater mittet meo nomine, docebit uos omnia, & suggeret uobis omnia, quęcunq; dixi uobis. Et aliâs dicit eos sessuros super duodecim sedes, & iudicaturos duodecim tribus Israel. Quibus uerbis significat se sententiam extremi iudicij pronūciaturum iuxta doctrinam Apostolorum suorū. Quare sola Apostolica doctrina tam cœlestis & diuina est, ut qui eam docet, audiendus sit, etiāsi fuerit oīm hominum abiectissimus, qui autem contra eam docet, contemnēdus sit, etiamsi fuerit Pontifex Maximus, aut Angelus cœlestis. Quid ergo docuerunt Apostoli? Lōgum esset singula enumerare, dicemus tantū epitomen. Docuerunt solum Iesum filium Mariæ uirginis esse uerum Christum, & unigenitū filium Dei, qui sit factus expiator peccatorum nostrorum. Docuerunt, omnem qui in ipsum credit, reputari coram Deo iustum & seruari: eum autem qui non credit, cōdemnari. Docuerunt ex hac fide unumquenq; debere in suo uitæ genere iusticiam operari, ac uerbo Dei obedire. Hæc est summa Apostolicę doctrinæ. Hanc qui audit, audit doctrinam Christi. Qui uerò audit Christi doctrinam, is audit doctrinam Dñi Dei nostri. Quare aduersus hanc doctrinam, nihil quamuis angelicū suscipiendum est. Sed si utraq; pars dicit se agnoscere Apostolicam doctrinam, dissentit autem in sententia eius doctrinæ, quis in hac re iudex erit? Hìc conferenda erit doctrina ipsa cum hominum sententijs: & quanq; in dicendis sententijs maior pars ferè solet uincere meliorem, tamen nihil certius est, quàm q; uera Ecclesia Christi eam sectetur sententiam, quæ est Iesu Christi seruatoris nostri. Dicit em̄ Christus de ouibus suis: Alienum non sequentur, sed effugient ab eo. Et iterum: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, nec peribunt in æternum, nec; rapiet eas quisq; de manu mea. Sed de his hactenus. Redeamus ad institutum. Cùm hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & testificatus est, dixitq;: Amen amen dico uobis, quòd unus ex uobis proditurus est me. Non dissimulat Christus animi sui perturbationem, sed ingenue fatetur, qua de causa perturbetur. Videt enim Iudam proditorem ob oculos accumbētem, ex quo sic cōmouetur animo, ut id tam corporis gestu, quàm perspicuis uerbis testificetur. Quid igitur dicemus? Num Christus concipit odiū & inuidiam aduersus proditorem suum?

Non iurandum est in obsequia conciliorū ante cognitionem

Apostolicæ doctrinæ epitome.

Abſit. Noſtra quidē natura ſic eſt affecta, ut uiſo capitali hoſte, odium & ira efferueſcat. Chriſtus aūt etſi aſſumpſerit humanā carnem, non tamen fecit humana peccata. Peccatum, inquit, nō fecit, nec eſt inuētus dolus in ore eius. Quid ergo eſt hęc animi eius perturbatio? non eſt carnale odium, nec inuidia, ſed eſt mœſticia & dolor, qui ſolet in animo hominis oriri ex conſideratione ingratitudinis & malefacti eius, de q̄ optimè ſumus meriti. Hic eſt ingens & inexplicabilis dolor, de q̄ Chriſtus ipſe conqueſtus eſt, priuſq̄ aſſumpſit hominē. In Pſalmo enim 40. quem antea allegauit, ait: Homo pacis meæ, in q̄ ſperaui, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Et Pſal. 54. Si inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem utique. Et ſi is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſcondiſſem me forſitan ab eo. Tu uero homo unanimis, dux meus, & notus meus. Qui ſimul mecū dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum cōſenſu. Teſtat & Salomon, ab amico fruſtrari, non minorē dolorem inferre, q̄q̄ ſi quis flammeis & mortiferis ſagittis petatur. Si ergo hic tātus eſt animi dolor, cur Chriſtus ſuſcepit eum? Quid em̄ opus fuerat? An nō potuiſſet huic rei alijs rationibus mederi? Poſtq̄q̄ enim cognouit conſilia Iudę, potuiſſet eum, abiecto omni dolore, priuatim & remotis arbitris admonere, & extrema quæuis ſupplicia minari, niſi reſipiſceret: potuiſſet item animum Iudę eximprouiſo ita inuertere, ut mox abieciſſet conſiliū proditionis, & factus ſuiſſet acerrimus ipſius defenſor: potuiſſet etiā efficere, ut Iudę ſtatim terra dehiſceret. Hæc quidē cogitat humani animi curioſitas, ſed nos ſentiamus id eſſe optimū & prudētiſsimum, quod Chriſtus fecit. Sunt enim ſuæ, adeoq̄q̄ diuinę cauſæ, ꝓpter quas Chriſtus maluit hunc animi dolorem ſuſcipere, q̄q̄ uim maieſtatis ſuę, hoc quidē tempore, in Iuda exercere. Primùm.n. ſupra allegatione Pſalmi ſignificauit, ſe hac patientia obedire uolūtati Patris, ut adimpleatur, inquit, ſcriptura: Qui edit mecū panem, ſuſtulit aduerſum me calcaneū. hoc eſt, poſſem quidē pro maieſtate mea in proditorē animaduertere, ego aūt ueni in hanc horam, non ut exerceam meam maieſtatē, ſed ut obediam uolūtati Dei Patris mei. Voluntas eius eſt, ut prodar ab eo, de q̄ optimè meritus ſum. Et hanc uoluntatē Dei nō ex meipſo finxi, ſed ex ſcriptura cognoui. Spūs ſanctus em̄ in ſcriptura multis antè annis ſignificauit, me à conuictore meo conculcandum, & prodendū. Quare ſuſcipiam hunc dolorē patienter & obedienter, ut ſatisfaciam uoluntati Dei. Hic nobis diſcēdum eſt, unde uoluntatem Dei cognoſcere debeamus. Sunt.n. homines, qui putant ea eſſe Dei uoluntatē, quæ ipſi pro ſua prudentia animo concipiunt, aut quæ etiam noctu ſomniant. Voluntas aūt Dei nō eſt quęrenda in humanis cogitationibus, aut ſomnijs, ſed in diuina ſcriptura. Legimus quidem ſomnia Pharaonis, Nabuchodonoſoris, & alioꝝ quorūdam, hęc aūt ſunt ſingularia miracula diuinitūs oſtenſa, non ſunt generales humanorū ſomniorum cōfirmationes. Ad legem, inquit Propheta, & ad teſtimonium non ad obſeruatores ſomniorū, & augurioꝝ. Quare cognitio uoluntatis Dei petenda eſt ex diuina ſcriptura. Deinde Chriſtus ſuſcepit hunc animi dolorem, ut per eum expiaret peccata noſtra. Venit em̄ Chriſtus in

Chriſtus cur animi dolorē ſuſceperit.

Prouerb. 26.

Dei uoluntas ubi quærēda.

hunc mun-

hunc mundũ,non ut peccaret ipſe,ſed ut noſtra peccata expiaret.Pecca-
ta autem expiantur ſuis ſupplicijs.Inter ſupplicia uerò peccatorum, etiã
hoc enumeratur,ꝙ peccator meretur,ut non ſolùm inimici, uerũetiam
amici fiant hoſtes ipſius,& malefaciant ipſi. Peccant quidẽ amici,ꝙ ma-
lefaciant amico,ſed peccator meretˢ hæc malefacta.Peccator enim meretˢ
oĩa genera maledictionum.Venient,inquit,ſuper te oẽs maledictiones
iſtæ & apprehendent te.Inter maledictiones aũt hęc non eſt extrema, Si
quis nõ ſolũ deſeritur ab amico ſuo,uerũetiam malis ab eo afficitur. De
hac maledictione conquerit Hieremias, & dicit eam accidiſſe urbi Hie-
ruſalem.Non eſt,inquiens, qui cõſoletur eam ex oĩbus caris eius. Om-
nes amici eius ſpreuerũt eam,& facti ſunt ei inimici. Cùm igit Chriſtus
ſuſcepit pctã expianda, ſuſcepit & hanc maledictionẽ ac ſupplicium pec
cati, ut iram Dei placaret, & nos oĩa extrema ꝓpter peccatum meritos,
cum DeoPatre reconciliaret.Poſtremò Chriſtus ſuſcepit hũc animi do
lorem, ut exemplo ſuo doceret nos, q̃modo debeamus nos exhibere in
ſimili dolore erga ingratos amicos, & eos qui ex amicis facti ſunt capita
les noſtri inimici.Animaduertamus igitur ea,quæ à Chriſto fiunt,ut &
nos ex ipſis exemplum uitæ noſtræ petamus.Chriſtus non admonet Iu
dam de proditione remotis arbitris,nec exprobrat ei priuatim ſcelus e-
ius.Quid ergo dicemus? Cur Chriſtus nõ ſecutus eſt ſuam ipſius regu-
lam: Si peccauerit in te frater tuus, argue eum inter te & ipſum ſolum?
Hæc regula ad ea pctã priuatim arguenda pertinet,quæ nobis humano
modo cognita ſunt. Quod aũt peccatum Chriſtus in Iuda uidit, hoc nõ
cognouit humano,ſed diuino modo.Quare hæc regula in præſentia ni
hil ad Chriſtum.Nec mutauit uoluntatẽ Iudæ mirabiliter,ꝙ Iudas ipſe
mutari noluerit,& Chriſtus tradiderit ſeſe obſequentẽ diuinę ſapiẽtiæ,
cuius ea eſt ꝓfunditas,ut debeamus ipſam adorare,nõ perſcrutari. Nec
trańcit Iudam fulmine,quia filius hominis non uenit ad perdendas, ſed
ad ſeruãdas animas hominum.Quid ergo fecit? Ea fecit,quæ ſatis erant
tum ad teſtificãdum,Iudę inſtitutum nõ eſſe ſibi ignotum, qua ex re de-
clararet,ſe diuinitũs in hanc terrã miſſum,Nunc dico uobis,inquit, pri
uſq̃ fiat,ut cùm factũ fuerit,credatis ꝙ ego ſum: tum ad admonendũ Iu
dam,quò ab immani ſuo ſcelere reſipiſceret.Antè em̃ dixit: Mũdi eſtis,
ſed non oẽs.Hoc autem ualde generaliter dictum erat,nec poteſt ex hoc
ſolo dicto colligi,Ieſum eſſe ſingulari prophetiæ ſpũ prędiiũ,quippe ꝙ
de hoĩbus ita cõparatum ſit natura, ut ubi eſt eorũ multitudo, ibi etiam
non pauci ſint ſcelerati,ideoq̃ facilè uerũ dicet,quiſquis dixerit,eos qui
dem mundos eſſe,ſed non oẽs.Deinde aũt non generatim de aliquibus
ſed diſertè de V N O loquitur,& nominat etiam ſpeciem immũdiciei,
ſeu peccati,uidelicet,ꝓditionem: V N V S,inquiens,ex uobis me pro
diturus eſt.Nec hoc contẽtus,etiam ꝓditoris ꝓſonam indicat.Sic em̃ ſe
quitur:Aſpiciebant ergo ſe inuicẽ diſcipuli,hęſitantes de q̃ diceret.Erat
aũt unus ex diſcipulis Ieſu recũbens in ſinu ipſius, nimirum is, quẽ dili-
gebat Ieſus.(Hic erat Ioãnes Euãgeliſta noſter)Innuit ergo huic Simon
Petrus,ut ſciſcitaretur,quis eſſet de q̃ loqueretur.Itaq̃ cũ recubuiſſet il-
le ſuper pectus Ieſu,dicit ei:Dñe,quis eſt? Reſpõdit Ieſus:Ille eſt,cui ego
intinctũ panem porrexero.Et cũ intinxiſſet panem,dedit Iudę Simonis

Ingratis & inimicis quo modo nos exhibeamus.

Iſcharioteæ. Habes hîc nõ ſolùm nomẽ ſceleris, uerũetiam perſonam ſce
lerati, exhibita buccella notatam. Quid igit̃ dicemus? num Chriſtus uo
luit proditorem prodere? Non hoc egit Chriſtus, ut ſua notatione lu-
das aliquid mali à reliquis diſcipulis pateretur, ſed quemadmodũ antè
diximus, ut poſtq̃ reſurrexiſſet à mortuis, diſcipuli intelligerẽt, ipſum
nec inuitum nec ignarũ ſuſcepiſſe crucem, & conferrent hoc uaticinium
cum alijs miraculis à Chriſto editis, confirmarentúrq̃ fide ſua, hunc Ie-
ſum eſſe uerum Chriſtum ſeruatorem noſtrum. Prẽterea, egit hoc Chri
,, ſtus, ut Iudas admoneretur de ſua immani crudelitate & reſipiſceret. Iu-
,, das aũt non dedit locum huic admonitioni, ſed fit ſubinde peior, & ob-
Satan intrat in Iudam. ſtinatior. Poſt offulam ẽm ingreſſus eſt in eum Satanas. Quid ita? num
Satan non fuit antea in Iuda? Certè fuit, & cum furaretur, & cum paciſce
retur cum Põtificibus. Cur ergo dicitur Satan iam primũ poſt offulam
ingreſſus? Reſpondeo. Etſi Iudas antea obſecutus eſt uoluntati Satanæ,
in furando & paciſcendo de ꝓditione, tamen nõ dubito, quin hactenus
audiuerit uocem in animo reclamantem, & à tam immani ſcelere dehor
tantem: Quid inſtituis Iuda? Quò inſanię progrederis? Vis ne prodere
tuũ Magiſtrum? imò tuũ Chriſtum? Non facias. Imo facias. Imo non fa
cias. Hæc adhuc eſt pugna Satanę cum Iuda. Poſtq̃ autem Iudas accepit
buccellã è manibus Chriſti, & cogitauit Chriſtũ impotentiorem eſſe, q̃
qui poſsit ipſi aliquid mali inferre, Satan eũ ita deiecit ac uicit, ut quod
antea dubitanter cogitauerat, nunc certò aggrediendũ & perficiendum
conſtitueret. Quare uerè dicitur, q̃ Satan poſt acceptam buccellã intra-
uerit in Iudam, non q̃ antè non fuerit in ipſo, ſed q̃ nunc tyrannide ſua
in Iudam ita dominetur, ut Iudas ſeſe ad perficiendam ꝓditionem tota
,, animi cogitatione accingat. Quod cum Ieſus intelligeret, dicit ei: Quod
,, facis, fac citius. Hoc autẽ nemo intelligebat diſcumbentium, ad quid di-
,, xiſſet ei: Quidam ẽm putabant, quia loculos habebat Iudas, q̃ dixiſſet
,, ei Ieſus: eme ea, quę opus ſunt nobis ad diem feſtum, aut egenis aliquid
,, daret. Cùm ergo accepiſſet ille offulam, exiuit continuo. Erat autẽ nox.
,, Quod facis, inquit Chriſtus, fac citius. Non iubet Iudam prodere, hoc
eſt, malefacere. Sed poſtq̃ uidet ſe in Iuda admonitionibus nihil pro-
ficere, permittit eum reprobæ ſuæ menti, & ſignificat, quòd quantũ ad
ſe attinet, faciat quod lubet, ſe non impediturum inſtitutũ eius, ſed obſe
cuturum uolũtati Patris ſui. Itaq̃ uides Chriſtum tractaſſe proditorem
ſuum magna benignitate. Potuiſſet eum uel uno nutu perdere, uel diſci
pulis diſcerpẽdum obijcere, ſed maluit eum beneficijs ad ſanam mentẽ
Malum malo non regerendum. reuocare, quàm malefactis impietatẽ eius augere. Hæc in noſtri doctri-
nam facta & ſcripta ſunt, ut diſcamus malo non regerere malum, ſed bo
num. Hoc Chriſtus Dñs & magiſter noſter fecit, Non eſt ſeruus maior
Dño ſuo. Si uoluerimus eſſe participes regni eius, oportet nos ambula-
re, ſicut & ille ambulauit. Hoc à nobis Deus ipſe exigit. Manifeſta ẽm eſt
uoluntas Dei, ex uerbo ſuo, cũ ait: Diliges proximum tuũ ſicut teipſum.
Deum enim in hoc prȩcepto exigere, ut non tantũ amicis, ſed etiam ini-
micis benefaciamus, expoſuit filius ipſe Dei Ieſus Chriſtus: Ego, inqui-
ens, dico uobis, diligite inimicos ueſtros, benẽpcemini deuouentibus
uos, beñfacite ijs, qui uos odio perſequunt. Habes q̃d debeamus facere.

Reliquum

Reliquum est,ut consideremus nos etiam posse id facere.Possumus autē id facere,non quidē humanis uiribus,sed uiribus Spūs sancti,qui datur credentibus in Christum:ac possumus id facere, nō ꝙ perfectam caritatem prę̄stemus, sed ꝙ Christus donet credenti totam suā iusticiam, & ducat eum Spū sancto in obedientiam,ac si quid reliquum fuerit peccati,non imputet,sed clementer condonet. Non em̄ sumus sub lege,sed sub gratia,& accepimus spiritum adoptionis,per quem nō solum possumus clamare Abba Pater,sed etiam mortificare reliquias carnis, & obedire uocationi Dei, per Iesum Christum Dn̄m nostrū, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula,Amen.

HOMILIA XXI.

AVdiuimus Dn̄i Iesu Christi, unigeniti filꝛ̄ Dei, seruatoris nostri mœsticiam,audiamus nunc eius lę̄ticiam.Cùm enim Iudas proditor adhuc coram adesset, Christus tanto animi dolore cōmouetur,ut tam corporis gestibus, quàm uerbis eum significaret. Postꝙ autem Iudas exierat, Christus uicissim tanto animi gaudio exultat,ut teneri non potuerit, quin hoc palàm uerbis minimè obscuris fateretur.Dicit em̄: Nunc glorificatus est filius hominis, « & Deus glorificatus est per eum.Si Deus glorificatus est per eum,& De « us glorificabit eum per se, & cōtinuo glorificabit eum.His uerbis Chri « stus quasi triumphum agit,& ἐπινίκιον canit.Sed ante uictoriam, inquis. Quid enim magis mirandum, quàm ꝙ Christus uidebat Iudam abire ad conficiendam proditionem,uidebat aduersus se conuocari cohortē, & habebat ob oculos crucem,& tamen non aliter lę̄ticia gestiat, quàm si iam,parta uictoria,in curru triumphali duceretur.Nunc, inquit,glorificatus est filius hoīs.Quid,obsecro,uidit Christus,cùm hæc diceret? Etsi fieri non potest, quin habuerit ob oculos crucem & mortem, tamen nō defixit in hęc oculos, sed penetrauit uisu suo usꝙ ad gloriam resurrectionis suę̄.Sensit quidē imminere sibi magnam (ut uocant) sextam feriam qua affigendus esset cruci, sed cognouit etiam mox secuturum diem festum Paschæ,quo resurrecturus esset glorioſissimè,& intraturus in maiestatem Patris sui, ut unà secum uniuersam Ecclesiam suā æterna salute seruaret.Hinc illud gaudium,hinc illa exultatio.Nam quemadmodum bellator,qui argumētis minimè uanis certam sibi uictoriam pollicetur, nō laborat de uulneribus sibi inferendis,sed inebriatus spe uictoriæ,ne cogitat quidem de uulnerū dolore: ita Christus initurus certamen cum morte & Satana, etsi nō ignorabat futura sua uulnera,tamen quia certò sciebat,se expoliaturū principatus & potestates,ac de ipsis triumphaturum,nō iam curat crucis grauitatē,sed uersatur totus in uictoriæ cogitatione.Dices aūt: Christo facile fuit, gaudio etiam in media morte exultare,quippe cui probè ac certò cognitum fuerit,ꝙ sit à morte resurrecturus,& æternum triumphum ducturus. Mea res aliter se habet,qui cum nesciam,quid me in altero seculo maneat,quomodo ad mentionē mortis nō expallescerem? Non tam miserè metuerem mortem, si scirem fœlicitatem mihi certam in cœlo paratam.Hæc est uulgaris hoīm querela, sed quæ haud obscurè indicat,nō solum ueram Christianismi ignoran-

Christus ἐπινίκιον canit.

Coloss. 2.

tiam,ſed etiam ſummã animi impietatem.Nam Chriſtus uenit ob hanc maximè cauſam in hũc mundũ,ut conſecraret crucem,& mortẽ,quò nõ ſibi tantum,uerũetiam omnibus credẽtibus in ipſum,recta eſſent uia in cœlum,& æternũ regnum.Itaq; uenit,ut oẽs in ipſum credentes certiſsimos de ſua ſalute redderet.Extra eñ Chriſtum,nõ eſt niſi certitudo perditionis. In ſolo aũt Chriſto eſt certitudo ſalutis. Audi quid Prophetæ de certitudine ſalutis in Chriſto cõcionentur.Eſaias ait: Montes cõmouebuntur,& colles cõtremiſcent,miſericordia aũt mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ nõ mouebitur,dixit miſerator tuus Dñs.Hieremias ait:Non formidabunt ultrà,& nõ pauebunt,&nullus queretur ex numero,dicit Dñs.Ac mox: In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit cõfidenter.Hæc de ſalute in Chriſto dicta ſunt,quæ ſalus niſi certiſsimè contingeret his qui agnoſcunt Chriſtũ per fidem, quid uanius eſſet propheticis ꝓmiſsionibus? Sed audiamus Chriſtum ipſum. Sic Deus, inquit,dilexit mundũ,ut filium ſuũ unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum,nõ pereat,ſed habeat uitam ęternam.Et iterum:Amen amen dico uobis,qui ſermonem meũ audit, & credit ei qui miſit me, habet æternam uitam,nec ueniet in condẽnationem, ſed tranſiuit à morte in uitam. Vides Chriſtum non ſimpliciter certitudinem ſalutis in ipſo affirmare,ſed etiam iuramento confirmare.Et huc reſpiciunt prȩcipui illi articuli religionis noſtræ, qui ſolent in ſymbolo,quod uocant,Apoſtolico recitari: Credimus in Ieſum Chriſtum, cõceptum de Spiritu ſancto, natum ex Maria uirgine,paſſum,crucifixum,mortuũ & ſepultum.Credimus eum reſurrexiſſe à mortuis, aſcendiſſe in cœlum, ſedere ad dextram Dei,& uenturũ ad iudicandum uiuos & mortuos. Quis autem eſt alius huius fidei uſus & finis, quàm ut in Chriſto habeamus remiſsionẽ peccatorum, conſeruemur in morte, reſurgamus à morte ad uitam,& conſequamur hæreditatem cœleſtem? Quare, qui adhuc conqueritur, ſe neſcire quid ſibi in altero ſeculo expectandum ſit, perſpicuè ſignificat,ſe ne prima quidem elementa,aut,ut ita dicam,alphabetum Chriſtianiſmi didiciſſe, qua certè ignorantia, aut potius incredulitate, ut nihil eſt homini multis annis in ſchola Chriſtianiſmi uerſato turpius, ita nihil eſt perniciоſius. Sed uideamus nunc, quæ ſit glorificatio Dei & filij, de qua Chriſtus hoc loco concionat. Nunc,inquit, glorificatus eſt filius hominis,& Deus glorificatus eſt per eum.Inquiramus igitur,quõ filius hoĩs, qui eſt Ieſus Chriſtus Dñs noſter, glorificauerit, & illuſtrauerit nomen Dei Patris ſui. Ac primum Chriſtus illuſtrauit nomen Dei inter homines prȩdicatione Euãgelij ſui,& miraculis. Prædicauit enim, Deũ factum eſſe propicium & miſericordem,ac remittere peccata,& uelle miſeros homines ſeruare propter ipſum in morte ad æternam uitam & fœlicitatem.Et ut hanc prȩdicationẽ confirmaret, edidit miracula, quibus adiuuit corporaliter miſeros & afflictos, ut hoc eſſet certum argumentum, ꝙ Deus uiſitaſſet populum ſuum,& uellet eſſe miſericors hoim ſeruator,Hæc eſt magna gloria nominis Dei,illuſtrata per prȩdicationẽ & miracula Chriſti. Deinde Chriſtus illuſtrauit nomen Dei ſua obedientia. Deus eñ iuſsit Chriſtũ filium ſuum obnoxium eſſe humanis imbecillitatibus,

Salus in Chriſto certiſsima

Filius Dei quomodo glorificauerit Patrem.

cillitatibus, ac ſuſcipere mortem: Cui mandato Chriſtus tam obedien ter obſecutus eſt, ut ſubierit mortem crucis, quod erat mortis genus probroſiſsimum. Hæc eſt inſignis gloria Dei. Nam quemadmodū ſum ma gloria parentum & principum eſt, horum quidem habere obedien tem populum, illorū autem habere obſequẽtes liberos, ita maxima glo ria Dei eſt, ꝙ Chriſtus filius eius obſequentiſsimè impleuerit mandata eius. Non eſt gloria Dei, ſi pro tuo ipſius arbitrio ſtatueris in gloriam Dei abſtinere à carnibus, & balneis, & reſecandis unguibus in feria ſexta, ſed gloria Dei eſt, obedire mandatis Dei, & ſeruire uocationi eius. Quare Chriſtus reddidit nomen Dei Patris ſui illuſtriſsimum, cùm ex mandato eius ſuſcepit crucem & mortem obedientiſsimè. Habes quo modo filius hominis glorificauerit Deum. Audiamus nunc, quomodo Deus uiciſsim glorificauerit filiū hominis. Dicit enim: Si Deus glorifi catus eſt per eum, Deus etiã glorificabit ipſum ſua ipſius potentia, atq; adeo continuo, non poſt multos annos, ſed ſtatim poſt hos dies glorifi cabit ipſum. Quomodo ergo Deus glorificauit Ieſum? Dicam hoc uer bis Pſalmi: Minuiſti eum paulò minus ab angelis, gloria & honore co ronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. Et iterum: Dixit Dominus Dño meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Dicam idem uerbis Petri: Certò ſciat tota domus Iſrael, ꝙ Dñm & Chri ſtum fecerit Deus hunc Ieſum, quem uos crucifixiſtis. Dicam hoc etiam uerbis Pauli: Humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortem, mortem aũt crucis. Quapropter & Deus extulit illum in ſum mam ſublimitatẽ, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomẽ, ut in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtriũ & infernorũ. Poſtq; enim Ieſus ſuſcepit mortẽ obedienter, Deus non dereliquit ani mam eius in inferno, nec permiſit ut ſanctus eius uideret corruptiõem, ſed excitauit eum à mortuis, ac ſedere fecit eum ad dextram ſuã, in cœle ſtibus ſuper oẽm principatũ ac poteſtatem, ut palàm declararet, ipſum non ſolũ eſſe hominis filiũ, uerũetiam unigenitum Dei filiũ, adeoq; ue rũ ab æterno Deum: Qua gloria nihil poteſt excellentius cogitari. Cùm igitur Chriſtus tãtam gloriã in animum ſuũ reuocaret, etſi in ꝓpinquo erant crux & mors, tñ magno gaudio exultat, ut cùm impetrauerit nobis certam ſalutẽ per crucem & mortem ſuã, excitemur tam auxilio q̃ exem plo eius, ut & nos in calamitatibus in cruce & morte intẽdamus oculos, quò per ea perſpiciamus ꝛternam uitam & ſalutẽ, ac cœleſti gaudio per fruamur. Deinde Chriſtus exponit diſcipulis ſuis, qua uia uenturus ſit ad gloriam ſuã, & cõcionatur iterũ de cruce & morte ſua, dicens: Filioli, adhuc pauliſper uobiſcum ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis, q̃ ego uado, uos non poteſtis uenire, ita & uobis dico nunc. Vide mihi huma niſsimum, & ſuauiſsimum epitheton. Filioli, inquit. Et aliàs uocat eos Fratres. Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis. Quæ epitheta tribuit Chriſtus diſcipulis ſuis, nõ honoris, ſed ueritatis gratia, ut ſigni ficet eos cœleſtium bonorum ſecum participes eſſe. Si enim ſunt filij, er go & hæredes. Et; ſi ſunt fratres, ergo & cohæredes, hæredes quidem

Pater quomodo glorificauerit filium.

Glorificationis Chriſti modus.

“
“
“

Dei, cohęredes aũt Christi. Sed hęc epitheta, inquis, tribuit Christus Apostolis, nõ quibuslibet alijs hominibus. Quid igitur solatij nos ex his epithetis caperemus? Rectè dicis. Christus nõ sic alloquitur impœnitentes & impios Euãgelij cõtemptores, sed nec Apostolos tantũ sic alloquitur. Non eñ soli Apostoli sunt filioli & fratres Christi, sed alloquitur etiam oẽs eos, qui credũt in Christum, per sermonẽ Apostolicum. Non pro eis, inquit Christus, rogo tantũ, sed pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorũ in me. Et aliâs: Thoma, quia uidisti me, credidisti. Beati q non uident, & tamẽ credunt. Quare, quemadmodũ Apostoli confirmarunt fidem suam, & certiores facti sunt de ęterna salute sua ex his epithetis: ita si crediderimus Apostolico Euãgelio, reddimur & nos ex his de cœlesti nostra hæreditate certiores. Quod autẽ addit: Quęretis me, sed quò ego uado, uos nõ potestis uenire, eadem suprà capite septimo, etiã Iudæis cõcionatus est. Loquitur autem de cruce & morte sua. Et est hęc sententia: Vos creditis me esse Messiã, ideoq; quęritis, & sectamini me, sed hac spe, ut consequamini per me mũdanam fœlicitatem. Existimatis enim regnum Messię fore mũdanũ. Ego uero abeo nũc non ad accipiendũ regnum mundanũ, sed ad suscipiẽdam crucem & mortem. Hoc cùm reipsa senseritis, non amplius sectabimini me, sed fugietis & deseretis me. Offensi enim cruce, putabitis non posse fieri, ut sim uerus Messias. Hæc est ollæ, ut dici solet, amicitia. Cũ Christus in his terris adhuc fœlix est, multos habet sectatores. Postq; autem uidetur infœlix, omnes eum deserunt. Quod cùm fœdissimum sit, reipsa admonemur, quid nos facere debeamus. Primum enim sciamus regnum Christi non esse mundanũ, ideoq; non est ab ipso deficiẽdum, etiamsi uidemus eum in hoc mundo à Turcis, à Iudæis, & ab alijs impijs contemptissimè & crudelissimè tractari. Deinde ut Christus nõ est in cruce deserendus, ita nec deserendus est amicus in sua calamitate. Beatus eñ, qui intelligit super egenũ & pauperem, in die mala liberabit eum Dñs. Porro, cùm Christus significauerit se abiturum à discipulis, dat etiam ipsis mãdatum ut cognoscant, qua

" beneuolentia se mutuo complecti debeant. Et ait: Mandatum nouũ do

" uobis, ut diligatis uos inuicẽ, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem.

Dictum omnibus quidẽ, & maximè oĩm obseruãdum. Non est aũt sentiendum, q; Christus hoc mandato instituerit nouam legem. Etsi eñ hæc appendix (Sicut dilexi uos) uidetur noua, tamen si quis rem diligenter perpendat, nihil plus in hoc mandato exigitur, q; in illo: Diliges proximum tuũ, sicut teipsum. Et: Diligite inimicos uestros: benefacite ijs, qui uos odio prosequũtur. Et remitte fratri tuo septuagies septies. Ac multa sunt id genus alia, de quibus Christus sæpe discipulos suos admonuerat. Ergo, q; hîc dicit se dare ipsis mandatum NOVVM, non est res noua, sed est repetitio noua. Nam Christus cùm aliâs sępe, tùm paulò ante admonuit discipulos, nõ uerbis tantum, sed etiam exemplo lauationis uidelicet pedum, ut sibi inuicẽ per caritatem seruirent. Si ego, inquiens, laui pedes uestros, dominus & magister, uos quoq; debetis inuicem alij aliorum pedes lauare, hoc est, uos inuicem diligere, & seruire. Discipuli autem statim obliuiscuntur huius admonitionis. Postq; enim Iudas discesserat,

Credentes in Christũ sunt filioli & fratres Christi.

Ollæ amicitia.

Mandatum Christi nouũ de dilectione mutua.

ſceſſerat, & Chriſtus concionabatur ipſis de gloria regni ſui: Deus inquiens, glorificabit eum, & continuò glorificabit eum, exiſtimauerunt eum accepturum gloriam mundani regni. Quapropter ſuſcipiunt mutuam inter ſe contentionem, quemadmodũ Lucas ſcribit, quis inter ipſos uideretur maior. Ambiebant enim, ut fieri ſolet, magno ſtudio, ut alter alteri dignitate & poteſtate in mundano regno Chriſti, quod ſomniabant præferretur. Quare Chriſtus reprehendit eos, & reuocat ipſis in memoriam, quod antè docuerat: Mandatum, inquiens, nouũ do uobis, ut diligatis iuuicẽ, ſicut ego dilexi uos, hoc eſt, paulo antè iuſsi uos exemplo meo inuicẽ diligere & ſeruire, & ſignificaui uobis, q̃ in regno meo maior debet fieri minor. Nunc autẽ reipſa uideo, uos iam huius doctrinæ oblitos eſſe. Quare profero illud de nouo in medium, & iterum atq̃ iterum repeto, ut diligatis uos inuicem, ſicut ego dilexi uos. Non inſtituo inter uos mundanos ordines dignitatis, quales ſunt inter Principes huius ſeculi, ſed exigo iterũ de NOVO, ſicut antea, à uobis mutuam dilectionem & ſeruitutem, ſicut ego uos dilexi, qui quamuis maior omnibus eſſem, uobis tamen ſeruiui. Conſiderãdum igitur eſt, quomodo Chriſtus dilexerit ſuos, & ſeruiuerit eis, ut cognoſcamus qualis debeat eſſe noſtra mutua dilectio. Quod enim hoc loco Apoſtolis dicitur, hoc pertinet ad omnes illos, qui per Apoſtolicum ſermonem in Chriſtum credunt, ut OMNIS, inquit, unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. Primùm igitur Chriſtus nõ dilexit diſcipulos ſuos uerbo tantũ & lingua, ſed opere & ueritate, ac declarauit dilectionem maximis beneficijs. Ornauit eos clariſsimo dono edendorum miraculorum. Seruauit eos in oĩbus periculis. Cùm eſſem, inquit, cum eis in mundo, ſeruabam eos nomine tuo. Tulit uitia & ruditates eorum patientiſsimè. Quare neceſſe habemus, ut & nos ſic inuicem diligamus, uidelicet, nõ uerbo tantũ, ſed etiam rebus ipſis quibus dilectionem maſeſtè cõprobemus. Deinde Chriſtus dilexit ſuos non tantũ actionibus, uerũetiam paſsionibus, ac declarauit ſuam dilectionem nõ ſolum bene ipſis faciendo, ſed etiam male pro ipſis patiendo. Poſuit eã animam ſuã pro ſalute ipſorum. Maiorem, inquit, hac dilectionem nemo habet, ut quis animam ſuã ponat pro amicis ſuis. Quare & nos neceſſe habemus, ut periculo uitæ noſtrę ſaluti proximi conſulamus. Per hoc, inquit aliàs Ioannes, cognouimus caritatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quid? inquis, Animas? Ergo multò magis facultates? Quid hoc rei eſt? Quid poſſet homini grauius imponi, q̃ ut pro ſalute proximi ſui exponere deberet facultates & animã? Si hoc ſeriò exigitur, certè pauciſsimi ſunt ueri Chriſtiani. Quotuſquiſq̃ .n. eſt, qui propter proximum ſuũ profundat opes & ſanguinẽ ſuum? Vix extorqueas totius Euangelij Chriſti ꝓmiſsionibus, ut diuites unũ aut alterum argenteũ numum miſero homini numerent, & ꝓfunderent pro ipſo opes & ſanguinẽ ſuum? Sed quicquid obijciatur, profectò hęc dilectio ſeriò exigitur ab oĩbus Chriſtianis. Hoc eſt, inquit, pręceptum meũ, ut diligatis inuicem, ſicut ego dilexi uos. Chriſtus aũt ita dilexit nos, ut etiã animam ſuã pro nobis poſuerit. Quare debemus & nobis inuicẽ talem dilectionem. Ergo, inquies, ſi fur aut latro

Chriſtus quo modo dilexerit ſuos.

Verborum (ſicut ego dixi uos) uera ſententia.

ad extremum ſuppliciũ ducitur, Chriſtianus debet ſuam animam iudici aut carnifici pro fure offerre, ac petere ut ipſe pro reo, & ad crucẽ damnato, occidatur? Nulla autem literarum monumenta tradunt, hoc Chriſtum ipſum aut Apoſtolos eius unquam feciſſe, & tamen non eſt dubiũ, quin temporibus eorum, multi ſcelerati & malefactores extremo ſupplicio ſint affecti. Etſi enim Chriſtus ſuſcepit mortem pro omnibus peccatoribus, non tamen ita ſuſcepit, ut fures & latrones liberi ſint ab externo ſupplicio. Quod ergo docet Chriſtus de mutua dilectione, ut diligenter & obedienter eſt faciendum, ita etiam rectè eſt intelligendum. Non enim iubet mortem pro alio temerè & illegitimè ſuſcipere, ſed iubet unũquemq; ſuum facere officium, & certæ Dei uocationi obedire. Non eſt officium, nec eſt uocatio Dei, ut tua morte liberes furem aut latronem, ab ea externa morte, quam ei lex, hoc eſt, diuina ordinatio infert. Sed officium & uocatio Dei eſt, ut magiſtratus defendat populum ſuum à latronibus, ut parentes agant curam liberorum ſuorum, ut Apoſtoli & Eccleſiaſtæ concionentur Eccleſiæ Euangelion Chriſti, ut pñ confitean tur nomen Chriſti, ut priuati quicq; ſuccurrant proximis ſuis in neceſsitate. Hæc autem afferunt nonnũquam ſecum pericula uitæ. Quare, hæc officia facienda ſuſcipere, eſt animam ſuam pro alĩs ponere. Vulgo dici ſolet: Vicinus alter alteri incendium debet. Hoc certè non ſic intelligendum eſt, quòd cùm uicini domus incendio deflagrauerit, tu neceſſe habeas etiam in tuas ædes ignem inĩcere, ſed q̃ patienter ferre debeas, ſi ex uicini incendio, etiam tuæ ædes conſumantur. Sic & dicendum eſt, q̃ unuſquiſq; Chriſtianus debeat alteri ſuum ſanguinem, non q̃ temerè debeat ſanguinem pro altero effundere, ſed quòd debeat ſuum legitimum officiũ alteri præſtare, in quo ſi iuxta uocationem Dei ſubeũdum eſt periculũ uitæ, fortiter ferendum erit. Idem etiam de exponendis pro alio facultatibus dicẽdum erit. Vnuſquiſq; enim pius, debet alteri ſuas facultates, non temerè, ſed pro officio & uocatione Dei. Sunt enim ſui in exponẽdis pro alio facultatibus gradus. Paulus de uiduis ait: Si qua ſuis & maximè familiaribus nõ prouidet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Ex hoc Pauli dicto habes, q̃ in exponẽdis facultatibus prima omnium habenda ſit domeſticorũ cura. Deinde Paulus ſcribens ad Corinthios, & petens eleemoſynam pauperibus, ita dicit: Si prius adſit animi promptitudo, ea iuxta quicquid illud eſt, quod poſsidet aliquis, accepta eſt, nõ iuxta id quod non poſsidet. Non enim ut alĩs relaxatio ſit, uobis autem anguſtia, ſed ut exæquabilitate in preſenti tempore, ueſtra copia illorũ ſuccurrat inopiæ. Et rurſus: Vnuſquiſq; ſecũdum ꝓpoſitum cordis, nõ ex moleſtia, aut ex neceſsitate. Nam hilarẽ datorem exigit Deus. Habes iterũ quatenus exigatur, ut exponas pro alio tuas facultates. Neceſſe autem eſt, ut in hac re magiſtra ſit, non lex aliqua, aut externa ordinatio, ſed CARITAS ex fide, tanquam ex fonte profluens. Ac non ignoramus quidẽ caritatem in hac corporali uita infirmam eſſe, ſed danda eſt opera, ut hæc infirmitas non dominetur nobis, ac tandem inferat mortẽ. Non dominabitur aũt nobis, Primùm, ſi crediderimus Chriſtũ recõciliaſſe nos cum Deo Patre, & impetraſſe nobis remiſsionẽ peccatorum. Sic em̃ fiet, ut infirmitas caritatis nõ imputetur nobis. Deinde, ſi

1. Timoth. 5.

ex hac

ex hac fide accendamus charitatem diuinis promiſsionibus,& exerceamus eam beneficijs erga proximos noſtros. Sic enim fiet,ut etiamſi opera noſtra, quibus alter alterum iuuamus, ſint per ſe imperfecta, tamen reputentur coram Deo iuſta & ſancta,propter Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum,qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXII.

Accepimus à Domino noſtro Ieſu Chriſto mãdatum mutuæ dilectionis. Dixit enim: Mandatum nouũ do uobis, ut diligatis uos mutuo, ſicut ego dilexi uos. Sed quò hæc dilectio nobis magis cõmendetur, addit: In hoc cognoſcẽt omnes, ꝙ diſcipuli mei ſitis, ſi dilectionẽ habueritis inter uos mutuam. Hoc igitur dictũ ſuſcipiemus nunc, quantum ueſtris precibus adiuti fuerimus, explicandum. Tantò autem diligentius cognoſcẽdum eſt, quantò clarius exponit officium, quod in hac terra, in hoĩm cœtu & contubernio maximè omnium prẽſtare debemus. Alius enim alium ſibi finem in hominum cõtubernio proponere ſolet. Apoſtoli exiſtimabant ſibi hunc humanæ uitæ finem propoſitum eſſe, ut alter alteri in regno Chriſti, quod ſomniabant mundanum futurum, dominaretur. Itaq; nunc rogant Chriſtum, ut unus ſedeat ad dextram, alter ad ſiniſtram eius: nunc cõtendunt inter ſe de primatu, quis ipſorum uideretur eſſe maior. Deinde, in Eccleſia Corinthiorũ, cum iam manifeſtum eſſet regnum Chriſti non eſſe mundanũ, contenderunt hi, qui Euangelion Chriſti agnoſcebant, de donis ſpiritualibus, hoc eſt, de edendis miraculis, & loquendis uarijs linguis. Chriſtus enim contulit poſt Pentecoſten in Eccleſiam ſuã multa & illuſtria dona ſpiritus, ut autoritas Euangelij confirmaretur. Huic, inquit Paulus, datur per ſpiritũ ſermo ſapientiæ, alij uero ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alij uero fides, alij dona ſanationum, alij efficatia potentiarum, alij prophetia, alij diſcretiones ſpirituum, alij genera linguarum. Putabant igitur Corinthij, ſe ad hunc uſum uocatos, ut maximam omniũ operam in hanc rem conferrent, quò alter alterum ſpiritualibus id genus donis ſuperaret, ac exiſtimabant, ſe non eſſe bonos Chriſtianos, niſi hęc aſſequerentur. Poſtq; autem Eccleſia Chriſti aucta eſt, & publica dona edendorum miraculorum non ſunt his, quemadmodum Apoſtolicis temporibus, ſolennia, alia ſunt Chriſtianorum ſtudia. Alius enim ſtudet eſſe ditior, alius doctior, alius potentior, alius honoratior, alius pulchrior, alius delicatior, in quæ ſtudia ita incumbunt, ut exiſtiment ſibi nihil prius, nihil poſterius in hac terra agendum eſſe, nec putent ſe homines, niſi in his rebus aliqua ex parte cęteris hominibus prẽſtent. Quod ſi non fuerint facti cõpotes uoti ſui, iudicant Deum nõ fauere ipſis, nec ſe bonos eſſe Chriſtianos. Sed Chriſtus docet nos ad alia ſtudia uocatos & ordinatos eſſe. In hoc, inquiens, cognoſcent oẽs, ꝙ diſcipuli mei ſitis, ſi charitatem habueritis inter uos mutuam. Principio. n. uocati ſumus, ut ſimus diſcipuli Chriſti. Hoc debet nobis eſſe primũ oĩm, ac ſummũ ſtudium. Nec ullum nobis magis neceſſarium eſt. Caremus enim, natura noſtra,

Chriſtiani ad quæ ſtudia ſint uocati.

uera coram Deo iusticia,& fœlicitate. Nec possumus hæc bona meritis nostris consequi. In Iesu Christo aũt promissa nobis est uera iusticia, salus,& fœlicitas, ut quicunq; crediderit in Christum, reputet coram Deo iustus,& cõsequatur cœlestem hereditatem. Quare nihil nobis ad salutem magis necessarium est, q̃ ut simus discipuli Christi, discamus Euangelion eius, cognoscamus officiũ eius, credamus in ipsum, inuocemus & glorificemus Deum per ipsum, ut propter ipsum iustificemur & seruemur. Hoc est præcipuũ studium, ad quod uocati sumus. Deinde etsi propter solũ Christum per fidem consequimur coram Deo iusticiam & salutem, tamen quia uita nostra ducenda est in hominum cœtu, exigitur ut non solum simus discipuli Christi coram Deo, sed etiam ut cognoscamur ab hominibus, q̃ simus discipuli Christi, quò & ipsi aut excitentur ad agnoscẽdum & glorificandũ Christum, aut confirmẽtur in fide Christi. In quo ergo cognoscimur discipuli Christi? Quod est signũ, quæ est nota, qua reliqui homines sciant, nos Christum uerũ seruatorem agnoscere. Hîc nobis uerba ipsa Christi consideranda sunt. In hoc, inquit, cognoscent omnes, q̃ discipuli mei sitis. In quo? Obserua q̃ non dicat: In edendis miraculis. Magnum quidem & illustre donum Dei est, diuersis linguis loqui, dæmonia eiicere, claudos sanare, & mortuos excitare: & testatur aliâs Christus hęc signa secutura eos, qui in ipsum credunt: sed & hi, qui non sunt uerè pij, possunt aliquoties diuina uirtute miracula edere, de quibus apud Matth. cap. 7. dicitur: Multi dicent mihi in illo die: Domine, Dñe, nonne per nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuũ dæmonia eiecimus, & per nomen tuũ multas uirtutes præstitimus? Ac tùm confitebor illis: Non noui uos. Discedite à me, qui operamini iniquitatem. Accedit huc, q̃ Christus contulit quidẽ donum edendorũ miraculorum in Apostolos, & in alios quosdam ministros Euãgelij, ut miraculis, tanq̃ cœlestibus testimonijs ueritas Euangelij illustraretur & cõfirmaretur, hoc autẽ donum non necessariò sequitur fidem in quouis priuato: & potest esse uir pijssimus ac maximæ in Christum fidei, etiamsi nullum tale miraculum edat, qualia Prophetæ & Apostoli ediderunt, quemadmodũ etiam scriptura testatur Ioãnem Baptistam, quo nõ fuit maior inter homines, nullum edidisse miraculum. Quare Christus nõ dicit, discipulos suos cognoscẽdos in edendis miraculis, ideoq; monet, hoc nõ esse agẽdum Christiano, ut excitet mortuos, ac sentiat, se nõ posse Christianum esse, nisi talia miracula edat. Deinde non dicit Christus: Cognoscẽt uos esse meos discipulos in hoc, q̃ sitis alijs hominibus ditiores, doctiores, potẽtiores, & honoratiores. Non nego, quin & hæc sint dona Dei, & quibus hæc diuina clementia contigerunt, hi debent ijsdem piè, cum gratiarum actione & obedientia uti, sed nõ sunt certè notæ Christianismi, nec existimãdum est, te non posse Christianũ esse, nisi fueris aut diues, aut potens, aut honoratus. Quare non est in hoc studium incũbendum, ut reliquos diuitijs & potentia antecellas. Præterea, Christus non dicit: In hoc cognoscent uos esse meos discipulos, si uescamini uel piscibus, uel carnibus, in feria sexta, aut si utamini uel longa, uel breui, uel nigra, uel alba ueste. Neq; enim cibus, neq; uestis cõmendat nos Deo.

Nota discipulorũ Christi.

Mar. ultimo.

Deo. Quid ergo dicit? Et quid illud est, quo discipulus Christi cognosci tur? In hoc, inquit, cognoscent omnes, q̄ discipuli mei sitis, si caritatem habueritis inter uos mutuam. Charitate dicit cognosci discipulos Christi. Ac fieri quidē potest, q̄ etiam inter impios reperiatur magna charitas. Paulus ait: Pro bono fortasis aliquis etiā mori sustinet. Et tradunt Gentium historiae de Damone & Pythia, q̄ tanto amore & benevolētię constantia sese mutuo complexi sint, ut cū Dionysius tyrannus alterum extremo supplicio affecturus esset, alter sese uadem tyrāno pro eo dederit, donec domū profectus res suas ordinaret. Sed uicissim & hic maluit ad periculū redire, q̄ amici officium deserere. Hoc est insigne exemplū amicitiae, attamen non est in impijs Ethnicis nota pietatis in Deum. Habet quidem hęc impiorū amicitia sua prēmia coram hoībus, sed quia est sine cognitione Christi, impij homines nō fiunt propter eam Dño Deo nostro accepti. Fieri aūt non potest, ut uera pietas in Deum, & uera cognitio Christi, nō afferat secum mutuā inter pios caritatem & amicitiam. Quare, cum possit aliqua esse hoīm charitas sine fide in Christum, fides autem in Christum nunquam possit esse sine charitate, rectè dicitur, discipulos Christi in hoc cognosci, si mutuā inter se caritatem habuerint: ideoq̄ hoc est prēcipuū officium Christianorum in hac terra, ut mutua dilectione sese complectantur. Nemini, inquit Paulus, quicquā debeatis, nisi ut inuicē diligatis. Et mox: Consummatio legis est dilectio. Et iterum: Sectemini dona potiora. Et adhuc excellentiorē uiam uobis ostendo. Si linguis hoīm loquar & angelorum, charitatem aūt non habeam, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Et si habeam prophetiam, & nouerim mysteria oīa, omnemq̄ sciētiam, et si habeam omnem fidem, adeo ut mōtes locō dimoueam, caritatem aūt non habeam, nihil sum. Hìc ergo propone mihi nunc duos homines, alterū tam illustri dono fidei prēditum, ut possit uerbo suo montes in mare proijcere, & mortuos excitare, sed interim esse contēptorem & osorem proximi, & si affectus fuerit iniuria, irreconciliabilem: alterum autē nullo prorsus dono edēdorum miraculorū ornatum, sed plenum pietate, charitate, mansuetudine, & facile reconciliabilem, etiamsi insigni contumelia affectus fuerit. Vter horum, quæso te, maior est & illustrior coram Dño Deo nostro? Vter horū Deo acceptior est? Vter etiam maiora edit coram Deo miracula? Certè is, qui etsi non excitauit mortuos, tamen complectitur pia caritate proximos. Ille enim alter audiet, quod ante dictum est: Nunquā noui te. Discedite à me, qui operamini iniquitatem: hic uero audiet unà cum omnibus pijs: Venite benedicti patris mei, possidete regnum paratū uobis ab exordio mundi. Christus em̄ mutuam caritatem tanta seueritate exigit, ut malit officiū oblationis, quàm amicitiae prętermitti. Si obtuleris, inquit, munus tuū ad aram, & illic recordatus fueris, q̄ frater tuus habeat aliquid aduersum te, relinque hìc munus tuū coram altari, & abi prius reconcilieris fratri tuo, & tùm ueniens offer munus tuū. Quare hoc sit maximum oīm studium, ut postq̄ cognouerimus Iesum Christum uerum seruatorem nostrum per fidem, nō inuideamus, non odio prosequamur, non laceremus nos mutuo, non rixemur, non affici

Damonis & Pythiæ amicitia.

Rom. 13.
1. Corint. 13.

amus uel iniuria uel contumelia proximos, non fraudemus eos in negotijs, ſed benefaciamus & benefaciamus eis, ut manifeſtam demus ſignificationem, nos eſſe ueros ac ſynceros diſcipulos Chriſti. Quod cùm ita ſe habeat, perſequamur nunc ea, quæ de Petro ſequuntur: Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò uadis? Dixerat enim Chriſtus antea, Filioli adhuc pauliſper uobiſcum ſum. Quæretis me, & ſicut dixi Iudæis, quò ego uado, uos non poteſtis uenire. Hæc uerba excepit Petrus, & interrogat Ieſum, quò uadat. Reſpondit ei Ieſus. Quò ego uado, non potes me nunc ſequi. Sequeris autem poſtea. Hęc intelligenda ſunt de morte, qua Chriſtus abiturus erat ex hoc mũdo. Interim autem ſignificat Chriſtus, Petrum nunc non moriturum cum ipſo, ſed multis poſt annis. Dicit ei Petrus, Domine, quare non poſſum te ſequi nunc? Animam meam pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaueris. Habes hîc tres, Chriſtum, Petrum, Gallum, qui & tria dicendi argumenta nobis exhibent. Dicamus autem primùm de Chriſto. In hoc magnum uides miraculum, quod non ſolum prouidet Petrum negaturum ipſum, ſed etiam indicat tempus & numerum abnegationis. Hoc non minus eſt miraculum, quàm quòd Chriſtus aliâs ſanauit claudos, & excitauit mortuos. Quare Petrus poſtea conuerſus, & ex hoc atq; alijs miraculis de Chriſto in fide ſua confirmatus, tanta conſtantia confeſſus eſt Chriſtum, ut maluerit & ipſe crucifigi, quàm Chriſtum iterum abnegare. Eſt & hoc admirandum, quòd cum Chriſtus cognoſcat Petrum tam turpiter ipſum negaturum, nõ tamen abijciat eum à ſe, nec expellat, ſed potius oret pro ipſo. Ego pro te, inquit, oraui, ne deficiat fides tua. Hoc exemplo admonemur ut non augeamus importunitate & duritia miſerias miſerorum, ſed ut curam ſalutis eorum ſuſcipiamus: Si occupatus fuerit homo, inquit Paulus, in aliquo delicto, uos qui ſpirituales eſtis, inſtaurate huiuſmodi ſpiritu manſuetudinis, conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris. Inuicem alij aliorum onera portate, & ſic complete legem Chriſti. Mirari & hoc quiſpiam poſſet, quòd cùm Chriſtus uideat futurum, ut Petrus fœdiſsimè corruat, non conſeruauerit ipſum pro maieſtate ſua, erectũ, & cauerit, ne deſignaret tam horrendum crimen abnegationis: ſed conſiderandum nobis eſt, quod Chriſtus uenerit in hanc horam, ut obediret diuinæ uoluntati, & ſuſciperet peccata noſtra expianda doloribus tam animi, quàm corporis. Spiritus ſanctus autem ſignificauit iam olim per Prophetam Zachariam, quòd Chriſto ferenda eſſet defectio præcipuorum ſuorũ amicorum: Percutiam (inquit) paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Quare, cũ hæc ſit magna pars paſsionis Chriſti, & Chriſtus uenerit in hanc horam, ut iuxta diuinam uoluntatem expiaret paſſione ſua peccata noſtra, maluit abnegationem Petri ob ediẽter ferre (etſi nihil moleſtius potuit ei accidere) quàm officium redimendi humani humani generis prętermittere. Sed dicamus etiam de Petro. Animam inquit, pro te ponam. Quid? Petrus paulò poſt defecit à CHRISTO. Ergóne mentitur nunc contra animam ſuam, & aliud corde celat, aliud ore loquitur? Nihil certè minus. Quod uerbis dicit, hoc etiam ſerio in

Chriſtus indicat Petro tẽpus & numerum abnegationis.

Petri zelus & peccatũ.

animo ſuo cogitat,ac poſtea , cùm irruit gladio in armatam cohortem, præſtare uidetur.Sed alia ſunt,quæ peccat.Habet quidē zelum Dei,ſed non ſecundum ſcientiam . Zelus Dei eſt, quod cogitat ſe uitam potius amiſſurum , quàm Chriſtum deſerturum.Hic eſt zelus , quē omnes pī habere debent. Sed Petrus in hoc peccat, Primùm , q̄ putat Chriſtum corporalibus uiribus defendendum , & ſibi externa arma pro Chriſto ſuſcipienda eſſe . Deinde , q̄ de ſuis uiribus ita confidit , ut ſe ueracem, Chriſtum aūt mendacem iudicet. Hæc nō eſt uera ſcientia,non eſt uera cognitio Chriſti.Quare in Petro zelus quidē Dei eſt,non autem ſecundum ſcientiam.Quid ergo fuiſſet Petro faciendum,cùm audīt, Quò ego uado,non potes me nunc ſequi? Et, Non canet gallus, donec ter me negabis ? Hic debuiſſet Petrus ceſsiſſe ſententiæ Chriſti,& ſuam imbecillitatem agnouiſſe , atq̄ Chriſto ad genua procidiſſe , ac rogaſſe eum, ut clementer ipſum cōſeruet,ne tam fœdum facinus deſignet. Fruamur igitur nos aliena inſania , & diſcamus latentem noſtram impietatem ex uerbo Dei agnoſcere,& diuinum auxilium petere. Nam ſacra ſcriptura arguit nos omnes impietatis & peccati: Omnis,inquit,homo mendax. Et, Non eſt qui faciat bonum,non eſt uſq̄ ad unum.Hoc iudicium ſpiritus ſancti agnoſcendum eſt humiliter.Etſi enim non ſentimus in præſentia natiuam noſtram impietatem,tamen ea latet in carne &ſanguine, & coram Deo ſemper manifeſta eſt . Quare cedendum eſt diuino iudicio,non ut faciamus,ſed ut agnoſcamus impietatem,& ut agnita impietate,inuocemus clementiam Domini Dei noſtri per Ieſum Chriſtum filium eius,quò cōdonetur nobis propter ipſum impietas , & reputemur coram Deo iuſti. Poſtremo audiamus & Gallum . Nam Gallorum genus diuinitûs creatum eſt , ut ſint nocturni uigiles , ut uenientem diem cantu ſuo nuncient,& ut homines ad opera excitent. Hic eſt mundanus & ciuilis eorum uſus. Sed hoc loco,& poſtea in abnegatione Petri tradi tur etiam ſpiritualis eor uſus . Cantus enim Galli admonet Petrum de hoc uerbo Chriſti : Non canet gallus donec ter me negaueris , reuocat eum ad agnitionem ſuæ defectionis , excitat ipſum ad ſuſcipiendum opus pœnitentię,& nunciat ac oſtendit ei lucē diei,in Ieſu Chriſto.Quare utamur gallicinio , non tantum ad ciuilia opera , ſed multò magis ad ſpiritualia,ut galli ſint noſtri nocturni concionatores, quibus admoneamur huius noctis,in qua Chriſtus captus eſt,& Petrus Chriſtum abnegauit,& excitemur ad cognoſcendam tam noſtrā imbecillitatem,quàm diuinam miſericordiam in Ieſu Chriſto oſtenſam,ut inuocemus Deum Patrem , quò conſeruet nos perpetua ſalute in omnibus periculis, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum , qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, AMEN.

Gallicinij uſus ſpiritualis.

CAPVT XIIII.

HOMILIA XXIII.

CVM magna extent merita Ioannis Euangeliſtæ in Eccleſiam Dei, hoc præcipuum eſt, quòd conciones Domini noſtri Ieſu Chriſti diligentiſsimè omnium ſcripſerit. Inter has autem conciones, etſi iſtæ duæ, quæ in his decimoquarto, decimoquinto, & decimo ſexto capitibus ſequuntur, poſtremæ fuerunt earum, quas Chriſtus in his terris, in mortali ſua carne, coram diſcipulis ſuis habuit, tamẽ his meritò primas concedere, & eas inter præcipua noſtra κειμήλια conſeruare debemus. Chriſtus enim habuit has conciones, cum iam capiendus & ad crucem rapiendus eſſet, ac uoluit his ultimam ſuam uolũtatem ſignificare: Non eſt autem ignotũ, quàm ſacroſancta & inuiolata habeatur hominis ultima uoluntas, & quanta cura conſeruari ſoleant poſtrema eius amici uerba, qui ita à nobis diſcedit, tanquàm nunq̃ rediturus. Prẽterea hæ conciones Chriſti cõtinent res maximas. Conſolantur uniuerſam Eccleſiam in omnibus aduerſis, ſiue corporalibus ſiue ſpiritualibus. Docent ueram fidem de Dño Deo noſtro, uidelicet, de Patre, filio & ſpiritu ſancto. Docent uerum uſum paſsionis & reſurrectionis Chriſti filij Dei, adeóque continent ſummam totius Chriſtianæ doctrinæ. Quare ſi nobis ſalus noſtra curę eſt, debemus has cõciones attentiſsimo animo excipere. Sumemus aũt in manus priorem concionem, quam Chriſtus habuit cum adhuc Hieroſolymis in cœnaculo eſſet, in qua conſolat diſcipulos ſuos, imo uniuerſam Eccleſiam ſuam, ut in aduerſis nõ deſpondeant animũ, & exponit eis, quæ contingant per ipſum beneficia his, qui uera ipſum fide amplectuntur. Et ait diſcipulis ſuis: Non turbetur cor ueſtrum. Credite in Deum & in me credite. Hæc eſt conſolationis propoſitio. Nam cum Chriſtus non eſſet amplius uiſibili ſpecie & externo contubernio cum diſcipulis ac Eccleſia ſua in terris coruerſaturus, dubium non erat, quin magnis periculis tam corporalibus, quàm ſpiritualibus obijcerentur. Hactenus defendit eos Chriſtus, ut nihil incommodi propter ipſum paterentur, Non eſurierunt, non capti, non in carcerem coniecti, non in exilium eiecti fuerunt. Non poſſunt, inquit, filij ſponſi lugere, quamdiu cum ipſis ſponſus eſt. Et: Quando miſi uos ſine ſaculo & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt, Nihil. Ac rurſus: Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos nomine tuo. Quos dediſti mihi, ego cuſtodiui, & nemo ex ijs perijt, niſi filius perditionis. Nunc autem, poſtq̃ Chriſtus profecturus erat per mortem in gloriam Patris ſui, & relicturus poſt ſe Apoſtolos & Eccleſiã in his terris, futurum erat, ut omnia calamitatum genera in ipſos inciderent. Neceſſe enim habent propter Chriſtum perſecutionem pati. Exuuntur omnibus facultatibus, eijciũtur in exilium, ac occiduntur quoq̃. Quod ſi hæc non accidant propter Chriſtum, neceſſe tamen habent cõmunes

Concionum Chriſti poſtremarum cõmendatio.

munes humani generis ærumnas ferre, uidelicet paupertatis, ægritudinis, iniuriæ, contumeliæ, ac tandem etiam mortis. Hæc sunt aduersa corporalia. Quid autem dicam de spiritualibus? Satan enim grassatur maximè oim in pios obiectu magnitudinis peccati, horrore mortis, ac metu inferni, & perpetuæ damnationis. In his aduersis relicturus erat Christus Ecclesiam suã post se in terra: quibus quid potest dici grauius, aut molestius? Quare Christus suscipit officium consolationis, ut declaret se in hoc uenisse, quò consoletur afflictos. Ac uide mihi rem admirabilem. In propinquo erat, ut Christus caperetur & crucifigeretur. Itaq; uidebatur ipse indigere consolatione. Sed ecce, multò magis de Ecclesiæ, quàm de sua ipsius cruce sollicitus est, ac in hoc prę cipuè studiũ incumbit, ut omnem dolorem & luctum Ecclesiæ suæ abstergat. Dicit enim in Esaia: Spiritus Domini super me, eo quòd unxerit me, ad Euangelisandum pauperibus misit me, ut mederer contritis corde, & prędicarem captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Ac mox: Vt consolarer omnes lugentes, ut efficiam, quò lugentibus in Zion detur decor pro cinere, & oleum gaudij pro luctu. Etsi enim Christus etiam aliquoties terret discipulos suos, tamen in eo terrore meditatur consolationem & gaudium. Cùm igitur hoc sit prę cipuum officium Christi, ut consoletur Ecclesiam suam, procedit nunc in medium discipulorum suorum, & ait: Non turbetur cor uestrum, sed credite in Deum Patrem meum, & in me filiũ eius. Impendent in uos magna pericula, & multa aduersa, tam corporalia, quàm spiritualia, ideoq; turbabitur animus uester, & existimabitis uos perituros, sed bono animo sitis: Collocate omnem uestram fiduciam in Deo, & in me filio eius. Hoc si feceritis nihil uobis incommodi accidet, sed seruabimini in omnibus aduersis. Hæc uerba, quamuis pauca admodum, satis essent ad excitandam in nobis animi fortitudinẽ & constantiam, si cogitaremus, quis esset, qui ea loqueretur. Loquitur em̃ ea, nõ uanus quilpiam homo, sed Christus filius Dei, natura eiusdem cum Deo Patre suo maiestatis: Et est ueritas ipsa. Quare proponit discipulis suis hanc consolationem, non honoris, ut dici solet, sed ueritatis gratia. Solenne enim est inter homines, ut nonnunquam alter alterum honoris & ciuilitatis gratia consoletur, etiamsi uideat de uita aut salute eius actum esse. Longè alia ratio est consolationis Christi. Non aliud loquitur, aliud sentit, sed quæ loquitur, sunt certissima uoluntatis eius significatio. Et cohortatio eius obtinet uicem præcepti, imo etiam uicem promissionis. Cùm enim Christus uocat nos aliquò cohortatione sua, promittit nobis eo ipso suum auxilium, & pollicetur certissimam salutem. Quare etiamsi nihil aliud adderetur, tamen hæc pauca uerba Christi satis solatij afferrent pio animo. Sed Christus tantę est benignitatis, ut addat etiam huius cohortationis rationes, & refutet contrarias afflicti animi cogitationes. Cùm enim Christus dicit: Non turbetur cor uestrum, sed credite in Deum & in me, & bene erit uobis, non dubiũ est, quin afflictis animis statim in mentẽ ueniant aliæ cogitationes: Quid? Admones nos ne turbemur, Quomodo autem fieri potest, ut tot undiq; malis impendentibus nõ turbemur? Eijcimur è domibus nostris, exuemur om-

Aduersa piorum corporalia & spiritualia.

Consolari Ecclesiam officium Christi præcipuum.

Christus auxilium pollicetur suum.

nibus facultatibus noſtris, pellemur in exiliũ, obijciemur morti. Atq; hæc quidem in hac terra nobis contingent. Quid aũt poſt mortem? Hic incertiores ſumus, quid de nobis futurum ſit, cũ in terra. Quæ enim domus, quæ manſio, quod hoſpitium nobis in altero ſeculo paratum eſt? Quò diuertemus? Num in cœlũ, an ad infernum? Itaq; ſiue reſpiciamus in hoc externũ ſeculum, ſiue in futurum, nihil certi nobis reliquum eſt, prꝫter exilium, paupertatem, mortẽ, & interitum. Quis igitur ꝓpter tan
„ tas ærumnas nõ turbaretur animo ſuo? Adhæc reſpondet Chriſtus, &
„ refutat ea dicens: In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Quod ſi ſecus eſſet, dixiſſem uobis. Non ſimpliciter dicit: In domo patris mei mãſiones multę ſunt, ſed confirmat illud aſſeueratione: Si ſecus eſſet, inquiens, dixiſſem uobis. hoc eſt, Profectò res ita ſe habet, quemadmodum dixi. Nam ſi ſecus eſſet, tanto amore uos complector, ut nequaq; uos id celaſſem. Nunc autẽ ſcio nihil certius eſſe, quàm ꝙ in domo patris mei multę ſint manſiones. Obſeruabile dictũ, quod ut rectè intelligamus, uidebimus initio, quæ & quanta ſit domus Dei patris, ut etiam cognoſcamus, quid per mãſiones intelligendũ ſit. Nam domus Dei patris in hoc loco, nõ eſt uel templum Hieroſolymitanũ, uel alia domus lapidea, aut lignea, ſed eſt cœlum & terra, imo quicquid eſt etiam ultra cœlũ & terrã. Salomon ait: Si cœlum & cœli cœlorꝝ te capere non poſſunt, quanto minus capiet te domus hæc, quã ædificaui? Et in Ieremia: Nunquid nõ cœlum & terram ego impleo dicit Dñs? Et in Eſaia: Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedũ meorum. Si cœlum, tanta uidelicet moles, eſt ſedes Dei, & terra ſcabellum eius, quanta, obſecro, eſt tota domus illa, in qua hæc ſedes & ſcabellum poſita ſunt? Nec habet amplam quidem domum, uacuam autem, ſed habet domũ omni genere bonorum refertiſſimam. In terra habet omnia regna, omnes urbes & ciuitates, omnes theſauros diuitiarum, & quicquid eſt terrenorũ bonorum: DOMINI, inquit, eſt terra & plenitudo eius, orbis terrarũ & uniuerſi qui habitant in eo. Et iterum: Meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus & boues. Cognoui omnia uolatilia cœli, & pulchritudo agri mecũ eſt. In cœlo aũt habet omnem uitam, iuſticiã, fœlicitatem, adeoq; quicquid eſt cœleſtium & æternorꝝ bonorum. En hæc eſt domus Dei, & hæ ſunt mãſiones ſeu hoſpitia in hac domo, uidelicet, omnia bonorum genera. Quare quod Chriſtus dicit: In domo patris mei multæ ſunt mãſiones, hanc habet ſententiam: Metuitis quidem, ne ſi diuellar à uobis per mortem, & uos cõfiteamini nomen meũ, expellant uos homines è domibus ueſtris, & eijciant uos in exilium. Itaq; dubitatis, quò uobis ſit diuertendum. Adhæc metuitis, ne nõ ſolùm eijciamini in exilium, uerũetiam ex iſta corporali uita. Itaq; dubitatis, quis locus, quę manſio uos maneat in futuro ſeculo. Sed confidite, bono animo ſitis, In domo patris mei multæ ſunt mãſiones. Ego habeo Patrem ualde diuitem, & locupletem, qui habet ſatis amplam domum, & multa hoſpitia in ea. Si in his terris eijciamini ex una domo, pater meus habet adhuc multas domos, quibus cõpenſabit uobis unã illam domum. Nam pro una domo dabit uobis centum. Omnis, (inquit aliâs) qui reliquerit domos aut fratres, aut ſoro-

Domus Dei Patris quæ ſit.

Manſiones in domo Patris.

res,

res,aut patrem,aut matrem,aut uxorem,aut filios,aut agros propter nomen meũ,centuplum accipiet,& uitæ æternæ ſortietur hæreditatem. Si aũt homines eĳciant uos etiam ex hac corporali uita,ut neceſſe habeatis in aliud ſeculum migrare,ne hîc quidem habetis quod uos turbet. In domo em̃ patris mei,in cœleſti regno, multa ſunt hoſpitia, in quæ obuĳs, quod aiunt,ulnis,excipiemini. Non eſt uobis metuendũ,ne Patriarchæ & Prophetæ,qui fuerũt ante uos,ſedes regni cœleſtis ita occupauerint, ut nulla uobis relicta ſit. Meus Pater nõ eſt tam pauper paterfamiliâs,ut in domo cœleſtis regni ſui, unam tantũ & alteram habeat ſedem aut mã ſiunculam,ſed habet innumeras quibus uos excipere poſsit. Quare, cũ tam diuitem habeam Patrem,qui omnia, quæ uobis propter meum nomen auferuntur,liberaliſsimè compenſare queat,bene uobis,quicquid acciderit,confidendum erit. Sed hîc iterum obĳciet quiſpiam: Quid iuuat nos,quòd tu habeas diuitem patrem,& quòd multæ ſint manſiones in domo eius,cùm neſciamus, num Deus Pater uelit diuitias ſuas nobiſcum cõmunicare,& nos ad has manſiones recipere? Deus diues eſt,ſed non dat nobis ſuas diuitias. Et habet multa hoſpitia in domo ſua, ſed quid ſi alĳs potius,quàm nobis parata eſſent? Nos enim ſumus peccatores,& indigni,quos Deus bonis ſuis ditet,ac in tabernacula ſua recipiat. Chriſtus autem refutat confeſtim & hanc obiectionem. Sequitur enim: Vado paraturus uobis locum. Agnoſco confeſsionem ueſtram. Si em̃ Deus obſeruauerit peccata,quis ſuſtinebit? Quare rectè facitis,cp agnoſcatis uos ,ppter peccata indignos beneficĳs Dei, & cœleſti habitaculo. Sed ego propter hanc cauſam uado nunc,paraturus uobis locum. Suſcipio paſsionẽ & mortem, ut uos dignos reddam, & recõciliem uos cum Deo patre meo. Mors enim mea eſt peccatorũ expiatio, quæ parat uobis locum,hoc eſt, firmam & certam reddit ſalutẽ ueſtram ac efficit uos dignos diuinis beneficĳs, tàm in hoc quàm in futuro ſeculo. Habes hîc uerum uſum paſsionis & mortis Chriſti. Paſſus enim eſt Chriſtus, & mortuus, ut pararet locum apud Deum Patrem credentibus in ipſum, ut reconciliaret eos cum Deo,& efficeret quò adoptarẽtur in filios Dei, & hæredes omnium cœleſtium bonorum, adeocp ut redderet ipſos de uera ac perpetua ſua ſalute certiſsimos. Quid ergo nunc metuis? Cur adhuc dubitas,& dicis: Neſcio quid mihi in altero ſeculo paratum ſit? An non habes hîc firmiſsimam certitudinem? CHRISTVS non ſolũ dicit,Deum Patrem ſuum habere multas diuitias,& multas manſiones, ſed etiam addit,ſe impetrare obedientia ſua,ut Deus uelit nobiſcũ,ſi crediderimus in Chriſtum,has diuitias liberaliter communicare,& nos in ſuas manſiones beneuolentiſsimè recipere. Quare nullo modo cõmittendum eſt, ut de ſalutis noſtræ certitudine dubitemus, ſed in hanc curam incumbendũ eſt,ut leſum CHRISTVM cognoſcamus,& ipſum uera fide cõplectamur. Fieri.n. non poteſt, ut qui Chriſtum habet, nõ habeat etiã certiſsimã ſalutem. Sed eſt adhuc,inquies,quod perſtringat oculos meos: Deus diues eſt,& locus certò paratus eſt,ſed uia longior & tenebricoſior eſt, cp ut queam in ea ambulare,& ad præſtitutũ terminũ pertingere. Eundum em̃ mihi eſt per mortem. Mors aũt tritiſsi-

Locus manſionis per quẽ nobis paretur.

Via ad domũ patris mors.

ma quidem uia est, sed ita dura, & aspera, ut nemo possit in ea incedere, quin offendatur: & ita deuia, & insuper tenebris obscurata, ut nisi quis quasi manu ducatur, ad infernũ magis quàm ad cœlum perueniat. Quò igitur me uertam? Respondet etiam ad hanc seu dubitationem seu obiectionem Christus. Et ait: Si abiero ad parandum uobis locum, iterum ueniã & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Hæc est obseruabilis promissio. Primum enim Christus promittit his uerbis se resurrecturum à morte & rediturum ad discipulos. Iterum, inquit, ueniam ad uos. Manifestum autẽ est, quòd Christus post resurrectionem suam exhibuerit sese discipulis uiuentem, ac præbuerit se ipsis non solum uidendum, sed etiam contrectandum. Deinde promittit se semper Ecclesiæ suæ in omnibus periculis affuturum, & conseruaturum eam. Assumam, inquit, uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et aliàs: Ecce ego uobiscum sum, omnibus diebus, usq; ad consummationem seculi. Et iterum: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecum. Quæramus igitur ubi sit Christus. Ac inuenimus quidẽ ipsum in cruce, & morte, sed crucis, & mortis uictorem. Resurrexit enim, superatis omnibus doloribus mortis, tertia die, & consedit ad dextram Dei, quæ dextera est summa Dei maiestas, omnipotentia, perpetua uita & fœlicitas. Quare cum Christus sit ad dextram Dei, manifestum est, q; sit in cœlesti maiestate, & in perpetua uita atq; fœlicitate. Et cùm palam affirmet de Ecclesia sua, quòd sit ubi ipse est, quid reliquum dicemus, nisi q; etiam Ecclesia sit cum Christo Domino suo in cœlesti maiestate? Benedictus (inquit Paulus) Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus, per Christum. Et iterum: Conuiuificauit nos unà cum Christo, simulq; cùm eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Quid ergo nunc de tua salute dubitas? Crede in Christum, & Christus tecum erit, & tu cum Christo. Si obruit te paupertas, Christus tecũ est, quia dixit: Ego uobiscum sum, oĩbus diebus seculi. Et tu cum Christo es, quia dixit: Vbi ego sum, illic & uos eritis. Christus autem est in cœlestibus diuitijs. Quare habes & tu in Christo cœlestes diuitias. Si peccati iudicium te affligit, Christus tecum est, & tu cum Christo. Christus autem est in summa & perfecta iustitia. Quare habes & tu in Christo summam & perfectam iustitiam. Si te conturbant terrores mortis & inferni, Christus tecum est, & tu cum Christo. Christus autem est in uita & in cœlo. Necessarium igitur est, quòd & tu sis in uita & in cœlo. Caro longè quidem diuersa sentit, sed maior fides adhibenda est uerbo DOMINI, & ueritati Christi, quàm sensui carnis. In die Paraseues magnæ non uidebas in Christo nisi crucem & mortem, sed in die Paschæ non uides in eo nisi uitam & gloriam. Quod in capite gestum est, hoc idem implebitur in membris. Si credimus quod Christus mortuus est, & resurrexit, sic & DEVS eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Quare non sunt metuendæ tenebræ mortis, sed quia mansiones certò paratæ sunt, confidendum est, quòd habeamus in morte non ductorem tantùm, sed etiam conseruatorem filium Dei, Dominum nostrum

Christum in periculis omnibus adesse Ecclesiæ suæ.

Iesum

Iesum Christum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXIIII.

CVM Iesus Christus ex hoc mundo, passione & morte sua discessurus esset, suscepit concionẽ habendam, qua non solum Apostolos, qui præsentes erant, uerumetiam uniuersam Ecclesiam, quæ in ipsum prædicatione Apostolorum creditura erat, consolaretur. Non enim ignorabat euẽturas esse pijs maximas quasq; afflictiones in hoc mũdo, & ut ipse postea dicit, futurum, ut quemadmodum impij eum persecuti sunt, ita & eos, qui in ipsum credunt, persequantur. Quare munit eos concione sua aduersus impendentia mala, & initio consolatur eos certitudine salutis. Mansiones, inquit, multæ sunt in domo Patris mei, quas abeo ita paraturus, ut ijs nihil sit firmius, nihil certius. Deinde consolatur eos promissione reditus sui, & conseruationis eorum. Iterum (inquit) ueniam, & assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Quæ cùm antea satis à nobis exposita uidentur, progrediemur nunc ad perstringenda ea quæ sequuntur. Postquam enim Christus promisit se rediturum, confert se ad explicandam suam maiestatem, ut Ecclesia rectè ipsum cognoscat, & accipiat ex hac cogitatione uerã ac firmam in omnibus aduersis consolationem. Dicit enim: Quò ego uado, scitis, & uiam scitis. Etsi hæc uerba possunt de passione & morte Christi intelligi, (Dicitur enim & mors uia, qua Christus profectus est in gloriam patris sui) tamen quia Christus ipse mox interpretatur uiam de seipso: Ego sum, inquiens, uia, sciamus hanc esse sententiam: Quò ego uado, scitis, hoc est, Patrem scitis, Ad Patrem enim uado. Et uiam scitis, hoc est, meipsum scitis, quia ego sum uia. Visum autem est ipsi paulò obscurius loqui, ut excitet discipulos ad interrogandum de sententia huius dicti, & habeat maiorem occasionem dicendi de sua maiestate. Nihil enim nobis magis necessarium est, quàm ut maiestatem Christi bene cognitam, perspectamq; habeamus. Dicit ergo ei Thomas. Domine nescimus quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? Ex hac interrogatione habet Christus quod uoluit, ideoq; respondet Thomæ. Et dicit ei: Ego sum VIA, ueritas & uita. Nemo uenit ad Patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meum utique cognouissetis. Hoc dictum non est postremum inter præcipuas γνωμας totius sacræ scripturæ, ac dignissimum, cui dedicemus proprium diem & concionem. Tribuuntur autem hîc Christo tria epitheta, quæ sunt alta mente reponenda. Vnũ est VIA. Alterum, VERITAS. Tertium, VITA. De his non est oscitanter cogitandum. Ac initio Christus uocatur VIA. Et qualis est uia? Num corporalis seu mundana, qua itur uel ad Romam, uel ad Babyloniam? Nihil minus, sed est uia spiritualis, ea uidelicet, qua itur ad Deum Patrem. Sic enim statim ipse interpretatur: Nemo, inquiens, uenit ad Patrem nisi per me. Si cognouissetis me, etiam Patrem meum cognouissetis. Sed quid sibi hæc uerba

Christus uia, ueritas & uita.

uelint, paulò post CHRISTVS ipse clarè exponet. Nos igitur nũc in his epithetis considerandis aliquandiu hærebimus. Ego sum (inquit) uia. Ad quem hominem, uel in quã urbem, aut regionem? Non quærimus nunc, qua uia in terra sit ambulandũ, sed quâ sit in cœlũ, ad Deum Patrem eundum. Porro ad Deum Patrem ire, est Deum uerè cognoscere, coram Deo iusticiam cõsequi, Deum uerè inuocare, in mandatis seu uocatione Dei ambulare, mortem uincere, & perpetuam in Deo uitam ac fœlicitatem percipere. Quid enim Deus aliud est, quàm omne cœleste bonum, omnis iusticia, uita & fœlicitas? Quare ad Deum ire, est ad omne cœleste bonum, & ad omnẽ fœlicitatem ire. Quæ igitur est uia ad hunc finem perueniendi, & tanta bona consequẽdi? Nulla certè alia est, præter eum, qui hoc loco dicit: Ego sum VIA. Vno hoc nomine deuastantur omnes aliæ uiæ, quas homines ad Deum, ad iusticiam coram Deo, & ad regnum cœlorum excogitarunt. Cùm Israelitæ egrederentur ex Aegypto ad terram Canaan, existimarunt imperiti hypocritæ, eam esse ueram uiam ad Deum, & ad ingrediendum in regnum cœleste, præsertim cùm in eo itinere lex de cœlo promulgaretur. Hæc uia non fuit quidem inutilis, non autẽ duxit per se Israelitas ad Deum in cœlum, sed tantũ in terram Chanaan. Deinde postquã templum ædificatum esset in Hierusalem, putauerunt superstitiosi uiam ad templum, esse uerã uiam ad Deum, ad iusticiam, & regnum cœlorum. Fuit quidem & suus huius uiæ usus, non autem fuit ea uia, qua peregrinatores ad templum, consecuti sunt per se iusticiã, & fœlicitatem. In Deuteronomio capite quinto dicitur: Non declinabitis, neq; ad dexteram, neq; ad siniſtram, sed per VIAM quam præcepit uobis Dominus Deus uester ambulabitis, ut uiuatis, & bene sit uobis. Hîc per nomen VIAE intelligunt legem Mosi. Quare Iudæi existimauerunt, opera legis esse uiam, in qua qui ambulauerint iustificentur coram Deo & mereantur æternam uitam. Etsi autẽ magnus & necessarius est usus diuinæ legis, tamen opera eius, prout ab hominibus fiunt, non sunt perfecta iusticia coram Deo. Et lex ipsa si non aliud accesserit, ducit hominẽ potius ad iniusticiam & ad infernũ, quàm ad iusticiam & in cœlum. Ostendit enim peccatum, & facit peccatum maiorem in modum peccans, ideoq; damnat & occidit homines. Quid Ethnici? Hi tot uias in cœlum excogitarunt, quot deos & sacra commenti sunt. Quid hypocritæ in Christianismo? His uiæ sunt in cœlum, non solum ea opera, quæ secũdum legem Dei facienda suscipiunt, uerumetiam quæ ipsi finxerunt, & instituerunt, Missæ, murmura precum canonicarum, peregrinationes, Ordines Monastici, Rosaria, & infinita alia. Huc accedunt etiam Mahumetistæ, qui sentiunt Decreta & instituta sui Mahumetis, esse rectam & compendiariam uiam ad DEVM, in omnia cœlestia bona. Fingunt & Anabaptistæ, qui sic uocantur, hoc tempore nouam uiam in cœlum, uidelicet, si omnibus facultatibus tuis uenditis, & tecũ acceptis, proficiscaris in Morauiam. Sed hæ oẽs uiæ, quas uel Ethnici, uel hypocritæ, uel Mahumetistæ, uel Anabaptistæ excogitarunt, ducunt homines magis ad infernum, quàm in cœlum.

Ad Deũ Patrem ire.

Opiniones uariæ de uia in cœlum ad Deum.

cœlum. Sola una est uera & certa uia ad Deum Patrem, & in cœlum, Iesus Christus Dominus noster. Testatur quidem is hoc de se ipso: EGO sum, inquiens, VIA: nihil autem hoc testimonio uerius est. Primum enim Prophetæ testificantur de Messia seu Christo, quòd sit uera consequendæ salutis uia. In Esaia dicit Deus de Christo suo: Dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione uinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Et iterum: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Deinde Iesus filius Mariæ probauit cœlestibus signis, se esse uerè hunc Christum, de quo Prophetæ sunt uaticinati. Quare testimonio eius nihil est nec uerius nec certius. Sed qua, obsecro, ratione Iesus Christus est uia ad Deum, & ad regnum cœlorum? Num idcirco uia est, q̃ exposuit legem Dei & docuit nos bona opera, atq; exhibuit absolutum rectè uiuendi exemplum? Multum quidem hac in parte profuit, non autem propriè dicitur uia, quòd docuit legem, & proposuit in se exemplũ uitæ. Fuit enim lex per Mosen antea data, & per Prophetas explicata, ut non dicam, quod lex augeat peccatum & occidat. Exemplum autem eius, quantò absolutius & perfectius fuit, tantò minus possunt homines ipsum perfectè imitari. Sed idcirco uia est, quòd cùm sit unigenitus filius Dei, susceperit hominem, & omnes humanas imbecillitates, ac expiauerit passione & morte sua peccatum nostrum & reconciliauerit nos cum Deo Patre suo, ut adoptemur in filios ac hæredes Dei, & fruamur cum ipso omnibus cœlestibus bonis. Hoc nomine Iesus Christus est uia tam cognoscendi Dei, quàm accipiendæ cœlestis hæreditatis. Sed operepreciũ nunc est, ut cognoscamus, quomodo hæc uita aggrediẽda, & quomodo in ea insistendum sit. Vociferantur enim etiam hypocritæ se agnoscere solum Christum pro uia, sed non rectà aggrediuntur eam, nec uerè in ea insistunt. Non credunt Christum esse uerũ peccatorũ expiatorem, sed putant merita suorũ operum expiare peccata, Christum aũt non iudicem meritorum. Hoc non est Christum, sed sua ipsius merita habere pro uia. Nam tum demùm rectè ambulamus in hac uia, quæ est Christus, cum amplectimur Christum tali fide, q̃ ipse solus sit expiator peccatorum nostrorũ, & recõciliator noster coram Deo, ut nõ propter nostra, sed propter ipsius tantum Christi merita adoptemur in filios & hæredes Dei. Qui hac fide incedit, is rectè in Christo, uera salutis uia, ambulat. Huic, inquit Petrus, omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorũ accepturus sit per nomen eius, quisquis CREDIDERIT in eum. Sed de epitheto uitæ hæc in præsentia sufficiunt. Audiamus nunc & alterum epitheton, quod est VERITAS. Multa aũt sunt genera ueritatis. Mathematica suas habet ueritates, habent & politica, & œconomica suas ueritates. De his autem ueritatibus in præsentia nihil loquimur, sed de ea ueritate, quæ affert nobis ueram ac perpetuam salutem. Ac uidetur Christus hoc noĩe respicere per antithesin ad umbras & cærimonias legis Mosi. In hac enim lege fuerũt Circũcisio, Sabbatũ, Sacrificia Leuitica, discrimen ciborũ, & aliarũ obseruationũ, quę imperiti putauerũt esse uera sacra, quibus mererenĩ gratiã

Via uera ad Deum Christus.

Christus qua ratione sit uia.

In uia uera quomodo ambulandum.

Sacra Iudæorum non fuerunt ueritas.

Dei, & peruenirent ad Deum ac regnum cœleſte. Atq; hæc quidem ſacra ſuo tempore ſuũ habuerunt uſum. Non fuerunt aũt ipſa ueritas, ſed tantũ umbra & ſignificatio ueritatis. Deſeruiunt, inquit Apoſtolus, exemplari & umbræ cœleſtium. Et iterum: Lex nihil adduxit ad perfectionem, ſed erat introductio ad ſpem potiorem. Solus autẽ Ieſus Chriſtus eſt ueritas, quæ per ſacra illa eſt adumbrata, & qua uerè peruenimus ad gratiam Dei, & ad hæreditatem cœleſtium bonorum. Nemo eñ poteſt habere Deum uerè propicium, niſi per Chriſtum, & ꝓpter Chriſtum. Nemo poteſt miſericordiam Dei uerè cognoſcere, & ea uerè confidere, niſi per Chriſtum, & propter Chriſtum, uidelicet, ſi crediderit, quod ſolus Chriſtus ſit reconciliatio, iuſticia, & redemptio noſtra. Quare ſolus Chriſtus ueritas eſt, hoc eſt, uera illa uictima, uerũ illud ſacrificiũ, quod reconciliauit nos cum Deo, & propter quod Deus agnoſcit credẽtes in Chriſtum, filios ac hæredes ſuos. Deinde Chriſtus dicitur etiam VERITAS per antitheſin ad corporalia & terrena bona. Diuitiæ, ſanitas corporis, diuturnitas uitæ, potentia, illuſtre nomen, ſunt quidem dona Dei, quibus ex fide utẽdum eſt, non ſunt aũt uera bona, imo potius ſunt nonnũquam poſſeſſoribus ſuis exitio. Solus Chriſtus eſt ueritas, ſeu uerum bonum, quod ſi quis habet, is habet uerã & ꝑpetuam fœlicitatem. Quare nõ ſentiamus nos noſtro functos officio, ſi ſtudeamus conſequi opes aut dignitates in hoc ſeculo, ſed is demùm rectè facit ſuũ officium, qui hoc unum agit, ut Chriſtum per fidem ex Euangelio eius conſequatur. Tertium epitheton eſt VITA. Tribuitur & hoc epitheton Chriſto per antitheſin ad uitam legis. In Leuitico libro dicitur: Cuſtodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo, VIVET in eis. Et poſtq; Moſes recitaſſet populo ſuo legem, addit: Teſtes inuoco hodie cœlum & terram, q̃ propoſuerim tibi VITAM & bonum. Elige ergo VITAM, ut tu uiuas & ſemen tuum. In his locis lex dicitur VITA, ideoq; hypocritæ ſenſerunt, ſe conſequi ueram coram Deo uitam, ſi facerent opera legis. Ac negari quidẽ non poteſt, quin homo cõſequeretur ex lege uitam, ſi legem perfectè impleret. Nunc autem nullus hoim poteſt eam perfectè implere. Lex eñ, inquit Paulus, eſt ſpiritualis, ego autem carnalis, uenditus ſub peccatum. Et iterum: Affectus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum, nam legi Dei non ſubditur, ſiquidem ne poteſt quidem. Quare fieri non poteſt, ut homo ex lege aut operibus eius conſequatur uitam. Solus aũt Ieſus Chriſtus eſt VITA noſtra. Qui enim in ipſum credit, is primùm reputatur corã Deo iuſtus ꝓpter Chriſtum. Hoc demùm eſt uerè uiuere. Beati enim, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Deinde conſeruatur in morte ne pereat. Poſtremo reſuſcitatur à morte, in ꝑternam uitam. Non eſt igitur in alio quærenda uera uita, ꝓterquam in Ieſu Chriſto Dño noſtro per fidem: nec in hoc ſtudium ꝓcipuè incumbendum eſt, ut conſeruemus corporalem uitam, ſed ut conſeruemus Chriſtum, ueram & ſempiternã uitam noſtram. Quod cùm ita ſe habeat, manifeſtum nunc eſt, quid ſibi hoc uelit, quod ſequitur: Nemo uenit ad Patrẽ, niſi per me. Si cognouiſſetis me, & Patrem meũ utiq; cognouiſſetis. Cùm enim ſolus Chriſtus

Hebræ. 8.

Hebr. 7.

Chriſtus ueritas eſt.

Leuit. 19.

Deut. 30.

Lex uita dicitur.

ſit

sit uera uia ad Patrem, perspicuum est, quòd nemo possit Deum cognoscere, quàm clemens, & quàm misericors sit, nisi per Christum: nemo item possit Deo gratus & acceptus esse, nisi propter Christum: adhæc, nemo possit clementia Dei confidere, & nomen eius inuocare, nisi propter Christum: denicq; nemo possit uel in hac corporali uita Deo gratũ officium facere, uel ex hac uita cœlestium bonorum hereditatem adire, nisi per Christum. Hæc nobis scienda, hæc meditanda, hæc cogitanda, hæc facienda sunt. Tria enim sunt, ad quæ præstanda uocati sumus, uidelicet, ut rectè credamus, ut bona obedienter faciamus, & ut mala patienter feramus. Si autem probè cognoscimus Christum esse uiam, ueritatem & uitam, rectissima erit fides, summus nimirum cultus, quem Deo possumus præstare. Et quis ex hac cognitione non accenderetur ad obediendum eius uocationi, à quo tot beneficijs obruimur? quis item aduersa non patienter toleraret propter hunc, quem sciat presentem suum ac perpetuum esse seruatorem? Quare non est ullo modo committendum, ut sinamus nobis ex animo, ex fide nostra hoc dictum Christi excuti, sed summo studio adnitẽdum est, ut continenti recordatione eius inflammemus fidem in nobis, & contineamus nos in officio, quò peruenìamus ad uerã & perpetuam salutem in Iesu Christo Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spũ sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Tria pijs præstanda sunt.

HOMILIA XXV.

ETsi Apostolus Thomas prodidit imperitiam suam, cùm sermonem Iesu Christi interpellaret: Domine, inquiens, nescimus quò uadis, & quomodo possumus iam scire? tamẽ fecit nobis gratissimum officium, q̃ hac occasione didicerimus & cognouerimus, quę sit uera uia ad Deum Patrem, & ad omnia diuina ac cœlestia bona. Tale officium præstat nobis etiam Apostolus Philippus. Cùm enim Christus dixisset: Si cognouissetis me, & Patrem meum utiq; cognouissetis, addit: Amodo cognoscitis eũ, & uidistis eum: quibus uerbis significat Christus, q̃ cùm Apostoli cognouerunt ipsum ex Euangelio suo, ac uiderunt ipsum doctrinã Euangelij sui magnis ac multis miraculis cõfirmare, cognouerint etiam ac uiderint uerũ Deum, propterea q̃ ipse, qui hęc dixerit ac fecerit, non tantũ sit homo, sed etiam uerus Deus. Philippus autem non intelligit hæc uerba. Quare sicut antea Thomas, ita nunc & Philippus interrumpit sermonem Iesu. Et dicit ei: « Dñe ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. « Hæc Philippi uerba non sunt à nobis festinanter prætereunda. Quod enim Philippus loquitur, non est recens ab ipso excogitatum, sed est iam inde ab initio orbis terræ, tam à pijs quàm ab impijs magno semper desiderio expetitum. Multa enim & pręclara dici solent de Deo, & tñ nullus unquam fuit, qui Deũ uerè uisibilem hominibus ostendere potuerit. Quare homines excitati sunt ut inquirerent, primũ formam, faciem, aut figurã Dei: deinde mentem, animum & uoluntatem eius. Recte.n. iudicauerũt, maximam hominis fœlicitatem, in cognoscendo & uidendo Deo consistere. Itaq; quod Philippus dicit: ostende nobis Patrem, & sufficit nobis (hoc est) nihil po-

Deũ uidere oẽs cupiunt.

teſt nobis nec iucundius, nec fœlicius contingere, q̃p ſi oſtenderis nobis Deũ, ut uideamus & cognoſcamus eũ, hoc idem oẽs homines, q̃ modò honeſta mente p̃editi, & diuinarum rerũ ſtudioſi fuerunt (nã qui uentrem ſuũ ꝓ Deo colunt, his iucundius eſt bonũ uinũ, q̃ uerũ Deum uidere) magna ſemper cupiditate deſiderarũt, nec tñ ullus hoim potuit hoc in his terris cõſequi, priuſq̃ Ieſus Chriſtus filius Dei, ac uerus ipſe Deus homo factus eſt. Eua oim noſtrum mater, audiuerat Deum ꝓmiſiſſe, q̃ uelit ſeſe aſſumpta forma hoĩs mundo oſtendere, & mũdum redimere. Quare, cũ peperiſſet Cainum, putauit ſe iam Deum ipſum uidere, & exclamauit: Poſſedi hominem, Deum. Sed hæc opinio multũ fefellit miſerã mulierem. Non.n. uidit Deum Seruatorem, ſed potius hominem, aut ut ita dicam, Satanam p̃ditorem. Iacob Patriarcha, profectus cũ familia ſua è Meſopotamia, uenit in Phanuel, & poſtq̃ colluctatus eſſet per noctem cũ angelo uſq̃ ad matutinum tempus, & accepit ab eo benedictionem, ait: Vidi Dñm facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Quid? ergóne dicemus Iacobum uerè uidiſſe faciem Dñi Dei? Sed Deus nondum aſſumpſerat hoĩem. Quare etſi Iacob uidit ſpeciẽ quandã uiri, qua Deus p̃ſentiam ſuã teſtabatur, Ideoq̃ Iacob rectè dixit, ſe uidiſſe Dñm facie ad faciem, hoc eſt, apertè cognouiſſe præſentiam Dei, tamen ea ſpecies non erat uerè Deus. In Exodo uidit Moſes rubum ardentem, & audit ex eo uocem dicẽtem: Ego ſum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob. Et tamen rubus nec erat Deus ipſe, nec uera Dei facies, ſed tãtum miraculum oſtendens & teſtificans præſentiam Dei. Nõ ignorauit autem Moſes, ſe non uidiſſe uerã Dei faciem. Quare cùm flagraret maximo deſiderio uidendi Dei, dicit poſtea: Si inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuã, ut ſciam te. Hæc plane cum uerbis Philippi conueniunt: Dñe, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis, ſed audit Moſes: Oſtendam quidem tibi omne bonum, faciem autem meam uidere nõ poteris. Non uidebit me homo, & uiuet: hoc eſt, Aſſumam quidẽ hominem, & oſtendam me hoĩbus uiſibilem, hoc aũt tanto tempore poſt futurum eſt, ut nullus hodie hoĩm uiuat, qui poſsit ætate ſua ad id tempus pertingere. Quare nec tu, nec alius quiſpiam homo, q̃ nunc uiuit, poteritis me hominem factum, hoc eſt, faciem meã uidere. Eſaias dicit ſe uidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum, ac audiuiſſe Seraphim, acclamare ei, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dñs Deus Zebaoth, plena eſt omnis terra gloria eius. Hęc fuit quidem reuelatio gloriæ & maieſtatis Chriſti ueri Dei, quemadmodum ſuprà cap. 12. explicatum eſt, non autem fuit uera facies Dei, quia Chriſtus qui eſt uerus Deus, nondum aſſumpſerat hominem. Ac breuiter, etſi Patriarchæ & Prophetæ magno deſiderio uidendæ faciei Dei flagrarunt, tamen quia nondum erat tempus, quo Deus homo fieret, non potuerunt deſiderium ſuũ explere. Conſecuti quidem ſunt uerã ſalutem per fidem quam adhibuerunt cœleſtibus promiſſionibus de filio Dei, hominem aſſumpturo, & liberaturo, ipſam autẽ faciem filij Dei, quæ poſtea in homine oſtenſa eſt, nõ uiderunt. Vnde & Chriſtus ad Apoſtolos ſuos ait: Veſtri beati ſunt oculi, quia uident, & aures ueſtrę, quia audiunt. Amen enim

Iacob quomodo uiderit Deum.

Moſes cupit uidere faciem Dei. Exod. 52.

Eſaias an uiderit Deum.

enim dico uobis, q̄ multi Prophetę & iusti desiderarunt uidere, quæ uidetis, & nō uiderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt. Atq; hæc quidē de Patriarchis & Prophetis. Dicamus etiam de Ethnicis aut gentibus alienis à populo Dei. Nam & hi tenebantur desiderio uidendi Dei, sed quia caruerūt uerbo Dei, ideo finxerunt sibi ipsis uarias Dei formas. Alius putauit se faciem Dei uidere, cum uidebat statuā quandam Iouis aut Mercurij. Alius credidit se faciem Dei uidere, cū uidebat Crocodilū, aut felem, aut aliud genus animātis. Alius existimauit se uidere faciē Dei, cū uidebat heroa quēdam aut Monarcham, uidelicet, Alexādrum Magnū, aut Neronem, aut Domitianū, quibus etiam tām uiuis q̄ mortuis instituti sunt diuini honores, sed hi impijssimè errarunt. Non.n. uiderūt faciem Dei, sed aut lignū, aut lapidem, aut argentū & aurū, aut bestiam, aut bellatorē quēdam, aut monstra potius hoīm, q̄ homines. Consideremus etiā gentium Philosophos, qui ꝓpter eruditionem uoluerūt uideri plus sapere, q̄ uulgus hoīm. Hi noluerunt tā rudes uideri, ut mutarent, sicut uulgus, gloriā īmortalis Dei, in imaginē mortalis hoīs, aut uolatilium, quadrupedū, & reptilium, quēadmodum Paulus ait, sed extulerūt sese altius ad inuestigādam ipsam cœlestē Dei faciem & maiestatem. Quid ergo factū est? Cùm diu multumq̄ faciē Dei suo ingenio scrutarentur, eò tandē uenerunt, ut alij negarent prorsus esse Deū, alij ingenuè faterētur, nō posse humano captu cōprehendi, quid sit Deus. Simonides interrogatus à Hierone Siculo, quidnam, aut qualis esset Deus, petijt spaciū unius diei ad deliberādum, deinde petijt biduū, ac postea sæpe spatiū deliberandi duplicans, & rogatus quid sibi uellet hæc ꝓcrastinatio, respondit ingenuè: Quò diutius cogito, eò res mihi obscurior uidetur. Vides tàm pios q̄ impios flagrasse studio uidendæ & aspiciendę diuinę faciei, sed hoc nō potuit, ante Christum natū, ulli hoīm contingere. Quod de uidenda facie Dei diximus, hoc idem dicendū erit de inuestiganda & perscrutanda uolūtate Dei. In Ecclesia Iudęorū fuit ꝓpiciatorium, è quo Deus se cū Mose collocuturū, & uolūtatem suā manifestaturum recepit. Inde, inquiēs, prȩcipiam & loquar ad te de medio duorum Cherubim. Hoc propiciatorium fuit quidē diuinitùs institutū, non aūt in hūc usum, ut ex eo uera & ꝑpetua diuinæ uolūtatis manifestatio ꝓdiret, sed ut ex eo significarentur nōnulla ad tempus quæ ad Rem. Israeliticam ꝑtinerent, & ut esset adumbratio ueri ꝓpiciatorij, è q̄ tandem Deus manifestè cum hoībus collocuturus, & uoluntatem suā perpetuam clarè expositurus esset. Est & lex diuinitùs per Mosen data, ut reuelaret uolūtatem Dei. Sed quid? Lex reuelat magis iratam, q̄ clemētem Dei uoluntatē. Lex, inquit Paulus, ostendit peccatū, operatur iram, & occidit. Quare ad cōsequendam salutē, non est satis cognoscere uoluntatē Dei ex lege. Quid aūt dicam de Ethnicorum cōmentis, quibus conati sunt uolūtatē Dei perscrutari? Hi.n. obseruârunt magno studio somnia, auguria, auspicia, & extispicia, ut ex ipsis uolūtatem Dei cognoscerent. Vocarunt aues, deorū linguas, q̄ existimauerint aues significare hoībus mentē Dei uel uolatu, uel garritu, uel etiam pastu. Habuerūt & Tripodes, è quibus putârunt se haurire cognitionē diuinæ uoluntatis. Nec ex his tantū, sed

Ethnici uarias formas Dei finxerunt.

Simonides.

Voluntatis Dei inquisitio apud Iudæos & Ethnicos.

etiam è calculis,uirgis,lignis,lapidibus,frumento & farina,uoluntatem Dei perſcrutari conati ſunt.Sed hæc fuerũt uaniſsima cõmenta, quibus magis Satan illuſit mentibus impiorum, q̃ Deus patefecit ſuã uoluntatem. Quid igitur faciemus? aut quò nos uertemus, ut uideamus faciem Dei,& cognoſcamus uerã ac ꝓpetuam eius erga nos uolũtatem. Hic audiẽdum nobis eſt quid Ieſus Chriſtus reſpondeat Philippo. Dicit ei Ieſus: Tanto tẽpore uobiſcum ſum,& nõ cognouiſti me? Philippe, QVI VIDET ME,VIDET PATREM. Et quõ tu dicis: Oſtẽde nobis Patrem? En hoc loco ꝓſpicuè docemur,ubi uideamus Deũ,& cognoſcamus uolũtatem eius. Qui me uidet inquit Ieſus Chriſtus,uidet Patrem? Quid ergo? nũ Deus habet oculos,manus, pedes, & alia membra ſicut homo? Manifeſtum quidẽ eſt, q̃ Deus ſit natura ſua incorporeus, ſed q̃ uidet Ieſum Chriſtũ,is eum uidet hoiem, q̃ cum cõiunctus eſt in unitate ꝓſonæ uerus & æternus Deus. Vnde & ſequit: Non credis, q̃ ego in Patre ſum,& Pater in me? hoc eſt, Ego & Pater ſumus quidẽ duæ diſtinctæ ꝓſonę, ipſe Pater, ego Filius, ſed ſumus unus tm̃ uerus & ęternus Deus. Non ſumus unũ tm̃ animi cõcordia, quẽadmodum hoĩes amici inter ſe unũ ſunt, ſed ſumus unũ eſſentia,& natura. Ex q̃ & illud ſequitur, q̃d infertur: Verba quæ, ego loq̃r uobis, à meipſo nõ loquor. Pater aũt in me manens, ipſe facit opera, hoc eſt. Cùm Pater & ego ſimus unũ eſſentia, clarè ſequitur, q̃ etiam ſimus unũ uolũtate & operatione, ideoq̃, quæ ego loquor, nõ ſunt ſolius hoĩs, ſed ueri Dei uerba,& quæ ego facio, non ſunt ſolius hoĩs, ſed ueri Dei facta. Quid ergo nũc amplius de cõſpicienda facie requiris? Vide Ieſum Chriſtum, crede in Ieſum Chriſtũ,& uides uerũ Deũ ipſum, atq̃ credis in uerũ Deũ. Vt.n. Ieſus Chriſtus eſt uerus Deus, ita extra eũ nõ eſt alius Deus. Sunt quidẽ aliæ duæ ꝓſonæ in diuina natura, Pater & ſpũs ſanctus, nõ eſt aũt alius Deus, prꝫter Ieſum Chriſtum Dn̄m noſtræ. Hunc deſiderarũt uidere Patriarchę & Prophetæ, ut uiderent faciẽ Dei. Ac uiderunt quidẽ ipſum fide, nõ aũt potuerunt eũ, ꝓ ratione tẽporis uidere, quẽadmodum uiderũt eum Apoſtoli, & quẽadmodum etiã nos ipſum ex reuelato eius Euãgelio uidemus. Nunc.n. ꝓpius adeſt nobis ſalus, ut Paulus ait, q̃ tum cùm credebamus. Deinde, quid amplius de ꝓſcrutanda uoluntate Dei ſollicitus es? Perſcrutare uoluntatẽ Ieſu Chriſti, audi Euãgelion Ieſu Chriſti, & habebis oẽm arcanã Dei uoluntatẽ, quatenus quidẽ ęternæ tuæ ſaluti neceſſarium eſt, cognitam atq̃ ꝓſpectam. Non.n. uult, nec poteſt cognoſci uerus Deus, niſi in filio ſuo Ieſu Chriſto. In hoc ſe manifeſtaturum, & cum hoĩbus collocuturum, ꝓmiſit iam antea per Moſen. Non inueniatur, inquiens, in te, q̃ ſciſcitetur ariolos,& obſeruet ſomnia & auguria, nõ ſit maleficus, nec incantator, nec conſulat phytones, nec diuinos, nèc quærat à mortuis ueritatem. Vnde ergo quęrat eam? Sequitur. Prophetam de gente tua,& de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dn̄s Deus tuus, IPSVM AVDIES. Et mox dicit Dn̄s Deus ipſe: Ponam uerba mea in ore eius, loqueturq̃ ad eos oĩa, quæ prꝫcepero illi. Hic Propheta eſt Ieſus Chriſtus filius Dei, quẽadmodum Apoſtolica doctrina interpretatur. Quare qui uult audire Deum ipſum loquẽtem, & uoluntatem eius cognoſcere, is Ieſum Chriſtum, qui eſt uerus Deus, & in cuius ore uerba Dei poſita

Deus quomodo uidendus & uoluntas eius quomodo cognoſcenda.

Patriarchæ & Prophetæ uiderunt Chriſtũ fide.

ſunt,

ſunt,audiat neceſſe eſt. Quod Moſes de Chriſto cõcionatur, hoc idem Pater ipſe,uoce è cœlo ſonanti, de Chriſto teſtificatur. Cùm enim Ieſus Chriſtus baptiſaretur à Ioãne, & poſtea glorificaretur corã tribus diſcipulis in monte, dixit Deus clara uoce de ipſo: Hic eſt Filius meus dilectus,in q̃ mihi bene cõplacitum eſt,HVNC AVDITE. Non eſt igitur uel in cœlũ conſcendẽdum,uel trans mare currendum,uel in eremum ſecedendũ,uel angelus de cœlo expectãdus,uel acutis humanæ rationis cogitationibus inhęrẽdum,ut Deũ uideas,& uoluntatem eius cognoſcas,ſed uide,audi,diſce,cognoſce Ieſum Chriſtũ,& uidebis atq; cognoſces uerũ Dñm Deum noſtrũ. Cùm ergo Ieſus Chriſtus ſit uerus Deus,& oĩa dicta ac facta eius,ſint uerè dicta atq; facta Dei, operępreciũ eſt nũc cognoſcere,quę Ieſus Chriſtus dixerit & fecerit,ut ex ipſis cognoſcamus,quæ Deus ipſe uelit,ac faciat. Dicamus aũt primùm de dictis eius. Verba,inquit,quæ ego loquor uobis,à meipſo nõ loquor. Hæc ita dici uidentur,perinde ac ſi per uerba,intelligẽda eſſent facta, more hebręo, preſertim cũ ſequat̃: Pater aũt in me manẽs,ipſe facit opera, Vt ſit ſenſus Quæ facio,non à meipſo facio,ſed Pater in me manens facit ea. Hoc quidẽ,nõ abſurde dicit̃,ſed cõmodius uidetur ut ſentiamus Chriſtũ loqui, tàm de dictis, q̃ de factis ſuis. Cũ aũt nobis hoc loco ſermo eſt de dictis Chriſti, nõ loquimur de uniuerſo genere dictorũ eius, ſed tm̃ de eo genere, ꝓpter quod hominem aſſumpſit,& in hanc terrã miſſus eſt. Multa dixit Ieſus Chriſtus de lege, de uera ſentẽtia legis, deq; futura Iudęorũ calamitate, quæ etſi ſunt ueriſsima & diuiniſsima, tm̃ hoc non fuit officium illud, ꝓpter quod Chriſtus p̃cipuè in hanc terrã uenit. Proprium aũt officiũ eius eſt, prędicare Euãgelion, q; ipſe ſolus ſit uerus Meſsias, & q; ꝓpter ipſum ſolũ contingat hoĩbus ſalus. De his dictis ſermo nũc eſt, quę & p̃ſpicuè in Apoſtolicis ſcriptis extant. Dixit em̃: Venite ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis,& ego refocillabo uos. Dixit: Sic Deus dilexit mundũ,ut filiũ ſuũ unigenitũ daret, ut oĩs qui credit in eum, nõ pereat, ſed habeat uitã æternam. Dixit itẽ: Ego ſum reſurrectio & uita, Qui credit in me, etiãſi mortuus fuerit, uiuet. Et oĩs qui uiuit & credit in me, nõ morieť in æternũ. Dixit multa id genus alia,quẽadmodum Euangeliſtę teſtanť. Quid ergo ad iſta dicemus? Putásne,cũ hæc audis,te audire humana ſomnia? Nihil certè minus. Ipſam Dei uocẽ audis,qua tibi uoluntas Dei apertè exponiť. Cùm ergo Chriſtus dicit: Ego refocillabo uos, manifeſtè cognoſcimus hanc eſſe Dei ipſius uoluntatẽ, q; uelit hoĩes in afflictionibus ſuis iuuare. Cùm Chriſtus dicit: Deus dedit filium ſuũ,ut oĩs qui credit in eũ nõ pereat,clarè intelligimus,hanc eſſe Dei uoluntatẽ q; uelit hoĩes ſeruare. Cùm dicit: Oĩs qui credit in me,nõ morietur,p̃ſpicuè docemur,hãc eſſe Dei uoluntatẽ, q; uelit hoĩes liberare in morte,& dare eis ęternam uitã. Atq; hæc quidẽ de dictis Chriſti. Conſideremus nunc etiã facta eius. Sunt aũt uaria genera factorum eius, quæ oĩa nõ eſt huius loci percurrere. Eiecit uẽdentes & ementes flagellis è templo, maledixit ſterili ficui. Hęc ſunt quidẽ diuina facta, & ſuo quondã conſilio à Chriſto peragenda ſuſcepta: nos aũt loquimur nũc de ĩs factis, ad quæ ſuſcipienda Chriſtus pręcipuè in hanc terrã miſſus eſt. Ea aũt ſunt, quæ Chriſtus ipſe apud Lucam ex Eſaia commemorat; Miſeris adnunciare

Dicta Chriſti quæ ſint.

Facta Chriſti quæ ſint.

Actorum 10. Euangelion, ſanare cõtritos corde, prædicare captiuis remiſsionẽ, reddere cæcis uiſum, & liberare uinctos. Dicit & Petrus de ipſo: Obambulauit benefaciẽdo, & ſanando oẽs oppreſſos à diabolo. Non ſolum.n. ſanauit ęgrotos corpore, ſed q̃d longè oĩm maximum eſt, ſanauit ęgrotos mente, ſuſcepit peccatores humaniſsimè, & remiſit eis peccata gratis, mera clementia & miſericordia. Confide, inquit fili, Remittunt̃ tibi peccata tua. Et ad mulierem: Remittunt̃ tibi pc̃tã tua: fides tua te ſaluã fecit, uade in pace. Ac poſtremo oĩm ſuſcepit turpiſsimam mortẽ, ut ſua morte peccata noſtra expiaret, mortẽ uinceret, & uerã ac ꝑpetuam uitã nobis pararet. Ex his Chriſti factis, manifeſtè obſeruari & cognoſci poteſt, q̃ uolũtas Dei huc ſolum ꝑpendeat, ut benefaciat, remittat peccata, ſeruet perclitantes, & ducat eos per mortẽ, in ꝑpetuam uitã ac fœlicitatem. Quare, qui flagrat deſiderio uidendi Dei, & cognoſcẽdæ uoluntatis eius, neceſſe habet, ut Ieſum Chriſtũ uideat, & tum dicta tum facta eius cognoſcat. Sic.n. & uerus Deus uideẽ, & certiſsima Dei uoluntas cognoſcitur. Non uidet Deũ, nec cognoſcit uoluntatẽ eius, uel idolatra Ethnicus, uel Turca, uel Iudæus, uel hypocrita, ꝑpterea q̃ hi partim non agnoſcunt Chriſtũ, partim apertè contẽnunt eum, & execrãtur: partim nõ requirunt officium eius. Nos aũt, quibus Chriſtus & officiũ eius, per Euangelion cognita ſunt, uidemus uerũ Deum per fidem, & cognoſcimus uoluntatem eius. Ac multa quidẽ ſunt, in quibus uidemur eſſe à Deo deſerti. Alius premitur onere paupertatis, alius affligitur grauitate morbi, alius cõturbatur horrore mortis, & hæc ita ingraueſcere ſolent, ut Deus uideaẽ nõ ſolũ à nobis diſceſsiſſe, uerũetiam nos abieciſſe. Sed bene adhuc habet, ſi Chriſtum per fidẽ habemus: fieri.n. non poteſt, ut ibi nõ ſit Deus, ubi Chriſtus eſt. Ego, inquit, in Patre ſum, & Pater in me. Nec ſentias, q̃ ubi Chriſtus eſt, ibi ſit quidẽ Deus, ſed iratus, durus, inexorabilis, contemptor, & cõdemnator. Talis quidẽ eſt Deus, ubi nõ eſt cognitio Chriſti. Vbi aũt Chriſtus per fidẽ cognoſcitur & habetur, ibi Deus non eſt, niſi clemens, miſericors, liberator & ſeruator, etiamſi humano captui & ſenſui longè aliud uideaẽ. Quid ergo? inquis: Si Deus nõ eſt deſertor eius, q̃ habet Chriſtum, cur Chriſtus ipſe clamat in cruce: Deus meus, Deus meus, ut quid me deſeruiſti? Si Deus deſeruit Chriſtũ, quõ non deſereret etiã eos, qui Chriſtum ꝑ fidem habent? Sed Pſalmus ipſe, è q̃ hic clamor Chriſti ſumptus eſt, interpretaẽ qualis fuerit hęc deſertio. Chriſtus eñ ſic deſertus fuit à Deo, ut non iuuaretur externo aliquo miraculo, ſicut ſępenumero Patriarchæ adiuti & è periculis erepti erãt, ſicut Dauid, Elias, Ezechias & alĳ. Vnde ſequitur in Pſalmo: In te ſperauerũt Patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos, uidelicet externis miraculis. Non autem ſic erat deſertus, ut nullo modo, ac ne ſpirituali quidẽ & cœleſti modo adiuuaretur & cõſeruaretur. Nam tũc Deus maximè oĩm de Chriſto filio ſuo ſollicitus fuit, & curauit eum extollendum in ſummã ſublimitatẽ. Audis quidẽ clamorem Chriſti in cruce: Deus meus, ut quid me deſeruiſti: ſed conſidera mihi huius clamoris euẽtum. Chriſtus eñ paulò poſt tanta gloria reſurgit à morte, ut conſideat ad dextram Dei, & conſequatur nomen ſupra omne nomen, ut in nomine eius omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium, & infernorũ. Hoccine eſt à Deo deſeri? Ni

Chriſtus à Deo quomodo fuerit deſertus.

hil certè minus, sed est uerè à Deo cõseruari. Nec hoc uni tm̃ Christo cõtigit. Christus. n. in hoc desertus est à Deo, ne eriperetur à cruce externo miraculo, ut p̃ crucem & mortẽ reconciliaret nos cũ Deo, & impetraret, ut quicunq; in ipsum credit, nunq; deseratur à Deo, etiamsi humano sensu uideatur desertus. Quare ponamus maximum nostræ studium in cognoscẽdo & retinendo Christo p̃ fidem, ut uerum Deum cognoscamus, & ab ipso uerè conseruemur, p̃ Iesum Christum Dn̄m nostrum, qui est unà cum Patre & Spũ sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVI.

QVAE hactenus cõcionatus est de seipso Iesus Christus, etsi uerissima sunt, uidentur tm̃ humana cõditione maiora & excellentiora. Dixit. n. se esse uiam, ueritatem & uitam. Dixit: Qui me uidet, uidet & Patrem. Dixit: Ego in Patre sum, & Pater in me. Quibus uerbis prædicat se non tm̃ hominẽ, sed etiam uerũ ab æterno Deum esse. Cùm igitur hæc ampliora sint, q̃ quæ absq; certis & firmis testimonijs ab hoĩbus agnoscantur, addit nunc Christus testimonia, quibus p̃bat se uerè illum esse, quem prædicauit. Credite mihi, inquiens, q̃ ego in Patre sum, & Pater in me, alioqui p̃pter ipsa facta credite. Dixi me esse uerum Deum, aliam quidẽ personam à Patre, Sed q̃d ad naturam, essentiam, & maiestatem attinet, eundem planè Deum. Nõ ignoro hoc uerbum uideri admirabile, & parum fidei facere, si ab hoĩe, qui nulla externa maiestate p̃ditus sit, dicatur. Ego uerò hoc non uerbis tm̃ dico, uerũetiam testificor factis. Quare si uobis nõ faciunt fidem mea uerba, faciant eam mea facta. Quę ergo sunt facta illa, quæ Christus hoc loco in testimonium allegat? Nihil hic obscuri dicitur. Christus. n. loquitur de miraculis suis, quæ tàm in uita sua corporali, q̃ post resurrectionem p̃ Apostolos suos edidit. De his factis aliâs quoq; dicit: Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa (inquam) opera, quæ ego facio, testificantur de me, q̃ Pater miserit me. Et iterum: Opera quæ ego facio noĩe Patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Post q̃. n. Iesus Christus baptisatus est à Ioãne, nõ solum suscepit officium prædicandi Euangelij, uerũetiam edidit plurima & maxima miracula. Aquam mutauit in uinũ, ægros restituit sanitati, cæcis restituit uisum, leprosos mũdauit, paralyticos sanauit, mortuos excitauit, & id genus multa miracula fecit, de quibus dicit: Si mihi nõ creditis, operibus credite. Sed quid? inquies, An non Prophetæ ediderunt etiam miracula? An non & Aegyptiaci Magi ediderunt miracula? Quid, q̃ & impostoræ & Satanę quædam miracula commemorantur? Surgent, inquit Christus, pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur si fieri posset, etiam electi. Si ergo miracula probant personæ diuinitatem, dicemúsne uel Prophetas uel etiam pseudoprophetas esse ueros Deos, quòd ediderint miracula? De hac re etiam aliâs diximus, sed quia hic locus nos admonet, dicamus & nunc quædam, ut miraculorum rationem rectè cognoscamus. Nam, quæ sunt uerè diuina miracula, ea non in hunc usum eduntur, ut per se probent diuinitatem eius personæ, quæ edit miracula, sed ut commendent doctrinam

Christũ esse uerũ Deum probant eius facta.

Miraculorũ ratio.

eius,non ut nouam doctrinam,aduersus uerbum Dei antea probatum, instituant,sed ut ueterem doctrinam uerbi Dei renouent, restituant,cõ seruent,ac impleri testificentur.Proponamus igitur nobis duos illos he roes, qui edendis miraculis præ oĩbus alĩs in toto orbe terrarum, illu stres fuerunt,ut cognoscamus rectum usum miracuIorũ. Alter fuit Mo ses,alter Iesus Christus.Quanta enim miracula ediderit Moses in Aegy pto & deserto,manifestius est,ex scriptura, q̃ ut debeat hoc loco multis cõmemorari.Hęc igitur miracula nõ testificabantur Mosen esse naturã Deum,sed testificabantur doctrinã eius,eamq; nõ nouam, sed ueterem iam antea cõfirmatam.Moses enim docebat in Aegypto,q̃ iam instaret tempus,quo Israelitæ egressuri essent liberi ex Aegypto,in patriam suã terram Canaan.Hæc doctrina de liberatione Israelitarum ex Aegypto, & de accipienda terra Canaan,idq; eo tempore,quo Moses in Aegyptũ uenit,non fuit noua, sed ante multos annos promulgata & confirmata.

Gen. 15. Dictum em̃ est diuinitus ad Abrahamum: Semen tuũ futurum est pere grinũ in terra nõ sua,& subĩciẽt eos seruituti,& affligẽt QVADRIN GENTIS ãnis. Veruntamẽ gẽtem cui seruituri sunt,ego iudicabo:& posthęc egredient cũ magna substãtia.Et mox:Generatione quarta huc reuertent.Hęc est doctrina,quæ sub Abrahamo diuinitus ꝓmulgata,et cœlestibus testimonĩs cõfirmata erat.Quo aũt tempore Moses uenit in Aegyptum,cõplebantur quadringenti anni,& erat iam quarta genera tio ab Abrahamo.Hic ex una parte edebat Moses miracula,ex altera aũt Magi Aegyptiaci.Ac Moses quidẽ prędicabat eam doctrinã,quæ quõ dam diuinitus erat instituta,& à Patriarchis quasi ꝑ manus, posteris ip sorũ tradita.Magi aũt obsistebant huic doctrinæ,& cõtendebant eã esse mẽdacem.Cùm igitur tàm Moses q̃ Magi ederent miracula,ad testificã dam doctrinam suã,quibus miraculis fides erat adhibenda? Considera doctrinam,&manifestè uidebis,quę miracula sint uerè diuina.Magi do

Deut. 13. cebant noua aduersus ueterem,& probè cõfirmatam doctrinã Dei.Mo ses autẽ docebat ueterem doctrinam.Quare Mosis miracula erant uerè diuina, Magorũ autem Satanica, in hoc uerò diuinitus ꝓmissa, ut Deus tentaret,quẽadmodum lex loquit̃,Israelitas,num diligerẽt ipsum in to to corde,& tota anima sua.De Iesu autem Christo,nihil notius est in to to orbe terrarum,quàm q̃ ediderit plurima&maxima miracula.Etsi au tem Christus est uerus ab ęterno Deus,tñ hæc miracula non testificabã tur per se,per se inquam,diuinitatem eius, sed testificabãtur doctrinam eius. Quid ergo docuit? Docuit se esse uerum Messiam seu Christum, & uerum ab æterno Deum.Hæc doctrina nõ erat noua, sed iam ante di uinitus Per Patriarchas & Prophetas promulgata. Ab initio em̃ orbis terrę diuinitus ꝓmissum fuit,q̃ uenturus esset Messias,qui liberaturus esset humanum genus à ꝑpetuo suo interitu. Prętерea prędicatum erat, q̃ hic Messias non sit tantùm homo, & filius Dauidis, sed etiã sit uerus Deus,& naturalis filius Dei, quẽadmodum aliâs ostendimus. Adhæc definita erat familia inter Israelitas,ex qua Messias homo nasceretur:de finitum erat tempus quo nasceretur: definitus erat etiam locus natiuita tis: definitæ erant & aliæ circumstantiæ,quæ certò demonstrarent per

Miraculorũ Mosis & Magorum discrimen.

sonam

ſonam Meſsię. Venit igitur Ieſus filius Mariæ, & cùm manifeſtiſsimum eſſet, ꝙ oēs illæ circumſtantiæ, quibus Prophetæ Meſsiã deſcipſerunt, cõuenirent in ipſum ſolũ, edidit miracula, quibus nõ uoluit nouam doctrinam cõſtituere, ſed ueterẽ confirmare, & impletionẽ eius teſtificari. Porrò, quẽadmodum Moſi reſtiterunt Magi Aegyptiaci, ita etiã fuerũt pſeudochriſti, qui ſignis & ꝓdigiis ſuis reſtiterunt Chriſto. Vt.n. nunc nihil dicam de his pſeudochriſtis, qui poſt diuulgationem Euãgelij per Apoſtolos in orbem terrę, iactarunt ſe eſſe Chriſtos, ac populi liberatores, ꝙs Ioannes Antichriſtos uocat, en accipe tibi ſpũs impoſtores, qui hactenus tam interdiu ꝙ noctu in domibus tumultuari ſoliti fuerunt. Hi adiurati, clara interdũ uoce adiuratoribus reſponderũt, ac dixerunt ſe huius uel illius aĩam eſſe, pati aũt intolerabiles dolores. An nõ hoc uidetur miraculũ? Audiamus igitur, quæ fuerit horũ ſpirituũ doctrina, ut & de miraculis eorũ iudicare poſsimus. Docuerunt.n. Ignem eſſe purgatorium, in altero ſeculo, in ꝙ animæ mortuorũ expient pcta ſua, & poſſe aĩas ex eo igni ſacrificijs Miſſarũ redimi. Hæc aũt doctrina, nõ ſolũ eſt recens cõficta, ſed etiam pugnat ex diametro cũ ueteri doctrina Euangelij Chriſti. Euãgelion.n. docet, ꝙ ſolus Chriſtus ſit expiatio peccatorũ noſtrorũ, & ꝙ qui crediderit in Chriſtum, habeat æternã uitam. Qui uerò nõ crediderit, ſit ꝑpetuo damnatus. Quare hęc ſpũum miracula nõ ſunt niſi impoſturę Satanæ, ꝙ cùm ſit mendax & homicida, hoc unũ agit ſuis miraculis, ut decipiat & occidat hoīes perpetua internecione. Dices aũt: Si miracula uerè diuina nõ ꝓbant perſonę diuinitatem, ſed doctrinam, quid eſt ꝙd Chriſtus allegat nunc ſua miracula ad teſtificãdam ſuã diuinitatem? Dicit emi: Credite mihi, ꝙ ego ſim in Patre, & Pater in me, hoc eſt, ꝙ ſim uerus Deus, alioqui ꝓpter facta ipſa credite. Diximus, miracula per ſe quidẽ non ꝓbare diuinitatẽ ꝑſonæ, ſed quia doctrinã eam ꝙ ueterem ꝓbant, idcirco conſideranda eſt doctrina ipſa, ut intelligamus quid miracula per doctrinam ꝓbent. Moſes & Prophetę nõ docuerunt ſe ipſos eſſe Meſsias & deos, ſed Meſsiæ ueri Dei ſeruos, ideoq; miracula ipſorũ non ꝓbant ipſos eſſe Meſsias, ueros deos. Ieſus aũt filius Marię docuit ſe eſſe Meſsiam, uerũ Deum, iuxta Prophetarũ oracula. Cùm igitur hæc fuerit doctrina Ieſu, rectè & aptè allegat miracula ad ꝓbandam uerã & æternam ſuã diuinitatem. Sed de miraculis hactenus. Habes aũt unũ argumẽtum, ꝙ Ieſus probauit ueritatem ſuæ doctrinæ, adeoq; ſuæ maieſtatis, quam doctrinam adnunciauit. Audiamus nunc & alterum argumẽtum. Sic emi ſequitur: Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet, quia ego ad Patrẽ uado. Hoc eſt aliud teſtimonium maieſtatis Ieſu Chriſti, ꝙd Chriſtus eò libẽtius cõmemorat, quia plurimum facit ad conſolationẽ diſcipulorũ, quã in hac concione inſtituit. Ac uide mihi, quanta grauitate hoc dictũ cõmendet: Amen amen (inquiens) dico uobis. Certè obſeruabile ſit neceſſe eſt ꝙd Chriſtus etiam iuramẽto aſſeuerat. Non ſolũ ego (inquit) edidi multa & magna miracula, ſed iuro etiam per meipſum, quòd efficiam, ut qui in me credit, faciat & ipſe talia opera, adeoq; his maiora. Sciamus ergo quõ hæc, quæ Chriſtus promittit, impleta ſint. Ac initio, ꝙd hic dicit Chriſtus ante mortem ſuam, hoc repetit & cõfirmat poſt reſur-

Satanæ præſtigiæ & impoſturæ.

Matth. 24.

1. Ioan. 2.

Miſſa pro defunctis.

Chriſti diuinitas & maieſtas probatis Apoſtolorum.

Marc. 16. rectionem ſuã. Dicit. n. apud Marcũ: Signa eos, qui crediderint, hæc ſub ſequentur: Per nomen meũ dęmonia ẽncient, linguis loquent̃ nouis, ſerpẽtes tollent, & ſi quid letale biberint, nõ nocebit eis. Super ęgrotos manus imponent, & benè habebũt. Quæ aũt & antè & poſt reſurrectionem ſuã Chriſtus ꝓmiſerat, ea tanta maieſtate publicè peracta ſunt, ut oẽs homines aſpectu eorꝝ obſtupuerint. Marcus iterũ dicit: Poſtq̃ Ieſus receptus eſt in cœlũ, & cõſedit à dextris Dei, diſcipuli egreſsi, prædicauerũt ubiq; Dño cooperante & ſermonem confirmante per S I G N A ſubſequẽtia. Et in Actis Apoſtolicis dicitur: Obortus eſt omni animæ timor, multaq; ꝓdigia & ſigna per Apoſtolos edebãtur. Et iterũ: Per manus Apoſtolorꝝ edebantur ſigna & ꝓdigia multa in populo. Ac mox: Magis accreſcebat credẽtium Dño multitudo uirorũ ſimul ac mulierũ, ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut ueniente Petri uel umbra obumbraret aliquẽ illorꝝ. Cõueniebat aũt & multitudo uicinarũ ciuitatum Hieroſolymam, afferens ęgrotos ac uexatos à ſpiritibus immũdis, q; ſanabantur oẽs. Non cõmemorabo nunc, q̃s clauſos Apoſtoli ſanauerint, q̃s mortuos excitauerint, illud tm̃ addam, q̃d ſcriptura de Paulo recitat: Virtutes, inq̃t, non uulgares edebat Deus per manus Pauli, ita ut etiã ſuper infirmos deferrent̃ à corpore eius ſudaria & ſemicincta, & recederent ab eis morbi, & ſpũs mali egrederentur. Verè igit̃ ac manifeſtè impletũ eſt: q̃d Chriſtus hoc loco dicit: Amen amen dico uobis: Qui in me credit, opera quę ego facio, & ipſe faciet. Sed quid obſecro, illud eſt q̃d addit: Maiora his faciet? Quõ potuerunt Apoſtoli maiora facere opera, q̃ Chriſtus fecit? aut demonſtra nobis, ubi ea fecerint? An nõ Chriſtus condidit hunc mũdum, & oĩa, quæ in eo ſunt? Nũ credentes in Chriſtũ poſſunt maiorem & prę̃ſtantiorem mũdum, ac plures & excellentiores creaturas cõdere? Sed quis nõ exſibilaretur, q̃ hoc affirmare auderet? Dicam de minoribus q̃ eſt huius mũdi creatio operibus. Chriſtus reſtituit cæcis uiſum, & excitauit mortuos. Quid maius aut excellentius potuerũt efficere Apoſtoli? Conſiderandum igit̃ eſt, ꝙ Chriſtus nõ loquat̃ hîc de operibus ĩmenſæ ſuæ maieſtatis, quæ arcano modo oĩpotenter facit, ſed loquatur de operib. externi ſui miniſterij, q̃ inter ludęos in carne fungebatur. Nam ſi de operibus imperſcrutabilis omnipotentię Chriſti dicendũ eſt, creauit Chriſtus uniuerſum mundũ, cõſeruat mortuos in uita, & reſuſcitabit eos in extremo die. His operib. nullus uel Patriarcharꝝ, uel Prophetarꝝ, uel Apoſtolorꝝ, uel Monarcharꝝ quãuis potẽtiſsimorꝝ, maiora, imo ne æqualia quidẽ facere poteſt. Quare nõ fit hîc de his operib. ſermo. Si aũt de miniſterio Chriſti (Vocat. n. & Paulus eũ miniſtrũ circũciſionis, & Chriſtus ipſe affirmat, ſe nõ miſſum niſi ad oues ꝑditas domus Iſraelis) dicẽdum eſt, ſcimus eũ cũ adhuc in his terris corporalẽ uitã ageret, publico officio ꝓdicandi Euãgelij inter ludæos functũ eſſe. Quod igit̃ ad hoc externũ officium attinet, Apoſtoli maiora fecerunt opera (non aũt ſua, ſed Chriſti uirtute, quẽadmodum mox ſequit̃) q̃ Chriſtus ipſe fecit. Primũ. n. in die Pẽtecoſtes locuti ſunt Apoſtoli & reliqui credẽtes uarijs linguis, quarꝝ tm̃ nullã prę̃ter uernaculã, humano modo didicerant. Nam cum Grę̃cis loquebãtur grę̃cè,

Actorum 2.

Actorum 5.

Actorum 19.

Diſcipuli an maiora fecerint q̃ Chriſtus ipſe.

cum A-

cum Arabibus, arabicè, cum Romanis latinè. Audimus eos, inquiũt, ſua quiſq; lingua, in qua nati ſumus. Hoc tã inauditũ fuit miraculum, ut oẽs obſtupeſcerent, ac mirarentur ſupra modũ. Chriſtus aũt cùm fungeretur ſuo officio p̃dicandi Euangelij̃ inter Iudæos, nunq; ſic uarijs linguis locutus fuerat, ſed etſi poterat, p ſua maieſtate etiam angelorũ lingua loqui, tñ contentus fuit Euangelion una tm̃ eaq; uernacula ſua lingua adnunciare. Deinde Apoſtoli protulerunt prædicationẽ Euangelij̃ longius & latius, q; Chriſtus, & plures etiã ad fidem Euangelij̃ conuerterũt, q; Chriſtus ipſe ſuo externo miniſterio cõuertit. Nam Chriſtus prædicauit Euãgelion in una tantũ Galilæa & Iudæa, Apoſtoli aũt peruagati ſunt prædicatione ſua totũ orbem̃ terrarum. In omnem, inquit, terrã exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ uerba eorũ. Et Chriſtus pauciſsimis Iudæis perſuaſit, ut ipſum pro Chriſto agnoſcerent, imo cũ raperetur ad crucẽ, omnes ab eo defecerunt. Apoſtoli aũt adduxerunt miniſterio ſuo ad fidem Euangelij̃, non ſolũ plurimos Iudæos, uerũetiam innumeras Gentes. Addam & hoc, Chriſtus nõ perſuaſit Iudæis, ut uel traditiones Phariſaicas abolerent, uel libros earũ traditionum aut aliarũ impietatum cõburerent. Apoſtoli aũt perſuaſerunt Euangelij̃ prædicatione Gentibus, ut Idola ſua abrij̃cerent, & libros, in quibus cõtinebatur impia doctrina, quamuis magno precio ęſtimatos, igni abſumendos traderent. In Epheſo multi erant, qui fuerant curioſa & magica ſectati. Hi poſtq; audiuerũt Euangelion ab Apoſtolo Paulo, non ſolũ abominati ſunt in corde ſuas ueteres impietates, ſed etiam contulerunt libros, & cõbuſſerunt eos coram oĩbus, quos tñ libros manifeſtũ erat ualere quinq; myriadibus argenti, hoc eſt, quinq; millibus aureorum coronatorũ. Hæc & id genus alia, ſunt opera illa de quibus Chriſtus ait: Amen amẽ dico uobis, qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, ac maiora his faciet. Sed quid? inquies: Scio quidẽ Apoſtolos Chriſti tanta opera feciſſe, & miracula edidiſſe, num aũt Chriſtus de Apoſtolis tm̃ loquitur? An nõ clarè dicit: Qui in me credit? Hoc certè non tm̃ de Apoſtolis, ſed de oĩbus in Chriſtum credentibus intelligẽdum eſt. Videmus aũt non oẽs in Chriſtum credentes poſſe edere miracula: Quid ergo ad hęc dicemus? Quid aliud diceremus, quàm q̃d res ipſa loquit̃, uidelicet, q; hæc dicta quidẽ ſint ad Apoſtolos, & de illis tantũ, qui, cùm Chriſtus contuliſſet in ipſos admiranda dona Spũs ſancti in die Pentecoſtes & paulò poſt, prædicauerunt Euangelion eius tam inter Iudæos, q; inter Gentes: non aũt ſentiendum, q; tanta dona ſpiritus ſancti, collata ſint in ipſos, propter ipſos tantùm, ſed maximè oĩm̃ ꝓpter uniuerſam Eccleſiam Chriſti. Non pro eis, inquit, rogo tantùm, ſed & pro ijs, qui crediturí ſunt per ſermonem eorũ in me. Et Paulus: Vnicuiq; noſtrũ, inquit, data eſt gratia iuxta menſuram donationis Chriſti. Quapropter dicit: Cùm aſcendiſſet in altũ, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. De quibus aũt donis præcipuè loquatur Spiritus ſanctus, mox exponit Paulus: Dedit, inquiens, alios quidem Apoſtolos, alios uerò Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores ac Doctores. In quem uſum? Num ut hi ſoli fruantur ſpiritu ſancto, & beneficijs Chriſti? nequaquam. Sed dedit hæc dona propter Eccleſiam ſuam. Sequitur enim: Vt ſancti inſtaurentur ad

Chriſti & Apoſtolicorũ prodigiorum collatio.

Dona quæ conferantur hominibus.

opus ministerij, ut ędificetur corpus Christi, donec perueniamus oēs in unitatem fidei & agnitionis filij Dei. Vides ministerium Euangelij institutū, & miraculis ornatum fuisse, non ꝓpter ipsos tm̄ ministros, sed propter uniuersam Ecclesiam. Quare, etsi, cùm Christus dicit: Qui in me credit, opera quę ego facio, & ipse faciet, ac maiora his faciet, loquitur tantū de Apostolis, & his credentibus, qui initio reuelati Euāgelij post resurrectionem Christi admirandis donis Spūs sancti ad confirmādam ueritatem prędicationis Euāgelij ornati fuerunt, intelligit tm̄ uniuersam Ecclesiam, ac unūquemuis pium in ipsum credētem, fruiturum beneficijs suis, ad quæ cōmendanda, instituta fuerūt miracula, & facturum longè maiora ac prestantiora opera, cꝫ aut si claudum sanaret, aut mortuū excitaret. Hæc em̄ & id genus alia miracula, magna quidē sunt & illustria, ac fuerunt initio ad confirmandū ministeriū Euangelij necessaria: non est aūt necessarium, ut unusquisq; pius talia externa miracula edat. Nam ꝙ per Euāgelion ad credendū in Christum uocātur, hi ad opera longè maiora, cꝫ ad edenda externa miracula uocātur. Ac manifestū est, ꝙ hi, qui credūt in Christum, maxima opera faciūt. Primum em̄ cōsequuntur remissionem peccatorꝝ, & iusticiam corā Deo. Hoc certè maius opus est, quàm sanare claudum, aut cæco restituere uisum. Deinde inflammātur erga proximū, quod opus superat, teste Paulo, donum linguarū, & aliorum miraculorū. Adhuc excellentiorem uiam, inquit Paulus, ostendo uobis: Si linguis hoīm loquar & angelorum, charitatem autem non habeā, factus sum æs resonans, aut cymbalum tinniens. Postremo uincunt mortem & flāmas inferni, & accipiunt ęternam uitā, ut unà cum Christo Dño suo regnent in perpetua fœlicitate. Hoc opus superat omnia genera miraculorum. Et tamen, qui hæc opera faciunt, sunt hoīes natura sua imbecilles, & in hoc seculo contemptissimi. Quid igitur est, quod ipsos tam potentes faciat? Vnde Apostoli tantas uires acceperunt, quod sanauerint claudos, & excitauerint mortuos? Vnde reliquis tanta uirtus accidit, ꝙ uincant nō solum afflictiones huius corporalis uitæ, uerūetiam mortē & infernum. Hoc docet Christus, cùm addit: Quia ego uado ad Patrem. Quid? an Christus, priusq; mortuus est, & resurrexit, ac ascendit in cœlum, non fuit apud Patrem? Cur ergo antè dixit: Ego in Patre sum, & Pater in me? Hìc considera mihi, ꝙ Christus iuxta diuinam suā naturam, unius & eiusdē est naturæ ac maiestatis cum Patre suo, ideoq; nunquam ab eo aut discesserit aut abfuit. Si autem posueris tibi ob oculos humanitatem eius, tunc etiamsi humanitas cōiuncta est cum diuinitate in unitate personæ, tamen in diebus carnis suæ dicitur à Patre abfuisse, propterea quòd susceperat humanas imbecillitates, & tradiderat sese morti obnoxium. Postquam autem mortuus est & resurrexit, dicitur ad Patrem iuisse, propterea quòd per mortem & resurrectionem ingressus sit in regnum cœleste, & consederit ad dextram Patris, ut non solum intercederet pro nobis, ac redderet nobis Patrem placatum, uerumetiam ut dominaretur diuina maiestate & omnipotentia tam in cœlo quàm in terra. Cùm ergo dicit, Maiora his faciet, quia uado ad Patrem, sensus est, Ego etsi morior nunc, tamen non pereo morte, sed iterum

Credentes in Christum maxima opera faciunt.

rum resurgam & accipiam summam potestatem in regno Patris, ideoq; non solum impetrabo, ut uobis Pater faueat, uerũetiam efficiam, ut maiora opera faciatis, q̃ ego externo meo ministerio feci. Hactenus nondum fui glorificatus. Non igitur mirũ est, q; uix ea effecerim, quæ Propheta quispiam faceret. Postq̃ autem resurrexero à morte, ita glorificabor, ut uestro ministerio, multò plura & maiora effecturus sim, q̃ ego antè meo ministerio efficere uisus sim. Vnde & apud Matthæum ascensurus in cœlum ait: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete oẽs gentes, baptisantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti, docentes eos seruare oĩa quęcunq; præcepi uobis. Et: Ecce Ego uobiscũ sum oĩbus diebus usq; ad cõsummationem seculi. Non est igitur existimandum, q; Christus deseruerit Ecclesiam suam, quia abiuit ad Patrem, sed potius sentiendum est, q; iam primùm rectè & insè parabiliter sese cum Ecclesia abitione sua coniunxerit, atq; adeo, quicquid nobis periculorum & calamitatum imminet, credendum est, rem rectè se habere, q; Christus abierit ad Patrem, & sedeat ad dextram Dei. Non em̃ sedet ibi ociosus & ignauus rerum spectator, sed sedet ut rex in regio throno, omnia administrans, & oĩa gubernans. Nec sedet ibi solus, sed recipit ad se oẽs in ipsum credentes. Omnia, inquit Paulus, subiecit sub pedes illius, & dedit eum caput super omnia ipsi Ecclesię, quæ est corpus illius, cõplementum eius, qui omnia in oĩbus adimplet. Et mox: Deus qui diues est in misericordia, cõuiuificauit nos unà cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Hic palàm affirmat Paulus, Christum duxisse secum credẽtes in ipsum, ad dexteram Dei, quemadmodũ & Christus ipse suprà dixit: Si abiero ad parandum uobis locum, iterũ ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Quare si uel morbus, uel mors etiam ipsa minatur nobis exitium, meminisse debemus maiestatis nostræ per Christum partæ, ut bene in omnibus malis confisi, uictoriam cœlestis uitæ reportemus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXVII.

EXposuit Christus duo factorum genera, quibus ueritatem doctrinę suæ, hoc est, diuinitatem suam probauit. Alia enim sunt miracula, quæ ipse in carne sua edidit. Alia sunt miracula, quæ Apostoli in nomine eius, postq̃ acceperunt spiritum sanctum, ediderunt. Addit ergo nunc tertium diuinitatis suæ argumentum, & dicit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater per filium. Si quid petieritis per nomẽ meum, ego faciam. Dixi antea, Vos maiora opera facturos, q̃ ego fecerim. Quod cùm mea uirtute & potentia fiat, perspicuũ est, me esse uerum Deum. Sed ut apertius intelligatis meam diuinitatem, ego non solum efficiam, ut maiora faciatis opera, q̃ ego feci, sed etiam efficiam, quicquid meo nomine petieritis. Omnes inuocantes Patrem meo nomine ita exaudiã, ut quicquid petierint, consequantur. Si aũt Christus exaudit inuocantes Patrem suo nomine, & facit eos uoti sui compotes, quid aliud reliquum est, quàm

Christi diuinitas & maiestas probatur exaudi-tione credentium.

quòd ipſe ſit in Patre,& Pater in ipſo,hoc eſt,quòd ſit uerus & omnipo-
Veræ inuocationis doctrina. tens Deus? Niſi enim eſſet Deus,eiuſdem naturę,maieſtatis,& omnipo-
tentiæ cum Patre, non poſſet inuocantes in oĩbus ĩs,quæ petunt, iuua-
re. Porro hoc dictum Chriſti nõ tantum docet diuinitatem Chriſti, ſed
etiam erudit nos de uera inuocatione. Ac ne quis exiſtimaret Chriſto te-
Ioan. 16. merè excidiſſe,repetit hoc loco iterum,ac poſtea tertiò: Amen,amen,in
quiẽs,dico uobis,quęcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uo-
bis. Quare debemus hoc dictum magna obſeruantia cõſiderare & tene-
re,ut diſcamus ex eo rectè orare,ac Deum ita inuocare, ut quicquid peti-
erimus,impetremus. Manifeſtum em̃ eſt, q; Deus uócet nos ad oratio-
nem & inuocationem,mãdatis ſuis. Iubet nos nomen ſuũ uenerari, hoc
certè eſt iubere,ut nomẽ ipſius inuocemus. Et: Inuoca me,inquit, in die
tribulationis. Et: Petite,& accipietis. Sunt etiam multa alia dicta,quæ iu-
Luc. 18. bẽt nos orare ſemper, nec unq; defatigari. Manifeſtũ etiam eſt, q; Deus
inuitet nos ad orationem & inuocationẽ promiſsionibus ſuis. Antequã
clamauerint,inquit,ego exaudiam,adhuc loquẽtibus ipſis ego audiam.
Et iterum: Quicunq; inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. Manife-
ſtum & hoc eſt,quòd neceſsitas noſtra urgeat nos ut oremus,& inuoce-
mus Dñm. Sed hoc opus,hic labor eſt,ut RECTE oremus,ne oratio
noſtra fiat nobis in peccatũ, & repellamur à Deo. Sumamus igitur hoc
dictum Chriſti in manus,imo in mentem & animũ noſtrum,ut cogno-
Orandi & inuocãdi uerus modus. ſcamus ex ipſo rectum modum orandi & inuocandi Dei. Quicquid pe-
tieritis,inquit,nomine meo, hoc faciam. Primùm oĩm conſiderandum
eſt uerbum PETENDI. In oratione enim ſeu inuocatione, peten-
dum eſt aliquid. Oratio debet eſſe PETITIO. Ergo non orant, qui
alienata mente, uerba tantùm recitant. Deinde quod dicit, QVIC-
1. Res petenda. QVID, uel quodcunq;,nihil excipit, quod non ſit petendum in ora-
tione. Omnia,quæ exigit noſtra neceſsitas,petenda ſunt. Enumerantur
autem duplicia bona, quibus humana neceſsitas indiget. Alia ſunt cor-
poralia,ut ſanitas corporis,alimenta,& id genus reliqua. Alia ſunt ſpiri-
tualia & cœleſtia,ut ſunt, Remiſsio peccatorum, iuſticia, conſeruatio in
morte,& æterna beatitudo. Cùm ergo dicit: Quodcunq;, nihil horum
bonorũ excipit,ſed uult, ut inuocemus Deum in indigentia tam corpo-
1. quis inuocandus. ralium,q; ſpiritualium bonorũ. Pręterea conſiderandũ erit, QVIS ſit
inuocãdus. Hoc quidem loco nõ additur, PATREM, ſed poſtea ca-
pite decimoſexto diſertè ait Chriſtus: Quæcũq; petieritis PATREM.
Non remittit nos Chriſtus ad inuocãdos uel Patriarchas, uel Prophe-
tas, uel Apoſtolos, uel Martyres, uel alios ſanctos mortuos, ſed ad Deũ
Patrem uiuum. Ergo, inquis, nec filius, nec ſpũs ſanctus ſunt inuocãdi?
Certè ſunt, quia unus eſt Deus, Pater, filius & ſpũs ſanctus. Quare qui ue-
rè inuocat Patrem, is etiam inuocat filium & ſpiritum ſanctũ. Et tamen
ſuus eſt perſonarum diuinitatis ordo. Pater enim à nullo eſt genitus, &
eſt origo diuinitatis. Filius eſt à Patre genitus, & habet ab æterno ſuam
diuinitatem à Patre. Spiritus ſanctus procedit ab utroq;, Patre uidelicet
& filio. Ergo iuxta hunc perſonarum ordinem, inuocãdus eſt Deus PA-
TER, per Filium, ut det nobis SPIRITVM ſanctum. Itaque hy-

pocritæ

pocritæ, qui inuocant ſanctos mortuos, non orant piè, ſed impiè, quòd eum inuocationis honorẽ, qui ſoli Deo debetur, tribuant creaturis. Deinde addit Chriſtus, MEO NOMINE. Orandus enim & inuocandus eſt Deus Pater Nomine Chriſti. Cognoſcendum igitur eſt, quid ſit nomine Chriſti orare. Sed ut hoc explicemus, primùm oĩm uidendum erit, quis ſit Chriſtus, & quod ſit officium eius. Chriſtus aũt eſt unigenitus filius Dei, qui aſſumpſit hominem, ut reconciliaret cum Deo Patre ſuo humanũ genus, ac impetraret, ut Deus adoptaret in filios ſuos, & in hæredes cœleſtium bonorum, omnes eos, qui fide ſua ipſum agnoſcũt. Nihil enim erat miſerius, nihil calamitoſius homine, quippe cui ꝓpter peccatum Deus ita iraſceretur, ut abiecerit eum non ſolũ in omnes corporales afflictiones, uerumetiam in perpetuam internecionem. Sed filius Dei miſertus hominis, induit hominem, ut expiaret peccatum eius, & pacificaret eum cum Deo Patre, quò ab interitu ſeruaretur. Nec uanũ fuit inſtitutum filij Dei. Nam cùm Deus impoſuiſſet ei crucem & mortem, ac ipſe ſuſcepiſſet eam obedientiſsimè, in tantum delectatus eſt hac obedientia, ut iurauerit, ſe propter ipſum oĩbus credentibus in ipſum propicium fore, & ſeruaturum eos in morte ad æternam beatitudinem. Iurauit, inquit ſcriptura, Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos inæternum, ſecundum ordinem Melchiſedec: hoc eſt, propter te ero placatus inæternum omnibus ijs, qui te fide accipiunt. Quare Deum Patrem in nomine Chriſti inuocare, eſt credere, ꝙ Deus ſit nobis propicius, remittat nobis peccata, uelit nobis benefacere, ac in omnibus periculis ſeruare propter Chriſtum filium ſuũ, & ex hac fide petere, ut neceſsitati noſtræ, pro qua eum inuocamus, ſuccurrat. Itaq; is dicitur uerè in nomine Chriſti orare, qui inuocat auxilium Dei, non propter merita ſuæ ipſius iuſticiæ, ſed ꝓpter merita Ieſu Chriſti, ſeruatoris noſtri. Non uerè inuocant Deum Ethnici, non Turcæ, non Iudæi, qui nunc ſunt, nõ hypocritæ, quia alij non requirunt Chriſtum, alij contemnunt, & conuicijs proſcindunt eum: alij etſi uidentur ipſum colere, tamen aut ignorant, aut non curant officium eius, ideoq; non inuocant Deum in nomine Chriſti. Solus autem is uerè Deum inuocat, qui agnoſcit Chriſtum, & credit ꝙ Deus ſit ipſi propicius ac reſpiciat & exaudiat ipſum in petitione ſua propter Chriſtum. Omnino eñ neceſſaria eſt in inuocatione FIDES. Omnia, quæcunq;, inquit Chriſtus, petieritis in deprecatione CREDENTES, accipietis. Et iterum: Omnia poſsibilia CREDENTI. Et Iacobus: Si quis ueſtrum, inquit, indiget ſapientia, poſtuletà Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Poſtulet aũt in FIDE, nihil hæſitans. Qui enim hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à uento mouetur & circumfertur. Non ergo æſtimet homo ille, quòd accepturus ſit aliquid à Dño. Habes perſpicuè, quòd in oratione exigatur FIDES, quæ certè non eſt dubitatio, ſed certiſsima ac firmiſsima perſuaſio, de his rebus, quæ accipiendæ ꝓmittuntur. Primũ igitur, cùm inuocamus Deum, debemus certi eſſe per fidem, ꝙ Deus faueat nobis, & adoptauerit nos in filios ſuos, propter Ieſum Chriſtum. Hæc fidei certitudo ſi abſuerit, uaniſsima eſt oĩs oratio: imo ne oratio

3. Cuius fiducia inuocandus Deus.

In nomine Chriſti inuocare.

quidem est. Deinde debemus per fidē certi esse, ꝙ Deus uelit nobis clementer dare eam rem, pro qua ipsum inuocamus. Quid? inquies. Quomodo possum esse certus uel de fauore Dei erga me miserum peccatorem, uel de accipiendis ijs rebus, quas peto, cùm Paulus dicat: Quid oremus, sicut oportet, nescimus? Scio quidē Euangelion proponere Christum propiciatorem humani generis, & expiatorem peccatorum, sed incertus sum, an iste expiator ad me quoq; priuatim pertineat. Inuenio in Euangelicis scriptis nomen Petri, Andreę, Pauli & aliorum sanctorum. Ad hos scio Christum pertinere, sed quia non inuenio meū nomen expressè in sacris literis, ualde dubito, num Deus fauore suo me cōplectatur. Quid autē dico de rebus ipsis quas peto? quomodo de ijs possum certus esse, cùm intelligam nōnullas earū ne quidem ꝓmissas mihi esse? quò igitur me uertam? Non aliò te uertas, q̄ ad Christum ipsum, & Euāgelion eius. Etsi em̄ non inuenis nomen tuū in Euangelio Christi, externis literis mandatum, tñ si inuenis te per fidem in Christo ipso, inuenis etiam te nominatim scriptum in libro cœlestis uitæ. Christus enim nō instituit tantū publicam & generalem prædicationē Euangelij sui, qua omnibus in cōmune promittat fauorē Dei, & adoptionem in filios Dei, sed instituit etiam sacramenta, baptismum uidelicet & cœnam Dominicam, quibus unumquemq; utentem ipsis certificet, quòd Deus complectatur ipsum priuatim fauore suo, & adoptet eum in filium suū, ideoq; & singuli baptisantur, & singulis datur cœna Dominica, ut unusquisq; certò sciat, Christum non ad alios tantùm, sed etiam ad seipsum pertinere. Atq; hæc quidem diximus de certitudine fauoris Dei per Christum, quæ certitudo primùm oīm in oratione requiritur. Quod autem Paulus ait: nos nescire, quid orare debeamus, ut oporteat, & quod de incertitudine rerum, quæ oratione peti solent, obijcitur, sciendum est, ꝙ Paulus nō loquatur de rebus, quæ propriè ad regnū Christi pertinent, & quæ per uerbum Domini expresse promissæ sunt, Sed loquitur partim de rerum circumstantijs, quas pater posuit in sua potestate, partim de rebus corporalibus, de quibus non extant certæ promissiones Dei. Nam quædam sunt (ut suprà indicauimus) res spirituales, quæ propriè ad regnum Christi pertinent, quales sunt: Remissio peccatorū, Iusticia, Liberatio in morte, & uita æterna. De his extat manifestum Euāgelion Christi. Ad has res nobis conferendas uenit Christus in hunc mudum. Quod igitur ad has attinet, non nescimus, sed perspicuè cognoscimus, quid orandum sit. Nec est de uoluntate Dei dubitandum, sed firma fide petendum, ut remittantur nobis peccata, & seruemur in morte ad uitam propter Christum. Hęc est, inquit, uoluntas eius, qui misit me, ut omnis qui uidet filium, & credit in eum, habeat uitā æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Quare in petitione remissionis peccatorum, & salutis propter Christum, non est addendum: Si Dñs uoluerit, sed potius dicendum est: Quia certò scio te Domine, uelle credenti remittere peccata, & seruare eum in morte propter Christum filium tuū, idcirco peto, ut hæc dona tua mihi contingant. Quædam sunt res corporales, quæ non propriè pertinent ad regnum Christi, sed ad utilitatem & necessita-

Rom. 8.

In petitione remißionis peccatorum non esse dubitandum.

tem

tem huius corporalis uitæ,qualis est,sanitas corporis,alimẽtum corporis,liberatio ex hoc uel illo morbo,aut periculo corporis, externa uictoria, Benedictio frugum in agris, Conseruatio domus ne absumatur incendio,& multa id genus alia.In his rebus,si habemus certam & expressam ꝓmissionem Dei,nõ est de uoluntate Dei dubitandum,nec in oratione addendum: Si Dñs uoluerit, quippe ꝙ uoluntas Domini nobis iam per ꝓmissionem nota sit.Cùm Israelitę in exitu de Aegypto premerẽtur ab hostibus,& consisterent ad mare rubrum,audit Moses à Dño: Extende manum tuã super mare & diuide illud,ut gradiantur filij Israel in medio mari per siccum. Hîc certa est promissio ꝙ Deus uelit Israelitas illæsos per mare traducere & seruare. Non igitur dubitandum erat Mosi & alijs pijs de uoluntate Dei, sed sine omni tergiuersatione orandum,ut Deus ipsos per hoc mare illęsos traduceret.Ad Iosua dicitur:ecce dedi in manu tua Ieriho & regem eius,omnesq; fortes uiros.Hîc manifestè promittitur duci Iosuæ uictoria super Ieriho & regem eius. Quare Iosua, q̃d ad hanc rẽ attinet, non nesciuit, sed ꝑspicuè cognouit, quid esset orandum.Si aũt in rebus corporalibus non extat certa & specialis, sed tantũ generalis promissio diuini auxilij, ibi tum scimus quidẽ Deũ nos seruaturũ,ideoq; salus confidenter petenda est per Christum, nescimus autẽ,quo modo uelit nos seruare,ideoq; si præscribimus Deo modum seruandi,reñciendum id est in uolũtatem Dei,& quod Christus in sua oratione dicit:Non sicut ego uolo,sed sicut tu uis,idem etiam nobis usurpandum erit.Quod diximus,explicabimus exemplis,ut rectã orandi rationẽ teneamus.Laboras grauissima febri, & inuocas Deum, ut te huius morbi grauitate liberet.Quid ergo faciẽdum est,ut recta & pia sit inuocatio? Habes quidẽ generalem salutis ꝓmissionem, ꝙ cùm credis inChristum,Deus sit te seruaturus ꝓpter Christum: nõ extat autem certa promissio,ꝙ Deus uelit te ex hac febri,& hoc tempore,&per has,quibus uteris, medicinas liberare. Quare orandus est quidẽ Deus certa fiducia,ut seruet te clementer,sed in petitione liberationis ex hac febri,& conseruationis in hac corporali uita, respiciendum erit in manum Domini,&addendum:Non sicut ego uolo,sed sicut tu uis,& agnoscis mihi in bonum adiumento esse.Alius habet agrum frumentis plenum,&metuit in periculosa tempestate,ne grando noceat. Quomodo ergo hic orare debet? Extat ꝓmissio Dei de pane quotidiano.Et: Nouit Pater cœlestis, ꝙ his omnibus opus habeatis.Non aũt extat promissio,ꝙ Deus uelit hoc frumentũ,quod hoc tempore est in agro, seruare, & nobis per hoc frumentum panem dare. Orandum igitur est certissima fiducia,ut Deus faueat nobis propter Christum,& tueatur nos.Hæc enim uoluntas Dei per Euangelion notissima est: sed quia non est uerbo Dei reuelatum,ꝙ Deus uelit hoc frumẽtum,hoc tempore à grandine seruare, & homo non in solo pane uiuit,sed in omni uerbo,quod egreditur de ore Dei,idcirco orandum quidẽ est,ut Deus hoc frumẽtum tueatur, sed uoluntas nostra subijcienda est uoluntati Dei,& addendum: Non sicut ego uolo,sed sicut tu uis. Hæc certè obedientia exigitur à nobis in his rebus, de quibus nõ habemus certas Dei promissiones. Quæ obedientia

Res corporales quomodo petendæ sint à Deo

Exempla rerum corporalium petendarum.

placet Deo tam mirificè,ut ſi eam prę̃ſtiterimus,largiatur nobis nõ tantum promiſſa,uerumetiam ea,quæ nõ ſunt manifeſtè promiſſa. Dauid eĩcitur in exilium à ſuo ipſius filio. Non dubitabat quidẽ Dauid in hac afflictione ſe Deo curæ eſſe, ſed neſciebat,num rediturus eſſet ab exilio incolumis ad regium ſuũ thronum in urbẽ Hieroſolymam.Quare ſubĩcit ſe diuinæ uoluntati,& ait: Si inuenero gratiam in oculis Dñi,reducet me,& oſtendet mihi arcam : ſin aũt dixerit mihi: Non places,prę̃ſtò ſum,faciat quod bonũ eſt coram ſe. Hac obedientia Deus ita delectabatur,ut magna gloria eum regno ſuo reſtituerit. In Daniele tres adoleſcẽtes,qui nolebant adorare ſtatuam,ꝓducuntur in fornacem ignis cõiciendi.Et audiunt: Quis eſt Deus qui eripiet uos de manu mea? Quid ergo facerent adoleſcentes? Certa promiſsio Dei extabat, ꝙ Deus uelit oẽs pios in periculis,adeoq́ in morte ipſa ſeruare, non aũt extabat promiſsio,ꝙ uelit hos adoleſcentes ſeruare illæſos in hoc igni,ut diutius uiuant corporalem uitam.Quare inuocant quidẽ Deum,ut tueatur ipſos, ſed quia non habent certã promiſsionem de externa liberatione ex hoc igni,ſubĩciunt ſe diuinę uoluntati,&reſpõdent Regi:Non oportet nos de hac re tibi reſpondere:Ecce eñ Deus noſter,quem colimus,poteſt eripere nos de camino ignis ardentis,& de manibus tuis, ô Rex liberare. Quòd ſi noluerit,notũ tibi ſit Rex, ꝙ deos tuos nõ colimus,& ſtatuã aream,quam erexiſti,nõ adoramus. Hæc eſt inſignis obedientia, quæ & Deo ita placuit, ut etſi nõ ꝓmiſerat eis manifeſtè externã liberationem, tñ ſeruauerit eos mirãdo modo illæſos.Sed de fide, quæ eſt habenda in oratione,ſatis nunc dixiſſe uidemur.Redeamus igitur ad id quod exponendum ſuſcepimus, uidelicet, quid ſit in noĩe Chriſti orare. Oſtendimus enim,ꝙ orare in nomine Chriſti,ſit inuocare Deum Patrem ex hac fide,ꝙ Deus ſit nobis propicius,& agnoſcat nos filios ſuos, propter leſum Chriſtum.Hoc.n.eſt Deum adorare in ſpũ & ueritate,quemadmodum aliâs Chriſtus docet.Ex hoc autẽ facilè intelligi poteſt, ꝙ non ſolũ Turcæ & alĩ impĩ,qui Chriſtum perfricta fronte damnant, ſed etiã hi, qui aut inhoneſta & ſcelerata,aut honeſta, ſed ad impium & inhoneſtũ uſum ac finem petunt,nõ inuocent Deum in nomine Chriſti. Adulter orat,ut fortunatus ſit in explẽda animi ſui cupiditate. Impoſtor orat,ut fœliciter ſuccedãt nugæ ſuæ.Hæ ſunt impiæ & ſceleratæ preces.Helluo orat,ut Deus benedicat frumento & uino. Et hactenus honeſtè quidem orat,ſed quia hunc finem ſibi proponit,ut helluetur,ſceleratè orat. Hoc certè non eſt in noĩe Chriſti,ſed in nomine Satanæ orare. Chriſtus eñ non eſt autor impietatis & ſcelerum,ſed eſt autor omnis pietatis & iuſticiæ.Quare,ne nomen Chriſti blaſphemia afficiatur, petenda ſunt in nomine Chriſti pia & honeſta, idq́ ad pium & honeſtum uſum ac finem. Poſtremò cùm Chriſtus ait: EGO FACIAM, etſi perſpicuè tribuit ſibi maieſtatem & potentiam diuinitatis,in eo, ꝙ recipit & promittit ſe ipſum omnia ea facturum & daturum, quæ nomine eius petuntur, tamen non exponit interim,quibus modis ſit ea,quæ promittit,facturus. Dicit aliâs: Non eſt ueſtrum noſſe tempora & articulos temporũ,quos Pater in ſua ipſius conſtituit poteſtate. Sic & Chriſtus filius Dei Pa-

In nomine Chriſti orare.

tris

tris constituit in sua manu eos modos, quibus faciat, quod nomine eius petitur. Nam cũ inuocamus Deum, ut cõferat auxilium suũ in aduersis, solet aliquoties aliũ liberandi modum caro, alium spũs prescribere. Laborat quispiã, exempli gratia, graui morbo, & inuocat Deum per Christum, ut ipsum hoc morbo liberet. Hîc caro petit, ut liberetur cito, externo etiã sensu. Spũs autem qui nouit sentẽtiam Dei, & intercedit, ut Paulus ait, pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, petit, ut is qui Deum inuocat diutius morbo afflictetur, & tñ liberetur, hoc est, conseruetur, ne in morbo pereat. Intelligit enim spũs, ꝙ diuturnus morbus afferat pio sua cõmoda, quæ caro intelligere nõ potest. Alius quispiam premitur onere paupertatis, & orat Deũ per Christum, ut faciat ipsum diuitem. Hîc caro præscribit alium modum tribuendarum diuitiarũ, petit, ut detur ipsi multa pecunia, Spiritus autem alium, prout Dño uisum fuerit, modum cogitat, uidelicet, ut is nullam consequatur pecuniam, sed in sua externa paupertate maneat, & tñ conseruet, ne in paupertate intereat. Videt enim huic pio, externas diuitias magno fore incommodo. Datus est quondam Paulo stimulus, in carne, angelus Satanę, qui ipsum colaphis cęderet. Hæc erat Paulo maxima afflictio. Rogauit igitur ter Dñm, ut hunc angelum Satanę ab ipso abigeret. Hîc alium modum abigendi Satanæ prescribebat caro, alium spiritus. Caro uolebat extrinsecus & sensibiliter ab hac afflictione liberari. Spũs autẽ, qui intelligebat, quid Paulo uerè prodesset, petijt, ut hæc afflictio Paulum diutius excruciaret, sed ita, ut in ea cõseruaretur. Quid ergo factum est? Christus uerè exaudiuit orationem Pauli, non quidẽ iuxta sensum carnis, sed iuxta sensum spũs, & ait: Sufficit tibi gratia mea: nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Exaudit enim Christus in oratione spiritum, nõ carnem, quippe ꝙ sciat spiritum intercedere pro sanctis SECVNDVM DEVM. Quare si credimus in Christum, & inuocauerimus Patrem in nomine Christi, dubitandum non est, quin uerè exaudiantur preces nostræ, sed interim nõ est aduersus Deum murmurandũ, si non percipiamus implectionem precũ iuxta carnalem sensum. Qui eñ scrutatur corda, audit inenarrabilem gemitum spũs. Sed de his hactenus. Audiamus nunc quo consilio facturus sit Christus, quicquid noĩe suo petitur. Dicit enim: Vt glorificetur Pater per filium. Suprà dixit: Deus glorificabit filium hoĩs. Et postea orat: Glorifica filium tuũ. Nunc autem dicit, quòd filius glorificet Patrem. Quid ergo est, quòd Pater glorificat filium, & uicissim filius glorificet Patrem? Hoc nimirùm est, ꝙ natura unus tantũ sit Deus, duæ aũt distinctæ personæ, PATER & FILIVS. Ac quidem filius glorificat Patrem Euangelio, miraculis, obedientia, passione & morte sua, quia testificatur Deum esse clementissimum, & misericordissimũ, qui remittat peccata gratis, sine ullo humanorum meritorũ respectu, ac ita faueat credentibus in Christum, ut adoptet eos in filios, cõseruet eos in morte, & det eis cœlestem hæreditatem. Hæc est maxima omnium gloria Dei, quæ illustratur Euangelio Christi: Pater autem uicissim glorificat filium, quia non solùm ornat eum dono edendorum miraculorum, uerũetiam excitat eum tertia die à morte, iubet eum sedere ad dex-

Liberãdi modos diuersos præscribunt caro & spiritus.

Roma. 8.

Finalis causa exaudi-tionis.

tram ſuam, mittit nomine ſuo ſpiritum ſanctũ,& ſubĩcit ei omnia, quæ ſunt in cœlo & in terra. Quibus rebus Pater palàm declarat, & teſtificatur, quòd filius ſit uerus & omnipotens ab æterno Deus. Qua maieſtate, qua gloria, quid poteſt excellentius dici? Cùm igitur cognoſcamus per filium, quòd Pater nobis ſit propicius,& uiciſsim cognoſcamus etiam per Patrem, quòd filius ſit uerus Deus, agite amiciſsimi, tribuamus utriq; ſuum honorem, per ſpiritum ſanctum, ut inuocantes Deum magna animi fiducia, conſequamur cœleſtem ſalutem per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXVIII.

HActenus Ieſus Chriſtus, ſeruator noſter, à Thoma & Philippo excitatus, expoſuit Eccleſiæ diuinam ſuam maieſtatem,& cõmendauit eam fide ſuſcipiendam: Philippe, inquiens, qui me uidet, uidet & Patrem meũ. Et iterum: Non credis quòd ego in Patre ſum, & Pater in me? Quæ cùm pro huius loci ratione ſatis perſpicuè explicata ſunt, reuertitur nunc Chriſtus ad cohortationem & cõſolationem, quã in principio huius capitis inſtituit. Et ait: Si diligitis me, præcepta mea ſeruate. Hæc ut rectè intelligamus, cognoſcẽdum erit quæ ſint præcepta Chriſti. De qua re, etſi aliâs ſæpe diximus, tñ & hic locus monet, ut pauca de ea dicamus. Sciamus igitur Chriſtum nõ impoſuiſſe Eccleſiæ ſuæ præcepta Moſi. Per Moſen eñ, inquit Ioãnes, lex data eſt, per Ieſum Chriſtum aũt gratia & ueritas. Quare Chriſtus non dicit: Si diligitis me, ſeruate præcepta Moſi, ſed ſeruate præcepta MEA. Videamus igitur, quæ præcepta Chriſtus diſcipulis dederit. Ac primũ præcepit eis, ut credant Euangelio ſuo, ut credant in ipſum, quòd ſit uerus ille Meſsias, quem Prophetæ promiſerunt,& ut confiteantur ipſum coram hoĩbus,& adnuncient Euangelion ipſius in toto orbe terræ. Credite, inquit, in Deum & in ME credite. Et iterum: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Et poſtea: Ite in uniuerſum mundum, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Deinde præcepit eis, ut ſe inuicem diligant. Præceptum nouũ, inquit, do uobis, ut diligatis uos mutuò, ſicut ego dilexi uos. Quæ autem Apoſtolis ſunt præcepta, hæc etiam ſunt præcepta uniuerſæ Eccleſiæ Chriſti, unicuiq; uidelicet in ſua uocatione. Vnuſquiſq; eñ, qui tenetur cupiditate conſequendę ſalutis, & fruendi beneficij Chriſti, debet credere in Ieſum Chriſtum, q; ipſe ſolus ſit iuſticia & redemptio eius, & ex hac fide nomen Chriſti pro ſua uocatione glorificare: deinde debet etiam proximum ſuũ pia dilectione complecti, & ei pro ſua uirili benefacere. Hæc ſunt præcepta, quæ Chriſtus ab uniuerſa Eccleſia ſua exigit. Quare qui diligit Chriſtum, incumbat in hoc ſtudiũ, ut his præceptis obſequatur. Hic nũc perſpicuè uidere potes, qui ſint oſores Chriſti, non dico inter Turcas & Iudæos, ſed inter Chriſtianos ipſos. Sunt.n. qui gloriãtur, ſe nõ ſimpliciter eſſe Chriſtianos, uerũetiam uicarios Chriſti, & defenſores fidei Chriſtianæ, interim tamen perſequũtur doctrinam Chriſti,& tanto odio piorum ardent, ut cupiant eos ferro, flamma,& quouis ſupplicior̃ genere extinctos. Non igitur ſunt

Chriſti præcepta quæ ſint.

amatores,

amatores, sed osores Christi, nec sunt fidei Christianæ defensores, sed quantũ in ipsis est, deuastatores. Porro, etsi seruare præcepta Christi, maximè salutare est, tñ multis & magnis constat periculis. Nec dubiũ est, quin cùm Christus hæc diceret, uenerit Apostolis in mentẽ eorũ pericu lorũ, quæ seruantibus præcepta Christi accidere solent. Quid? Tu iubes quidẽ nos præcepta tua seruare, in te credere, & Euangelion tuum præ/ dicare, quis aũt te abeũte, tuebitur nos in ñjs periculis, quæ nobis in hac tua uocatione obuenient? Dictum est olim de Satana, q̃ cùm tu cõteras caput eius, ipse uicissim mordeat calcaneum tuũ. Quare si senserit caput suũ Euangelio nostro peti, coorietur in nos totis suis uiribus. Nam quẽ admodum uoluit statim ab initio creationis suæ te inuadere, & è throno maiestatis tuæ te proturbare, ita semper te postea in Patriarchis, in Pro/ phetis, & alijs pijs crudeliter persecutus est. Nõ dubitamus igitur, quin & hoc tempore, si in te crediderimus, & Euãgelion tuum ad destruendã potentiam eius prædicauerimus, grassaturus sit aduersum nos omni ge/ nere crudelitatis. Primùm eñ excitabit aduersus nos Iudæos & gentes, qui non solum ejjcient nos in exilium, uerũetiam trucidabunt nos. De/ inde, etiamsi non oẽs trucidemur, tñ Satan affliget nos internis & spiri/ tualibus persecutionibus. Objjciet nobis in conscientia, & exaggerabit peccata nostra, cõcutiet nos horrore perpetuæ mortis, exufflabit in no/ bis flãmas inferni ignis. In tantis angustijs, quid faciemus? quò nos uer temus? aut quis erit, te abeunte & nos deserẽte, tutor ac defensor noster? His seu cogitationibus seu tẽtationibus respondet Christus, & ait: Ego rogabo Patrem, & aliũ Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quẽ mundus non potest accipere, quia nõ uidet eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud uos ma net, & in uobis erit. Obseruabilis promissio, quæ affert Ecclesiæ Christi maximã consolationem. Scio quidem (inquit) q̃ post discessum meum maneant uos multæ & graues afflictiones, sed bene confidite, ego cura/ bo ut me abeunte mittatur uobis alius paracletus, hoc est, consolator, tu tor & defensor, qui non discedat à uobis, ut ego nunc discessurus sum, sed maneat semper uobiscum, quo præsente satis tuti eritis in oĩbus ad/ uersis. Sed cur non perstringimus singulas huius promissionis partes? Primùm igitur, Rogabo, inquit, patrem. Quid? Antè dixit se facturum, quicquid noĩe suo petatur, quo significauit, se esse uerum Deum. Nunc autem dicit, se rogaturum patrem. Quomodo hæc conueniunt? An non minor est qui rogat, eo qui rogatur? Filius aũt natura & maiestate æqua lis est patri. Quomodo ergo dicitur patrem rogare? Num in diuinitate una persona aliam rogat? Minimè oĩm. Vnus enim est Deus, una est ma iestas patris, & filij, & spũs sancti. Sed Christus loquitur hoc loco iuxta suam humanitatem, ut quemadmodum antea docuit se esse uerum De/ um, ita nunc doceat, se esse etiam uerum hominem. Itaque, ut rectè de Iesu Christo sentiamus, credendum est, quòd in personæ unitate, sit & uerus Deus, & uerus homo. Sed quando rogauit Christus Patrem? Re/ censetur quidem in capite 17. huius Euangelistæ insignis & memo/ rabilis oratio, qua Christus commendat Apostolos & Ecclesiam suam

Præcepta Dei seruanti um tentatio nes & cogi tationes.

Christus æ- qualis Patri cur roget Patrem.

tutelę patris, non eſt aũt ſentiendum, quòd Chriſtus orauerit pro Eccleſia in hac tantum corporali uita, ante paſsionem & mortem ſuã, ſed orat & intercedit pro ea, etiam poſt reſurrectionem ſuã, iam in dextra Patris ſui ſedens. Pſalmus uocat eum, ſacerdotem inæternum. Sacerdotis autẽ eſt, pro populo orare. Cùm igitur Chriſtus ſit perpetuus ſacerdos, perſpicuum eſt, quòd etiam perpetuo pro Eccleſia ſua oret. Sed & Paulus ait: Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imo qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dextram Dei, qui & INTERCEDIT pro nobis. Quis autem exiſtimare poſſet, orationem filij Dei eſſe uanam & irritam? Quis iudicaret Patrem non exaudire eius orationẽ, de quo ipſemet teſtificatus eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum eſt? Quare ſentiamus Eccleſiam, hoc interceſſore, ita tutam eſſe, ut nullis aduerſis, ac ne morte quidẽ ipſa opprimi queat. Sed quid rogat Chriſtus Patrem? Vt det ſeu mittat alium paracletum (hoc eſt) conſolatorem & defenſorem. Quid ergo ad hoc dicemus? An Chriſtus non eſt ipſe ſatis potens, qui conſoletur & tueatur ſuã Eccleſiam? Certè nihil ei uirium deeſt, ſed ſignificat ſe deinceps non acturũ uitam apud Eccleſiam ſuam, externa & uiſibili conuerſatione. Quo enim tempore Chriſtus egit externam uitæ cõſuetudinem cum diſcipulis ſuis, diligenter curauit, ne quid aduerſi ipſis accideret, & ſi quid accidiſſet, liberarentur. Phariſęi calũniabantur eos, ſed Chriſtus defendebat, & refutabat calumnias. Deerat cibus, ſed Chriſtus parabat cibum mirando modo. Deerat pecunia, ſed Chriſtus iubebat Petrum, ex ore piſcis pecuniã accipere. Periculum erat, ne diſcipuli unà cum Chriſto à Iudęis caperentur, ſed Chriſtus tuetur eos in medio etiam hoſtium: Si me (inquiens) quæritis, ſinite hos abire. Ac breuiter, teſtantur Apoſtoli ipſi, ꝙ quandiu cum Chriſto uitã in terris egerunt, & in uocatione eius ambulauerunt, nihil unꝯ ipſis defuerit, etiamſi emiſerat ipſos aliquoties ſine ſacculo, pera, & calceamentis. Nec hoc beneficium Apoſtolis tantum contigiſſet, ſi Chriſtus diu huius externæ uitæ munere functus eſſet. Tanta enim fuit prærogatiua corporalis eius præſentiæ, ut ſi ſemper in terris uitam egiſſet, ſemper etiam ſuos coram defendiſſet. Nunc autem non erat Chriſto diutius manendum in hac corporali uita, ſed abeundum erat per mortem in uitam ſpiritualem, & regnum ſuum cœleſte. Quare recipit ſe impetraturum ſua uice alium tutorem & defenſorem, qui non diſcedat, ſicut ipſe, ſed qui ſemper maneat cum Eccleſia. Videamus ergo quis ſit ille tutor. Dabit (inquit) uobis aliũ tutorem. Quem? Addit: Spiritum ueritatis. Et paulò poſt: Spiritũ ſanctum. Hîc initio obſeruabis, quòd Chriſtus opponat ſpiritum ueritatis per antitheſin ſpiritui Satanæ. Hîc enim Satanæ ſpiritus factus eſt Princeps huius mũdi propter peccatum, & eſt ſpiritus mendax atꝙ homicida. Seducit homines falſa doctrina, trahit eos in omnia genera turpitudinis, & conijcit ipſos in perpetuum interitum. Chriſtus autem promittit Eccleſiæ ſuæ alium ſpiritũ, cuius etiam ꝓprietates deſcribit. Primùm enim non eſt ſpiritus mendacij, ſed ueritatis, quia ducet uos, ut poſtea exponit, in omnem ueritatem, illuſtrabit & confirmabit piam doctrinam. Deinde non eſt ſpiritus turpitudinis, ſed ſpiritus ſanctus, qui

Chriſtus rogat à Patre defenſorem ſuæ Eccleſiæ.

Tutor Eccleſiæ ſpiritus ueritatis.

qui inflammabit corda credẽtium omni sanctitate & pietate. Postremo non est spiritus horrificus, occisor, & perditor, sed est spiritus consolator, uiuificator & seruator. Inquiramus igitur, ubi & quando is spiritus datus sit Ecclesiæ, & quomodo maneat cum uniuersa Ecclesia perpetuo. Fuerunt quondam hæretici, quos uocârunt Manichæos: Hi nugati sunt autorem sectæ suæ fuisse eum paracletum, seu consolatorem, quem Christus hoc loco promiserit: Sed hi unà cum suo paracleto digna factis suis receperunt, & turpiter perierunt. Paracletus enim cuius Christus mentionem facit, nõ est homo quispiam, sed spũs sanctus. Quare uidendum erit, ubi & quando spũs sanctus datus sit discipulis. Ac testatur quidem scriptura, q̃ Christus, postq̃ resurrexisset à mortuis in die Paschæ, flauerit in discipulos, ac dixit: Accipite spiritum sanctum. Hæc fuit inchoatio exhibitionis spiritus sancti & donorum eius. In die autem Pentecostes effudit Christus in oẽs discipulos suos spiritum sanctum tam opulentè, & tam manifestè, ut apparuerint mirãdo modo in singulis discipulis linguæ quasi igneæ, & locuti fuerint Apostoli uariis linguis, ac ediderint mox magna & insignia miracula. Hic est ille paracletus, tutor & defensor, quem Christus hoc loco promisit. Videamus ergo quæ beneficia attulerit discipulis Christi. Primùm enim spiritus sanctus certificauit eos de ueritate Euangelij Christi. Vnde & Christus uocat eum spiritum ueritatis. Et postea: Ducet, inquit, uos in omnem ueritatem. Deinde spũs sanctus ad confitendum nomen Christi, animos eorũ ita accendit & inflammauit, ut cùm antè de Christo coram seruulis & ancillis ne hiscere quidem auderent, pòst, accepto spũ sancto, intrepidè coram Regibus & Principibus Christum adnũciauerint. Præterea excitauit eos, ut professionem suã obedientia uerbi Dei, innocentia & sanctitate uitæ excellenter ornarent. Deinde in afflictione, ac in morte etiam ipsa ita consolatus est ipsos, ut ea non solum obedienti & fidenti, uerũetiam lætanti animo exciperent. In Actis Apostolicis, dimittuntur Apostoli à Concilio cẽsi. Hi autem ibant à conspectu Concilij gaudentes, q̃ digni habiti essent, ut pro nomine Christi contumelia afficerentur. Vnde his tanta lẽtitia? Certè non aliunde, q̃ è spiritu sancto, qui admonebat ipsos, quòd contumelia propter Christum ab hominibus accepta, summa esset coram Deo gloria. In Philippis, ciuitate Macedoniæ, coniecti fuerunt Paulus & Silas in carcerem, & pedes eorum stricti sunt ligno. Et tamen in his uinculis orabant & laudabant Deum. Hæc laudatio opus erat spiritus sancti, qui docebat eos, quòd uincula propter Christum essent coram Deo liberatio. Paulus profecturus ad Hierosolymam, admonitus fuit à fratribus, ne susciperet hanc profectionem, propterea quòd manerent eum Hierosolymis uincula. Respondet autem Paulus: Ego uero non solum uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine Domini Iesu. Vnde huic tanta animi alacritas & promptitudo moriendi? Profectò hoc est donum spiritus sancti, qui subiecit Paulo, quòd mors in Christo sit uita & fœlicitas. Petrus iam cruci affigendus, petijt, ut capite in terram uerso, & pedibus in sublime eleuatis crucifigeretur, asserens se indignum, qui crucifigeretur, ut Dominus suus. Hæc est insignis

Manichæi.

Spiritus sanctus ubi & quando discipulis sit datus.

Spiritus sancti beneficia

Actorum 5.

animi magnitudo,quæ nõ est ex carne Petri nata,sed à spiritu sancto donata.Is.n. posuit Petro ob oculos mentis suæ, ꝙ quò maior esset obedientia eius,in suscipienda morte,ex uocatione Christi in terris, eò excellentior maneret ipsum maiestas apud Christum in cœlis. Quæ cùm ita se habeant,res ipsa testatur,ꝙ hæc promissio, qua Christus hoc loco recipit se discipulis impetraturum alium consolatorẽ,qui maneat semper cum ipsis,manifestissimè sit impleta.Sed dices:Si tunc datus est Ecclesiæ Christi consolator spiritus sanctus, cùm in die Pentecostes apparuerũt linguæ igneæ,& Apostoli locuti sunt uarijs linguis, ac ediderunt miracula,quomodo dicitur,ꝙ maneat cum Ecclesia inæternum, cùm perspicuum sit,ꝙ his temporibus nec appareant linguæ igneę,nec loquantur credentes in Christum uarijs linguis, quemadmodum Apostoli locuti sunt,nec edant etiam talia miracula? Hic considerãdum est nobis, ꝙ linguæ & miracula non ad hunc usum data fuerunt,ut perpetuo manerent in Ecclesia: hæc enim non sunt spiritus sanctus ipse, sed data sunt, ut testarentur prǫsentiam spiritus sancti, & instituerent ac confirmarent ministerium Euangelij Christi, & sacramentorum eius, quod ministeriũ perpetuo usqꝫ ad nouissimum diem in Ecclesia manendum esset, & per quod spiritus sanctus efficax esse uellet. Solenne enim est,ut quæ durabilia esse debent,publicis cærimonijs consecrentur.In lege Mosi,Reges & summi Sacerdotes consecrabantur publica unctione & alijs ritibus. Ac hi quidem ritus suo tempore fieri desinunt,res autem ipsa perpetuò durat,dum persona Regis & Sacerdotis hac uita fruitur. In nostra politia,connubiũ uiri & mulieris consecrari solet publicis cærimonijs,quæ quidem cærimoniæ transeunt,connubium autem semper manet, quandiu coniuges non moriuntur. Sic & Christus misit Ecclesiæ suæ spiritũ sanctum in die pentecostes, & consecrauit ministerium spiritus sancti, quod est Euangelion Iesu Christi,& Sacramenta eius, publicis cærimonijs,uidelicet,linguis igneis,sermone diuersarum linguarum &alijs miraculis.Hæ cærimoniæ desierunt suo tempore fieri. Spiritus autem sanctus, & organon eius, per quod est in Ecclesia efficax,nunc̃ꝫ usqꝫ ad nouissimum diem desinent, sed manebunt, iuxta promissionem Christi, in Ecclesia perpetuo. Hæc est petra, qua fundata est Ecclesia, aduersus quam ne portæ quidem inferi prǫualebunt.Non enim sentiendum est, quòd spiritus sanctus ita in Ecclesia maneat, & operetur, ut nullo organo utatur, ac unicuiuis in angulo sedenti, aut in deserto uitam ocioseagenti illabatur. Non negamus quidem, quin spiritus sanctus pro sua omnipotentia & maiestate, possit etiam sine externo organo efficax esse, ubicunqꝫ uoluerit, nos autem loquimur nunc de ordinaria eius operatione, quam certè exercere solet per organon Euangelij Christi, & sacramentorum eius. Nam cùm Christus emitteret Apostolos suos, dicit: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Et addit: Qui crediderit, uidelicet, Euangelio, & baptisatus fuerit, saluus erit. Manifestum autem est, quòd salus sit opus spiritus sancti. Cùm igitur Christus dicit, Credentes Euangelio, & accipientes baptismum, consequi salutem, perspicuè significat, Euangelion & Sacramenta eius esse

Apostolis linguæ & miracula cur sint data.

Spiritus sanctus & eius organon semper in Ecclesia est.

esse organon, quo Spūs sanctus ferat credentibus salutē. Paulus ad Romanos scribens: Euangelion, inquit, est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et iterꝝ: Fides ex auditu est, auditus aūt per uerbum Dei. Non est autem obscurum, sicut salutem, ita & fidem esse opus & donum Spūs sancti, quæ cùm dentur per Euangelion seu uerbum Dei, negari non potest, quin uerbum Dei sit organon, quo Spūs sanctus est in Ecclesia Dei efficax. Hìc nunc perspicuū est, quid faciendum sit his, qui indigent Spiritu sancto, hoc est, quid nobis oībus sit faciendum. Omnes enim Spū sancto indigemus. Nam alius p̄mitur onere paupertatis, & sollicitatur à spū Satanæ, ut nō inuocet Deum, nec maneat in uocatione Dei, sed abiī ciat iusticiam, & det operam rugis ac imposturis. Hic ergo indiget Spū sancto, qui contineat ipsum in officio pietatis, & iusticiæ. Alius affligit morbo, & sollicitatur à Satana ad uirulentiam, & ad maledicentiam, aut etiam ad inuocandum auxilium Magorꝝ, hoc est, Satanæ, ut dicat illud impiorum: Flectere si nequeo superos, acheronta mouebo. In hac afflictione necessaria est opera Spūs sancti, qui ægrotum consoletur, & conseruet in obedientia Dei. Alius cōcutitur horrore mortis, & iubet eum spūs Satanæ de sua salute desperare. Is indiget Spiritu sancto, qui confer uet ipsum in fide. Ac breuiter, cùm oēs simus natura peccatores, & peccatum multos in nobis fructus tulerit, sollicitamur à spū Satanæ, ut abiī ciamus oēm spem salutis nostræ, & tradamus nos uoluntati eius captiuos. In his, & oībus aliīs tentationibus indigemus Spū sancto, quo cognoscamus peccatū nobis esse remissum, & nos adoptatos in filios Dei, ut fide confirmati, uincamus Satanam, & consequamur cœlestē hęreditatem. Quid ergo faciendū nobis est, ut accipiamus Spūm sanctum? Suprà ostendimus, quòd organon Spūs sancti sit Euāgelion Christi & sacramenta eius, quod & miraculis ita confirmatum est, ut etsi hoc tempore nō apparent linguæ igneæ, tñ manet Spūs ipse sanctus, qui uires suas per hoc organon in Ecclesia semper exercet. Quare audiendum est uerbum Dei, cognoscendum est Euangelion Christi, consideranda est cœlestis doctrina, reuocandus est in memoriam baptismus, quem in nomine Christi accepimus, utendum est sacramento cœnę Dominicæ, & iterum atq; iterū intuendum est acri & intento animo in Euangelion Christi, quò Spūs sanctus inueniat in nobis organon suū, & habeat occasionem exercendi in nobis operis sui, & ferendæ nobis perpetuæ salutis. Porrò, quod Christus de paracleto, & spū ueritatis addit: Quem mundus, inquiens, non potest accipere, quia non uidet eum, nec nouit eum: Vos aūt cognoscitis eum, quia apud uos manet, & in uobis erit, diuidit uniuersum humanū genus in duos ordines, quorꝝ alterum uocat Mundum, hoc est, maximam, & pręstantissimam hoīm in hoc mundo partē: alterum uocat suos discipulos, hoc est, Ecclesiam suā, quæ in hoc mūdo abiectissima oīm uidetur. Ac de mundo quidem dicit, quòd non possit consolatorem, spiritum ueritatis accipere. Et addit causam, quia non uidet eum, hoc est, nō delectatur eo (Videre em̄ Hebraica phrasi hoc loco significat delectari) nec nouit eum, hoc est, non curat, non requirit eum. Nam homines huius seculi natura sua ita carni immersi sunt, ut si quis

Spiritus sancto indigentibus quid faciendum.

Spiritus sanctus quomodo accipiendus.

Humani generis duo ordines.

Mundus nō accipit spiritum consolatorem.

indiget consolatore,non curet, nec delectetur spirituali, sed tm̃ carnali consolatore.Si quis,exempli gratia,eget pecunia, non afficitur prædicatione Euangelij,qua ꝓmittitur ei diuina gratia, & auxiliū de cœlo, quæ est spiritualis cōsolatio,implens animum indigentis,sed requirit diuitē quēdam mercatorē, qui crumenam impleat pecunia. Pecuniam,inquā, petit,quam creditori numeret,non spūm, quo de diuina clemētia bene confidat.Alius quispiā graui morbo laborans,non hoc agit, ut accipiat medicinam spūs,qua cōseruetur salus eius corā Deo, etiamsi corpus afflictetur & intereat, sed requirit tm̃ medicinam carnis, qua externis doloribus liberetur.Hippocratem aut Galenum uocat,quò carnalem sanitatem consequatur,non Spūm sanctum,q̄ cœlesti sanitate donetur.Præterea,hoīes huius seculi natura sua ita sunt obnoxij Satanæ, qui est mendax, & pater mendacis, ut non nisi mendacio & hypocrisi delectentur. Quare, etiamsi ꝓponitur eis uera Spūs sancti doctrina, de cōsequenda uera iusticia coram Deo,tantū abest, ut eam agnoscant, ut & ipsam crudelissimè persequantur,& mendacia sua,quoquo modo possunt,tueantur.Atq; hoc quidē est ingenium huius mundi. Aut enim immersi carni,nō nisi carnalia curant,aut si uideri uolūt se curare spiritualia, sectantur potius spiritum mendacij,cuius spiritum ueritatis. Vos autē,inquit, cognoscitis eum. Qui enim in Christo renati sunt per fidem,hi etsi sunt in mundo,tm̃ quemadmodum postea dicitur,non sunt de mundo.Qui autem de mundo non sunt,hi non carnem, sed spiritum sectantur, & non mendaci,sed uera doctrina delectantur.Quare donantur etiā diuinitùs Spū sancto,qui ita in ipsis manet,ut conseruet eos æterna uita. Quod autem Christus hoc loco discipulis suis concionatur, hoc in die Pentecostes manifestè impletum est,& adhuc impletur,implebiturq; usq; ad nouissimum diem.In die enim Pentecostes missus est Spūs sanctus,qui instituit & confirmauit magnis miraculis prędicationem Euangelij Christi,qua prędicatione uteretur pro organo in Ecclesia, ad regenerandos, iustificandos,cōsolandos,& seruandos oēs credentes Euangelio. Quid ergo factum est? Mundus nō accepit hūc spiritum. Maxima enim pars Iudæorum & Gentium prędicationem Euangelij, quæ erat prædicatio Spiritus sancti,non solùm abominabantur, uerumetiam persequebantur.Soli Apostoli,& alij quidam ex Iudæis & Gentibus agnoscebant Euangelion Christi,apud quos etiam Spiritus sanctus suū habebat hospitium.Prædicatur & hoc tempore Euāgelion Christi in mundo,& Spiritus sanctus proponit sese manifestè omnibus accipiendum. Sed uides quid accidat. Paucissimi uerè agnoscunt hunc spiritū,& sequūtur eum. Alia turba tàm principum quàm uulgi suas res agunt,& hi quidem,iuxta Euangelicam parabolam, abeunt in uillas & ad negociationes suas, illi autem tenent seruos Domini,& contumelijs acceptos occidunt eos. Quare non offendamur paucitate credentium Euangelio,& multitudine incredulorum ac impiorum,sed confirmemus ex hoc uaticinio Christi fidem nostram,ut etiamsi fractus illabatur orbis, spiritus tamen Domini nos conseruet, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Apostoli & discipuli cognoscunt spiritum sanctum.

Homilia

HOMILIA XXIX.

MVlti ſuperuacaneum & inutile exiſtimant, cõſolatoriam concionem, quam Chriſtus poſt nouiſsimã cœnam ad Apoſtolos ſuos habuit, longa & copioſa explicatione, Eccleſiæ hoc tempore obtrudere. Dicunt. n. Apoſtolos, ad quos hæc conſolatio pertineat, iam olim ſuis periculis defunctos, & ſentiunt ad uitam rectè inſtituendam utilius eſſe præcepta ad bona agenda, q̃ conſolationes ad mala & aduerſa ſufferenda tradere. Sed ni nę ſapiendo, nihil ſe ſapere produnt. Hæc. n. concio, quam Chriſtus in diſceſſu ſuo ad Apoſtolos habuit, non ad Apoſtolos tm̃, ſed etiam ad uniuerſam Eccleſiam pertinet, quẽadmodum ſuprà oſtendimus, & Chriſtus palàm poſtea in precibus ſuis declarabit. Ad uitam aũt rectè inſtituẽdam, neceſſaria quidẽ ſunt præcepta uitæ, ad ſeruanda aũt præcepta, & faciẽdum officium, maximè oĩm iuuant diuinæ promiſsiones & conſolationes. Extat uitæ præceptum: Non fureris. Cùm aũt egeſtas, exilium, fames, & aliæ calamitates ſoleãt homines ad furta, nugas & impoſturas impellere, quis magis uocat & excitat homines ad obediendum huic præcepto, q̃ qui diuinis ipſos promiſsionibus in egeſtate & fame conſolatur? Extat præceptum aliud: Non aſſumes nomẽ Dñi Dei tui in uanum. Sed quia graues morbi ſollicitant ægrotos ad uirulẽtas execrationes, quibus graſſentur tàm in Deum, quàm in homines, certè magnum operę precium ad obediendum huic præcepto confert, qui ægrotum in morbo ſuo, uerbo Dei conſolatur. Quare ſentiamus nos tunc maximè ad uitam rectè inſtituẽdam erudiri, cùm nobis conſolationes ex uerbo Dei in aduerſis proponunt̃. Hæc paucis præfari hoc loco uolui, ut ſciamus hanc conſolatoriã concionem Chriſti nobis maxima oĩm obſeruantia excipiendam eſſe. Ac antè quidem promiſit Chriſtus, ſe, cùm iam abiturus ſit, miſſurum alium cõſolatorem, ſpiritum uidelicet ueritatis, qui ſemper in Eccleſia ſua maneat. Quid ergo? dicent fortaſsis Apoſtoli: Num ſpiritum conſolatorem ita mittes, ut ipſe tu nõ amplius ad nos reuertaris, nec te nobis conſpiciendum præbeas? Quid igitur toties nobis de reſurrectione tua diſſeruiſti? quid paulò antè dixiſti: Si abiero, iterum ueniam, & aſſumã uos ad meipſum? De hoc reſpondet Chriſtus, & ait: Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Adhuc puſillum, & mũdus me iam non uidet, uos autem uidetis me: Quia ego uiuo, & uos uiuetis. Hìc initio Chriſtus ſignificat diſcipulos abitu ſuo orphanos ſeu pupillos futuros: & quia hæc concio pertinet ad uniuerſam Eccleſiam, ſignificat etiam Eccleſiam fore in hoc mundo orphanam. Quo uocabulo innuit eos maximis calamitatibus obĵciẽdos. Non. n. obſcurum eſt, quantę ſint miſerię orphanorũ in hoc mũdo. Si his aliqua hæreditas à parẽtibus relicta eſt, patet direptionibus potentum. Si nulla, neceſſe habent egeſtatem ſuam mendicitate ſuſtentare. Et uix ulla habetur ratio uitæ ipſorum inſtituendæ, adeoq; quia mors abripuit eis parentes, tam deſerti ſunt ab alĵs hominibus, ut Deus ipſe de cœlo curam eorum ſuſcipiat. Vnde & uocat ſe patrem orphanorum, & ſeueriſsima minatur ſupplicia his, qui nocent ipſis. Tales orphani fuerunt Apoſtoli, poſtquàm Chriſtus rapie-

Eccleſia in hoc mundo orphana.

batur ad crucem, imo etiam postq̃ emissi sunt in orbem terræ ad prędi candum Euangelion. Cùm Christus adhuc præsens cum ipsis esset, ser uabat & custodiebat eos, ne aliquid mali ipsis accideret. Postq̃ autem a bijt per mortem in regnum suũ, magistratus ciuilis erat, tueri Apostolos, sed hic prȩcipuus erat, qui persequebatur ipsos. Nec habebant quic quam prȩsidij in cognatis & affinibus suis, adeoq̃ in tota terra, quocũq̃ deflectebant oculos, uidebant aduersarios. Talis orphana est & Ecclesia Christi, in hoc mundo. Regnum enim eius de hoc mundo nõ est. Debe rent autem eam tueri amici eius, hoc est, ministri Ecclesiæ & ciuilis ma gistratus: sed illi solent fieri lupi, qui gregem Dñi impia doctrina ac etiã externa tyrannide dilaniant, quẽadmodum exempla Pontificum testan tur: hic uerò tantisper Ecclesiam tutandam suscipit, dum inuenit in ea aureos & argenteos calices eliquandos. Talis orphanus est & priuatus quisq̃ pius, qui cum pietatem seriò sectatur, innumeris aduersis obijci tur, in quibus aut nullos aut paucissimos habet, qui ipsum uel ope uel consilio iuuent. Et rapitur uel tãdem ad mortem ac inferni dolores, qua in re non tantũ ab amicis, uerumetiam ab ipsis, si quos adhuc habet, pa rentibus suis deseritur. Hoc est uerè esse orphanum. Cùm igitur Chri stus uideat, quid de Apostolis & Ecclesia sua futurum sit, uidelicet, quòd in hoc mũdo calamitatibus, in modum orphanorȩ, obruantur, suscipit ipsos consolandos, & ait: Non relinquam uos orphanos. Scio uos om ni humano præsidio, uelut orphanos, destituendos, sed bono animo si tis, non deseram uos, non relinquam uos orphanos. Quem ergo consti tues nobis Patrem, aut tutorem? Num Romanum Pontificem? Iactant quidem Romani Põtifices se, in Petro, constitutos esse Ecclesiæ tutores, sed hac iactantia nihil est uanius, quippe quòd Christus ne Petrum qui dem ipsum tutorem & seruatorem, sed tantũ ministrum Ecclesiæ consti tuerit. Num Romanum Imperatorem? Is debet quidem esse Diaconus Ecclesiæ Christi, uires autem eius non sunt tam potentes, ut queant Ec clesiã in incursu mortis & Satanæ seruare. Quem ergo dices esse orpha næ Ecclesiæ patrem ac tutorem? Suprà dixit: Dabo uobis alium conso latorem, spiritum ueritatis. Nunc aũt dicit, se non tantũ missurum Spi ritum sanctum, sed etiam ego ipse (inquit) redibo ad uos, & suscipiã uos tutandos. Ad uos, inquã, redibo, non ad mũdum. Paululum adhuc tem poris supereſt, quo homines huius seculi me uideant, postea nunc̃q̃ am plius uisuri. Vos autem me uidebitis, Vobis me manifestabo, ut non so lum meam prȩsentiam coràm uideatis, sed etiam meum auxilium, ac sa lutẽ reipsa sentiatis. Sciamus igitur quomodo Christus redierit ad disci pulos & Ecclesiam suã, ut cognoscamus coram Deo nihil esse Ecclesia tu tius ac munitius. Primùm, Christus redijt ad suos, Resurrectiõe. Postq̃ enim resurrexit à mortuis, non continuò abscondit sese in regnũ Patris sui, nec etiam exhibuit sese manifestum toti populo, quẽadmodum Pe trus loquitur, sed selegit sibi quadraginta dies, in quibus ostenderet se se manifestè discipulis suis, & testificaretur non solum se uerè à mortuis resurrexisse, uerũetiam mortem à se uictam, & Ecclesiã secum perpetuò uicturam. In his quadraginta diebus, Apostoli fuerunt, propter præ sentiam

Ecclesiæ Christi orphanæ tutor

Christus ad Ecclesiam suam quomodo redierit. Actorũ 10.

sentiã Christi, tutissimi: nec dubitamus, quin maiori gaudio & lætitia, ex præsentia & colloquio Christi Dñi sui affecti sint, quàm si communi oĩm gentium suffragio ad susciendas in hoc seculo regias maiestates uocati fuissent. Deinde, postq̃ Christus ascendisset in cœlum, redñt ad Ecclesiam suam, misso Spiritu sancto, & cõfirmato Euangelio suo. Non enim sentiendum est, quòd Christus ita in cœlum ascenderit, & Spũm sanctum miserit, ut ipse quidẽ ociosus in hoc corporali cœlo ambulet, si nat aũt in terris prędicationem Euangelij, quæ est opus Spũs sancti, temerè ferri. Hæ sunt pueriles, ne quid grauius dicam, de Christo cogitationes. Sed ideo ascendit in cœlum, ut Paulus ait, super oẽs cœlos, ut omnia impleret, ac prędens Ecclesiam suã, per Spũm sanctum, gubernaret, & sese totum, unà cum oĩbus bonis suis, per Euãgelion, credentibus donaret. Ecce ego, inquit, uobiscum sum, omnibus diebus, usq̃ ad cõsummationem seculi. Porro, quæ bona, & quẽ fructum Christus prędens afferat & conferat in Ecclesiam suã, perspicuè exponit, cùm addit: Quia ego uiuo, & uos uiuetis. Hoc est obseruabile dictum, quod debet nobis esse cõmendatissimum, & inter ea dicta Christi reponendum, quæ uerè uocantur Euãgelion, & nobis cœlestem salutem adnunciant. Multi emĩ sunt, qui cùm audiunt diuitias, & maiestatẽ Christi explicari, existimant rem Christi eandem habere rationem, quam habet res alicuius diuitis mercatoris, aut regis mũdani, de quo dicere solent: Quid mihi prodest, quòd hic sit diues & opulentus, cùm nõ sit tam liberalis, ut in me suas opes conferat? Quid me iuuat, q̃ ipse fruitur multis bonis, ego uerò omnibus malis sim obnoxius? Homines enim natura sua sunt illiberales, & quæ bona possident, ea se non alĳs, sed sibi tantũ possidere putant. Sed Christus longè aliter est affectus. Dicit enim: Ego uiuo, & uos uiuetis: hoc est, Mea uita uestra est. Quare si ego uiuo, fieri non potest, quin & uos uiuatis. Quę ergo est uita illa, qua Christus uiuit? Non fit hîc sermo de hac corporali & caduca uita. Hæc enim uita, non est uera uita, sed est potius efflatio uitæ, & meditatio mortis. Non enim tunc primum efflamus uitã aut animam, cùm quinquagenarĳ aut sexagenarĳ ex hac luce demigramus, sed incipimus animam efflare, cùm in utero matris concipimur, & in hoc mũdo nascimur. Quis igitur diceret hanc corporalem & caducã uitam esse uerã uitam? Christus autem loquitur de uera uita. Porro, ueræ uitæ nomine uenit primũ, iusticia. Iusticia enim fit, ut uiuatur coram Deo. Christus autem est uerè & perfectè coram Deo iustus. Quare iuxta hoc dictũ Christi: Ego uiuo, & uos uiuetis, rectè sequitur, q̃ cùm Christus sit uerè iustus, etiam nos, qui credimus in Christum, reputemur uerè coram Deo iusti ppter Christum, quia Christus donat se credenti, cum omnibus suis bonis, & Deus Pater ratam habet hanc donationem. Dicit enim de Christo: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitum est. Et Paulus affirmat Deum tradidisse filium suum pro nobis. Quomodo igitur fieri posset, ut non & cum eodem oĩa nobis donet? Deinde uitæ nomine uenit Conseruatio in morte. Christus autem in morte ita conseruatus est, ut non potuerit in ea detineri. Quare iuxta hoc dictum Christi: Ego uiuo, & uos uiuetis, rectè sequi-

Christus Ecclesiæ suæ semp adest.

Christi præsentia quid prosit Ecclesiæ.

Vera uita quæ sit.

tur, ꝙ cùm Christus conseruatus sit in morte, necesse sit, ut & nos, si credimus in Christum, conseruemur in morte, ne pereamus. Prꝛterea, nomine uitæ, uenit Resurrectio à morte, æterna uita & fœlicitas. Christus autem uerè à mortuis resurrexit, & ingressus est in regnum Patris sui, ad æternam uitã & fœlicitatem. Cùm igitᷣ Christus dicat: Ego uiuo, & uos uiuetis, optimè sequitur, ꝙ cùm Christus à morte resurrexerit, & intrauerit in uerã & æternam uitam ac fœlicitatem, etiam nos, qui credimus in Christum, & sumus membra corporis eius per fidem, resurrecturi simus à morte ad cœlestia & sempiterna gaudia. Sed ut hoc paulò apertius explicetᷣ, addit: In illo die uos cognoscetis, ꝙ ego sum in Patre meo, „ & uos in me, & ego in uobis. Nihil potuisset de cõmunione, quam Christus in bonis suis habet cum credẽtibus, clarius dici. In illo die (inquit) hoc est, cùm resurrexero à mortuis, & misero Spũm sanctum, Primùm declarabo maiestatem meam, ut manifestè cognoscatis, quòd sim in Patre, ꝙ sim uerus ab æterno filius Dei, adeoꝙ natura Deus ipse. Deinde testificabor per Euãgelion meum, quòd uos in me sitis, & ego in uobis, hoc est, quòd & uos sitis filij Dei, & hꝛredes æternæ salutis. Porrò, cùm dicit Spũm sanctum testificari, ꝙ ipse sit in Patre, & nos in ipso, intelligendum est pro uniuscuiusꝙ conditione. Nam cũ dicitur Christum esse in Patre, significat Christum esse uerum & naturalem ab æterno filiũ Dei, quia hæc est propria maiestas Christi. Cùm uerò dicitur nos esse in Christo, significat nos quidẽ esse filios Dei, sed adoptiuos, quia hæc est conditio nostra, non ut simus natura, sed adoptione filij Dei. Accepistis, inquit Paulus, spiritum adoptionis, per quẽ clamamus Abba pater. Idem spũs testatur unà cũ spiritu nostro, ꝙ simus filij Dei. Et iterum: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suũ, factum ex mulie re, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quod igitur Christus dicit, Spũm testificari, ꝙ simus in Christo, & Christus in nobis, duo significat: Alterum, quòd simus adoptiui filij Dei propter Christum, in quẽ credimus. Alterum, ꝙ simus membra Christi, qui est Ecclesiæ suæ caput. Ac illud quidẽ manifestè testatur, nos esse hꝛredes omnium cœlestium bonorꝫ: Si filij, inquit Paulus, ergo & hꝛredes: Hꝛredes quidem Dei, cohꝛedes autem Christi. Et iterum: Iam non es seruus, sed filius. Quòd si filius, & hꝛres Dei per Christum. Hoc autem clarè docet, omnia Christi bona ad nos pertinere, & nos in Christo possidere perpetuam iusticiam & salutem. Cùm enim audis, quòd Christus sit in nobis, & nos in Christo, quꝛso te cõsidera quid sit Christus, & quid nos simus, ut & cognoscas, quanta beneficia à Christo accipiamus. Quid enim est Christus? Perfecta est iusticia, uita, salus & fœlicitas. Quare cùm Christus est in nobis, erunt profectò & hæc omnia ita in nobis, ut de ipsis in iudicio Dei gloriari audeamus. Quid autem nos sumus? Peccatum sumus, miseria, paupertas, mors & infœlicitas. Hæc sunt nostra, si ita dicere licet, bona, quæ ad Christum afferimus. Sed quid? Num hæc locum habent in Christo? Num possunt Christo nocere? Nihil certè minus. Christus suscepit quidem supplicia peccati, suscepit calamitates, mortem, & horrores

Christi bonorum communio cum credentibus.

Christus quid sit.

Homo quid sit.

inferni:

ſnferni. Hæc autem nõ potuerunt Chriſtum opprimere, ſed neceſſe habuerunt Chriſto cedere, & ſeſe in captiuitatem eius tradere. Quare fieri nõ poteſt, ut & nobis in Chriſto exiſtentibus nocere queant. In Chriſto enim uictore & triumphatore ita abſorbentur, ut ne ueſtigium quidem eorũ reliquum ſit mãſurum. Hìc uide mihi nũc quanta ſit fœlicitas eorũ, qui uerè in Chriſtum credunt. Si percelluntur iudicio peccati, bene cõfidant, quia Chriſtus iuſtus eſt. Ergo & ipſi iuſti ſunt. Si affliguntur paupertate, bono aĩo ſint, quia Chriſtus diues eſt. Ergo & ipſi diuites ſunt. Si concutiuntur horrore mortis & inferni, nihil de ſalute ſua dubitent, quia Chriſtus uiuit, & regnat. Ergo & ipſi uiuunt, ac regnabunt cũ ipſo in perpetuum. Hæc nobis ſunt meditanda, hæc ſunt cogitanda, ut ab ea ſpe, ad quam uocati ſumus, nõ dimoueamur ullis aduerſis, ſed in officio noſtro contineamur per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXX.

CHriſtus promiſit hactenus ſe diſcipulis ſuis magna & multa bñficia allaturũ. Dixit: Ego uiuo, & uos uiuetis. Dixit: Ego in uobis ſum, & uos in me. Hæc id & genus alia ꝓmiſſa cõplectũtur maiora bñficia, cꝫ quę humana ratione cõprehendi queant. Nunc igiẽ exponit Chriſtus, quas debeant ꝓprietates habere hi, qui cupiunt bñficiorum ſuorũ participes eſſe. Etſi em̃ Chriſtus ꝓponit ſe uniuerſo mundo fruendum, tñ pauci ſunt, qui fructũ eius accipiunt. Videamus ergo quæ ſint proprietates eorũ, qui beneficijs Chriſti fruuntur. Qui habet, inquit, præcepta mea, & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Qui aũt diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligã eum, & apariam ei meipſum. Quod dicit, hanc habet ſententiã: Nemo accipit beneficia Chriſti, niſi qui DILIGIT eum. Quare nec Iudæi, nec Turcæ fruuntur bñficijs Chriſti, cꝫ non ſolum non diligant Chriſtum, uerum etiam extremo odio eum ꝓſequantur, & extinctum cupiant. Nec hypocritæ inter Chriſtianos fruuntur beneficijs eius, quòd etſi iactant gloriã Chriſti ſermonibus ſuis, tñ dant multas ſignificationes, quòd non diligant Chriſtum. Amâbo igitur te, cõmemora nobis, quis diligat eum uerè. Hic audi mihi Chriſtum ipſum: Is, inquit, diligit me, qui HABET MANDATA MEA, ET SERVAT EA. Hæc eſt ꝓprietas eorum, qui diligunt me. Habent mãdata mea, & ſeruant ea. Si mea mandata non habeant, & non ſeruent, perſpicuum eſt, cꝫ non diligant me, etiãſi plurimum de me glorientur. Etſi aũt ſæpe dictum eſt ſuprà de mandatis Chriſti, tñ ut hoc dictum Chriſti rectè intelligamus, etiam nunc quædã dicenda ſunt. Cùm enim Chriſtus loquitur de mandatis ſuis, non loquitur de lege Moſi, uel cærimoniali, uel iudiciali, uel etiam Decalogo, ſed loquitur de ſuo Euangelio, quo primum mandauit, ut diſcipuli credant in ipſum, cꝫ ſit uerus Meſsias, & propiciatio noſtra. Deinde mandauit eis, ut hoc Euangelion etiam ipſi adnuncient, & profiteantur coram uniuerſo mundo, nec ſinant ſe ullis aduerſis à fide & confeſsione nominis ſui deĵci. Poſtremo mandauit eis, ut ſe mutuò diligant, quemadmodum ipſe eos dilexit. Hæc ſunt mandata Chriſti, quæ qui facit, palàm ſi-

Proprietates eorũ quĩ beneficijs Chriſti fruuntur.

Mandata Chriſti quæ ſint.

gnificat,se Christum uerè diligere. Non solum aũt dicit: Qui præcepta mea HABET,sed diserte addit: Et SERVAT ea. Euangelion enim Christi,non solũ audiendum & sciendum est,uerũetiam reipsa, fide uidelicet,& fidei fructibus seruãdum. Quid ergo fiet diligenti Iesum Christum? Diligetur,inquit, à Patre meo. Hoc maius beneficium est, q̃ humana mens capere potest. Dilectio em̃ Dei Patris erga eum, qui diligit filium eius Iesum Christum, non est tantũ generalis illa dilectio, quam Deus habet erga oẽs creaturas suas,nec est tam frigida, q̃ hominum dilectio erga se inuicem esse solet,sed est ardentissima,& uerè paterna. Sic enim diligit eum,qui diligit Christum, ut initio sit ei clemens & propicius,ac remittat ei peccatum propter Christum. Postea, adoptet eum in filium suum. Adhæc,exaudiat eum in omni petitione & oratione sua,& tueatur ipsum in omnibus aduersis. Ad extremum, seruet eum in morte,& excitet ipsum ad æternam uitã ac fœlicitatem. Hæc est uerè paterna dilectio,quæ nobis contingit ꝓpter Christum. Quare, si quis uoluerit cœlestẽ hereditatem capere,hic necesse habet Christum diligere & mãdata eius seruare. Porro,non solum PATER,sed & EGO,inquit,diligam eum,& manifestabo ei meipsum. Ad cœlestium beneficiorum cumulum etiam hoc accedit, q̃ Christus ipse diligat diligentem ipsum,& manifestet se ei. Hæc manifestatio affert secum oẽm cœlestem hæreditatem. Hæc,inquit,est æterna uita,ut cognoscant te solum uerũ Deum,& qnem misisti,Iesum Christum. Et Paulus ait: Christus factus est nobis à Deo sapientia,iusticia,sanctificatio & redemptio. Quare,cui manifestat Christus, ei manifestatur diuina sapientia, & redemptio. Dicit & aliâs Paulus: In Christo sunt oẽs thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi. Cui igitur Christus patefit,ei patefit diuinæ sapientiæ & scientiæ thesaurus. Quõ ergo patefacit,quomodo manifestat se Christus? Postq̃ abductus est à discipulis suis, & in crucem sublatus, manifestauit se eis resurrectione sua,qua perspicuè cognouerunt maiestatem & fœlicitatem eius. Deinde manifestauit se eis, misso Spũ sancto, quo instituit & confirmauit prędicationem Euãgelij sui,& sacramenta eius,baptismum uidelicet,& cœnam Dñicam,quibus manifestat se credẽtibus,in hoc seculo,usq̃ ad nouissimũ diem. Hæc sunt organa, quibus Christus manifestus nobis proponitur. Hęc sunt facies & forma Christi,qua eũ uidere & cognoscere possumus. Postremo manifestabit se in nouissimo die oĩbus pijs,ut cognoscant eũ,sicut est,& fruãtur in ipso perpetua fœlicitate. Sed admiratur Iudas,quid illud sit, q̃ Christus manifestaturus sit sese, non mundo,sed discipulis: Dicit em̃ ei Iudas,nõ ille Ischariotes(sed frater Iacobi, Lebbęus,cognomento Thaddeus) Dñe,quid factum est, q̃ manifestaturus es nobis teipsum,& non mũdo? Quid? De Christo scriptum est, q̃ sit dominaturus in toto orbe terrarũ. Quõ ergo nos pauci te uidebimus,& non potius tota hoĩm multitudo? Quid? Israel est populus Dei. Annas & Caiaphas sunt summi Põtifices. Quõ ergo nobis potius abiectis hoĩbus, q̃ illis illustribus apparebis? Num nos publicani & piscatores soli erimus Ecclesia Dei? Soli ne nos sapiemus, & omnes alij desipient? Quid? An non iudicaturus es uniuersum mundum? quomodo ergo

Christus quomodo sit manifestatus.

do ergo nos soli te uidebimus, & non etiam mundus? Interrogatio obseruatu dignissima, ut hac occasione discamus, quę sit uera Ecclesia Christi. Respondit enim Iesus & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum " seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem " apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Re " petit Christus planè eadem, quę antè dixit, ut clarius explicet, qui sint uera Ecclesia eius. Est autem hæc sententia: Iuda, quod interrogas, iam exposui, sed uideo te non intelligere meũ sermonem. Dicam ergo iterum, ut si nihil aliud hoc tempore adsequeris, saltẽ uerba ipsa cõserues. Nam sensum eorũ Spũs sanctus postea reuelabit. Ego dominabor quidem in uniuerso mũdo, & mundus uidebit me in nouissimo die, non fruentur autem omnes homines meis beneficijs, nec omnes homines erũt meus populus, & uera Ecclesia, Sed hi soli erunt uera Ecclesia, & fruentur meis beneficijs, qui diligunt me, & seruant meos sermones. Meus enim Pater non respicit potentiam, sapientiam, uestitum, aut aliam externã laruam huius mundi, sed respicit dilectionem seu fidem in me, & obseruationem sermonis mei. Quid ita? Quia sermo, quem auditis, non est meus, " sed eius qui misit me Patris. Doceo, me esse uerum Messiam, & unige " nitum filium Dei. Concionor, omnem, qui in me credit, consequi ueram & æternam salutem. Hunc sermonem non excogitaui somnio quodam carnali, sed est mandatum Dei Patris mei. Hic me misit in hunc mundum ut quicquid id sit rei, publicè doceam. Ego, iuxta Psalmum, constitutus sum rex ab eo super Zion montem sanctum eius, ut prædicem præceptum eius, quod mihi mandauit, uidelicet: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quare nec ego nec Pater meus ueniemus, & mansionem faciemus apud eos, qui externa tantum potentia, aut alia humana specie illustres sunt, sed faciemus mansionem apud illos, qui diligũt me, & seruant meam concionem. Obseruabile dictum: Dilectio, qua Christum complecteris, & obseruatio Euangelij eius efficiunt, ut Pater & Filius diuertant ad te, & fiant hospites tui. Primum ergo consideranda erit horum hospitum maiestas: Pater enim & Filius sunt uerus & omnipotens Deus, creator cœli & terræ. Quæ excellentior maiestas dici potest? Deinde consideranda sunt beneficia eorum, quæ cum ijs, qui ipsos excipiunt hospitio, communicant. In terris, multi sunt Principes ac domini, qui quantò sunt potentiores, tantò sunt grauiores & molestiores his, ad quos diuertunt, & qui eos hospitio accipiunt. Denique rependunt aliquoties pro hospitio pessimam gratiam. Deus autem Pater & Filius, ut sunt potentissimi, ita sunt & beneficentissimi. Quocunque diuerterint, eò secum adducunt Spiritum sanctum, qui est cœlestium & diuinorum beneficiorum dispensator. Quid enim, cùm tales ac tantos habes hospites, metuis? aut quibus rebus eges? Siue enim incurrunt in te aduersa, habes defensores & tutores: siue desunt tibi ea, quæ ad salutem tuam necessaria sunt, habes omnium bonorum thesaurum. Hic est remissio peccatorum. Hic est adoptio, hic est uictoria in morte, hic est ius æternæ uitæ. Quæ bona si affuerint, quid incommodi afferret uel paupertas, uel morbus, uel mors ipsa? Certè si hæc bona posse,

Ecclesia uera quæ sit.

Pater & Filius hospitio excipiuntur à credentibus.

deris, paupertas diuitiæ erunt, morbus erit ſanitas, mors erit uita. Nec eſt, ꝙ te huius rei uel cura uel dubitatio teneat, tantū in hoc ſtudium incumbendum nobis eſt, ut Patrem, Filium, & Spiritum ſanctū, in hoſpitium noſtrū accipiamus, & acceptos nō turpiter eiiciamus, ſed reuerenter eos tractemus & diligenter retineamus. Accipimus autem eos hoſpitio per dilectionem ſeu fidem in Chriſtum. Si quis diligit me, inquit, ſermonē meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eū ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Teſtificatur hoc & baptiſmus. Qui enim in Eccleſia Chriſti baptiſatur, is baptiſatur iuxta mandatum Chriſti, in nomen Patris & Filiꝰ & Spiritus ſancti, hoc eſt, baptiſmo ſanctificatur in Patris & Filiꝰ & Spiritus ſancti hoſpitium, ut cùm credit in Chriſtum ſeruatorem ſuū, fiat hæres oīm cœleſtium bonorꝝ. Sed quomodo retinemus hos hoſpites, ne nos deſerāt? Accipimus eos fide, retinemus
1.Corint.6. eos obedientia fidei, & honeſtate uitæ. An neſcitis, inquit Paulus, quòd corpus ueſtrum templum eſt habitantis in uobis Spiritus ſancti, quem habetis à Deo, & non eſtis ipſi ueſtri iuris? Nam empti eſtis precio. Glo
2.Corint. 6. rificate igitᵉ Deum in corpore ueſtro, & in ſpiritu ueſtro, quæ ſunt Dei. Et iterum: Vos templum eſtis Dei uiuentis, quēadmodum dixit Deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Templo autem Dei nihil conuenit cum prophanis actionibus. Fugiamus igitur omnem prophanam turpitudinē, & conferamus omnem curam noſtram in ſtudium pietatis & honeſtatis, ut Deus maneat in noſtro hoſpitio, & conſeruet nos in omnibus periculis, uera & perpetua ſalute, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXI.

ETSI Chriſtus haud obſcurè hactenus ſignificauit regnum ſuum non fore mundanum, ſed ſpirituale & cœleſte, tamen tanta eſt diſcipulorum ruditas, ut etiam perſpicua non intelligant. Cùm enim eſſent ebriꝰ cogitationibus de mundano regno, ſomniabant externam tantum & terrenam fœlicitatem in Chriſto. Quare etſi Chriſtus clarè dixit ſe abiturum morte ad Patrem, & rediturum quidem, hoc eſt, reſurrecturum à morte, non autem omnibus hominibus conſpicuum fore, quo manifeſtè docuit regnum ſuum
Diſcipulorū Chriſti ignorantia. non eſſe mundanum, tamen diſcipuli non intelligunt uerba Chriſti, nec poſſunt ulla ratione cognoſcere, quid ſibi hæc concio Chriſti uelit: Quam ignorantiam Iudas palàm prodit, cùm interrogat, quid illud ſit, quod Chriſtus dixerit, manifeſtaturum ſe ipſis & non mundo. Poſtquàm igitur Chriſtus repetiꝰt priorem ſuam exhortationem, qua monet eos, ut diligant ipſum, credant in ipſum, & ſeruent concionem ſuam: ſic enim futurum eſſe, ut habeant hoſpites, Patrem & Filium: addit
„ nunc. Hæc locutus ſum uobis, apud uos manens. Paracletus autem il-
„ le, qui eſt Spiritus ſanctus, quem mittet Pater nomine meo, ille uos do-
„ cebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunque dixi uobis. Quæ Chriſtus dicit, cum ꝰs, quæ antè dicta ſunt, ita conueniunt. Multa quidem perſpicuè expoſui uobis de meo regno, quòd non ſit mundanum.

Vos

Vos aũt ueſtris ſomnĩjs de mundano regno prorſus ebrĩj, non intelligi tis nunc uerba mea. Quare mittam uobis paracletum Spũm ſanctum, q̃ ſit interpres meor̃ uerborum, & illuſtret mentes ueſtras, ut meas cõcio nes rectè intelligatis. Hìc ergo initio conſiderãdum eſt, q̃ Chriſtus ma- *Spiritus ſanctus interpres uerborum Chriſti.*
niſeſtè cõcionetur de tribus perſonis in una diuina natura, & diſtinguat eas ſuis officijs. Pater, inquiens, mittet. Habes unã perſonam, uidelicet Patris, cui tribuit officium mittendi Spũs ſancti. Et addit: Mittet MEO noĩe. Habes alteram perſonam, uidelicet, Filĩj, cui tribuit officiũ meren di, q̃ & meritus ſit, ut dona Spiritus ſancti hominibus dentur, & quòd illuſtrentur Spiritu ſancto. Meo, inquit, noĩe, hoc eſt, meo merito, & pro- *Tres perſonæ diuinitatis.*
pter me, ut me illuſtret. Addit & de ſpiritu ſancto: Paracletus, inquiens, qui eſt Spiritus ſanctus. Habes tertiam perſonam, cui tribuit officium ſuggerendi & interpretandi uerba Chriſti. Hæ ſunt tres perſonę in una diuina natura. Quod myſterium, etſi non poſſumus humana ratione comprehendere, poſſumus tñ dono Spiritus ſancti credere, donec in fu turo ſeculo Deũ ipſum, ut eſt, perfectè cognoſcamus, quæ cognitio ſum ma erit, & ęterna fœlicitas ac beatitudo. Deinde, cùm Chriſtus hoc loco promittit Spũm ſanctum diſcipulis, nõ intelligentibus ſuam concionẽ, haud obſcurè ſignificat, piam doctriuam non poſſe percipi humana ra- tione, ſed neceſſarium eſſe Spũm ſanctum. Quare, cùm dictum ſit: Pater *Luc. 11.*
cœleſtis dabit Spiritum ſanctũ poſcentibus ſe, diligenter orandum eſt, ut Spiritus ſanctus illuſtret mentes noſtras, ut uerũ uerbi Dei ſenſum re ctè intelligamus. Sciamus ergo nunc, quando hæc, quæ Chriſtus hoc lo co de mittendo paracleto ſeu Spiritu ſancto, promittit, impleta ſunt. Fu- erunt aũt quondam inſani homines, qui nõ ueriti ſunt dicere, paracletũ *Cataphryges*
diſcipulis in Euangelio promiſſum nõ eſſe datum Apoſtolis, ſed Mon- tano, aut Manichæo: qua furia, quid poteſt magis inſanum dici? & tñ ſunt inter Pontificios hypocritas, qui & ipſi non uerentur docere, Spũm ſanctũ non patefeciſſe oĩa Apoſtolis, ſed multa reſeruaſſe patefacienda ſcrinio pectoris Pontificĩj, quemadmodum & inter ueteres fuerunt, qui exiſtimârunt paracletum docuiſſe Apoſtolos fidem, poſteros autẽ eor̃ *Tertullianus de uelandis uirginibus.*
diſciplinam. Sed ut illi Montaniſtę, unà cum ſuo furore perierunt, ita hi Pontificĩj unà cum ſuis ſomnĩjs euaneſcent. Fieri enim nõ poteſt, ut mẽ- dacia perpetuò conſtent. Nam quod ad completionem promiſsionis Chriſti de Spiritu ſancto attinet, perſpicuũ eſt, quòd Apoſtolis & alĩjs diſcipulis datus ſit Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes, magnis & ſtupen dis miraculis: Cuius Spiritus ſancti uirtute effectum eſt, ut Apoſtoli nõ ſolum clarè intelligerent conciones Chriſti, quas antè audiuerant, ue- rumetiam ederent in noĩe Chriſti magna miracula, & uulgarent Euãge lion Chriſti in totum orbem terrę. Sed quid? Num ſolis Apoſtolis & ĩjs diſcipulis, qui in die Pentecoſtes cum Apoſtolis congregati erant, pro- miſſus & datus eſt Spiritus ſanctus, ac nõ etiam uniuerſæ Eccleſię Chri ſti? Datus quidem eſt Spiritus ſanctus magna externorum miracul̃or̃ *Spiritus ſanctus uniuerſæ Eccleſiæ Chriſti promiſſus.*
pompa Apoſtolis & alĩjs initio reuelati Euangelĩj etiam poſt Penteco- ſten: Promiſſus autem eſt, ac datur etiam, quamuis ſine externa mira- culorum pompa, uniuerſæ Eccleſiæ Chriſti. Eccleſia enim non poſſet in

tantis,& tam diuturnis afflictionibus cõstare,nisi Spũs sanctus eam gubernaret & conseruaret: Rogabo(inquit)Patrem, & aliũ consolatorem dabit uobis,ut maneat uobiscũ inæternum.Et iterũ: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad cõsummationem seculi. Vbi aũt Christus est,ibi Spũs sanctus sit,necesse est.Et in oratione sua dicit Christus: Nõ pro eis tantũ rogo, sed & pro ijs, qui crediturí sunt per sermonem eorũ in me. Hìc intercedit Christus non pro Apostolis tantũ, sed etiam pro uniuersa Ecclesia,ut donetur Spũ sancto,& conseruetur. Putas aũt intercesionem Christi uanam & irritam esse? Dicit & Paulus: Si quis spiritum Christi non habet,hic non est eius.Ac mox: Accepistis spiritũ adoptionis,per quẽ clamamus Abba pater.Quare Spũs sanctus non est tantum Apostolis datus,sed datur etiã uniuersæ Ecclesię Christi.Hìc nunc uociferantur Pontificí, cp cùm ipsi sedeant ad gubernacula Ecclesiæ, habeant etiam Spũm sanctum, & quicquid docuerint, sit oraculum Spũs sancti.Spũs sanctus(inquiunt) promissus est Ecclesiæ, & nõ deserit Ecclesiam.Nos aũt sumus capita,& prẽcipua pars Ecclesiæ.Manifestum igitur est,quòd quicquid statuimus,hoc sit ut sacrosanctũ,& ab ipso Sancto spiritu statutum,obseruãdum. Itaq; sentiunt, cp quicquid uel iuxta humanam rationẽ & prudentiam constituerint,uel etiã per febrim somniauerint,debeat ab omnibus pro Spiritus sancti oraculo agnosci. Primum igitur considerandum est, quòd nõ continuò is cœtus sit Ecclesia Christi,qui se Ecclesiã esse iactat, sicut & non oẽs,qui sunt ex Israel,sunt Israel,neq; qui sunt semen Abrahæ,statim oẽs filij. Nam Ecclesia Christi ea est (quemadmodũ Christus antè eam definiuit) quæ diligit Christum,& seruat sermones suos.Quare is cœtus qui non seruat Christi sermones,non est uera Ecclesia Christi,etiamsi iactet Ecclesiæ titulum.Deinde considerandum est, quale sit officium Spiritus sancti. Nam Spũs sanctus ad hunc usum promittitur,& datur,nõ ut doceat,& instituat noua,quæ pugnent cũ doctrina Christi,& obscurent Christum, sed ut explicet ea, quæ Christus docuit, & illustret Christum. Dicit enim: Spũs sanctus docebit uos O M N I A. Quæ? num noua, & aliena à mea doctrina? Minimè omnium,sed quæcunq; E G O dixi uobis. Et iterũ:Pater(inquit)mittet eum M E O nomine,hoc est,ut M E illustret. Manifestum igitur est,quòd ea quæ pugnant cum uerbo Christi,cum doctrina Euãgelij eius,& quæ obscurant ipsum,nõ sint Spiritus sancti statuta. Pugnant aũt cum Euãgelio Christi,Abrogatio unius speciei,ut uocant, in sacramento Cœnæ Dñicæ: Missa Põtificia, ad expianda pctã uiuorũ & mortuorum: Doctrina Pontificia de purgatorio, de ordinibus Monasticis,& multa id genus alia. Obscurant autẽ Christum, humanæ traditiones de cibo,uestitu,& alijs rebus. Quare fieri non potest, ut Spiritus sanctus sit huius doctrinæ & traditionũ autor.Habes publicum officium Spiritus sancti in Ecclesia,uidelicet, quòd doceat Euãgelion Christi, & suggerat ea, quæ Christus prædicauit, hoc est, quòd instituat in Ecclesia ministerium prædicandi Euangelij, & conseruet illud, quò Christus publicè illustretur. Dedit, inquit Paulus, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores ac doctores, ad

Pontificij nõ sunt Ecclesia.

Spiritus sancti officium.

Pontificij errores.

ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi. Aliud est priuatum officium Spūs sancti, quod priuatim in hominibus exercet. Dat enim in corda hominum fidem, testatur remissa esse peccata, testaī nos adoptatos in filios Dei, excitat preces, ut clamemns Abba pater, mortificat facta corporis, cōseruat nos in fide, auget fidem, ducit hoīes in fidei obedientiam, & ad omnia genera uirtutum. Deniq; conseruat credentes in morte ad æternā uitam. Quid hoc officio dignius? Quid nobis utilius? Quęso autē te, quomodo peragit Spiritus sanctus hoc suum officium? num humanis somnīs, aut traditionibus? num discriminibus ciborum ac uestium? num quatriduanis ieiunīs & chameunīs? Minimè omnium, sed peragit hoc priuatum officium, per suum publicum officium, hoc est, per prædicationem Euangelij Christi, & per sacramenta eius. Fides, inquit Paulus, ex auditu est, Auditus autem per Verbum Dei. Et iterum: Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Nam, qui sentit se imbecillem in fide, audiat Euangelion Christi, ut Spiritus sanctus habeat organon, quo fidem cōfirmet. Si quis sollicitatur dubitatione de cœlesti sua salute, propter peccata sua, audiat Euangelion Christi, ut exhibeat Spiritui sancto organon, quo dubitationem compescat. Si quis excitatur à carne & à Satana ad impostūras, ad inuidiam, ad uindictam, ad libidinem, & ad alia genera scelerum, audiat Euangelion Christi, quo Spiritus sanctus efficax est, & perficit officium mortificandi affectus carnis. Ac breuiter, quisquis cupit dona Spiritus sancti adsequi, conferat se ad audiendum & diligenter considerandum Euangelion Christi. Hoc enim illud cœleste organon est, quo Spiritus sanctus suū officium in hominibus peragit, & sua dona confert. Sed reuertamur ad concionem Christi. Sic em̄ sequitur: Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis, non quomodo mundus dat, ego do uobis. Dixit antea Christus se abiturum, ac ne discipuli animo suo nimis perturbarentur, recitauit hactenus aliquot genera consolationis. Addit igitur nunc aliam consolationem: Pacem, inquiens, relinquo uobis. Non discedam à uobis illiberaliter, sed relinquo & dono uobis pacem. Quæ ergo est illa pax? Num externa hominum concordia, & tranquillitas? Nihil quidem iucundius est externa tranquillitate, & ut mutuam habeamus pacem atq; concordiam, sæpe aliâs admonuit Christus. Hoc autem loco de alia pace loquitur. Addit enim: Non quam mundus dat, hoc est, non loquor nunc de externa & mundana pace, quam homines inter se mutuò habere debent, & quam etiam principes huius mundi aut armis parare, aut publicis pactis & conuentis instituere possunt, sed loquor de pace spirituali, quam ego solus conferre possum. Et nomine pacis intelligo omnia beneficia quæ ego solus à Deo Patre hominibus in me credentibus impetraui. Cùm autem Christus affirmat se nobis hanc pacem, & hæc beneficia relinquere ac donare, sentiendum est, eum nobis ueram & perpetuam salutem donare. Nam, si cui hic mūdus uult benefacere, ei dare solet externa tantum bona, corporalem uidelicet tranquillitatem, aut sanitatem, aut diuitias, aut dominationem, aut honores, aut uoluptates. Hæc est pax mun-

Spiritus sancti officium priuatum.

Spiritus sancti organon.

Pax & beneficia mundi.

di, hęc ſunt bñficia mundi, ſed nec ſunt uera bñficia, nec diuturna, nēc etiam nobis ſic carne corruptis utilia. Ac habent quidē nomen beneficiorꝝ, ſed ſi rectè perpēderis, magis ſunt onera & grauamina, qꝫ tranquilla fœlicitas. Pone tibi ob oculos diuitias. An non ſic comparatum eſt, ut ſi quibus diuitiæ cōtigerint, horꝝ alij ſtudent ut conſeruent eas, alij ut augeant, alij ut helluentur? Hoc certè nō eſt tranquillum ocium, ſed negociū perturbatione plenū, & occupatio ſollicitudine redundans. Quare quē mūdus donat diuitijs, eū cumulat multis & magnis tam moleſtijs, qꝫ periculis, tantū abeſt, ut conferat in eū bñficium fœlicitatis. Chriſtus aūt longè aliam dat pacē, & alia bñficia. Vnum.n. beneficium eſt, Pacificatio & reconciliatio cum Deo. Alterꝝ eſt, Remiſsio pctī. Tertium, Adoptio in filios & hęredes Dei. Quartū, Victoria in morte. Quintum, Aeterna uita & fœlicitas. Sed quis poſſet oīa beneficiorꝝ Chriſti genera enumerare? Ex his aūt beneficijs, ſi fide accipiūtur, oritur pax & tranquillitas conſcientię in oībus aduerſis, adeoqꝫ in morte ipſa. Quare cū Chriſtus dicit, ſe ſuā, S V A M (inquam) pacem dare & relinquere Eccleſiæ ſuæ, intelligēdum eſt, eum donare Eccleſię oēm cœleſtem ſalutē & fœlicitatē. Quid ergo de reliquis corporalibus bñficijs dicemus? An quia Chriſtus nō dat pacem, quō mundus dat, non eſt inuocādus pro bonis corporalibus? An cū grauia & periculoſa bella imminēt, non eſt precādum, ut Chriſtus det nobis publicā & ciuilem huius mundi pacem? Hic iterꝝ nobis conſiderandū eſt, ut antè diximus, qꝫ duplicia ſint beneficia Dei. Alia ſunt ſpiritualia & cœleſtia, alia ſunt corporalia & mundana. Ac ſpiritualia quidē & cœleſtia, quæ paulò antè enumerauimus, & quæ Chriſtus ſua morte impetrauit, ea propriè ꝓtinent ad regnū Chriſti, & ſunt certò oībus in Chriſtum credētibus ꝑ Euangelion ꝓmiſſa. Omnis em̄ qui uerè in Chriſtum credit, reconciliatur cū Deo, accipit remiſsionē peccati, adoptatur in filiū & hæredem Dei, & conſeruat̄ in morte ad æternā uitam. Quare hęc bñficia, quæ propriè ꝓtinent ad regnum Chriſti, petēda ſunt ſine omni cōditione, dubitatione aut exceptione à Deo Patre per Ieſum Chriſtū filium eius. De corporalibus uerò & mūdanis bñficijs, aliter ſentiendum eſt. Hæc etſi dantur & ipſa à Deo, tñ non propriè ꝓtinent ad regnum Chriſti filij Dei. Et quanqꝫ fieri ſolet, ut nōnulla Deus nominatim promittat, ſicut Iſraelitis terram Canaan, Dauidi Regnum Iſraelis, Iudæis reditū in patriam è Babylone, & alijs alia, tñ quēadmodum corporalia beneficia nō ſunt uera ſalus, ita non ſunt ſingula ſingulis diuinitùs promiſſa. Nouit quidē Deus, quid in hac corporali uita opus habeamus, & fert opem etiā corporali neceſsitati: non deuinxit aūt ſeſe unicuiuis priuatim ꝓmiſsione de certis corporalium beneficiorum generibus. Neqꝫ em̄ promiſſa eſt unicuiuis in carceres cōiecto, externa liberatio, aut à creditoribus compellato, externa pecunia, aut morbis affecto, externa & corporalis ſanitas. Nam & Paulus, cùm oraret, aut auferretur ab ipſo σκόλοψ, audit: Sufficit tibi gratia mea. Et tñ Dominus Deus noſter humano generi ꝑ Chriſtum filium ſuū recōciliatus, dator eſt etiam corporalium bñficiorꝝ. Quare & pro his eſt inuocandus per Ieſum Chriſtum, ſed cū ſua modeſtia & conditione, uidelicet, ut in-

Pax & beneficia Chriſti.

Dei beneficia duplicia.

uocationē

uocationi adiȝciamus,quod Christus ipse exemplo suo docuit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Et: Fiat uoluntas tua,quẽadmodua in cœlo,sic etiam in terra. Quod ut rectius intelligamus, ꝓferamus exemplũ Dauidis in medium.Dauid eiȝcitur à suo ipsius filio è regno in exilium. Summus aũt Sacerdos & Leuitæ sequuntur eum cũ Arca fœderis Dei. Sed Dauid iubet eos in urbem reuerti,& arcam in suũ locum reponere. Et ait: Si inuenero gratiam in oculis Dei, reducet me, & ostendet mihi eam,& tabernaculum suũ:si aũt dixerit mihi,Non places,ꝓstò sum,faciat quod bonum est coram se.Ex his uerbis facilè intelligi potest, ꝙ cũ Dauid acceperit quidẽ regnum ex promissione Dei, non aũt habuerit manifestam promissionem, ꝙ eiectus in exilium restituendus esset regno,ad hunc ferè modum orauerit: Clementissime Dñe Deus noster, fateor me meo merito extrudi in exilium,sed primum precor te per filium mihi promissum,uerũ seruatorem, ut mihi meum peccatum remittas,& me gratia tua clementer complectaris: De qua quidem tua uoluntate nihil prorsus dubito,quippe quam mihi manifesta promissione exposuisti.Deinde precor etiam, ut restituas me regno, & reducas me incolumẽ ad hanc urbem,in qua reposita est arca fœderis tui: sed quia hac in re tua uoluntas non est mihi perspecta,nec possum meis cogitationibus cognoscere,utrum gloriæ nominis tui, & meæ saluti magis conducat,fiat non mea,sed tua uolũtas. Si me restitueris regno, agam nomini tuo gratias quas possum: si me nõ restitueris, nihilominus agã gratias, & hoc mihi sufficiet, ꝙ sis mihi Deus propicius per filium & seruatorẽ, quẽ te è mea familia daturum recepisti.Hæc oratio declarat magnam obediẽtiamDauidis erga Dñm Deum suũ.Quare Deus ita ea delectatus est, ut etiamsi nõ promiserat Dauidi manifestè restitutionẽ in regnum, tñ restituerit eum magna gloria. Proponamus etiam nobis exemplum trium adolescẽtum in Daniele.Hi recusant adorare statuam regis Babylonis,& audiunt: Si nõ adoraueritis statuam, mittemini eadem hora in fornacem ardentis ignis.Et quis estDeus qui eripiet uos de mea manu? Sed respõdent regi:Non necesse habemus de hac re tibi respondere:Ecce eñ Deus noster, quẽ colimus,potest eripere nos de camino ignis ardentis,& de manibus tuis, ô rex liberare. Quòd si noluerit, notũ sit tibi Rex, quia deos tuos non colimus,& statuam aureã, quam erexisti, non adoramus.Hæc uerba haud obscurè significant,qualis fuerit oratio horum adolescentum coram Deo.Te æternum & omnipotentem Deum, conditorem uniuersæ creaturæ, qui eduxisti maiores nostros de ferrea fornace Aegypti, & qui promisisti te nobis propicium per Messiam filium suũ, inuocamus, ut nos grauissimis periculis propter nomen tuũ obiectos tuearis.Etsi aũt,quantum quidẽ nos iudicare possumus, existimamus,te maximam in toto orbe terrarũ gloriam consecuturũ,si nos illæsos in igne huius fornacis,in quã proȝcimur,conseruares,ac petimus etiam,ut nos potenter & clementer ex hoc igne eripias, tñ quia in his rebus,de quibus non habemus certas ꝓmissiones,ignoremus, quid orare,ut oporteat,debeamus,fiat tua,nõ nostra uoluntas.Si nos in igne cõseruaueris,declarabimus gratitudinem nostram, quoquo officio possu

Beneficia corporalia quomodo petenda.

2.Reg. 15.

Exemplum Dauidis.

Exemplum trium adolescentum, Danielis.3.

Oratio triũ adolescẽtum in camino.

mus, & prædicabimus gloriam nominis tui toto uitæ noſtræ tempore. Si autẽ aliud uiſum tibi fuerit, parati ſumus etiam uitam noſtrã propter nomen tuũ impendere. Memorabilis obedientia, qua Deus ita permouetur, ut etiam nõ promiſſa admirabiliter largiatur. Etſi autem fieri potuit, ut hi adoleſcentes cognouerint ex occulta ſpiritus reuelatione, ſe ex hoc igni etiam corpore illęſos egreſſuros, & adhibuerint ei reuelationi firmiſsimam fidem, tamen nos loquimur nunc de manifeſtis promiſsionibus Dei, quas habemus quidem ex Euãgelio de ſpiritualibus, cœleſtibus & æternis bonis per Chriſtum partis, non autẽ habemus eas priuatim de ſingulis bonis corporalibus. Quare in horum indigentia ita inuocandus eſt Deus, ut tamen interim uoluntatem & cupiditatem noſtram ſubiiciamus diuinæ uoluntati, certiſsima ſpe concepta, q̃ etiamſi non aſſequimur bona regni terreni pro noſtro arbitrio, tñ aſſequamur bona regni cœleſtis per Ieſum Chriſtum Dñm noſtrum, qui eſt unà cũ Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XXXII.

ON eſt nobis ignotum, quòd Dñs noſter Ieſus Chriſtus, diſcipulos ſuos, in hac concione, quam poſt nouiſsimam cœnam ſuã habuit, conſolandos & aduerſus uenturas tentationes muniendos ſuſceperit. Sciebat emẽ eos è cruce & morte ſua magnum & acerbum dolorem accepturos. Sciebat etiam ipſos, & uniuerſam Eccleſiam ſuã, maximis in hoc mundo afflictionibus concutiẽdam. Quare uiſum fuit ei in diſceſſu ſuo inſtituere concionem conſolatoriam, qua Apoſtolos ita animaret, ut non ſolum ipſi aduerſa fortiter perferrent, uerumetiam Eccleſiam, cuius ipſi doctores ordinati erant, in omnibus huius mundi miſeriis confirmarent. Ac recitauit quidem hactenus grauiſsimas rationes, quibus mœrorem animi eorum leuaret. Nunc autẽ accedit ad cõcionis ſuæ epilogum & concluſionem, in qua repetit tam concionis ſtatum, quẽ initio poſuit, & præcipua conſolationis argumenta: Ne turbetur, inquiens, cor ueſtrum, neq; formidet. Hoc planè illud eſt, quod in principio concionis dixit, & quod eſt totius concionis ſtatus. Cohortatur emẽ diſcipulos, ut propter diſceſſum, ſeu crucem & mortem ſuã, non frangantur animo, idq; duabus de cauſis. Vna eſt: Audiſtis, q̃ ego dixi uobis, Vado, & uenio ad uos: hoc eſt, Dixi quidẽ uobis, me deſerturum uos, & morte à ueſtra cõſuetudine auellendum. Quæ res incutiet uobis ingentem dolorẽ. Nam ut nihil dicam de eo, q̃ ex meo conuictu hactenus inter hoſtes ueſtros tuti fueritis, nec quicq̃ uobis defuerit, non potuiſſet uobis hac mea conſuetudine in terris ulla aut ſuauior aut iucundior contingere. Quare mirum non eſt, q̃ uehementer de meo diſceſſu doleatis: ſed qui dixi uobis, me à uobis abiturum, idem etiam dixi, me ad uos rediturũ, & uos in oĩbus periculis cõſeruaturum. Dixi: Veniam & aſſumã uos ad meipſum, ut ubi ſum ego, & uos ſitis. In dolore igitur, quem accipitis propter abitum meum, confirmate animum ueſtrum recordatione reditus mei, qui maxima quæque beneficia uobis ſit allaturus. Quæramus autem, quomodo Chriſtus redierit poſt mortem ad ſuos

Chriſti conſolatio de abitu ſuo.

ſuos Apoſtolos. De hac re, etſi ſuprà diximus, tñ & nunc pauca repetenda erunt. Primùm ergo, Chriſtus rediit ad Apoſtolos ſuos Reſurrectione. Poſtq̃ em̃ reſurrexit à mortuis, apparuit diſcipulis ſuis ſæpe ac multũ, & collocutus eſt cũ ipſis familiariſsimè, per quadraginta dies, donec aſcenderet in cœlum. Quibus colloquñs, ut Apoſtoli maximo gaudio affecti fuerunt, ita perſpicuè cognouerunt, eum uerè à mortuis reſurrexiſſe, & cœleſtẽ gloriam conſecutum eſſe. Deinde, poſtq̃ aſcendit in cœlum, rediit ad eos miſsione & donatione Spũs ſancti, quo tanta conſolatione perfuſi ſunt, ut non ſolum excelſo animo Euangelion Chriſti corã Regibus & Principibus, in toto orbe terrarum uulgarent, ſed etiam cęſi ob nomẽ Chriſti, lætarentur, & in morte ipſa uitã conſequerentur. Nec in Apoſtolis tantum, uerũetiam in tota Eccleſia Chriſti hæc locũ habere ſentiamus. Chriſtus enim uidetur abire, & Eccleſiam ſuã deſerere, cũ conniuet ut Euãgelion eius damnetur, & Eccleſia perſecutionem patiatur ab impiis, ac obiiciatur oĩbus huius mundi malis. Sed redit ad Eccleſiam, primũ reuelatione & illuſtratione Euangelñ, & inſtauratione ueri uſus ſacramentorum eius. Deinde redit donis Spũs ſancti, quæ in Eccleſiam per Euangelion ſuũ effundit. Ac in Chriſto ſemel quidem fuit magna Paraſceue & dies Paſchæ, hoc eſt, paſsio, crux, mors, & reſurrectio à morte, quod autem in Chriſto ſemel fuit, hoc ſemper durat in Eccleſia, adeoq̃ diuinitùs ſic ordinatum eſt per Chriſtum, ut quẽadmodum in ipſo, ita et in membris ſuis, Paraſceuen ſequatur Paſcha, hoc eſt, ut crucẽ ſequatur conſolatio, mortem uita, horrores inferni, gaudia cœli. Sic em̃ pñ in Hoſea dicunt: Venite & reuertamur ad Dñm, quoniam ipſe lacerauit, & ſanabit nos, percuſsit & medebitur nobis. Viuificabit nos poſt biduũ. In die tertia faciet nos ſurgere, & uiuemus ante faciem eius. Quæ uerba Prophetę hanc habent ſentẽtiam. Sicut Chriſtus paſſus quidẽ eſt mortem, ſed tertia die reſurrexit à mortuis, & intrauit in gloriam Patris ſui, ita & pñ etiãſi affliguntur, & occidũtur, tñ habent & ipſi ſuũ Paſcha, ſuã tertiam diem, qua recreantur, uiuificantur, & ſeruantur. Dices aũt: Sed meũ Paſcha diutius, quàm ad tertiam tm̃ diem differtur. Nam mea magna Paraſceue durat decem aut uiginti annis, ac uix etiam in quadrageſimo anno expecto feſtũ diem Paſchę, hoc eſt, liberationis meæ. Quõ igitur tranquillo eſſem animo? Hìc mihi conſidera, quòd cũ Propheta dicit, pios tertia die liberandos, ſignificat Reſurrectionem Chriſti, quæ uerè tertia die facta eſt, cauſam eſſe liberationis & ſalutis piorum: nõ autem ſignificat, q̃ pñ ſemper ſint poſt initiũ afflictionis, tertia die, iuxta hanc mũdanam arithmeticam computando, liberandi. Nam liberatio piorum certa quidem eſt propter Chriſtum, ſed tempus poſuit Pater in ſua poteſtate. Et alia eſt mundana, alia eſt cœleſtis arithmetica. In hac enim mundana arithmetica mille anni, ſunt mille anni. In cœleſti autem arithmetica, mille anni, unus tantum dies ſunt, imò ne dies quidem, ſed uix momentum. Quid igitur de temporis diuturnitate coram Deo conquereris, cùm decem tantum annis afflictionem perpeſſus es? Si mille anni in conſpectu Dei ne unus quidem dies ſunt, quantillum erunt decem tantum anni? Accedit & hoc, quòd quò diutius differtur li-

Chriſtus ad Apoſtolos quomodo re dicerit.

Hoſe. 6.

beratio,eò maior crescit usura eius.Sicut em̃ pecunia fœneratorum, tanto plus usuræ ultra sortem gignit, quantò plus tẽporis deposita manet apud eum,qui illam mutuo ad usuram accepit, ita etiam liberatio piorꝝ tantò cum maiori fœnore æternæ gloriæ ueniet,quãtò diutius in manu Dei retenta fuerit. Quare sustineamus aduersa magno & forti animo, certissimi per Iesum Christum, ꝙ post magnã Parasceuen secuturus sit dies festus Paschæ.Postremo redibit Christus in nouissimo die,magna maiestate, excitaturus oẽs homines à morte, & pios secum ducturus in æterna gaudia cœlestis regni.Quare, etsi in hoc mũdo ita affligimur,ut etiam moriendum sit,tñ reliquus est magnus ille festus dies Paschę,quo manifestissimè ueniet per Iesum Christum oĩm piorum liberatio,salus, & uita.Habes unã rationem,qua Christus cõsolatur discipulos & Ecclesiam de abitu suo.Sequit̃ nunc altera:Si diligeretis me,gauderetis utiq;, ꝙ dixerim,uado ad Patrem.Quia pater maior me est. Alia consolandi ratio.Gaudendum uobis est,nõ dolendum,ꝙ abeam ad Patrem. Pater enim me maior est. Magno quondam de hoc dicto controuersia fuit in Ecclesia.Arriani enim acceperunt ex eo occasionem docendę,& ut ipsis uidebatur,cõfirmandæ blasphemię suæ aduersus uerã & ęternam diuinitatem Christi.Dicebant:Si iuxta hoc dictũ Euangelij,Pater maior est filio suo,nõ potest filius Patri esse æqualis diuinitate.Minor igitur est filius,iuxta diuinã naturam. Sed hìc obserua mihi, ꝙ ex multis alijs locis sacræ scripturę perspicuũ est,Christum esse uerũ ab ęterno Deum,eiusdem cum Patre substantiæ,seu naturæ & essentiæ. Ac tam Prophetæ ꝙ Apostoli prædicauerunt Christum esse uerũ ab æterno Deum,quẽadmodum suprà copiosè ostendimus.Quare hic unus locus, Pater maior me est,nec debet nec potest sic intelligi, ut euertat manifestam sententiã tot aliorũ testimoniorꝝ scripturę, quibus clarè probatur æterna diuinitas Christi.Cùm igitur Christus dicit: Pater maior me est,nõ confert se cum Deo Patre,in diuina natura.Quod enim ad hanc attinet, nec Pater maior est,nec Filius minor,sed sunt ęquales. Vna enim & eadem est diuina essentia Patris & Filij: Sed confert se cum Patre, in officio & ministerio. Quod enim dicit, hanc habet sententiam: Non est uobis dolendum propter meum abitum,Abeo enim non ad infernum,ut inæternũ peream, sed ad regnum Patris mei, quod longè maius est, & illustrius, quàm ministerium, quo ego nunc in his terris fungor. Abeo ad ingrediendum in maiestatem Patris mei, quæ multò excellentior est, quàm paruitas illa, in qua nunc me in hac uita obambulantem uidetis. Meus enim Pater regnat in cœlo.In quo regno nulla est miseria, nulla calamitas,nullus dolor,nulla esuries,nullus morbus,nulla mors, nullus inferni horror,sed omnia sunt fœlicia,iucunda,beata,& inæternũ læta. Ego uerò obambulo in hac terra miser & afflictus. Non habeo ullam mundanam dominationem,imò ne speciem quidẽ dominationis,cùm tñ de Messia scriptũ sit,quòd dominaturus sit à mari usq; ad mare.Accedit & hoc ad miseriam, ꝙ paulò post crucifigar & occidar.Breuiter, Non est mihi in hac uita,iuxta Prophetæ dictũ,nec forma,nec decor: despectus sum,ac nouissimus uirorum,& adeò contemptus, ut homines auertant

Consolatio Christi alia de abitu suo.

Arrianorũ error.

In priori parte Homilia 3.

Abitus Christi ingressus est in maiestatẽ Patris.

à me

à me uultus ſuos. Abeo igitur nũc, ut depoſita hac abiecta ſpecie, orner maieſtate Patris mei, & illuſtrer ea gloria, quam habui ab æterno, ut palàm cognoſcatur, me non hominem tm̃ eſſe, ſed etiam uerum ab æterno Deum. Quare non eſt uobis dolendum ꝓpter meũ abitum, ſed potius gaudendum, ob eam maximè cauſam, ꝙ ingrediar in maieſtatem Patris non tam propter me, q̃ propter uos & uniuerſam meã Eccleſiam, quippe qui abeam paraturus uobis locum, quẽadmodum ſuprà dixi, & pate facturus uobis ianuam regni cœleſtis, ut unà mecũ fruamini perpetua maieſtate. Ex hac paraphraſi uerborũ Chriſti, uides Chriſtum non conferre ſe cum Patre in diuina natura, qua ſunt æquales, ſed tantum in maieſtate fœlicitatis, qua filius in hac terra longè minor Patre fuit. Conſidera autem, quomodo hìc definiatur mors Chriſti. Dicit Chriſtus ſe abiturum ad Patrem. Intelligit autem, ſe moriturũ. Mors igitur Chriſti, nõ eſt abitus ad infernum, ſeu ad interitũ, ſed eſt abitus ad Patrem, ad cœleſte Patris regnum, & ad ꝑpetuam fœlicitatem. Nec mors tãtum Chriſti ſic definitur, ſed etiam mors oĩm credẽtium in Chriſtum. Suprà em̃ dixit: Aſſumã uos ad meipſum, & ubi ſum ego & uos ſitis. Et poſtea: Nõ pro eis tm̃ rogo, ſed & pro ĩjs, qui crediturí ſunt per ſermonem eorũ in me, ut oẽs unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. Quare ſicut mors Chriſti non fuit ingreſſus in interitum, ſed in cœlum, ita mors omnium credẽtium in Chriſtum, non eſt ingreſſus in damnationem, ſed in perpetuã ſalutem. Quid ergo uel tu ad mortis mentionem trepidas? uel in morte pĩj amici doles? Mortem metuant hoĩes impĩj, qui Euangelion Chriſti cõtemnunt, & perſequuntur, ac in ſceleribus ſuis impœnitenter pergunt. Nobis aũt hoc tantum curæ ſit, ut Chriſtum cognoſcamus, amemus, & per fidem conſeruemus. Sic eĩm mors erit redemptio noſtra, tantum abeſt, ut ſit noſter interitus. Porro, quia hæc concio Chriſti obſeruatione digniſsima eſt, idcirco commendat eam diligenter. Et ait: Nunc dixi uobis priuſq̃ fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Cõmendo uobis hanc concionem, quam habui de meo abitu, & reditu ad uos, deq̃ beneficĩjs, quæ mors mea uobis & uniuerſæ Eccleſiæ allatura eſt. Commendo autem eam ad hunc uſum, primùm, ut cùm uideritis me capi, rapi, crucifigi, & mori, credatis, uidelicet, me à mortuis reſurrecturum, & ad uos rediturum, ut nõ deficiatis à me increDulitate, ſed forti & conſtanti animo perſeueretis, & ſpem de meo reditu conſeruetis. Deinde dixi uobis hæc priuſq̃ eueniunt, ut cùm euenerint, credatis, hoc eſt, ut ex ueritate prędictionis meę cognoſcatis ueritatem mei Euãgelĩj, quòd uerus ſim Meſsias, qui ſuſceperim mortem, nõ coactus humana uiolentia, ſed mea ipſius uoluntate, ut humanum genus à morte liberarem, & in cœlo ponerem. Habes hoc loco uſum cõcionum & prędictionum Chriſti. Etſi enim initio nõ intelliguntur, tm̃ diligentiſsimè conſeruandę ſunt. Veniet enim tempus, quo ſi reuocentur in memoriam, fidem ita confirmant, ut ea nullis aduerſitatum procellis cõcuti queat. Accedit & hoc, quòd quæ Chriſtus ſemel aut iterum concionatur, ea non ſemper externo prædicationis miniſterio repetuntur. Poſthac (inquit) non loquar multa uobiſcum. Nunquam quidẽ deſerit

Mors Chriſti abitus eſt ad Patrem.

Chriſtus mortem ſuam quare prædixerit diſcipulis.

Christus ſuam Eccleſiam, & conſeruabit miniſteriũ prædicandi Euãgelij in Eccleſia uſq; ad extremum huius ſeculi diem: Ego, inquit, uobiſcũ ſum omnibus diebus, uſq; ad cõſummationem ſeculi: ſed aut Chriſtus ipſe rapitur ad crucem & occiditur, ut Euãgelion ſuum externo miniſterio prędicare nõ poſsit: aut Apoſtoli eius conijciũtur in carceres, ut nõ habeant amplius locũ prędicandi Euangelij: aut doctrina obſcuratur & corrumpitur ignauia, imperitia, & impietate miniſtrorũ Eccleſię, ut etiamſi audiatur, tñ non rectè intelligatur: aut morbus aut alius caſus ita nos obruit, ut Euãgelion Chriſti audire non liceat. Quare quod ſemel ex concione Chriſti ac Apoſtolorũ eius audiuimus, hoc non eſt oſcitanter prætereũdum, ſed diligẽtiſsimè oĩm conſeruãdum, ut in neceſsitate eo uti queamus. Quęſo aũt te, quid cauſæ eſt, q̃ Chriſtus nec multũ, nec diu amplius ſit collocuturus cũ diſcipulis? Dicit enim: Poſthac nõ multa loquar uobiſcũ. Sed cauſam exponit ipſe. Sequitur enim: Venit princeps huius mũdi, & in me non habet quicq̃, ſed ut cognoſcat mundus, q̃ diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Hæc eſt cauſa, cur non licebit mihi diu uobiſcũ colloqui, quia Satan, qui eſt princeps huius mundi, excitauit ludam, principes ſacerdotum, magiſtratus templi & ſeniores, qui uenient cũ gladijs & fuſtibus, ut me comprehendant, & crucifigant. Et tñ Satan ac ſatellites eius nihil prorſus habent in me iuris aut poteſtatis. Cur ergo ſuauiſsime mi Chriſte, permittis, ut te comprehendant, & crucifigant? Cur nõ efficis, ut iniecturi in te manus repentina morte intereant, aut fiant lapideæ & immobiles ſtatuæ? Reſpondeo: Etſi nihil habent in me iuris aut poteſtatis, tñ permitto me eorum potentiæ, ſino me comprehẽdi & crucifi_i, ut cognoſcat mundus, q̃ diligo Patrem, & quòd ſic facio ſicut Pater dedit mihi mãdatum. hoc eſt, trado me hoſtibus meis captiuum, ut palàm corã uniuerſo mũdo declarem, me diligere Patrem meũ cœleſtem, & obedire mandato ac uocationi eius. Pater enim meus miſit me in hunc mũdum, et dedit mihi hoc in mãdatis, ut ſuſcipiam mortẽ, & expiem peccata humani generis mea morte. Huic cœleſtis Patris mei mãdato & uocationi obſequar, alioqui inuictus à Satana & uniuerſis ſatellitibus eius. Initio aũt cõſiderandũ eſt hoc loco, quale cognomen tribuat Chriſtus Satanæ. Vocat eum principem huius mundi, ſicut & Paulus uocat eum Deum huius ſeculi. Homo eñ creatus eſt princeps huius mundi: Replete, inquit, terrã, & ſubijcite eam, dominamini piſcibus maris, & uolatilibus cœli, & uniuerſis animantibus quæ mouenť ſuper terram. Poſtq̃ aũt homo peccauit, & ſubiectus eſt Satanę ꝓpter peccatum, tunc & unà cum homine ſubiectus etiam eſt Satanę principatus huius mũdi. Qui.n. hoſtem ſuperat, accipit in ſuã poteſtatem oĩa quæ hoſtis erant. Quare cũ Satan ſuperauit hominem, accepit etiam in poteſtatem ſuã principatum hominis, qui eſt principatus huius mundi. Itaq̃ Satan dominatur primũ tam corpori quàm menti humanę. In corpus immittere poteſt oĩa genera morborũ, & mortem ipſam. Mentem autem excæcare poteſt, & impellere in omnia genera impietatum, & ſcelerum. Deus, inquit Paulus, huius ſeculi excæcat ſenſus incredulorum, ne illuceſcat ipſis lumen Euangelij gloriæ Chriſti.

Satan cur uocetur deus & princeps mũdi huius.

sti. Ac nisi Satan diuina potentia cohiberetur, profectò nullus hominũ uel corpore uel mente euaderet, quẽ non Satan perderet. Deinde Satan dominatur aeri, terræ & mari. Vnde & Paulus ait: Ambulastis quondam iuxta principem, cui potestas est aeris, qui est spiritus, nunc agens in filijs contumacibus. Itaq; potest Satan & aerem turbare ac inficere, & terram euertere, & maris aquas ciere. Ac nisi potestas eius è cœlo cohiberetur, tam inuidus spiritus est, ut efficeret, quò nulla pluuia terram irrigaret, nec agri fructum proferrent, nec mare nauigari posset, quin potius cœlum terræ misceret. Quare si uel corpore uel mente ualemus, diuinum beneficium est. Si terra fructum affert, diuina benedictio est, soli Deo accepta ferẽda, qui per Iesum Christũ humano generi placatus, Satanam ita compescit, ut sęuicia eius non possit cõstitutum à Deo terminum transgredi. Quod cùm ita se habeat, pergamus etiam ad aliarum rerum considerationem. Neq; enim hoc prętereundum est oscitanter, q̃ Christus dicat, principem huius mundi, hoc est, Satanam uenire, cũ ueniret Iudas, cohors militum, serui Pontificum, magistratus templi & Senatores. Qua re significat, q̃ exercitus eorũ, qui persequuntur Christum & Euangelion eius, sit cœtus non hoĩm, sed Satanarum ac Diabolorum, imò Satan ipse & Diabolus. Quid ergo? Si hostes piæ doctrinæ nõ sunt homines, sed diaboli, itáne metuemus eos, ut abijciamus hastam, & fugiamus? aut nos continuò captiuos ipsis tradamus? Minimè oĩm. Sed potius tantò magis confidamus & pugnemus. Maior enim est, inquit Ioannes, qui in nobis, q̃ qui in mundo est. Et iterum: Princeps huius mundi iam iudicatus est. Suscipitur ergo bellum cũ hoste iam uicto & prostrato, qui multa quidem pericula minari potest, perdere autem credentem in Christum nõ potest. Et quẽadmodum apis amisso aculeo, adhuc obstrepera est bombo suo, nullum tamẽ pungere potest: ita Satan expiato peccato per Christum, adhuc obstrepit quidem pijs, non potest aũt eos, dum in Christo constiterint, opprimere. Est & hîc innocentia Christi consideranda: In me, inquit, non habet quicquam. Nullus hominum etiam sanctissimorum potuit unquam uerè, quantùm quidem ad humanam naturam attinet, hanc uocem dicere. Omnis enim homo mendax. Et: Omnes declinauerunt. Solus Christus uerè dicit: Princeps huius mundi nihil habet in me iuris. Solus enim Christus est, qui peccatum non fecit, nec inuẽtus est dolus in ore eius. Solus igitur est, in quem nec Satan nec satellites eius siue corporales siue spirituales quicquam iuris habent. Quid ergo dicemus? Si Satan in solum Christum nihil iuris habet, solus ne Christus seruatur? Solus certè suo merito seruatur. Sed bene habet. Merita Christi non sunt tam pauca & tam angusta, ut soli ipsi sufficiant. Sed habet merita, ut isti loquuntur, supererogationis, & tanta sunt, ut sufficerent uniuerso mundo ad salutem. Cum aũt multi impij ea aspernentur, soli pij & credentes in Christum fructum eorum accipiunt, quibus cùm Christus ea ita cõmunia habet, ut et ipsi ꝓpter Christũ cœlestem salutem consequãtur. Deus dedit, inquit Paulus, Christum caput super oĩa ipsi Ecclesię. Itaq;, quisquis credit in Christum, & est membrum Ecclesiæ Christi per fidem, is etiam est membrum Christi ipsius.

Exercitus persequentium Christum est cœtus diabolorum.

Satan comparatur api quæ aculeũ amisit.

Inter caput autẽ & membra ſua eſt bonorũ communio. De plenitudine eius, inquit Ioãnes, accepimus oẽs. Quare ſi curæ nobis fuerit, ut ſimus membra Chriſti, manifeſtum eſt, q̃ quemadmodũ Satan nihil iuris habet in Chriſtum, ita nec quicquam iuris in nos habebit propter Chriſtum. Poſtremo, Chriſtus exponit etiam ſuã obedientiam. Etſi em̃ princeps huius mundi nihil habet iuris in Chriſtum, tm̃ permittit, ut graſſetur in ipſum captiuitate, alapis, flagellis, cruce et morte. Quam ob cauſam hoc permittit? Vt cognoſcat, inquit, mundus, q̃ diligã Patrem, hoc eſt, ut palàm fiat, quòd tanto amore ꝓſequar Deum Patrem meũ, ut malim crucifigi & confodi, cũ mandato & uocationi Patris mei non obedire. Deus enim iam inde ab initio orbis ſignificauit uoluntatem ſuam, & mandatum, q̃ filius ſuus debeat à Satana affligi & mortem ſubire. Ipſe, inquit, inſidiabitur calcaneo eius. Idem teſtabantur ſacrificia, quæ ſunt umbra ſacrificij filij Dei. Idem etiã docebant uaticinia Prophetarũ. Quare Chriſtus nõ eſt captus, & crucifixus, potentia Satanę & ſatellitũ eius, ſed ſua ipſius uoluntate, qua ſubiecit ſe mandato & uocationi Patris ſui, ut pctã humani generis expiaret. Quod aũt Chriſtus de ſeipſo cõciona-tur, hoc idem de Eccleſia Chriſti ſentiẽdum eſt. Vt.n. Chriſtus permiſit ſe in hoc mundo affligi, non quòd non potuerit ſe ab afflictione tutum reddere, ſed ut obediret uoluntati Patris: ita permittit etiam ut Eccleſia eius in hoc mundo uarijs afflictionibus concutiatur, non q̃ non uelit, aut non poſsit eam iuuare, & tutam ab aduerſis ſeruare: ſed ſunt multæ aliæ huius conſilij cauſæ, uidelicet, ut doceat regnum ſuũ non eſſe mundanum, ut mortificet carnem noſtrã, ut admoneamur de pctõ carni adhuc inhęrenti, ut caueamus ne peccatum nobis dominet, & ut maiorem fœlicitatis coronam in uẽturo ſeculo largiatur. Non pugnemus igitur cũ uoluntate Dei, ſed obſequamur uocationi eius, & ſufferamus aduerſa patienter, ut ſi cum Chriſto patimur, cum ipſo etiam glorificemur. Dices autẽ: Si hæc ita ſe habent, quid ſentiemus de bellis, quæ pij Reges & Principes aliquoties ſuſcipere ſolent aduerſus impios? Si enim ferenda ſunt aduerſa pio, ſicut Chriſtus ea tulit, cur Dauid non tulit exilium ſuũ, in quod à filio eiectus erat, ſed potius perſecutus eſt filium bello? Cur Conſtantinus maluit crudelitatem, qua collega eius Licinius graſſabatur in Chriſtianos, bello uindicare, cũ exemplo Chriſti ſine bello peteret? Recténe & piè fecerunt Armenij, q̃ intulerint Romanis ſocijs ſuis bellum, ut tuerentur profeſsionem Chriſtianiſmi, quam Romani iubebant abijcere, & idola colere? Cur nõ potius exemplo Chriſti tulerunt aduerſa, & permiſerunt, ut à Romanis trucidarentur, & idola in regione ipſorũ inſtaurarentur? Hic nobis diſcrimen uocationũ obſeruandũ eſt. Alia.n. eſt uocatio Chriſti, alia Regũ & principũ huius ſeculi. Chriſtus non erat uocatus, ut geſtaret gladium in hoc ſeculo, & ageret mundanũ Principem, ſed tm̃ ut prędicaret Euangelion ſuum, & confirmaret miraculis, ac paſsione & morte ſua expiaret peccata humani generis. Quare non uoluit gladio aduerſus perſecutores ſuos uti, ſed uoluit capi & crucifigi, ut obediret ſuæ uocationi. Qua etiam obediẽtia reportauit ſuam, hoc eſt, ſpiritualem & cœleſtem uictoriam. Expiauit enim peccata, uicit

Chriſtus qua re Satanæ permittat ut in ipſum graſſetur.

Eccleſia cur uarijs afflictionibus ſit ſubiecta.

Euſe. in Eccleſiaſtica hiſto lib. 9. cap. 10.

Euſe. lib. 9. cap. 8.

cit mortem & infernum. Hæc est uictoria, quã cogitabat, quã desidera bat. Reges aũt & Principes huius seculi gestant gladiũ diuina ordinatione. Nec gestant eum frustra, sed primùm oĩm ideo gestant eum, ut aperiant portas suas regi glorię, seu Christo & Euãgelio eius: deinde ut subditos suos, bonos quidẽ tueantur, malos aũt puniant, & latrones à regione sua arceant. Etsi uerò debent & ipsi aduersa patienter ferre, & priuatam iniuriã æquo animo tolerare, tñ si hostis piæ doctrinæ uoluerit eos cogere, ut claudant portas suas regi gloriæ, & susceperit grassandum in subditos suos, officium exigit, ut hanc publicam iniuriam, si aliter fieri nõ potest, bello uindicent. Quo officio, si id ex fide susceperint, reportant etiam suã, hoc est, externam & mundanam uictoriam. Non negari quidẽ potest, quin & Dauid meritus sit suo pctõ exilium, & Constantinus ac Armenij suis peccatis obnoxij fuerint, quæ si Deus obseruasset, nõ potuissent incursionem hostium suorũ sustinere, sed cùm Absolom impiè sæuiret in patrem & regnum eius, ac Licinius & Romani pñs idola obtruderent, fecerunt Dauid, Constãtinus & Armenij suũ officium, ꝙ bello defenderint suos subditos ab impiorũ latrocinio, ideoꝙ etiam reportârunt diuina clemẽtia uictoriam. Vt enim Deus promisit omne suũ auxilium ambulanti in sua uocatione, & facienti suũ officium, ita fieri non potest, ut qui ex fide officium suũ faciendum suscipit, diuino auxilio destituatur. Qui me, inquit, honorificauerit, uicissim ego & ipsum honorificabo. Quare hi Reges & Principes, quibus ab hostibus piæ doctrinæ infertur bellum, ꝙ aperuerint portas suas regi gloriæ, qui est Iesus Christus Dñs noster, non peccant propulsando, quantis possunt uiribus, impetum hostium, sed faciunt suũ officium, & si hoc ex fide & inuocatione nominis Dei fecerint, certissimam uictoriam reportabunt. Nos uerò priuati, quibus non, nisi legitimè uocatis, gladium gestare licet, nõ moueamus seditionem, ꝓpter iniurias nobis illatas, sed siquidẽ possumus eas legitimè propellere, licebit: Si uerò id fieri non potest, obsequamur uoluntati Dei, obediamus uocationi eius, & sufferamus aduersa patienter, certa fiducia concepta, Deum, ne in media quidem morte, nos deserturum. Atꝙ hactenus quidem perstrinximus expositione nostra priorem concionem, quam Christus habuit, cùm adhuc esset in cœnaculo. Vnde & concludens eam: Surgite, inquit, eamus hinc. Precor igitur Deum, ut hæc concio eum fructum in nobis ferat, ad quem ferendum instituit eam Dominus noster Iesus Christus, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Principes an debeant defendere suos subditos contra hostes piæ doctrinæ.

CAPVT XV.

HOMILIA XXXIII.

DVAS habuit conciones Iesus Christus Dominus noster, postquàm instituerat sacramentum Cœnæ suæ, & Iudas de cœtu Apostolorum, ad conficiendam susceptam proditionem, discesserat. Vnam habuit, cùm adhuc esset Hierosolymis in cœnaculo, quæ cõtinetur

periori capite decimoquarto. Alteram habuit in itinere, cùm proficiſce retur ad montem Oliueti: Et hæc cõtinetur duobus ſequentibus capitibus. Cùm igit̃ percurrerimus qualicunq; interpretatione noſtra priorẽ illam, aggrediamur nunc, diuina clementia adiuti, poſteriorem, precantes Deum Patrem Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ut Spũ ſancto ſuo efficiat, quò miniſterium noſtrum, fœlix ſit, & ſalutare. In hac aũt concione cohortat̃ Chriſtus Apoſtolos, & uniuerſam Eccleſiam ſuã, ut maneant in ipſo, & nõ ſinant ſe ab ipſo ulla uel cruce uel perſecutione abduci. Hoc eſt argumentum, hic eſt ſtatus huius concionis. Nec odioſè, aut moleſtè repetit Chriſtus hunc ſtatum, ſed addit etiam ſuas cauſas, cur ſit manendum in ipſo, & non recedendum ꝓpter perſecutiones. Ego ſum, inquiens, uitis uera, & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit, & oẽm qui fert fructum, PVRGAT, ut fructum copioſiorem afferat. Iam uos PVRI eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum uobis. Manete in me & ego in uobis. Hoc illud eſt, ad q̃d inſtituit Chriſtus Apoſtolos cohortari: Manete, inquit, in me. Quare, ut perſuadeat eis, & excitet ipſos ad obedientiam, oſtendit eis utilitatem, quã conſequuntur hi, qui manent in ipſo, ſumpta metaphora ſeu ſimilitudine à Vinea, Vite & Palmitibus. Potuiſſet quidem Chriſtus ſupercœleſti lingua loqui, ſed maluit ruſtica lingua noſtrę utilitati ſeruire, q̃ ſuam maieſtatem ſine ullo noſtro fructu oſtentare. Maluit etiam metaphora Prophetis uſitata, q̃ nouo ſermonis genere uti, quo & nos ad amplectẽdos Prophetas hortaretur, & ſe eum eſſe, in quem Prophetæ reſpiciunt, ſignificaret. Nam Prophetæ uocauerũt domum Iſrael, hoc eſt, Eccleſiam Dei, Vineam: Vineam, inquit Pſalmus, tranſtuliſti de Aegypto, eiecifti Gentes, & plantaſti eam. Et Eſaias: Vinea Dñi Zebaoth, domus Iſrael eſt, & uiri Iuda germen delectabile eius. Et Ieremias: Ego plantaui te palmitem fertilem, & totum ſeminarium fidele. Sed & aliàs Chriſtus in parabolis ſuis facit ex Eccleſia ſua uineam. In hac igit̃ uinea, Deus Pater eſt Agricola, ſeu uinitor. Chriſtus filius Dei uitis. Apoſtoli, & unumquodq; uis membrũ Eccleſiæ ſunt palmites. Hæc nunc conferenda ſunt inter ſe, ut uideamus, quõ conueniant. Vinea inſtituitur, non ut ſit ager ſpinarũ & tribulorũ, ſed ut in ea plantentur uites, quæ fructum afferant. Sic & Eccleſia inſtituta eſt, nõ ut diuitijs huius terræ, quæ ſunt ſpinæ, illuſtris ſit, ſed ut plãtetur in ea Chriſtus. Agricola ſeu uinitor purgat aream uineę, plantat eam uitibus, circũdat ei ſepem, fodit torcular, & ędificat turrim, purgat palmites, ut copioſum fructũ ferant. Sic & Deus Pater elegit ſibi ex hoĩbus Eccleſiam, in qua plantauit Chriſtum filium ſuũ, quam etiam muniuit firmiſsima petra, Chriſto, aduerſus quã petram ſeu turrim ne portę quidem inferi prędualere poſſunt. Et cùm in Chriſto regenerantur pij̃, tanq; palmites in uite, purificat corda eorũ, ut multum fructum afferant. Porro: Vitis producit palmites. Inter palmites aũt multum eſt diſcriminis. Alij̃ ſunt ſteriles, qui tolluntur & abijciuntur in ignẽ, alij̃ ſunt frugiferi, qui nõ tolluntur, ſed purgantur, ut fiant fertiliores. Et quanq; uitis habet abiectiſsimam ſpeciem, ſi externum corticem reſpicias, tamen producit ſuauiſsimum fructum, qui & homines & deos, ut ſcriptura loqui

In Chriſto manendum eſſe.

Eccleſia Dei uinea. Matt. 20. & 21.

Iudi. 9.

ra loquitur, lætificat. Sic & Christus, qui est uera uitis, abiectissimus uidetur inter hoīes, sed contulit in homines optima beneficia. In hac uite duo sunt genera palmitum, seu ordines hominum. Alij habent quidem speciem pietatis, Videntur credere in Christum, uidentur esse prȩcipui in Ecclesia Christi, audiunt conciones, sumunt sacramenta, & faciunt etiã multa bona opera, non credunt aũt uerè in Christum, nec faciunt sua opera ex uera in Christum fide: Hi sunt hypocritæ, palmites steriles, qui tandem eijcientur in perpetuũ ignem. Sunt & impœnitentes, qui nomẽ tantũ Christiani gestant, interim aũt magnis & horribilibus scelerĩbus illustres sunt. Alij sunt uerè pij, & ut rectè credũt in Christum, ita etiam rectè ex fide operantur, & proferunt fructum perpetuò manentem. Hoc discrimen diligenter est obseruãdum. Impij enim uirulenter de Ecclesia Christi loquuntur, ꝙ uideant in ea multos impuros & sceleratos, ꝓpter quos sentiunt Ecclesiam Christi non esse uerã Ecclesiam. Iudæi & Turcæ exprobrant Christianis scelera, quæ palàm in uulgo Christianorum designari uident. Quomodo, inquiunt, hi possunt esse populus Dei, in quo tanta flagitia cõmittuntur? Pontificij obiectant his, qui uerũ Euangelion Christi agnoscunt, prophanos mores, quos nonnulli contento studio sectantur. Quis, inquiunt, iudicare posset, hoc esse uerũ Euangelion Christi, cuius auditores tam sceleratam uitã ducunt? Anabaptistæ etiam damnant nostrã Ecclesiam, ꝙ uideant in ea multum adhuc peccari. Sed uicissim oēs illi hac concione Christi damnantur, qui uerã Ecclesiam propter malos in ea admixtos damnant. Christus enim in hac concione de palmitibus, non loquitur de his, qui publica sua professione alieni sunt ab Ecclesia, quales sunt Iudęi, & Turcæ, sed de his, qui sunt aut uidentur esse in uite Christo. Et inter hos facit duplicem ordinem. Alij enim sunt steriles, alij frugiferi. Quo discrimine perspicuè docet, Ecclesiam in hac terra habere multos malos admixtos, qui etsi uidentur uera Christi membra, tamen sunt palmites tollendi & in ignem proijciendi. Assimilatum, inquit, est regnum cœlorũ homini seminãti bonũ semen in agro suo, sed dormientibus hoībus uenit illius inimicus, & seminauit zizania inter triticum. Et iterũ: Simile est regnum cœlorũ uerriculo iacto in mare, & ex omni genere cõtrahenti. Et aliâs: Intrat quispiam ad nuptias non habens uestem nuptialem. Dicit & Ioannes: E nobis profecti sunt, sed non erant ex nobis. Errant igitur, qui in hac corporali uita talem Ecclesiæ cœtum quærunt, in quo omnia sint perfectè pura & sancta. Etsi enim manifesta scelera non sunt in ullo honesto hominum cœtu toleranda, sed tam à magistratu, quàm ab Ecclesiæ pastore, pro sua cuiusq; uocatione, puniẽda, tamen multi sunt hypocritę, qui cùm habeant speciem pietatis, nec possunt humano iudicio condemnari, relinquunt diuino iudicio tollendi. Palmitem, inquit, non ferentem fructum, tollit. Quid aũt de palmite ferente fructum? Purgat, inquit, ut afferat fructum copiosiorem. Palmes in Ecclesia utilis & frugifer, est omnis, qui uerè in Christum credit, & ex uera fide obsequitur uocationi Dei. Hic palmes non abijcitur, non tollitur, ut prior ille, sed putatur falce, & purgatur. Sciamus igitur, quomodo fiat hæc putatio seu purgatio. Cognoscamus

Palmitum in uite Christo duo genera.

Ecclesiæ in hac terra esse admixtos multos malos.

Palmes in Ecclesia frugifer.

falcem,qua hic palmes putatur & purgatur. De hac aũt re Christus ipſe nos docet.Sic enim ſequitur: Iam uos puri(ſeu putati)eſtis propter ſermonem,quem locutus ſum uobis.Quid,quęſo te,hæc uerba ſibi uolũt? Quomodo Apoſtoli ſunt puri,ſeu putati palmites,cũ adhuc eſſent peccatores, & paulopoſt Chriſtum deſerturi, & abnegaturi? Puri, inquit, eſtis,non propter ueſtram carnẽ, cui adhuc peccatum inhęret, nec propter puritatem ueſtræ iuſticiæ,cui multũ impuritatis admixtum eſt,ſed ꝓpter SERMONEM,quem uobis locutus ſum.Ecquis eſt ille SERMO, q̃ ſic purificat? Varia ſunt genera ſermonis Chriſti. Alia ſunt præcepta legis,ſeu Decalogi expoſitio. Alia ſunt uaticinia de rebus uẽturis, ut ſunt illa,quæ dicta ſunt de deuaſtatione urbis Hieruſalem, & abiectione Iſraelis.Alia ſunt ea,quæ Chriſtus de ſua perſona & officio concionatus eſt,uidelicet, ꝙ ipſe ſit uerus Meſsias, uerus filius Dei, miſſus in terram ad hunc uſum,ut expiet peccata humani generis, reconciliet nobis Deũ Patrem,ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat æternam uitã.Hoc eſt uerũ Euangelion Chriſti. Ac de duobus quidẽ prioribus generibus ſermonis Chriſtus nunc nõ loquitur,quæ etſi ſuũ habent uſum,tamen nõ purificant corda hoĩm: ſed loquitur de poſtremo illo ſermonis genere, quod eſt uerũ & ipſiſsimum Euangelion Chriſti. Puri,inquit,eſtis propter ſermonem,hoc eſt, propter Euãgelion quod adnũciaui uobis,uidelicet,quòd ego uerus ſim Meſsias, qui morte mea ſeruem uos à morte,qui inferni horroribus à me ſuſceptis, uos ab inferno liberem,adeoq̃ uobis merear à Deo Patre meo, ut adoptet uos in filios & hæredes cœleſtis regni. Hic eſt ſermo,per quẽ, ſi fide accipiatur, homo uerè purificatur.Primum eñ, qui accipit hunc ſermonem Euangelij per fidem,is reputatur corã Deo uerè iuſtus,purus,& ſanctus,idq̃ non propter opera iuſticię,quæ nos facimus,ſed tantum propter Ieſum Chriſtum filium Dei,fide acceptum. Iuſtificantur,inquit Paulus,gratis per illius gratiam,per redemptionem,quæ eſt in Chriſto Ieſu, quẽ propoſuit Deus reconciliatorem,per fidem,interueniente ipſius ſanguine. Itaq̃, qui credit ſermoni Euangelij de Chriſto,huic etſi inhæret adhuc peccatũ in carne,tamen peccatũ non imputatur, ut ſit uerè iuſtus coram Deo,nõ quidem ſua ipſius iuſticia,quæ aut nulla aut imperfecta eſt, ſed aliena iuſticia,uidelicet Ieſu Chriſti,quæ ipſi per fidem imputatur.Beatus enim uir,cui non imputat DOMINVS peccatum.Deinde,qui accipit ſermonem Euangelij per fidem,donatur ſpiritu ſancto, qui mortificet reliquias carnis, & dominet peccato, ne regnet in mortali noſtro corpore.Itaq̃ ſpũs ſanctus uera eſt falx putatoria,qua palmites purgantur per ſermonem Euãgelij,primum quidem, ut fide reputemur coram Deo iuſti propter Chriſtum: deinde autem, ut mortificentur facta carnis,& compeſcatur affectus peccati. Etſi eñ in hac uita fieri non poteſt, ut peccatũ ex carne totũ eradicetur, quò reipſa toti in nobis iuſti ſimus, fieri tamen poteſt per ſpiritũ ſanctum, ut peccatum reſecetur, & fructus eius deſtruatur,quò non iuxta carnem, ſed iuxta ſpiritum ambulemus. Poſtremò qui accipit ſermonem Euangelij per fidem,is obĵcitur uarĵs afflictionibus & perſecutionibus in hoc ſeculo.Si enim me,inquit Chriſtus,

Sermonis Chriſti genera uaria.

Apoſtoli quomodo ſint putati palmites.

Falx putatoria ſpiritus ſanctus & afflictiones.

ſtus,perſecuti ſunt,& uos perſequẽtur.Et aliâs:Oportet nos per multas afflictiones intrare in regnum Dei.Quare & afflictiones referendę ſunt inter eas falces,quibus Pater cœleſtis palmites ſuos purgat. Diligenter aũt conſiderãdum eſt,quis ſit finis putationis, ut etiã cognoſcamus finẽ & uſum afflictionum. Vinitor enim putat palmites falce, non ut corrũpat eos & perdat,ſed ut copioſiorem fructum afferant:ita & Deus Pater immittit pijs crucẽ & afflictiones,non ut pereant,ſed ut ſeruentur.Huic enim immittitur crux,ut admoneatur de peccato adhuc inhærẽti in carne: illi ut cõtineatur in officio,ne regnet peccatum in carne: iſti ut ſit exemplo alienæ reſipiſcẽtiæ:alij alijs de cauſis,Non aũt hoc conſilio,ut cõijciantur in interitũ,ſed ut liberentur ex interitu, & cõſequantur perpetuã ſalutem.Cùm igitur affligimur cruce & calamitate, ingrediendũ eſt in uineam,reuocanda eſt in memoriã putatoria falx uinitoris, & cognoſcendum,ꝙ quis ſit finis putationis in uinea, idem etiam ſit finis afflictionũ,quæ pijs accidere ſolent,uidelicet,nõ ut abijciantur in ignem, & incendio pereant,ſed ut purgentur,&copioſiorem fructũ ipſi tam afferãt, ꝙ auferant & reportent.Quod cũ ita ſe habet,ut qui in uera uite,quę eſt Chriſtus,manent,purgentur & afferant multũ fructum,addit Chriſtus & ait:Manete in me,& ego in uobis.Sicut palmes nõ poteſt ferre fructũ à ſemetipſo,niſi manſerit in uite,ſic nec uos,niſi in me mãſeritis.Hæc eſt quaſi cõcluſiuncula prioris cohortationis.Dixi me uerã eſſe uitem. Dixi palmitem manẽtem in me,copioſum fructũ afferre. Hortor igit uos, ut in me maneatis, quò & ego in uobis maneam, & uos multum fructũ afferatis.Sed quõ,inquis,manemus in Chriſto? Nũ manemus in eo, cũ manemus in cuculla Frãciſcana,uel in alijs traditionibus,ſiue põtificijs, ſiue monaſticis,ſiue eremiticis? Nihil minus.Fruſtra,inquit,colunt me mandatis hoĩm. Sed manemus in Chriſto, cũ manemus in SERMONE Chriſti per fidẽ.Si quis diligit me,inquit,ſermonem meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eum,& ad eum ueniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Quid autẽ beneficij contingit manenti in Chriſto? Primùm Chriſtus manet in ipſo:Manete,inquiens,in me, & ego in uobis. Quid aut melius,aut maius quęris? Qui.n.Chriſtum habet,theſaurum habet oĩm cœleſtium bonorũ.Ieſus Chriſtus,inquit Paulus, factus eſt nobis à Deo ſapientia,iuſticia,ſanctificatio,& redemptio. Ergo, qui Chriſtum habet,factus eſt uerè coram Deo ſapiens,iuſtus,& ſanctus,& redimitur ab omni afflictiõe.Deinde is,in quo Chriſtus manet, fert copioſum fructum.Dicit.n.Sicut palmes nõ poteſt ferre fructũ à ſemetipſo,niſi manſerit in uite,ſic nec uos,niſi in me manſeritis.Et ſequitur: Ego ſum uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo,hic fert fructũ multũ: quia ſine me nihil poteſtis facere. Repetit, ꝙd initio dixit,ſe eſſe uitem, & exponit palmites de Apoſtolis & Eccleſia ſua,ut hac metaphora ſeu pictura oſtendat neceſſarium eſſe,ut in ipſo per fidem maneamus,ſi uolueri-mus cœleſtẽ fructũ & facere & percipere: Niſi manſeritis,inquit,in me, non poteſtis fructũ ferre.Et:Qui manet in me,& ego in eo,hic fert multum fructum.Cõſideremus igitur quem fructum Apoſtoli,qui manſerunt in Chriſto,tulerunt.Etſi enim Apoſtoli paulò poſt deficiũt à Chri-

Afflictionũ uſus.

In Chriſto quomodo manendum.

sto,fuga,& abnegatione,tamen statim resipiscunt,& cũ Christo ita coniunguntur,ut semper in ipso manserint.Quare Apostoli principio multum fructũ tulerunt,prędicatione Euãgelij de Christo.Postq̃ enim acceperunt dona spũs sancti in die Pentecostes, diuulgauerunt Euangelion in toto orbe terrarum,& collegerunt Ecclesiã Christi non ex Iudęis tm̃, sed etiam ex gentibus. Euangelion,inquit Paulus, prędicatum est apud uniuersam creaturam,quæ sub cœlo est.Et iterum: Euangelion fructificat in toto mundo.Hic est multus & excellens fructus, quem Apostoli, cũ mansissent in Christo,tulerunt. Deinde tulerunt copiosum fructũ edendis miraculis.Multa insignia miracula in noĩe Christi ediderũt,quibus & nomen Christi illustratum est , & autoritas ac ueritas Euangelij cõmendata est.Prętera tulerunt multũ fructum faciendis multis bonis operibus. Non solum em̃ diligenter fecerunt publicum suũ officium, prędicando Euangelio,sed etiam fecerunt suũ officium priuatum, fide, & inuocatione nominis Dei, & reliquis uirtutibus. Non abusi sunt nomine Dei ad execrationes.Dederunt magistratui,quod debuerunt.Cõplexi sunt proximos candida caritate. Non dederunt operã ebrietati & helluationibus,non impudicitię &lasciuiæ:denicq; duxerunt tam publicè q̃ priuatim uitam honestissimam.Hic certè copiosus est fructus. Nec actionibus tm̃ tulerunt tam copiosum fructum , uerũetiam passiõibus. Ludibrijs & flagris explorati sunt.In uincula &carceres cõiecti sunt.Fame & rerum oĩm penuria afflicti sunt,ac postremo, omni genere supplicíorum & mortis affecti sunt: non tamen deseruerunt suũ officium,sed quò plus affligebantur,eò constantius Christum profitebantur: Vnde & consecuti sunt cœlestem cum Christo maiestatem. En hic est fructus, quem tulerunt Apostoli,cum mansissent in Christo. Quod de Apostolis & fructu eorum dictum est,hoc idem intelligendum est de tota Ecclesia Christi,& unoquouis credente in Christum. Suus enim est cuiusuis manentis in Christo fructus.Nam qui manet in Christo , hic fert initio fructum inuocatione & confessione nominis Christi:deinde honestate morum,& omni genere uirtutis,obedientia,castitate, temperãtia,sobrietate,iustícia contractuum &negociationis,& alijs id genus uirtutibus. Hęc sunt miracula,quæ nunc à pijs requirũtur.Ac ꝓfectò,qui has uirtutes in hoc mũdo sectatur,magna edit miracula. Tanta em̃ est multitudo impudicorũ,ebriosorũ,& impostorum in hoc corrupto seculo, ut inter eos,castè,pudicè,sobriè & iustè uiuere, nõ minus miraculũ uideatur, q̃ olim reddere cæco uisum,aut excitare mortuũ.Postremo, qui manet in Christo,fert etiam fructũ,tolerãtia & patiẽtia,in cruce, in aduersis & afflictionibus.Non.n.discedit ab officio,etiãsi affligatur,sed excitatur potius afflictione ad faciẽdum officiũ,ut declaret, q̃ solum Iesum Christũ agnoscat suã iusticiam & salutem.Quid aũt causæ est, q̃ qui manserit in Christo,ferat multũ fructum:Qui uerò nõ manserit,nullum fructum ferat? Addit:SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE.Hęc est γνώμη non solũ digna,sed etiam necessaria obseruatu, ut uerũ humanorũ operum discrimen cognoscamus.Quid enim dicemus? Si nullus hominum sine Christo aliquid facere potest, ergóne dicemus etiam impios,

Apostolorũ fructus.

Coloss. 2.

Ecclesiæ & credentium fructus.

In Christo cur manendum.

cum

am impios,cū tam multa,siue naturalia,siue moralia dixeris,faciant,habere Christum? Aut si carent Christo,nihil ne esse sentiemus,cp uel Gentes regna prudentissimè administrauerint,& multis insignibus uirtutibus ornati fuerint:uel hypocritę multa bona opera faciant? Hic considerādum nobis est,cp si de generali omnipotentia Christi,& generalibus hoīm actionibus sermo fuerit,certum est,nec pios nec impios posse aliquid sine Christo facere. Omnia,inquit,per ipsum facta sunt,& sine ipso factum est nihil,quod factum est. Et iterꝝ: In ipso sumus,uiuimus & mouemur. In hoc autem loco, non fit sermo de ista generali omnipotentia Christi,& generalibus hoīm actionibus, sed de ea potentia, qua Christus seruat credentes in ipsum perpetua salute,& de ijs hominum actionibus, quæ sunt salutares, & Deo gratæ. Quod igitur dicit: Sine me nihil potestis facere,habet hanc sententiam: Non potestis aliquē fructum utilem & salutarem ferre,nec potestis aliquod bonum opus, quod Deo gratum sit, facere, nisi in me credideritis, & in me per fidem manseritis. Primum enim oīm necessarium est,ut sis & maneas in Christo. Esse aūt & manere in Christo hoc est, si credideris Iesum natum ex Maria uirgine, esse uerū Christum, & hunc Christum solum esse propiciatorem & expiatorem peccatorꝝ tuorum,qui te cum Deo Patre reconciliauerit,& propter quem adoptatus sis in filium et hęredem cœlestium bonorum. Hac fide Deo es acceptus propter Christum. Hac fide reputaris coram Deo iustus. Hac fide,quæcunqꝫ opera siue publicæ siue priuatæ uocationis (non enim loquimur de peccatis, cp ea non possint fieri ex fide) feceris,Deo grata sunt, nō sicut honesta opera Ethnicorum,sed sicut uerè pia ad æternam uitam. Non sentiendum quidē est, quòd Deus det pijs æternam uitam propter merita operum, sed quia pij accipiunt ius æternæ uitæ per fidem propter Christum, idcirco quæ faciunt opera ex hac fide,dicuntur fructus æternæ uitæ: partim, quòd fiant ad declarandam gratitudinem pro accepto iam iure æternæ uitæ: partim, cp & suis præmijs in æterna uita ornentur. Si quis autem non fuerit in Christo, hoc est, non crediderit se Deo gratum, & in filium Dei adoptatum propter Christum,is quicquid fecerit,quantumuis insigne, excellens, illustre & sanctum uideatur,uerè NIHIL coram Deo facit. Cùm enim persona, quæ opera facit,non sit Deo ad æternam uitam accepta,fieri non potest, ut opera eius sint ei sic accepta,ut propter ea faueat personę, & tribuat ei æternam salutem. Primum igitur NIHIL sunt coram Deo,omnium Gentium Idolatrarum opera,& uirtutes. Etsi enim suā habent laudem, in humano iudicio, & in huius terræ actionibus, tamen quia fiunt sine Christo,seu fide in Christum,Deus non iudicat ea digna quæ respiciat. Deinde NIHIL sunt omnia opera, quæ uocant præparatoria ad gratiam Dei, priusquam credideris in Christum. Fingunt enim nonnulli, cp ea bona opera,quæ prȩcedunt fidem in Christum, præparent hominem ad accipiēdam gratiam Christi. Christus autem hoc loco disertè dicit: Sine me NIHIL potestis facere. Quomodo.n.arbor posset fructus bonos,hoc est,prȩparatorios ad gratiam ferre,nondum bona facta? Et, ut Augustinus rectè ait: Vocantis est gratia,percipientis uerò gratiam,

Humanorū operum discrimen.

Manere in Christo.

Bona opera fructus æternæ uitæ cur uocentur.

Augu. lib. 1. ad Simplicianum q. 2.

consequenter sunt opera bona, nec quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariãtur. Non enim ut ferueat, calefacit ignis, sed quia feruet. Nec ideo bene currit rota, ut rotunda sit, sed quia rotunda est. Sic nemo, ꝓpterea bene operatur, ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest iustè uiuere, qui non fuerit iustificatus? Quomodo sanctè uiuere, qui non fuerit sanctificatus? Postremo, NIHIL sunt omnia opera hypocritarum, quæ ad expiationem peccatorum suorum facienda suscipiunt. Non enim faciunt ea ex fide in Christum, sed potius contra Christum. Dicunt quidem se credere in Christum, non credunt autem, ꝙ solus Christus expiauerit peccata ipsorum, & meruerit ipsis gratiam Dei, sed sentiunt, ꝙ meritis suorum operum satisfaciant pro peccatis. Hoc non est facere bona opera ex fide, sed contra fidem. Et quod Paulus de Israelitis dixit, hoc idem de omnibus hypocritis in Christianismo intelligendum est. Sectabantur, inquit, legem iusticiæ, non peruenerunt autem ad legem iusticiæ. Propter quid? quia non ex fide, sed tanꝗ ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidem offendiculi. Ponamus igitur omne studiũ nostrum in agnoscendo & retinendo Christo per eam fidem, non quam uel humana ratio uel hypocrisis fingit, sed quam Euangelion exigit, ut uerè proferamus eum bonorum operum fructum, qui Deo gratus est, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXIIII.

EXPOsuimus quos fructus ferant hi, qui manent in Iesu Christo, uero & unico nostro seruatore, exponamus nunc, quæ sint incommoda eorum, qui in Christo non manent, ut qui ad quærendum & retinendum Christum non excitatur utilitate, excitetur damnis & incommodis contemptorum & desertorum eius. Si quis, inquit, in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt eos, & in ignem conijciunt, & ardent. Hæc ut rectè intelligamus, cognoscendum est, quis non maneat in Christo. Ac primò non manet in Christo, quisquis abnegato Christo, deficit ad Iudaismum, aut Turcismum. Hoc est crassum genus defectionis à Christo, quod non pij tantum, uerumetiam prudentes huius seculi detestantur. Deinde non manet in Christo is, qui etsi gloriatur de Christo, & uidetur eum agnoscere, tamen confidit meritis suorum operum, quales sunt Pontificij, Sacrificuli, Monachi, & hypocritæ in Christianismo. Nam in baptismo despondemur Christo hac conditione, ut ipsum solum & unicũ agnoscamus seruatorem, & peccatorum nostrorꝫ expiatorem. Quare si quis non contentus hoc unico expiatore, sentit etiam se sua ipsius iusticia expiare peccata & placare Deum, uiolat fidem datam Christo, & excidit è Christo. Sic Paulus accusat Galatas defectionis à Christo: Quicunꝗ, inquiens, per legem iustificamini, à gratia excidistis. Postremo nõ manet in Christo is, qui cũ agnoscat nomen Christi, ducit uitã sceleratam, ambulat iuxta carnem, & seruit peccato. Fieri enim non potest, ut Christus maneat in eo, qui peccat contra conscientiam, & tradit se captiuum cupiditati carnis. Si autem Christus non manet in ipso,

In Christo qui non maneant.

ipso,quõmodo ipse maneret in Christo? Ioãnes ait: Qui dicit: Noui eũ, & præcepta eius non seruat,mendax est, & ueritas in eo non est. Et iterũ: Si quis dixerit,diligo Deum,& fratrem suũ oderit,mendax est. Ac Paulus: Si qua suis & maximè familiaribus non prouidet,fidem abnegauit, & est infideli deterior. Manifestum igitur est, ꝙ qui sceleratam ducunt uitam,etiamsi iactent nomen Christiani,nõ tamen maneant in Christo. Quid ergo fiet de his,qui nõ manent in Christo? Idem nimirum, quod fieri solet de palmitibus non manentibus in uite. Hi enim excisi à uite, eiiciuntur foras. Electi, exarescunt. Arefacti colliguntur, & cõiiciuntur in ignem,ut ardeant. Nec ulli alteri usui accommodi sunt, nisi ut ignem pascant. Ac alia quidem ligna,ut abiegna,querna,fagea, etiamsi à suo stipite abscissa sunt,tamen non sunt ita inutilia, ut statim coniiciantur in ignem,quia sunt idonea ad extruenda ædificia. Palmites aũt à uite excisi, non nisi ad ignem idonei sunt. Nunquid tolletur de uite, (inquit Ezechiel) lignum,ut fiat opus,aut fabricetur de ea paxillus, ut dependeat in eo uasculum quoddam? Ecce igni datur in escam, utrancꝙ partem eius absumit ignis, & medietas eius redigitur in fauillam. Idem dicendum est de his,qui nõ manent in Christo. Nullus enim alius est usus eorum, nisi ut fiant pabulum æterni ignis. Ac aliorum quidem hominum, qui nunquam agnouerunt Christum & Euãgelion eius, suus est usus in his terris. Ethnici multa & prudenter & fortiter fecerunt. Inuenerunt & excoluerunt uarias artes ad hanc humanam uitam utiles, quæ etsi non fuerunt uerus & cœlestis fructus, qualem pii ferunt in Christo, tamen habuerũt sua commoda in hac uita. Qui autem agnouerunt Christum, & postea ab eo deficiũt,hi,si nõ resipiscunt, nulli amplius usui apti sunt, nisi ut tradantur perpetuo igni. Quod & Christus aliâs significat, cùm uocat discipulos suos,Sal terræ. Et addit: Si Sal infatuatus fuerit, quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus. Aliæ res alium habent usum,etiamsi non fuerint ad eum usum aptæ,ad quem principaliter creatæ sunt. Principalis autem usus salis est, ut saliat. Ad quem, si inutilis fuerit, nulla reliqua est eius utilitas aut commoditas. Sal est omnis discipulus Christi,siue Apostolus,siue auditor Apostolicę doctrinę. Huius usus est,ut in Christo copiosum fructum ferat. Quem si non fert,reliquũ est,ut coniiciatur in perpetuam internecionem. Non.n. alius est usus eius. Nec blandiantur sibi impii, ꝙ cùm Christus facit in hac collatione mẽtionem ignis,absumentis palmites, sic desinat ignis impiorũ, qui deficiunt à Christo,quemadmodũ desinit ignis corporalis. Supplicium enim ignis, quo impii afficientur, perpetuum est,nec ullum habet finem. Discedite, inquit,à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Et iterum: Bonum est ut ingrediaris ad uitã claudus potius, quàm duos pedes habens mittaris in gehennam,in ignem inextinguibilem,ubi uermis illorum nõ moritur,& ignis non extinguitur. Et Paulus: Reuelabitur DOMINVS Iesus de cœlo,cum angelis potentię suæ,cũ incendio flãmæ, qui infligit ultionem his qui non nouerunt Deum, & qui nõ obediunt Euãgelio DOMINI nostri Iesu Christi,qui pœnam luunt, interitum

1. Ioan. 2.

Incommodæ non manentium in Christo.

Ezech. 15.

Mar. 9.

Esaiæ 66.

2. Thess. 1.

AETERNVM, à facie DOMINI, & à gloria fortitudinis illius. Quare cũ certa & ęterna sit pœna oĩm impiorum, inter quos primas tenent hi, qui cùm agnouerunt Christum, deficiunt ab eo, diligentissimè prouidendum est, ut Christo inserti, constantissimè in ipso semper maneamus. Sed quomodo, inquies, manemus in eo? De hac re suprà quædam dicta sunt. Sed quod sequitur, perspicuè nobis illud exponit. Si mã
„ seritis, inquit, in me, & uerba mea in uobis manserint, QVICQVID
„ uolueritis, petetis, & fiet uobis. Hic manifestè docet Christus quomodo
In Christo quomodo manendum. in ipso maneamus. Nondum enim rectè manes in Christo, si mãseris in cuculla monastica: Nec manes in Christo, si manseris in obedientia Romani Pontificis. Sic enim Pontificij iactant, eum in Christo manere, qui agnoscit Romanũ Pontificem. Sed cũ Romanus Pontifex persequatur piam doctrinã, & impiam stabilire conetur, deuitandus potius est, q̃ sectandus. Iubet enim nos Christus cauere à pseudoprophetis, non iubet eis obedire. Nec manes uerè in Christo, si mãseris habitatione tua inter Christianos, & sumpseris cum ipsis sacramenta Christianismi. Quomodo ergo manemus uerè in Christo? Audi Christum ipsum: Si mãseritis in me, & uerba mea in uobis manserint. Ecce tibi: Manere in Christo, est manere in uerbo Christi. Et tunc uerè in Christo manes, cũ uerba Chri-
Verbũ Christi quod sit. sti in te manserint. Verbum Christi, de q̃ in præsentia loquimur, est Euãgelion eius, q̃ ipse solus sit expiator peccatorum nostrorum, placator diuinæ iræ, & seruator noster. Manet autem hoc uerbum in nobis, si adhibuerimus ei certam & firmam fidem, & declarauerimus nos obedientia nostra erga tantum benefactorem gratos. Vnde & suprà dictum est: Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est qui diligit me. Et iterum: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit. Manet igitur in Christo is, in quo manet Euangelion Christi per fidem. Reliquum autem est, ut consideremus quid beneficij contingat manenti in Christo. Cùm ergo suprà enumerauimus, quos fructus ferat manens in Christo, audiamus nunc, quod beneficium consequatur. Dicit enim Christus: QVICQVID uolueritis, petetis, & FIET uobis. Amâbo uos, nolite hæc uerba oscitanter prætercurrere. Hoc dictũ, unum est, è præcipuis sententijs totius sacræ scripturæ: Nihil hac promissione excellentius aut liberalius dici potest. QVICQVID, inquit, nihil excipit, uel corporalium,
Beneficia quæ contingant manentibus in Christo. uel spiritualium & cœlestium bonorũ. Quid hoc homine fœlicius, qui habet certam & firmam promissionem, se impetrare à Deo QVICQVID uoluerit & petierit? Quid ei potest deesse? An non perspicuè hic intelligis, quãta sit fœlicitas ueri Christianismi? Nullum enim aliud hominũ genus in terris est, quod habeat tam insignem & tam diuitem promissionem. Non Iudęi, non Turcę, nõ Monachi, non sacrificuli, nõ Missifices, non inuocatores mortuorum, non id genus alij hypocritæ. Soli tãtum ueri Christiani habent hanc prærogatiuam, quòd quicquid uelint ac petant à Deo consequantur. Quid ergo dicemus? Si Christianus consequitur QVICQVID uoluerit & petierit, ergóne fiet, si eum, quem fortè ob iniuriam ab ipso illatam odio habet, diris deuouerit? Fiétne, cùm uult alienas opes, & petit, ut possessor ille intereat, &

ipse

ipse opibus illius fruatur? Fiétne, cùm ægrotauerit, & petat repentinam corporis sanitatẽ? Quę esset illa rerum perturbatio, si oĩa ea fierent, quæ hoĩes, etiam pĩj, nonnunq; uelle & optare solent? Sed ne erremus uerba Christi diligenter cõsideranda & rectè intelligẽda sunt. Christus enim non simpliciter dicit: Quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis, sed his uerbis hoc pręposuit: Si in me manseritis, & uerba mea in uobis manserint, quibus uerbis perspicuè significat, q̃ tunc fiat nobis quicquid uoluerimus & petierimus, cùm manemus in Christo, & manent uerba Christi in nobis. Primùm igitur, qui uult, & petit ea, quæ cum uerbo Christi pugnant, & quæ uerbo Dñi prohibita sunt, is nõ manet in Christo, nec uerba Christi manent in ipso. Quare hæc promissio ad eum non pertinet. Ioannes aliâs ait: Hęc est fiducia, quã habemus apud eum, q̃ si quid petierimus secũdum VOLVNTATEM eius, audit nos. Deus aũt patefecit uoluntatem suã promissionibus seu Euangelio suo. Inuocaturi igitur Deum, & petituri ab eo beneficia seu corporalia seu spiritualia, in tueri debemus in Euãgelion & in promissiones eius, ut ex his cognoscamus, quæ ipse uult nos uelle & petere. Suprà dixit: Quicquid petieritis nomine meo, hoc faciam. Cum hoc planè conuenit, quòd nunc ait: Si in me manseritis, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis petetis, & fiet uobis. Qui autem uult & petit, seu impia seu iniqua, is nõ potest ea petere nomine Christi, seu ex fide in Christum. Non enim Deus uolens iniquitatem tu es. Non habitabit iuxta te malignus, nõ permanebunt iniusti ante oculos tuos. Quare hoc dictũ Christi intelligendũ est, de petitione earum rerũ, quæ diuinitùs promissæ sunt, & quas nomine Christi, atq; ex fide eius petere possumus. Quid aũt habes, quod cõqueraris? An existimas promissiones Dei nõ satis amplas, nõ satis prolixas esse? Sed cogita mihi, nihil esse Dño Deo nostro liberalius. Postquàm enim placatus & reconciliatus est cum humano genere, per Iesum Christũ filium suum, promittit omnibus in ipsum credentibus, abundãtiam omnium bonorum tam corporalium quàm cœlestium. De corporalibus ait Christus: Nouit Pater uester cœlestis, q̃ opus habeatis his omnibus. Quærite igitur primùm regnũ Dei, & iusticiam eius, & HAEC OMNIA adĩcientur uobis. De spiritualibus autem & cœlestibus bonis plenum est totum Euãgelion Christi. In hoc enim pręcipuè Christus uenit, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternã uitam. Habes igitur propositum tibi thesaurum omnium bonorũ, quem non uelle tantum & petere, uerumetiam impetrare potes, si modò maneas in Christo, & uerba eius in te maneant. Deinde, considerãdum & hoc est, q̃ cùm Christus dicit: FIET uobis, non addit, quando aut quomodo fiat. Non definit nobis tempus aut modum, quo fiat. Certissima quidẽ est exauditio, de quacunq; re pius in Christo manens precatus fuerit: Erit, inquit, antequam clament, ego exaudiam, & adhuc illis loquentibus, audiam. Et iterũ: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ac rursus: Quicquid petieritis noĩe meo, hoc faciam. Ex his & alĩs id genus ꝓmissionibus uides exauditionẽ precum, quas pĩj in Christo manẽtes effundunt, certissimam esse. Sed Deus sibi ipsi reseruat modũ

Nomine Christi petere debemus.

Modum & tempus exauditionis Deus sibi reseruat.

& tempus reuelandæ exauditionis,& prę̃stãdæ rei,quæ precibus petita est. Exigamus igitur nunc exemplum Apostolorꝝ ad hanc promissionem: Quicquid uolueritis,petetis,& fiet uobis,ut cognoscamus certissimam eius ueritatẽ. Apostoli em̃ manserunt in Christo.Itaq; uoluerunt & petierunt,ut Euangelion,quod ex mandato Christi prędicandũ susceperunt,promoueret in toto orbe terrarꝝ,Et promouit. Voluerunt & petierunt,ut cùm uocati essent ad edenda miracula,claudos sanarent,mortuos suscitarent,& alia miracula facerent,Et fecerunt. Voluerunt & petierunt,ut non deessent ipsis ea,quæ sunt necessaria ad conseruandã hanc corporalem uitam, quò defungerentur suo ministerio, ad quod uocati erant,Nec fame mortui sunt, Sed etsi reliquerãt ad uocationem Christi suas facultates,tamen pro una domo receperunt centum. Quocunq; enim diuerterũt,excepti sunt in domos piorꝝ, longè maiori honore & reuerentia, q̃ si domi suæ aliquot millia aureorum possedissent. In Actis Apostolicis Cornelius tanta obseruantia excepit Petrum, ut ad pedes eius procideret,& ipsum adoraret. Ad Galatas scribit Paulus: Excepistis me uelut angelum Dei,uelut Christum Iesum. Et testimoniũ reddo uobis,q; si fieri potuisset,oculos uestros effossos dedissetis mihi. Voluerunt item & petierunt Apostoli,ut & mortem uincerent,& cœleste gaudium consequerentur. Quod uoluerunt & petierunt, hoc & factum est ipsis,quia manserunt in Christo,& uerba Christi mãserunt in ipsis. Sed quid dicemus de Paulo? An nõ & ipse uoluit ac petijt ut angelus Satanę, qui colaphis ipsum cædebat, discederet ab ipso? Super hoc, inquit, ter Dn̄m rogaui. Sed audit: Sufficit tibi gratia mea. Nõ passus est repulsam precum suarũ, sed quod uoluit & petijt, etiam impetrauit. Non aũt impetrauit eo modo, quẽ caro excogitauerat & prescribebat, sed quẽ spũs intelligebat. Dicit enim aliâs: Spũs intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At ille, qui scrutatur corda, nouit quis sit sensus spũs, quoniam secundum Deum intercedit pro sanctis. Quare & Paulo manenti in Christo uerè factum est, quod uoluit & petijt. Non est aũt sentiendũ, q; hæc promissio Christi ad solos Apostolos pertineat, sed pertinet ad uniuersam Ecclesiam Christi. Non pro eis, inquit, rogo tantum, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorum in me. Ponamus igitur studium nostrum in hoc, ut uerba Christi maneant in nobis, quo & Christus in nobis maneat, & fiat nobis, quicquid uoluerimus & petierimus. Cæterum, ut Christus Apostolos & Ecclesiam suam excitet ad ferendum multũ fructum, addit: In hoc glorificatus est Pater meus, ut fructum copiosum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Hęc appendix opportunè additur ad cohortationem de ferendo multo fructu, hoc est, de prędicando Euangelio in toto orbe terrarum, & de inuocando Patre in nomine Christi. Potuissent em̃ Apostoli cogitare, Quid? iubes nos multum fructum ferre, hoc est, prędicare Euangelion tuũ in omnibus nationibus gentium, inuocare Patrem in nomine tuo, & alia opera facere: Num hic fructus erit etiam Deo Patri gratus? An non maior gloria Dei esset, si prædicaremus circũcisionem, & offerremus multa holocausta? Respondet igitur Christus obseruabili dicto, quo discamus Deum rectè colere,

colere,& eũ uera gloria honorare.In hoc,inquiẽs,glorificatur Pater me us,hæc eſt gloria,hic eſt honor, q̃ Deus pater uerè colitur, ſi efficiamini mei diſcipuli,& afferatis copioſum fructũ.Non em̃ eſt gloria Dei,multiplicare holocauſta,& alia Leuitica ſacrificia.Hęc habuerũt ſuo tẽpore, ſuũ uſum,Sed his Deus non uerè honorat̃.Nec gloria Dei eſt, multa ſacra iuxta humanã rationẽ inſtituere & obſeruare: Qualia ſunt triduana aut quatriduana ieiunia,longę battologię,chameunię, peregrinationes ad oſſa mortuorꝝ,& innumera alia:de quibus Chriſtus ex Eſaia cõciona tur:Fruſtra,inquiẽs,colũt me,docẽtes doctrinas,præcepta hoĩm.Quid ergo faciam,ut Deũ colam & honore afficiã?Primùm, ſi Deũ uerè colere,& honorare,atq; gratiſsimum ei officiũ facere uolueris,curandũ eſt, ut fias diſcipulus Chriſti.In hoc,inquit, glorificatur Pater,ſi efficiamini mei diſcipuli. Efficimur aũt diſcipuli Chriſti,ſi audierimus & didicerimus Euangelion Chriſti,& adhibuerimus ei firmã fidem.Summus igit̃ honor,ſummus cultus,ſumma gloria Dei eſt,audire concionẽ Euãgelij̃ de Ieſu Chriſto,& Chriſtũ ſolum ſeruatorem,qualem nobis Euãgelion eius deſcribit,uera fide complecti. Deinde gloria & honor Dei eſt,ſi ex hac fide copioſum fructũ afferas. In hoc, inquit, glorificatur, ſi afferatis copioſum fructũ.Sed quem?Inuocare Deum in noĩe Chriſti,prędicare Euãgelion Chriſti,edere miracula in noĩe Chriſti,iuuare Eccleſiam Dei quoquo officio potes,ſectari uocationem Dei, nõ abuti nomine Dei ad conuicia & maledicta,uerbum Dei diligenter & frequenter in cœtu Eccleſiæ audire.Honorare parentes & maiores.Magiſtratũ uenerari.Nulli inuidere.Non dare operã impoſturis.Egeſtati pauperum ſubuenire, pudicam & honeſtã uitam ducere,& his ſimilia, quæ diuinis præceptis facienda præſcribuntur.Hic eſt copioſus fructus, quẽ Chriſtus ferre iubet.Hic eſt uerus cultus Dei,Hæc eſt uera gloria Dei.Si Deum Patrem hoc modo glorificauerimus,dubiũ non eſt, quin nos uiciſsim ſit glorificaturus ęterno honore,per Ieſum Chriſtum Dn̄m noſtrum,qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Gloria Dei uera quæ ſit

Fructus quẽ Chriſtus ferre iubet.

HOMILIA XXXV.

IN principio huius capitis diximus,Chriſtum in hac concione hortari Apoſtolos & uniuerſam Eccleſiam ſuam, ut maneant in ipſo, nec ſinant ſe ulla perſecutione aut afflictione ab ipſo auelli. Et hactenus quidẽ expoſuit Chriſtus grauiſsimam cauſam, cur debeamus in ipſo manere. Dicit enim: Sine me nihil poteſtis facere. Et ſi quis in me nõ manſerit, eĵcitur foras, ſicut palmes, exareſcit,& in ignẽ conĵcitur,ut perpetuò ardeat. Nunc aũt perſeuerat Chriſtus adhuc in eodem concionis ſuæ ſtatu,& addit aliã cauſam,qua excitet nos,ut in ipſo maneamus.Sicut dilexit(inquiens)me Pater,ita & ego dilexi uos: Manete (igitur) in mea dilectione.Hoc eſt inſtitutum, hoc eſt propoſitũ Chriſti,ut cohortetur nos,quò maneamus in dilectione eius,uidelicet,ut & ipſum diligamus,& nõ patiamur nos abſtrahi ab ea dilectione,qua ipſe nos complectitur,ne defectione noſtra fiat, ut nõ capiamus fructum dilectionis eius.Additur autem cauſa:quia quemadmodũ Pater me diligit,ita & ego uos diligo.Iuſtum igitur eſt, ut uos ui-

Cur manendum in Chriſto alia cauſa.

cissim me diligatis, & dilectione in me maneatis. Quod ergo Christus ait: Sicut Pater me diligit, ita & ego uos diligo, Verba uidentur simplicissima, sed profectò complectuntur res longè oīm maximas. Quare agitedum, sciamus, quomodo pater diligit filium suū Christum, ut ex eo cognoscamus quomodo filius Dei nos diligat. Sed malo hoc Ioānis Baptistæ, & Christi ipsius, ac Apostoli Pauli, q̄ꝫ meis uerbis dicere. Ioānes Baptista ait: Pater diligit filiū, & OMNIA dedit illi in manus. Quę maior dilectio cogitari potest, q̄ꝫ q̄ Deus pater intātum diligat filium suū, ut oīa bona sua in potestatem illius tradat? Christus ipse dicit: Pater diligit filiū, & OMNIA demonstrat ei quę ipse facit, et maiora his demonstrabit opera, ut uos miremini. Ac rursus: Data est mihi OMNIS potestas in cœlo & in terra. Paulus quoq̄ ad Ephesios scribens: Deus (inquit) sedere fecit Christum ad dexteram suam in cœlestibus supra oēm principatum ac potestatem, & uirtutem, & dominium, & omne nomen quod nominatur non solum in hoc seculo, uerūetiam in futuro, & subiecit sub pedes illius OMNIA. Etsi enim Deus Pater uidit filium suū oneratum & grauatum culpa peccatorū totius humani generis, & coniectum in turpissimam mortem, tamen nō est abominatus eum, sed tantò maiori dilectione complexus est ipsum, quātò grauius affligebatur. Et quia factus est obediens usq̄ꝫ ad mortem, mortem aūt crucis, idcirco Pater intantū delectatus est obedientia eius, ut extulerit eum in summā sublimitatem, ac donauerit ei nomen, quod est supra omne nomē, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & infernorū. Hac patris dilectione erga filium suum, nihil potest aut maius cogitari, aut excellentius dici. Pater enim seruauit filium in omnibus aduersis, & collocauit eum in omni potestate, maiestate & fœlicitate, quam ipse tam in cœlo, q̄ꝫ in terra habet. Quid amplius faceret? aut quibus rebus dilectionem suā clarius ostenderet? Quod cùm ita se habeat, facilè nunc cognoscere possumus, quomodo filius Dei diligat Apostolos & Ecclesiā suam. Primū enim sic diligit eos, ut pro salute ipsorum non dubitauerit animam suā ponere, quemadmodum mox sequitur. Deinde sic diligit eos, ut etsi habent adhuc peccatū in carne, tn̄ quia credunt in ipsum, donet eis suam ipsius iusticiam, & cōstituat eos propter se ad tribunal Dei iustos. Præterea sic diligit eos, ut cooptet ipsos in cohæredes suos omnium cœlestium bonorū. In his terris fratres carnales sæpe ita dissident, ut alter alterum eumq̄ꝫ germanum fratrem, ab adeunda legitimę suæ hęreditatis parte, quoquo studio potest, excludere conetur, tantum abest, ut alienum cooptet in cohæredem. Christus autem tanto amore erga Apostolos, & omnes eos, qui Euangelio eorum credunt, accensus est, ut etsi alieni sunt, tamen recipiat eos in participationem & communionem omnium bonorum, quæ ipse à Patre suo accepit. Quid multa? Christus sic diligit eos, ut quemadmodum Pater conseruauit ipsum in omni afflictione, adeoq̄ꝫ in morte ipsa, & collocauit eum in sede suæ maiestatis, ita cōseruet Ecclesiam suam in media cruce & morte, & cōmunicet cum ea omnem cœlestem suam maiestatem & fœlicitatem. Quęso te, quomodo posset ardorem dilectionis suæ erga Ecclesiam clarius demōstrare?

Pater quomodo diligat filium.

Christus quomodo diligat nos.

Wan es geht an eyn teilen/ so gehet es an eyn scheyden.

Sed

Sed in quem usum cõmemorat Christus hãc suam dilectionẽ? In duplicem usum. Alter est, ut excitet nos, q̃ in ipso maneamus, & bene in oĩbus aduersis cõfidamus, nec patiamur nos ab ipso qualicũcq; afflictione aut tẽtatione auelli. Alter est, ut nos mutuò, ꝓpter ipsum diligamus. Sed de hoc posteriori usu mox. Nunc cõsideremus, quid faciẽdum sit, ut maneamus in dilectione Christi. Sequitur: Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præcepta Patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Si uolueritis, inquit, in me manere & efficere, ut ego uos diligam, & diligere pergam, necesse habebitis mea præcepta seruare, idq; meo exemplo, qui & ipse diligor à Patre, q̃ seruem præcepta eius. Audiamus igit̃ quæ præceptaPater dederit Filio, & quæ filius dederit Apostolis & Ecclesiæ suæ, ut discamus, quæ nobis sint facienda. Pater iussit Filium seipsum exinanire, ac formã serui accipere. Iussit eum illustrare nomen suũ hoĩbus, & prædicare Euangelion regni sui. Iussit eum suscipere crucem & mortẽ pro salute humani generis. Hæc sunt præcepta quæ filius accepit à Patre. Quæ cũ filius diligentissimè fecerit, mansit in dilectione Patris. Inobedientes & cõtumaces filĩ, nõ manent in dilectione Patris eorũ, sed solent exhæredari. Christus aũt filius Dei non est exhæredatus, sed cũ obedierit Patri usq; ad mortem crucis, exaltatus est super oẽs cœlos, & consecutus est oẽm cœlestem Patris sui hæreditatem. Habes quæ præcepta Pater dederit filio: Nunc uide quæ præcepta Christus filius Dei dederit Apostolis & Ecclesiæ suæ. Christus iussit Apostolos & Ecclesiam audire Euangelion suũ, & adhibere ei fidem. Iussit eos prædicare Euãgelion in uniuerso orbe. Iussit eos nomẽ suũ confiteri coram Regibus & Principibus. Iussit etiam ut se mutuò diligant. Vnde Iohannes aliâs dicit: Hoc est præceptũ eius, ut credamus nomini filĩ eius Iesu Christi, & diligamus nos mutuò. Hæc sunt mandata Christi, de quibus dicit: Si ea seruaueritis, manebitis in mea dilectione. Necessarium aũt est, ut hæc concio Christi diligentissimè inculcetur Ecclesiæ. Magna enim est hoĩm ignauia in sectanda obedientia, quam Christo debemus. Nihil iam loquor de manifestè impĩs, qui perfricta fronte contẽnunt Euangelion Christi, de his potius loquor, qui pĩ uidẽtur. Hi cũ audiunt prædicari Euangelion de gratuita remissione peccatorũ per fidem propter Christũ, solent fieri securi & torpidi. Cogitant secũ: Quid diu multumq; fatigarem me faciendis bonis operibus, cùm non possim his mereri gratiam Dei, & remissionem peccatorũ? Faciam igitur q̃d libet, & accommodabo me aliorum hoĩm moribus, ut tranquillã uitã ducam. Sed huic ignauiæ opponit Christus hanc concionẽ. Manebitis, inquiens, in mea dilectione, non si nullam habueritis curã meorũ præceptorũ, non si ꝓ uestra libidine uitã duxeritis, sed si mea præcepta seruaueritis. Nemo quidẽ potest merito suæ obediẽtiæ cõsequi, ut recipiatur in gratiã & dilectionẽ Dei, ut adoptetur in filiũ Dei. Hæc.n. contingũt homini gratis, meraDei clemẽtia, per solam fidẽ in Iesum Christum. Postq; aũt recepti sumus in gratiam, & adoptati in filios Dei, tunc necesse habemus præcepta Christi seruare, & uocationi Dei obedire, primum, ut maneamus in dilectione Christi: deinde, ut declaremus nos gratos erga benefa-

Dilectionis Christi usus.

Præcepta Christi magno studio sectanda.

Quomodo in dilectione Christi manendum.

ctorē nostrē Iesum Christū: Et ut nos etiā ipsi agnoscamus, nos in Christo uerè uiuere. Nam q̄ sectatur impietatē & scelera, etsi antè uidebat̄ acceptus in gratiā Dei, & adoptatus in filiū Dei, tñ ꝓpter scelera abiicitur, & nisi resipiscat, exhęredat̄. Si secundū carnē, inq̄t Paulus, uixeritis, moriemini. Et iterē: An nescitis, q̄ iniusti regni Dei hęreditatē nō consequētur? Ne erretis: neq̄ scortatores, neq̄ cultores simulacrorē, neq̄ adulteri, neq̄ molles, neq̄ qui concūbunt cū masculis, neq̄ fures, neq̄ auari, neq̄ ebriosi, neq̄ maledici, neq̄ rapaces, regni Dei hæreditatē accipiēt. Ac rursus: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hęc, Adulteriū, scortatio, immūdicia, & his similia, de quibus prædico uobis, quēadmodū & prędixi, q̄ qui talia agūt, regni Dei hęredes nō erunt. Idem docet etiā Ioannes aliâs: Qui dicit, noui eū, & prędcepta eius nō seruat, mendax est, & in eo ueritas nō est. Et iterē: Qui cōmittit peccatū, ex diabolo est. Quare, etsi merita nostrorē operū, non expiant nostra pctā, tñ necesse habemus prędcepta Christi seruare & uocationi uerbi Dei obedire, ut in dilectiōe, in quā gratis accepti sumus, maneamus. Obsecramus aūt te clementissime Dñe Iesu Christe, ad quē usum ꝓponis nobis hanc cōcionem, & tam sollicitè mones, ut in te maneamus? Nū hęc eò dicis, ut fallas tēpus, & nō sit nobis molestū, in hac nostra profectione tuū silētium? Non certè loquor hæc, excutiendæ tm̄ oscitantiæ gratia. Sed loquor ea uobis, ut gaudiū meū in uobis maneat, & gaudiū uestrū impleatur. Hic est uerus fructus, quē affert non hæc tm̄ concio, sed totū Euangelion Christi. Nam si hęc cōcio, aut Euāgelion Christi, cuius hęc concio epitome est, accipitur fide, duplicē affert fructū. Alterē, in Christo ipso, Alterē, in his q̄ credūt Euāgelio Christi. Primū em̄, Christus maximè oīm gaudet de salute humani generis. Nisi. n. de ea ex animo gauderet, nō suscepisset, ad parandam eam, tam turpē & ignominiosam mortem. Quare, cū ait: Hæc locutus sum uobis, ut gaudium meū in uobis maneat, sententia eius est: Quę concionor uobis, ea non loquor fallendi temporis gratia, sed ut significem, quanto gaudio afficior, si uos meam concionem fide acceperitis, & uerā salutem consecuti fueritis. Ego enim hoc maximè oīm delector, ut uos salui sitis. Hæc est mea uoluptas, hoc meū gaudium, hoc meum solatium. Itaq̄ qui uoluerit mihi maximū gaudium afferre, audiat meā concionem, sequatur meā uocationem, ut cōsequatur uerā & perpetuā salutem. Deinde nō est alia res, qua nos uerū, perfectum, & perpetuū gaudium assequimur, q̄ concione Euangelij Christi, si eam fide acceperimus. Sunt multa terrena, quæ uidentur hoīes gaudio afficere & exhilarare. Alium exhilarat magna uis pecuniæ, aliū sympositia, alium agri, aliū aliæ res. Sed gaudium, quod ex his rebus accipitur, nec est uerum nec diuturnum, nec perfectum. Hoc aūt solum affert completum gaudium, si acceperimus Euangelion Christi fide, & manserimus in ipso. Quare quod dicit, se hæc locutū, ut gaudium suum in ipsis maneat, & gaudium ipsorum compleatur, hanc habet sententiam: Tota hæc concio mea huc respicit, ut & ego uobiscum, & uos mecum perpetuo gaudio & æterna fœlicitate fruamini. Neq̄ enim in alio quoquam salus est, præterq̄ in filio Dei Iesu Christo. In hunc igitur credendum est, in hoc manendū, ut eiecta

Christus mirificè gaudet de salute hominis.

Gaudium cōpletum quæ res afferat.

cta omni animi triſticia, uero gaudio afficiamur. Cęterum quia fidei in Chriſtũ officiũ eſt, nõ ſolũ diligere Chriſtũ, & prędicare Euãgeliõ eius, uerumetiã diligere ꝓximũ ſuũ, idcirco addit Chriſtus p̃ceptum de mutua inter nos dilectione. Hoc, inquiẽs, eſt prędeptũ meũ, ut diligatis uos inuicẽ, ſicut dilexi uos. In his.n. duobus, uidelicet, fide in Chriſtũ, & dilectione ꝓximi, pendet tota doctrina Chriſti. Vnde & Ioannes aliâs dicit: Hoc eſt prędeptũ eius, ut credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuò. Quõ ergo debemus nos mutuò diligere? Sicut EGO (inquit) dilexi uos. Sed quõ filius Dei nos dilexit? Sequit: Maiorem hac dilectionẽ nemo habet, ut quis animã ſuã ponat ꝓ amicis ſuis. Quod dicit habet hanc ſentẽtiam: Etſi uos eratis inimici mei, tñ ego uos perinde ac ſummos amicos dilexi, & trado ꝓ ſalute ueſtra uitã meã in mortẽ, ut uos à morte redimã. Quare præcipio & mando uobis, ut & uos ſic mutuò diligatis. Primum igit obſerua, ꝙ hoc prędeptum Chriſti nõ ſit talis lex, qualis eſt lex Moſi. Hæc.n. datur nõdum iuſtificatis, ideoꝙ occidit. Illud autẽ prędeptũ datur iam ꝓ fidẽ iuſtificatis, ideoꝙ nõ occidit, ſed exponit tm̃ officium eorꝝ, qui ſunt iuſtificati & uiuificati. Deinde hoc præceptũ antitheſis eſt ad Moſen. Nã Moſes nõ ſolum docuit moralia, ſed inſtituit etiam Politica & Leuitica. Ego uerò, inqt Chriſtus, nec Politica nec Leuitica inſtituo, ſed tm̃ hoc mando uobis, ut diligatis uos mutuò. Dixi iam antea, quæ & publicè & priuatim in Eccleſia mea obſeruari uelim, uidelicet de Fide in me, de prędicatione Euãgelij mei, de Baptiſmo, de Cœna Dñica, & de Precatione. Reliquũ nunc eſt, ut uos inuicem DILIGATis. Non inſtituo aliquã Politian aut Leuiticas cærimonias, ſed exigo dilectionẽ inter uos mutuã. Hęc neceſſaria erit, nõ ſolum ut declaretis ueritatẽ fidei ueſtræ, quã in me habetis, ſed etiã ut conſeruet in Eccleſia cõcordia doctrinę, & tranquillitas uitę. Quantũ.n. mali diſcordia pariat in omni genere uitæ, res ipſa oſtendit, & extant de ea re publicæ multorũ ſapientiſſimorꝝ hoim querelæ. Sed qualis debet hęc mutua piorꝝ dilectio eſſe? Sicut ego, inquit, dilexi uos. Ne diligamus, inquit aliâs Ioãnes, uerbo tantũ, & lingua, ſed opere & ueritate. Et iterꝝ: Per hoc cognouimus caritatẽ, quoniã ille animam ſuã ꝓ nobis poſuit, & nos debemus ꝓ fratribus animas ponere. Vides hanc doctrinã de tanto dilectionis ardore, ut etiã alter pro altero uitam ſuã tradere debeat, nõ proponi nobis ioco aut ocioſe, ſed exigi à nobis ſeriò. Quid igit faciamus? Quis enim hoc pręſtare ex animo poteſt? Et ut Paulus ait: Pro bono forſitan aliquis mori ſuſtinet, ꝓ inimico aũt, quẽadmodum Chriſtus fecit, quis morietur? Non eſt ignota Chriſto noſtra infirmitas. Nouit ꝙ in carne noſtra nõ habitet bonum. Scit ꝙ affectus carnis nõ poſsit legi Dei ſubdi, etiamſi Spũm ſanctũ habeamus. Nam Spũs ſanctus qui datur pijs, renouat quidẽ hominem, & expurgat cupiditates carnis, non mutat autẽ carnem in ſpiritum. Viſum tñ eſt Chriſto proponere nobis abſolutum dilectionis exẽplum, primum, ut agnoſceremus magnitudinem clementiæ Dei, qui etſi non poſſumus perfectè implere mandatum de dilectione, tamen reputat nos iuſtos propter Ieſum Chriſtum, ſi in eum uerè credimus. Deinde proponit nobis Chriſtus hoc ſuum exemplum,

1. Ioan. 3.

Chriſti præceptum de dilectione.

Chriſti abſolutæ dilectionis exemplum cur nobis proponatur.

ut si non possumus id dilectione nostra æquare, sequamur saltem uel ã longè. Nam quẽadmodum humanus creditor, æquo animo solet ferre debitorem qui nõ est soluendo, si saltem nõnullam, ac etiã minimam debiti partem aliquoties numerauerit. Quòd si uerò tam insolens, & ingratus est, ut uel debitum contumelioſè neget, uel se prorsum nihil numeraturũ superbè iactet, ibi tum excitat̃ creditor, ut ius suũ summa seueritate ꝓsequatur: ita & Dñs Deus noster, tam clemẽs nobis per Iesum Christũ factus est, ut ferat nostrã imbecillitatem in præstanda mutua, quã debemus, dilectione patienter, si modo uel aliqua ex parte exẽplum filij eius sequamur. Si aũt nulla prorsus dilectione ꝓximum cõplectimur, sed potius nos ei planè nihil debere cõtendimus, quid aliud supereſt, cꝫ ut iuxta parabolam, Matth. 18. Dñs tradat nos tortoribus, quoadusqꝫ totum, qd debebatur ipsi, reddamus? Vide mihi parentem quẽdam, qui cùm habeat filiũ unius anni, optat quidem, ut filiolus rectus, suis uiribus, incederet, sed quia filiolus id præ ætate non potest, cõtentus est, si is saltem apprehensa manu sequatur ductorem. Hoc demùm parenti moleſtissimum est, si filiolus ita claudus est, ut ne pedibus quidẽ cõsistere queat: ita Christus exigit quidẽ, ut perfectum exẽplum dilectionis eius imitemur, Sed quia uidet nos esse imbecilliores, cꝫ ut possimus dilectionem eius nostra imitatione ꝓquare, gratum ei officium est, ut ducẽtem Spũm sanctum utcunqꝫ sequamur. Nam qd reliquum uitiũ est, clementer ignoscit. Quare summo studio enitẽdum est, ut abnciamus omne odium animi erga ꝓximum nostrum, & exerceamus nos ad exẽplum dilectionis Christi, ut hac nota agnoscamur ueri & synceri discipuli eius, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVI.

IN commendanda dilectione, quam Iesus Christus filius Dei ab Apostolis & uniuersa Ecclesia sua exigit, facta est mentio amicorum, & significauit Christus, se agnoscere Apostolos & Ecclesiam suam pro amicis suis. Maiorem, inquiens, hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis. Docet igitur nunc, quid faciendum sit, ut maneamus amici filij Dei. Nihil enim prodest nobis, quòd filius Dei agnoscat nos pro suis amicis, si nos eam amicitiã nec agnouerimus, nec seruauerimus. Quare summo studio cognoscendum est, quid facere debeamus, ut amicitiam filij Dei seruemus. De qua re nemo potest nos rectius erudire, quàm filius ipse
„ Dei, qui sic ait: Vos amici mei estis, si feceritis, quæcunqꝫ ego præcipio
„ uobis. Quid? Amici mei estis, si feceritis, quæcunqꝫ ego ꝓcipio uobis. Amâbo ergo te, dicito mihi, quis hominum potest uel esse uel manere amicus filij Dei, cùm nullus hominum perfectè faciat, aut etiam facere possit omnia ea, quæ filius Dei facere iussit? Iussit credere, iussit diligere, sicut ipse dilexit. Sed quis hominum sic perfectè credit & diligit, quemadmodum ab ipso exigitur? Accedit huc, quod Paulus ad Romanos scribens, dicit Christum mortuum esse pro impijs, & pro inimicis, non, ut hoc loco Christus ait, pro amicis. Quid igitur dicemus? Hic obserua mihi, quòd homines sint natura sua hostes & inimici filij Dei.

Traditi

Traditi enim ſunt propter peccatum poteſtati Satanæ, ut q̃d ſubditorũ eſt, ex eius uoluntate pẽdeant. Satan aũt proſequit̃ filium Dei perpetuo & irreconciliabili odio. Reliquũ igitur eſt, q̃ & hoĩes Satanæ ſubiecti, filium Dei odio habeant. Nec fieri poteſt, ut ſuũ ipſi animum mutẽt, & p̃ inimicitia concipiant amicitiã erga Chriſtum. Satan. n. potentius dominatur hoĩbus, q̃ꝫ ut ſinat ipſos ſuis uiribus iugum ſuũ excutere. Quõ ergo hoĩes fiunt amici Dei ac filij eius? Fiunt amici hoc uidelicet modo, q̃ etſi ſunt natura inimici Dei, Chriſtus tñ filius Dei, reputat eos ex ſumma ſua caritate, qua humanũ genus cõplectitur, amicos, ac ponit animã ſuã pro ipſis, perinde ac ſi eſſent præcipui amici, adeoq̃ꝫ fratres eius. Itaque Chriſtus mortuus eſt pro hoĩbus, quantum quidem ad ipſos attinet, ad huc hoſtibus & inimicis: quãtum aũt ad affectũ Chriſti attinet, amiciſſimis & acceptiſſimis. In hoc eſt caritas, inquit Ioannes, non q̃ nos dilexerimus Deum, ſed q̃ ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuũ propiciatiõem pro peccatis noſtris. Quid ergo? Num quia Chriſtus reputat hoĩes pro amicis ſuis, fruuntur beneficio eius, ſiue agnoſcant ipſum, ſiue nõ agnoſcant? Minimè oĩm. Neceſſe eñ eſt, ut quẽadmodum Chriſtus reputat homines in ſe pro amicis ſuis, ita & homines fiant in ſe, & maneãt amici Chriſti. Fiunt aũt in ſe amici Chriſti, ſi agnouerint eum per Euãgelion, & crediderint in ipſum, q̃ ſolus ipſe ſit ſalus & redemptio noſtra. Sic enim Deus (inquit) dilexit mũdum, ut filium ſuum unigenitum daret. In quem uſum? num ut beneficijs eius fruantur oẽs homines, ſiue agnoſcãt ipſum, ſiue contemnant? Nihil minus, ſed ut omnis, qui CREDIT in eum non pereat, ſed habeat ꝑternam uitam. Qui aũt non credit, iam condemnatus eſt. Quare ut fruaris amicitia, qua Chriſtus te cõplectitur, & fias etiam in te amicus Chriſti, neceſſe habes credere in eum, & agnoſcere ipſum pro ſolo & uero tuo ſeruatore. Poſtq̃ꝫ autem factus es in te amicus Chriſti per fidẽ, neceſſarium eſt, ut & maneas Chriſti amicus. Quõ ergo hoc fiet? Num ſi cogitaueris te credere, interim aũt facias q̃d libet? Nequaquam. Sed amici mei (inquit) eſtis, ſi feceritis, quæcunq̃ꝫ ego præcipio uobis. Videamus igitur breuiter, quæ Chriſtus præceperit Apoſtolis, quæ & nobis præceperit. Ac primum præcepit nobis omnibus, ut credamus Euãgelio eius. Poſtquàm igitur credimus in Chriſtum, neceſſe eſt ut maneamus in hac fide, quò & maneamus amici Chriſti. Nam qui abijcit fidem, non manet amicus Chriſti filij Dei. Deinde præcepit Apoſtolis, ut eant in uniuerſum mundum, & prædicent Euãgelion omni creaturæ. Nobis præcepit ut omnem noſtram operam ad profectum Euãgelij conferamus, & ſuam quiſq̃ꝫ legitimam uocationem ſectemur. Quare neceſſe habuerunt Apoſtoli Euangelion Chriſti prædicare. Væ mihi, inquit Paulus, ſi non Euangeliſauero. Neceſſe habemus & nos ſtudium noſtrum in conſeruando Euangelio collocare. Hoc qui non facit, nõ manet amicus filij Dei. Poſtremo præcepit Chriſtus mutuum inter nos amorem: Diligatis uos inuicem, ſicut ego dilexi uos. Suſcipienda igitur eſt dilectio proximi, ut maneamus amici Chriſti. Nam qui non habet dilectionem proximi, non manet in amicitia Dei. Sunt, qui iactant ſe amicos Dei, inimicos autem totius mundi. Hæc eſt uaniſsima iactan-

Amici Dei et filij eius quo modo fiamus.

Amici filij Dei quomodo fiamus.

Gottes freund/ vñ aller welt feind.

tia. Etsi enim debemus odisse mundum, q̃d ad concupiscentiam carnis, ad cõcupiscẽtiam oculorũ, & ad fastum uitę, ut Ioãnes ait, attinet, tñ quia illi intelligunt per mũdum, non pctã mundi, sed hoies mundi, in quorũ opes & dignitatem inhiant, idcirco fieri nõ potest, ut qui sic est inimicus mundi, sit aut maneat amicus Dei. Qui (proximum) nõ diligit, inquit Ioannes, nõ nouit Deum, quia Deus caritas est. Et iterũ: Si quis dixerit: Diligo Deum, & fratrem suũ oderit, mendax est. Abñcienda igitur est inuidia, maleuolẽtia, & odium, ac suscipienda est dilectio, & in ea manendũ, ut & in amicitia Christi filñ Dei maneamus. Etsi. n. non possumus in hac carne nec fidẽ, nec dilectionem perfectè pręstare, tñ cùm in Christũ credimus, non sumus amplius sub lege, sed sub gratia, & nulla est condemnatio his, qui insiti sunt Christo Iesu, qui non iuxta carnem uersantur, sed iuxta spũm. Si eñ obedierimus ex fide, sicut Christus condonat peccatũ gratuitò, ita compensat sua clementia, q̃d nostræ obedientię deest. Quare, etsi obedientia est imperfecta, tñ manemus amici Christi, si modò peccatum nõ regnat in nobis, & non uersamur iuxta carnem, sed iuxta spũm. Porro quia Christus dixit se agnoscere discipulos & Ecclesiam suã pro amicis suis, exponit etiã quæ sit dignitas & prerogatiua suorum amicorũ. Dicit enim: Non posthac uos dico seruos, quia seruus nescit, quid faciat dñs eius. Vos autẽ dixi amicos, quia oĩa quæ audiui à Patre meo, nota feci uobis. Hęc antithesis serui & amici obseruatione dignissima est. Hac. n. exponitur nõ solum dignitas amicorũ Christi, sed etiã discrimen, q̃d est inter regnum Christi, & regnũ mũdanum: Nam hæc est politica consuetudo in mundanis regnis, ꝙ subditi principum non habeantur pro amicis principũ, sed pro seruis. Nec principes uocant subditos suos amicos, sed si clementer eos alloquuntur, uocant eos uel Dilectos, uel Fideles. Existimant eñ maiestatem suam minui, si dignarentur homines infimę sortis noĩe amici. Non. n. tribuunt amici nomen, nisi ei qui & ipse sit alto loco natus, aut magna potestate & dignitate prædítus. Itaq; amici noĩe significatur conditionis æqualitas, serui aũt nomine, inæqualitas. Atq; hoc quidẽ seruorum & amicorũ discrimen in regnis huius mundi constat. In regno autẽ Christi res longè aliter se habet. In hoc enim regno non alius est seruus, alius amicus regis, sed oẽs subditi sunt regis amici. Vetus dictum est, Amicorũ omnia cõmunia. Christus autẽ habet omnia sua cũ credentibus in ipsum, qui sunt subditi regni sui, cõmunia. Quare habet oẽs credẽtes in ipsum, pro amicis suis. Videamus igitur, quæ sint illa cõmunia bona. Primum cõmunitas inter Christum & subditos suos in hoc consistit, ꝙ omnia arcana, quæ Christus cognouit & didicit à Patre suo, patefaciat subditis suis. Seruus (inquit) nescit, quid faciat dñs eius. Dñs non cõmunicat cum seruo omnia arcana sua in consilijs de rebus grauioribus, serui non admittuntur in consessum dominorũ, sed necesse habent ante fores excubare, & in mandata dominorũ intenti esse. Vos aũt dixi amicos. Vos pro amicis habeo, ꝓpterea ꝙ receperim uos in arcana consilia Dei, & patefecerim uobis oĩa, quæcunq; cognoui à Deo Patre meo. Quid ergo dicemus? Deus Pater cognoscit, quantus sit numerus stellarum: Qui numerat, inquit, multitudinem

Amicorum Christi prærogatiua.

Communitas inter Christũ & suos, reuelatio arcanæ uoluntatis Dei.

dinem ſtellarum,& oĩbus eis nomina uocans. Cognoſcit etiã quãta ſit multitudo arenę maris,quanta altitudo cœli,quãta latitudo terrę,dimẽ ſus eſt profundum abyſsi,numerauit dies huius ſeculi, nouit oĩa in hoc mundo,& in regnis eius futura tam publica, q̃ꝑ priuata. Et quẽadmodũ Pater hæc nouit,ita & filius,qui eſt eiuſdem eſſentię,nouit. Dicemus ne hæc quoq; filiũ Dei docuiſſe,& patefeciſſe Apoſtolis? Conſideremus igitur, qꝓ Chriſtus non loquit̃ hoc loco de oĩbus illis rebus quas æterna ſua maieſtate cognouit, ſed loquitur de ꝝs oĩbus, quas accepit à Deo Patre,miniſterio ſuo in hoc mundo prædicanda, hoc eſt,de rebus ad uerã & ꝑpetuam ſalutẽ humani generis pertinentibus: Pater em̃ non miſit filium ſuũ,ut doceret Aſtronomiã,aut Geometriã: nec miſit eum,ut uaticinaret̃ de mundanis euentibus rerꝝ huius ſeculi. Etſi .n. prędixit quędã more Prophetico,quæ poſt tẽpora ſua in hoc ſeculo euenerũt,qualis eſt deuaſtatio urbis Hieruſalem,tñ non fuit miſſus, ut uaticinaret̃ quid cuiuis uel regi,uel priuato homini, in hoc mundo, poſt decem aut uiginti annos accideret,& quis eſſet euentus eorꝝ bellorũ, quæ principes ꝓ ſua libidine gerenda ſuſcipiunt,ſed miſſus eſt,ut reuelaret & exponeret nobis oẽm arcanam uoluntatem Dei de uera & ꝑpetua ſalute humani generis. Hanc cognoſcere operę preciũ eſt,hanc cognoſcere neceſſarium eſt. Quid.n.utilitatis affert mihi, ſi cognouero quid mihi uel boni uel mali in rebus mundanis,& in hac corporali uita euenturũ ſit,& interim ignorauero,q̃ affectu erga me ſit Deus,uelitne Deus me ſeruare in morte,an non,aut quæ me uita maneat,poſt hanc corporalẽ uitam? Et quẽadmodum Chriſtus ipſe ait: Quid prodeſt homini, ſi totũ mundum lucratus fuerit,animæ uerò ſuæ iacturam fecerit? Quare hoc maximè oĩm noſtra intereſt,ut cognoſcamus uoluntatẽ Dei de uera & ꝑpetua ſalute noſtra. Qualis ergo eſt Dei uoluntas,& quis eſt affectus eius de noſtra ęterna ſalute? Non certè alia uoluntas, alius affectus Dei eſt, q̃ꝑ is, quẽ prædicauit filius Dei Euangelio ſuo. Hæc eſt,inquit,uoluntas eius,qui miſit me,ut oĩs,qui uidet filiũ,& credit in eũ habeat ęternam uitã,& ego reſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Et iterꝝ: Sic Deus dilexit mundũ, ut filium ſuũ unigenitũ daret,ut oĩs,qui credit in eum,nõ pereat, ſed habeat uitã æternã. Hìc habes de ſalute tua oĩa ſecreta Dei reuelata,habes oĩa arcana Dei patefacta. Si agnoſcis filiũ Dei Ieſum Chriſtũ,uult te Deus perpetuò ſeruare: Si credis in filiũ Dei Ieſum Chriſtũ,uult tibi Deus dare ęternam fœlicitatem. Non eſt igit̃, qꝓ cupias, ut tibi angelus è cœlo mittatur, q̃ doceat quid de te Deus ſentiat aut cogitet, nec eſt, qꝓ ſollicitè ſcruteris de tui prædeſtinatione. Ecce em̃ tibi,filius ipſe Dei, angelorꝝ Dñs, adnunciat ꝓſpicuè uoluntatẽ Patris erga te,& ipſe eſt prædeſtinationis liber, olim quidẽ occultus,nunc aũt reuelatus. Voluntas.n. Patris certiſsima & firmiſsima eſt, ut uerã & perpetuam ſalutem conſequaris, ſi in filium eius credideris. Et uerè ſcriptum eſt nomen tuum in libro prædeſtinationis eius, ſi Ieſum Chriſtum filium eius per fidem agnoueris, & in eo manſeris. Quò autem certior eſt hæc uoluntas Dei, eò deteſtabilior eſt doctrina impiorum Monachorum, qui ex peruerſè intellecta ſcripturæ ſententia iuſſerunt homines dubitare, num ſint in gratia, an odio Dei.

Quæ Chriſtus patefecerit Apoſtolis.

Voluntas & affectus Dei.

Nescit homo utrum amore an odio, &c.

Nescit, inquiunt, homo, utrũ amore an odio dignus sit. Non docet autẽ Salomon nos dubitare de uolũtate Dei erga nos, sed docet ex euentu nõ posse de hoie iudicari: Nam q̃d ad Dei uoluntatem attinet, patefacta est per Euãgelion Christi, & nihil ea est certius, nihil firmius. Quare in hoc studium incumbẽdum est, ut Euãgelion Christi amplectamur, q̃ & arcanam Dei uoluntatẽ erga nos cognoscamus. Habes unũ genus bonorũ, quæ Christus cõmunia habet cũ amicis, cũ Apostolis & Ecclesia sua. Reuelauit em̃ eis oẽm arcanã Dei uoluntatẽ de uera & ꝑpetua salute eorũ. Deinde cõmunitas inter Christũ & subditos suos in hoc consistit, quòd ipse nõ maneat solus filius Dei, & hæres cœlestium bonorũ, sed etiã impetrauit, ut oẽs subditi sui, qui ipsum per fidẽ agnoscunt, adoptentur in filios Dei, & fiant cohæredes eius, ut iam nõ solũ sint amici eius, sed etiã fratres. Nam q̃d ipse est natura, hoc oẽs qui credunt in ipsum, fiunt gratia & adoptione. Quid hac cõmunitate potest esse honestius, quid fœlicius? Agamus igit̃ Christo filio Dei gratias, ꝓ tanto bñficio, & operam demus honestate uitę, ne ex hac amicitia & bonorũ cõmunione exhæredemur & abiiciamur. Cæterũ, ut Christus magis perspicuè exponat, cui acceptum ferendum sit, ꝙ fiamus amici & fratres sui, addit: Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, et constitui uos, ut eatis & fructũ afferatis, & fructus uester maneat, ut quicquid petieritis Patrem in noie meo, det uobis.

Filiatio per Christum contingit.

Electio diuina duplex.

Obseruabile dictum, q̃d intelligendum est, tam de electione ad priuatam salutem, ꝙ de electione ad publicã functionem. Duplex enim est electio diuina. Vna est, qua quis eligitur in discipulũ Christi, ut audiat Euãgelion, accipiat Spũm sanctum, & adhibeat Euãgelio ueram fidẽ. Hæc electio priuatim unicuiq; salutẽ consecuturo necessaria est. Nec fit à carnali uirtute, & libero hominis arbitrio, sed fit diuina uirtute & libero arbitrio Christi. Nullus enim hoim̃ elegit Christũ pro suo arbitrio, quippe ꝙ hoies Satanę captiui, naturaliter odio habeant Christum, sed Christus eligit hoiem, & excitat eum, ut audiat Euangelion, & dat ei Spiritum sanctũ, ut Euangelio credat. Quare ꝙ reuelatum est nobis Euãgelion, & cognoscimus Christũ, nõ est nostra electio: omnes em̃ nos quasi oues errabamus, sed est mera & gratuita clemẽtia Dei per Christũ filiũ suum. Altera electio est, qua quis eligitur, ut nõ solum sit discipulus, sed etiã Apostolus Christi, hoc est, ut non solum priuatim habeat salutẽ in Christo per fidẽ, sed ut etiã habeat publicam functionẽ in Ecclesia Christi, aut in politica republica. Hæc electio, etsi non est cuiuis ad salutẽ necessaria: non em̃ necesse est, ut quiuis sit uel Apostolus, uel princeps in sua repub. tñ si cui contigit, nõ est nisi à Deo. Hoc nobis diligenter cõsiderandũ est, in hunc uidelicet usum: Initio, ut agamus Deo gratias ꝓ electionis suæ bñficio. Agendę aũt sunt gratiæ nõ uerbis tm̃, sed multò magis factis, ut nomẽ Dñi celebremus, cursum Euãgeliũ ꝓ uirili nostra iuuemus, & electionẽ nostram honestate uitę ac obsequio ornemus. Deinde cõsideranda est electio diuina, ne arrogãter de nobisipsis sentiamus, & proximos quosq; præ nobis superbè & contumeliosè fastidiamus. Quid enim habes, inquit Paulus, quod non accepisti? Quòd si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Postremo etiam ad hoc prodest

consideratio

consideratio diuinę electionis,ut in aduersis bene cõfidamus,&de certitudine diuini auxilij nõ dubitemus.Non.n.nos ipsos uocauimus ad accipiẽdum Euãgelion Christi,sed uocati sumus à Dño.Diuinæ aũt uocationi diuinũ etiã auxilium ꝓmissum est.Quare quicquid nobis aduersi in hac uocatione acciderit,dubitãdum nõ est,quin Deus nos sit seruaturus.Sed quęso te,in quem usum elegit Christus Apostolos suos, & reliquos oẽs,qui Apostolico uerbo credũt? Num elegit eos,ut pro sua libidine uitã ducant, & nefanda quæq; scelera designent? Minimè oĩm. Addit enim:Constitui uos,ut eatis, & fructũ afferatis, & fructus uester maneat,ut quicquid petieritis Patrem noĩe meo,det uobis. Vt fructum,inquit,afferatis,non ut sitis uelut steriles palmites. Dicamus igiť primum de Apostolis & eorꝝ fructu.Constituti.n.sunt in hũc usum,ut testificentur de Iesu Christo,& diuulgent Euangelion eius in totam terrã.Ite,inquit, prędicate Euãgelion omni creaturę.Et:Eritis mihi testes nõ solum Hierosolymis,uerũetiam in uniuersa Iudęa,Samariaq;,deniq; usq; ad extrema terrę.Hic est fructus,quẽ Apostoli iussi sunt ferre, quẽ etiam ꝓtulerunt. In oẽm terram exiuit sonus eorꝝ, & in fines orbis terrę uerba eorꝝ. Et iterꝝ: Euangelion prędicatum est apud uniuersam creaturã,quæ sub cœlo est,& fructificat in toto mũdo.Et hic etiam fructus manet.Prędicatio.n. Euangelij Apostolici sic fundata & firmata est, ut ne portæ quidẽ inferi aduersus eam prævaleant. Etsi enim Euangelion,q̃d Apostoli adnunciauerunt,multos habet aduersarios, & prędicatur nunc illustrius, nunc obscurius, tñ nulla est tanta tyrannis, hæresis aut hypocrisis,quæ possit ministeriũ Euãgelij prorsus è mundo tollere,et Euãgelion ipsum omnino abolere.Manet etiã fructus Apostolicus hac ratione, ꝙ etsi nõ oẽs homines,apud quos prædicatũ est Euãgelion, acceperunt Christũ, & multi eorꝝ qui acceperunt,iterum defecerunt,agnoscit tñ filius Dei fidem & obediẽtiam Apostolorꝝ, & reddit eis copiosam mercedẽ in cœlis. Si fuerit,inqt,domus digna,ueniat pax uestra super illam,sin minus fuerit digna,pax uestra ad uos reuertatur. Et iterꝝ: Vos estis,qui permãsistis meeũ in tentationibus meis, & ego dispono uobis, sicut dispositi mihi Pater meus regnũ,ut edatis & bibatis super mensam meã in regno meo,& sedeatis super thronos iudicãtes duodecim tribus Israel. Habes Apostolorꝝ fructum. Deinde dicamus etiã de fructu aliorꝝ,qui credunt in Christum. Sicut eñ Apostoli constituti erant ut tam priuatim inuocarent Deum Patrem per Christum,ac obedirent mandatis Dei, ꝙ publicè diuulgarent Euãgelion Christi in totum orbẽ terrę,ita unusquisq; in Christum credens constitutus est,ut & priuatim piè faciat, & publicè glorificet nomen Christi in sua uocatione.Suæ eñ sunt uocationes magistratus, patrisfamilias, & opificis. Vnusquisq; aũt horum debet operam dare,ut pro suo officio cursum Euangelij adiuuet, & gloriam Christi propaget,& ut proximum uera dilectione & beneficijs prosequatur. Hic est fructus, quem in hoc seculo ferre debemus. Nec sentiamus nos inutiliter, sine fructu laborare. Impiorꝝ quidem labor inutilis est, qui etsi multum sudant & algent, ac afferunt aliquam externam in hoc seculo utilitatem,tamen quia non agnoscunt Christum uerum seruatorem,

Apostolorũ fructus.

Coloss. 1.

Fructus credentium in Christum.

neceſſe habent tandem unà cum ſuis laboribus perire. Piorꝝ autẽ labor ſemper utilis eſt,& fructus eorꝝ nunquam perit. Etſi.n.homines ſunt ingrati,& conculcant pedibus fructum piorꝝ, tñ quia hi ſuum faciunt officium,Deus agnoſcit fructum eorꝝ,& reponit eum in cœleſte tabernaculum,ac reddit eis propter Chriſtum,è cuius fide fructũ tulerunt,æternã fœlicitatem. Sed quid multis opus? Conſtitui uos, inquit, ut quicquid petieritis Patrem meo nomine,det uobis. Vide,obſecro,quãta ſit dignitas,& quanta fœlicitas electionis & uocationis Chriſti. Quos.n. elegit, eos in hoc conſtituit,& hanc eis dat prærogatiuam, ut quicquid petant Patrem ſuo noïe conſequantur. De hac promiſsione diximus antea copioſe. Quare nunc breuiores erimus. Petere.n. & inuocare Patrem nomine filij ſui Ieſu Chriſti,primum eſt, inuocare Deum ex fide in filium Dei Chriſtum,uidelicet ut credas, ꝙ Deus ſit tibi propicius ꝓpter filiũ ſuum,nec ſit aliud nomen,præter Chriſtum filium Dei,datum hominibus,in quo ſalutem cõſequantur. Hæc fides prima oĩm eſſe debet in inuocatione. Deinde petere Patrem nomine Chriſti, eſt ea petere, propter quæ Chriſtus in hanc terram miſſus eſt,& quæ ſe daturum ꝓmiſit. Miſſus aũt eſt,ut expiaret pctã, ut uinceret mortem, ut ſeruaret oẽs in ipſum credẽtes, ad æternam uitam. Non eſt miſſus ut faciat hoïes in hoc ſeculo locupletes,ut expleat carnales eorꝝ cupiditates, aut adiuuet ſcelera eorꝝ. Quare qui inuocat Deũ,ut fortunet impoſturas ſuas,aut ut inñciat fulmen in eos,quibus ipſe inuidet,hic ut nõ orat noïe Chriſti,ita nõ exauditur. Exauditur aũt,qui petit remiſsionem peccatorꝝ,& conſeruationem in oĩbus aduerſis,ac ſalutem in morte propter Chriſtum. Quid ergo,ſi quis petat Patrem noïe Chriſti, ut det ipſi panem quotidianum, aut aliud corporale beneficium? An nõ ſperare debet impetrationem, ꝙ Chriſtus nõ ſit miſſus in hanc terram propter corporalia bona? Imo ſperare maximè debet,ſed ita ut non definiat Deo uel modum, uel tempus, uel locum, uel alias circumſtantias, niſi hæc manifeſto uerbo Dei promiſſa fuerint. Etſi eñ Chriſtus non uenit in hanc terram,ut eſſet rex & diſtributor corporalium bonorꝝ, tamen uenit ut reconciliaret nobis Deum Patrem,& redderet eum nobis propicium. Deus aũt propicius, nõ ſolum dat ſpiritualia,uerumetiam corporalia bona, ſi iudicauerit ea nobis ad ueram ſalutẽ utilia eſſe. Vnde & Chriſtus ipſe multos ſanauit corpore,multos pauit corporali cibo. Et de alimento ac ueſtimento dicit: Nouit Pater ueſter cœleſtis,ꝙ opus habeatis his omnibus. Quærite igiẽ primum regnum Dei,& iuſticiam eius,& hæc oĩa adñciẽtur uobis. Iubet etiam nos in oratione ſua petere panem quotidianum. Quare petamus à Deo Patre per Ieſum Chriſtum,non ſolum ea ſpiritualia bona, quæ ſunt propria regni Chriſti,& quæ nobis ad ueram ſalutem neceſſaria ſunt,uerumetiam corporalia, ſed hac conditione, ut in petitione eorum corporalium bonorꝝ,quæ nõ ſunt nobis expreſſè promiſſa,adñciamus: Non mea, ſed tua fiat uoluntas Domine,& ſentiamus, quòd etſi non contingunt nobis corporalia bona pro noſtro arbitrio, & cupiditate, tamen ſufficiat nobis gratia filij Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum Patre & Spũ ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Electionis et uocationis Chriſti dignitas & fœlicitas.

Homilia

QVod Iesus Christus suprà de mutua dilectione admonuit, hoc nunc repetit. Hęc prȩcipio, inquiens, uobis, ut diligatis uos mutuò. Visum aũt est id repetere, ut significet, hoc prȩceptum non excidisse sibi antea temerè, nec iuxtà referre, sine seruetur siue contemnatur, sed seruatu prorsus necessarium esse. Primum enim, si nihil aliud accederet, certè uel hoc nomine seruari deberet, ꝙ Christus filius Dei redemptor noster hoc à nobis exigit. Quis enim tam ingratus esset, qui ad gratificandum tanto benefactori fratrem suũ non diligeret, præsertim, cũ dilectione nihil sit iucundius? Deinde etsi iustificamur sola fide propter Christum, tamen ea fides, si uera est, non potest esse sine dilectione fratris. Quæ enim fides non profert dilectionem, non est uera aut uiua, sed mortua, & ut Iacobus dicit, talis, qualem & Dæmones habent. Si quis dixerit, inquit Ioannes, Diligo Deum, & fratrem suũ oderit, mendax est. Postremo debemus & hoc argumento nos, qui Christum agnoscimus, ad mutuã dilectionem excitari, ꝙ totus mundus prosequatur nos uirulento odio. Si .n. cõmune periculum adducit ad cõcordiam etiã inimicissimos, quantò magis nos, q̃ in Christo coniũcti sumus, cõcordes reddere debet, tot hostiũ aduersus nos cõspiratio? Sed hac occasiõe concionaẽ nũc Christus de odio mũdi aduersus Ecclesiam suã, & hortaẽ eam, ut hoc mũdi odium magno aĩo ferat. Si mũdus, inquiẽs, uos odit, scitis, ꝙ me prius cũ uos odio habuerit. Si de mũdo fuissetis, mũdus q̃d suũ est diligeret. Quia uerò de mũdo nõ estis sed ego selegi uos de mũdo, ꝓpterea odit uos mũdus. Memẽtote sermonis quẽ ego dixi uobis: Nõ est seruus maior dño suo. Si me ꝓsecuti sunt, & uos persequẽtur. Si sermonẽ meũ seruauerunt, & uestrum seruabũt. Mũdus (inquit) uos odit. Sciamus igiẽ initio, quid hoc loco mũdi noĩe intelligatur. Nam ꝓ mundũ hîc non intelligiẽ cœlũ & terra, sed prȩcipui hoĩes in hac terra, uidelicet, summi principes, sapiẽtes, honesti, & uulgi multitudo. Hi .n. coniuncti uidentur mundũ suis humeris sustinere. Et præ his nulla prorsus habeẽ ratio paucorum hoĩm. Significat ergo Christus, ꝙ Ecclesiam suã ꝓsecuturi sint odio principes, sapiẽtes, docti, honesti, & maxima hoĩm multitudo, hoc est, uniuersi hoĩes tam summi cũ infimi. Deinde hoc odium nõ erit simplex, sed immanissimũ & crudelissimũ. Mũdus eñ nõ solũ contẽnit piã doctrinã Ecclesiȩ, uerũetiam persequiẽ eam omni genere crudelitatis, & eò immanitatis ꝓcedit, ut si interfecerit professẽtem aut agnoscẽtem Euangelion Christi, existimet se Deo cultũ prȩstare, quẽadmodum postea sequiẽ. Accedit & hoc, ꝙ cũ alĩs in rebus mũdus secũ ipse raro consentiat, in hoc tñ concordi quadã amicitia & caritate se complectitur, ut Euãgelion Christi & Ecclesiam eius crudelissimè persequaẽ. Pilatus & Herodes magno odio inter se dissident, sed in damnãdo Christo fiunt amici. Gentes & Iudȩi nunc̃ bene conuenerunt, nisi in persequendis & trucidandis Apostolis Christi, & ĩs qui Euãgeliou Christi agnoscebant. Breuiter, mundus tanto furore grassatur in Christum & Ecclesiam ac doctrinam eius, ut etiam ĩ, qui natura sunt inter se inimicissimi, exuant naturale suũ odium, & cõiungant sese, ut animum suũ, collatis uiribus, in effundẽdo pioꝝ sanguine, expleant. Audiamus igitur, quo consilio Christus faciat huius odĩ mẽtionem, &

συναθροίζει τοὺς ἐχθίστους ὁ κοινὸς κίνδυνος.

Mundus.

Mundus quãdo secum conueniat.

concionetur de eo priuſq; eueniat. Ac ſuprà quidē oſtendimus, q̄ Chriſtus hoc argumento excitet pios ad mutuā dilectionem. Non em̄ alios habebunt amicos in hoc mundo. Neceſſe igitur eſt, ut ipſi inter ſeſe ſint amici. Sed Chriſtus facit mētionem huius odij̄ maximè oīm, ꝓpter hanc cauſam, ut hortetur Apoſtolos ſuos & alios pios, quò nō offendātur ab Euāgelio, propter odiū mundi, ſed forti animo ferant & perdurent. Primum em̄ q̄ mundus odio habeat Apoſtolos & Eccleſiam Chriſti, nō eſt res nec noua, nec miranda. Impij̄ em̄ odio habuerunt Chriſtū ipſum. Impij̄ nō agnouerunt, nec ſeruarūt Chriſti ipſius cōcionem, ſed potius perſecuti ſunt eū omni genere crudelitatis. Quid ergo mirū ac nouū eſſet, ſi diſcipulos Chriſti odio habeant & perſequant? Non em̄ eſt ſeruus maior dño ſuo, & quēadmodum apud Mat. ca. 10 dixit: Non eſt diſcipulus ſupra prę̄ceptorem, nec ſeruus ſupra dñm ſuum. Delicatus eſt ſeruus q̄ cū Dñs cubat in terra, ipſe in molli ſtrato cubare uelit: aut cū dñs bibit aquā, ipſe nō niſi optimum uinum bibere cupiat. Quare etſi Apoſtoli & reliqui pij̄, magis ſunt amici & fratres Chriſti, quantū attinet ad cogniti onē̄m arcanę uoluntatis Dei, & adoptionem, quàm ſerui eius, quēadmodum ſuprà dictū eſt, tñ quod attinet ad obediētiam quā debent Chriſto in uocatione ipſorę̄, Serui Chriſti ſunt, nec habent q̄d conquerantur, ſi ipſis accidat, q̄d Chriſto Dño ipſorum accidit. Deinde, q̄ mūdus odio habeat Apoſtolos & Eccleſiam Chriſti, hinc adeo uenit, quia nō eſtis de mundo, ſed ego ſelegi uos de mundo. Quid? An Apoſtoli & alij̄ pij̄ non habent parentes in hoc mūdo, ſicut alij̄ homines? An non uiuūt, edunt, bibunt, & negociantur in hoc mundo ſicut alij̄ hoīes? Monachi ſentiūt, q̄ de mundo non eſſe, ſit uiuere in cœlibatu, aut Monachum & Eremitam eſſe, & non ducere uitā politicam. Vnde & ipſi utuntur alijs generibus ueſtium, & ciborum, q̄ quibus uulgus uti ſolet. Alijs uigilantibus, dormiunt ipſi, alijs dormientibus, uigilant. Ac magna cura cauent, ne quid cōmune cū alijs hominibus habeant. Hoc em̄ exiſtimant non eſſe de mundo. Sed hæc eſt magna & ſuperſtitioſa hypocriſis. De mundo enim eſſe, hoc loco, non eſt politicam uitā ducere, ſed eſt uerſari in impietate, & ſceleribus, quibus hic mūdus obnoxius eſt. Omne, inquit Ioannes aliâs, q̄d eſt in mundo, ueluti cōcupiſcentia carnis, & concupiſcētia oculorę̄, & faſtus uitæ, non eſt ex patre, ſed ex mundo. Et iterū: Mundus totus in malo conſtitutus eſt. Sectatur. n. in religione impietatem & idolatriā, in reliqua autem uita oīa genera nephandiſsimorum ſcelerū: nec iam primū noſtra ętate hoc agere cœpit, ſed impius & ſceleratus fuit ab initio orbis terrę̄, annis pluſq; quinquies mille. Nec unquā deſinet eſſe malus, donec uenerit nouiſsimus dies. Etſi enim ſua quædam eſt honeſtas uitę̄ in hoībus huius mundi, tñ ea nec eſt cōſtans, nec ſyncera. Nam ut de reliquis uitijs taceam, homines ad rem ſuā ita intenti ſunt, ut ſi nullam ſperant utilitatem, ne parētum quidem ſuorum ullam rationem habeant. Rurſus, ſi aliquod lucellum ſperant, etiam furem ſemiaridum de cruce utendum deponant, ac poſtq; eo ſatis uſi fuerint, iterum affigant. Quid his ſterquilinijs ſordidius? De mundo igitur eſſe, eſt unà cum mūdo peccare, impiè agere, & ſceleratè uiuere. Seligi autem de mundo,

Mundi odiū erga Eccleſiam Chriſti unde.

De mundo eſſe.

& non esse de mundo, & abiecta impietate agnoscere solum IESVM CHRISTVM seruatorem suum, & ex fide, quæ est in ipsum, sua uocatione fungi, ac honestam uitam ducere. Hæc enim qui facit, etsi in hoc mundo uiuit, & uersatur in politico uitæ genere, tamen non est de hoc mundo. Quid ergo? Si de mundo, inquit, essetis, si uos accommodaretis moribus uestris ad impietatem & scelera huius mundi, tunc mundus, quod suum est, diligeret. Simile enim gaudet simili. Nunc autem, quia non estis de mundo, mundus uos odio habet. Hæc enim est hominum natura, ut non solum peccent cupidè, uerumetiam nolint in peccatis suis reprehendi. Et si reprehenderis, non impunè feres. Susceperunt ab initio orbis pij Patriarchæ & Prophetæ mundum instaurandum, & ad bonam frugem reducendum, sed hic tanto furore accensus fuit aduersus eos, ut alios extrema contumelia affecerit, alios etiam crudeliter trucidauerit. Ad horum numerum Christus etiam Apostolos ac uniuersam Ecclesiam suam cooptauit. Constituit enim eos, ut tam doctrina, quàm exemplis uitæ arguant mundum de peccatis suis. Cùm autem mundus peccatis ita excæcatus sit, ut iudicet ea esse iusticiam, quomodo posset ferre Apostolos & Ecclesiam Christi? Zodomitæ dixerunt quondam ad Lothum reprehendentem scelera ipsorum: Ingrèssus es ut aduena, nunquid ut iudices? Ita & pij, quia non accommodant se ad impietatem mundi, habentur pro aduenis, & quia reprehendunt mundum tam doctrina, quàm uita, magis affliguntur, quàm ulli manifestè scelerati. In Politeia ciues non ferunt aduenam, qui uoluerit uetera ipsorum instituta mutare, & inter ipsos pro sua libidine dominari, multò minus hic mundus ferre potest patienter Apostolos, qui suscipiunt Euangelio suo uetus mundi institutum mutare. Vetus enim eius institutum est, impietatem sectari, idola colere, blasphema dicere, & scelerate uiuere. Hoc institutum uult esse inuiolatum, & sacrosanctum. Quare mirum non est, quòd acerbissimo odio prosequatur eos, qui suscipiunt hoc mutandum, aut corrigendum. Dicent autem Apostoli: Exponis quidem nobis, quòd mundus persecuturus sit nos, sicut & te persecutus est, sed res nostræ longè aliter se habent, quàm tuæ. Tu peccatum non feciſti, nec est inuentus dolus in ore tuo. Quare persecutio accidit tibi innocenti & iusto. Nos autem sumus peccatores, & iniustè egimus. Quòd igitur aduersi accidet nobis in mundo, hoc accidet nobis propter peccata nostra. Sed CHRISTVS refutat hanc cogitationem, & recitat aliam causam persecutionis. Hæc omnia, inquiens, facient uobis propter nomen meum, quia non nouerunt eum qui me misit. In huius sententiæ explicatione primum considerandum est, quòd ad ueram pietatem necessarium est, ut agnoscamus nos coram Deo peccatores, & sentiamus nos propter peccata dignos esse omni genere malorum, non solum in hoc, uerumetiam in uenturo seculo. Omnes enim declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine

Mundus persequitur Ecclesiam propter nomen Christi.

quis sustinebit? Deinde summa danda est opera, ut non regnet peccatum in nobis, ne sceleribus nostris efficiamus, ut mundus iustam causam nos persequendi & in nos sæuiendi habere uideatur. Ne quis uestrum, inquit Paulus, affligatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut aliena à sua uocatione facienda suscipiens. Si ergo Apostolus, aut alius pius honestè uiuens, & Euangelion CHRISTI agnoscens & adnuncians, affligitur ab hominibus, etsi habet peccata coram Deo, tamen non affligitur propter peccata, sed propter NOMEN, inquit, MEVM, quia non nouerunt eum, qui misit me. Fingit quidem mundus horrenda peccata de Apostolis & Ecclesia Christi. Dicit eos esse seditiosos, & blasphemos in Deum. De CHRISTO ipso dicunt: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem tributa dare Cæsari. De Stephano dicunt: Homo iste non cessat loqui uerba contumeliosa aduersus locum sanctum hunc, aduersus Mosen, legem & Deum. De Paulo dicunt: Hic est ille homo, qui aduersus populum & legem, & locum hunc ubique omnes docet. Postea obijciebant Gentes Christianis infanticidia, incendia, & alia nefanda scelera. His nostris temporibus obijcitur pijs Principibus, qui aperuerunt portas suas regi gloriæ, & concesserunt, ut ecclesiastica sacra iuxta piam doctrinam instaurentur, quòd turbent publicam pacem, affectent maiestatem imperij, & sint obstaculo, ne Ecclesia possit tranquillitati restitui. Hæc & multa alia obijciuntur quidem his, qui agnoscunt Euangelion CHRISTI, sed falsissimè. Mundus enim persequitur eos, non propter peccata, quæ si unà cum mundo sectarentur, in magno honore essent, sed persequitur eos propter nomen CHRISTI, quia non nouerunt eum qui misit CHRISTVM. Hic fons odij est, quòd mundus non nouit nec Deum, nec filium eius CHRISTVM à Deo missum. Obserua igitur hoc loco, quòd Christus accuset hunc mundum grauissimæ impietatis. Dicit eum non nouisse nec Deum, nec filium eius, sicut & postea ait: *Hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrem neq; me.* Quid autem ad hæc dicemus? An Iudæi non nouerunt Deum? Et tamen iactant se esse populum Dei. Idem iactant etiam Turcæ. Hi uolunt uideri, se solos unum & uerum Deum rectè colere. Quid Pontificij & Monachi? Hi non solum gloriantur de Deo Patre, uerumetiam de filio eius IESV CHRISTO. Et tamen, ut Iudæi accusati fuerunt, quòd non nouissent Deum, ita nos accusamus Turcas & Pontificios, quòd nec Deum, nec Christum filium eius nouerint, sed potius extremo odio Deum prosequantur, & sint uerè hostes Dei. Sciamus igitur, quid sit Deum uerè nosse. Nam Deum nosse, non est tantum scire, q̃ sit Deus, & quòd creauerit cœlum ac terram, & liberauerit Israelitas ex Aegyptiaca seruitute. Hoc de Deo fatentur tam Iudæi quàm Turcæ. Sed & gentes cognouerunt aliqua ex parte Deum, uidelicet q̃ sit Deus, & q̃ Deus benefaciat bonis, ac puniat malos. Hæc autem cognitio de Deo, etsi necessaria est, tamen nondum est ad salutem sufficiens. Nam ad ueram cognitionem Dei requiritur, ut credas talem Deum, qui postquàm creauit mundum, &

Deum nosse quid sit.

dum,& liberauit Israelitas ex Aegypto, miserit filium suum IESVM CHRISTVM, de semine Abrahæ & Dauidis, expiatorem peccatorum nostrorum, & placatorem iræ Dei. Non nouerunt, inquit, eum, qui misit me. Necesse est ut talis Deus cognoscatur, qui misit filium suum IESVM CHRISTVM. Hæc est, inquit, uita æterna, ut cognoscant te solum Deum uerũ, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Iudæi autem & Turcæ, non agnoscunt Deum misisse filiũ suum CHRISTVM placatorem iræ Dei. Quare non habent ueram Dei cognitionem. Sed quid dicemus de Pontificijs & Monachis, qui uociferantur se non tantum credere Deum creatorem cœli & terræ, uerum etiam missorem filij sui IESV CHRISTI? Num hi uerè Deum cognoscunt? Verè cognoscerent Deum, si seriò hæc crederent, & rectè de officio CHRISTI sentirent. Nunc autem fatentur quidem nomine IESVM CHRISTVM, reipsa uerò negant. Sentiunt enim CHRISTVM missum esse, non ut expiatorem peccatorum, quia tribuunt expiationem meritis suorum operum, sed ut spectatorem humanæ iusticiæ. Hoc autem est ex CHRISTO facere Deum Mosaicum, non seruatorem Euangelicum. Quare etsi Pontificij & Monachi gloriantur de Deo & CHRISTO filio eius, tamen quia non agnoscunt uerum officium CHRISTI, non uerè etiam cognoscunt nec Deum, nec CHRISTVM filium Dei. Ac tolerabile quidem uideri posset, quòd impij non cognoscunt uerè Deum, & filium eius, hoc autem horrendum est, quòd etiam Deum & filium eius extremo odio prosequantur. Quod unde eueniat, paucis commemorabimus. Satan enim initio insurrexit in cœlo aduersus filium Dei, sed cùm præcipitatus sit in tartarum, & seruetur, quemadmodum Petrus ait, in iudicium, concepit in Deum & filium eius tantum odium, ut cupiat, si queat, perpetuum exitium diuinæ maiestati inferre. Itaque gerit cum Deo irreconciliabile bellum. Deinde homo postquàm peccauit, factus est unà cum omnibus uiribus suis, cum intellectu & uoluntate, mancipium Satanæ. Quare impellit hominem, seruum & mancipium suum, ut & ipse concipiat odium aduersus Deum, & suscipiat cum Deo bellum. Hæc est propria causa, cur homines, qui non sunt renati in CHRISTO, hoc est, maxima pars hominum, acerbissimè inuehantur in pios, qui sunt propter CHRISTVM adoptati in filios Dei. Cùm enim simile natura gaudeat simili, mirum est, quòd homo non diligat hominem. Sed homo impius est hostis Dei. Quare, cùm intelligat Deum esse in homine pio, persequitur in eo Deum, & quia non potest odium suum euomere in Deum ipsum, quem non uidet, euomit in hominem quem uidet. Sed quid causæ est, quòd CHRISTVS tam diligenter facit mentionem odij impiorum aduersus pios? Hoc non fit temerè. Primum enim concionatur de hoc odio, ut excitet pios ad mutuum amorem, quemadmodum suprà diximus. Deinde ut pij hoc mundi odio non offendantur, sicut postea CHRISTVS exponet. Non enim deficiendum est à CHRISTO & Euangelio eius propter odium, & persecutionem,

Odium impiorum aduersus Deum & filium eius unde.

quam impij ſuſcipiunt aduerſus pios. Nam quemadmodum in mundanis principum aulis, ſuæ ſunt notæ & ſigna in armis & ueſtimentis, quibus aulici ab alijs diſcernuntur: ita CHRISTVS, qui eſt uerus Princeps cœli & terræ, pro aulica ſua nota habet afflictiones & cruces, quas qui ferre noluerit, non erit cœleſtis aulæ membrum. Si ſufferimus, inquit, & conregnabimus. Si commortui ſumus, & conuiuemus. Quid ergo? Num ita ferenda eſt perſecutio, ut cùm hoſtes gladio graſſantur, non liceat uiciſsim gladio uim & iniuriam propulſare? Ad Petrum dictum eſt: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Ergóne pij Principes, qui his temporibus ſuſceperunt Eccleſias & regiones ſuas aduerſus uim Pontificiam gladio defendendas, peccant? De hac re ita ſentiendum eſt, quòd perſecutio quidem ferenda ſit, nec accipiendus ſit gladius temerè, & legibus non porrigentibus gladium, interim autem, dum feruntur aduerſa, nemo debet ſuum officium prætermittere, & ſuam uocationem deſerere. Videamus igitur diuerſam rationem officiorum & uocationum. CHRISTO DOMINO noſtro accidit grauiſsima perſecutio, quam & patienter tulit. Officium autem eius erat, non accipere mundanum regnum & gladio uti, ſed profiteri Euangelion, ſe uidelicet eſſe uerum Dei filium, & uerum Meſsiam, in hoc miſſum, ut expiet peccatum mundi. Nunquid ergo ita debuit ferre perſecutionem, ut non faceret ſuum officium? Nihil certè minus. Non debuit quidem gladium accipere, quia hoc non erat officium eius, ſed debuit conſtanter profiteri Euangelion ſuum, Quod ut erat ipſius officium, ita etiam præſtitit illud, non tantum cùm adhuc liber eſſet, uerumetiam cùm captiuus abduceretur, & cruci affigeretur. Apoſtoli CHRISTI obiecti ſunt magnis periculis & aduerſis. Officium autem ipſorum erat prædicare Euangelion CHRISTI, & teſtari de reſurrectione ac regno eius. Non erat officium eorum mundana regna uiolenter *inuadere*, & gladio in hoſtes graſſari. Quid ergo factum eſt? Perſecutiones & aduerſa ita tulerunt, ut interim non deſererent ſuum officium, ſed etiam in medijs uinculis & carceribus prædicarent CHRISTVM, & teſtarentur de Reſurrectione eius. Deſcendamus nunc ad alias uocationes. Pius quiſpiam parens habet filiolum nondum adultum, ſed paternis admonitionibus ita obſiſtentem, ut in parentem contumelioſis dictis & conuicijs debacchetur, ac uocet eum ſceleratum nebulonem. Quid faciet hic pius parens? Ferenda ſunt mala patienter. Sed quid? num ita ferat parens contumeliam filij, ut dicat: Age macte uirtute, mi fili. Sic perge patientiam patris tui probare. Graſſaris in me uerbis, en habes caput, habes maxillas meas, graſſare & in hæc, ſi ita libet, uerberibus & pugnis. Non certè hoc faciet parens. Quid enim hoc ſtultius, & magis inſanum eſſet? ſed faciat ſuum officium. Parentis autem officium eſt, mala quidem patienter ferre, ſed interim puerum ſuum uirga caſtigare. Qui parcit, inquit, uirgæ, odit filium ſuum. Dicamus & de Principum officio. Pij enim Principes debent & ipſi aduerſa patienter ferre, ſicut & omnes Chriſtiani. Officium

Perſecutio tollerandа quidem, ſed non eſt prætermittenda officium.

Principum officium.

cium autem eorum est, gestare gladium ad laudem bonorum, & ad uindictam malorum, quò pia doctrina in regionibus suis locum habeat, & gloria Dei promoueat. Fingamus igitur latrones grassari in fines prj Principis. Num Princeps hoc malum ita ferat, ut non utatur gladio suo, & uim latronum non propulset? Minimè omnium, sed malum ita ferendum est, ut interim faciat suum officium, & utatur gladio. Sic & his temporibus Pontifex Romanus grassatur cum socijs suis gladio aduersus pios Principes, qui aperuerunt portas suas Euangelio Christi. Quid faciant ergo principes? Num persecutionem ita ferant, ut & gladios suos in uaginam condant, & dicant Pontifici: Age mi Pontifex, Hactenus abduxisti tua impia doctrina animas nostras & nostrorum subditorum in barathrum æternæ damnationis. Deinde abstuliisti impositoris tuis opes nostras. Nunc etiam in corpora & uitam nostram sæuire conaris. Perge igitur bone pastor, en habes ibi nostros subditos, uxores & liberos eorum. Hos tractato, uiolato, defœdato, opprimito, occidito, trucidato, pro omni tua & sociorum tuorum libidine. Sic enim itur ad cœlum. Sed quis furor esset, iubere pium Principem hæc facere? Etsi enim toleranda est persecutio patienter, tamen interim nemo debet suum legitimum officium prætermittere. Apostolicum quidem officium non est, gladio uti aduersus persecutores, sed est officium Principum, quibus etiam leges ipsæ aduersus tantam Pontificis & sociorum eius tyrannidem & crudelitatem gladium porrigunt. Iuuemus igitur eos precibus nostris, & offeramus quidem nos coram Deo ad patienda quæcunque Deus nobis immiserit, inuocemus autem Dominum, ut propter gloriam nominis sui tueatur & conseruet pios Principes qui omnium rerum suarum periculo susceperunt curam Ecclesiæ ac piæ doctrinæ, quò è præsentibus malis liberati, agnoscamus mirabilia Dei, laudemus & prædicemus nomen eius inæternum, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXVIII.

CVM Christus hortaretur Apostolos & Ecclesiam suam, ut non offendantur odio huius mũdi, proponit eis suum exemplum: Si mundus, inquiens, uos odit, scitis, quòd me prius quàm uos odio habuerit. Docet igitur nunc, quàm iniquè mundus eum odio prosequatur, & quanta sit mundi erga ipsum ingratitudo. Ostendit autem iniquitatem huius odij & ingratitudinem duobus argumentis. Alterum est, quòd doctrina sua manifestè patefecerit quis sit, & à quo sit in hunc mundum missus. Alterum, q̃ hanc doctrinam illustribus miraculis confirmauerit, & maxima beneficia in homines contulerit. *Mundi ingratitudo erga Christum.* Si non uenissem, inquit, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Qui me odit, is & Patrem meum odit. Si opera non feciſſem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & uiderunt & oderunt, non solum me, uerumetiam Patrem meum. Si non uenissem, inquit, & locutus fuissem eis, peccatum non ha-

berent. Quid? Peccatum non haberent? Num Iudæi carerent peccato, si non audiuissent concionem Christi? Dicemus ergo Gentes Idolatras non habere peccatum, quòd non audiuerunt Christum? Et si non habent peccatum, quid aliud reliquum est, quàm ut dicamus eas cœlestem salutem cõsecutas? Sed quis hæc, nisi omnis piæ doctrinę ignarus, affirmaret? Cognoscẽdum igitur est, quid illud sit, quod dicit Christus: Peccatum non haberent. Non enim sentit eos simpliciter nullum habere peccatum. Omnes enim homines concipiuntur & nascuntur in peccato. Et: Omnis homo mendax. Et: Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Siue enim audias concionem Christi, siue non audias, nunq; iustificatur homo sua natura, & suis meritis in conspectu Dei. Quare etiamsi Iudæi nõ audiuissent concionem Christi, tamen non essent liberi à peccato, Sed q; dicitur eos non habituros peccatum, si non audiuissent Christum, intelligendum est de prætextu & excusatione peccati. Sicut Christus ipse interpretatur, cum addit: Nunc autem non habent, quod prætexant peccato suo. Cùm igitur ait: Peccatum non haberent, significat eos quidem, si non audiuissent Euangelion Christi, obnoxios fuisse peccato, habituros autem quandam excusationem, quam prętexuissent peccato. Dixissent: Si Christus, iuxta Prophetica uaticinia ad nos uenisset, & inter nos Euangelion suum prædicasset, profectò non insecuti essemus eũ odio, sed complexi fuissemus eum summo amore, & coluissemus eum omni officiorum genere. Hunc peccati sui prætextum, inquit Christus, non possunt habere. Veni enim & prædicaui eis iuxta Prophetas, Euangelion meum. Quare non habent quod prætexant peccato suo. Consideremus autem breuiter, quæ Prophetica dicta de Christo, clarè Iudæis in Iesu filio Mariæ exposita fuerint. Primum enim dictum erat à Iacobo Patriarcha, & à Daniele, quo tempore Christus filius Dei in hunc mundum uenturus esset, uidelicet, postquàm sceptrum à Iuda esset ablatum, & septuaginta annorum hebdomades, ab exitu uerbi de restauranda urbe Hierusalem, implerentur. Et ecce eo tempore uenit Iesus ac prædicauit se esse Christum. Deinde dictum erat ab Esaia, & Malachia, q; uenturus esset ante Christum, concionator in deserto, spiritu & uirtute Eliæ, qui præpararet Christo Domino uiam. Hic concionator fuit Ioannes Baptista, qui & paulò ante Iesum Christum natus est, & postea testificatus est de Iesu Christo magna autoritate. Præterea dictum erat, quòd Christus nascendus esset è familia Dauidis in Bethlehem. Manifestum autem est, hoc in Iesu impletum esse. Quod etiam tempus, & qui locus natiuitatis publicè insignita fuerunt crudelitate Herodis, qui ad opprimendum Christum, iussit omnes bimulos pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus confinijs Bethlehemiticis, occidere. Adhæc dictum erat, Christum prædicaturum Euangelion afflictis, indulgentiam captiuis, apertionem claudis, & medicaturum contritis corde iuxta Esaiam Prophetam. Hæc autem Iesus ita perfecit, ut nihil in eo desiderari potuerit. Denique nihil nec priuatis nec publicis concionibus prætermisit, quò ostenderet mundo, se esse uerum Christum, à Deo Pa-

Prophetica dicta de Christo.

Esaiæ 40.
Mala. 4.

gre-

tre,ad seruandum humanum genus,in hanc terram missum. Quare Iudæi nullam habent impietatis & incredulitatis suæ excusationem, sed tantò maius est peccatum ipsorũ,quantò maiori odio in Christum grassantur. De Gentibus autem quid? Non de illis tantum, quæ fuerunt ĩjs temporibus,quibus Christus prædicauit Euangelion suum in terra,uerumetiam de his, quæ fuerunt ab initio orbis terræ. In populis enim Gentium multi fuerunt,qui de semine mulieris, de semine Abrahæ, de filio Dauidis, nihil unquam audierunt. Num hi omnes damnati sunt, an habent aliquam excusationem? Habent quidem, si conferantur cum Iudæis,aliquam excusationem,& tolerabilius peccauerunt. Dicit enim Christus: Væ tibi Chorazin, uæ tibi Bethsaida, quoniam si in urbe Tyri aut Sidonis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in sacco & cinere egissent scelerum suorum pœnitentiam. Ideo dico uobis, Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij quàm uobis. Nihilominus tamen peccauerunt, & habent damnationem perpetuam. Diximus enim antea, quòd omnes homines concipiantur & nascantur in peccato. Et homines natura sunt filij iræ. Deinde Euangelion de Iesu Christo semper fuit, pro ratione sui temporis, ab initio orbis terræ inter homines uulgatum. Patriarchæ prædicauerunt in mundo de semine mulieris contrituro potentiam Satanæ, & expiaturo peccatum humani generis,usque ad diluuium. Quare si cui his temporibus curæ fuit uera pietas & salus, potuit eam rectè ex predicatione Patriarcharum consequi,nec quisquam habet, quod possit suæ impietati prætexere. A diluuio, sicut Gentes â Noe & filijs eius descenderunt, ita & per ipsos diuulgata est inter Gentes promissio Dei de semine mulieris, usque ad Abrahamum. Noe enim peruenit ætate sua usque ad Abrahamum. Sem autem filius Noe, quem sentiunt aliâs dictum esse Melchisedec,uixit ultra Abrahamum triginta annis. Putas autem hos pijssimos Patriarchas fuisse mutos inter posteros suos nepotes & abnepotes,ac tantum dedisse uentri operam? Nihil certè minus,Sed quæ fuit pietas eorum, tradiderunt posteris suis summa diligentia ueram doctrinam de consequenda salute per semen mulieris diuinitùs promissum. Hoc sperârunt, hoc uoluerunt Patriarchæ. In hoc euigilarunt curæ & cogitationes eorum. Sed cùm gentes ante tempora Abrahami multiplicarentur, & in uarias terræ regiones spargerentur, ac doctrina de consequenda uera salute per semen mulieris impietate & incuria gentium paulatim obscurata ac etiam uitiata esset, instaurauit Deus doctrinam ueræ salutis per Abrahamum, ac renouauit promissionem de semine mulieris, definiens hoc semen uenturum è familia Abrahæ. Dicit enim ad Abrahamum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Quæ promissio propagata est ad posteros Abrahæ, & cùm hi profecti essent ad Aegyptum, diuulgauerunt eam inter Aegyptios. Cùm autem penes hos fuerit eo tempore summa rerum, & potentissima in terris Monarchia, fieri non potest, quin hac occasione promissio de benedicto semine Abrahæ uulgata fuerit inter omnes Gentes. Postquàm uerò Israelitæ redierunt ex AEgypto ad

Gentes ab habeant excusationem.

Euangelion de Christo semper fuit.

Abraham uixit cum Noha annis 58.

suam terram, institutum fuit inter eos diuina clementia, clarissimum regnum, cuius nomen non finitimis tantum, sed etiam longinquis gentibus cognitum fuit. Quam gloriam dedit Dominus Israelitis, non ad humanam ipsorum laudem, sed ut hac occasione nomen ueri Dei, & promissio de filio eius inter reliquas gentes patefieret. Secuta sunt deinde auxilia Assyriaca & Babylonica, quibus ut Israelitæ inter omnes gentes spargebantur, ita unà cum ipsis sparsa est prædicatio de semine Abrahæ & Dauidis, hoc est, de Messia uero seruatore humani generis, donec uenit Messias ipse, & misit Apostolos suos in totum orbem terræ. Nunquam igitur defuit non Iudæis tantum, uerumetiam Gentibus doctrina de cognoscendo uero Deo, & assequenda æterna salute. Etsi enim hæc doctrina obscurior fuit antè aduentum Christi, quàm his temporibus, quo palam Christus adnunciatur, tamen semper tam illustris fuit, quantùm cupienti ex animo ueram Dei cognitionem & æternam salutem satis esset. Hæc sunt diligenter consideranda, ut non decipiamus nos ipsos, & non cogitemus ignauam nostram ignorantiam excusaturam nos coram tribunali Dei. Extitit semper in mundo, & adhuc extat publicè, extabitque usque ad nouissimum diem prædicatio de uero Deo, & Filio eius seruatore nostro. Homines autem maiorem habent curam & rationem uentris sui, quàm cœlestis salutis. Quæso te quanto sudore, quantis ærumnis quærunt corporalem uictum? Sunt qui negotiorum gratia proficiscuntur multis miliaribus ad publicas nondinas. Sunt qui impigri currunt ad extremos, nescio quos, Indos, mercimonij gratia. Alij noctu diúque incumbunt in studium sui opificij. Alij totas suas cogitationes conferunt ad cognoscendas difficillimas quasque artes. Si homines tanto studio inquirunt & sectantur corporalia bona, quam habebunt excusationem coram Deo, si neglexerint studium cognoscendi ueri Dei, & consequendæ ueræ salutis? Quare, cogitemus quod sit officium homine dignum, & cùm doctrina pia perspicuè adnuncietur, utamur beneficio Dei, audiamus Deum ipsum, nos uerbo suo ad se uocantem, ut uicissim nos, ipsum inuersis inuocantes, audiat & seruet. Habes quòd Christus satis manifestè se doctrina sua patefecerit. Nunc audi alterum quod propositum est, uidelicet, Christum nō simpliciter docuisse Euangelion suū, uerumetiam confirmasse illud multis & magnis miraculis. Si opera, inquit, non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: hoc est, si non tanta miracula edidissem palàm in conspectu eorum, quanta nullus alius hominum edidit, uiderentur aliquam peccati seu impietatis excusationem habere. Quid igit dicemus? An non Prophetę ediderunt etiam miracula? Inter miracula maximū oīm est, suscitare mortuos. Sed & Prophetæ hoc miraculum fecerunt. Rectè. Sed primum, Nullus Prophetarum tot, tam multa miracula, breuissimo tempore fecit quot Christus. Adduxerunt, inquit Euangelista, multos dęmoniacos, & eiecit spiritus uerbo, OMNES q; malè habentes sanauit. Et iterę: Secutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos OMNES. Et Ioannes ait: Sunt multa alia quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor mundus

Ignorantia Euangelij neminem excusat.

Miracula Christi.

dus caperet eos, qui scriberentur libros. Deinde, etsi Prophetæ ante Christum fecerunt quædam miracula, tamen eo tempore, quod Prophetæ de aduentu Christi designarunt, nullus hominum fuit, qui maiora & plura ediderit miracula, quàm Iesus Christus. Voluit enim cœlestis Pater, ut filius suus illustris esset miraculis, quò homines admonerentur de tempore aduentus Christi à Prophetis adnunciato, & excitarentur ad cognoscendam personam Christi. Fuit & Ioannes Baptista, uir maxima autoritate inter Iudæos præditus. Non fuit autem ei diuinitùs datum, ut miracula ederet, ne ipse pro Christo agnosceretur. Quare non doctrina tantum, sed etiam miraculis manifestè declaratum est, IESVM filium Mariæ esse uerum Christum filium Dei, seruatorem nostrum. Et tamen hæc omnia nihil permouerunt impios & excæcatos Iudæos. Viderunt, inquit, & tamen oderunt non me solum, uerumetiam Patrem meum. Qui enim me odit, is & Patrem meum odit. Hæc est memorabilis sententia, quam Ioannes in secunda sua Epistola repetit. Omnis, inquiens, qui transgreditur, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Docet autem nos hæc sententia primum, uanissimam esse gloriationem Iudæorum & Turcarum, qui iactant se esse præcipuos Dei cultores, & tamen quia odio habent Christum, & damnant doctrinam eius, non sunt cultores, sed osores Dei. Deinde docet hæc sententia rectè iudicare de Pontificijs, qui susceperunt pios Principes bello delendos, quòd hi aperuerint portas suas doctrinę Christi. Pontificij enim iactant se tueri ueram religionem Dei, Et tamen pugnant cum doctrina Christi. Hæc enim est doctrina eius, quòd consequamur remissionem peccatorum & uitam æternam, non meritis nostræ iusticiæ, sed gratis propter Iesum Christum per fidem. Hanc doctrinam persequuntur hostes nostri. Susceperunt igitur bellum, non aduersus homines, sed aduersus Christum, & aduersus Deum ipsum. Quomodo autem posset esse fœlix euentus eius belli, quod aduersus Deum & filium eius geritur? Sed quid? Num odium, quo mundus persequitur Christum, accidit, nesciente aut negligente Deo? Si enim Deus cognosceret, fortasis non toleraret. *Deus odium mundi non ignorat.* Sed benè habet, Deus non ignorat hoc odium mundi. Concionatus enim est de eo per Prophetas suos, mille annis priusquam Christus filius suus homo nasceretur. Sic enim sequitur: Sed hoc accidit, ut "compleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Odio habuerunt "me gratis. Hoc sumptum est, uel ex Psalmo trigesimo quarto, Gra- "tis absconderunt mihi interitum laquei sui, præter causam foderunt foueam animæ meæ. Vel ex Psalmo sexagesimooctauo: Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Nec in Psalmis tantum concionatus est Deus de odio, quo mundus persecuturus erat Christum filium suum, sed etiam concionatus est de eo ab initio mundi, in prima Euangelij concione, cùm ait ad Satanam: Semen mulieris conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius. Insidiatur autem Satan Christo per homines, quos excitat ut sine ulla causa persequantur odio suum ipsorum seruatorem. Porro, Christus habet suas

cauſas cur ad moneat Eccleſiam ſuam, de odio, quo mũdus ſine ulla cauſa in ipſum debacchatur. Primum enim ſignificat, quòd cùm manifeſtè uidemus compleri, quod per Spiritum ſanctum de odio mundi dictum eſt, ſciamus etiam id compleri, quod Spiritus ſanctus de oppreſſione hoſtium Chriſti, & ſalute Eccleſiæ ſuæ adiecit. Manifeſtè uidemus hoc compleri: Tu inſidiaberis calcaneo eius. Completur ergo & hoc, quod additum eſt: Conteret caput tuum. Manifeſtè uidemus hoc Pſalmi compleri: Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Completur ergo & hoc, quod in eodem Pſalmo ſequitur: Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Ac mox: Deus ſaluam faciet Zion, & ędificabuntur ciuitates Iudæ. hoc eſt, Etſi mundus perſequitur Chriſtum uirulentiſsimo odio, Deus tamen conſeruat Chriſtum, & Eccleſiam ſuam, adeóque conſeruat Zion ac ciuitates Iudæ, quæ ſunt regna & ciuitates, quæ præbent Chriſto & Eccleſiæ eius hoſpitia. Sic & hoc tempore uidemus manifeſtum odium & bellum aduerſus Euangelion Chriſti. Sed optimè confidendum eſt, quia cùm manifeſtum ſit odium mundi in Chriſtum & Eccleſiam eius, manifeſta etiam erit ſalus & liberatio Eccleſiæ. Deinde Chriſtus hortatur hoc ſuo exemplo Apoſtolos & Eccleſiam ſuam ad patientiam in ingratitudine mundi. Chriſtus enim contulit in mundum maxima omnium beneficia, Sed uiciſsim reportauit à mundo maximum odium & ingratitudinem. Solenne enim eſt in mundo, ut homines pro maximis beneficijs reddant ſumma maleficia. Non dicam iam de Heroibus Ethnicorum, qui à ſuis populis & ciuibus, quos in extremis periculis ſeruauerant, non niſi acerba odia & exilia reportârunt. Vide mihi Prophetas & Apoſtolos, qui concione de Chriſto obtulerunt mundo ueram & æternam ſalutem, Sed uiciſsim alij à mundo ludibrijs & flagris, ut Epiſtola ad Hebræos ait, explorati ſunt, alij in uincula & carceres coniecti, alij lapidati, alij diſſecti ſunt, alij occiſione gladij occubuerunt. Hæc eſt huius mundi gratitudo, Quæ commemoratur nobis non ut prætermittamus officium noſtrum, & ceſſemus, ſed ut exemplo filij Dei & ſanctorum nos ſolemur, & expectemus remunerationem beneficiorum de cœlo. Magna eſt ingratitudo huius mundi, ſed longè omnium maxima eſt clementia & bonitas Dei, qui nec uult, nec poteſt obliuiſci eius obedientiæ, quæ uerbo eius præſtatur. Gaudete, inquit, & exultate, quoniam merces ueſtra copioſa eſt. Vbi? num in terris? Minimè, Sed in cœlis. Pergamus igitur noſtrum officium facere, & Deum benefaciendo glorificare, ut uiciſsim glorificemur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula,

Amen.

Ingratitudo mundi commendat nobis patientiam.

Homilia

HOMILIA XXXIX.

DIxit Christus, se in magno odio apud mundum esse, Apostolos autem suos non in minori odio fore. Cogitabit igitur quispiam ex Apostolis, quomodo hæc conueniant ad illustrandam maiestatem nominis Christi in toto orbe terrarum. Prophetæ enim de Christo concionati sunt, quòd maiestas eius uulganda sit in omnem terram. Benedictum, inquit Psalmus, nomen maiestatis eius inæternum, & replebitur maiestate eius omnis terra. Et Esaias: Plena est omnis terra gloria eius. Et Malachias: Ab ortu Solis usque ad occasum magnum est nomen eius in gentibus. Quare, si CHRISTVS & Apostoli eius incurrunt prædicatione sua in magnum & acerbum odium mundi, quomodo gloria CHRISTI uulgabitur in mundo? De hac re concionatur nunc CHRISTVS, & repetit promissionem de Spiritu sancto, quam etiam suprà aliquoties commemorauit. Cùm autem uenerit, inquiens, Paracletus, quem ego mittam uobis à Patre meo, Spiritus ueritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin et uos testes estis, quia ab initio mecum estis. Quod dicit, habet hanc sententiam: Ne sitis solliciti de gloria nominis mei. Etsi enim mundus habet & me & uos magno odio, tamen non relinquam nomen meum obscurum. Mittam enim uobis Spiritum sanctum, qui & me illustrabit, & uos excitabit, ut testimonium de mea doctrina & maiestate publicè & intrepidè in toto orbe terrarum dicatis. Explicuimus quidē antea hanc de Spiritu sancto promissionem. Sed quia hic locus admonet, dicamus iterum de hoc argumento pauca quædam, ut beneficia Spiritus sancti cognoscamus, & ad ea petenda excitemur. Ac initio, comprehenditur hic paucissimis uerbis summa totius Christianæ doctrinæ, qua non solum nos Christiani discernimur ab omnibus aliarum gentium religionibus, uerumetiam qua sola ueram & æternam salutem consequimur. Cùm enim unus tantum sit uerus & æternus Deus, concionatur tamen Christus in hoc loco de tribus personis in una diuina natura, quæ sunt, Pater, Filius & Spiritus sanctus. A PATRE, inquit, Habes personam Patris. Et: EGO MITTAM. Habes personam Filij. Et spiritus ueritatis: Habes personam Spiritus sancti. Et tamen non est nisi unus omnipotens Deus creator cœli & terræ. Hìc nos discernimur ab omnibus alijs religionibus, quarum alia sentit unam tantum esse personam in diuinitate, Hi sunt Iudæi & Turcæ. Alia sentit multos esse deos, & multas personas, Hi sunt Ethnici. Sed hi omnes impiè sentiunt de uera diuinitate. Vnus enim tantum est Deus, sed in hac una diuinitate tres sunt peesonæ. Hæc est uera & Catholica de Deo fides. Deinde considerandum est de Spiritu sancto, quæ sit eius natura, & quod officium. Nam Spiritus sanctus natura sua uerus est & æternus Deus, non quidem à seipso, sed à Patre & Filio. Nec est à Patre natus, sicut Filius, nec à Patre tantum procedit, sed procedit à Patre & Filio. Dicit enim

Christi gloria quomodo sit uulgãda in mũdo.

Trinitatis mysterium.

Spiritus sancti officium.

Christus: Ego mittam eum. Et addit: Qui à Patre procedit. Et Symbolum Athanasij, Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Hoc quale sit, humana ratio in hac uita intelligere non potest. Nec scriptura proponit hoc, ut ratione capiamus, sed ut fide credamus. Cùm autem peruenerimus ad regnum cœleste, tunc non solum assequemur perfectam cognitionem horum mysteriorum, uerumetiam percipiemus ex ea summam & æternam fœlicitatem. Rejciemus igitur ista ad futurum seculum, & sciamus nunc officium Spiritus sancti, ut beneficia eius nobis cognita fiant. Sed quod sit officium Spiritus sancti, cognomina eius exponunt. Primum enim, uocatur Spiritus sanctus. Hoc cognomen opponitur spiritui prophano, immundo & impuro, qui est Satan. Nam hic spiritus autor est omnis impietatis, fœditatis, turpitudinis, immanitatis, & omnium scelerum. Ac postquàm homo peccauit, factus est hic spiritus dominus & princeps mundi. Quare excitat in mundo tum publicè, tum priuatim omnia genera impietatis & scelerum. Si religionem consideraueris, obsecro te, quàm turpia, quàm fœda, quàm immania sacra persuasit gentes sectari, quæ ne nominari quidem honestè in Ecclesia possunt. Inter Iudæos, etsi instituta fuit uera religio uerbo Dei, tamen obscurum non est, quantis abominationibus Satan eam infecerit. Quid dicam de horrendis & immanis hæresibus, quas Satan in Christianismo excitauit? Et quis enumeraret impias & manifestas nugas atque impostu ras, quas Satan pro certissima ueritate & religione agnoscendas obtrudit Turcis, Iudæis, qui nunc sunt, & Papistis? Hæc in religione. Quid autem in hominum uita? Hic nullus horribilium scelerum nec finis nec modus. Hic Satan excitat homicidia, fratricidia, infanticidia, patricidia, scortationes, adulteria, & eas libidines, quas nec nominare fas est. Denicq; nihil est tam fœdum, tam abominandum, ad quod impurus spiritus non inducat humanum genus. Sed huic impuro spiritui obsistit sanctus spiritus. Hic enim instituit in terra, primum, ministerium prædicandi uerbi Dei, per quod regenerat eos, qui accipiunt uerbum Dei obedienter in nouos homines, & compescit in carne eorum impias, fœdas & abominandas cogitationes, ac retinet eos in officio. Nisi enim Spiritus sanctus opponat se in homine spiritui impuro, fieri non potest, ut homo sanctam Dei uocationem sequatur. Christus filius Dei cùm adhuc in terris uitam ageret, eiecit è dæmoniacis multos immundos spiritus. Idem fecerunt etiam Apostoli in nomine Christi. Etsi autem nostræ uocationis non est, ejcere immundos spiritus externo miraculo, tamen necessitas nostræ salutis exigit, ut simus adiuratores & eiectores immundorum spirituum, in cordibus nostris. Satan enim natura dominatur in carne nostra. Ac nunc sollicitat nos ad dubitandum de Deo, de Dei clementia & misericordia in Christo filio Dei nobis exhibita, imò etiam sollicitat ad negãdum Deum & Christũ filium eius: Dixit insipiens in corde suo non est Deus. Nunc hortat nos ad furta, ad impostu ras, ad libidines, ad inuidiã, & ad alia scelera. Hic tẽpus est,

Satan qualis spiritus.

Vide epiphanium.

Satan quomodo adiuretur & expellatur.

pus est,ut spiritum immundum adiuremus &expellamus,uirtute spiritus sancti. Spiritus sanctus autem exercet suam uirtutem per suum ministerium,quod instituit,uidelicet,per uerbũ Dei. Quare uerbum Dei cognoscendum & suscipiẽdum est, ut spiritus sanctus habeat organon, quo potentiam suam aduersus immundum spiritum exerceat. Deinde instituit & ordinauit ciuilem magistratum , ut sicut ministerium uerbi Dei pios in officio continet,ita magistratus ciuilis contineat, quantum in hac terra fieri potest,in officio impios,ne immundus spiritus omnia impleat fœdis libidinibus, homicidijs, & alijs sceleribus. Lex, inquit Paulus,iusto non est posita,sed iniustis,inobsequentibus, impijs & peccatoribus,irreuerentibus & prophanis,patricidis & matricidis,homicidis,scortatoribus,masculorum cõcubitoribus,plagiarijs, mendacibus, & si quid aliud est,quod sanę doctrinę aduersatur.Hæc duo ministeria, Ecclesiasticum & Politicum,sunt ordinatio diuina, qua spiritus sanctus compescit spiritum immundum . Nec fieri posset, ut hæc duo ministeria conseruarentur,nisi diuinitûs à spiritu sancto conseruarentur.Etsi enim pij conferunt operam suam ad tuendum ministerium uerbi Dei,& ciuilem magistratum,tamen tanta est potentia immundi spiritus, & tanta est multitudo impiorum hominum, ut nisi Deus ipse hæc ministeria tueretur,non possent inter homines diu constare. Sed pergamus ad aliud officium spiritus sancti. Non enim uocatur tãtum spiritus sanctus, sed etiam spiritus ueritatis. Exponitur & hoc cognomine officium spiritus sancti, & opponitur iterum spiritui Satanæ, qui est spiritus mendax, & pater mendacis. Hic enim spiritus commentus est impiam & mendacem religionem Ethnicorum, Turcarum, Iudæornm, eorum uidelicet,qui nunc sunt, non amplius populus Dei , sed abiecti à Deo. Commentus est etiam omnes hæreses , & Papisticas impietates. Horum enim omnium religio incerta est & mendax.Ethnici coluerunt uarios deos,quorum origo aut ignoratur,aut est pudenda . Turcæ agnoscunt Mahometis uanitatem,qui mentitus est sibi cum Gabriele angelo colloquium esse, sed non potuit id certis argumentis aut testimonijs demonstrare. Iudæi agnoscunt Thalmudicas fabulas, quas nec humana ratio probare potest. Sed nullum mendacium tam impudens est,quod cor à Satana cæcatum non pro ueritate amplectatur. Papistæ habent Missas pro defunctis, Inuocationes sanctorum,Peregrinationes ad sanctorum reliquias,Ignem purgatorium,& multa id genus alia, quorum origo aut ignoratur , aut ex peruersa uerbi Dei interpretatione , uel præpostera maiorum imitatione constat. Sed Spiritus sanctus est spiritus ueritatis. Hic ueram & certam religionem ,quæ est de Iesu Christo filio Dei, instituit & confirmauit. Ille , inquit Christus , testimonium perhibebit de me. Quin & uos testes estis,quia ab initio mecum estis.Primùm enim, etsi Christus resurrexit uerè à mortuis , & ascendit in cœlum,tamen hoc antè diem Pentecostes paucis cognitum fuit. Quare Spiritus sanctus edidit in die Pentecostes , & postea tam magna &

Spiritus sanctus, spiritus ueritatis.

tam conſpicua miracula in nomine Chriſti, ut manifeſtè probaret Chriſtum uerè à mortuis reſurrexiſſe, & in cœlo regnare. Petrus ait: Dextera Dei exaltatus, & promiſsione ſpiritus ſancti accepta à Patre, effudit hoc quod nunc uidetis & auditis. Et iterum: Viri Iſraelitæ, quid miramini ſuper hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra uirtute aut pietate effecerimus, ut hic ambularet? Ac mox: Autorem uitæ interfeciſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, cuius nos teſtes ſumus, & per fiduciam nominis eius, hunc quẽ uidetis ac noſtis cõſolidauit nomen ipſius, & fides, quæ per eum eſt, dedit ei integritatem iſtam in conſpectu oĩm ueſtrum. Hæc & alia miracula edidit ſpiritus ſanctus non obſcurè, ſed, ut Petrus ait, in conſpectu omnium, quibus nomen CHRISTI ita illuſtratum eſt, ut nemo negare potuerit, quin ea res diuinitûs gereretur. Deinde Spiritus ſanctus non tantum edidit miracula, quibus maieſtatem CHRISTI uerè ac publicè illuſtraret, uerumetiam excitauit Apoſtolos, & miſit eos in orbem terræ, ut de CHRISTO & maieſtate eius teſtimonium publicè dicerent. Hi Apoſtoli non uno tantum die, nec ſemel tantum fuerunt cum CHRISTO, ſed uerſati ſunt cum ipſo, toto eo tempore, quo publicè exorſus eſt, ut Petrus ait, à baptiſmo Ioannis, ad eum uſq; diem, quo receptus eſt in cœlum. Et audiuerunt omnes conciones eius, uiderunt omnia miracula eius, adeóque habuerunt diligentiſsimam omnium actorum eius conſiderationem. Vnde & hoc loco dicit: Ab initio mecum eſtis. Si heri aut nudiustertius ad me ueniſſetis, poſſet teſtimoniũ ueſtrum uanum uideri. Nunc autem agitis mecum perpetuam uitæ conſuetudinem ab eo tempore, quo cœpi prædicationem Euãgelij mei, & cognouiſtis omnia mea tùm dicta tùm facta. Quare poteſtis de me certum ac firmum teſtimonium ferre. Teſtimonium autem, quod Apoſtoli tulerunt de Ieſu, hoc eſt, q; Deus fecerit hunc Ieſum, quem Iudæi crucifixerunt, DOMINVM & CHRISTVM, & quòd non ſit aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Huius Apoſtolici teſtimonij certitudo & firmitas tanta eſt, ut nec Iudæis, nec Turcis, nec Regibus, nec Pontificibus, nec Diabolis, nec Angelis diuerſum dicentibus, cedendum & credendum ſit. Sed de teſtimonio, quod Spiritus ſanctus, qui eſt ſpiritus ueritatis, dedit Ieſu CHRISTO, hactenus. Dicamus & de alio officio Spiritus ſancti. Cognominatur enim Paracletus, quod ſignificat Conſolatorem & Aduocatum. Opponitur & hoc cognomen ſpiritui Satanæ. Etſi enim etiam Satan conſolatur aliquoties homines. Facit enim eum ſecurum in peccatis, & contemptorem ſuppliciorum, tamen conſolatur, ut magis terreat. Satan enim tota cogitatione ſua in hoc ſtudium incumbit, ut terreat & pauefaciat hominem, ac conĵciat eum in perpetuam deſperationem & damnationem. Cùm peccatum cogitas & facis, blanditur tibi, & quaſi conſolatur te: Age, inquiens, quid metuis? Diabolus non eſt tam horribilis, quàm pingi ſolet. Nec inferni ignis ita flagrat, ut uulgatum eſt.

Act. 1.

Act. 3. & 4.

Teſtimoniũ Apoſtolorum de Chriſto.

Paracletus.

Satanæ ſtudium.

Hanc

Hanc consolationem proponit Satan peccatori, non ut seruet eum, sed ut perdat. Postq̃ enim peccatum designatum est, & iudicium Dei reuelatur, ibi tum obiicit omnia genera terriculamentorum. Peccasti, inquiens, Desperandum igitur tibi est. Nulla tibi salutis spes relicta est. Misericordia Dei, quam toties reiecisti, nõ patet tibi amplius. Christus expiauit quidẽ peccata, sed non tua, quippe qui nec tanta perfectione credis, quanta debes, & toties fidem malis factis abnegasti. Ac finge te credere, frustrà tñ credis, quia non es ab æterno prædestinatus, ut sis filius Dei. Reliquum igitur est, ut omnem spem salutis abiicias. Hæc sunt ignita iacula Satanæ, quibus tantum terrorem homini imbecilli incutit, ut suis uiribus relictus, non habeat, quò se uertat. Spũs sanctus autem est Paracletus, hoc est, Consolator & Aduocatus. Hic enim consolatur & tuetur credentem Euangelio Christi, in omnibus terroribus siue peccati, siue mortis, siue inferni. Solet quidem & hic spũs aliquoties terrere, idq̃ per legem, per quam uenit, ut Paulus ait, agnitio peccati, & quæ occidit. Nõ autem terret, ut perdat. Perdere enim Satanæ propositum est, sed terret, ut seruet & consoletur. Alienum facit opus, ut suum perficiat. Occidit, ut uiuificet. Deducit ad inferos, ut collocet in cœlo. Nam proprium officium & opus spiritus sancti est, consolari & tueri in omnibus aduersis. Itaque si peccata sollicitant ad desperationem, ostendit Spiritus sanctus Christum, peccatorum expiatorem. Docet misericordiam Dei semper patère his, qui inuocant ipsum in nomine Christi. Docet, quòd etsi imperfecta est fides nostra, tamen perfectus sit Christus quem fide accepimus. Calamum, inquit, quassatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Docet, Christum esse ueracem, etiamsi nos fidem nostram uiolauerimus. Docet prædestinationem Dei reuelatam esse in Christo, ut qui credit in Christum, sciat se ab æterno à Deo in filium suum propter Christum prædestinatum, ideoq̃ Christum non aliorum tantum, sed & nostra, imò mea peccata, expiasse, & in suum cohæredem cooptasse. Hæc est consolatio Spiritus sancti, in terrore peccatorum & mortis. Exercet autem hanc consolationem in nobis, per ministerium Euangelij̃ de Christo. In hunc enim usum instituit & confirmauit in die Pentecostes concionem de Euangelio Christi, ut habeat organon, quo officium suum consolandi & tuendi publicè in Ecclesia & priuatim in singulis pñs exerceat. Dedit, inquit, alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores & Doctores, ut compleatur numerus sanctorum, ut doceatur uerbum (Dei) & ut ædificetur corpus Christi. Collocemus igitur omne studium nostrum in cognoscendo Euangelio Christi, ut exhibeamus Spiritui sancto suum organon, quo beneficia sua in nos conferat, & nos in omnibus aduersis tueatur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XVI.

HOMILIA XL.

MVLTVM refert, quo animo aduersa aggrediaris. Quare, cùm Christus antè differuit de odio, quo mundus prosecuturus sit Apostolos, & eos, qui Apostolico uerbo fidem adhibent, exponit nunc magnitudinem eius odij, ut doceat, quàm firmo & excelso animo pericula adire debeant: Impij enim non capiunt simplex odium piorum, sed exercent illud horribili & immani crudelitate. Cognoscamus igitur huius odij immanitatem, ut piè prouideamus, ne »nobis aliquam salutis iacturam afferat. Hæc, inquit, locutus sum uobis, »ut ne quid offendamini. Alienos à Synagogis facient uos. Sed ueniet »tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo.

Excommunicatio.

Duo commemorantur, quibus impij declarabunt magnitudinem odij sui. Alterum est, quòd eijcient uos è Synagogis. Hæc est Excommunicatio. Etsi autem hoc tempore, excommunicatio Pontificum, inter nos est fulgur, quòd dici solet, ex pelui, tamen si quis ueram rationem excommunicationis considerauerit, multò grauior est, quàm mors corporalis. Eijcit enim hominem, non solum è publico cœtu populi, uerumetiam ex hæreditate omnium cœlestium bonorum. In Baptismo adoptatur is, qui agnoscit Christum, in filium & hæredem Dei. Excommunicatio autem, si fiat autoritate uerbi Dei, exhæredat hominem è cœlestibus bonis, & tradit eum Satanæ. Ad Petrum enim nomine Apostolici officij dicitur: Quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlo. Et iterum: Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo. Nam quanta sit seueritas ueræ excommunicationis, etiam publico miraculo in Anania & Sapphira comprobatum est. Hi enim à Petro excõmunicati, tanto terrore concutiuntur, ut repentina morte intereant, quẽadmodum testatur liber Actorum Apostolicorũ. Porrò excommunicatio exercenda est erga eos, qui, ut Christus ait, non audiunt Ecclesiam, hoc est, qui cùm sint in cœtu Ecclesiæ, fingunt & tuentur impia dogmata, aut designant impudenter & impœnitenter scelerata facinora. Sed impij abutũtur ea ad damnandos pios. Quid ergo dicemus? Num quẽadmodum impij pronunciant pios esse excõmunicatos, & à Deo exhæredatos, ita Deus ratam habet sententiam eorũ? Minimè oĩm. Maledicent, inquit Psalmus, illi, & tu bñdices. Et Christus: Beati estis, cùm male dixerint uobis hoĩes, & dixerint omne malum uerbum aduersum uos, mentientes ꝓpter me. Etsi autem ea aduersa, quæ innocenti iniustè accidunt, excelsiori animo feruntur, quàm ea quæ nocenti iustè propter peccata accidunt, tamen iniusta excommunicatio, affert pijs grauissimum & acerbissimum dolorem. Qui enim eos excommunicant, non sunt homines,

Impij abutuntur excõmunicatione

homines abiecti, nec uideri uolunt se iniustè pios excommunicare, sed gloriantur se esse Ecclesiam & populum Dei, & iactant se excommunicare ipsos propter hæreses & blasphemias nominis Dei. De Stephano dicunt: Audiuimus eum dicentem uerba contumelioſa in Mosen & Deum. Aduersus Paulum clamant: Viri Israelitæ succurrite. Hic est ille homo, qui aduersus populum & legem & locum hunc omnes ubique docet. Hæc & id genus similia obiecta, etsi scias falsa esse, tamen sic in eo populo, qui se profitetur esse Ecclesiam Dei, audire, acerbissimum est, & excitat uarias cogitationes. Quid? Túne solus sapies? Quid? Putásne Deum deseruisse suam Ecclesiam, & soli tibi ueritatem patefecisse? Tot sapientes, tot honesti, tot docti uiri obsistunt tuæ sententiæ, & damnant eam. Existimas ne horum iudicium esse contemnendum? Hæc certè difficile est in animo superare, & in ueritate constare. Et tamen superari possunt, si te Spiritui sancto formandum & conseruandum obedienter prębueris. Sed de hoc mox dicemus, nunc uideamus alterum, quo impij declarant odium suum erga pios. Non solum, inquit, eijcient uos è Synagogis, & excommunicabunt uos, sed occident etiam uos, idque non simpliciter, sed uidebuntur occisione uestri, sese præstare cultum Deo. Scelerati, si quando ad publicam pœnam educuntur, habent qui commiserantur eorum calamitatem, & sunt qui precantur ipsis fœliciorem fortunam. Impij autem occident uos, ut catharmata & piacula. Existimabunt uestris supplicijs terram expiari. Nam quemadmodum Ethnici in publicis calamitatibus rapere solent ad supplicia aliquoties nocentes, aliquoties etiam innocentes hoïes, quorũ morte sentiunt se iram Dei placare, & terram purgare, ita impij grassabuntur etiam in pios, quos existimabunt tam sceleratos esse peccatores, ut quantò crudelius eos occiderint, tantò gratiorem Deo cultum præstent, ac maiorem tranquillitatem in terra procurent. Hęc commemorauit CHRISTVS, non quasi uana puerorum terriculamenta, sed quæ reipsa impleta sunt. Ac primùm, quod de Apostolis futurum dicit, hoc in ipso fieri cœptum est. In passione enim Barrabas latro prefertur CHRISTO. Et de CHRISTO immaniter clamant: Tolle, tolle, crucifige eum. Adeò contemptus fuit, inquit Esaias, ut auerterentur uultus ab eo. Deinde, quod capiti accidit, idem etiam membris eius accidit. Cùm Stephanus recitaret coram Concilio Apologiam suam, dissecabantur, inquit Lucas, cordibus suis, stridebant dentibus suis, & exclamantes uoce magna, continuerunt aures suas, ac impetum fecerunt in eum unanimiter, quẽ & eiectum è ciuitate, lapidârunt. Iacobus frater Ioannis occiditur gladio ab Herode, tanto populi fauore, ut Herodes uideretur hac cæde regnum suum firmasse. De Paulo clamabant: Tolle de terra hominem istiusmodi. Non enim phas est eum uiuere. Quid multa? Testantur Ecclesiasticæ historiæ, Ethnicos causas publicarum calamitatum non nisi in Christianos contulisse. Si Tyberis ascendit in mœnia, si Nilus non ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames, si lues, sta- *Tertullianus.*

Euſebius. tim acclamabatur, Chriſtianus ad leonem, aut, Tolle ſacrilegos. Iactabant publicæ leges in æs inciſæ, quòd ex quo Chriſtiani ſedibus ſuis, urbibúſque pellantur, aeris eſſet læta temperies, terræ fœcunditas abundantior, ac ſegetum copia uberior. Hæc ſunt ſuperiorum temporum. Non diſsimilia fieri his temporibus, manifeſtum eſt, quòd hi, qui agnoſcunt uerum & ſyncerum Euangelion Chriſti, primùm omnium excommunicentur ab Eccleſia. Deinde quoque publicis edictis in Romano Imperio proſcribantur. Hinc ſequuntur cædes multorum, non uirorum tantum, ſed & mulierum & uirginum, quos ideo crudelius trucidandos iudicat aduerſaria poteſtas, quia eam ſint doctrinam ſecuti, quæ bello ſuſcipiendo cauſam præbuiſſet. Quamobrem eos Turcis peiores iudicat multitudo aduerſariorum. Cùm decretum publicè fuiſſet, ut primo quoque tempore bellum Turcis inferretur, tùm audiebantur eorum uoces, non poſſe id bellum ſuſcipi fœliciter, niſi ea doctrina, quam ex Euangelio agnoſcimus, & qui eam ſectantur, prius deleantur. Nec fuerunt abiectæ ſortis homines, qui ſic opinabantur, ſed tales, qui & primas in Eccleſia tenent, & gloriantur ſe tanquàm Eccleſiæ nutricios, debere aduerſus prophanatores & ſacrilegos, gloriam atque maieſtatem nominis Dei Eccleſiæq; ſalutem tutari & conſeruare. Graue eſt quidem mortem ferre, ſed multò grauius eſt perferre & uincere has uoces eorum, qui ſic obluctantur exterritis metu ſuppliciorum. Quid tu, inquiunt, plus ne ſapere tibi arrogas, quàm tot in Eccleſia populi, nationes & proceres? Sed tamen peruinces, ſi te Spiritui ſancto docilem exhibueris. Primùm enim conſideranda eſt ueritas & certitudo Euangelij, quod prædicamus, & quod hoſtes noſtri perſequuntur. Certi enim ſumus, quòd Euangelion noſtrum, ſit uerè Euangelion illud, quod Prophetæ & Apoſtoli prædicauerunt, & quod Chriſtus ipſe Seruator noſter iuſsit in totum orbem terræ uulgari. Deinde conſiderandum eſt, quòd hi, qui damnant nos propter Euangelion, non ſint uerè populus & Eccleſia Dei, ſed potius Eccleſia Satanæ, & hoſtes Dei. Non moueat nos gloriatio & titulus eorum. Chriſtus enim dicit: Multi ſunt uocati, pauci uerò electi. Et Paulus: Non omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael, neq; quia ſunt ſemen Abrahæ, ſtatim omnes filij. Vnde & hoc loco addit: Hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrem, neq; me. Iactant quidem ſe eſſe populum Dei, & magno deſiderio expectare Meſsiam Dei. Sed neque Deum Patrem, neque me Filium & Meſsiam eius nouerunt. Quid? populus ne Dei, non nouit Deum? Populus ne Meſsiæ, non nouit Meſsiam? Habes hìc manifeſtum teſtimonium Chriſti. Quid ergo adhuc dubitas? Sed uideamus paucis, quomodo Deus cognoſcatur, quomodo etiam filius eius cognoſcatur, ut ſciamus qui ſint, qui nec Patrem nec Filium nouerunt. Primùm, Deus non cognoſcitur, niſi per filium ſuũ Ieſum Chriſtum. Deum, inquit Ioannes, nemo uidit, Filius unigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Et Chriſtus: Nemo, inquit, nouit Patrem, niſi Filius, & cuicunq; uoluerit filius reuelare. Et iterũ: Nemo uenit ad Patrẽ niſi

Conſolatio contra excommunicationem piorum.

Deus quomodo cognoſcendus.

niſi per me. Cùm igitur Iudæi perſequantur filium Dei, Ethnici ignorent filium Dei, & Turcæ negent ac abominentur filium Dei, perſpicuum eſt, quòd etſi omnes gloriantur de cognitione Dei, non tamen Deum cognoſcant, ſed potius ſint hoſtes Dei. Deinde CHRISTVS filius Dei non rectè cognoſcitur, niſi officium eius rectè cognoſcatur. Officium enim CHRISTI filij Dei eſt, expiare peccata, placare iram Dei, reconciliare homines cum Deo, ut adoptentur per fidem in filios Dei, & conſequantur gratis cœleſtem hæreditatem propter ipſum. Hoc autem officium CHRISTI ignorant, ac etiam odio habent tam Iudæi, quàm Pontificij. Iudæi enim quærunt in CHRISTO tantum externum regnum, interim autem ſentiunt ſe conſequi remiſsionem peccatorum, & placare iram Dei meritis operum Legis. Idem ſentiunt Pontificij, qui tribuunt meritis ſuorum operum expiationem peccatorum & uitam æternam. Quare etſi Pontificij gloriantur de CHRISTO filio Dei, tamen ignorant eum, & quia perſequuntur Euangelion eius, ſunt etiam hoſtes eius. Dices igitur: Si impij ſunt hoſtes Dei & filij eius, quid eſt, quòd Deus conniueat ipſis ad tantam crudelitatem, ut pios non ſolum proſcribant, uerumetiam immaniter trucident? Ne mireris. Hæc conniuentia ſuas habet cauſas. Primùm enim Deus conniuet ad tantam crudelitatem impiorum, ut hac occaſione doceat regnum filij ſui non eſſe mundanum. Ergóne, inquies, pij Principes, qui propulſant bellum propter Euangelij CHRISTI profeſsionem ipſis illatum, neceſſe habent trucidari, ſicut Apoſtoli trucidati ſunt, ut publicè declaretur regnum Chriſti non eſſe de hoc mundo? Alia eſt Chriſti & Apoſtolorum eius, alia Principum ratio. Vocatio Chriſti non erat, ut gladium geſtaret, & acciperet mundanum regnum. Sic nec Apoſtolorum, nec aliorum in Chriſtum credentium, quatenus quidem credentes ſunt, uocatio eſt, ut quantum ad Apoſtolatum & Chriſtianiſmum attinet, gladio utantur, & inuadant regna huius mundi. Quare non poſſunt hac ratione ſe gladio ab hoſtibus ſuis defendere, & uim illatam propulſare, ſed neceſſe habent eam ferre, niſi ea uel precibus coram Deo, uel à legitimo magiſtratu depellatur. Principum autem regnum eſt de hoc mundo, & uocatio eorum eſt gladium geſtare, ut defendant regna ſua ab hoſtibus, & tueantur ſubditos ſuos aduerſus latrones. Quare etſi Principes non agent perpetuam uitam in hoc mundo, & ſoli Deo cognitum eſt, quo mortis genere finituri ſint hanc uitam, tamen ſi fuerint pij per fidem in CHRISTVM, & ambulauerint in uocatione Dei obedienter, certè quemadmodum Deus promiſit Dauidi ambulanti in ſua uocatione & defendenti populum Dei gladio, fœlicem ſucceſſum bellorum ſuorum aduerſus hoſtes ſuos, ita etiam promiſit pijs Principibus ſuo officio ex fide fungentibus aduerſus ſuos hoſtes uictoriam, ut poſsint cum Dauide dicere: Benedictus DOMINVS DEVS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum. Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor

Deus cur conniueat ad crudelitatem impiorum.

meus & liberator meus. Protector meus, & in ipso speraui, qui subdis populum meum sub me. Deinde Deus conniuet ad crudelitatem impiorum erga pios, ut quò plus affliguntur pij in terra, eò maius præmium accipiant in cœlo: Gaudete, inquit, & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Tantæ enim sunt ærumnæ piorum, ut nullum terrenum regnum possit rependere. Quare rependentur regno cœlesti. Sunt & multæ aliæ causæ, propter quas Deus conniuet ad crudelitatem impiorum. Sed hæ in præsentia sufficiunt, & recensuimus alias alijs in locis copiose. Quid autem hoc sibi uult, quòd CHRISTVS tam diligenter prædixit Apostolis & Ecclesiæ suæ, quid ipsis ab impijs sit euenturum? De hac re audi quid sequatur:

Christus quæ prædixerit Apostolis & Ecclesiæ calamitates.

» Hæc, inquit, locutus sum uobis, ut cùm uenerit tempus illud, remi-
» niscamini eorum, quòd ego dixerim uobis. Hæc autem uobis ab ini-
» tio non dixi, quia uobiscum eram. Nunc autem uado ad eum, qui mi-
» sit me, & nemo ex uobis interrogat me, quò uadam. Sed quia hæc
» locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Quòd Chri-

stus dicit, habet hanc sententiam: Dixi quidem antea aliquoties, quòd maneant uos multa tristia in hoc mundo. Dixi, me emittere uos sicut oues in medio luporum, & uos tradendos in concilia, & cædendos flagris, ac demùm morte afficiendos propter nomen meum, nunquam aũt hactenus tantam seueritatem in exponendis calamitatibus in uos uenturis adhibui, quanta me hoc tempore uti uidetis. Cùm enim ego adhuc externam uitę consuetudinem uobiscum agerem, non erat opus multis cohortationibus, quippe quòd aut totus impetus persecutionis in me uertebatur, aut si quid aduersi uobis accideret, ego præsens uobiscum, tuebar uos, & conseruabam uos illæsos. Vnde & infrà ait: Cùm essem cum eis in mundo, ego seruabam eos nomine tuo. Postquàm autẽ nunc discessurus sum ex hoc mundo ad Patrem, uisum est uobis omnia, quæ in uos euentura sunt aduersa, diligenter exponere. Quid ergo? Num exponit ea, ut conficiat eos metu, & sollicitet ad defectionem? Nihil minus. Sed, Ne quid, inquit, offendamini, ne si hæc euenerint, existimetis meum Euangelion uanum esse, & deficiatis. Nam quemadmodum peritus dux belli narrare solet militibus suis multitudinem hostium, & armaturam eorum, non ut eos à militia deterreat, sed potius ut excitet eos, quò se diligentius aduersus hostes muniant, & fortius inuadant: ita CHRISTVS commemorat suis uentura pericula, non ut reddat eos meticulosos, sed ut faciat prouidos, ne imparati opprimantur. Apud Lucam dicit CHRISTVS: Quis est ex uobis, qui uelit turrim ædificare, quin prius sedens computet sumptus, an habeat quibus opus est ad perficiendum? Et addit: Quis rex proficiscens ut committat prælium aduersus alterum regem, nónne sedens prius cogitat, an possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum uiginti millibus uenit contra se? His exemplis cohortatur CHRISTVS suos, ut uentura pericula cognoscant, quò se in tempore ad ea excipienda & sustinenda præparent. Sed quomodo, inquis, præparabimus nos ad ferenda pericu-

pericula, quæ propter Euangelion nobis imminent & accidũnt? Primum, cognoscenda est, sicut antè diximus, ueritas & certitudo Euãgelij de Christo, & sectanda est uocatio eius. Si enim de ueritate eius dubitaueris, nihil certè periculorum forti animo feres. Deinde, utendum quidem est donis Dei, quæ habemus, iuxta uocationem eius, attamen omnia nostra ita abneganda sunt, ut sentiamus nos ea deserturos potius quàm CHRISTVM & Euangelion eius negaturos. Si quis, inquit CHRISTVS, uenit ad me, nec odit patrem suum, nec matrem, & uxorem & filios, & fratres & sorores, præterea autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et mox: Omnis ex uobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Postremò orandum est sedulò, ne intremus in tentationem, inuocandus est Deus Pater per Iesum Christum filium suum, ut ipse nos in omnibus aduersis tueatur & conseruet. Non enim tantæ sunt uires nostræ, ut possimus in assultu afflictionum firmi constare. De cœlo nobis auxilium ueniat necesse est. Cœleste autem auxilium impetratur oratione per IESVM CHRISTVM. Quare sine intermissione orandum ut Deo curæ simus, & ab ipso in omnibus aduersis defendamur. Sed priusquàm CHRISTVS pergit discipulos suos consolari, reprehendit præposterum eorum mœrorem. Nemo, inquiens, ex uobis interrogat me, quò uadam, sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum: hoc est, dixi me abiturum, dixi me moriturum. Hæc uox tanta tristicia uos affecit, ut existimetis de salute uestra actum esse. Et tamen debuisset uos potius excitare, ut interrogaretis, quò abirem, & quam utilitatem meus abitus afferret. Doletis tantùm de abitu, & non inquiritis necessitatem & utilitatem abitus mei. Prorsus nostrum ingenium. Affligitur quispiam morbo, hoc tantum dolet, quòd molestus est morbus, non requirit, quæ sit morbi commoditas, & quo consilio Deus morbum immiserit. Alius premitur paupertate, Dolet igitur & conqueritur tantum de graui onere paupertatis, non autem cogitat, non interrogat, ad quid ualeat paupertas, & quæ sit eius utilitas. Affligimur his temporibus duro & periculoso bello, quod Romanus Pontifex infert nobis propter professionem piæ doctrinæ. Magna autem hominum pars conqueruntur tantum de iactura facultatum, quas bellũ absumere solet. Nec inquirunt quod sit consilium Domini in hoc bello. Quare, ne fiamus digni reprehensione, de aduersis casibus ita dolendum est, ut excitemur ad quærendas causas & fines eorum. Nulla enim aduersa accidunt nobis, nisi diuina uoluntate. Deus autem permittit, ut aduersa nobis accidant, uel propter peccatum nostrum, uel propter iusticiam nostram, uel tantùm ad illustrandam gloriam nominis sui. Quæcunq; causa afflictionis fuerit, certè quod ad diuinum consilium attinet, finis optimus est. In Euangelista Ioanne quærũt discipuli de cæco à natiuitate, num ipse, an parentes eius peccassent, ut cæcus nasceretur? Sed Christus respondet, hanc afflictionem non

Anno 1546.

conti-

contigisse ei propter peccatum uel parentum, uel ipsius, sed ut manifestentur, inquit, opera Dei in illo. Si autem immiserit afflictiones propter peccatum, tunc immittit eas hoc consilio, ut inuitet ad agnitionem peccati, & ad quærendam salutem: Viuo ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Quòd si uerò contingunt afflictiones propter iusticiam, non cõtinguntut pereamus, sed ut magna Dei clementia seruemur, & nomen Dei illustretur: Beati, inquit, qui persecutionem patiuntur propter iusticiam. Et: Gandete & exultate, si insectati uos fuerint homines, ꝓpter me, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Dicam de prẽsenti rerum statu. Infertur nobis hoc tempore à Romano Pontifice & socijs eius grauissimũ & crudelissimum bellum. Hæc est magna afflictio. Etsi autẽ sumus coram Deo peccatores, tamen Pontifex non infert nobis bellum, ꝓpter peccata nostra. Non enim excitauit suos, ut nos armis inuadant, ꝙ sint inter nos adulteria, ebrietates, helluationes, execrationes, & id genus alia scelera, sed ꝙ agnouerimus Euangelion CHRISTI, & fugiamus idolatriam & impietatem Romanorum Pontificum. Hæc est iusticia. Iustum enim est Euangelion CHRISTI agnoscere, & idolatriam fugere. Et quantò plus id feceris, tantò iustius facis. Quæramus igitur consilium DOMINI in huius belli afflictione. Inueniemus autem consilium DOMINI in uerbo eius. De impio, cogitante internecionem piorum, & suscipiente bellum aduersus eos, qui sectantur piam doctrinam dicit Psalmus septimus: Ecce parturit iniusticiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipsius iniquitas eius descendet. Et alius Psalmus: Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus qui das uindictas mihi, & subdis populos sub me: Liberator meus de inimicis meis iracundis. Et ab insurgentibus in me, exaltabis me, à uiro iniquo eripies me. Et iterum: Iniusti disperibunt, simul reliquiæ impiorꝝ interibunt, Salus aũt iustorum à DOMINO, & protector eorum in tempore tribulationis. Ex his & alijs locis scripturæ manifestum est consilium DOMINI etiam in hoc præsenti bello, quod nobis hostes propter piam doctrinam inferunt. DOMINVS enim meditatur hoc bello interitum hostium, qui tot annis reuelatam lucem Euãgelij non solum non agnouerunt, sed etiam crudeli persecutione conati sunt extinguere. Et quod priuatis persecutionibus non potuerunt efficere, hoc nunc conantur publico & immani bello. Meditatur quoque dilatationem Euangelij sui, ut pij ueram salutem consequantur. Quare, etsi hostes nostri minantur nobis grauissima, tamen defigendi sunt oculi nostri in consilium DOMINI, & benè confidendum est, quòd qui Israelitas ad uocationem suam in mare rubrum ingressos, incolumes conseruauit, nos quoque in hoc bello, quod hostes aduersus uocationem Dei susceperunt, nostri

Afflictionum ratio.

ſtri autem ex legitima & uerè diuina uocatione propulſant, liberaturus ſit per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA XLI.

AGIT Edum, amiciſsimi, pergamus & hodie in explicanda ea concione, quam Chriſtus ad conſolandos non ſolum Apoſtolos ſuos, uerumetiam uniuerſam ſuam Eccleſiam ſuſcepit. Quid enim magis ſalutare facere poſſumus, quàm uerbum filij Dei ſeruatoris noſtri, non una tantũ diei hora, ſed diu noctuq; meditari? Poſtquàm igitur Chriſtus reprehendit diſcipulos, q̃ cùm audiuiſſent de abitu ſuo ex hoc mundo, doleant tantum, non aũt inquirant, quò abeat, aut quam utilitatem abitus eius afferat, exponit nunc ipſe, quæ ſit abitus eius utilitas, ut non tam dolorem eorum mitiget, quàm ueram rationem regni ſui doceat. Ego, ueritatem, inquit, dico uobis: Expedit uobis ut ego uadam. Si enim non abiero, paracletus nõ ueniet ad uos. Sin autem abiero, mittam eum ad uos. Quid? Obſtat ne corporalis præſentia Chriſti aduentui & actioni Spiritus ſancti? An non habuerunt Apoſtoli ſpiritum ſanctum, quandiu Chriſtus coràm præſens fuit? Quid ergo eſt, quod dicitur: Non eſtis uos loquentes, ſed ſpiritus Patris ueſtri, qui loquitur in uobis. Et: Caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. Pater autem reuelat filium per ſpiritum ſuum ſanctum? Negari non poteſt, quin diſcipuli acceperint ſpiritum ſanctum, cùm baptiſarentur à Ioanne, & audirent Euangelion à Chriſto. Cùm enim baptiſmum & Euangelion acceperint fide, fides autem ſit ſpiritus ſancti opus, perſpicuum eſt, q̃ habuerint ſpiritum ſanctum etiam cùm Chriſtus adhuc præſens cum ipſis externam uitæ conſuetudinem ageret. In hoc autem loco, cùm dicit ſpiritum ſanctum non uenturum, niſi abeat, non loquitur de uulgaribus illis ſpiritus ſancti donis, quæ unicuiuis pio ad ſalutem neceſſaria diuinitûs per prædicationẽ uerbi Dei dantur, ſed loquitur de admirandis illis donis Spũs ſancti, quæ data ſunt diſcipulis in die Pentecoſtes, & quibus inſtitutum & cõfirmatum eſt miniſterium prædicandi & uulgandi Euangelij de CHRISTO in totum orbem terræ. Quod igitur CHRISTVS dicit, habet hanc ſententiam: Non eſt uobis dolendum, quòd abeam. Dolendum potius eſſet, ſi non abirem. Nam ſi non abirem, paracletus non ueniret, hoc eſt, nõ inſtitueretur in die Pentecoſtes admirandis donis Spiritus ſancti publicum miniſterium Euangelij de regno CHRISTI. Quomodo enim dies feſtus Pentecoſtes rectè pro noua Chriſtianiſmi ratione peragi poſſet, ſi non præcederet magna feria ſexta, dies Paſchæ, & dies Aſcenſus in cœlum, uidelicet, ſi non præcederet mea Paſsio, mea Mors, mea Reſurrectio, meus Aſcenſus in cœlum, & ſeſsio ad dexteram DEI Patris? Hæc ſi non fierent, tunc peccata non expiarentur, Patris ira non placaretur, mors non uinceretur, & cœleſtis uita cum hominibus non communicaretur.

Abitus Chriſti utilitas.

Nunc autem si abiero, omnia hæc ita perficiam, ut etiam in toto orbe terrarum publica Euangelij prædicatione patefiant. Dices iterum: Si expedijt Christum abire, non expedijt ipsum uenire. Certè multum utrumque expedijt. Et aduentus & abitus Christi habent suam utilitatem atq; etiam necessitatem. Christus enim aduentu suo factus est homo, prædicauit Euangelion suum, & edidit miracula, quibus omnibus comprobauit se eum esse Messiam, qui ab initio mundi expectatus & per Prophetas adnunciatus sit. Hæc fuerunt necessaria ad complenda uaticinia Prophetarum, & consilium Dei, quod de mittendo filio in terram decretum fuerat. Christus autē suo abitu expiauit peccata, meritus est nobis iusticiam, inchoauit nouam uitam, & fecit nos suos coheredes in regno cœlesti. Fuerunt & hæc ad absoluendam salutem nostram necessaria. Quare & aduentus & abitus eius sunt nobis salutares. Et quanquam horribile sit uidere Christum rapi ad tam crudelia supplicia, tamen quia per ea ingreditur Christus in suam gloriam, & affert nobis summam & perpetuam salutem, agnoscenda est grato animo clementia Dei patris erga nos, quòd maluerit unigenitum filium suum in tam graua supplicia conijcere, quàm ad æternam nostram internecionem conniuere. Etsi autem cum Christo, qui est summum donum Dei, nullum aliud donum conferendum est, tamen quia in nomine doni conueniunt, idcirco, quod Christus dixit de suo abitu: Expedit uobis, ut ego uadam, idem aliqua ex parte de ablatione aliorum donorum sentiendum est, uidelicet, quod expediat, ut aliquoties à nobis auferantur. Non est nobis nunc sermo de donis, quæ impijs collata sunt. Cùm enim hi non habeant Christum per fidem, nihil est eis salutare, siue conferantur in ipsos dona, siue auferantur. De pijs loquor, quibus omnia adiumento sunt in bonum. Deus confert in eos diuitias, confert potentiam, confert uitam corporalem. Et mox, quæ contulit, iterum auferre solet. Dedit Iobi magnas diuitias, quas ei iterum abstulit. Dedit Dauidi regnum Israelis, è quo tamen Dauid per filium suum Absolomum eijciebatur. Dat uitam corporalem, & tamen iterum aufert eam. Quid sibi uult hæc uicissitudo? Expedit, ut det, Expedit ut auferat: Dominus dedit, inquit Iob, Dominus abstulit, Sit nomen Domini benedictum. In dando uult Dominus agnosci suam clementiam & bonitatem. In auferendo uult agnosci suam potestatem, & probare nostram obedientiam ac fidem. Nec enim aufert quicquam, ut non restituat. Et quēadmodum Christus abstulit corporalem suam præsentiam à discipulis, non ut eos desereret, sed ut maiori gloria & commodo ad ipsos reuerteretur, & perpetuò conseruaret: ita solet auferre à suis sua dona, nō ut inferat damnum, sed ut maius lucrum conferat. Quare etsi donorum Dei ablatio commouet dolorem, tamen utilitas eius ablationis diligenter consideranda est, ut dolor mitigetur, ac etiam penitus abijciatur. Si abiero, inquit, mittam eum ad uos. Quod promittit in die Pentecostes implendum erat. Quid ergo Spūs sanctus in die Pentecostes mittendus

Aduentus & abitus Christi collatio.

Donorum Dei ablatio maioris lucri oblatio.

perfici,

perficiet? Sequitur. Cùm uenerit ille, arguet mundum de peccato, de "
iuſticia & de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me. De "
iuſticia uerò, quia ad Patrem uado, & poſthac non uidetis me. De iudi- "
cio autem, quia Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Arguet, in- "
quit, mundum. Etſi arguere ſignificat aliâs reprehendere, tamen cùm
Chriſtus ſuſceperit hoc loco explicandam ueram rationem regni ſui in *Arguere mũdum officium ſpiritus ſancti.*
hoc mundo, utitur uerbo arguendi iuxta eam ſermonis figuram, qua
Prophetæ Eſaias & Michæas in deſcribendo regno eius uſi ſunt. Hi em
de regno Chriſti ſcribentes, ita loquuntur: Iudicabit Gentes, & AR-
GVET populos multos. Et Eſaias iterum: Iudicabit in iuſticia paupe *Eſaiæ 2.*
res, & ARGVET in ęquitate pro manſuetis terrę. Hac figura loquen *Mich. 4.*
di ſignificant Prophetę, Chriſtum accepturum regnum inter homines,
& gubernaturum iuſtè & clementer: ſicut & aliâs dicunt eum regnatu-
rum in iuſticia & iudicio. Eſaias ait: Super ſolium Dauid, & ſuper regnũ
eius ſedebit, ut cõfirmet & corroboret illud in iudicio & iuſticia. Et Hie
remias: Suſcitabo Dauid germen iuſtum, & regnabit rex, & ſapiens erit,
& faciet iudicium & iuſticiam in terra. Cùm igitur hoc loco Chriſtus di *Miniſterij Euangelici inſtitutio.*
cit, quòd Spũs ſanctus ARGVAT mundum, ſignificat, quòd Spiri-
tus ſanctus inſtituat in die Pentecoſtes miniſterium uulgandi Euange-
lij, quo regnaturus ſit in toto orbe terrarum. Arguere enim & punire
ſcelera, una eſt è prȩcipuis partibus adminiſtrationis regni. Et nemo fer
re poteſt, ut arguatur, niſi ab eo, qui poteſtatem habet & dominationẽ.
Quare bene conuenit, ut uerbo arguendi intelligamus regnum & do-
minationem. Cùm ergo Spiritus ſanctus inſtituat regnum Chriſti in
mundo, uideamus quomodo ſuo officio defungatur. Sunt autem tres
partes officij in legitimo regno. Vna eſt, punire ſcelera, ut honeſta uita
inter homines conſeruetur. Altera eſt, ut fiat iuſticia, hoc eſt, ut iuſta bo
norum cauſa publicis ſentẽtijs approbetur, & boni in ſua iuſticia defen-
dantur, & iuſticiæ ſuæ fructum ac mercedem accipiant. In adminiſtra-
tione enim regni iuſticiam facere, ſignificat, bonos & probos ciues tue-
ri, & cauſam eorum rectam approbare, ut probitatis ſuæ fructum capi-
ant. Tertia pars eſt, ut fiat iudicium, hoc eſt, ut mali coherceantur, ne bo
nis noceant, & ut propulſetur uis ac iniuria hoſtium à ceruicibus ciui-
um, quo unuſquiſque ſub uite & ficu ſua ſecurè habitet. Habes officia,
quæ in legitimo regno neceſſaria ſunt. Quid igitur dicemus de Spiritu
ſancto? Num quia inſtituet regnum Chriſti in hoc mundo, inſtituet eti-
am hæc officia regni? Semper enim iam inde abinitio orbis terræ tale
regnum inter homines exoptatum & expectatum eſt, in quo & ſcelera
legitimè punirentur, & iuſticia ac iudicium fierent, quo tam publica
quàm priuata eſſet honeſtas ac tranquillitas. Sed nullum unquã inter
homines tale extitit, in quo omnia rectè adminiſtrarentur. Fuerunt qui
dem potentiſsimæ Monarchiæ, fuerunt etiam aliquoties iuſti & pru-
dentes Monarchæ. Sed hic mundus ſemper ſceleratior & furioſior eſt,
quàm qui humana gubernatione in ordinem redigi potuerit. Promiſ-
ſum igitur eſt regnum Chriſti filij Dei, in quo uerè fiat iudicium & iu-

ſticia, & in quo omnes boni ſumma tranquillitate fruantur. In diebus, inquit, illis ſaluabitur Iuda, & Iſrael habitabit confidenter. Et iterum: Orietur in diebus eius iuſticia, & abundantia pacis. Ac mox: Liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet. Quid ergo dicemus: Spiritus ſanctus inſtituit regnum Chriſti in die Pentecoſtes. Ergóne inſtituit etiam adminiſtrationes de peccato, de iuſticia & de iudicio, ſicut neceſſe eſt fieri in legitimo regno? Certè inſtituit, non autem pro mundani, ſed pro cœleſtis regni ratione. De qua re audiamus Chriſtum ipſum: Arguet, inquit, mundum de peccato, de iuſticia & de iudicio. Hoc eſt: In meo regno, quod dilatabitur in toto mundo, tractabitur quidem de his tribus partibus officij, ſed longè alia ratione, quàm in mundanis regnis fieri ſolet. Primùm igitur Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato, quia non credunt, inquit, in me. Nam in regnis mundanis habentur ea tantum pro peccatis, quæ ſunt publicè ſcelerata, quæ etiam externis ſuis ſupplicijs puniuntur. Impietatem in Chriſtum filium Dei, quæ eſt ſummum peccatum, regna mundana non curant, imò fieri ſolet, ut iudicent eam pro ſumma pietate. Sicut ſuprà dixit CHRISTVS: Veniet tempus, ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo. Euangelion autem, quod Spiritus ſanctus illuſtrauit in die Pentecoſtes, & quo adminiſtratur regnum CHRISTI in mundo, etſi damnat etiam externa peccata, tamen nullum habet negocium cum externis ſupplicijs, & damnat maximè omnium incredulitatem in filium Dei, ac minatur propter hoc peccatum perpetuam pœnam inferni. Qui credit in eum, inquit, non condemnatur. Qui autem non credit, iam condemnatus eſt. Et iterum: Qui credit filio, habet uitam æternam. Qui uerò non credit filio, non uidebit uitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Ac rurſus: Prædicate Euangelion omni creaturæ. Qui crediderit & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui uerò non crediderit, cõdemnabitur. Quid igitur dicemus? Pugnántne mundana regna, cum regno Chriſti, quòd illis tantum curæ ſint externa peccata & corporalia ſupplicia, huic autem curæ ſit impietas in filiũ Dei, & ſpirituale ſupplicium? Non ſunt aduerſa, ſed tantum diuerſa regna. Nam etiam mundana regna diuinitûs ſunt conſtituta. Et neceſſarium eſt ad conſeruandam humanam ſocietatem, ut externa peccata externis ſupplicijs puniantur. Accedit huc, quod & in regno Chriſti ſeu Euangelio arguuntur & puniuntur externa ſcelera. Sed magnum eſt inter hęc diſcrimen. In mundanis enim regnis non arguuntur ſcelera propter incredulitatem in CHRISTVM, nec arguuntur ut agnoſcantur & remittantur, ſed propter incommoda, quæ ex ipſis humano generi in hac terra accidunt, & ut corporali ſupplicio puniantur. In regno autem CHRISTI ſeu Euangelio arguuntur ſcelera propter impietatem in Chriſtum, & arguuntur, ut agnita per fidem in CHRISTVM remittantur. Impietas enim in CHRISTVM filium Dei, id demùm ſcelus eſt,

Eccleſiaſtici miniſterij tres partes.

Arguere de peccato.

eſt,propter quod damnatur non ſolum omnis humana iniuſticia, ſed etiam iuſticia, & ꝓpter quod oēs impĩj obnoxĩj ſunt æterno ſupplicio, etiāſi fuerint in humano iudicio iuſtiſsimi. Contra aũt, fide in Chriſtũ ea donatur iuſticia,ut ꝓpter eam omnia peccata remittantur, & conſequamur æternã uitam,etiāſi nullũ eſt noſtrum meritũ coram Deo. Quare perſpicuum eſt,ꝙ regnum Chriſti non ſit mundanum,ſed relinquat quidem mũdanis regnis ſuam de peccatis & ſupplcĩjs eorꝝ adminiſtrationem,ipſum aũt occupetur in reuelanda & damnanda impietate in filium Dei,ut hoĩes ea agnita,reſipiſcant,& fide in Chriſtum ueram ſalutem conſequantur. Deinde ait: Spũs ſanctus arguet mundũ de iuſticia, quia ad Patrem uado,& poſthac me non uidetis: hoc eſt, In regno Chriſti adminiſtrabit Spũs ſanctus iuſticiam per Euangelion, Sed longè alio modo,ꝙ̃ in regnis mundanis. In his eĩm cùm Princeps uult adminiſtrare iuſticiam,uadit ad tribunal,audit litigatores,accuſatorem & reum,& cuius cauſam iuſtam cognouerit, eam ſententia ſua approbat & tuetur. Sed quantula eſt hæc pars iuſticiæ? & quàm paucis contingit? In regno autem Chriſti uera adminiſtratur iuſticia. Quomodo? quia Vado, inquit,ad Patrem. Ego adminiſtraturus iuſticiã,non uado ad externũ aliquod tribunal,ſed uado ad Patrem. Ego nũc moriar, & iterũ reſurgam, ac ſedebo ad dextram Patris. Quibus rebus fit,ut expiem peccata,impetrem adoptionem,& interpellem apud Patrem, ut quotquot in me credunt,reputentur coram Deo iuſti, adoptentur in filios Dei, & ſeruẽtur in oĩbus malis ad æternam uitam. Hoc eſt uerè adminiſtrare iuſticiam. Ieſus Chriſtus Dñs noſter,inquit Paulus,traditus eſt ꝓpter peccata noſtra,& excitatus eſt ꝓpter iuſtificationem noſtri. Et iterũ: Quis intentabit crimina aduerſus electos Dei? Deus eſt, qui iuſtificat. Quis ille, qui cõdemnet? Chriſtus eſt,qui mortuus eſt,imo qui & ſuſcitatus eſt,qui eſt etiam ad dextram Dei,qui & intercedit pro nobis. Ac rurſus: Ieſus Chriſtus factus fuit nobis ſapientia à Deo,iuſticiaq̃ & ſanctificatio & redemptio. Et iterꝝ: Eum,qui nõ nouit peccatum,pro nobis peccatum fecit,ut nos efficeremur iuſticia Dei per illum. Ex his perſpicuum eſt, ꝙ Chriſtus uadendo ad Patrem,hoc eſt,moriendo,reſurgendo, & ſedendo ad dextram Dei, impetrauerit nobis uerã coram Deo iuſticiam, ut omnis qui credit in eum,etſi adhuc peccatum habet,tñ reputetur ꝓpter Chriſtum coram tribunali Dei iuſtus, & fiat hæres oĩm cœleſtium bonorũ. Hæc eſt noſtra iuſticia: nec eſt alia,qua poſsimus ſeruari. Qui hac iuſticia caret,iniuſtus eſt coram Deo, etiamſi habeat in hoc mũdo omnes iuſtiſsimas cauſas,& reputetur honeſtiſsimus. Qui autem hanc iuſticiam habet,ſeruatur, etiamſi in hoc mundo tanquam impĩſsimus condemnetur. Poſtremo, Spiritus ſanctus arguet mundũ de iudicio, quia Princeps huius mũdi iam iudicatus eſt,hoc eſt,in regno Chriſti adminiſtrabitur etiam ſuũ iudicium,ſed longè alio modo,quàm in regnis mundanis. In his enim dicitur adminiſtrari iudicium,cùm Princeps accingit ſe ad bellum,& opprimit hoſtem,ne ciues lędantur, ſed ducant tranquillã uitam. Ac magnum quidem beneficiũ eſt, tutum eſſe ab hoſtibus mundanis,& in tranquillitate uiuere. Sed nondũ ſumus uerè tuti & liberati,

Arguere de iuſticia.

Arguere de iudicio.

etiamsi nullum habeamus externum hostem. Donec em̃ Satan, hoc est, aduersari⁹ is ueræ & perpetuæ salutis nostræ uixerit, & liberè uagetur, manent nos quouis momento extrema pericula. Quare Christus suscepit uerum iudiciũ administrãdum in suo regno, ut perpetuò seruemur. Quod ergo est illud iudiciũ? Non suscipit carnale bellum aduersus carnales hostes, sed suscipit bellum cum Principe huius mundi, qui est Satan, quem & ita opprimit & uincit, ut etiamsi ille maximè cupiat, tñ non possit amplius populo suo nocere. Satan em̃ uerus & perpetuus est humani generis hostis. Et obambulat quasi leo rugiens, quærens quẽ deuoret. Nec insidiatur tm̃ uitæ corporali, sed maximè oĩm æternæ saluti hominum. Et est potentissimus spũs. Nec habet unum tantũ angelum seu ministrum, sed innumerabiles. Vnde & Paulus uocat eos principatus, potestates, dominos mũdi, rectores tenebrarum seculi huius, & spirituales astucias in cœlestibus. Quare, donec Satan cum angelis suis dominatur in mundo, nulla potest hominibus uera & constans tranquillitas contingere, etiamsi oẽs externi hostes & latrones oppressi fuerint. Sed bene habet: Sententia condemnationis, pnunciata est aduersus Satanam iam inde ab initio orbis terræ, cùm dictũ est: Semen mulieris cõteret caput tuum. Hoc mulieris semen est Iesus Christus Dñs noster, qui Satanam ita iudicauit, cõdemnauit, & contriuit, ut quotquot in Christũ credunt, perpetuam securitatem cõsequantur. Quid ergo? Num Satan à Christo ita contritus est, ut prorsus interierit, nec amplius uiuat? Viuit quidem adhuc, sed uiuit iudicatus, uiuit condemnatus, uiuit ligatus catenis noctis, sicut Petrus ait. Ac meditatur quidem adhuc hoĩbus pernicie, quã etiam infert, si cathena ei laxata fuerit, sed est in potestate Christi, nec potest cuiquam sine Christi uoluntate aut permissione nocere. Nam quẽadmodum ferox ursus magna catena fortissimi uiri manu ligatus & seruatus, non potest quenquam lædere, nisi aut temerè propius accesseris, aut custos catenam remiserit: ita Satan tenetur manibus Christi, Domini nostri omnipotentis, durissima catena ligatus, nec potest in quenquam grassari, nisi te ultrò ei ingesseris, & Christus eum soluerit. Tunc autem ingeris te ipsi ultrò & temerè, cùm peccata designanda susceperis, cùm affectui peccati cesseris. Quare conferamus omnes curas & cogitationes nostras in hoc studium, ut in Christo maneamus, & peccata fugiamus. Sic enim fiet, ut à Satana tuti, fœliciter ex omnibus periculis euadamus, per Iesum Christum seruatorem nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XLII.

MAGNA SVNT, ac planè cœlestia, quæ Filius Dei de regno suo concionari cœpit. Dixit, in regno suo longè aliam esse administrationem de peccato, de iusticia, & de iudicio, q̃ in regnis mundanis. Sed hæc sunt maiora & excellentiora, q̃ quæ discipuli in pręsentia capere potuerint. Inebriati. n. opiniõe & expectatione mũdani regni nõ intelligebãt quę dicebant de spirituali regno Christi. Accedebat prę-

terea dolor, quem ex cõmemoratione diſceſſus Chriſti cõceperant, præ quo non ſatis aduertebant animum ad uerba Chriſti. Quare Chriſtus intermittit hoc argumentũ cõcionis, & iterũ pollicetur eis doctorem & cõſolatorem ſpũm ſanctum. Adhuc multa, inquiens, habeo, quæ uobis dicam, ſed non poteſtis nunc portare. Cùm aũt uenerit ille, qui eſt ſpũs ueritatis, ducet uos in oẽm ueritatem. Non. n. loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunq; audierit, loquetur, & quæ futura ſunt, adnunciabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & adnũciabit uobis. Oĩa quæcũq; habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, q̃ de meo accipiet, & adnunciabit uobis. Multa, inquit, habeo, quæ uobis dicam, ſed nõ poteſtis nunc portare. Hoc dicto impiè abutuntur hoſtes piæ doctrinæ Pontifices, & Monachi, ad confirmandas humanas ſuas & impias de ſacrificio Miſſæ, de purgatorio, de inuocatione mortuorũ, de diſcrimine ciborum, de indulgentijs Pontificijs, deq; multis alijs nugis traditiones. Dicunt Chriſtum non uoluiſſe hæc diſcipulis tradere, ſed reieciſſe ad reuelationem Spũs ſancti, qui tradiderit ea Pontificibus & Monachis. Sed quia hæc manifeſtè pugnant cum uera doctrina Chriſti & Apoſtolorũ, quẽadmodum mox indicabimus, nihil ineptius, nihil incogitantius dici poteſt, quàm q̃ Spiritus ſanctus ea Monachis reuelauerit. Nam q̃d ſtatim de Spũ ſancto ſequitur, perſpicuè indicat, Spũm ſanctum non docturum aliena ab Euangelio Chriſti, & pugnantia cũ doctrina eius, ſed planè ea ipſa, quæ Chriſtus docuit, illuſtraturum & confirmaturum. Quare percurremus ea, quæ ſequũtur, ut palàm cognoſcamus, quæ ſint multa illa, quæ Chriſtus noluerit in hac concione pluribus perſequi. Cùm uenerit, inquit, ille, qui eſt Spũs ueritatis, ducet uos in oẽm ueritatem. Quemadmodum in ijs locis, in quibus antea facta eſt mentio de Spũ ſancto, tam natura q̃ officium Spiritus ſancti nobis cognoſcenda proponuntur, ita & in hoc loco utrunq; de Spiritu ſancto obſeruandum uenit. Quod enim ad naturam & eſſentiam eius attinet, ſicut Chriſtus in inſtitutione baptiſmi agnoſcit eum Patri & ſibi æqualem: Baptiſantes, inquiens, in nomine Patris & Filij & Spũs ſancti, ita & hoc loco tribuit ei eandem cum ipſo maieſtatem. Ducet, inquit, uos in oẽm ueritatem. Hoc certè eſt opus diuinæ maieſtatis. Et: De meo accipiet. Aequalis igitur eſt eſſentiæ cum Chriſto. Et: Me glorificabit. Quomodo poſſet Chriſtum glorificare & illuſtrare, ſi eſſet eo minor? Ad Patrem dicit poſtea Chriſtus: Glorifica filium tuũ, ut & filius tuus glorificet te. Hìc tribuitur Patri opus glorificandi filij. Cùm igitur & Patris & Spũs ſancti idem ſit opus maieſtate, dubiũ non eſt, quin ſint eiuſdem eſſentiæ. Itaq; Spũs ſanctus eſſentia ſua uerus eſt & æternus Deus. Et tñ non eſt eadem perſona, ſed diſtincta à Patre & filio, id quod & hoc loco manifeſtè docetur. Dicit. n. Ille, uidelicet Spũs, glorificabit ME: & omnia quæcũq; habet PATER, mea ſunt. Habes hìc tres diſtinctas perſonas, Patris & filij & Spiritus ſancti. Hæc pauca nunc de natura Spũs ſancti ſufficiunt. Accedamus ad officium eius. Primùm enim, Spiritus ſancti officium eſt, Apoſtolos docere omnem ueritatem: Ducet uos, inquit, in omnẽ ueritatem. Quam, obſecro? Num Geometricam, an geoponicam, an politicam, an œconomicam?

Traditionũ humanarum prætextus Pontificium.

Spiritus ſancti officium.

Multa enim sunt ueritatis genera. Etsi autē Spūs sanctus est omniscius, tamen hic non fit sermo de quauis ueritate, uel politica, uel philosophica, sed de ueritate religionis, de uera religione, qua cōsequimur cœlestē iusticiā & salutem. Humanas ueritates de rebus huius seculi, ratio ipsa humana suis naturalibus uiribus cognoscere potest. Sed in cognoscēda ueritate religionis, qua iustificamur corā Deo, & seruamur in morte ad æternam uitam, opus est Spū sancto. Hic ergo oēm de religione ueritatem ita docebit, ut extra eā nulla alia de religione doctrina sit agnoscenda. Sed unde habebit, ꝙ sit docturus omnem ueritatem? Sequitur: Nō loquetur à semetipso, sed quæcunꝙ audierit, loquetur. Hæc est manifesta antithesis spiritus sancti, & spūs Satanæ. Nam de spū Satanę aliàs dicit: Cùm loquitur mendacium ex proprijs loquitur. Satan idcirco spūs mendacij est, ꝙ quę loquitur, ex seipso finxit. Spiritus sanctus autem est spūs ueritatis, quia quæ loquitur, ea non finxit ex semetipso, sed audiuit à Patre & filio. Procedit enim ab utroꝙ. Quare quæ loquitur, ea sunt uerissima ac diuina. Deinde officium spūs sancti est glorificare seu illustrare Christum. Ille me, inquit, glorificabit. Quare spūs, qui non illustrat, sed obscurat Christum, non est spiritus ueritatis, sed spūs mendacij. Spiritus sanctus aūt ideo illustrat Christum, quia de meo, inquit, accipiet. Procedit non solum à Patre, uerumetiam à me. Omnia enim quæ Pater habet, mea sunt. Habet aūt Pater Spiritum sanctū. Quare & meus est spiritus sanctus, & non docet ea quæ me obscurant, aut mecum pugnant. Sed priusquàm ad reliqua pergamus, hoc dictum, Omnia quę Pater habet, mea sunt, diligentius est considerandum. Valet enim ad confirmandam fidem in oībus afflictionibus, ac in morte etiam ipsa. Christus eē donat se totum ei, qui credit in ipsum, & cooptat eum in suum cohæredem. Accepistis, inquit Paulus, spūm adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, ꝙ simus filij Dei. Quòd si filij Dei, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quòd si sumus cohæredes Christi, operęprecium est considerare, quæ sit eius hæreditas, cuius cum ipso, in ipso, & ꝓpter ipsum participes sumus. Omnia, inquit, quæ Pater habet, mea sunt. Pater autem habet æternā iusticiam. Ergo & Christus habet eam. Si Christus eam habet, habemus & nos eam, quotquot in Christum credimus, & cohæredes eius sumus. Quare si iudicium peccati conturbat conscientiam nostram, confidendum est iusticia Dei ęterna, quæ nostra propter Christum facta est. Si paupertas molesta est, habemus diuitias Christi, ergo & Dei. Si mors imminet nobis, habemus uitā Christi, ergo & Dei. Omnia eē quæ habet Pater, sunt Christi, & ꝓpter Christum etiam nostra. Hæc meditanda sunt noctu diuꝙ, ut sciamus, quò coram tribunali Dei constare possimus. Quod cùm ita se habet, pergamus ad aliud officium spiritus sancti. Non solū docebit præterita, & illustrabit Christum præsentem, uerumetiā adnunciabit, (inquit) uobis futura. Itaꝙ faciet ex uobis doctores & Prophetas. An nō hoc insigne est officium Spūs sancti? An qui hoc officium facit, non esset diuina maiestate præditus? Sed uideamus nunc quando & quomodo hæc de Spiritu sancto impleta sunt,

Spiritus sanctus, spiritus ueritatis.

quæ

quæ Christus hîc promittit. Notæ aũt & perſpicuæ ſunt res geſtæ in die Pentecoſtes, q̃ die miſſus eſt Spũs ſanctus, & cœpit in eccleſia ea p̃ficere, quæ in hoc loco de ipſo prædicant. Inſtituit. n. & confirmauit doctrinã Euangelij de Ieſu Chriſto, ut uulgaretur per Apoſtolos in toto orbe terrarũ. Audiamus igitur ſummã Apoſtolicę doctrinę, quæ in die Pentecoſtes illuſtrata eſt, ut cognoſcamus, quę ſint illa MVLTA, quæ Apoſtoli nõ potuerunt antea portare, etiamſi ea ſępe audiuiſſent, ſed cognouerũt ea poſtea per Spũm ſanctum. Primùm de perſona Chriſti, & uſu ſeu officio eius. Prædicauit. n. Ieſus Chriſtus ante paſsionem & reſurrectionẽ ſuã, ac teſtificatus etiã eſt multis & magnis miraculis, ſe uerũ eſſe Meſsiam, ac uerum & unigenitũ filium Dei, hoc eſt, Deum ipſum. Hoc etſi Apoſtoli audiuerunt & fide acceperunt, tñ non rectè intellexerunt, nec firmam & ſtabilem aſſenſionem habuerunt. In die aũt Pentecoſtes cognouerũt, autore Spũ ſancto, tanta certitudine Ieſum eſſe uerum Chriſtum ſeu Meſsiam, & uerũ ab æterno Deum, ut non ſolum ipſi firmo animo aſſenſerint, ſed etiam publicè in toto orbe terrarũ, extremis uitæ ſuæ periculis, cõſtantiſsimè uulgauerint. Prędicauit etiam Chriſtus ante paſsionem & reſurrectionem ſuã, q̃ quicunq̃ crederet in ipſum, cõſequeretur ętternam uitam. Sed Apoſtoli etiam hoc oſcitanter admodum perceperunt. Poſtq̃ autem miſſus eſt Spũs ſanctus in die Pentecoſtes, tantam huius uſus Chriſti cognitionem acceperunt, ut nullum aliũ ſeruatorem præter Ieſum Chriſtum & agnouerint ipſi, & docuerint alios. Petrus in prima concione, quam in die Pentecoſtes noĩe omnium collegarum ſuorum, qui coràm adſtabant, habebat, ſic ait: Certò ſciat tota domus Iſrael, q̃ Dñm & Chriſtum fecerit Deus hunc Ieſum, quẽ uos crucifixiſtis. Et poſtea: Hic eſt ille lapis, qui reiectus eſt à uobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, nec eſt in alio quoquã ſalus. Nec. n. aliud nomẽ eſt datum inter hoies, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Et iterum: Huic omnes Prophetæ teſtimoniũ ferunt, q̃ remiſsionem peccatorum accipiat per nomen eius, quiſquis crediderit in ipſum. Quod cùm ita ſe habet, manifeſtum eſt, q̃ is ſpiritus, qui docet Ieſum non eſſe uerũ Meſsiam, nec eſſe uerũ Deum, nõ ſit ſpiritus ſanctus, ſed ſpiritus mendax, qualis eſt Thalmudicus, Mahumeticus, & Arrianus. Manifeſtum etiam eſt, q̃ is ſpiritus, qui tradit ſacrificium Miſſæ eſſe meritum remiſsionis peccatorum, & Ignem purgatorium eſſe expiationem pro peccatis, & alia opera eſſe merita æternæ uitæ, non ſit ſpiritus ſanctus, ſed ſpiritus mendax. Si enim Chriſtus ſolus eſt expiatio pro peccatis noſtris, & nos participes ſumus Chriſti, per fidem, perſpicuum eſt, quòd ſacrificium Miſſæ, & merita uel actionum uel paſsionum, non expient peccata. Quare traditiones Pontificum & Monachorum, de meritis Miſſarum, de Igne purgatorio, decq̃ id genus alijs nugis, non ſunt numerandę inter MVLTA illa, quæ Chriſtus dixit Apoſtolos non potuiſſe, antequàm Spiritus ſanctus mitteretur, portare, & quæ Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes reuelauit, ſed inter ea numeranda ſunt, quæ Paulus dixit ſpiritus impoſtores & dæmones poſterioribus temporibus Eccleſiæ obtrũſuros. Deinde uideamus de Regno CHRISTI. Nam Chri-

Quæ fuerint ea, quæ diſcipuli ante miſsionẽ ſpiritus ſancti non potuerunt intelligere.

De perſonâ & officio Chriſti.

De regno Christi.

ſtus multa prędicauit ante paſsionẽ de regno ſuo, & haud obſcurè ſignificauit, regnum ſuũ non eſſe mundanum, ſed ſpirituale, in hoc quidem ſeculo multis aduerſis obnoxium, in futuro aũt fœliciſsimum & perpetuum. Audiebant & hęc Apoſtoli, ſed quicquid diceretur de regno, hoc ipſi ad mundanũ regnum accõmodabant. Poſtq̃ autem miſſus eſt Spiritus ſanctus, apertè cognouerunt, & prędicauerunt regnum Chriſti eſſe ſpirituale & cœleſte, non carnale aut terrenũ. Oportet, inquit Petrus, Ieſum Chriſtum accipere cœlũ uſq̃ in tempora reſtitutionis oĩm, quæ locutus eſt Deus per os omnium ſanctorũ ſuorum à ſeculo Prophetarũ. Quare doctrina Romani Pontificis de poteſtate ſua, quam ſibi in mundanis regnis uſurpat, & gloriatur ſe id facere autoritate Apoſtolica, nõ eſt doctrina Spũs ſancti, ſed ſpiritus mendacis, qui hoc commento uerum regnum Chriſti obſcurat. Prętera, Chriſtus ſæpe ac multum ſignificauit ante mortem ſuam, q̃ lex Moſi abroganda eſſet, & Gentes ęquandæ Iudæis, & q̃ Euangelion ſuum diuulgandum eſſet in totum orbem terræ, ut quotquot ſiue circumciſi ſiue incircumciſi credant in Chriſtũ, reputentur coram Deo iuſti, non propter merita operum, ſed tantum propter Chriſtum, qui fide accipitur. Audiuerũt & hæc Apoſtoli, non tamen intellexerunt, ſed exiſtimauerunt, nullum poſſe fructum Chriſti capere, niſi onuſtum meritis operum legis, ideoq̃ etiam poſt diem Pentecoſtes non uoluerunt accipere in communionem Chriſti Ethnicos, niſi antè Iudæos factos circunciſione. Sed Spiritus ſanctus tam uiſionibus quàm miraculis clarè docuit, non eſſe diſtinctionem uel Iudæi uel Græci. Eundem enim Dominum omnium diuitem eſſe in omnes inuocantes ſe, quemadmodum teſtantur Acta Apoſtolica cap. 10. 11. & 15. & Paulus ad Romanos & Galatas. Quare neceſſe eſt eam doctrinam, quã tradiderunt Pontifices & Monachi de meritis operum, non eſſe è Spũ ſancto, ſed è ſpiritu mendaci. Poſtremo Spũs ſanctus non tantũ docuit Apoſtolos ea, quæ antea audiuerant, uerũetiam adnunciauit eis futura. Itaq̃ facti ſunt per Spiritum ſanctum Prophetæ. Non prophetarunt autem de regnis mundanis, de ſucceſsione & mutatione regnorum mundanorum, aut alĳs corporalibus rebus, ſicut quondam Prophetæ ante aduentum Chriſti prophetarunt. In ueteri enim teſtamento promiſſus erat Chriſtus uenturus è certo populo, & è certa familia, eaq̃ regia, ac naſcendus in certo loco: Promiſſum etiã erat, Euangelion Chriſti uulgandum è certo loco in totum orbem terræ. Ad has res neceſſaria eſt certa & definita populi ſedes, certa regio, & regnum. Quare neceſſariũ etiam fuit in ueteri Teſtamento, ut Spũs ſanctus excitaret Prophetas, qui exponerent certitudines regnorum terrenorum, & mutationes eorum, ut manifeſtum fieret in quo regno, in qua regione, & quo tempore Chriſtus ab initio orbis promiſſus, aduenturus, & quærendus eſſet. Poſtq̃ autem Chriſtus uenit, non eſt ad ſalutem neceſſaria cognitio de ſtatu regnorum mundanorum. Regno enim Chriſti & Euangelio eius non eſt definita certa ſedes in terra, ſed datus eſt ei in poſſeſsionem uniuerſus orbis terræ: Ite, inquit, in totum orbem terræ, & prædicate Euangelion omni creaturæ. Et: In omnem terram exiuit ſonus eorum,

De abrogatione legis & exæquatione Iudæorum & Gentium.

De perſecutionibus Eccleſiæ, de extremo iudicio & uita æterna.

&

& in fines terræ uerba eorum. Ac promiſſum quidem eſt, Reges terræ fore miniſtros & nutricios Eccleſiæ: plurimum etiam refert ad ſalutem Regum ac Principum, ut agnoſcant Chriſtum, & ſint membra regni Chriſti, non eſt autem certus locus, certa regio, certum regnum Eccleſiæ Chriſti definitum, ſed in quocunq; loco aut regno prædicatur Euangelion Chriſti, ibi eſt Eccleſia & regnum eius: nec pertinet ad Eccleſiam, quis ſit Monarcha in terra, & quę ſint ſucceſsiones ac mutationes regnorum & monarchiarum in hoc ſeculo, ſed quicunq; regum accipit Chriſtum, Deo gratus eſt & acceptus. Etſi enim Eccleſia maiorem habet externam tranquillitatem, ſub Rege aut Monarcha pio, & agnoſcente etiã ipſo Chriſtum, tamen ſiue rex pius ſiue impius fuerit, Eccleſia ſemper erit martyr, hoc eſt miſera & calamitoſa in hoc ſeculo. Oportet em̃ nos per multas tribulationes ingredi in regnum cœlorum. Et: Omnes qui piè uolunt uiuere, perſecutionem patientur, ſi non à rege & magiſtratu, certè à ſuis ipſorum uicinis & amicis. Quare Spiritus ſanctus non adnunciauit Apoſtolis ea quæ in terra futura erant de regnis mundanis, & de mutationibus eorum, ſed adnunciauit ea, quæ propriè ad Eccleſiã pertinent, uidelicet, de perſecutionibus, quas Eccleſia neceſſe habet in hoc ſeculo ferre, ſiue magiſtratus pius ſiue impius fuerit, de Antichriſto, de aduentu Chriſti ad extremũ iudicium, & de uita æterna piorum, ac perpetua damnatione impiorũ. Audi Petrum prophetantẽ: Erunt inter uos falſi doctores, qui clam inducent ſectas perniciosas, etiam Dñm, qui illos mercatus eſt, abnegantes. Et iterũ: Veniet dies Dñi, ſicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem tranſibunt, elementa uerò ęſtuantia ſoluentur. Audi & Ioannem: Filij, nouiſsimũ tempus eſt, & ſicut audiuiſtis, q̃ Antichriſtus uenturus ſit, etiam nunc Antichriſti multi eſſe cœperunt. Vnde ſcimus nouiſsimum tempus eſſe. Audi & Paulum: Spũs certò loquitur, q̃ in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide attendentes ſpiritibus impoſtoribus. Et iterũ: In extremis diebus inſtabunt tempora periculoſa. Erunt enim hoĩes ſui amantes, auari, faſtuoſi, ſuperbi, maledici, & reliqua quæ ſequuntur. Ac rurſus: Non adueniet Dñs, niſi uenerit defectio prius, & reuelatus fuerit homo ille ſceleroſus filius perditus. Vides Apoſtolos nihil de regnis huius mundi prophetaſſe, ſed ea, quæ propriè pertinent ad Eccleſiam Chriſti. Quare noſtri officij eſt, non ea ſcrutari uelle, quę de mundanis regnis in hoc ſeculo euentura ſunt, ſed præparare nos ad glorioſum aduentum Dñi noſtri Ieſu Chriſti, in quo ſolo noſtra perpetua ſalus conſiſtit. Habes quanta ſit autoritas Apoſtolicæ doctrinæ, quæ in die Pentecoſtes reuelata & confirmata eſt per Spũm ſanctum. Nam cùm eius doctrinæ autor ſit Spũs ſanctus, perſpicuum eſt, q̃ omnes alię doctrinę, quæ cum hac pugnant, ſint doctrinæ dæmoniorum. Damnatur igitur doctrina Thalmudica, Mahumetica, Papiſtica, & quicquid eſt harum doctrinarũm. Neq; em̃ licet nobis contra Apoſtolicam doctrinam, uel angelos aliud docentes, uel miracula aliud promittentia agnoſcere. Sola Apoſtolica doctrina, in die Pentecoſtes Apoſtolis reuelata & confirmata, ea eſt, quæ nobis ueram ſalutem oſtendit, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſęcula, Amen.

DIxit Christus aliquoties, se abire quidem, non tñ desertur⁹ discipulos suos, sed rediturum maximo ipsor⁹ commodo. Hanc consolationem repetit nunc, sed alia figura sermonis, ut quod afflictis utile est, sæpe ac multum proponatur considerandum. Est autem obseruabilis cõsolatio, & digna, quæ in illustrem locum posita sit, & cui sanctificatus sit proprius dies dominicus, quo singulis annis publicè in Ecclesia recitatur. Non solum enim consolatur Apostolos, sed etiam uniuersam Ecclesiam in suis afflictionibus, & exponit ueram rationem omniũ afflictionum, quæ pijs accidere solent. Quare magno studio cognoscen da est. Pusillum, inquit, & non uidetis me, & iterum pusillum, & uidebitis me, quia ego uado ad Patrem. Nihil nec noui, nec obscuri dicit. Idem enim est, quod antea dixit: Si abiero ad parandum uobis locũ, iterum ueniam & assumam uos ad meipsum. Et iterum: Non relinquã uos orphanos, ueniam ad uos. Ac rursus: Expedit uobis, ut ego uadã. Dicit ergo: Pusillum, & non uidetis me, hoc est, post paucas horas capiar, & abducar à uobis, ac crucifigar. Itaq; carebitis aliquot diebus mea præsentia, & magna tristicia afficiemini. Sed confidite: Iterũ pusillum, & uidebitis me. Resurgam. n. à morte, & reuelabo me uobis post meã resurrectionẽ, ut manifestè cognoscatis me ad Patrem iuisse, me diuina maiestate ornatũ esse, & cœlesti fœlicitate frui: quę res afferet uobis maximũ gaudium. Etsi aũt hęc uerba Christi, si ad ea quę prius dicta erant, cõferantur, nullã continent obscuritatem, tñ discipuli nõ intelligunt ea. Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se: Quid est hoc, q̃d dicit nobis: Pusillum, & non uidetis me, & rursus pusillum, & uidebitis me, & quia uado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, q̃d dicit pusillum? Nescimus quid loquatur. Audis discipulor⁹ ruditatem & tarditatem. Quid ergo accidit eis, q̃ tam perspicua uerba non intelligant? Primùm, relicti erant suæ ipsorum humanæ prudentiæ, quæ ad intelligendum uerbum Dei, quamuis clarum, prorsus cæca est. Docemur igitur hoc exemplo, quòd ad intelligendum uerbum Dei necessarius nobis sit Spũs sanctus. Animalis homo, inquit Paulus, non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Et iterum: Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Quare siue audituri sumus, siue in præsentia audiamus uerbum Dei, semper petendum est à Deo Patre Domini nostri Iesu CHRISTI, ut illustret mentes nostras Spũ sancto suo, quo ea quæ è sacra scriptura audimus, seu legimus, rectè ac uerè intelligamus. Nec dubitandum est, quin Deus seriò, diligenter & ex fide inuocatus beneficium Spiritus sancti largiatur. Si uos, inquit Christus, cùm sitis mali, nostis bona dona filijs uestris dare, quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum poscentibus se? Deinde, Apostoli inebriati erant opinione & expectatione mundani regni & terrenæ fœlicitatis. Non pollicebantur sibi de Christo nisi corporalia & iucunda in hoc seculo beneficia. Quare non intelligunt, quæ de cruce, de afflictione, de mœsticia, & morte dicebantur. Suscipit igitur CHRISTVS uerba sua ipse interpretanda. Cognouit enim Iesus, quòd uellent ipsum in-

Afflictionũ omnium uera ratio.

Spiritus sanctus necessarius ad intelligendũ uerbũ Dei.

De ignorantia discipulorum uerbũ Dei, de illa fuerit tam crassa &c.

terrogare,& dixit eis:De hoc quæritis inter uos,qd dixi,Pusillum & nō uidetis me,& iterum pusillum & uidebitis me.Amen amen dico uobis, "plorabitis & lamentabimini uos,Mundus contrà gaudebit.Vos autem "mœrore afficiemini,sed mœror uester conuertetur in gaudiū. Non est "obscura interpretatio.Cùm.n.dicit:Non uidetis me,significat se morte ab ipsis abiturum.Quæ res excitabit in eis magnū mœrorem,ploratum & lamenta. Cùm uerò dicit: Iterum uidebitis me, significat se iterum à morte resurrecturum,quod afferet eis ingens gaudium,& maximā læticiam. Describit autem Christus hoc loco apertissimè, quæ sit sors,quæ pars,quæ hæreditas Ecclesiæ suæ in hoc seculo.Plorabitis,inquit,lamẽtabimini,& mœrore afficiemini.Sententia lata est,nec retractari potest. In mundo,ut postea sequitur,afflictionem habetis. Et Paulus: Omnes, inquit,qui piè uolunt uiuere in Christo Iesu persecutionẽ patientur.Negari quidem non potest, quin & impij habeant suas afflictiones & cruces, quippe ꝙ uniuersum humanum genus obnoxium sit aduersis propter peccatum.Ad omnes em̃ homines pertinet,quod dictum est: Maledicta terra in opere tuo: In laboribus comedes ex ea cunctis diebus uitæ tuę.Et:In sudore uultus tui uescēris pane tuo.Accedit &hoc,ꝙ Deus sæpe ac multum soleat impios etiam in hoc seculo uarijs calamitatibus propter impietatem affligere.Quare sui quoq; sunt impiorꝝ ploratus& lamenta. Sed maximum est discrimen inter piorum & impiorꝝ afflictiones in hoc seculo. Cùm enim impij aut scelerati affliguntur, habent qui casus ipsorum commiserantur. Vide mihi uel furem uel latronem, quẽ lictores ad publicum supplicium educunt. Etsi enim homines detestantur scelera eorum, tamen & excusant & dolent de ipsorum supplicio,& optare solent,ut meliori fortuna uterentur.Cùm autem pij affliguntur, primùm quidem finguntur de ipsis horrenda & immania flagitia: deinde id planè accidit eis,quod Christus dicit: Mundus gaudebit. Hostes enim Ecclesiæ Dei magno gaudio afficiuntur, si quando uiderint pios affligi,& quò crudelius trucidantur pij, eò sanctius putant illi terram expiari. An non manifestum huius rei exemplum proponitur nobis in Christo & Apostolis eius? Christus capitur & crucifigitur,Apostoli eius disperguntur,& lugent. Hîc ergo uideas ingentem impiorum læticiam & insultationem:Sperauit,inquiunt,in Deum,Liberet eum nunc, si uult.Et: Alios seruauit,seruet seipsum, si est Christus ille Dei electus. Sed idem testantur exempla omnium seculorum, tam antè quàm post Christum. Dauid uehementer conqueritur de suis hostibus, ꝙ maximo afficiantur gaudio,de aduersis quæ ipsi accidunt: Dilatauerunt,inquiens,super me os suum,dixerunt.Euge,euge,uiderūt oculi nostri. Et mox: Erubescant & reuereantur simul,qui gratulantur malis meis.Ac rursus: Auertantur retrorsum, & erubescant, qui uolunt mihi mala.Auertātur statim erubescentes,qui dicunt mihi:Euge,euge.Sic cùm affligerentur ciues urbis Hierusalem, qui erant populus & Ecclesia Dei, Ammonitæ plauserunt manu,concusserūt pedibus, gauisi sunt ex toto corde,dixerunt: Euge,euge: Sanctuarium pollutum est, terra Iuda desolata est. Dixit & Tyrus de Hierusalem: Euge, euge, confractæ sunt

Ecclesiæ sors in mundo.

Afflictiones piorum & impiorum quid differant.

Ezech. 25.

portę populorum. Post Christum autem, quanto gaudio affecti sint impij, in infœlicitate Ecclesiæ Dei, testatur Christus ipse, cùm ait: Veniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Et quid sibi solennes illæ uoces Ethnicorum de Christianis, Ad Leonem. Et: Tolle Sacrilegos, aliud significant, quàm incredibile esse gaudium impiorum, de afflictione Ecclesiæ Dei? Cùm igitur pij non solum ipsa crucis duritia, uerumetiam impiorum lætitia affligantur, magnum est discrimen inter piorum afflictiones & uulgares humani generis calamitates. Sed quid? Num afflictiones Ecclesiæ Dei sunt perpetuæ? Num perpetuus est mœror eius? Nihil certè minus. Mœror, inquit, uester uertetur in gaudium. Breuissimum dictum, sed latissimè patens. Opponitur aũt & gaudium mœrori huius mundi. Gaudet mundus, sed gaudium eius uertitur in perpetuũ mœrorem, ideoq; in mœrore desperat. Mœret Ecclesia Dei, sed mœror eius uertitur in perpetuum gaudium, ideoq; in mœrore optimè cõfidit. Obsecro autem te, quid illud est, quo Ecclesia certa redditur, q; mœror eius uertatur in gaudiũ, & quo firmã de uenturo & æternum duraturo gaudio fiduciam concipit? Num concipit eam ex humana ratione? Minimè omnium. Nam si ex hac de euentu mœroris iudicauerit, pronunciabit eum esse sempiternum. Videtur enim afflicto, ac præsertim doloribus mortis comprehenso, si prudentiæ suæ relictus fuerit, mœrorem nunquam ullum finem habiturum, & cruciatus perpetuos fore. Cùm enim non uideat adiutorem in terra, & in rebus humanis, putat nec in cœlo, nec in diuinis rebus ullum reliquũ esse auxilium. Quare non est iudicandum de euentu mœroris ex humana ratione, aut ex præsenti doloris sensu. Quò ergo respiciendum est? Non certè aliò, q; quòd Christus suos Apostolos remittit. Iterum, inquit, ueniam ad uos, uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrũ nemo tollit à uobis. Hæc est concio de Resurrectione Christi. Nam Resurrectio Christi à mortuis, firmissimũ pignus est, quo certi reddimur, q; quicunq; in Christum credit, non pereat in mœrore, sed habeat æternam uitam. Nihil enim certius est, quàm quòd Christus resurrexit tertia die à mortuis, & sedit ad dextram Dei, consecutus non solum liberationem ab omnibus doloribus mortis & inferni, uerumetiam cœlestem & perpetuam fœlicitatem. Christus, inquit Paulus, excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi non amplius dominatur. Et iterum: Humilem præbuit semetipsum factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus extulit illum in summam sublimitatem, ac donauit illi nomen, quod est supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu se flectat cœlestium, terrestrium, & infernorum. En, hęc est maiestas & fœlicitas, in quam cõmutatus fuit dolor & mœror, quem Christus in passione, cruce & morte sua habuit. Non est autem sentiendum, quòd Christus resurrexerit, & cœlestem fœlicitatem acceperit sui solius gratia, sed quẽadmodum mortuus est propter peccata nostra, ita etiam resurrexit ppter iustificationem nostri, ut quotquot in ipsum credunt, capiant cum ipso perpetuum fructum resurrectionis eius. Ose as dicit: Viuificabit nos post biduum. In die tertio faciet nos resurgere, &

Afflictiones Ecclesiæ an sint perpetuæ.

Resurrectio Christi docet mœrorem Ecclesiæ conuertendum esse in gaudium.

& uiuemus ante faciem eius. hoc est, Sicut Christus resurget tertia die, ita nos fruemur eius resurrectione, ut æternam habeamus uitam. Christus ipse dicit: Iterum ueniam & assumam uos ad meipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Et Paulus: Christus, inquit, resurrexit ex mortuis, primitiæ eorum, qui dormierant, fuit. Postquàm enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Et iterum: Spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quòd simus filij Dei. Quòd si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Siquidem si mul cum eo patimur, ut & unà cũ illo glorificemur. Ac rursus: Cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Et iterum: Cùm essetis mortui per delicta, & per præputium carnis uestræ, simul cum illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta. Vides hunc esse fructum Resurrectionis Christi, quòd mœror Ecclesiæ uertatur propter Christum in perpetuum gaudium. Quare hæc summa sit cura nostra, hoc sit studium nostrum, ut simus membra Ecclesiæ Christi, (id quod fit per fidem in Christum) & ut ponamus nobis ob oculos Resurrectionem Christi, quę certissimum pignus est, mœrorem nostrum non fore perpetuum, sed mutandum in cœleste gaudium. Porrò, ut in mœsticia maiorem habeamus consolationem, & ipse futuræ læticiæ patienter aduersa feramus, ostendit Christus typum Resurrectionis, & consequendæ læticiæ in mœsticia, depictum esse in muliere prægnante, & parturiente. Mulier, inquiens, cùm parit, dolorem habet, quia uenit hora eius. Cùm autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea q̃ gaudeat hominem esse natum in mundo. Et uos igitur nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Obseruabile exemplum. Ac initio magnam affert consolationẽ pijs mulieribus, quòd Christus hoc loco de dolore partus earum concionatur. Significat enim, q̃ dolor partus non temerè accidat mulieribus, sed accidat eis diuina ordinatione. Etsi enim omnes homines, qui ex Adamo descẽdunt, cõcipiuntur & nascuntur in peccato, & nonnullæ impudicæ mulieres concipiunt liberos ex illegitimo & scelerato concubitu, tamen partus ipse & dolor partus sunt diuina ordinatio. Multiplicabo, inquit Deus ad mulierem, ærumnas tuas cùm conceperis, & in dolore paries filios. Quanq̃ autem hic dolor maledictio est propter peccatum, tamen postq̃ Christus expiauit peccatum, mutata est hæc maledictio in benedictionem, ut ijs mulieribus, quæ credunt in Christũ, dolor partus fiat propter Christum crux sancta, in qua Deo placeant, & à Deo conseruentur. Mulier, inquit Paulus, seducta, facta est obnoxia transgressioni, salua tamen fiet per generationem liberorum, si manserit in fide, dilectione, & sanctificatione cum castitate. Quare prægnantes & parturientes mulieres reuocent in dolore partus sui hoc dictũ Christi in memoriam, & inuocent Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut quam ipse imposuit crucem mitiget: & cùm sit propter Christum filium suum propitius factus miseris mulierculis, conseruet eas clementer in summa ipsa-

Resurrectionis Christi typus depictus in muliere prægnante & parturiẽte.

Consolatio mulierum.

rum periculo. Deinde considerandum est, q̃ Christus definiat hoc exẽplo, quid sit dolor piorum, uidelicet, quòd sit dolor mulieris prægnantis. Qualis ergo est hic dolor? Certè dolor mortis est: & mulieres partui propinquæ, morti propinquæ esse uidentur. Sed quid? Num Deus imposuit prægnãtibus hunc mortis dolorem, ut uitã amittant & pereant? Minimè oĩm. Tantus quidem dolor partus est, ut mulieres eo laborantes existiment de uita sua actum esse. Sed ecce tibi, pro una morte redditur duplex uita, mulieris uidelicet, & filioli: Cùm peperit puerũ, inquit, iam non meminit anxietatis. Talis etiam est dolor piorũ. Magna est grauitas afflictionis eorum. Et in media afflictione uidetur de salute ipsorũ actum esse, adeoq̃ id fieri solet, quod Ezechias dicit: Venerunt filij usq̃ ad partum, & non est uirtus pariendi. Sed mane paulisper, & ueniet pro una afflictione duplex gaudium, ac pro maximo dolore, maxima consolatio. Nam quemadmodum tantus est dolor mulierum parturientium, ut eo uideatur genus humanum periclitari, & tamen nõ perit hoc dolore, sed potius conseruatur, ita tantæ sunt calamitates, quæ accidunt Ecclesiæ Dei, ut uideatur in ijs peritura, & tamẽ euadit per eas ad summam salutem, idq̃ nulla humana potentia, sed tantum potentia Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, cui resurrectioni Ecclesia per fidem ita coniuncta est, ut ab ea ne morte quidẽ auelli queat. Dices autem: An nõ moriuntur sæpe mulieres in partu? an nõ accidit aliquoties, ut & mulier parturiens, & filius nascendus unà in partu intereant? Vbi ergo manet mulieris gaudium? Hæc nõ est ociosa aut superuacanea interrogatio. Sicut eñ mulieres parturientes aliquoties moriuntur in partu, & nullũ uidentur consequi gaudium: ita & pĩj, uel tandem in hoc mundo aut occidũtur, aut unà cum alijs hoĩbus morte intereunt. Vbi ergo est illorum gaudium? Dicamus igitur primũ de mulieribus. Exẽplum enim, quod Christus proposuit, nõ in hoc producitur in mediũ, ut significetur oẽs mulieres partu laborantes, fœliciter parere, & externũ gaudiũ cõsequi. Mortua est in partu sancta mulier Rahel, uxor Patriarchæ Iacob. Moriuntur & quædã aliæ mulieres tam piæ q̃ impiæ in partu. Sed in hunc usum producitur istud exemplum, ut ostendatur, quid generaliter, iuxta cõmunem rerum cursum fiat. Generalis Dei ordinatio est, ut dolorem in partu, sequatur nato filiolo gaudium. Mulier aũt, si uelit, efficere potest, ut etiamsi diuersum acciderit, & necesse habeat in partu unà cum filiolo mori, uerum gaudium consequatur, si non corporale, & euanidũ, certè spirituale, cœleste & perpetuum. Initio enim mulieres prẽgnantes cogitare debent, se gestatione uteri & partu, uersari in diuina ordinatione. Etsi enim quædã impudicæ mulieres concipiunt illegitimè, tamen ipsa uteri gestatio & partus est diuina ordinatio. Deinde, quod est oĩm hoĩm officium, agnoscere debent peccata sua, & credere in Christum, quòd propter ipsum Deus sit propicius & remittat peccata. Adhæc inuocare debent Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ut propter Christum adiuuet ipsas in summo suo periculo. Postremo suscipiant se sobolem, quam Deus daturus est, ad cognitionem Christi, pro uirili sua educaturas esse. Deus enim dat parentibus liberos, nõ ut educent terre-

nos

Dolor piorum, dolor prægnantis mulieris.

Cur mulieres aliquando in partu extinguantur? Item partus ipsi?

Mulieres prægnãtes.

nos tantum ciues, & ut liberi sectentur uanitatem huius mundi, sed ut educent cœlestes ciues, & liberi cognoscant uerũ Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, per spiritum sanctum, quæ sola cognitio, uita est æterna. Hæc si prægnantes mulieres fecerint, nullam faciunt iacturam in partu, siue uiuant, siue moriantur. Si enim non consequuntur corporale & externum gaudium, nihil certius est, quàm q̃ consequantur in Christo Iesu cœleste & perpetuum gaudium, cuius nõ inima pars non est æquanda uniuerso huius mundi gaudio. Sic etiam sentiendum & dicendum est de omnibus ijs, qui magnis & extremis periculis obijciuntur. Primum enim, siue temerè te in pericula conieceris, siue legitimè in ea incideris, diuinitûs immittuntur. Quare cogites te in sustinendis periculis & afflictionibus uersari in diuina uocatione. Deinde agnoscas peccata tua, & credas in Iesum Christum, q̃ hic solus sit expiatio peccatorum, & iusticia tua. Præterea, inuoces Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, ut te propter filium suũ Iesum Christum seruet. Postremo suscipias uitam tuam, diuina spiritus sancti gratia, regendam & gubernandam iuxta uerbum Domini, ut declares gratitudinem tuam erga Deum seruatorem nostrum. Hęc si feceris, fieri non potest, quin magnũ dolorem sequatur maius gaudium, si non terrenum, certè cœleste: si nõ humanum & euanidum, certè diuinum & perpetuum. Itaq̃ nullam facies iacturam, siue uita siue mors sequatur. Nullus nostrum, inquit Paulus, sibi ipsi uiuit, & nullus sibi ipsi moritur. Nam siue uiuimus, Domino uiuimus, siue morimur, Dño morimur. Siue igitur uiuamus siue moriamur, Domini sumus. In hoc enim Christus & mortuus est & resurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. Et iterũ: Mihi uita, Christus est, & mors lucrum. Hæc diligenter meditanda & facienda sunt in omnibus aduersis, ut ea fortiter feramus, & fœlicem eorum euẽtum nobis certò polliceamur, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXXIIII.

MAGNA piorum consolatio est, quòd mœrorem ipsorum certum sequatur gaudium, idque minimè simplex & euanidum, sed cœleste & perpetuum. Gaudebit, inquit, cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis. Etsi enim in hoc seculo nullum gaudium solet esse diuturnum, sed quemadmodũ suæ sunt uicissitudines hyemis & æstatis, noctis & diei, pluuiæ & serenitatis, ita suæ etiam sunt successiones tristiciæ & læticiæ, mœroris & gaudij: tamen gaudium, quod pij concipiunt ex cognitione Christi, & resurrectionis ac regni eius, non est momentaneum aut mutationi obnoxium, sed est sempiternum, quod in hoc quidem mundo suam habet imbecillitatem, in uenturo autem seculo perficietur absolutissimè, & durabit perpetuò. Quare committendum non est, ut in mœrore abijciamus Christum, sed potius, ut tantò diligentius Christum per fidem conseruemus, quantò grauior est afflictio, quò uerum gaudium consequamur & conseruemus. Ac de his quidem hactenus. Nunc autem commemorat Christus alia beneficia, quæ collaturus est post mœrorem in

Apoſtolos & Eccleſiam ſuã, poſtq; reſurrexerit à mortuis, & ſederit ad
» dextram patris ſui. In illo die (inqt) me nõ interrogabitis quicq;. Amen
» amen dico uobis, quæcunq; petieritis patrem in noĩe meo, dabit uobis.

Chriſti beneficia conferenda poſt mœrorem in Eccleſiam.

Queramus primùm de quo die Chriſtus loquatur. Cùm aũt ſuprà dixerit: Iterum ueniam & uidebo uos. Et: Paracletus, quem mittet pater meo nomine, docebit uos omnia, & ducet uos in oẽm ueritatem: manifeſtũ uerò ſit, q; hæc à die reſurrectionis Chriſti, & miſsionis Spiritus ſancti impleta ſint, manifeſtum etiam eſt, quòd Chriſtus loquatur hìc de die ſeu tempore, quo reſurrexit à mortuis, & miſit diſcipulis ſuis ſpũm ſanctum. Eo igitur tempore contulit Chriſtus in diſcipulos, hoc eſt, in uniuerſam Eccleſiam ſuam duo maxima beneficia. Alterum eſt: Non interrogabitis me quicquam, hoc eſt, Vos ipſi omnia ita cognoſcetis, ut non neceſſe habeatis me amplius quicquam interrogare, & ex me cognoſcere. Nam ſpiritus ſanctus docebit uos omnia, & ducet uos in omnem ueritatem. Alterum eſt: Quæcunq; petieritis patrem in nomine meo dabit uobis: hoc eſt, omnia impetrabitis noĩe meo à Deo patre. Itaq; Chriſtus promittit hoc loco, ſe, miſſo ſpiritu ſancto, effecturum, ut Apoſtoli & oẽs credentes in ipſum fiant omniſcij, &, ut ita dicam, omnipotentes. Quibus beneficijs, quid poteſt maius dici, aut cogitari? Omnia em̃ ſcire, & omnia apud Deum poſſe, excellit omnem humanã induſtriam, dignitatẽ, & maieſtatem. Sciamus igitur, quomodo hæc intelligenda ſint, ut nihil temerè affirmemus. Ac initio de omniſcientia pioꝝ. Chriſtus enim, cùm dicit pios omnia ita cognituros, ut non amplius neceſſe habeant ipſum interrogare, non loquitur de quibuſuis rebus, aut de ijs, quæ cognitioni humanæ rationis ſubiectæ ſunt. Non enim ſentit Apoſtolos & alios pios cognituros per ſpiritum ſanctum, omnia humana opificia, omnes humanas artes, & intellecturos omnia obſcura in Philoſophia Gentium. Hæc, etſi habent ſuum quendam uſum, tamen poſſunt abſq; ſingulari dono ſpiritus ſancti, humana tantũ ratione cõprehendi, & non pertinent propriè ad regnum Chriſti. Sed loquitur Chriſtus de ijs rebus quæ cognoſcendæ ſunt ad conſequendam uerã coram Deo iuſticiam, & perpetuam ſalutem. Non interrogabitis me quicq;. hoc eſt, Spiritus ſanctus ita uos omnem ueritatem docebit, ut cognoſcatis omnia quæ ſunt uobis neceſſaria ad ſalutem. Cognoſcetis enim me eſſe uerum Meſsiam: meum regnum non eſſe mundanum, ſed cœleſte: meum officiũ eſſe expiare peccata ueſtra coram Deo, & reconciliare uos cum Deo. Cognoſcetis omnes eos, qui in me credũt, reputari coram Deo iuſtos, & adoptari in filios ac hæredes Dei. Cognoſcetis item uerũ uſum & finem legis, uidelicet, q; lex non iuſtificet, ſed occidat potius, & homines ad me remittat, ut mea ſolius gratia, per fidem, iuſtificentur. Breuiter, Cognoſcetis me ſolum eſſe ſapientiam, iuſticiam, ſanctificationem & redemptionem ueſtram. Cognitiones & ſcientiæ aliarum rerum, etſi humano generi utiles eſſe poſſunt, tamen ſine cognitione Chriſti nihil ſunt. Sola autem cognitio & ſcientia Chriſti, etiamſi fuerit ſine aliarum rerum cognitione, tamen æterna eſt uita & fœlicitas. De hoc beneficio, quod ſpiritus ſanctus eſſet in Eccleſiam à die Pentecoſtes collaturus,

Apoſtoli & credentes, omniſcij.

turus,cõcionati etiam ſunt Prophetæ.Ioel dicit:Effundam ſpiritum meum,dicit Dominus,ſuper oẽm carnem,& prophetabunt filij ueſtri & filiæ ueſtræ.Senes ueſtri ſomnia ſomniabũt, & iuuenes ueſtri uiſiones uidebunt.Hoc dictum eſt,ut & Petrus interpretatur,de publica reuelatione Euangelij deChriſto,ex quo Euangelio manifeſtè cognoſcuntur omnia ea,quæ nobis ad conſequẽdam iuſticiam & ſalutem neceſſaria ſunt. In Eſaia,de reuelato EuangelioChriſti dicitur: Repleta eſt terra ſcientia Domini,ſicutaqua maris ômnia operiens. Et apud Hieremiam: Non docebit ultrà uir proximum ſuũ,& uir fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum uſcꝙ ad maximum.Hæc non eò rapienda ſunt, uel quòd Apoſtoli omnia poſt acceptum ſpũm ſanctum in die Pentecoſtes, ita exactè cognouerint, ut non indiguerint amplius aliꝰs ſpiritus ſancti reuelationibus, cùm Petrus nõ uoluerit Gentes adhuc incircunciſas ad cõmunionem Euangelij recipere,niſi cœleſti uiſione admonitus,quemadmodum ſcribunt Acta Apoſtolica: uel ꝙ nos non debeamus poſt acceptum Baptiſmum,qui eſt lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, ſacræ ſcripturæ operam dare,&conciones piæ doctrinæ audire: ſed quòd is qui aſſecutus eſt,autore ſpiritu ſancto, ueram cognitionem Chriſti, etſi quædam ignorat, & neceſſe habet in fide ſubinde magis ac magis per uerbũ Dei illuſtrari, confirmari, & creſcere, tamen quantum attinet ad Chriſtum ipſum, qui per fidem cognitus eſt, nihil prorſus deeſt credenti ad ſalutem. Ac habuerunt etiam Patriarchæ Chriſtum per fidem. Poſtquàm autem Euangelion reuelatum eſt per ſpiritum ſanctum in die Pentecoſtes & uulgatum in toto orbe terrarum, tãtum ſuperat noſtra cognitio. Patriarcharum deChriſto cognitionem,quantum lux,tenebras,& dies noctem. Nũc propius,inquit Paulus,adeſt nobis ſalus,quàm tum cùm credebamus.Nox progreſſa eſt,dies aũt appropinquauit.Et aliâs uocat Euangelion Chriſti,myſterium ætternis temporibus tacitum,nunc uerò manifeſtatũ,& in omnes gentes patefactum.Quare agnoſcamus hoc beneficium Dei, & amplectamur hanc lucem Euangelij grato animo, ut quicquid reliquum in nobis eſt tenebrarum,ſplendoreChriſti diſpellatur. Deinde concionatur Chriſtus de omnipotentia piorum. Amen amen dico uobis: Quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Si Deus Pater dat petentibus nomine Chriſti, quæcunꝙ, quæcunꝙ,inquam,petierint,certè tales petentes ſunt precibus ſuis apudDeum omnipotentes.Hoc ut rectè intelligamus, primùm omnium cognoſcendum eſt,quid ſit petere aliquid à Deo,nomine Chriſti. Sciamus igitur,quis ſit Chriſtus,& quod ſit officium eius.Chriſtus enim eſt unigenitus & æternus filiusDei,qui aſſumpſit hominem,& uenit in mũdum, ad hunc uſum,ut placaret morte ſua peccata noſtra, & reconciliaret nos Deo Patri ſuo.Et hunc Chriſtũ Deus Pater ita diligit,ut reputet iuſtos, & adoptet in filios ac hæredes ſuos, omnes illos, qui amplectuntur ipſum fide ſua. Petere igitur aliquid à Patre nomine filij ſui Chriſti, eſt credere, quòd Chriſtus placauerit nobis Patrem, & Pater faueat nobis propter Chriſtum, ac petere ex hac fide, ut Deus largiatur nobis pro-

Apoſtoli & credentes omnipotentes.

Chriſtus quis ſit & quod eius officium.

Petere in nomine Chriſti.

pter Christum beneficia sua. Itaque petere aliquid nomine Christi duo complectitur. Alterum est fides in Christum, quòd ipse sit propiciatio nostra coram Deo. Alterum est inuocatio propter Christum, & propter propiciationem ab eo factam. Non enim habemus aliud, propter quod à Deo beneficia petamus. Nostra iusticia, si qua est, infirma est, & uiciata, nec potest in conspectu Dei constare. Sed & sanctorum oim iusticia per se sordet coram Deo. De omnibus enim dictum est: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Quare nec nostræ, nec sanctorum iusticiæ nomine possumus Deum inuocare & beneficia ab eo petere. Sola iusticia Christi perfecta est, & constat in iudicio Dei. Solus Christus sua sanctitate Deo Patri acceptus est. Amat autem nos Pater propter Christum, si in eum credimus. Sic em̃ mox ait: Ipse Pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, q̃ à Deo exiuerim. Reliquum igitur est, quòd Patrem, solo nomine Christi & propter Christum inuocare queamus & debeamus: Et quòd hi, qui contemnunt & non credunt in Christum, non possint Deum uerè inuocare, etiamsi uerba inuocationis sexcenties irerent. Quod cùm ita se habeat, uideamus nunc, quæ per QVAECVNQVE sunt intelligenda. Dicit enim Christus: QVAECVNQVE petieritis. Quæ ergo sunt illa QVAECVNQVE? Hic considerandum est, in qua materia, & in quo argumento dicendi Christus uersetur. Non enim loquitur de omnibus rebus indiscriminatim, sed de omnibus, quæ ad regnum Dei, & ad gloriam ac sanctificationem nominis eius pertinent. Primùm igitur per QVAECVNQVE, non intelligit iniusta, & impia: Quale esset, si quis peteret, ut liceret ipsi impunè scortari & furari. Aut si qui sunt facti hostes piæ doctrinæ, tamen peterent in nomine Christi, ut Deus fortunaret bellum, quod aduersus Ecclesiam suscipere uellent. Hoc certè esset petere, ut Deus faueret impietati, & iuuaret crudelitatem. Qua petitione, quid esset impudentius, aut detestabilius? Deinde Christus non intelligit per QVAECVNQVE, ea, quæ sunt aliena à nostra uocatione. Apostolorum uocatio erat, non solum prædicare Euangelion Christi, uerumetiam edere miracula. Infirmos, inquit, sanate, leprosos mundate, mortuos suscitate. Quare quæcunque Apostoli in hac uocatione à Patre, nomine Christi petierunt, ea ita impetrarũt, ut & infirmos mirabiliter sanarent, & mortuos suscitarent. Petrus ad claudum dicebat: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula. Claudus protinus consolidatis plantis exiliit, & ambulauit. Venit & Petrus ad Dorcadem uiduam mortuam in Ioppe. Cùm igitur positis genibus orasset, ut Dorcas resurgeret, impetrauit, quæcunque petijt. Dorcas enim uiua surrexit. Nam hæc erat uocatio Petri. Nostra autem, qui hoc tempore prædicamus Euangelion Christi, uocatio quidem est, docere Euangelion, non autem edere talia miracula, qualia Apostolis concessum fuit edere. Quare nisi quis singulari spiritu Dei excitaretur ad edenda miracula, non fieret uoti sui compos, etiamsi inuocato DEO per nomen Christi, iuberet mortuum ad hanc corporalem uitam redire. Nostra enim uocatio hoc tempore non est, ut miracula edamus. Commemorarunt nobis his diebus amici fide dignissimi,

An petentes in omnibus exaudiãtur.

Actorum 3.

Actor. 9.

ſignisſimi, mulierem Anabaptiſtico ſpiritu afflatam, eò inſaniæ proceſſiſſe, ut existimarit, ſe poſſe, exemplo Moſi, uicinos ſuos cœleſti Manna paſcere. Vocatis igitur uicinis ad prandium, cùm nihil ciborum ad fo-cum paratum eſſet, & ex ordine ad mẽſam collocatis, uertit ſe mulier ad preces, & petijt, ut cibus è cœlo mitteretur. Hic tum hoſpites attoniti ſe-dere, & cœleſtem cibum expectare. Quid plura? Deus uaniſsimas pre-ces mulieris non audit, & conuiuæ ſpe ſua falſi, uel tandem domum ſuã famelici repetere coguntur. Moſi enim uocatio fuerat, non huius ſuper-ſtitioſæ mulierculæ, Manna de cœlo dare. Quare in inuocatione peten-da ſunt ea, quæ ad noſtram uocationem pertinent. Nam quæ ſic in noĩe Chriſti petierimus, ea oĩa dabit nobis cœleſtis Pater. Poſtremo Chri-ſtus, cùm dicit, QVAECVNQVE, non intelligit ea, quæ ſunt ab ipſius officio aliena. Quale eſſet, ſi quis peteret à Deo in noĩe Chriſti, ut daret ipſi magnam uim auri, & multũ pecuniæ, aut ut faceret ex ipſo re-gem mundanum. Hæc non eſſet uera petitio, niſi ſi quis ſingulari uerbo Dei huc uocaretur. Generale em̃ officium Chriſti non eſt, externã pecu-niam cultoribus ſuis diſtribuere, aut creare ex ipſis reges mundanos. A-pud Matthæum petunt duo diſcipuli, ut unus ſedeat ad dextrã Chriſti in regno eius, alter ad ſiniſtrã. Sed audiunt: Neſcitis, quid petitis. Apud Lucam petunt Iacobus & Ioannes, ut Chriſtus iubeat ignem deſcende-re, & cõſumere Samaritanos, q̃ non reciperent eum in ſuam ciuitatem, ſed & ipſi audiunt: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis uos. Filius enim homi-nis non uenit ad perdendũ animas hominum, ſed ad ſeruãdum. Nam uerũ officium, & propria uocatio Chriſti eſt, placare iram Patris, recon-ciliare humanum genus Deo, remittere peccatum, conſeruare in morte, & dare cœleſtem uitam ac fœlicitatem. Quodcunq; igitur harum ſpiri-tualium & cœleſtium rerum petierimus Patrem nomine Chriſti, dabi-tur nobis. Quid ergo dicemus de terrenis rebus? Quid? Si quiſpiam aut fame afflictus, aut difficili morbo grauatus, aut ab hoſtibus circum-uentus fuerit, non petat à Deo Patre nomine Chriſti panem, corpora-lem ſanitatem, & externam ab hoſtibus liberationem? Quid? non pe-tam, ut Deus defendat amicum ſuſcipientem ex uocatione ſua periculo-ſam peregrinationem? Certè hæc & id genus alia beneficia Dei corpora-lia petenda ſunt, ſed his conditionibus, quas iam enumerauimus. Pri-mùm enim, corporalia beneficia nõ ſunt petenda, ut abutamur ipſis ad peccandum aduerſus Deum. Qualis enim, & q̃ impia eſſet hæc oratio, ſi quis diceret: Peto Domine, in nomine Chriſti filij tui, ut me reſtituas priſtinæ incolumitati, quò poſsim pro mea libidine helluari aut ſcorta-ri? Ita fic orant hi, qui in morbo non reſipiſcunt, ſed cogitant, ſe, ſi recu-peraverint ſanitatem, uetera ſua ſcelera ſectaturos. Deinde petenda ſunt corporalia beneficia ad hunc finem, ut iis ſeruiamus legitimæ no-ſtræ uocationi, & ut gloria nominis Dei promoueat, ac noſtræ perpe-tuæ ſaluti conſulatur. Sed quia nos non poſſumus humana ratione cõ-gnoſcere, quæ corporalia propriè conducant ad illuſtrationem gloriæ Dei, & quæ utilia ſint ad noſtram uocationem & ſalutem, idcirco in pe-titione beneficiorum corporalium, ſemper addendum eſt, quod Chri-

Mulier Ana baptiſtico ſpiritu afflatis.

Petenda quæ ſint.

De petitione uera corporalium.

Spiritualia beneficia quomodo petenda.

ſtus ipſe addidit, cùm precaretur, ut tranſiret ab ipſo calix paſsionis: Non, quod ego uolo, inquiens, ſed quod tu uis. Et quod docuit nos in Dominica oratione: Sanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnũ tuum. Fiat uolũtas tua, quemadmodũ in cœlo, ſic & in terra. Quare, cùm Chriſtus dicit: QVAECVNQVE petieritis, intelligit per QVAECVNQVE, omnia ſpiritualia & corporalia beneficia, ſed hoc diſcrimine, ut cùm ſpiritualia & æterna propriè pertinent ad regnum Chriſti, & gloriam nominis Dei, ac ueram noſtram ſalutem, petamus ea ſine ulla exceptione, in nomine Chriſti, certa fiducia concepta, ꝙ contingant nobis diuinitùs propter Chriſtum. Corporalia aũt, quia de ipſis humana ratione iudicare non poſsumus, petamus cum hac additione, ut fiat uoluntas DOMINI, & quod in ipſius oculis bonum uidetur. Habes, ꝙ̃ latè pateat, quod Chriſtus dicit: QVAECVNQVE petieritis Patrem in meo nomine, dabit uobis. Ac profectò noſtra culpa & ignauia accidit, ſi quid rerum utilium ac neceſſariarum nobis defuerit. Cur eñ hoc nõ petimus à DEO? An deterrent nos à petitione peccata noſtra? Sed Chriſtus peccata expiauit. An iudicamus nos beneficijs Dei indignos? Rectè. Indigni quidem ſumus, ſed Deus ſua ſpõte nos his dignat: primũ præcepto. Præcepit enim ut in periculis inuocemus ipſum. Non præcepiſſet aũt, niſi uellet inuocationẽ exaudire & iuuare: Deinde, promiſsione. Promiſit eñ ſe daturũ, quęcunq; credentes petierimus. Quid aũt promiſsione Dei uerius aut certius? Poſtremo addidit etiam iuramentũ: Amen, amen, inquiens. Quid aũt iuramento filij Dei firmius? Petamus igitur & accipiemus, queramus & inueniemus, pulſemus & aperietur nobis. Cęterum, hoc loco diligenter conſiderandum eſt, quod cùm ſermo nobis eſt de oratione ſeu inuocatione Dei, non loquimur de publicis Litanijs, quæ ſunt in Eccleſia ſolennes. Hæ Litaniæ, ſi piæ fuerint, (Nam illæ Litaniæ, in quibus inuocantur mortui, impiæ ſunt) ſuum quidem uſum habent. Sunt enim pædagogia Eccleſiæ, & admonent Eccleſiam de præſentibus periculis, & de ijs rebus, pro quibus nomen Domini inuocandum eſt: non abſoluunt autem, per ſe, ueram Dei inuocationem, & magna diligentia cauendum eſt, ne inferamus in eas ſuperſtitionem & impietatem Iudaicam, ac Papiſticam. Iudæi enim duxerunt impiam & ſceleratam uitam, ſed habebant in templo ſolennia ſacra & precationes. Itaque cùm affligerentur fame, aut bello, aut peſtilentia, aut alia calamitate, ſtatim omni feſtinatione in templum ad facienda ſacra properabant, interim autem nulla erat reſipiſcentia, nulla uera agnitio peccati, nulla uera fides de peccati remiſsione, nulla ſceleratæ uitæ in melius mutatio. Tantum ſolennia illa ſacra peragebant, quorum meritis pollicebantur ſibi expiationem peccatorum ſuorum, & liberationem à præſenti calamitate. Et quæ ſcelera deſignauerant ante ſacrorum peractionem, ad ea, peractis iam ſacris, ſecurè reuertebantur. Hæc eſt magna impietas, & per Prophetas grauiſsimè reprehenſa. In Eſaia dicit Dominus: Quò mihi multitudo uictimarum ueſtrarum? Et mox: Incenſum abominatio mihi eſt. Neomeniam & ſabbatum & alias feſtiuitates non feram. Iniqui ſunt cœtus ueſtri. Et: Cùm extenderitis

Corporalia beneficia quomodo petenda.

Litaniarum & aliorum ſacrorum, ratio.

extenderitis manus uestras,auertam oculos meos à uobis,& cùm multi plicaueritis orationem,non exaudiam. Quamobrem? Sequitur: Quia manus uestræ sanguine plenæ sunt. Et apud Hieremiam: Hæc dicit Dominus Zebaoth Deus Israel: Holocautomata uestra addite uictimis uestris,& comedite carnes, quia non sum locutus cum Patribus uestris,& non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Aegypti de uerbo holocautomatum & uictimarū, sed hoc uerbum præcepi eis dicens: Audite uocem meam,& ero uobis Deus,& uos eritis mihi populus. Et in Osea: Misericordiam,inquit,uolo,& non sacrificiū, & scientiam Dei plus q̄ holocausta. Vides Israelitas attulisse ad sua sacra impœnitentiam: & sacra alioqui legitima & pia, damnata esse ꝓpter impietatem populi. Eadem dicenda sunt de Papisticis moribus. In regno enim Papistico excogitata sunt quædam sacra,uidelicet, Missæ, Processiones, Litaniæ mortuorū inuocatrices,certa ieiunia,ordines Monastici,& id genus alia. In hæc sacra reiecerunt tam populus q̄ sacerdos omnem iusticiam. Nulla enim cura fuit piæ & honestæ uitæ,nulla habita ratio ueræ pœnitentiæ. Postquàm aūt uenerat calamitas uel belli,uel pestilentię,uel famis,continuò properabatur ad hæc sacra peragenda. Ac uidentur quidem homines, dum sacra peraguntur,ualdè pŋ,sed impiè sentiunt,quia confidūt se meritis horum sacrorum placare iram Dei,& manent impœnitentes, quia mox ut sacra peracta sunt, ad pristina scelera reuertuntur. Hæc est antiqua Papistarum impietas,propter quam etiam ea sacra,quæ habent aliquam utilitatem, fiunt inutilia & impia. Quid ergo faciamus? Abŋciemúsne pias illas & solennes Litanias,quibus hoc tempore in Ecclesia utimur,ne & ipsæ fiant impiæ? Minimè,Sed non inferamus in eas impietatem Iudaicam & Papisticam. Non existimemus nos hoc Litaniarū cultu defunctos esse ueræ inuocationis officio, sed inuocemus DOMINVM sine intermissione. Oportet semper,inquit Christus,orare,nec defatigari. Et Paulus: Indesinenter orate. Orabimus aūt indesinenter, non si sine intermissione recitauerimus uerba orationis, sed si resipuerimus & in uocatione Dei ambulauerimus,& crediderimus,q̄ Deus nobis sit propicius propter Iesum Christum filium eius,& ex hac fide inuocauerimus Deum,si non uerbis,certè gemitibus & suspirŋs. Hæc est oratio,quæ penetrat nubes, & consistit ante thronum diuinæ maiestatis,& impetrat quæcunq̄ petierit,per Iesum Christum Dn̄m nostrum,qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA XXXXV.

CVM Propheta Zacharias uaticinaretur de beneficŋs noui testamenti, commemorat hanc promissionem Dei: Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum. Quod igitur Propheta futurum prædixit, hoc Christus iam instare adnunciat: Amen amen, inquiens, quæcunque pecieritis Patrem in nomine meo dabit uobis. De qua sententia & promissione, antea, quantum quidem in præsentia satis uidetur, diximus. Nunc autem, ut beneficium

huius promissionis magis illustretur, opponit Christus inter se tempo
ra ueteris & noui testamenti, & addit causam, cur Deus omnia det benefi
» cia his, qui inuocant ipsum in nomine suo. Hactenus, inquiens, nō peti-
» stis quicquam noīe meo. Petite, (meo nomine) & accipietis, ut gaudium
» uestrum sit perfectum. Quid, obsecro, hoc uerbi est: Hactenus nihil pe-
tistis meo nomine? Apostoli igitur nunc̄ uerè inuocauerunt Deum Pa
trem? Non enim potest Deus uerè inuocari, nisi per Christum filium su
um. An non crediderunt in Christum? An non habuerunt sua quędam
dona spūs sancti, ex quo spiritu sancto confessi sunt de Iesu: Tu es Chri-
stus ille filius Dei uiuentis? Accedit huc, q̄ Christus ipse docuit eos ora
re: Pater noster, qui es in cœlis? Si hanc orationem non recitaueruntin
nomine filij Dei, certè nunc̄ rectè orauerunt. Et si Apostoli non inuo-
Matth. 13. cauerunt hactenus Patrem in nomine filij sui, multò minus uidentur Pa
triarchæ & Prophetæ Deum rectè inuocasse, quippe q̄ Apostoli præ
his beati à Christo pronunciantur. Quid ad hæc dicemus? Christus nō
negat, Apostolos piè inuocasse Deum, sed confert inter se tempora, &
distinguit inter obscuram & reuelatam sui cognitionem. Nam Aposto
li, & ante ipsos Patriarchæ & Prophetæ, crediderūt quidem in Christū,
& inuocauerunt Deum ex hac fide, (non enim potuissent uera fide dice
re: Miserere mei Deus, secundum magnā misericordiam tuam, nisi spi-
ritu credidissent, Deum esse misericordem & propicium, ppter semen
mulieris aut Abrahæ) nondum habuerunt aūt reuelatam cognitionem
Temporis ante diem Pentecostes cum tempore post aduentum Christi collatio. Christi, qualis patefacta est in die Pentecostes, per spūm sanctum, & uul
gata in toto orbe per Euangelion. Quare, etsi inuocauerunt Deum ex fi-
de in Christum, non tamen inuocauerunt eum reuelata Christi cogni-
tione, sed obscura, & multis adhuc tenebris inuoluta. Nunc propius,
inquit Paulus, adest nobis salus, quàm tùm cùm credebamus. Nox pro
gressa est, dies autē appropinquauit. Aliud est noctis, aliud diei tēpus.
In nocte accenditur lumen lucernæ, ut uel aliquo modo tenebras *discu-*
as. Interdiu aūt lucet lumen solis. Sed quantum, obsecro, discrimen est
inter lumen Solis, & lumen lucernæ? An nō lumen lucernæ obscuratur
luce Solis? Ita aliud est tempus ueteris testamēti ante diem Pentecostes,
aliud tempus noui testamenti, post aduentum Christi, & reuelationem
Euangelij de Christo. Illud suas habet lucernas, uidelicet Propheticas
promissiones de Christo, & sacrificia adumbrantia Christum, quibus
pij, utcunc̄ quidem, sed quantum ad salutem satis erat, potuerunt Chri
stum cognoscere. Hoc autem tempus habet clarissimum lumen Solis.
In die aūt Pentecostes Euangelion de Christo sic reuelatum & illustra-
tum est, ut ex eo perspicuè cognoscatur Christus & regnū eius. Quare,
sicut ante diem Pentecostes obscura fuit cognitio Christi, & regni eius,
ita etiam obscura fuit inuocatio in nomine Christi. Postc̄ autem Spūs
sanctus missus est & Christus illustratus, perspicuum iam est, nō esse ali
ud nomen, præter Christum, hoībus datum, in quo oporteat eos inuo-
care Deum, & uerā salutem consequi. Agamus igitur Domino gratias,
pro beneficio huius lucis, & demus operā gratitudine, ne eam lucem a-
mittamus, & tenebris obruamur, sed ut ea illustrati, Deum uerè & rete-

cta facie in noīe Christi inuocemus. Petite, inquit, & accipietis. Hactenus nō petistis quicq̄, reuelata uidelicet cognitione, in noīe meo. Nunc aūt postq̄ miſero ſpiritum ſanctum, petetis noīe meo manifestè, & accipietis, quicquid petieritis. Et additur: Vt gaudium ueſtrū ſit perfectū. Quid ergo eſt, ut gaudium ueſtrum ſit perfectum? An non multi existimant, Chriſtianiſmum eſſe mœſtam quandam triſticiā, & Stoicam ſeueritatem? Non approbat Chriſtus impudens carnis gaudiū, ſed nec delectatur Stoica triſticia. Quod aūt hoc loco de gaudio concionatur, oppo nit ei gaudio, quod homines ſolent ex euanidis rebus huius ſeculi concipere. Alius enim gaudet diuitijs, alius uoluptate corporis, alius honoribus, alius magiſtratu. Sed hoc gaudium nō explet animū, nec conſtat perpetuò. Vt res euanidæ ſunt, ſic & gaudiū euanidum eſt. Omnis, qui bibit ex hac aqua, iterum ſitiet. Beneficia aūt regni Chriſti, uidelicet, Remiſsio peccatorum, placatio iræ diuinæ, adoptio in filios Dei, liberatio in morte, & hæreditas ęternæ uitæ, quæ Deus Pater dat in nomine Chriſti filij ſui per ſpūm ſanctum, ea demùm uerè animum explent, & afferūt perfectum ac perpetuū gaudium. Hoc diligenter conſiderandum eſt, ut aſſuefaciamus nos ad quęrenda beneficia regni Chriſti. Homines enim huius ſeculi ſolent magna ſollicitudine quærere terrena bona, & putant ſe his poſſe animum ſuū explere, & perfectum gaudium conſequi. Sed profectò falluntur. Hæc enim bona dimittunt hominem inanem & uacuum. Sola bona regni Chriſti poſſunt hominis animū explere. Quare ſi terrena bona diuinitùs & iuſtè contingunt tibi, utere his in gloriā Dei & utilitatem ꝓximi. Si aūt non contigerint, noli ea ſcelere parare. Quid enim tibi proderunt? Non explent animum optimè parta, & explerent eum impoſturis cōquiſita? Sed in hoc ſtudiū incumbe, ut quæras bona regni Chriſti, & inuoces Patrem in noīe Chriſti: ſic enim fiet, ut uerum & perfectum gaudium conſequaris. Hæc, etſi ſatis perſpicuè dicta ſunt à Chriſto, tamen diſcipuli non intelligunt. Quare Chriſtus iterum reſumit explicationem eorum in diem Pentecoſtes. Et ait: Hæc per prouerbia locutus ſum uobis. Veniet tempus, cùm iam non per prouerbia loquar uobis, ſed palàm de Patre meo adnunciabo uobis. In illo die in noīne meo petetis. Et non dico uobis, quòd ego rogaturus ſum Patrem pro uobis. Ipſe enim Pater amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis, ꝙ à Deo exiuerim. Quod Chriſtus dicit, hanc ſententiā habet: Quæ uobis dixi, per ſe quidem perſpicua ſunt, ſed uobis ſunt adhuc obſcura, ac uidentur uobis parabolæ & ęnigmata. Veniet aūt tempus, quo hæc manifestè uobis explicabo. Hoc eſt tempus poſt reſurrectionem, quo mittetur ſpūs ſanctus. In illo die tantum beneficium in uos conferetur, ut ego non ſim rogaturus pro uobis Patrem, ſed uos ipſi accedetis ad Patrē, ad thronū diuinæ maieſtatis, rogaturi quæcunq̄ uolueritis, quæ & impetrabitis. Quæſo aūt te, quid hic noui, & ut uidetur, abſurdi dicitur? Ego non ſum, inquit Chriſtus, rogaturus Patrem pro uobis. Num Chriſtus, poſtq̄ aſcendit in cœlum, & miſit ſpiritum ſanctum, non amplius rogat pro ſua Eccleſia? Num Eccleſia non eget nunc opera Chriſti, ſed ipſa ſibi ad conſequendam uerā ſalutem ſufficit? Hęc quidem eſt ſenten

Gaudia mundi Chriſtianorum.

Chriſtianorum ſtudiū.

Monachorũ errores.

tia impiorum monachorũ, qui primùm finxerunt Christũ meruisse nõ bis tantũ primam gratiam, ac effecisse sua passione, ut nos nunc nostris uiribus possimus coram Deo mereri expiationem peccatorũ & uitam æternam. Deinde ademerunt Christo officium intercedendi, & fecerũt ex eo seueriſsimum iudicem: tribuerunt aũt officium intercedendi beatæ Marię uirgini, & reliquis sanctis. Sed hi sunt horrendi & detestandi errores. Fingunt hominem à Satana ꝓpter peccatum, non aliter ligatũ fuisse, q̃ si fera sylueſtris capitur & catenis coercetur. Hæc etsi uinculis ligata est, tñ retinet adhuc uires suas, quas etiam sęuiendo exercere posset, si modò solueretur: ita uani isti nebulones putãt hominem à Satana uinctũ, retinuisse uires suas integras, aut nõ omnino debilitatas. Cùm igitur Christus hominem soluerit à uinculis Satanæ, existimant hoĩem nunc suis ipsius uiribus ad consequendam iusticiam & salutẽ incedere. Sed repudiandum est hoc figmentũ. Homo em̃, postq̃ captiuus factus est Satanæ ꝓpter peccatum, non retinuit uires suas, quibus initio præditus fuit, nec factus est tantum imbecillis, sed amisit omnes suas uires, (ad consequendam uidelicet iusticiam, ac æternã salutem) & planè mortuus est. Cùm essemus, inquit Paulus, mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo. En, Paulus dicit nos per delicta mortuos fuisse. Mortui aũt, non sunt sicut uincti aut infirmi, qui adhuc aliquantas uires habẽt, sed sunt prorsus oĩbus uiribus destituti, nec omnino quicq̃ possunt agere, ut uitam recuperent, & uitæ officia exerceãt. Quare uita, qua Christus credentes in ipsum uiuificat, nõ est uetus carnis uita, sed noua spiritus uita, qua, quod ueteris uitæ reliquum est, mortificatur: tantum abest, ut uetus uita aliquid ad iusticiã cõferat. Sine me, inquit Christus, nihil potestis facere. Et Paulus: Nõ sumus ex nobis ipsis idonei cogitare (uidelicet de uera iusticia cõsequenda) quicquã, tanq̃ ex nobis ipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex Deo est. Ac rursus: Deus is est, qui agit in uobis, & ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi proposito. Quare quo fauore & beneficio Christi soluti sumus initio à uinculis Satanę, eodem etiam uiuificamur, & conseruamur, ut uerè coram Deo iusti ꝓpter Christum reputemur, & in operibus iusticię ambulemus. Deinde Christus non desijt, etiã post resurrectioũem suam, orare pro Ecclesia sua. In Psalmo uocatur æternus sacerdos: Tu es sacerdos in æternum secundũ ordinem Melchisedec. Sacerdotis aũt officium est, pro populo orare. Et Paulus ad Romanos scribens: Christus, inquit, est, q̃ mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Neq̃ enim oratio nostra posset ad thronũ diuinæ maiestatis penetrare, nisi Christus unà nobiscum oraret. Vnde & iubet nos SVO NOmine Deum inuocare, significans se nostrã inuocationem ad Deũ Patrem perferre, & nobiscum orare. Quid ergo est, quod dicit: Nõ sum rogaturus Patrem pro uobis? Non negat se rogare Patrem, sed negat q̃ SOLVS roget Patrem. Non sum rogaturus Patrẽ, uidelicet, SOLVS. Impetraui enim uobis spiritum precum, ut mecum ad thronum diuinæ maiestatis accedatis & oretis. Vna est uestra & mea oratio. Sicut enim impetraui, ut Deus sit uobis placatus, & adoptet uos in filios ꝓpter me:

Christi & piorum oratio una.

ita

ita etiam impetraui, ut det uobis ſpũm orandi mecum, & conſequendi quicquid petieritis. Magna hæc eſt conſolatio, magna animi confirmatio in inuocatione Dei. Primũ enim, nihil reliquũ eſt, q̃d nobis obſtat, quò minus queamus inuocatione noſtra ad Deũ accedere. Apud Perſas capitale erat, accedere ad regem, niſi fortè rex ei qui accedebat, porrigeret aureũ ſceptrum attingendum, quẽadmodum in Eſther ſcriptum eſt. Ad regem aũt noſtrum cœleſtem, non accedere capitale eſt, quippe q̃ filius huius regni ſuſtulerit oĩa accedendi obſtacula, & mandauerit nobis nomine Patris ſui, ut accedamus: Ac niſi acceſſerimus, nulla reliqua nobis ſalus eſt. Non.n. remorantur nos ab acceſſu p̃cta noſtra, quia Chriſtus expiauit ea: Non indignitas noſtra, quia Chriſtus impetrauit nobis ius adoptionis in filios Dei: Non magnitudo periculorũ, quia maior eſt, qui in nobis eſt, q̃ qui in mundo. Deinde, nos non ſoli oramus & inuocamus Deum, ſed orat nobiſcum uno ſpũ uniuerſa Eccleſia, imò orat nobiſcũ filius ipſe Dei Ieſus Chriſtus Dñs noſter. Hoc diligentiſsimè conſiderandũ eſt, ne in inuocatione Dei meticuloſi & puſillanimes ſimus. Sed reuertemur ad concionem Chriſti. Dixit: Nos ipſos poſſe accedere ad Deum, & petere ab eo beneficia. Hæc magna eſt poteſtas, magna dignitas. Quo igitur noſtro merito ea nobis contigit? Certè nullo noſtro merito, Sed tm̃ fauore & amore Dei Patris, ac merito filij eius Ieſu Chriſti, quem per fidem accipimus. Sic enim ſequitur: Pater em̃ amat uos, quia uos me amaſtis, & credidiſtis, q̃ à Deo exiuerim hoc eſt, Pater cõplectitur me ſummo amore, de q̃ publicè teſtificatus eſt: Hic eſt filius meus dilectus, in q̃ mihi bene complacitũ eſt. Cùm igitur uos acceperitis me per fidem, & credatis me uerũ eſſe filium Dei, ac Meſsiam illum, quẽ Prophetæ olim diuino ſpũ afflati promiſerunt, Deus uiciſsim uos ꝓpter me ita amat, ut non ſolum patefecerit uobis aditum ad ſe accedendi, uerũetiam daturus ſit uobis, quæcunq̃ meo nomine petieritis. Hęc eſt obſeruabilis ſententia, cui etiam ea conuenit, quæ ſuprà commemorata eſt: Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & aperiam ei meipſum. Et iterum: Si quis diligit me, ſermonem meũ ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Hæ & id genus aliæ ſententiæ, continent ſummam Euangelij, quod de Ieſu Chriſto prædicatur. De Chriſto enim prædicamus, q̃ propter ipſum Deus ſit placatus humano generi. Vbi ergo hoc ſcriptum eſt? Habes hic ipſius Chriſti teſtimoniũ: Pater amat uos, quia uos me amatis, hoc eſt, quia creditis in me, idcirco Deus propicius eſt uobis propter me. Prædicamus de Chriſto, quòd ꝓpter ipſum Deus reputet oẽs eos iuſtos, qui credunt in ipſum. Dic ergo nobis huius rei teſtimonium. Audi quid Chriſtus ipſe concionetur: Pater amat uos, quia uos me amatis. Prędicamus de Chriſto, q̃ propter ipſum adoptet nos Deus in filios & hæredes ſuorum bonorũ, & ſeruet nos in morte ad æternam uitam. Quomodo hoc probatur? Pater, inquit, amat uos, quia uos me amatis, & creditis q̃ ego ſim uerus Meſsias filius Dei. Nec exiſtimandũ eſt amorem Dei, quo complectitur eos, qui credunt in Chriſtum, eſſe tam frigidum, q̃ ſolet in hac corrupta hominum natura eſſe, ſed arden-

Euangelij ſumma.

tissimus est, & flagrantissimus, Deus. Nihil non est exuarijs rebus compos tus, sed est simplicissimus, ideoq; quod est, totus est. Cùm igit dicitur ama re eos, qui credunt in Christũ, non est intelligendũ, q; aliud sit Deus ipse, aliud amor Dei. Nam amor Dei, est Deus ipse. Ioānes aliâs dicit: Deus est caritas, & qui manet in caritate, in Deo manet. Non ait: Deus habet caritatem, sed Deus ipsa est caritas. Quare cũ totus sit caritas, perspicuũ est, q; quem diligit, eum totus diligat, & oĩa bona in eum effundat. Cæterum, cùm Christus dixisset: Credidistis q; à Deo exiuerim, repetit illud exire, ut inferat abitum suum, & significet, regnum suũ non esse de hoc mundo: Exiui, inquiens, à Patre, & ueni in mundum, iterũ relinquo mũdum & uado ad Patrem. Quid ergo est exire à Patre, & uenire in mundum? Num filius Dei ita à Patre suo exiuit, ut deseruerit eum, nec fuerit uerus in hac humana sua carne Deus? Absit. Filius Dei non deseruit Patrem suũ. Semper eñ & ab æterno uerus est Deus, & manet in æternum Deus: Sed dicitur exijsse à Patre & uenisse in mundum, cùm assumpsit hoĩem, & duxit inter homines humanã uitam. Cùm esset, inquit Paulus, in forma Dei, nõ rapinã arbitratus est, esse æqualis Deo, sed semetipsum inaniuit, forma serui sumpta, in similitudine hoĩm constitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit semetipsum. Hoc est exire à Patre, & uenire in mundum. Quid aũt est, Relinquere mundum, & uadere ad Patrem? Num est abñcere curã administrationis huius mundi, ac præsertim Ecclesiæ suæ, & sedere ad dextram Dei ociosum, oblectantem se spectaculis & lusibus angelorũ? Nihil certè minus, sed est suscipere mortem, & per mortem ingredi in regnũ suum. Hęc est manifesta concio de regno Christi, quod non sit mundanum. Dicemus ergo Christũ nullã habere curã suæ Ecclesiæ, quæ est in his mundanis regnis? Absit. Nam idcirco ascendit in cœlum, & sedit ad dextram Patris sui, ut tueatur Ecclesiam suam diuina maiestate, & seruet eam in oĩbus huius mundi periculis. Necq; enim solus consedit ad dextram Patris, sicut nec solus pro Ecclesia intercedit, sed assumpsit secũ ad dextram Patris Ecclesiã suam. Conuiuificauit nos, inquit Paulus, unà cũ Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul eum eo sedere fecit inter cœlestes. Etsi enim nondũ apparet humanis oculis Ecclesiam sedere cum Christo ad dextram Patris, tñ quia Ecclesia est corpus Christi, in quo corpore ipse caput est, & suprà dixit Christus: Vbi ego sum, ibi & uos eritis, nihil uerius, nihil certius est, q; Ecclesiam sedere cum Christo in dextra Patris, quod & suo tempore palàm reuelabitur. Bene igitur confidamus in omnibus aduersis, & siue morbus, siue mors nos affligat, cõsideremus Christum abijsse ad Patrem suum, & sedere ad dextram eius, ut nos perpetuò seruet. Pro quo beneficio semper ei gratias agamus, & celebremus eum unà cum Patre & Spiritu sancto benedictum Deum in secula, Amen.

Amor Dei est ipse Deus

Cura Christi erga Ecclesiam.

HOMILIA XLVI.

AVdiuimus Christum sæpenumero promisisse, quòd missurus sit Spiritum sanctum, qui doceat discipulos omnem ueritatem. Qua promissione significauit eos nondum rectè intelligere conciones suas, id quod & paulò antè ostendit, cum

cùm ait: Hæc per prouerbia locutus sum uobis. Audiamus igitur nũc, q̃ affectu discipuli hanc Christi sententiã acceperint. Etsi em̃ inepta, & reprehensione digna respondent, tñ afferunt nobis hanc utilitatem, ꝙ exemplo eorꝝ discamus nostrum corruptũ ingenium agnoscere, & quòd dent Christo occasionẽ plura, obseruatu dignissima, cõcionandi. Quare non sit nobis molestum auribus & animis ea percipere, quæ discipuli Christo ad ea, quæ de obscuritate suarũ cõcionum, & illustratione Spũs sancti dixit, respondeant. Dicunt enim: Ecce nunc apertè loqueris, nec prouerbiũ ullum dicis. Nunc scimus, ꝙ scis omnia, nec opus est tibi, ut quis te interroget. Per hoc (uidelicet, ꝙ uidemus tibi etiã occultas cordis cogitationes notas esse) credimus, ꝙ à Deo exĩsti. Hæc simpliciter cõmemorata, nihil absurdi in se cõtinere uidentur, sed ꝑfectò, si diligenter ea expendas, arguunt non mediocrẽ animi discipulorꝝ insolẽtiam & arrogantiam. Intellexerant enim se haberi à Christo imperitos, & ut ipsi cogitabant, stultos, qui non tanta ratione præditi essent, ut possent conciones suas rectè cognoscere, nisi alius quispiam doctor ad ipsos mittat. Hoc est quod dolebant, & q̃d ægrè ferebant. Natura enim humana ita arrogans est, ut non possit ferre accusationem imperitiæ & stulticiæ, sed in summa sua stulticia uult uideri sapientissima. Quare discipuli in medium procedunt, & suscipiunt defensionem suæ sapientiæ. Ecce, inquiunt, nunc apertè loqueris. Promittis nobis alium doctorem, quasi uerò nos essemus tam stulti, ut non possemus nostri ingenij acumine, absq; alio doctore, tua uerba intelligere. Quid em̃ adhuc nobis deest? Vt tua uerba satis perspicua sunt, ita ea etiam manifestè intelligimus, & credimus te uerũ esse Messiam, qui oĩa noueris & possis. Quare nõ est opus, ut nobis mittas doctorẽ Spũm sanctum. Etsi aũt discipuli merentur hac inepta responsione grauem reprehensionem, Christus tñ, qui complectebatur ipsos summo fauore, fert æquissimo animo imperitiam eorꝝ, & corrigit eos clementissimè. Nunc creditis, inquiens, Sed ecce instat tempus, & iam uenit, ut dispergamini unusquisq; in sua, mecq; solum relinquetis, & tamen non sum solus, quia Pater mecũ est. Iactauerunt se credere: Christus igitur nõ negat ipsos nunc credere, sed exponit fidem eorum esse ualdè imbecillem. Statim em̃ futurum est, ut hanc fidem amittant, & deserant Christum solũ in manibus hostium, ac aufugiant in ea quisq; loca, in quibus se tutos putabunt. En hæc est fides discipulorum. Ante pericula uidentur sibi probè intelligere Euãgelion Christi, & constanter in Christũ credere. In periculis aũt turpissimè deficiunt. Ex quo manifestè cognoscitur, ꝙ antè nec rectè intellexerint cõcionem Christi, nec constanter crediderint. Hæc infirmitas non fuit in solis Apostolis, sed est in oĩm piorum carne. In rebus prosperis uidentur sibi certissimã fidem habere. In aduersis autem, fieri solet, ut nesciant, quò se uertant. Spiritus enim, ut Christus ipse ait, promptus est, caro autem infirma. Et maior est potentia peccati, in quo cõcepti & nati sumus, quàm humana ratione iudicari queat. Et quemadmodum Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum, semper somniabant regnũ Christi mundanum, ideoq;, postq; uidebant Christum capi & affligi, contrà quàm ipsi speraue-

Discipulorum Christi arrogantia.

Fides discipulorũ Christi ante pericula.

rant,existimant eũ à Deo desertum,& cõciones eius meras fuisse impo-
sturas. Ita & alij studiosi doctrinę Christi,cũ audiũt in Christo oẽm esse
redẽptionem & fœlicitatem,solent sibi etiã in hac terra cuncta prospera
ꝓpter Christũ polliceri. Quare si euẽtus nõ respõdet expectationi ipso-
rũ,uarijs aduersus Euangelion Christi cogitationibus sollicitant. Quid
Consolatio in aduersis. igit faciendũ est,ut muniamur in aduersis,ne à Christo deficiamus? Pri-
mũ diligenter cognoscẽdum est,ꝙregnũ Christi non sit mundanũ,hoc
est, ꝙ regnũ Christi nõ sit in hunc usum propriè ordinatũ, ut quicunq;
in Christũ credens,affligitur in hoc seculo,seruet corporali & externa li
beratione. Etsi.n.multis pijs contingit diuinitus etiã corporalis salus in
aduersis,tñ regnum Christi in hoc propriè cõstat, ut pijs cõtingat spiri-
tualis,cœlestis & ꝑpetua salus. Abel percussus est à fratre suo Cain & oc
cisus,dicemus igit eum nõ esse diuinitus adiutum & seruatũ? Animalis
quidẽ homo nõ putat Deum iuuare & liberare hoiem,nisi uideat extern-
nam liberationẽ,quæ si defuerit,existimat hoiem à Deo deseri. Sed lon
gè aliud est iudicium spũs. Abel eñ uerè à Deo adiutus & seruatus est,
quia Deus seruauit eum in morte ne interiret,sed haberet ęternam uitã.
Quid hac salute utilius &precioſius? Esaias dicitur à rege Manasse in du
as partes sectus, Cur Deus nõ adiuuit Prophetã tam piũ,& effecit,ut li-
berato Esaia, impius & crudelis rex subita morte periret? Certè Deus
adiuuit & seruauit Esaiam,nõ quidem externa liberatione, quæ nec est
uera,nec ꝑpetuo cõstans liberatio,sed seruauit eum cœlesti salute. Quid
ergo maius,quid excellentius potuisset Esaię cõtingere? Stephanus lapi
datur à Iudęis. Num putas ipsum ideo à Deo desertũ, ꝙ corruit inter la
pides,& efflauit animã? Nihil minus. Nõ uerè seruatus esset, si euasisset
manus impioꝝ externa fuga,sed tunc uerè seruatus est,cùm uidit Iesum
stantẽ à dextris Dei,& tradidit spũm suũ seruatori Christo. Hæc de spi-
rituali ratione regni Christi, & de cœlesti salute Dei magna diligẽtia co
gnoscenda sunt,ne si destituamur externo auxilio,existimemus nos de-
stitui uera & perpetua salute Christi,& offensi deficiamus à Christo. De
inde perseuerandũ est in uocatione,& inuocatione Dei, ut cùm nostræ
uires sint imbecilliores, ꝙ quæ possint tentationes ferre,ipse nos cõser-
uet,ac tue ur. Sic Christus.n.docet discipulos suos: Orate, ne intretis
in tentationẽ. Hæc si fecerimus,nõ dubito, quin Deus daturus sit euen-
tum in oĩbus aduersis,ut ea ferre queamus & seruemur. Sed quid est,ꝙ
addit: Ego nõ sum solus,quia Pater mecum est? Etsi, q̃d ad diuinitatem
attinet,Christus unus est Deus cum Patre suo, tñ Christus hoc loco nõ
loquitur de unitate diuinæ naturę,sed docet, quã cõsolationem in passi
one & afflictione sua habeat: Vos,inquiens, relinquetis me solũ. Nam
Christum deseruerunt & afflixerunt in sua passione oẽs hoies, non ini-
mici tm̃, sed etiã amici. Inimici cõprehẽderunt eum, abduxerũt eũ capti
uũ,crucifixerũt eũ,& tradiderunt eũ nõ tam flagellis, ꝙ omni genere cõ
Christi afflictio omniũ grauißima. uiciorꝝ ꝑcussum cõtumelioſissimę morti. Hæc certè grauis est afflictio,
sed multò grauior fuit,quæ ipsi ab amicis illata est. Amici.n.partim uen
diderunt & prodiderunt eum, partim turpissimè eum abnegarunt, oẽs
certè fugerunt & deseruerunt eum. Nec inter tot discipulos, Apostolos

&

& amicos, in quos maxima beneficia contulerat, & quorum alios à lepra mũdauerat, alios ex claudis sanos reddiderat, alijs uisum & auditũ restituerat, alios dæmonibus liberauerat, alios à mortuis suscitauerat, ne unus quidẽ inueniebatur, qui cum ipse publicè impietatis & seditionis accusaretur, & insanis uulgi clamoribus ad crucem postularetur, in mediũ processisset, & testimoniũ innocentiæ eius dedisset. An nõ hæc fuit grauissima oĩm afflictio? De qua etiam Christus, nõdum homo factus, conqueſtus est: Homo pacis meæ, inquiens, in q̃ speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ. Et iterũ: Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Ac mox: Sustinui qui simul contristaretur, & nõ fuit: Qui cõsolaretur, & non inueni. Hoc illud etiam est, q̃d hic significat: Dispergemini unusquisq; in sua, & relinquetis me solum. Quã ergo cõsolationem habuit Christus omni humano auxilio destitutus, in tam graui afflictione? Concionatur de hac consolatione in Psalmis: Ego, inquiens, mendicus sum, & pauper. Dñs aũt sollicitus est mei. Adiutor meus, & protector meus es tu, Deus meus, ne tardaueris. Et iterũ: Ego sum pauper & dolẽs, SALVS TVA DEus susceپit me. Hoc planè illud ipsum est, q̃d hic ait: Non sum solus, quia Pater mecum est: hoc est, Etsi destituor omni humano auxilio, nõ tñ destituor auxilio diuino. Deserunt me hoĩes tam amici q̃ inimici, non tñ deserit me Deus Pater. Hæc est consolatio longè oĩm maxima. Quid.n. est Deus Pater? An non est omnipotens rerum oĩm administrator? An nõ habet innumerabiles cohortes angelorũ? Quare, qui habet Deum à parte sua stantẽ, & quem Deus tuẽdum suscipit, eum tuetur omnipotẽs maiestas, & oẽs angeli Dei. Hæc defensio, non uidetur quidẽ statim corporalibus oculis, sed fieri non potest, ut nõ opportuno suo tempore patefiat. Vide mihi Christi exẽplum. Hic ut ab hominibus deseritur, ita etiam uidetur à Deo desertus. Capitur, flagellatur, crucifigitur & moritur. In hac afflictione nullus uidetur Deus, qui ipsum adiuuet. Sed commorare pauliſper, donec tertius dies illucescat, & uidebis manifestissimam Dei præsentiam. Resurgit eñ Christus à morte, non solum uincit oẽs dolores mortis & inferni, sed etiã exaltatur super oẽs cœlos, & sedet ad dextrã Dei. Quo argumento, an non satis perspicuè declaratur, Christum nõ fuisse solum in passione, cruce & morte sua, sed habuisse secum Patrem seruatorẽ & liberatorem? Quod Christo accidit, hoc etiã Ecclesiæ Christi tam publicè q̃ priuatim accidere solet. Nam in persecutionibus & alijs periculis, solet Ecclesia omni humano auxilio destitui. Quid ergo? Num Ecclesia prorsus est deserta? Nihil certè minus. Deserũt nos amici, Non tamen sumus soli, quia Deus Pater nobiscum est. Quanta, obsecro, hæc est potentia? quantum auxilium? Dñs suscepit me, inquit Psalmus: Non timebo igitur millia populi circundantis me. Et iterum: In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi caro. Sed quod publicè Ecclesiæ, & nutritoribus eius accidit, hoc priuatim unicuiuis pio, præsertim in morte, accidere solet. In ea enim hora, qua migrandum est ex hoc seculo, & ingrediendum in tenebras mortis, deserunt nos omnes homines, non extranei tantum, sed etiam amici, cognati, parentes

Ecclesia in afflictionibus seruatur.

& liberi. Necesse habet unusquisq; solus in horrendas illas mortis tenebras ingredi. Sed bene habet: Non sumus soli, si modò Deus Pater nobiscum fuerit. Si.n. hic nos comitatur, non solum tuti penetrabimus per mortẽ, sed etiam perducemur ad uerã & perpetuam fœlicitatẽ. Quid ergo faciendum est, ut nobiscum sit Deus Pater? Hoc ex Euãgelio manifestius est, quàm q̃p hoc loco multis sit cõmemorandum. Pater.n. nobiscũ est, si Christus filius eius nobiscum fuerit. Si quis me diligit (inq̃t Christus) sermonẽ meum seruabit, & Pater meus diliget eũ, & ad eum ueniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Christus aũt nobiscum est, si credimus in eum, q̃p ipse expiauerit peccata nostra, & reconciliauerit nos cum Deo Patre, ut adoptati in filios Dei, in uocatione eius ambulemus. Quare omne nostrũ studium in hoc ponẽdum est, ut Christũ filiũ Dei ex Euãgelio eius cognoscamus, & per fidem suscipiamus. Sic eñ fiet, ut etiam in ipso mortis certamine alacres illud Psalmi cantemus: Etiamsi ambulauero in medio umbrę mortis, non timebo mala, quoniã TV me cum es. Et illud: Dñs illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Dñs protector uitę meæ, à q̃ trepidabo? Ac mox: Si consistant aduersum me castra, nõ timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Cęterum, cùm Christus satis sibi, hoc quidẽ tempore, discipulis dixisse uisus est, concludit tandem suas conciones, & ait: Hæc locutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictionem habebitis, sed bono animo sitis, Ego uici mũdum. Hæc est concluſio superiorũ cõcionum, in qua paucis indicat statum earum. Hęc locutus sum uobis, oĩa hæc concionatus sum uobis, ut consoler uos, ne in aduersis desponderis animum, sed in me, in uerbo meo, in promissionibus meis cõquiescatis. Et addit explicationem, ne q̃d de pace & tranquillitate dixit, intelligant de mundana pace seu fœlicitate, & existiment ipsum fore mundanum regem, qui in hoc uenisset, ut suos terrenis bonis cumularet. *In* mundo, inquiẽs, habebitis afflictionem, sed confidite, ego uici mundũ. Hoc ut est nouissimũ dictum in cõcione Christi, ita est maximè oĩm memorabile & obseruabile. Non pecunia, non auro, non gemmis, denicq̃ nullo huius mũdi precio ęstimari potest. Continet eñ in se totam Christianismi, adeoq̃ perpetuæ salutis nostrę doctrinam. Christianismus enim nõ est regnum mundanum, in q̃ hoĩes fœlicem & tranquillam uitã ducant, sed est regnum afflictionis, & angustiæ. In mundo, inquit, afflictionem habetis. Hęc sententia lata est, nec potest retractari. Primùm enim manent in Christianis, hoc est, pĩs & uerè credentibus in Christũ, cõmunes afflictiones humani generis, de quibus in Genesi dictũ est: In laboribus comedes ex terra, cunctis diebus uitæ tuæ. Et mox: In sudore uultus tui uescęris pane tuo, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus est. Hæc est generalis afflictio, quæ in totũ humanum genus iam inde à primo Adamo deriuata est. Etsi eñ nonnulli inter hoĩes uidentur alĩs fœliciores, tñ nihil certius est, q̃p in quouis uitæ genere suas esse spinas & tribulos, labores & sudores, quibus tam pĩ q̃p impĩ obnoxĩ sunt. De inde, præter has communes cum humano genere afflictiones, accedunt pĩs peculiares molestię. Satan.n. summo odio prosequitur pios. Quare nihil

Pax Christi non mundana.

Generalis afflictio humani generis & peculiaris afflictio piorum.

nihil intentatum relinquit,q̃ efficiat,ut nõ ſimpliciter affligantur,ſed ut immaniter crucientur.Si qui.n. in exilium eĳciuntur, hi addita ſumma cõtumelia eĳciuntur.Si qui interficiunt̃,hi non ut uulgares ſcelerati,ſed ut pernicioſiſſima totius humani generis peſtis tollunt̃. Hoc Chriſtus ſuprà ſignificauit,cùm ait: Veniet tempus,ut quiſquis interficiat uos,uideatur cultũ prę̃ſtare Deo.Et aliâs:Ego emitto uos, ſicut oues in medio luporũ.Quæ,obſeero,eſt ſecuritas ouiũ inter lupos? Talis eſt uita piorũ inter hoĩes huius ſeculi.Omnino.n.decretum eſt,q̃ Eccleſia Chriſti debeat in hoc mũdo eſſe,uelut ouis inter lupos. Nec unquã deerunt Eccleſiæ ſuí lupi.Si Princeps non eſt lupus,magiſtratus ſeu officialis eius erit lupus.Si is non ſit lupus,lupi erunt ciues & ruſtici,lupi erunt Pontifices & hæretici.Breuiter, Eccleſia neceſſe habet uitã ſuã ducere inter lupos, ac etiã uulpes,quorum illi crudelitate & immanitate, hæ aſtu & uafricie in eam ſęuient. Vnde & Paulus ad Corinthios ſcribẽs: Ad hoc uſq̃ tempus,inquit,eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur,& incertis uagamur ſedibus. Ac mox: Velut excrementa mundi facti ſumus,oĩm reiectamentum ad hunc uſq̃ diem.Hæc eſt uita Chriſtianorũ in hoc ſeculo,& qui uerè Chriſtianus eſſe uoluerit, neceſſe habet ſeſe ad has afflictiones ferendas parare.Sicut & Chriſtus ait: Si quis nõ baiulat crucem ſuam & uenit poſt me,non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et mox: Omnis ex uobis,qui non renunciat oĩbus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.Dices igit̃:Si talis eſt cõditio Chriſtianorum,expedit ut maneamus Ethnici, aut fiamus Turcæ, aut eam ſequamur religionẽ, quam uidemus inter hoĩes eſſe tutam,ſiue ea ſit uera,ſiue falſa. Hoc fortaſsis non imprudenter dici uideretur,ſi non eſſet Deus,& nulla eſſet reliqua uita poſt hãc corporalem uſtam,& ut Paulus ait: Si in uita hac ſpẽ in Chriſto tantũ fixam habemus,maximè miſerabiles oĩm hominum ſumus.Sed optimè habet. Verè Deus eſt,qui miſit filium ſuũ in hunc mundum,ut nos in ipſum credentes oĩbus huius mundi aduerſis,ac morte ipſa liberaret,& ſempiternã fœlicitate cõſeruaret.Sic.n.additur:Confidite,ego uici mundũ.Hoc dictũ diligẽtiſsimè conſiderandũ eſt.Mundi.n. noĩe intelligitur primũ,princeps huius mũdi,qui eſt Satan.Hunc aũt uicit Chriſtus potentiſsimè,quia cõtriuit caput eius,per paſsionẽ & mortem ſuã,& deiecit oẽm tyrãnidem eius. Venit(inqt)princeps huius mũdi,& in me nõ habet quicquã.Ac iterũ: Princeps huius mundi iam iudicatus eſt.Et Paulus: Expoliatos principatus ac poteſtates oſtentauit palàm,triũphans de illis per ſemetipſum. Deinde mundi noĩe intelligitur pc̃tm̃ in mũdo,cuius peccati autor eſt princeps huius mundi diabolus. Vicit & hoc Chriſtus,quia expiauit pc̃tm̃ morte ſua,& adduxit,quẽadmodũ Daniel ait,ſempiternã iuſticiam.Etſi.n.Chriſtus cũ diceret: Ego uici mundũ,nondum ſubierat mortem, tñ quia in hunc mundum uenerat,ut ex uoluntate Patris mortẽ ſuſciperet,& ſe ad obediẽdum Patri obtulerat,mundus iam corã Deo uictus erat,ſicut & rectè in Apocalypſi dicitur: Agnus occiſus eſt ab origine mundi. Poſtremo nomine mundi intelliguntur omnia ſupplicia, quæ propter peccatum intrauerunt in hunc mundum, & quibus homines facti ſunt obnoxĳ, qualia ſunt,

Mundi nomine quid intelligatur.

paupertas,ignominia,morbus,Mors & infernus.Hæc oĩa Chriſtus ita uicit,ut euaſerit per ea ad cœleſtes diuitias, honores & perpetuã uitam, ac fœlicitatem. Vnde & Ioannes aliâs dicit: Ad hoc apparuit filius Dei, ut diſſoluat opera diaboli,quæ ſunt peccatum,calamitas, mors & infernus. Sed quid nos hoc(inquies)iuuat, ꝙ Chriſtus uicit mundum? An non ridiculum,aut potius contumelioſum eſſet, ſi quiſpiã auarus diues diceret ad pauperem fame pereuntem:Confide ego ſum diues? Aut ſanus quiſpiã ad ægrotum: Confide,ego ſum ſanus?Hoc potius eſſet miſeris inſultare,q̃ eos cõſolari.Sed tu rectè Chriſti uerba intelligas.Chriſtus nõ inſultat noſtræ miſeriæ,nec ridet nos,ſed docet ueriſsima & grauiſsima.Quod enim dicit:Ego uici mundum,ſignificat,uictoriam eius, noſtram eſſe,& nos uictoria eius liberari ac ſeruari.Suprà dixit: Iterum ueniam & aſſumam uos ad meipſum, ut ubi ſum ego,& uos ſitis. Et poſtea: Pater, quos dediſti mihi,uolo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum. Nam qui credunt in Chriſtum, fiunt per fidẽ membra Chriſti, fiunt & fratres,ac cohæredes eius.Dedit eum,inquit,caput ſuper oĩa ipſi Eccleſiæ,quæ eſt corpus illius.Et: Narrabo nomen tuũ fratribus meis.Et:Accepiſtis ſpũm adoptionis,per quem clamamns Abba Pater.Idem ſpiritus teſtatur unà cum ſpiritu noſtro,ꝙ ſumus filij Dei. Quòd ſi filij, igit̃ & hæredes: Hæredes quidem Dei,cohæredes aũt Chriſti. Cùm igitur nos,qui credimus inChriſtum,ſimus membraChriſti,& fratres atq̃ cohæredes eius,perſpicuum eſt,ꝙ uictoria eius ſit noſtra uictoria,adeoq̃ quicquid bonorum habet,ad nos pertineat.Omne, inquit aliâs Ioãnes, quod natum eſt ex Deo,uincit mundum: & hæc eſt uictoria quæ uincit mundum,fides noſtra. Quis eſt, qui uincit mundum, niſi qui credit,ꝙ Ieſus eſt filius Dei?Hoc eſt, Tunc fruimur uictoria Ieſu Chriſti, cùm in eum credimus,ꝙ non ſit tantum homo,ſed etiam uerus ab æterno filius Dei,qui expiauerit peccata noſtra,placauerit iram Patris, & conſecutus ſit nobis æternam iuſticiam, redemptionem & ſalutem. Hac uictoria Chriſti, pertulerunt obedienter & confidenter omnes afflictiones & mortem,non ſolum Apoſtoli & Martyres, uerumetiam Patriarchæ & Prophetæ.Hac uictoria Chriſti cõteritur caput diaboli, & uincitur omnis potentia eius. Agnoſcamus igitur eam per fidem,& transferamus ipſam in uſum noſtrum,ut ſuperato hoc mundo fruamur cœleſti triumpho in Chriſto Ieſu uictore & ſeruatore noſtro, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Chriſti uictoria eſt noſtra uictoria.

CAPVT XVII.

HOMILIA XLVII.

BSoluimus duas cõciones,quas Ieſus Chriſtus filius Dei poſt nouiſsimam cœnam habuit, & quibus expoſuit diſcipulis ueram rationem regni ſui, ac muniuit eos aduerſus omnia pericula, quæ eſſent ipſis in hoc ſeculo euentura, ut etſi affligantur, tamen habeant in ipſo ueram conſolationem & ſalutem. Nunc autem addit his concionibus

cionibus insignem precationē,id quod aptè congruenterq; facit. Fieri enim nō potest,ut uerbum Dei fructū afferat,nisi corda auditorū exciten tur & accendantur diuino spū,ut quod auribus acceptum est,fide agnoscatur & retineatur. Nam quēadmodum in facienda semente, agricola absoluit quidem suū externum officiū,cùm semen in agrū sparserit, sed nisi accedat incremētum Dei, inanis est labor agricolæ: ita in prædicando uerbo Dei,q̄d est cœleste semen,fungitur quidē concionator sua uocatione,cū exponit auditoribus cœlestē uocē Dei,sed ut ea fiat utilis,necessariū est diuinū incremētum. Ego plantaui,inquit Paulus,Apollo rigauit,sed Deus dedit incremētum. Itaq; neq; q plantat est aliquid,neq; qui rigat,sed qui dat incrementū Deus.Incremētum aūt seu benedictio Dei impetranda est fideli precatione. Quare cōcionibus semper addendæ sunt precationes,ut quod uerbo recitatur,Spū sancto fiat efficax. Ac profectò hęc precatio Christi memorabilis est,& obseruatione dignissima.Continet.n.ea,quæ uniuersæ Ecclesiæ ad salutem necessaria sunt: & utitur ea nō uanus quispiā aut simplex homo,sed unigenitus filius Dei, idq; eo tempore, q̄ iam ex mūdo discessurus erat, ut facilè conijci queat, eam maximè oīm seriam esse.Extant quędam precationes Patriarcharū, Prophetarum, Dauidis & aliorū piorum, quæ suam habent utilitatem. Hæc aūt precatio Christi oībus præferenda est,quippe q; ex hac omnes aliorum precationes suā habuerunt efficaciā.Nisi enim Christus impetrasset eis fauorē Patris,& aditū ad Patrem,sua intercessione,nunq; potuissent precationibus suis ad Deum peruenire. Nec sentias hanc precationē Christi transijsse unà cū externo sono in cōspectu Dei:aut Christū postq; ascendit in cœlū,& sedit ad dextrā Dei,desijsse hæc precari.Christus.n.nunq; intermittit officiū intercedendi pro Ecclesia sua,& uox huius precationis semper sonat in auribus Dei.Pater ipse dicit ad Christū, adeoq; iurat,& nō pœnitet eum: Tu es sacerdos inæternū secundū ordinē Melchisedec. Vocat Christum ꝑpetuum sacerdotem.Sacerdotis aūt est orare pro populo. Quare & Christi oratio pro suo populo perpetua est.Et Paulus ait: Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui est etiā ad dextram Dei, qui & INTERcedit pro nobis. Quid aūt Pater intercedenti filio tam dilecto negaret? Quare hæc precatio Christi reponenda est altissima mente, ut ex ea ueram nostrarū precationum efficatiā cognoscamus, & certissimā spem salutis nostræ concipiamus. Constat aūt hæc precatio tribus partibus. Vna precat Christus pro se, ut gloria & maiestas sua publicè in orbe patefiat & cognoscatur. Altera, precatur pro Apostolis suis,ut ministeriū eorū fœliciter procedat,& doctrina Euāgelij propagetur & cōseruetur in Ecclesia. Tertia, precat pro uniuersa Ecclesia,ut consequatur ꝑpter ipsum, Apostolico ministerio, uerā & æternā salutem.Quid his rebus Ecclesię maius,quid fœlicius cōtingere potest? Non precatur Christus,ut Ecclesia habeat externa regna in hoc seculo,nō precatur,ut habeat mūdanam fœlicitatem. Hæc enim non sunt uera salus,sed precatur,ut gloria nominis sui patefacta,pia doctrina Euangelij promoueat, & credentes in ipsum conseruentur in omnibus aduersis, & cū ipso cœlesti hæreditate fruantur. Pater, inquiens,

Precatio Christi.

Roma. 8.

Quid Christus oret & petat.

quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, & illi sint mecũ. Hæc est uera & perpetua fœlicitas. Quare sentiamus Christũ hac precatione tale beneficium complexũ esse, quo nullũ nec maius nec melius Ecclesia accipere queat. Sed priusq; accedamus ad explicanda uerba precatiouis, uideamus quo corporis gestu Christus hæc sit precatus. Hęc locutus est Iesus (inquit Euãgelista) & sublatis oculis in cœlum, dixit. Varij sunt gestus, quibus hoĩes in precatione uti solent. Aliâs em̃ flectunt genua, aliâs attollunt manus, aliâs procũbunt in faciem, aliâs attollunt oculos ad cœlum, aliâs demittunt oculos ad terrã, ut Euãgelicus ille publicanus. Ac quod ad Deum quidẽ attinet, iuxta refert, quo gestu utaris in precatione, hoc tm̃ curandum est, ut ex uera fide Deum inuoces: Deus enim fidẽ respicit, sine qua corporis gestus, quantumuis pij uideãtur, hypocritici sunt, & coram Dño abominabiles. Quod aũt ad nos attinet, externi gestus corporis, sunt indices animi nostri, qui q̃d cogitatione & uerbis agimus, etiam moribus significãt. Inter gestus aũt precandi, usitatissimũ est attollere manus & oculos in cœlum, q̃d non à pijs tãtum, uerumetiã ab impijs fieri solet. Siue enim Deum precantur, siue Deũ nominant, nõ respiciunt ad lapidea templa, sed ad cœlum. Hoc perspicuum argumentum est, cognitionẽ Dei conditoris cœli & terræ, naturaliter homini inditam esse, etsi impij hanc ueritatis cognitionẽ in mendacio detinent, sicut Paulus loquitur. Respicimus aũt in oratione ad cœlum, non ut significemus nos credere, Deum habitare tantũ in cœlo, Cœlum em̃, & cœli cœlorũ angustiores sunt, q̃ ut possint magnitudinem Dei capere, Sed respicimus in cœlum, ut testemur nos nõ inuocare idolum manufactũ, sed æternum Deum, conditorem cœli, & oĩm quæ cœli ambitu continẽtur. Quare, cùm Christus aliâs docuerit discipulos inuocare Patrem qui in cœlis est, attollit etiam in sua precatione oculos ad cœlum, ut testificetur se & ardere spiritu inuocandi, & solũ Deum Patrem cœlestem inuocare. Deinde Christus uocat Patrem suũ, non tãtum cogitatione cordis, aut tacito murmure oris, sed aperta & manifesta uoce, ut & discipuli uerba audiant: Etsi aũt externa uox in precatione non est necessaria: Deus em̃ cor intuetur, & audit cordis clamores, etiam si linguã ne moueas quidem: tñ externa locutio in inuocatione, ut habet exemplum Christi, ita etiam habet suũ, opportuno suo tẽpore, usum. Initio enim, confessio est, corã proximo, fidei nostræ, ut cognoscat quẽ Deum inuocemus, & excitetur etiam ipse ad inuocãdum Deum. Deinde externa locutio in oratione etiãm nobis priuatim prodest. Humana enim mens, si se recepe rit ad internã meditationem, occupari & euagari solet uarijs, ac sæpe absurdissimis & execrandis cogitationibus. Et præsertim, si suscipiat precãdum Deũ, Satan cõmittere non potest, quin quoquo possit instinctu, abducat eam à proposito. Externus aũt uerborum sonus, mentem ad se quodammodo trahit, & in attentione continet. Quare, cùm opportunitas fert, inuocemus Deum, non solũ cordis cogitatione, uerumetiam externa uoce, ut uagos animi motus intra suos terminos cõcludamus. Sed accedemus nunc ad ipsam Christi precationem. Pater, inquit, uenit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te. Sicut dedisti ei potestatem

Gestus uarij precantium

Christus cur attollat oculos in cœlũ.

Vox manifesta precantium.

testatem omnis carnis, ut quotquot dedisti ei, det eis uitã æternam. Hæc est prima pars orationis, in qua Christus precatur, ut maiestas ipsius reueletur in orbe terrarũ. PATER, inqt. Quid? præteribimus ne hoc uocabulũ oscitanter? Nihil certè minus. Non em̃ est alius, prꝛeter Christũ, qui natura sua possit Deum appellare Patrẽ. Deus enim genuit Christũ filium suũ ab æterno, & complectitur eum perpetuo fauore. Hic est, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est. Et aliâs: Inꝛeternum seruabo illi misericordiam meã, & testamentum meum fidele ipsi. Quomodo aũt talis Pater, tali filio aliquid negabit? Pater terrenus, etsi malus est, tñ filio petenti panem non dat lapidem, petenti piscem aut ouum non dat serpentem aut scorpium: & Pater cœlestis, bonitas ipsa, non daret unigenito filio suo, quod peteret? Quare Christus hoc primo precationis suæ uocabulo perspicuè significat, fieri non posse, quin preces suæ à Deo exaudiantur. Porrò non solũ Christus ipse Deum, ut Patrem, appellat, sed docuit etiam nos sic orare. Cùm oratis, inquiens, dicite: Pater noster, qui es in cœlis. At enim dices tu uicissim, qua fronte licebit nobis, exemplo Christi, Deum, ut Patrem inuocare, cùm Christus sit natura filius Dei, & potuerit Deum uerè & ex animo Patrem appellare, nos aũt simus natura filij iræ, & mancipia Satanæ? Respondebo uerbis Pauli: Eramus, inquit ille, natura filij iræ, quemadmodum & cæteri, sed Deus qui diues est in misericordia, propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, etiam cùm essemus mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Nam si naturã, aut iusticiam carnis nostræ considerauerimus, necesse habemus Deum magis, ut seuerum iudicem metuere, q̃ ut clementem Patrem appellare. Sed si conuersi fuerimus ad Christum, & agnoscamus eum seruatorem nostrum, non solum liberamur uinculis Satanæ, uerumetiam adoptamur in filios Dei propter Christum. Quotquot, inquit, receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his q̃ credidissent in nomen ipsius. Et aliâs: Accepistis spũm adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Ac iterũ: Vbi uenit plenitudo temporis, emisit Deus filium suũ, factum ex muliere, factum legi obnoxium, ut eos, qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorũ acciperemus. Quare si cum Christo per fidem cõiuncti fuerimus, licebit & nobis uerè & ex animo Deum, ut Patrem appellare, quam etiam appellationẽ ille ita agnoscit, ut non possit teneri, quin sic ex corde appellatus oẽm paternam beneuolentiam filijs suis exhibeat. Nec possumus in hac terra excellentiorem scientiam, aut utilius artificium discere, q̃ ut sciamus Deum, uerè & ex animo, ut Patrem inuocare. Hoc enim affectu animus eius ita expugnatur, ut oĩa cœlestia beneficia largiatur. Sed pergamus in precatione Christi. Venit hora, inquit, glorifica filium tuum: hoc est, Absolui nunc meũ ministeriũ, quod te, Pater, iubente, prꝛedicando Euangelio & edendis miraculis in terra suscepi, ac tempus uenit, ut mea maiestas in mundo patefiat, & illustretur. Quare oro & obtestor, ut me glorifices, & gloriam meã notam ac manifestam reddas. Quod precatur Christus, rectius intelligemus,

Orationis Christi pars prima, pro maiestate sua reuelanda.

Christi gloria quæ sit.

si considerauerimus, quæ sit maiestas & gloria Christi. Primùm igitur, Gloria Christi est, ꝙ sit uerus & unigenitus ab æterno filius Dei, eiusdem essentiæ & maiestatis cum Patre & Spũ sancto. Hac gloria nihil maius, nihil excellentius, nec in terra nec in cœlo inueniri potest. Deinde gloria eius est, ꝙ sit uerus ille Messias seu Christus, qui ab initio orbis terrę diuinitùs promissus fuit, & quí solus est seruator humani generis, uictor mortis, Rex regum, Dñs dominantium, cui datum est nomen, ut Paulus ait, super omne nomen, ut in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, terrestriũ & infernorum, nec sit aliud nomen, quo hoĩes ueram ac perpetuã salutem consequantur. Hæc est summa gloria, quæ superat omnes oĩm Regum & Monarcharũ maiestates. Cum igitur Iesus Christus sciat hanc gloriam ad se solum pertinere, precatur Patrem, ut eam publicè patefaciat. Quod aũt precatus est, hoc etiam impetrauit. Pater.n. suscitauit Iesum Christũ à mortuis, collocauit eum in throno suæ maiestatis, misit noĩe eius Spũm sanctum, qui excitauit discipulos Christi, ut non solũ magna miracula nomine eius ederent, uerumetiã Euangelion eius in toto orbe terrarũ uulgarent, & Gentes imperio eius subiicerent. Quibus rebus palàm declaratũ est, hunc Iesum esse uerũ & unigenitum ab æterno filium Dei, ac uerũ Messiam, seruatorem humani generis. Certò sciat, inquit Petrus, tota domus Israel, ꝙ Dñm & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem uos crucifixistis. Sed hîc considera mihi mirandam rationem exaudiendi & impetrandi. Christus orat, ut glorificetur, & exauditur oratio eius, attamen non statim sequitur gloria, sed ignominia, non mox sequitur maiestas, sed extrema deiectio. Paulò em̃ post capitur Christus, flagellatur, cõuicĩs proscinditur, crucifigitur, & tractatur ut bipedum oĩm nequissimus & sceleratissimus. Iudicatur indignus, quẽ terra ferat. Hæccine est gloria, hęccine est maiestas, quam filius Dei à Patre impetrauit? Sed sic solet Deus beneficia sua conferre, & exauditionem suã reuelare. Exaltaturus enim, humiliat: ditaturus, pauperem facit: glorificaturus, in ignominiam conĩcit: uiuificaturus, mortificat. Sic est ingeniũ Dei, q̃d & in unigenito filio suo testatus est, & nobis diligentissimè cognoscẽdum ꝓposuit. Alius em̃ paupertate pressus, orat Deum, ut largiatur honestas diuitias, sed ecce paupertas subinde fit grauior. Alius morbo afflictus, orat Deũ, ut restituat ipsi sanitatem, sed ecce morbus fit difficilior. Alius horrore mortis cõcussus, orat Deum, ut tribuat uitã, sed ecce uenit mors. Quid igitur dicemus? Num Deus orationem nõ exaudiuit? Absit, si modò ea ex fide fuerit profecta. Verè enim exaudiuit eam: sed solet alienũ opus facere, ut operetur opus suum, quẽadmodum Propheta ait. Quare aduersa, quæ post orationem accidunt, non ideo accidunt, ꝙ Deus orationem non exaudierit, sed ꝙ exauditionem suam aliter reuelet, cũ humanus captus intelligat, ideoq; bene confidendum est, & in oratione perseuerandum. Sic enim fiet, ut post tenebras, clara nobis lux oriatur. Sed quid est, quòd Christus precatur, ut glorificetur? Adeó ne ambitiosus est, ut sua ipsius causa gloriam in hoc mundo quęrat? Ego, inquit aliâs, gloriam meam non quæro. Quid ergo facit? Cohonesto, inquit, Patrem meum. Et hoc loco addit: Vt fi-

lius

lius tuus glorificet te, ſicut dediſti ei poteſtatem oīs carnis, ut quotquot dediſti ei, det eis uitā æternam. Hīc cōmemorat duas cauſas, ꝓpter quas petit glorificari. Vna eſt, ut per gloriam ſuā Deus Pater glorificet. Itaq; non quærit ſuam gloriā humana ambitione, ſed Patris gloriam, ad quā illuſtrandam oīa tam in cœlo q̄ in terra operam ſuam conferre debent. Quæ eſt ergo gloria Patris, ut & cognoſcamus quō Pater glorificetur per Chriſtum filiū ſuum? Dicam hoc uerbis in Exodo cap. 34. ſcriptis. Cùm em̄ Moſes peteret, ut Deus oſtenderet ipſi gloriam ſuā, iubet eum Deus ſtare in uertice montis Sinai, & recitat corā eo hæc uerba: DOMINATOR DOMINVS, Deus miſericors, & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac uerax: Cuſtodiens miſericordiam in millia, auferens iniquitatem & ſcelera atq; pc̄tā: Dimittens impunem, nō dimittens impunem: hoc eſt, ſeruans eum, qui crediderit, damnans eum, qui non crediderit. Audiamus & uerba Pſalmi centeſimi ſecundi, quibus ſimiliter gloria Dei perſpicuè exponitur: Miſerator & miſericors Dñs, longanimis & multū miſericors. Non in perpetuum iraſcitur, neq; inæternum cōminatur. Non ſecundum peccata noſtra facit nobis, neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cœli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Et reliqua, quæ ſequuntur. En, hæc eſt gloria Dei Patris, quæ his epithetis cōmemoratur, uidelicet q̄ ſit miſericors & clemēs, & remittat peccata gratis, ac ſeruet timentes ipſum perpetua ſalute. Hæ enim uirtutes tam honeſtæ ſunt, ut nulla humana lingua poſsit eas ſatis pro dignitate laudare. Reuelatæ aūt & pateſactæ ſunt de Deo Patre in toto orbe terrarum, poſtq̄ Euangelion de Chriſto filio Dei uulgatum eſt. Euangelion enim docet, q̄ Deus Pater tanta charitate complexus ſit humanum genus, ut ne proprio quidē filio ſuo pepercerit, ſed pro nobis oībus eum in mortem tradiderit. Docet q̄ Deus Pater humano generi propter filium ſuū ita placatus ſit, ut adoptet oēs in Chriſtum credentes, in filios & hæredes cœleſtiū ſuorum bonorum. Quò manifeſtè declaratur, Deum eſſe uerè miſericordem & clementiſsimum ſeruatorem. Quare cùm Chriſtus petit, ut ipſe glorificetur, eò maximè omniū reſpicit, ut Deus Pater glorificetur, & nomē eius in tota terra illuſtretur. Altera cauſa, cur Chriſtus petit glorificari, hæc eſt, ut ex cognitione gloriæ eius hoīes ueram ſalutem, & æternam uitam conſequantur. Sic enim addit: Sicut dediſti ei poteſtatem oīs carnis, ut quotquot dediſti ei, det eis uitā æternam: hoc eſt, Tu Deus Pater miſiſti me in mundum, ad hunc uſum, ut habeam poteſtatem oīs carnis, ut ſalutem meam impertiar non Iudæis tantum, uerumetiā gentibus in toto orbe terrarum (Iudæi enim & Gentes, nomine omnis carnis comprehēduntur) Dixiſti ad me: Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuā, terminos terræ. Et iterum: Dominabitur à mari uſq; ad mare, & à flumine uſq; ad terminos orbis terrarum. Ac rurſus: Parum eſt ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitādas tribus Iacob, & feces Iſrael conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea uſq; ad extremum terræ. Quare precor, ut quemadmodum tu uoluiſti me dominari in omni carne, in Iudæis uidelicet, & in Genti-

Gloriæ Chriſti cauſæ duæ

Gloria Dei patris.

bus, ita uelis etiam me diuulgatione Euangelij glorificare & illustrare in uniuerso mundo, quò omnes illi, siue sint Iudæi siue Gentes, quos mihi dedisti, & qui in me credunt, ueram & perpetuam uitam ac salutem consequantur. Ex his iterum uides Christum glorificatione nominis sui, non tam suam maiestatem, quàm hominum salutem quærere. Quid enim de sua ipsius maiestate tam sollicitus esset, cùm eam habuerit longè omnium maximam ab æterno, nec ulla sit creatura, quæ possit ipsam uel adimere, uel saltem minuere? Sed de nostra salute sollicitus est, & nostram fœlicitatem curat. Quare nõ est accusandus uanæ ambitionis, sed summæ gratiæ agendæ sunt ei, quòd cùm potuisset contentus esse æterna sua gloria & maiestate, quam habuit ab æterno apud Patrem suum, maluerit tamen nostræ salutis gratia seipsum inanire, & formam serui assumere, ut etiam coram mundo glorificaretur, quàm nos in nostro interitu deserere. Discamus & nos ex hac precationis Christi particula, quem nobis diuinorum beneficiorum finem, in nostris precationibus proponere debeamus. Christus enim precatur, ut Pater ipsum glorificet. In quem finem aut usum? Num, ut assecuta gloria liceat ipsi præ se, Deum & homines contemnere, ac in eos contumeliosus esse? Nihil minus, sed ut hac sua gloria, Dei Patris gloria illustretur, & hominum saluti consulatur. Proponamus & nobis hunc finem in nostris precationibus. Alius enim affligitur morbo, & precatur à Deo sanitatem. In quem finem? Vt possit consecuta sanitate liberius indulgere genio, aut imposturas suas, quibus assueuit, exercere? Hunc quidem sanitatis finem impij sibi proponunt. Nos autem cogitemus uerum sanitatis finem esse, ut nostris officijs gloriæ Dei seruiamus, & proximorum necessitati pro nostra uirili succurramus. Alius premitur paupertate, & precatur à Deo benedictionem suæ negociationis. In quem usum? ut partis opibus tradat se ignauo ocio, & helluationi? Hoc certè quærunt filij huius seculi. Nos autem quæramus gloriam Dei, & utilitatem proximi. His temporibus precamur in Ecclesia publicè & priuatim, ut Deus clementer tribuat tranquillitatem & pacem Ecclesiæ & patriæ. Quis autem debet esse finis huius beneficij? Non dubito, quin multi sint, qui cupiant direptionem facultatum Ecclesiasticarum, & licentiam uiuendi pro sua libidine. Sed hi, etiamsi inter nos sunt, tamen nõ sunt ex nobis. Pij enim hunc sibi tranquillitatis finem proponũt, ut gloria Christi promoueat, ut pia doctrina in Ecclesia conseruetur, ut idolatria aboleatur, ut non solum nos ipsi syncerum Euangelion Christi cognoscamus, uerumetiam ad finitimas gentes, & ad posteros nostros propagetur. In hunc enim usum nati, in hunc usum renati sumus, ut & Deum uerè cognoscamus, & gloriæ Dei, ac utilitati proximi nostri seruiamus. Quare meminisse debemus officij nostri in precatione, ut Deum ex fide inuocantes,

Finis beneficiorum in precationibus quis debeat esse.

proponamus nobis uerum ac legitimum finem beneficiorum Dei, quò possimus ea, certa & firma fiducia expectare, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Homilia

HOMILIA XLVIII.

NOn dubito, quin multi, cùm audierint Christum precari, ut Pater glorificet filium suũ, quò & filius Patrem glorificet, admiraturi sint, q̃ Christus extremo suo tempore tantam curam de Patris & sua gloria suscipiat, ut etiã precibus eam impetrare cõtendat. Pater. n. & filius eius Iesus Christus, unà cum Spũ sancto tam illustri ab ęterno gloria secũ insignes fuerunt, ut etiamsi celeberrimum inter hoĩes nomen habeant, tñ nihil ad cumulũ maiestatis & fœlicitatis eorum, ex humana laude accedere potest. Sed desinent illi mirari, si considerauerint, Christum hæc nõ aut sua aut Patris causa, sed propter salutem humani generis petere. Nisi. n. homines cognoscant Deũ Patrem, & filiũ eius Iesum Christum, non possunt ueram salutem consequi. Non cognoscunt aũt nec Patrem, nec filium, nisi hi fuerint Spũ sancto, siue id fiat publicè, siue priuatim, illustrati & glorificati. Quare quòd Christus de glorificatione precatur, humanæ salutis gratia precatur, ad quã consequendam necessaria est cognitio Patris & Filij per Spũm sanctum. Sic enim sequitur: Hęc est aũt uita æterna, ut cognoscant te solum uerũ Deum, & quem misisti Iesum Christum. Dixit se suã & Patris glorificationem ideo petere, ut det hominibus, quos dedit ipsi Pater, uitam æternam. Quõ ergo datur æterna uita ex hac glorificatione? Respõdeo: Ex glorificatione uenit cognitio. Ex cognitione aũt uenit æterna uita: imò ipsa cognitio Patris & filij est æterna uita. Hæc, inquiens, est ęterna uita, ut cognoscant te solum uerũ Deum, & quẽ misisti Iesum Christum. Hæc sententia una est è prȩcipuis dictis totius sacræ scripturę. Continet enim summatim doctrinã totius Christianismi, & describit eam religionem, qua sola cõsequimur uerã & perpetuam salutem. Quare hoc dictũ non tantũ audiẽdum est, sed ad uerbum ediscẽdum, & subinde diligentissimè considerãdum. Sed dices, Quid? an non hoc dicto uera Christianismi doctrina refutatur potius, q̃ confirmatur, cùm uideatur hìc dici, solum Patrem esse uerum Deum? Dicemus igitur filium nõ esse uerum Deum, nec Spũm sanctum esse uerũ Deum? Sic quidem impij Arriani abusi sunt hoc dicto, sed manifestũ est, si conferantur alia loca scripturæ cum hoc dicto, q̃ sicut Pater est uerus Deus, ita & filius est uerus Deus, & Spũs sanctus est uerus Deus. Nam Christus antè dixit, se dare uitã æternam, & nunc ait, uitã æternam contingere è sui cognitione. Ac mox concionabitur de gloria, quã habuit apud Patrem priusq̃ hic mundus fieret. Quibus uerbis haud obscurè tribuitur Iesu Christo diuina natura, prȩsertim cùm accedant multa alia testimonia scripturæ, de quibus aliâs copiosè diximus. Idem etiam de Spũ sancto sentiendum est. Quare Christus hoc loco non sic tribuit Patri diuinitatem, quod se & Spiritum sanctum ab ea excludat, sed excludit fictitios deos gentium, & damnat uanam opinionem Iudæorum de Deo. Nam paulò antè dixit, datam sibi esse potestatem omnis carnis. Intelligit aũt per Omnem carnem, Iudęos & Gentes. Quo enim tempore Christus humanã uitam in terra egit, non fuit alius, præter hos in hoc mundo, populus. Porrò, nec Gentes, nec Iudæi (loquor autem non de ijs Iudæis, qui credebant Propheti-

Christus curpetat glorificationem sui.

Autem pro enim phrasi græca.

Christianismi doctrina.

cis promissionibus de Messia, quorum erant paucissimi, sed de Iudæis Pharisaicis, Sadducæicis, & Epicureis, quorum orbis plenus erat) habebãt uerã religionem & cognitionem de Deo. Gentes em̃, etsi naturaliter fuerunt gnaræ Dei, quẽadmodum Paulus docet, tñ non crediderunt Deũ esse Patrem illum, qui missurus esset filium suũ Messiam, seruatorem humani generis: nec glorificauerunt eum, ut Deũ, sed mutauerũt gloriam immortalis Dei in effigiem similem mortali homini, similem bestijs, uolatilibus, quadrupedibus, & reptilibus. Ac tribuerũt diuinitatem uarijs creaturis, coluerunt́q; uarios deos. Alij em̃ coluerũt Iouem, & Martem & Saturnũ. Alij Solem & Lunam, alij crocodilum & felem, alij his etiã absurdiora, & magis abominabilia. In hanc Gentiũ impietatem respicit Christus hoc loco & dicit: Patrem solum esse uerũ Deum, hoc est, non esse alium Deum præter Patrem suũ. Dij em̃ Gentium, non sunt dij, sed dæmonia. Nam quod Christus hîc dicit, planè illud est, q̃d in Psalmo dicitur: Non est similis tui in dijs Dñe, & non est secundum opera tua. Ac mox: Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: Tu es Deus Solus: hoc est: Non est alius uerus Deus præter te. Et Paulus ad Timotheũ scribens: Serues, inquit, præceptum immaculatus & irreprehensibilis, usq; ad apparitionem Dñi nostri Iesu Christi, quam temporibus suis ostensurus est ille beatus & SOLVS Princeps, Rex regnantium, & Dñs dominantium, qui SOLVS habet immortalitatem. Hic loquitur Paulus de Patre, nõ ut de persona distincta à filio & Spiritu sancto: sic enim non solus habet immortalitatem: sed ut de Deo, cui una essentia coniuncti sunt filius & Spiritus sanctus. Et ad Corinthios scribens, ait: Scimus quòd nullum est simulacrum in mundo, & q̃ nullus sit Deus alius nisi unus. Nam etiãsi sunt qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, quẽadmodum sunt dij multi & dñi multi. Nobis tñ unus est Deus, qui est Pater ille, ex quo oĩa, & nos in illum: & unus Dñs Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum. Hic uides, q̃ cùm fit collatio inter uerum Deũ, & fictitios gentium deos, tribuat Spiritus sanctus ueram diuinitatem uni soli Deo: & quia tres sunt personæ unius diuinitatis, iuxta refert, quã personam in ea collatione expressè nomines. Piè enim dices: Solum Patrem esse uerum Deum. Dices etiam piè, solum filium esse uerũ Deum. Similiter piè dices, solum Spiritum sanctum esse uerum Deum, uidelicet si conferas inter se nõ personas diuinitatis (Inter has enim una est diuinitatis essentia) sed si uerum Deum conferas cum fictitijs dijs. Quare cùm Christus hoc loco dicat, Patrem esse solum uerum Deum, & conferat, quẽadmodum antea ostendimus, Patrem cum dijs Gentium, nõ excludit se & spiritum sanctum, sed excludit tantum uanos deos Gẽtium, qui non sunt ueri dij, sed dæmonia, & refutat religionem Gentium, q̃ nullus consequatur ęternam uitam ex cognitione eorum, quos illæ pro dijs agnoscunt & colunt. Iudæi autem, etsi uidebantur colere eum Deũ, qui creauit mundum, qui eduxit maiores ipsorum ex Aegypto, qui promisit Messiam, tamen cùm Messias olim à Deo promissus iam uenisset, non credebant Deum Patrem misisse hunc Iesum filium Mariæ, nec credebant hunc Iesum esse uerum filium Dei, & uerum Christum à Deo

Gentium dij.

Pater quomodo dicatur solus uerus Deus.

Deo Patre missum. Quare nec Iudęi agnouerunt uerũ Deum, nec potuerunt ex tali Dei cognitione ęternam uitã consequi. Porrò, quẽadmodũ Christi temporibus, duæ erant religiones, Iudęorũ uidelicet Pharisaicorum & Gentiũ, quæ non potuerunt cultores suos ad æternam uitã perducere: ita his tẽporibus tres sunt generales Religiones in orbe terrarũ, quæ cultores suos magis ad æternã mortem, q̃ ad æternam uitã ducũt. Vna est Iudęorũ Rabbinicorum, qui sunt successores illorũ Pharisaicorum. Hi dicunt se credere in Deũ Patrem omnis creaturę, sed nõ credũt eum misisse Iesum Christum filium suũ. Altera est Turcarũ. Hi dicunt se credere in unũ Deum creatorem cœli & terrę, qui & miserit Iesum Christum in hunc mundum: non credunt aũt, q̃ hic Iesus Christus sit uerus ab æterno filius Dei, & q̃ morte sua expiauerit peccata nostra, sed faciũt ex ipso legislatorem. Tertia est Papistarum. Hi etsi agnoscere se dicunt Iesum Christum à Deo missum, & esse uerũ filium Dei, tñ non agnoscũt uerum eius officium, q̃ ipse solus expiauerit sua morte peccata nostra. Tribuunt eñ expiationem peccatorum, etiã meritis iusticiæ, quã hoies faciunt. Sed nulla harum religionum potest hominẽ ad æternam uitam seruare. Quęso igitur te, dicito nobis, quæ sit illa religio, in qua ęternam uitã & fœlicitatem certò cõsequimur? Hic audiendus est filius ipse Dei, quem Pater audire iussit. Sic aũt dicit filius Dei: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum, uerum Deum, & quẽ misisti Iesum Christum. Cognoscendum est ex Euangelio, per Spũm sanctum patefacto & illustrato, q̃ non sit alius uerus Deus, nisi Pater ille, qui misit unigenitum filiũ suum Iesum Christum in hunc mũdum, ut expiaret peccata humani generis, & placaret iram suã, ac uinceret mortem & infernum. Hæc cognitio affert ęternam uitã, imò est ipsa æterna nostra fœlicitas & beatitudo. Non est aũt sentiendum, q̃ pij in futuro tantum seculo cõsequantur æternam uitam, sed q̃ cognitio Christi æternam uitam ita afferat, ut eam in hoc, q̃ in futuro seculo fruamur. Primùm enim, si uerè credideri mus in Iesum Christum, quòd ipse sit à Deo Patre missus, & placauerit iram Patris, tunc consequimur ius filiorum Dei, ut simus ueri hæredes æternæ uitæ. Qua fide ita regeneramur & recreamur, ut habeamus tranquillam & lętam conscientiam coram Deo, non solum spe iusticiæ in Christo, uerumetiam certissima expectatione liberationis in media etiamnum morte. Hic est gustus æternę uitę, etiam in hoc mundo. Regnũ Dei, inquit Paulus, non est cibus ac potus, sed iusticia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Et iterum: Iustificati ex fide pacem habemus erga Deum, per Dñm nostrum Iesum Christum, per quem & cõtigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe glorię Dei. Etsi enim caro adhuc imbecillis est, & multæ sunt afflictiones, quas feramus necesse est: denicq̃, ut nihil aliud accesserit, morte uel tandem obruimur: tamen quia fide in Christum, certissimi sumus, afflictiones & mortem, non esse in nobis uiam ad interitũ, sed ad salutẽ, possidemus etiã in hac mortali uita, non mediocrẽ partem immortalis & æternę uitę. Si quis, inquit Christus, seruauerit sermonẽ meum, mortem non uidebit inęternum. Et iterum: Ego sum resurrectio & uita: Qui

Generales religiones tres his temporibus.

Religio uera quæ sit.

credit in me, etiāſi mortuus fuerit, uiuet, & oīs qui uiuit & credit in mē non morietur inęternū. Deinde, ſi de futuri ſeculi fœlicitate dicendum eſt, tunc cognitio, ſeu ut uulgò loqui ſolent, uiſio & fruitio Patris & Filij & Spūs ſancti, ſumma & perpetua eſt oīm piorum uita & beatitudo. Sordidiſſimi hoīes, Turcę & Iudęi, conſtituunt futurā beatitudinem in perpetuo uſu carnalium uoluptatum. Fingunt, neſcio quas, Paradiſi amœnitates, quibus ſe beati perpetuò ſint oblectaturi. Hęc aūt non eſt hoīm, ſed porcorum uita ac fœlicitas. Nam uera hoīm uita & fœlicitas cōſiſtit in cognitione, in uiſione & fruitione Patris & Filij & Spūs ſancti, ſolius ueri Dei ac Dñi noſtri. Deus. n. eſt ſummum bonum, ſumma ſapientia & iuſticia, ſumma potentia & maieſtas. Quantam igitur putas eſſe fœlicitatem, Deum, ut eſt, non ſolum corā uidere, ſed etiam eo frui? Si quis famelicus corā uideat, ac fruatur optimo cibo, miram concipit uoluptatem. Si quis diu in tenebris uerſatus, cōtempletur amœnitates uerni tęporis, & fruatur ijs ſano corpore, quantū animo ſuo exhilaratur? Quid ergo de ea animi lętitia dicemus, quę ei homini cōtingit, qui diu ac multum aduerſis huius ſeculi grauiſsimè afflictus, uidet tandem corā, & fruitur Dño Deo ſuo? Si quis phyſicā cauſam admirandæ cuiuſdam rei, exempli gratia, repentini hiatus terræ, aut acceſſus & receſſus maris, inuenerit ipſe, aut ab alijs inuētam cognouerit, teneri non poteſt, ſi modò aliquid hominis habet, quin gaudio impleatur. Archimedes, cū in balneo ſedens, excogitaret, quō portio argenti auro mixta, in integro opere deprehendi ac diſcerni poſsit, tanta perfuſus eſt ex hoc inuento lætitia, ut mox è balneo exiliens, & nuditatis ſuæ oblitus, domū uerſus properaret, identidem uociferans: Inueni, inueni. Si cognitio naturalis cauſæ, aut alterius rei in hoc mundo non admodum excellentis, tantā affert animi uoluptatem, quantā, obſecro, ea cognitio affert, qua Deus ipſe uidetur, & cognoſcuntur in ipſo non tm̄ rerum oīm cauſæ, uerumetiā admirabile illud myſterium triū unius diuinitatis perſonarum? Pios em̄ in uenturo ſeculo uiſuros & cognituros Deum, ut eſt, Paulus perſpicuè docet. Ad Corinthios enim ſcribens: Cernimus nunc, inquit, per ſpeculum, in ænigmate, tunc aūt facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tūc uerò cognoſcam, quemadmodum & cognitus ſum. Et Ioannes: Cariſsimi, inquit, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid futuri ſumus. Scimus aūt, quoniam ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam uidebimus eum, SICVT EST. Quis aūt uidens Deum ſicut eſt, non frueretur eo? & quis eo fruens, non ſummo impleretur gaudio? non uita fruerętur æterna? Quare conferamus oēm noſtram cogitationem & curam in hoc ſtudium, ut cognoſcamus Ieſum Chriſtum, quē Pater ad ſeruandū humanum genus in hanc terrā miſit, & quem Spūs ſanctus illuſtrauit. Nam cognitiones aliarum rerum, ſeu artium, quas ita uocāt, liberaliū, ſeu agriculturæ, ſeu negociationum, ſeu opificiorę, habent quidem ſuā in hoc ſeculo utilitatem, non ſunt aūt æterna, ſed tm̄ in terrena uita. Sola cognitio ueri Dei, qui nobis miſit filium ſuū Ieſum Chriſtum, ętерna uita eſt. Hanc cognitionem urget Hieremias cûm ait: Hæc dicit Dñs, Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec

Vera hominum uita & fœlicitas.

Archimedes

ἡύρηκα. ἡύρηκα.

Cognitionis ueri Dei utilitas.

nec diuẽs in diuitijs ſuis, ſed in hoc glorietur, qui gloriat, Scire & noſſe ME, quia ego ſum Dñs, qui facio miſericordiam & iudicium & iuſticiã in terra. Et Oſeas: Scientiam Dei uolo plus q̃ holocauſta. Nam aliarum rerum ſcientiæ ſeruiunt corporali utilitati, quæ eſt caduca, hæc aũt ſcientia hominem perpetuò beat. Et aliarum rerum ſcientię, ſine hac, mutilæ ſunt, hæc aũt, etiam ſine alijs, ad uerã & perfectam ſalutem ducit. Quare etſi alijs ſcientijs ſuã debemus, pro ſua quiſq; uocatione, operam, tñ in hac omne ſtudium collocandum eſt, & ad hanc conſequendam, omnia alia referenda ſunt, ut uerè corã Deo huius uitæ noſtræ corporalis officio fungamur, & ad finem uocationis noſtræ, qui eſt æterna beatitudo, perueniamus. Sed percurramus etiã eam periodon, quæ ſequitur. Ego « te glorificaui ſuper terrã, opus cõſummaui, q̃d dediſti mihi ut facerem. « Et nunc glorifica me tu Pater apud temetipſum, gloria quam habui, pri « uſquàm hic mundus eſſet apud te. Precatus eſt antea filius Dei, ut glori- « ficetur à Patre. Nunc igitur exponit, quam gloriã petat. Variæ em̃ ſunt ſpecies gloriæ. Gloria eſt, eloquentem oratorem eſſe. Gloria eſt, acutũ Philoſophum eſſe. Gloria eſt, induſtrium artificem eſſe. Gloria eſt, diuitem ciuem eſſe. Gloria eſt, potentem Monarcham eſſe. Et multa id genus alia. Quam ergo gloriam petit filius Dei? Num ut Pater faciat ex ipſo eloquentem iuxta hoc ſeculum, oratorem, aut diuitẽ mercatorem, aut potẽtem in terra Monarchã? Nihil minus. Non petit uana aut mundana, ſed petit uera, cœleſtia & diuina. Petit em̃ ea gloria illuſtrari, qua ipſe miniſterio ſuo Patrem glorificauit, & quam habuit ante conditionem mundi. Videamus ergo quæ ſit illa gloria, qua Chriſtus Patrem in terris glorificauit. Ego te (inquit) glorificaui ſuper terram, opus cõſummaui, quod dediſti mihi ut facerem. Pater enim mittens filium ſuum in terram, impoſuit ei hoc opus, & hoc officium, ut prędicaret Eãngelion, ut ederet miracula, & ut ſuſciperet omnes humanas imbecillitates, ac tãdem etiam crucis mortem, qua expiaret humani generis peccata. Hoc opere & officio Chriſtus diligentiſsimè & obedientiſsimè ita functus eſt, ut nunquam ſuã humanam, ſed tantũ Dei Patris ſui gloriam quęſierit, & omnia ad Patrem ſuum retulerit, quò palàm declararet, eum ſolum eſſe uerum Deum, ab omnibus adorandum, & colendum. Ego gloriam meam (inquit) non quęro, ſed cohoneſto Patrem meũ. In doctrina enim oĩa ad Deum Patrem refert: Ego (inquiens) quod uidi apud Patrẽ meum loquor. Et iterũ: Ego ex Deo proceſsi & ueni. Neq; em̃ à meipſo ueni, ſed ille me miſit. Cum in deſerto tentaretur à diabolo, & diabolus iuberet ipſum ſe adorare, reĳcit eum hoc Dei præcepto: Dñm Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. In Nazareth patria ſua concionatur ex Eſaia, ac manifeſtè tribuit ea, quæ docet & facit, Deo Patri & Spiritui eius. Spiritus (inquiens) Dñi ſuper me, propterea quòd unxit me. Et aliâs perſpicuè facit Deum Patrem, doctrinæ ſuæ autorem: Mea (inquiens) doctrina, non eſt mea, ſed eius qui miſit me. Cùm filij Zebedei peterent, ut unus ſederet in regno eius ad dextram, alter ad ſiniſtram, appellat ad Deum Patrem: Meum (inquiens) non eſt hoc dare, ſed ijs continget, quibus paratum eſt à Patre meo. In concione de afflictionibus

Gloriæ uariæ ſpecies.

Chriſtus quo modo glorificauerit Patrem.

in orbẽ terræ uenturus, ſoli Deo Patri ſuo dat gloriam cognitionis: De die, inquiẽs, illo ac tempore nemo nouit, ne angeli quidem, qui in cœlo ſunt, nec ipſe filius, ſed ſolus Pater. Quid aũt dicemus de miraculis? Nã ea oĩa accepta fert Deo Patri ſuo. Dicit enim: Opera quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipſa, inquam, opera, quæ ego facio, teſtificanť de me, ꝙ Pater miſerit me. Ait, Patrem dediſſe ſibi opera, ſeu miracula quæ edat. Et cùm eieciſſet apud Gadarenos ex homine dęmonia, ablegauit eũ à ſe dicens: Redi in domum tuã, & narra quęcunꝙ tibi fecerit Deus. Hic uides eum totã miraculi gloriã Deo tribuere. Cùm excitaturus eſſet Lazarum à morte, attollit oculos ad Deũ, & manifeſtè agit Patri gratias, ut tota miraculi gloria ad Deum Patrem rediret. Quid, ꝙ cùm uocaret bonus, reſpondet, neminẽ bonum eſſe, niſi ſolũ Deum. Quid ꝙ ſubĳcit ſe ubiꝙ legi Dei, & in ſuſcipienda cruce & morte palàm ꝓfitetur ſe obedire ſcripturę Dei. In ſcriptura. n. Deus uoluntatẽ ſuã patefecit. Iam in precationibus ſuis, ſolũ Deum Patrem inuocat, & inuocãdum docet. Breuiter, Chriſtus tam in doctrina & miraculis, ꝙ in oĩbus alĳs actionibus & paſsionibus, in uita & morte cõcionatur de Deo Patre, & cõmendat bonitatem atꝙ clementiã eius, ut ſolus ipſe uerus Deus agnoſcatur & colatur. Cùm igiť Chriſtus tali gloria Patrem ſuũ illuſtrauerit, ac ipſum ſolum eſſe uerũ Deum adorãdum comprobauerit, adeoꝙ ſuo officio, ad ꝙd è cœlo miſſus eſt, diligenter functus ſit, ac totus ſit in eo, ut quod eſt ipſi mandatũ, abſoluat, precatur nunc, ut Pater uiciſsim illuſtret ipſum, & eadem gloria ipſum cohoneſtet, qua ipſe eũ cohoneſtauit, uidelicet, ut quẽadmodum Chriſtus declarauit Patrem ſuũ uerum eſſe Deum ab oĩbus adorãdum & colẽdum, ita Pater declaret etiã Chriſtum filiũ ſuũ, uerũ ab ęterno eſſe Deum ab oĩbus adorandum & colẽdum. Sed quid? an non hæc uidetur eſſe impudentiſsima precatio, ꝙ cùm ego doceam unum eſſe ſolum uerũ Deum creatorem cœli & terræ, petam à Deo, ut me pro hoc officio, uerũ Deum ſibi ęqualem faciat, & me talem eſſe corã uniuerſo mundo teſtificetur? Magna quidẽ & deteſtabilis impudentia eſſet, ſi is homo, qui nõ eſſet natura Deus, ſic precaretur. In Ieſu Chriſto aũt non eſt impudentia, ſed officiũ, & ueritas. Is enim non eſt tm̃ homo, ſed etiã natura ab æterno uerus Deus. Nec precatur, ut Deus aliquid nouæ diuinitatis in ipſum conferat, ſed tantum, ut ſuã illam diuinitatem, quam ab æterno habet, coram mundo illuſtret: Glorifica me, inquit, tu Pater apud temetipſum: hoc eſt, TV ipſe me glorifica. Nam mundus afficit me ignominia, ideoꝙ neceſſarium erit, ut tumetipſe me Spiritu ſancto illuſtres. Sed qua gloria? Non certè à me aliena, & me indigna, ſed ea, quam habui apud te priuſꝙ hic mundus eſſet. Ecqualis eſt iſta gloria? Primùm non eſt mundana, quia habuit eam priuſquàm mundus conditus fuit. Deinde non eſt angelica, quia angeli nõ ſunt filĳ, ſed ſerui Dei. Chriſtus autem eſt filius Dei. Filius meus es tu, inquit, ego hodie genui te. Et angelis pręcipitur, ut adorent Chriſtum. Adorent eum, inquit, omnes angeli. Chriſto autem non pręcipitur ut adoret angelos, ſed potius ut angeli ei ſeruiant. Reliquum igitur eſt, quòd hic ſermo fiat de diuina gloria, uidelicet, quòd Ieſus Chriſtus habeat ab æterno diuinam

Vide. Heb. 1.

Gloria quæ ſit qua Chriſtus petit glorificari.

tam gloriam,& sit unus,solus,uerus & æternus Deus,eiusdem essentiæ & maiestatis cum Patre & Spũ sancto.Itaq; cũ Christus precatur, ut Pater glorificet ipsum tali gloria, quali ipse eum ministerio suo glorificauit,& qualem habuit ante mundi conditionem, perspicuè precatur, ut Pater declaret ipsum esse uerum ab æterno Deum, eadem cum Patre & Spũ sancto ueneratione adorandum & colendum. Quod aũt Christus precatus est,hoc Pater paulò post manifestè præstitit.Iesus enim resurrexit à mortuis,ascendit ad cœlos,sedit ad dextram Dei,misit spũm sanctũ magnis miraculis,dedit discipulis potestatem edendi miracula suo nomine,diuulgauit per Apostolos suos Euãgelion in toto orbe terrarum, collegit Ecclesiam suam ex omnibus terræ nationibus, defendit ac tuetur eam in omnibus huius mundi persecutionibus,iustificat omnes credentes in ipsum, dat spiritum inuocandi Deum,ut Patrem, consolatur in omnibus aduersis, conseruat in morte, & dat æternam uitam. Hæc non sunt humana,sed diuina opera,quibus Pater palàm comprobat, q̃ Iesus Christus filius eius sit uerus ab æterno Deus.Quod cùm ita se habeat,nostri officij erit,ut hunc Iesum Christum,non tantum fide cordis amplectamur, sed etiam omni genere obedientiæ colamus & ueneremur, quò & nos nostris operibus publicè testificemur,eum esse uerum unà cum Patre & Spiritu sancto Deum benedictum in secula,Amen.

HOMILIA XLIX.

OStendimus precationem Christi,quam suscepimus explicandam,tribus partibus constare.In quarum prima Christus petit,ut gloria & maiestas sua illustretur,quò humanum genus cognoscat ipsum, & ex ea cognitione ueram ac perpetuam salutem consequatur. Cùm aũt hanc precationis partem qualicunq; nostra interpretatione absoluerimus,accedemus nũc,uestris precibus adiuti,ad secundam partem, in qua Christus precatur pro Apostolis suis, ut conseruentur, & ut ministerium eorum fœliciter in hoc mundo procedat,exponens interim, quanta sit ueritas & autoritas Apostolicæ doctrinæ,quæ nobis,præsertim hoc tempore, quo ꝓpter Apostolicæ doctrinæ professionem plurimũ affligimur, diligentissimè sunt considerandæ. Apostolica eñ doctrina hæc est, q̃ habeamus remissionem peccatorum & æternam uitã propter solũ Iesum Christum per fidem, quæ est in eum. Aduersarij aũt instituunt homines cogere,ut agnoscant pontificiam doctrinã,quæ obtrudit nobis merita humanæ iusticiæ,& indulgentias Papæ,id q̃d ex diametro cum Apostolica doctrina pugnat. Quare magnæ nobis curæ sit,ut certitudinem Apostolicę doctrinæ rectè cognoscamus. Manifestaui,inquit,nomen tuum hominibus,quos dedisti mihi de mundo. Tui erant,& mihi eos dedisti,& sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt,quòd omnia,quęcunq; dedisti mihi,abs te sunt,quia uerba quæ dedisti mihi,dedi eis,& ipsi acceperunt,& cognouerunt uerè,quòd à te exiui,& crediderunt,quòd tu me misisti. Ego pro eis rogo. Manifestaui,inquit,nomen tuum hominibus. Qui ergo sunt illi homines? De Apostolis loquitur. Nam postea faciet mentionem aliorum hominum, qui credunt doctrinæ Apostolicæ. Nunc autem de

Orationis Christi pars secunda pro conseruatione Apostolorum & ministerij eorum.

Apostolis ipsis sermo est. Pro his, inquit, rogo. Quæso igitur te, exponi to nobis, quales hoies sint Apostoli, ꝙ filius Dei tam sollicitè pro ipsis apud Patrem suũ intercedit? Quid, obsecro, fecerunt, ꝙ tantæ curæ sint Christo? Primùm, Apostoli, hi hoies sunt, quibus Christus nomen Dei Patris sui, & uerã doc.rinam, qua ęterna nobis salus proponitur, patefecit. Manifestaui, inquit, eis nomen tuũ. Et mox: Verba quę dedisti mihi, dedi eis: hoc est, docui eos uerã Dei cognitionem, & uerè cœleste Euangelion. Quid ergo? Num Apostoli nõ cognouerunt antea nomen Dei, aut Deum ipsum? Non. n. fuerunt Ethnici, sed Iudęi, qui erant populus Dei electus, in quo nihil notius erat noie Dei. Notus in Iudæa, dicit Psalmus, Deus, & in Israel magnũ nomen eius. Quid ergo est, ꝙ Christus dicit, se iam primũ patefeciſſe Apostolis suis nomen Dei? Cognouerunt quidẽ Deum antea cognitione Ethnica & Iudaica, uidelicet, ꝙ Deus sit summum bonum, benefaciens bonis, & puniens malos, ꝙ Deus sit creator cœli & terræ, ꝙ Deus eduxerit Israelitas è terra Aegypti. Non aũt cognouerunt eum Christiana cognitione, uidelicet, ꝙ Deus sit Pater Dñi nostri Iesu Christi, quem olim promiserit, & nunc præstiterit, ut propter ipsum placatus esset humano generi, & seruet oẽs, qui credunt in ipsum. Deus aũt non rectè cognoscitur, si cognoscitur tm̃, ut summũ bonum, benefaciens bonis, & puniens malos. Sic. n. & Ethnici Deum cognoscunt. Nec rectè cognoscitur, si cognoscitur tantum, ut creator cœli & terræ, liberator Israelis ex Aegypto. Hæc est Iudaica cognitio, qua nemo in iudicio Dei à peccatis liberari & seruari potest. Sed Deus cognoscendus est ut Pater filij sui Dñi nostri Iesu Christi. Hæc est uerè pia, recta & salutaris cognitio Dei, quam & Patriarchæ & oẽs pij ante Christũ hominem factum habuerunt. Abraham (inquit) exultauit ut uideret diem meũ. Vidit & gauisus est. Et: Credimus nos saluos futuros, per gratiam Dñi Iesu Christi, quemadmodum & ILLI, uidelicet, Patriarchæ. Nam extra Iesum Christum, Deus est iratus & condemnator, imò extra Christum, ne Deus quidẽ est. Quare nisi cognoueris Deum, ut Patrẽ Christi, nullam prorsus habes uerã Dei cognitionem. Itaq; nec Iudæi, quales nunc sunt, nec Turcæ, nec Pontificij uerè Deum cognoscũt, quia nõ cognoscunt eum, ut Patrem Dñi nostri Iesu Christi, ꝓpter quem solum cõsequamur salutem. Cæterum, superuacaneũ puto hic cõmerare, ubi Christus manifestauerit nomen Dei Patris Apostolis suis. In omnibus enim concionibus suis, quibus docuit se à Patre missum, & uerum esse Messiam, ac filium Dei, docuit etiã Deum tunc uerè cognosci, si cognoscatur, ut Pater ipsius, qui propter ipsum faueat humano generi, & seruet oẽs credentes in ipsum. Accedunt etiã miracula, quæ edidit Christus, quibus similiter manifestatũ est, Deum esse propicium, & ut populus loquitur, uisitasse plebem suã. Sed & de cœlo audita est uox Patris de Christo, Tu es filius meus dilectus, In te complacitũ est mihi. Vnde & Apostoli ipsi ingenuè cõfitentur: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Hæc est uera manifestatio nominis Dei, uidelicet, quòd Deus sit Pater Domini nostri Iesu Christi, & sit propicius ꝓpter Christum omnibus inuocantibus ipsum in ueritate. Deinde, Apostoli hi homines sunt, qui

Apostoli qui sint.

Cognitio Dei uera.

Actorum 15

qui non temerè uenerunt ad Iesum,& crediderũt eum esse uerum Christum,sed sunt diuinitùs à Patre ad eũ adducti. TV,inquit,dedisti mihi eos de mundo, TVI erant,&mihi eos dedisti.Quod Christus dicit tale quid est,quale est,si quis parens habeat numerosam prolem,& cõmendaturus salutem eorũ Deo in periculis uel famis, uel pestilentiæ, uel incursionis hostilis,dicat:Clementissime Pater,uides multitudinẽ liberorum meorũ,&magnitudinẽ periculorũ,quæ impendent eis: TVI erant, & mihi eos dedisti:Necp.n.ipsi se creauerunt,necp ego is sum,q fecerim sterilẽ matrem filiorũ lętãtem: Tua dona sunt, Tua est bñdictio. Quęso igitur te, p Iesum Christũ filium tuũ,ut cũ ego in tantis periculis eos conseruare nõ queã,tu in tuã curã eos suscipias: Defende & tuere tua ipsius dona,ut glorificemus nomen tuũ ppetuo. Sic & Christus abiturus morte ab Apostolis suis,& relicturus eos in medio furore huius mundi,cõmendat eos curę Dei Patris hoc argumẽto,cp nõ ipse Apostolos ad se recipiendũ uiolenter coegerit, nec Apostoli Christum humana prudẽtia elegerint,sed cp Pater eos Christo dederit. TVI, inqt,erant,& mihi eos dedisti. Non temerè uenerunt ad me. Non sunt coacti humana uiolẽtia ut me susciperent. Non uenerũt ad me humana eloquẽtia persuasi. Nullus hic est uel casus,uel temeritas, uel humanũ cõsilium: Sed TVI erãt, tuo spũ excitati sunt,ut me audirent,&cognoscerent, Sicut & aliás dicit: Nemo uenit ad me,nisi Pater meus traxerit eum. Et: Caro & sanguis nõ reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis. Sunt aũt suæ causæ, cur Christus in hac precatione cõmemoret, Apostolos esse Dei Patris dona. Significat enim,se probè confidere, cp cùm sint dona Dei, & ipse necesse habeat ab eis discedere,nõ dubitet,quin sint Deo curæ,& Deus sit ipsos seruaturus. Significat etiam hoc, cp Apostoli acceperint doctrinã suã à Christo,non humano cõsilio,sed diuino spũ excitati. Quare sentiendum est Apostolicã doctrinã,nõ esse humanum somnium, sed cœleste oraculũ, quo uerã salutẽ cõsequamur. Iam & hoc significat Christus cp qui audiunt & accipiunt Euangelium Christi fide, sint uerè Dei populus,à Deo ipso electus: Nullus enim audit & accipit Euãgelion Christi fide,nisi à Deo excitatus,& edoctus. Quare nulla teneat te anxia sollicitudo de prędestinatione Dei. Sed in hoc studium incũbas,ut audias & ames Euangelion Christi,& credas solum Christũ esse seruatorẽ tuum. Si.n.inueneris te in Christo per fidẽ,inuenies etiã te in Deo patre electũ & ad ppetuam salutẽ prędestinatum. Tui,inqt,erãt, & dedisti mihi eos. Qui ergo dati sunt Christo,hi etiã sunt electi & prędestinati. Sed pergamus ad reliquã descriptionem Apostolorũ. Apostoli enim hi homines sunt,qui acceperunt,inquit, uerba, quæ eis dedi,& seruauerũt sermonẽ tuum: hoc est, Audiuerunt meas conciones diligentissimè,& acceperũt eas,non ut hominis,sed ut Dei uocem. Et ex his concionibus cognouerunt,cp tu me misisti,cp sim uerus Messias: cognouerunt,cp omnia,quę cunqp dedisti mihi abs te sunt,hoc est,quòd omnia quæ habeo, loquor & facio,nõ sunt humana,sed diuina. Cognouerunt meam doctrinã esse diuinam, & mea miracula esse diuina, ideoqp crediderunt, quòd tu me misisti,cp sim uerus Messias,seruator humani generis. His uerbis Chri

Pater quare non deserat Apostolos.

Prædestinati qui sint.

ſtus non ſolum cõmendat Apoſtolos ſuos Deo Patri, ut cũ credant Euã gelio ſuo, tueat eos ne pereant, uerũ etiam cõmendat Apoſtolicã doctri nam nobis Apoſtolorũ diſcipulis. Quam.n. doctrinã Apoſtoli tradide runt nobis, non ſomniarunt, nec excogitarunt ſua humana ratione, ſed acceperunt eam diuinitûs. Non docuerũt ipſis incognita, ſed quæ cer tiſsimè cognouerunt, & ꝓbauerunt. Quare, ſi angelus aliud Euãgelion, præter Apoſtolicũ, docet, ſit nobis anathema. Cùm igĩt Apoſtoli ſint ta les, uidelicet, à te, Deo Patre, mihi donati, quibus nomen tuum manife ſtaui, qui & Euangelion meum acceperunt, & me, ut uerũ Meſsiam, co gnouerunt, idcirco, ROGO, inquit, PRO EIS. Non pro mundo rogo, ſed pro ĩjs, quos dediſti mihi. Quæ hæc noua eſt precatio? An non pre candum etiã pro inimicis? Orate, inquit, pro ĩjs, qui uos perſequuntur. Et Chriſtus ipſe precatus eſt in cruce ꝓ ĩjs, qui ipſum crucifigebant. Et Paulus: Deprecationes, inquit, fiant pro omnibus hoĩbus. Deus em̃ cũ ctos hoĩes uult ſaluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Quid ergo eſt quod dicit: Non rogo pro mundo? Cùm Chriſtus hîc de mundo lo quitur, nõ excludit alios homines præter Apoſtolos, quia poſtea orat e tiam pro ĩjs, qui crediturí erant per ſermonem eorũ, ſed excludit maxi mam partem hoĩm in hoc mundo, qui aut nõ requirunt Chriſtum, aut contemnunt, aut perſequuntur eum, & nõ reſipiſcunt ab hac impietate. Tres enim ſunt hoĩm ordines, pro quibus Chriſtus nõ orat. Primus eſt eorum, qui nõ requirunt Chriſtum. Secundus eorum, qui cõtemnunt Chriſtum. Tertius eorum, qui perſequũtur Chriſtum. Hi, ſi manſerint impœnitentes, non fiunt participes orationis Chriſti. Si manſerint, in quam, impœnitentes. Aliud eſt, ſi egerint impietatis ſuæ pœnitentiam. Sic enim & ipſi cõprehenduntur hac oratione. Quòd ſi aũt pergant ſem per impĩj eſſe, nihil ad eos oratio Chriſti. Quid aũt grauius eſt, ꝙ̃ non eſſe orationis Chriſti participem? Qui enim huius non eſt particeps, is nec poteſt regni cœleſtis particeps eſſe. Quare in hoc incumbẽdum no bis eſt, ut reſipiſcentia & ſtudio pietatis in oratione Chriſti comprehen damur. Nam, ꝙ pro inimicis, ac etiam pro oĩbus hominibus orandum eſt, non ſic intelligi debet, ꝙ orandum ſit, ut inimicorũ malicia, & hoĩm impietas promoueat. Deus.n. non eſt Deus uolens iniquitatẽ, neꝙ̃ per manebunt iniuſti ante oculos eius, ſed orãdum eſt, quẽadmodum Pau lus ipſe exponit, ut ad agnitionem ueritatis ueniant, ut reſipiſcant, quò & ipſi ſalutem conſequantur. Cùm aũt Chriſtus non orat pro mundo, ſignificat neminem poſſe ſeruari niſi in Eccleſia ſua. Non enim ſentien dum eſt, quòd unuſquiſq̃ in quauis religione ſeruetur, ſed ꝙ uera ſalus ſit in ſola Eccleſia Chriſti. Quare & oratio Chriſti ad ſolam ſuã Eccleſiã pertinet, & qui eius orationis particeps eſſe uoluerit, membrũ Eccleſiæ ſit, neceſſe eſt. Sed Chriſtus repetit iterũ cauſam, propter quam Apoſto los ſuos Deo Patri tam ſollicitè cõmendat. Repetit aũt eam, & ut clarius ipſam exponat, & fiduciam ſuam fortius confirmet. Dicit em̃: Pro ĩjs ro go, q̃s dediſti mihi: Quia TVI ſunt. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & glorificatus ſum in eis. Et iam nõ ſum in mundo, & ĩj in mundo ſunt, & ego ad te uenio. Sicut antea dixerat, TVI erant, & mihi eos dediſti.

Pro inimicis an ſit orandum.

dediſti. Ita nunc dicit: Tui ſunt, & mea omnia tua ſunt. Quod aũt dicit, hanc habet ſententiã. Ego rogo pro meis Apoſtolis, & cõmendo eos tibi cœleſti Patri. Hactenus em̃, cùm agerem apud ipſos externam huius uitæ conſuetudinẽ, defendi eos, ne ab aduerſarijs opprimerentur. Nũc aũt non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te uenio: hoc eſt, Nunc mihi diſcedendũ & moriendũ eſt, ut nõ amplius corporalem uitã cum ipſis in hoc mundo ſim acturus, ſed aſcẽdam in cœlũ, & ſedebo ad dextrã tuam. Ipſi uerò nõ ſunt hoc tẽpore morituri, ſed in mundo mãſuri, & in medio inimicorũ ſuorũ uitã acturi, ac nomen meũ glorificaturi. Glorificatus ſum, inqt, in eis, hoc eſt, Apoſtoli hi ſunt, per quorũ miniſteriũ gloria mea in mundo illuſtratur. Rogo igit̃ te, ut ſuſcipias eos in tuam tutelam. Et cur id non faceres? Omnia.n. mea, tua ſunt, & tua mea ſunt. Apoſtoli aũt ſunt Tui, ſunt igitur & mei, ideoq; dediſti mihi eos. Et ſunt mei, ſunt igitur & tui, quia oĩa mea, tua ſunt, ſicut & omnia tua, mea ſunt. Quare cùm cõmendo Apoſtolos tuæ curæ, non cõmendo tibi alienos, ſed Tuos. An uelles Tuos deſerere? Non facies. De te em̃ dictum eſt: Dñs non derelinquet ſanctos ſuos, In ꝑternũ conſeruabuntur. Vides, cꝫ fortem cauſam cõmemoret Chriſtus, cur Pater debeat Apoſtolos, ipſo diſcedente, in tutelam ſuſcipere. Petẽdum aũt eſt nobis hinc exemplũ, ut precaturi ſalutem à Dño in afflictione, exponamus ei, nos nõ eſſe alienos, ſed SVOS, ſanguine Chriſti redemptos, & ꝑpter Chriſtum in filios & hæredes cœleſtis regni adoptatos. Deus aũt tantæ eſt clementiæ, ut ſuos in omnibus periculis conſeruet. Montes, inquit, cõmouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia aũt mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dixit miſerator tuus Dñs. Quare benè confidamus, & certam in omnibus aduerſis liberationem ſperemus. Sententia autem hæc, quam Chriſtus hoc loco recitat: Omnia mea, tua ſunt, & tua, mea ſunt, diligenter eſt obſeruãda. Non ſolum enim exponit nobis maieſtatem Chriſti, uerumetiam conſolatur nos in omnibus afflictionibus. Primùm enim, ſi omnia Patris, Chriſti ſunt, quid reliquum eſt, niſi ut ſentiamus, etiam Patris eſſentiam Chriſti eſſe: hoc eſt, Chriſtum eſſe unum uerum & æternum cum Patre ſuo Deum? Deinde, ſi omnia Chriſti ſunt Patris, reliquum eſt, quòd & credentes in Chriſtum, ſint Patris. Qui enim in Chriſtum credunt, ſunt Chriſti. Sunt igitur & Patris. Si Patris, quomodo non ſeruarentur? Quid enim potentius Deo Patre? & quid eo clementius propter filium ſuum Chriſtum? Non terreamur igitur aduerſis, ſed reſpiciamus in Chriſtum filiũ Dei, per fidem, ut cùm huius membra ſimus, in protectione Dei Patris commoremur, per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Pater cur non debeat deſerere Apoſtolos.

HOMILIA L.

PErgit Chriſtus eas, quas inſtituit preces proſequi, pergamus & nos eas qualicunq; conſideratione noſtra expendere. Ac antè quidem commemorauit Chriſtus cauſas, cur ſuſceperit pro Apoſtolis ſuis precandum. Nunc autem exponit, quid precetur, & quid ipſorũ nomine à Deo Patre petat. Pater ſancte, inquiẽs,

ſerua eos in noīe tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unū, ſicut & nos. Hic inſtitio conſiderandū eſt epitheton, q̄d Chriſtus Patri ſuo tribuit. Vocat eū ſanctum. Hoc epitheton propriè conuenit Deo. Solus. n. Deus uerè ſanctus eſt. In Eſaia clamant Seraphim ad ſeinuicem, Sanctus, Sanctus, Sanctus DOMINVS DEVS Zebaoth. Et, ſicut Chriſtus ait: Nemo bonus, niſi ſolus Deus, ita etiã nemo ſanctus, niſi ſolus Deus. Homines em̄ ſunt natura ſua, propter pctm̄, prophani, & carent ſanctitate. Reperitur & in angelis prophanitas. Solus aūt Deus ſanctus eſt. Quid ergo? Si ſolus Deus ſanctus, & nos prophani, quomodo cōueniemus? quō conſtabimus in iudicio Dei? An non hoc epitheton multò magis nos à Deo alienat, & ad ipſum inuitat? Certè ſi ſine mediatore contulerimus nos, in hoc epitheto, cum Deo, fieri non poteſt, quin conīciamur in horrores inferni. Sed benè habet, Deus, qui ſolus uerè ſanctus eſt, ſaluti noſtrę ita conſulit, ut non ſibi ſoli ſuã ſanctitatem retineat, ſed habeat eam cōmunem cum hoībus. Id aūt hoc modo fieri ſolet: Pater ſanctus mittit filium ſanctū in hanc terram, & donat eum oībus credentibus in ipſum, per ſpiritum ſanctum. Quotquot igitur recipiunt filiū Dei ſanctum per fidem, hi propter filī Dei ſanctitatem, reputantur & ipſi corã Deo ſancti. Hæc aliena quidem ſanctitas eſt, ſed fit noſtra, per gratuitam Dei imputationem. Et fit etiam in nobis per Spūm ſanctum efficax, ut incipiat in nobis mortificare carnem, & deducere nos in uiam faciendæ iuſticiæ, imperfectæ quidem propter carnem, attamen obedientiam, & gratitudinē noſtram aliquo modo declarantis. Hoc nobis præter multas alias cauſas, etiam ꝓpter hanc cognoſcēdum eſt, ut ſciamus quid in diuinis promiſsionibus nomine ſanctorum & iuſtorum intelligendum ſit. Extant multæ promiſsiones ſanctis & iuſtis dictæ: Non derelinquet Dominus ſanctos ſuos, Inæternum conſeruabuntur. Et iterum: Clamauerunt iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorū liberauit eos. Ac mox: Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus liberauit eos Dñs. Qui ergò ſunt iſti ſancti & iuſti, quibus promiſſa eſt ſalus à Domino? Si opera reſpexeris, & conferas ea cum iudicio Dei, nullus hominum eſt ſanctus & iuſtus, quia non iuſtificatur in conſpectu Dei omnis uiuens. Si aūt reſpexeris Chriſtum per fidem acceptum, omnis ille ſanctus & iuſtus eſt, qui in Chriſtum credit, & ambulat ex hac fide in uocatione Dei. Quare qui uoluerit fructum diuinarum promiſsionum capere, ad Chriſtum ſe conferat, neceſſe eſt, ut propter Chriſtum reputetur coram Deo ſanctus & iuſtus. Sed audiamus nunc, quid Chriſtus à ſancto ſuo Patre precetur: SERVA, inquit, EOS. Si Chriſtus ſollicitus eſt pio Apoſtolis ſuis, ut ſeruentur, perſpicuum eſt, quòd multa & magna ſint pericula ipſorum, & graues afflictiones. Videamus igitur quæ ſint illæ afflictiones. Ac unum quidem genus ãfflictionum eſt generale, quod eſt commune cum omnibus hominibus. Poſtquàm em̄ Adam peccauit, factum eſt humanum genus obnoxium omnibus tam corporalibus, quàm ſpiritualibus calamitatibus, ñſcꝫ tam publicis quàm priuatis, uidelicet, morbis, fami, frigori, egeſtati, morti bellis, incendijs, oppreſsionibus, dolori, triſticię, egritudini animi, denicꝫ infini-

Solus Deus ſanctus.

Afflictionū genera.

tis

tis malis. Cùm igitur Apostoli hoies fuerint, nihil ab eis humanarum calamitatum alienũ fuit. Alterum genus est speciale, ꝙ cùm Apostoli adnuncient Euãgelion Christi, mundus habeat eos odio, persequat ipsos, & adimat ipsis etiã uitã. Sic. n. suprà dixit: Ego selegi uos de mũdo, propterea odit uos mundus. Et mox: Ego tradidi eis sermonẽ tuum, & mundus eos odio habuit. Tertium genus est priuatũ, ꝙ obiiciuntur terroribus mortis ac inferni. Profectò, hæc singula sunt grauissima. Quid ergo de uniuersis sentiendum esset? Quare precatur Christus, ut Apostoli in his oibus aduersis seruẽtur ne pereant. Existimas aũt preces Christi nõ esse efficaces? Certè res ipsa probat, Apostolos in hac uita, & morte tam admirabiliter seruatos, ut euaserint illæsi oia pericula ad cœlestẽ & perpetuã beatitudinem. Sed quo noie seruati sunt? Additur: in noie TVO. Hoc latè patet. Primùm em̃, Nomen Dei est, ꝙ sit uerax in promissionibus suis. Quare, cùm Christus petit Apostolos seruari in noie Patris, petit ut seruentur iuxta ueritatẽ diuinarum promissionum. Dixit em̃ Deus, se seruaturum oẽs eos, qui credunt in Christum. Sic Deus dilexit mũdum, ut daret unigenitum filium suũ, ut omnis, qui credit in eum, nõ pereat, sed habeat æternã uitã. Deinde, nomen Dei est omnipotens, & Deus Zebaoth, hoc est, uirtutũ seu exercituum. Ergo cùm petit ut Apostoli seruentur noie Dei, petit ut seruentur uirtute & potentia Dei. Nulla enim humana potestas est, quæ suscipiat eos tuendos & seruandos. Necesse igitur habent, ut diuinitùs seruentur. Adhæc, Nomen Dei est, Sanctus. Quare cùm Christus rogat, ut Apostoli seruentur noie Dei, rogat ut pro ratione diuinæ sanctitatis seruentur. Alia ratione seruat mũdus, alia Deus. Mundi ratio prophana est, Dei aũt sancta. Mundus seruat suos externo auxilio. Egentem seruat externa pecunia, Aegrotum seruat corporali sanitate, Oppressum seruat externa liberatione, Moriturum seruat medicina. Hic aũt non est uerus seruãdi modus, quia nec semper nec perpetuò seruat. Deus aũt seruat suos auxilio sancto, hoc est longè alio modo, ꝙ humanæ rationi cõueniens uidetur. Ditaturus egentem, conijcit in paupertatem, Seruaturus ægrotum, auget ægrotationem, Liberaturus oppressum, magis opprimit, Viuificaturus moriturum, mortificat: denicꝙ deducturus ad cœlum, deducit ad inferos. Hic est sanctus modus seruandi, quo & Apostoli seruati sunt, & oẽs pĩ seruantur. Postremo, Nomen Dei est glorioſum. Quare cùm dicitur Apostolos seruari noie Dei, significat eos seruari ꝓpter gloriã nominis Dei, & ad amplificandam famam eius. Magna enim gloria Dei est, si adiuuerit & seruauerit miserum atcꝙ afflictum. Hoc enim exemplo homines excitãtur ad fidem, ad inuocationem, & ad obedientiam Dei. Iste pauper, inquit Psalmus, clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Accedite ergo ad eum, & illuminabimini, & facies uestræ non confundentur. Et Paulus: Ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus oẽm clementiam ad exprimẽdum exemplar his, qui crediturí essent in ipso in uitã æternam. Sed in quem usum seruandi sunt Apostoli à Patre? Additur: Vt sint unum sicut & nos. Hic nobis considerandum est, quomodo Pater & Fi-

Apostoli seruantur in nomine tuo.

Nomen Dei.

1. Verax in promissionibus.

2. Omnipotens.

3. Sanctus.

4. Glorioſus

Apostoli in quem usum seruandi à Patre.

lius sint Vnũ, ut cognoscamus quõ Apostoli unũ esse debeant. Initio pa
ter & filius, duæ quidẽ sunt psonæ, sed una est ipsorũ essentia, & una diui
nitas. Ita & Apostoli, diuersa quidẽ mẽbra sunt, sed unum corpus, subu
no capite, Christo. Etsi.n. magnum est discrimẽ inter unitatẽ, quæ est in
ter patrẽ & filiũ, ac inter Apostolos, tñ quia est & sua essentiæ unitas, in
ter diuersa unius corporis mẽbra, non absurdè dicit, Apostolos sic unũ
esse, quẽadmodum pater & filius unũ sunt. Magnam aũt affert nobis cõ
solationem, cp Apostoli, & oẽs qui credunt Apostolicę doctrinę, de qui
bus postea sequit, sint unum corpus, sub uno capite, Christo. Vide em̃
mihi quid in humano corpore accidat. Alia mẽbra, inqt Paulus, gerunt
inuicẽ sollicitudinem pro alijs. Et siue patitur unum mẽbrum, simul pa
tiũtur oĩa membra: siue glorificatur unum mẽbrum, simul gaudent oĩa
mẽbra. Nec membra solum, sed & caput ipsum, imò maximè oĩm caput.
Idem accidit in spũali corpore Christi. Si pius quispiã, qui est corporis
huius mẽbrum, affligitur, pertingit ea afflictio non tm̃ ad alios pios, sed
etiã ad caput ipsum, Christũ. Quid igit̃ metuis, ne afflictio te opprimat?
Tecum affligũtur oẽs pñ. Nec sic simul affligũtur, quẽadmodum hoies
huius seculi. Etsi.n. inter hos alter ex alterius afflictione dolorẽ capit, tñ
alienus dolor nullam affert afflicto liberationẽ. In corpore aũt Christi,
quæ mẽbra simul patiuntur, ea etiã simul seruantur, per caput suũ Chri
stum. Afflictio.n. piorum pertingit usq; ad Christum ipsum, qui est ca
put eorũ. Fieri aũt non potest, ut afflictio opprimat Christũ. Quare nec
fieri potest, ut pium in Christo manẽtem opprimat. Atq; hæc quidẽ de
unitate piorũ sub uno capite Christo diligenter conseruanda sunt. De
inde, sicut inter Deum patrem & filium eius, una est diuinitatis essentia,
ita etiã est una uoluntas, una animi sentẽtia, & una doctrina. Quæ Deus
Pater uult & sentit, eadem uult etiã & sentit filius. Quæ est Dei Patris do
ctrina, eadem est & filij Dei. Sic precatur Christus, ut & Apostoli unum
sint, & eadem doceant. Quæ precatio Christi fuit etiã efficax. Apostoli
enim oẽs uno ore, unum & idem Euãgelion de Iesu Christo docuerunt,
uidelicet, quòd sit uerus Messias seu Christus, filius Dei, & quòd pro
pter hunc solum, si credimus in eum, habeamus propicium Deum, re
mittentem nobis peccata, adoptantem nos in filios suos, & seruantem
nos in morte ad æternam uitam. Hæc Apostoli omnes magna concor
dia docuerunt, qua etiam factum est, ut etsi Ecclesia uidebatur initio par
ua, tamen in tantam magnitudinem creuerit, ut totum orbem terræ im
pleat. Maneamus igitur in hac concordi Apostolorum doctrina, ut &
in Ecclesia, adeoq; Christo ipso maneamus. Sed pergamus ad ea quæ se
quuntur. Dicet enim quispiam ad Christum: Quid tu tam sollicitè com
mẽdas patri Apostolos tuos, cùm tuipse possis eos seruare? Cur tuipse
» non defendis eos, ut seruentur? Ad hoc respõdet Christus: Cùm essem,
» inquiens, cum eis in mundo, ego seruabã eos nomine tuo. Quos dedisti
» mihi, ego custodiui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius ille perditus, ut scri
» ptura compleretur. Nunc autem ad te uenio, & hæc loquor in mundo,
» ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Quod dicit, habet
hanc sententiam: Ego quidẽ, quamdiu egi externã uitæ consuetudinem

cum

cum Apostolis meis in hoc mundo, seruaui eos docendo, cõsolando, & tuendo ab aduersarijs, nec quenq; ex eis amisi, prꝛeter unũ illum Iudam Ischariotẽ, cuius interitus, ut maximũ mihi dolorẽ affert, ita à me, iuxta scripturam, ferri oportet, quò ad expianda peccata, oĩbus afflictionũ generibus afficiar. Nunc aũt discedẽdum mihi est ex hoc mundo per mortem, nec agam amplius cum ipsis corporalem uitã in hoc seculo. Quare precor te sancte Pater, ut cũ tui sint, & tu mihi eos dederis, suscipias eos in tuã tutelam, & defendas eos in omnibus periculis. Quid ergo ad hæc dicemus? An Christus, postq; cõmendauit Apostolos & Ecclesiam suã Patri, & discessit ex hoc mundo, nõ amplius tuetur eos? Certè tuetur, nõ aũt externa prꝛesentia & corporali suo ministerio, sicut antea, cùm adhuc uitã in terris ageret, sed tuetur eos inuisibili prꝛesentia, & diuina potẽtia. Ecce ego, inqt, uobiscum sum oĩbus diebus usq; ad consummationem seculi. Nam in locum externi sui ministerij, & uisibilis præsentiæ misit spũm sanctum, & instituit publicam prꝛedicationem Euãgelij, atq; usum sacramentorꝛ suorum, quibus Ecclesiam ita defendit & conseruat, ut ne portæ quidẽ inferorum aduersus eam præualere queant. Cùm igiẽ prædicatur Euãgelion Christi, & distribuũtur sacramẽta, meminerimus nobis tum proponi cœleste præsidium, quo aduersus oẽs Satanæ assultus tuti esse possimus, si ijs per fidẽ utamur. Quod aũt Christus dicit se nullum ex Apostolis amisisse, prꝛeter filium perditum, Et addit: Vt scriptura impleretur, non est intelligẽdum, q̃ Iudas coactus sit, autoritate scripturæ, Christum prodere, & perire. Neq; n. Deus, neq; scriptura Dei, autores sunt peccati. Nec Iudas ideo peccauit, quia scriptura dicit, eum peccaturum. Sed quia sua sponte peccaturus, & Christum proditurus erat, idcirco scriptura de eo uaticinatur. Et Christus cùm ait: Vt scriptura impleretur, significat obedientiam & patientiam suã in sufferenda defectione & proditione discipuli sui. Venit enim Christus in hunc mundum, ut susceptis peccati supplicijs, & grauibus afflictionibus, expiaret peccatum. Inter graues aũt afflictiones recensentur non solum corporalis captiuitas, flagellatio, manuum & pedum confossio, & crucifixio, uerumetiam dolores animi, qui ex defectione optimorum amicorũ, & ex proditione sui ipsius discipuli, de q̃ optimè meritus fuerit, cõcipiuntur. Huius doloris tanta grauitas est, ut Christus de eo in scriptura conquestus sit, priusq; hoiem assumpsit. In Psalmo quadragesimo dicit: Homo pacis meæ, in q̃ speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationẽ. Et Psalmo quadragesimo quarto: Si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: Tu uerò homo unanimis dux meus, & notus meus: Qui simul dulces mecũ capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum cõsensu. Quare, cũ Christus hoc loco dicit, se amisisse Iudã, ut scriptura impleret, non significat Iudã scriptura coactũ fuisse prodere & perire, sed significat se uenisse in hunc mundum, nõ ut proditionem Iudæ omnipotenti sua maiestate impediret, sed ut obedienter eas afflictiones, quas scriptura in ipsum uenturas prꝛedixit, susciperet, ac peccata humani generis expiaret. Ergo, quod ait: Nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditus, ut scriptura impleretur, ha-

Christus discedens an deseruerit suos ita, ut non tueatur eos.

Iudas non coactus perijt.

bet hanc ſententiã: Potuiſſem quidẽ pro mea maieſtate, nõ ſolum unde cim Apoſtolos, ſed etiã duodecimũ, Iudam uidelicet, ſeruare ne periret; aut ipſum ab initio nõ elegiſſe in Apoſtolum, ne mihi ſua proditione tãti doloris & afflictionis autor fieret, ſed quia ueni in hunc mundũ, ut obedirẽ uoluntati Dei Patris, quæ per ſcripturã reuelata eſt, uſq; ad mortẽ crucis, idcirco ſuffero interitum Iudę, q̃d mihi maximum affert dolorem, ut etiã hoc doloris genere expiem pc̃tã hoĩm, & placem iram Dei. Diſcamus & nos uoluntatẽ Dei ex ſcriptura, ut obſequamur ei non ſolũ in faciendis bonis, quæ prẽcepta ſunt, ſed etiã in ſufferendis malis, quæ diuinitũs nobis immitti ſolẽt. Voluntas.n. Dei eſt, ut & bona faciamus, & mala obedienter feramus, donec regnum Dei de cœlo reueletur. Cæterꝝ, cùm Chriſtus has preces corã Patre effunderet, non recitauit eas ſecum tacitè, ſed recitauit eas clarè, audientibus Apoſtolis ſuis. Addit igit huius rei cauſam, & docet uſum precum ſuarꝝ. Hæc loquor, inquiens, in mundo, ut habeant gaudium meũ impletum in ſemetipſis: hoc eſt, Recito has preces alta uoce, ut Apoſtoli eas corporalibus auribus percipiãt, & uerũ ac perfectũ gaudiũ ex his meis precibus, in oĩbus aduerſis ſuis, ſecum concipiant. Pater.n. tanto amore me complectitur, ut teneri non poſsit, quin preces meas exaudiat. Precor aũt pro Apoſtolis, & Eccleſia mea, ut ſeruẽtur. Quare ſi in aduerſis, harum precum meminerint, & exauditionem earꝝ probè conſiderauerint, fieri nõ poteſt, quin uero & magno gaudio perfundantur. Alij alias quærunt in aduerſis cõſolationes. In paupertate, quę runt diuitias: In morbis, quę runt ſanitatẽ: In horroribus mortis, quę runt externã & corporalem uitam. Hæ ſunt humanę cõſolationes, quæ nec cuiuis contingunt, nec afferunt ſolidum & conſtãs gaudium. Preces aũt Chriſti afferunt diuinã conſolationem, & pariunt cœleſte gaudium. Quare conferamus nos in omnibus afflictionibus ad has preces, & cõſideremus eas diligenter, ut & fructum earꝝ p̃cipiamus. Sed priuſq; finem dicẽdi nunc faciã, recitabo unum genus afflictionis, in quo Chriſtus precatur, ut Apoſtoli eius ſeruent. Sic.n. ſequitur: Ego tradidi eis ſermonẽ tuũ, & mũdus eos odio habuit, quia nõ ſunt de mũdo, ſicut & ego nõ ſum de mundo. Hoc eſt, precatus ſum, ſancte Pater, ut meos Apoſtolos ſerues. Non.n. uideo, quẽ alium ſeruatorem habeant. In hoc certè mũdo, nõ habebunt ſeruatores, ſed oſores, perſecutores & occiſores. Docui.n. eos Euangelion tuum, q̃d ipſi meo mandato, in hoc mundo inter Iudę os & Gentes adnunciabunt: pro q̃ beneficio deberẽt ab hoĩbus maximã gratiã reportare. Sed quia cœleſtia, nõ mundana docent, & ſunt ſelecti ad accipiẽdum regnũ cœleſte, non mundanũ, idcirco pro gratia reportabunt odium & perſecutionem. Erunt odio nõ Iudę is tm̃, ſed & gentibus. Erunt odio non ſubditis tm̃, ſed & magiſtratibus, regibus & principibus. Quare ſolus tu, ſancte Pater, reliquus es, qui eos defendas & ſerues. Sed quid? Num exiſtimãdum eſt Apoſtolos minus tutos eſſe, cꝝ deſtituti omni humana ope, è ſola diuina pendeant? Minimè oĩm. Nemo.n. magis tutus eſt, quàm qui ab hominibus deſertus, ſolo diuino auxilio conſtat. Res em̃ ipſa teſtatur, quòd quantum humani auxilij in unum collatum fuerit, tantũ abſit diuini. Pharao perſequitur

Orationis Chriſti uſus.

Afflictiones, in quibus Chriſtus petit ut diſcipuli ſeruentur.

Iſraelitas

Iſraelitas ex Aegypto proficiſcentes. Munitus aũt erat maiori exercitu hominum, q̃ꝫ qui numerari potuerit. Quanta em̃ fuerit multitudo eius, uel ex hoc facilè cõñci poteſt, ꝙ cùm Iſraelitarum eſſent ſexcenta millia peditum uiroꝝ, mirum tñ in modum in aduentu Aegyptioꝝ trepidauerint. Sed quò maius erat humanum auxilium cum Pharaone, hoc minus erat diuinum, ideoq́ exclamat: Fugiamus Iſraelem, Dñs enim pugnat pro eis contra nos. In libro Iudicum, incurrunt Midianitæ, Amalecitæ, & omnes Orientales populi in terram Iſrael innumerabili hoĩm multitudine. Fuſi iacebant, inquit ſcriptura, in ualle, ut locuſtarum multitudo. Et cameli innumerabiles erãt, ſicut arena, quæ iacet in littore maris. Quid hoc humano auxilio potentius? Sed qui muniti erãt humano, deſtituti ſunt diuino præſidio. Tanta. n. hominũ multitudo à trecentis tm̃, ñſq́ nõ pugnantibus, ſed buccinis tm̃ clangentibus ita terrentur, ut nõ ſolum fœdiſsimè fugiant, uerꝝ etiam mutua ſeſe cæde obtruncent. Dixit quidam ex ueteribus patribus: Quem hoĩes frequẽtant, eum angeli nõ frequentant. Hoc rectè dictum eſt, ſi intelligas uel de humano contubernio, in q̃ inepta, uana, aut impia tractãtur, uel de humano auxilio, in quo fiducia collocatur. Sed ſi eum angeli non frequentant, quem hoĩes frequentant, certè conſequens eſt, ꝙ quem hoĩes non frequentant, eum angeli frequentent. Immittet, inqt, ſeu caſtrametabit angelus Dñi in circuitu timẽtium eum, & eripiet eos. Et: Angelis ſuis mandauit de te, ut cuſtodiant te in oĩbus uĩs tuis. Metuunt quidem homines ſibi, ſi deſtituti humano auxilio, ſolum Deum habeant tutorem, ſed nunc̃ꝫ magis tuti ſunt, c̃ꝫ cùm Deus in ſuam ſolius tutelam ipſos receperit. Confidamus igitur in deſertione humanę opis, & maneamus in uocatione Dei, aut ſi deflexímus à uia, reuertamur ad eam, ut quantò longius à nobis recedit homo, tantò propius accedat Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum Patre & Spũ ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LI.

PAter ſancte, inquit filius Dei, ſerua eos in noĩe tuo. Audis pauciſsima uerba, ſed quæ uno SERVANDI uocabulo, maxima beneficia complectũtur. Et tamen rationem ſeruandi alius aliter intelligit. Quare Chriſtus ſuſcipit nunc hoc uocabulum interpretandũ, & docet, quomodo uerbum ſeruandi intelligẽ dũ ſit. Interpretatio aũt huius uerbi ualdè neceſſaria eſt, & cũ primis ad cognoſcendas ueras conditiones regni Chriſti utilis. Tota. n. ſcriptura plena eſt promiſsionum, ꝙ Deus SERVET & eripiat inuocantes ipſum, ex oĩbus tribulationibus, & quòd ſit adiutor in neceſsitatibus. Multæ, inquit, tribulationes iuſtoꝝ, & de omnibus his liberat eos Dominus. Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur. Et Chriſtus ipſe in Euangelio promittit pleno ore omnem ſalutem his, qui credunt in ipſum, & inuocant nomine ſuo Patrem. Quicquid petieritis, inquiens, Patrem nomine meo, dabit uobis. Cùm autẽ homines audiunt uerbum Seruandi, adiuuandi, eripiendi, & liberandi, ſolent ſtatim externum & corporalem quendam auxilĩ & ſalutis modũ imaginari, Qui ſi fefellerit ipſos, arguunt Deum mendacĩ, ruunt in con

Seruandi uerbum multi non intelligunt.

temptum Dei,ac ſentiunt Deum aut non eſſe,aut nullam habere curã rerum humanarꝝ. Et quẽadmodum multi auditores concionũ Chriſti,& ſpectatores miraculorꝝ eius,agnouerunt eum,ut uerũ Meſsiam,& ſeruatorem gentis,interim aũt ſomniabant regnũ eius fore mũdanum,& ſalutem terrenam:ſed poſtq̃ hac expectatione falſi ſunt,& uiderunt Chriſtũ miſerè crucifigi & mori,iudicauerunt cõciones eius uaniſsimas eſſe nugas & impoſturas. Ita & fieri ſolet in adnunciatione diuinarꝝ promiſsionum,& Euangelij̃ Chriſti, q̃ promittitur ſalus & liberatio ex oĩbus afflictionibus. Fingunt.n. homines corporalem modũ liberandi,& cùm hic non reſpondet expectationi eorꝝ,abij̃ciunt oẽm timorem Dei,& putant pura puta eſſe mendacia,quęcunq̃ de Deo,& ꝓmiſsionibus eius cõmemorantur. Quare neceſſariũ eſt,ut uera ſententia de uerbo SERVANDI ſeu liberandi & eripiendi,in Eccleſia extet: ideoq̃ optimã nauat operam Chriſtus,q̃ ſuſcipiat hoc uerbum interpretãdum,ut ſciamus,quæ
» ſit uera ratio ſalutis in regno Chriſti. Sic ergo dicit: Non rogo ut tollas
» eos de mundo,ſed ut ſerues eos à malo. Precatus ſum antea,ut ſerues Apoſtolos meos,ſed uideo carnales hoĩes aliter intelligere uerbũ ſeruandi,q̃ ſpũs ſanctus ſentiat. Quare interpretor nũc hoc uerbum, & nõ ſic intelligo,ut Apoſtoli tollant̃ de mundo,ſed ut ſeruentur à malo. Conſideremus igit̃ initio quid hoc loco ſit Tollere è mundo. Primũ eñ, Tollere è mũdo,eſt liberare aliquem cõmunibus afflictionibus & calamitatibus huius mundi,ſicut de impĩs ſcribitur: In labore hoĩm non ſunt,& cum hoĩbus non flagellantur. Multæ.n. & magnæ ſunt calamitates,quibus hoĩes in hoc ſeculo,tam publicè q̃ priuatim ſunt obnoxĩ. Publicæ calamitates ſunt,incurſiones hoſtiles,bella,incendia,direptiones,uaſtationes urbium & regionum,peſtilentia,fames,& id genus multa. Priuatæ ſunt,morbi,paupertates,infamia,exilium,ac tandem mors ipſa,adeoq̃ uaria & crudeliſsima genera mortis. Alius.n. ſuſpenditur ex cruce, alius gladio occiditur,alius rota cõtunditur,alius aqua ſuffocatur,alius in partes diſſecatur. Et quis oĩa mortis genera percurrere poſſet? Tollere igit̃ de mundo, eſt liberare aliquem calamitatibus huius mũdi, ne eũ attingant,& affligant. Cũ ergo Chriſtus ſuprà rogaſſet Patrem,ut ſeruet Apoſtolos ſuos,& mox precetur,ut ſeruet oẽs credentes uerbo Apoſtolico,hoc eſt,uniuerſam Eccleſiã,interpretatur nũc, ſe uerbũ SERVANDI non ita intelligere, q̃ Apoſtoli & credentes Euãngelio debeant eſſe liberi & immunes à calamitatibus huius mundi. Nullum.n. eſt calamitatis & maledictionis genus in hoc ſeculo tam horribile & tam crudele, q̃d non maximè oĩm pĩs aut iam ante acciderit,aut adhuc accidere poſſit. Etſi enim lex minatur impĩs, & contemptoribus uerbi Dei maledictiones & calamitates,tamen ita comparatum eſt in hoc mundo, qui eſt principatus Satanæ,ut hæ multò magis pĩs,quàm impĩs accidant. Iudicium,inquit Petrus,à domo Dei incipit. Et Chriſtus ipſe: In mundo,inquit,afflictionem habetis. Profectio.n. piorum per hunc mundum aptè adumbrata eſt profectione Iſraelitarum per mare rubrum. Hi enim habebant ab utroq̃ latere aquas capiti imminentes, & ruinam minantes,à tergo aũt crudeliſsimum hoſtem inſequẽtem. Quam igitur potuerunt

Tollere è mundo.

animo

animo ſuo trãquillitatem cõcipere? Sic & pĩj in hoc mũdo, q̃cunq; reſpiciunt, hoſtilia uidẽt. Nũ putas ouem in medio luporũ, ſecurã poſſe uitã agere? Dixit aũt Chriſtus: Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum. Quid, q; uiuendũ nobis eſt, tanq; inter rugiẽtes leones? Petrus. n. dicit: Aduerſarius ueſter diabolus tanq; leo rugiẽs obambulat, quærẽs quẽ deuoret. Et pĩj non ſimpliciter affligunt̃, ſed etiã tanq; ſceleratiſsimi oĩm hominum trucidant̃. Veniet tẽpus, inquit Chriſtus, ut quiſquis interficiat uos, uideatur cultum præſtare Deo. Quid ergo dicemus? Num quia ſic cõparatum eſt, ut pĩj in hoc ſeculo maximè oĩm affligantur, & occidantur, preces Chriſti, quibus petĩt, ut ſeruent̃, non fuerunt efficaces? Certè fuerũt efficaciſsimæ, ſed uerbum Seruandi rectè intelligendũ eſt: Non rogo, inquit, ut tollas eos de mundo. Verbũ Seruandi nõ ſic intel- *Seruandi uerbum.*
ligo, q; pĩj debeant eſſe liberi & immunes à calamitatibus & afflictionibus huius mundi. Hoc. n. eſſet tollere de mundo. Ego uerò uolo, ut mei aliquandiu in mundo cõmorentur, & in labore hoĩm ſint, ac cum hominibus flagellentur. Deinde, Tollere de mundo non ſolũ eſt liberare aliquem aduerſis huius mũdi in hac uita, uerũetiam eſt abducere aliquem trãquilla morte ex hac uita, opportuno ſuo tẽpore, ne grauiora mala ſuſtineat. Nam hoĩes huius ſeculi iudicãt genus eſſe fœlicitatis, ut ſiquidẽ omnino moriendũ eſt, cito moriaris. Aſpernant̃ lentum mortis genus. Dicunt. n. nimis timidum eſſe, qui malit ſemper pendere, q; ſemel cadere. Alius quidam cogitatione humanarũ miſeriarum accenſus ait: Optimum eſt, nõ naſci, proximum, cito mori. Itaq; ſentiunt Põpeium & Ciceronem multò fœliciores fuiſſe, ſi in inuenta tranquillo mortis genere è uiuis exceſsiſſent, q; quòd poſt diuturnam uitam miſerrimè perierint. Sed & qui pĩj ſunt cogitant aliquando, nihil fœlicius eſſe, q; ſtatim, poſt quàm adoptatus ſis in filium Dei, & baptiſmo conſecratus in cœleſtem hereditatem, ex hoc ſeculo excedere, & cum Chriſto in uera beatitudine eſſe, ne diu in hoc mundo uiuendo, neceſſe habeas multa & magna aduerſa ferre. Chriſtus aũt non petit, ut hæc fœlicitas Apoſtolis ſuis cõtingat. Non rogo, inq̃t, ut tollas eos de mundo. Gratum fortaſsis Apoſtolis meis eſſet, ut cũ ego hoc tẽpore ingreſſurus ſum in gloriã Patris mei, abducerem uos mecum ex hoc mundo, ne tot afflictionibus, quæ eis imminent, obĩjcerent̃. Sed aliud mihi uiſum eſt. Indigeo adhuc opera eorũ in hoc ſeculo. Vulgare debent meũ Euãgelion in toto orbe terrarum. Illuſtrare debent nomen meum, non miraculis tm̃, uerumetiam paſsionibus & afflictionibus ſuis. Quare, cùm oro ut ſeruentur, non hoc uolo, ut nunc tollantur è mundo, & mecum ingrediantur in regnum cœleſte. Quid ergo per Verbum Seruandi intelligis? Quid tibi uis, cũ ais: Pater ſancte, SERVA eos? Non rogo, inquit, ut tollas eos de mundo, ſed ut SERVES eos à MALO. Non rogo, ut ſerues eos, ne uel morbis, uel exilĩjs, uel alĩjs calamitatibus huius ſeculi affligantur, ſed rogo ut ſerues eos à MALO. Idẽ habes in oratione dominica: Libera nos à MALO. Quid ergo eſt MALVM, à quo ſeruari & liberari debemus? Pri- *Malũ quid.*
mùm, Malum propriè dicitur peccatum. Duplex enim malum definiunt. Aliud malum culpæ, aliud malum pœnæ. Ac malum quidem cul-

pæ,uocant peccatum,Malum aũt pœnæ,afflictiones & ſupplicia peccati.Iam afflictiones huius ſeculi, per ſe non ſunt malæ,ſed fiunt malæ propter pctm̃.Quare expiato aut deleto pctõ,afflictiones adiumẽto ſunt in bonum.Solum aũt pctm̃ propriè malum eſt, qp pugnet cum Deo, ſummo bono, ac ſeparet hoiem à Deo, & tradat eum in poteſtatem Satanæ, & in æternã damnationem. Hoc malum ubicunqꝫ eſt, oĩa reddit mala. Precatur igitur Chriſtus, ut cùm Apoſtoli obĩciendi ſint uarĩs calamitatibus,&perſecutionibus in hoc mundo,Pater ſeruet eos à pctõ,ne magnitudine & grauitate afflictionum cõmoti,peccẽt aduerſus Deum,abĩciãt fidem & inuocationẽ,& deſerant ſuã uocationẽ: aut ſi peccauerint, reſipiſcant,& reuertantur ad Dñm Deum ſuũ per Ieſum Chriſtum.Deinde Malum eſt, Satan ipſe,qui eſt autor mali ſeu peccati.Precatur ergo Chriſtus,ut Pater ſeruet Apoſtolos ſuos à Satana,& tyrãnide eius, ne fiant per pctm̃ captiui eius: aut ſi per imprudẽtiam in captiuitatẽ eius uenerint,eripiantur ex ea,& conſeruentur in uera & cœleſti libertate. Poſtremo,Malum eſt,Aeterna damnatio.Precatur igiẽ Chriſtus, ut Pater ſeruet Apoſtolos,ne ęterna damnatione pereant.Dices aũt,Si Chriſtus nõ rogat, ut Apoſtoli & Eccleſia eius ſint immunes à calamitatibus huius ſeculi, ſed ut in ĩs ſeruentur à malo, quid externis afflictionibus uel morborꝫ,uel famis,uel incurſionis hoſtilis obruti faciemus? An nõ licebit in ĩs Deum inuocare per Chriſtum,ut ab ipſis liberemur? Quid? an cũ Petrus coniectus eſſet ab Herode in carceres nõ licuit Eccleſiæ orare pro Petro,ut Deus ipſum etiã ab externis illis carceribus liberum educeret? Paulus ad Romanos ſcribens: Obſecro,inquit,uos fratres,per Dñm noſtrum Ieſum Chriſtũ,& per dilectionem ſpũs, ut me laborãtem adiuuetis precationibus pro me ad Deum,ut liberer ab incredulis in Iudæa. Hoc certè eſt petere liberari ab externis huius mundi calamitatibus. Ergóne aliud Paulus,aliud Chriſtus precatur? Nihil minus. Nõ hoc uult Chriſtus in ſua precatione, ut nõ inuocemus Deum in corporalibus aduerſis pro liberatione: Venite(inquit)ad me oẽs qui laboratis & onerati eſtis,& ego refocillabo uos.Et in Pſalmo:Exquiſiui Dñm & exaudiuit me,& ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.Ac mox: Clamauerunt iuſti,& Dominus exaudiuit eos,& ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.Iuxta eſt Dominus his,qui tribulato ſunt corde,& humiles ſpiritu ſaluabit.Multę tribulationes iuſtorum,& de omnibus his liberabit eos Dominus. Plena eſt autem ſacra ſcriptura eorꝫ exemplorum,quibus perſpicuè probatur pios, etiam in corporalibus afflictionibus inuocaſſe Dñm, & impetraſſe corporalem quoqꝫ liberationem. Quare Chriſtus non hoc uult in ſua precatione, ut non petamus à Deo externam à corporalibus aduerſis liberationem,Sed docet, q̃d ſit ꝓprium ſuũ officium,quę ſint propria regni ſui beneficia, & quo in precibus noſtris maximè oĩm reſpicere debeamus. Chriſtus enim,etſi ipſe quoſdam,cùm adhuc inter homines uitam ageret, corpore ſanauit, & placauit Deum Patrem,ut inuocatus conferat in multos externa beneficia,tñ Chriſtus non propriè uenit in hunc mundum ad conferenda mundana beneficia, ſed ut liberet ſuos à malo, & cõferat in eos cœleſtia beneficia.

Liberatio ex afflictionibus externis an petenda.

Ac

Ac debemus quidē, etiam Christi ipsius exēplo, Deum in oībus aduersis, siue corporalibus siue spūalibus inuocare. Christus.n. ipse sic precatur: Trāseat à me calix iste: in precatione aūt pro externa liberatione debemus uoluntatē nostrā subjcere diuinę uolūtati, & maximè oīm respicere ad æternā liberationem. Vnde & Christus in sua precatione addit: Non sicut ego uolo, sed sicut tu uis. Et hoc loco: Rogo ut serues eos à malo. Hæc.n. est uera liberatio, à malo seruari: Hæc liberatio si cōtigerit, nihil incōmodi afferre potest, nec morbus, nec paupertas, nec bellum, nec mors ipsa. Quare si obruimur corporalibus afflictiōibus, licebit ad hūc modum orare: Clemētissime Deus Pater Dñi nostri Iesu Christi, uides me graui & periculoso morbo premi. Precor igit te per Iesum Christū filium tuū, ut me hac afflictione clemēter liberes. Sed quia filius tuus nō rogauit ut Ecclesia eius sit in hac terra ab oībus aduersis immunis, sed ut seruetur à malo, precor obedienter, ut si quidē omnino uolueris me hāc morbi crucē sufferre, serues me à malo, ne peccem, ne mussitem aduersus te, ne dñetur mei Satan, néue opprimar ęterna internecione. Sed cū nō possim corporalem salutē reportare, saltem spūalem & cœlestē, quæ sola uera est salus, reportem. Hoc planè illud est, q̄d etiam in oratione Dñica precamur: Ne inducas nos in tentationē, Sed libera nos à malo. Quæ cū ita se habeant, uidēdum nunc est, in quē usum Christus precat̄, Apostolos suos in hoc mundo à malo seruari. Num ut ocient̄, & delicijs studeant? Num ut dominent̄ in mūdo regio more? Minimè oīm, sed ut adnuncient, & propagent Euāgelion Christi in uniuersum mundū. Sic eīm sequitur. De mundo nō sunt, sicut & ego nō sum de mundo. Sancti« fica eos per ueritatem tuā. Sermo tuus ueritas est. Sicut tu me misisti in « mundum, ita & ego mitto eos in mundum. Hic est usus, hoc est officiū « Apostolorę, ut ex hoc mundo selecti, & sanctificati, adnuncient sermonē Dei, seu Euangelion Christi in mundo. Sanctifica, inquit, eos per ueritatem tuā. Sanctificare aūt, quēadmodum lex hoc uerbo utitur, significat ad sanctum & diuinum usum separare & consecrare. Vnde in Exod. dicitur: Sanctifica mihi omne primogenitū. Et aliâs: Sanctificatur dies Sabbati, hoc est, consecratur in hunc usum, ut in eo publica sacra peragātur. Sanctificat̄ & populus ad audiēdum decalogū in monte Sinai. Sanctificantur etiā filij Aheronis, ut fungantur sacerdotio. Rogat igit̄ Christus Patrem, ut Apostolos suos, quos ipse de mundo, hoc est, ex aliorę hoīm ordinibus selegit, & missurus est in mūdum, sanctificet, consecret & confirmet in hunc usum, ut adnuncient Euāgelion suum in uniuerso mundo. Sanctificet aūt & cōsecret eos, non his cærimonijs, quibus Aheron & filij eius in suū ministerium consecrati sunt, ne quis existimet Leuiticum sacerdotium in Ecclesia constitui: Sed sanctifica, inquit, eos per ueritatem tuā. Veritas aūt Dei est uerbum Dei. Petit igitur, ut sanctificētur uerbo Dei, q̄d est Veritas, non Leuiticis cærimonijs, quæ fuerunt tm̄ umbrę. In libro enim Leuit. cap. 8. consecrantur Aheron & filij eius in sacerdotium, uarijs externis cærimonijs, & ornantur quoq; certis uestimentis, quæ habuerunt suum à uulgari hominum habitu discrimen. Christus aūt tollit pauciss imis uerbis omnem illam cærimoniarū pom

In afflictionibus corporalibus quomodo orandum.

Christus in quem usum precetur.

Sanctificare quid.

Veritas Dei.

pam:Sanctifica,inquiens,illos Veritate,hoc eſt uerbo tuo.Non peto,ut conſecres eos publicis illis ritibus,quibus conſecrati fuerunt Leuitici ſacerdotes.Non inſtituo tale ſacerdotiũ in Eccleſia,Sed peto,ut conſecres eos ueritate uerbi tui.Da eis,ut Euãgelion meum,q̃d eſt uerbũ tuum,rectè cognoſcant.Mitte eis ſpũm ſanctũ,ut in cognitione Euangelij probè confirmẽtur,nõ in hunc uſum,ut offerãt pecudes,ſicut Leuitici ſacerdotes,nec etiã ut offerant Miſſas,ſicut Papiſtici ſacerdotes,ſed ut ſacrificẽt gentes,hoc eſt,ut adnuncient Euãgelion inter oẽs gentes,quò fiat oblatio gentiũ,quẽadmodum Paulus ait,acceptabilis,ſanctificata per ſpũm ſanctum.Primùm igit obſeruabis hoc loco,miniſteriũ Apoſtolicũ non eſſe mundanam dominationẽ,ſed prędicationem Euangelij,q̃d eſt Verbum Dei.Non ſunt,inquit,de mundo.Ergo adminiſtratio eorꝝ non eſt dominatio mundana.Et:Sicut tu me miſiſti in mũdum,ita & ego mitto eos in mundum.Pater aũt miſit filium ſuũ,non ut dñaretur regio more in hoc mũdo,& dejceret reges è thronis ſuis,ac iterꝝ reſtitueret eos pro ſua libidine,ſed ut prędicaret Euãgelion ſuũ.Ponam,inquit,uerba mea in ore eius,loqueturq̃ ad eos oĩa quæ præcepero illi. Quare nec Chriſtus miſit Apoſtolos ſuos,ut dominarent externa maieſtate in orbe terrarꝝ,ſed ut adnũciarent Euangelion Chriſti de remiſsione pctõrꝝ,& æterna uita.Deinde,cùm Chriſtus hoc loco de ſermone Dei loquitur,nõ intelligit propriè legem,ſed Euãgelion, propter q̃d ipſe in hanc terram miſſus erat.Et quidẽ tribuit ei epitheton Veritatis. Sermo tuus,inquit, Veritas eſt. Euangelion.n.Chriſti, ea ſola ueritas eſt, è qua petenda eſt noſtra ſalus. Neq̃.n.ulla ſalus peti poteſt è doctrina uel Ethnica & Philoſophica,uel Thalmudica,uel Mahumetica,uel Pontificia & Monaſtica,ſed è ſolo Euangelio Chriſti,q̃d eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.Prętera,nec hoc prętereũdum eſt, q̃ Chriſtus ſignificet hic uerã ſanctificationẽ & conſecrationẽ fieri,nõ externis cærimonijs,ſed uerbo Dei:Sanctifica eos,inquit,ueritate tua. Veritas aũt Dei eſt uerbum Dei.

Sanctificatio ſeu conſecratio Apoſtolorum.

Sic docet etiã Paulus: Quicquid,inquiens,creauit Deus,bonũ eſt,& nihil rejciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per Verbum Dei,& precationem.Itaq̃ Apoſtoli ſanctificati ſunt,primũ per uerbum,cùm audiuerunt Euãgelion Chriſti, & crediderunt ei,atq̃ acceperunt mandatum prędicandi Euãgelij. Deinde per precationem, cùm Chriſtus precatus eſt,ut in uera doctrina conſeruẽtur,& ſpiritu ſancto confirmẽtur,& ut miniſterium eorum fœliciter promoueat. Hic fuit uerus ritus,quo Apoſtoli conſecrati ſunt in officium Apoſtolatus.Sic & cibus ſanctificatur, primum per uerbum, cùm audimus & credimus uerbũ Dei, quòd teſtatur omnia à Deo creata,bona eſſe,& tam fructus terræ, quàm uolatilia cœli,animantia terræ, & piſces maris,nobis in cibum cõceſſa.Deinde per precationem,cũ oramus Deum,ut quæ nobis in cibum clemẽter conceſsit,benedicat & nobis utilia efficiat.Quare nõ eſt ſentiẽdum,q̃ ſanctificatio ſeu conſecratio rerum fiat crucibus manu effictis,aut alijs humanis cærimonijs,ſed uerbo Dei per fidem accepto, & precibus ex fide coram Deo effuſis. Obſecro autem te, dicito nobis, quis meruerit,ut Apoſtoli tam in hæreditatem cœleſtium bonorꝝ,cq̃ in miniſterium

Sanctificatio quomodo fiat.

miniſterium Apoſtolatus ſui ſanctificarentur? Num ipſi tam iuſti, tam docti fuerunt, ut ſuis ipſorum uirtutibus impetrarent à Deo talem ſanctificationem? Minimè oīm: Non uos, inquit, me elegiſtis. Et aliâs: In hoc eſt caritas, nō q̄ nos dilexerimus Deum. Vnde & hîc ſequitur: Pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati per ueritatem. Memorabile dictum: Ego, inquit, ſanctifico meipſum pro eis, hoc eſt, Ego me ipſum ſegrego in hunc diuinum uſum, ut fiam ſacrificium pro peccatis eorꝝ, uidelicet tam Apoſtolorum, q̄ totius Eccleſiæ. Non offero pecudes, non ſimilam, ſed offero MEIPSVM, meum ipſius ſanguinem, ut quotquot ueritati Euangelīj mei fidem adhibent, fiant & ipſi ſanctificati, reputentur corā Deo ſancti, donētur ſpū ſancto, & accipiant ſanctā & cœleſtem hæreditatem. Hîc pauciſsimis uerbis interpretatur Chriſtus omnia ſacrificia legis. Hæc enim non fuerunt uera expiatio peccatorum, nec impetrauerunt ueram coram Deo ſanctificationem, ſed fuerūt tantum umbra, hypodigma, & typus ueri ſacrificīj, quod Ieſus Chriſtus ſemel in cruce peregit, quēadmodum copioſè oſtendit Epiſtola ad Hebræos. Deinde docet hîc quomodo fructus ſacrificīj Chriſti nobis communicetur, ſeu applicetur. Vt ſint, inquit, & ipſi ſanctificati, per ueritatem. Suprà autem dixit, Veritatem Dei eſſe uerbum Dei. Docet igitur ſanctificationem ſacrificio Chriſti impetratam communicari nobis per uerbum, ſeu Euāgelion Chriſti, quod eſt fide accipiendum. Itaq̄ hic eſt ordo ſanctificationis. Primùm, Chriſtus obtulit ſeipſum Deo Patri in ſacrificium, ut impetraret ſanctificationem. Deinde, Euangelion de hoc ſacrificio & beneficio Chriſti prædicatur in orbe terrarum, quo Euangelio offertur omnibus hominibus fructus ſacrificīj Chriſti. Si quis igitur fide accipit Euangelion, accipit etiam fructum ſacrificīj Chriſti, & ſeruatur. Si quis autem contemnit Euangelion, contemnetur uiciſsim & ipſe, ac neceſſe habet perpetuò interire. Prædicate, inquit, Euangelion omni creaturæ: Qui crediderit (uidelicet Euangelio) & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Et Paulus: Fides, inquit, eſt ex auditu, auditus autem per uerbum Dei. Quod cùm ita ſe habeat, agite, amiciſsimi, non quæramus Indulgentias aut Miſſas Pontificias, quibus illi gloriantur ſeſe hominibus applicare fructum ſacrificīj Chriſti, Sed exhibeamus nos dociles & obediētes auditores uerbi Dei, & excipiamus Euangelion Chriſti per fidem. Sic enim fiet, ut accipiamus omnem illum cœleſtem fructum, quem protulit unicum ſacrificiū Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Sacrificīj Chriſti applicatio.

HOMILIA LII.

SEquitur extrema pars eius precationis, quam filius Dei priuſq̄ caperetur & crucifigeretur, ardentiſsimis uotis, cœleſti patri ſuo obtulit. In hac autem extrema parte orat pro uniuerſa ſua Eccleſia: Non pro eis, inquiens, rogo tm̄, ſed & pro ijs, qui crediturí ſunt per ſermonem eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unū ſint. Hæc pars precationis Chriſti, debet à nobis loco

Tertia pars orationis Christi pro omnibus credentibus.

preciosissimi thesauri conseruari,& tanq̃ pręcipuum κειμήλιον custodiri. Nullum aurũ, nulla gemma cum beneficio huius precationis conferri potest. Etsi.n. multæ & liberales sunt promissiones Euangelij̃,quibus salus offertur omnibus in Christum credentibus, tñ quia Christus dicit se tantum ad oues,quæ perierunt,domus Israelis, missum esse,sollicitat imbecillis conscientia eorum,qui sunt ex gentibus incircuncisis, existimare Euangelion Christi non ad se,sed tantum ad Iudæos pertinere. Alij̃ cogitant Christum pertinere tantum ad Apostolos,& eos qui coràm uiderunt Christum,& miracula eius,ac audiuerunt cõciones eius. Itaq; putant se tunc fœlicitatem consecuturos fuisse, si uixissent temporibus Christi & Apostolorum,ac uidissent ipsi miracula eorũ. Atq; utinam, inquiunt, liceret mihi unam saltem aut alteram concionem ab ipsomet Christo,aut uno ex Apostolis eius audire, ego nulla itineris longitudine aut periculo absterrerer, quo minus ad eam audiendam festinarem. Alij̃ semper metuere solent,ne non pertineant ad eum cœtum, qui est à Deo ad ueram salutem prædestinatus. Sed huic seu imbecillitati seu curiositati medetur Christus hac extrema precationis suæ parte,in qua palàm affirmat,se non solum pro Apostolis, uerumetiã pro omnibus qui adhibent fidem sermoni Apostolorum apud patrem suũ intercedere. Sciamus igitur initio,quis sit ille SERMO Apostolorum,cui fides adhibenda est,ut & cognoscamus,pro quibus Christus filius Dei intercedat. Longum autem esset omnes Apostolicas conciones, quæ extant in sacris literis,hoc loco commemorare. Indicabimus igitur breuiter summam earum. Ioannes cap. 20. ita ait: Hæc scripta sunt,ut credatis,quòd Iesus est Christus ille filius Dei,& ut credentes uitam habeamus per nomen eius. Hæc est summa omnium Apostolicarum concionum. Vnde & Petrus in prima sua concione,quam habuit astantibus & approbantibus reliquis Apostolis,in die Pentecostes,ait: Certò sciat tota domus Israel,quòd Dñm & Christum fecerit Deus hunc Iesum,quem uos crucifixistis. Et postea: Non est aliud nomen sub cœlo datum inter homines,in quo oporteat nos saluos fieri. Ac iterum: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius,quisquis crediderit in eum. Et Paulus: Hoc est,inquit, uerbum fidei,quod prædicamus,nempe si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum,& credideris in corde tuo, q̃ Deus excitauit illum à mortuis, saluus eris. Et rursus: Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus,erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis concupiscentijs,sobriè & iustè & piè uiuamus in præsenti seculo, expectãtes beatam illam spem & apparitionem gloriæ magni Dei,& seruatoris nostri Iesu Christi,qui dedit semetipsum pro nobis,ut redimeret nos ab omni iniquitate,& purificaret sibi ipsi populum peculiarem, sectatorem bonorũ operũ. Habes breuem epitomen Apostolici sermonis, qui in hoc statu consistit,quòd Iesus filius uirginis Mariæ,sit uerus Christus,seu Messias,æternus filius Dei,& quòd habeat remissionem peccatorum ac salutem,quicunq; credit in eum,& quòd ex hac fide debeamus sectari bona opera,quæ Deus præcepit. Hic est SERMO ille Apostolicus,de quo

Summa Apostolicarum concionum.

Christus

Christus loquitur,cùm ait:Non pro eis tantum rogo,sed & pro ijs, qui credituri sunt per SERMONEM eorum in me.Primùm igitur Christus hoc loco definiuit,quæ sit uera sua Ecclesia.Nam uera Ecclesia Christi,non tantum hi sunt, qui Christum in carne uiderunt, & audierunt, sed etiam ij, qui in quauis gente, quouis tempore, quauis ætate huius mundi,credunt in Christum,per Euangelion,quod ab Apostolis sparsum est in uniuersum orbem,ac postea literis mandatum,&ad posteros omnium seculorum propagatum est.Quæ enim Deus Sanctis suis reuelat,ea non propter ipsos tantum reuelat, sed maximè oim propter posteros,ut & hi salutem consequantur. Ideoq; iubet ea prædicari posteris, & tam uoce,quàm scriptis ad posteros transmittere. Ad Abrahamum dicit Deus:Num celare potero Abraham quæ gesturus sum,cùm futurus sit in Gentem magnam ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim quòd præcepturus sit filijs suis,& domui suæ post se,ut custodiant uiam Domini,& faciant iudicium & iustitiam. Vides Abrahamo reuelari ea quæ futura sunt,ut tradat ea posteris.Et in Psalmo dicitur: Scribantur hæc in generatione altera,& populus,qui creabitur,laudabit Dominum. Sed & Petrus de prophetarum usu ait:Quibus & illud reuelatum est,quòd haud sibijpsis, sed nobis ministrarent hæc,quæ nunc annunciata sunt uobis.Quid multa? Christus ipse emittens Apostolos suos, dicit ad eos: Prædicate Euãgelion omni creaturæ.Qui crediderit & baptisatus fuerit,saluus erit.Hic perspicuè significat,Apostolos electos,non propter se,sed maximè omnium propter omnem creaturam,hoc est, tam Iudæos q̃ Gentes, & tam præsentis, q̃ futuræ ætatis homines.Vnde & aliâs ad Thomam ait: Quia uidisti me Thoma,credidisti: Beati, qui non uiderunt, & tamen credunt. Quare sentiamus Euãgelion Christi non pertinere tantum ad homines unius ætatis,sed omnium seculorum,ut quicunq; quouis seculo,complectitur fide sua Euangelion,fiat uerum membrum Ecclesiæ Christi.Deinde,uera Ecclesia Christi,non hi sunt,qui nomen aut speciem tantum Ecclesiæ habent, sed qui ueram adhibent fidem sermoni Apostolorum, etiamsi ab uniuerso mundo damnentur. Christus enim non dicit, Rogo pro ijs,qui sunt Pontificijs infulis ornati,aut cucullis induti,aut rasi,aut eremitæ,sed pro ijs,qui credunt per sermonem eorum in me.Auditus Euãgelij Apostolici,& fides,per Euangelion,in Iesum Christum,faciunt Ecclesiam,non externa aliqua species aut gloriatio.Præterea,uides hoc loco,q̃ Christus alliget nos, non ad scripta Doctorum, non ad decreta Conciliorum,& Pontificum,sed ad sermonem Apostolorum. Habent quidem patres Ecclesiastici, & Concilia bonorum uirorum suam utilitatem,non sumus autem ad eorum sententiam, sine ullo discrimine alligati.Non eñ dicit Christus: Rogo pro ijs,qui credũt Patribus aut Concilijs,Sed pro ijs,qui credunt in ME,per sermonem Apostolorum. Sermo seu Euãgelion ab Apostolis prædicatũ,ea doctrina est, cui adhibenda est fides sine omni tergiuersatione. Qui uos non audit, inquit Christus,me non audit. Et Paulus:Si nos aut angelus è cœlo prædicauerit uobis Euangelion præter id,quod prædicauimus uobis,anathema sit. De

Ecclesia Christi uera.

Gen. 18.

Prophetarũ & Apostolorum usus.

Conciliorum & patrum autoritas.

Verbi Dei externa prædicatio.

inde commendatur etiam hoc loco externa prædicatio Verbi Dei, ut sciamus, quod sit cœleste organon, quo spūs sanctus in nobis est efficax, & donat fidem ac alias uirtutes. Sunt enim, qui cōtempta prædicatione Euāgelij, expectant cœlestes reuelationes, & ut ipsi loquuntur, impressiones spiritus. Alij putant se ex seipsis sapere, nec indigere ulla uerbi Dei concione. Sed hoc loco docet Christus, quòd fides in ipsum detur per sermonem Apostolorum, hoc est, per externam Euangelij Apostolici prædicationem. Euangelion, inquit Paulus, est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et iterum: Gratias agimus Deo indesinenter, ꝙ cùm acciperetis sermonem à nobis, quo discebatis Deum, accepistis non sermonem hominum, sed sicut erat uerè, sermonem Dei, qui & agit in uobis credentibus. Ac rursus: Fides ex auditu est, Auditus autem per uerbum Dei. Quare conciones Euangelij Christi magna diligentia audiendæ sunt, ut Spūs sanctus organon suū habeat, quo in nobis dona sua operetur. Etsi enim non omnes ex auditu Euangelij conuertuntur ad Deum, & credunt in Christum, sicut nec omne semen in agrum proiectū, fructum profert: Aliud em̄ cadit inter spinas, aliud in locum saxosum, aliud in uiam: tamen quemadmodnm semen in hoc diuinitùs ordinatum est, ut fructum ferat: quod si non fecerit, id non fit sua, sed aliena culpa: ita auditus Euangelij Christi ordinatus est, ut per ipsum spiritus sanctus sit in nobis efficax. Quod si non fiat, non est imputandum uel Euangelio uel spiritui sancto, sed saxeis, ferreis, & induratis hominum cordibus, quæ spiritui sancto resistunt. Faciamus igitur nos nostrum officium, audiamus Euangelion Christi diligenter, & præbeamus nos ei dociles, ut & spiritus sanctus suum in nobis officium per Euangelion facere queat. Postremò definitur & hoc loco, quis sit cœtus eorum, qui ad accipiendam perpetuam salutem, diuinitùs prædestinati sunt. Hoc magna obseruantia considerandum est, ut obuiam eatur uel curiositati uel imbecillitati hominum. Sunt enim, qui magna sollicitudine tenētur de prædestinatione, & aut curiosè scrutantur, qui sint prædestinati, aut hoc unum metuunt, ne se uano labore credendi & obediendi Deo fatigent, ꝙ fortasis non sint ad perpetuā salutem prędestinati. Sed hi rectè in hac precationis Christi parte erudiuntur. Etenim, ut cognoscas qui sint ad cœlestem salutē prædestinati, & num etiam tu sis prædestinatus, nō est tibi opus, ut in cœlum conscendas, & in archiuum Dei irrumpas quò scruteris catalogū, seu ut uocant, registrum, in q̄ prædestinati conscripti sunt, sed conferas te ad sermonem Apostolorꝝ, ad Euāgelion, q̄d Apostoli de Christo prędicauerunt. In hoc, si aut teipsum, aut aliumineueneris, certò scias, te, & illum, in eo esse cœtu, pro quibus Christus preces suas effudit, & quos ad æternam salutem prędestinauit. Solus enim Christus est Registrum illud, in quo prædestinati conscripti sunt. Et cùm Christus reuelatus sit prædicatione Apostolorum, reuelatum etiā est registrum prædestinatorum, ut quicunꝙ crediderit in Christum, nec abiecerit fidem, sit ad salutem prædestinatus: qui uerò non crediderit, sit condemnatus. Abñciamus igitur curiosam sollicitudinem de occulta prædestinatione Dei, suscipiamus autem curam audiendi & cognoscendi

Prædestinati qui sint ad perpetuam salutem.

gnoſcendi Euangelij Chriſti, ut credamus, & ſeruemur. Sed quid precatur Chriſtus, quod debeat contingere ijs, qui credunt in ipſum per ſermonẽ Apoſtolorum? Idem planè precatur, quod antè de Apoſtolis dixit: Vt omnes, inquiens, unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis Vnum ſint. Hoc eſt beneficium, quo maius & excellentius Eccleſiæ contingere non poteſt, uidelicet, ut ſint Vnum, in Deo patre, & filio, per ſpiritum ſanctum. Nulla enim maior eſt unitas, q̃ Patris & Filij in diuinitate. Vna eſt eſſentia, una diuinitas, una maieſtas, una omnipotentia, una fœlicitas. Itaq̃ omnia, quæ habet Pater, ſunt filij. Sed quid? Num quæ filius à patre accepit, ſoli ſibi retinet? Nihil minus: Rogo, inquit, non pro Apoſtolis tm̃, uerũetiam pro ijs, qui credunt in me per ſermonem eorũ. Et quid rogat? Vt oẽs in nobis unum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te. Tu pater & ego ita unum ſumus, ut habeamus omnia cõmunia. Vna em̃ eſt eſſentia & diuinitas. Tua bona, mea ſunt, & uiciſsim mea bona, tua ſunt. Rogo igitur, ut & Eccleſia in nobis unum ſit, ut quæ nos bona habemus, ea cum Eccleſia cõmunia habeamus. Putas autem, precationem Chriſti fuiſſe uanam & inefficacem? Certè fieri non poteſt, quin fuerit efficaciſsima. Quare perſpicuũ eſt, q̃ quæcunq̃ bona Chriſtus à patre ſuo accepit, ea cum Eccleſia, ac quouis membro Eccleſiæ, cõmunia habeat. Id autem intelligendum eſt, pro modo capacitatis Eccleſiæ. Chriſtus em̃, natura eſt æternus filius Dei, ac Deus ipſe. Homines aũt credentes in Chriſtum, fiunt filij Dei, ac dij adoptione. Dedit, inquit, poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et: Accepiſtis ſpiritum adoptionis, per quem clamamus, Abba pater. Ac iterum: Precioſa nobis ac maxima promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficeremur conſortes diuinæ naturæ. Hæc ſunt nobis accuratè conſideranda, partim ut ex his fidem noſtram in aduerſis excitemus & cõfirmemus: partim, ut uitam noſtram ad omnem honeſtatem componamus. Nam ſi is, qui credit in Chriſtum, coniunctus eſt cum Eccleſia, ut membrum cum ſuo corpore, & Eccleſia unũ eſt cum filio Dei, qui filius unum eſt cum Patre & Spũ ſancto, manifeſtè ſequitur, q̃ ſi quæ afflictio aut calamitas uel corporalis uel ſpiritualis moleſta eſt uni pio, ea permanet non ſolum ad totum corpus Eccleſiæ, uerumetiam ad Chriſtum ipſum filium Dei, & à Chriſto ad patrem & ſpiritum ſanctum, hoc eſt, ad omnipotentem & diuinam maieſtatem. Quid autem poſſet incommodi diuinæ maieſtati afferre afflictio? Quare nec pio, qui in patre, filio & ſpiritu ſancto, Vnum eſt, ullum poteſt incommodum afferre. Diſcamus & his timorem Dei, diſcamus hominibus, & maximè domeſticis fidei beneſacere. Si enim credenti in Chriſtum aliquid uel boni uel mali feceris, id non filius tantum Dei, ſed etiam Pater ipſe ſibi factum deputat, qui & malum punit, & bonum rependit. Non uidetur apud homines glorioſum eſſe, hominem in Chriſtum quidem credentem, ſed miſerum, iuuare, coram Deo autem tanti reputatur, ut quod illi feceris, ſibi factum cognoſcat. Nam quanti faciat Eccleſiam ſuam, & quoduis Eccleſiæ membrum, perſpicuè ſignificat, cùm addit: Vt credat mundus, quòd tu me miſeris. Et ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unũ,

Chriſti bona, bona ſunt Eccleſiæ.

Eccleſiam ſuam quanti faciat Chriſtus.

,,ſicut &nos unum ſumus. Ego in eis,& tu in me,ut ſint conſummati in u-
,,num,& ut cognoſcat mundus,ꝙ tu me miſiſti,&dilexiſti eos,ſicut &me
,,dilexiſti. Vt credat,inquit,mundus:Et,Vt cognoſcat mundus, quòd tu me miſeris. Quid ergo ſuprà dixit: Non rogo pro mũdo. Et mox:Mundus te non cognouit? Ipſæ rei circumſtantiæ perſpicuè docent, quòd cùm Chriſtus dicat,Mundum non cognoſcere Patrem,intelligat nomine mundi,Impios contemptores Euangelij,quorum plenus ſemper eſt hic mundus. Hìc autem,cum dicit, ut credat & cognoſcat mũdus,quòd tu me miſeris, intelligat nomine mundi, Eccleſiam ſuam, in mundo uitam agentem. Pij enim in mundo ſunt,non ſunt aũt de mundo,quemadmodum ſuprà dictum eſt. Quod igitur Chriſtus hoc loco dicit, habet hanc ſententiam. Mirabitur fortaſsis quiſpiam,quòd ego tam ſollicitè intercedam apud patrem meum,nõ ſolum pro Apoſtolis meis,uerum etiam pro omnibus ijs, qui crediturí ſunt in me per ſermonem eorum, cùm tamen ſoli Apoſtoli,qui ſunt maximis donis ſpiritus ſancti ornati, uideantur mea interceſsione digni,reliqui autem homines,etſi credunt Euangelio, tamen non edunt miracula, nec ſunt alijs donis ſpiritus ſancti illuſtres, ducunt præterea uitam abiectam, & imbecillem, ideoq́ uidẽtur indigni,pro quibus tam ſollicitè intercedam. Sed mirari deſinet, quiſquis probè perpenderit,propter quas cauſas,&in quem uſum Apoſtolos de mundo ſelegerim. Non enim ſelegi eos,propter ipſorum uel ſanctitatem,uel iuſticiam,uel nobilitatem, uel prudentiam, uel alias uirtutes:nec ſelegi eos,ut ſoli ipſi fruantur meis beneficijs,ſed ſelegi eos maximè oĩm in hunc uſum,ut miniſterio eorũ mundus,ſeu Eccleſia in mundo cognoſcat & credat me eſſe uerum Meſsiam, à patre ad procurãdam ſalutem humani generis in hanc terram miſſum. Selegi eos non propter ipſos tantum,ſed maximè propter Eccleſiam,propter quam etiam orno ipſos ea gloria,quam mihi pater in hac terra dedit. Pater non dedit mihi in hoc mundo gloriam & maieſtatem terreni regni, non dedit mihi gloriam externarum diuitiarum, ſed dedit mihi gloriam edendorum miraculorum,ut reddam cęcis uiſum,ſurdis auditum,mutis loquelam, claudis inceſſum,leproſis mundiciem,& mortuis uitam. Sic & ego nodo Apoſtolis meis gloriam mundani regni & terrenarum diuitiarum, ſed gloriam edendorum miraculorum. Qui credit,inquit,in me,opera, quæ ego facio,& ipſe faciet, & maiora his faciet. Et iterum: Signa eos, qui crediderint, hæc ſequentur: Per nomen meum dæmonia eĳcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent: ſi quid letale biberint, non nocebit eis: ſuper ægrotos manus imponent, & benè habebunt. Hæc eſt gloria, quam Chriſtus dedit Apoſtolis ſuis, non quidem propter ipſos, ſed propter hoĩes in mundo, ut excitati tantis miraculis, credant Euangelio,agnoſcant me uerũ eſſe Meſsiam, fiant unum corpus Eccleſię,quo ſicut pater & ego unum ſumus,ita ipſi uerè & perfectè unum ſint in nobis, & ſciant meum patrem tanto ipſos amore proſequi, quãto me proſequitur. Si autem ſelegi Apoſtolos, & orno eos gloria edendorum miraculorum,propter Eccleſiam, quid aliud reliquum eſt, quàm quòd non pro Apoſtolis tantum, ſed maximè omnium pro Eccleſia intercedere

Apoſtoli in quem uſum à mundo ſelecti.

cedere debeam? Considera ergo mihi hoc loco, quantæ curę sit Christo filio Dei Ecclesia sua. Sunt enim, qui putant Christum delectari Prophetis tantum, & Apostolis, & alijs heroicis ac illustribus uiris, abiectos autem & contemptos homines fastidire. Ac profecto Prophetæ & Apostoli sunt Christo acceptissimi. Sed Ecclesia multo ei acceptior est. Excitauit enim Prophetas & elegit Apostolos propter Ecclesiam, nō autem elegit Ecclesiam propter Prophetas & Apostolos. Ioannes ait: Qui habet sponsam, Sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocem sponsi. Prophetæ & Apostoli sunt amici sponsi, Ecclesia autem est sponsa ipsa Christi. Quantum putas interesse inter amorem, quo sponsus prosequitur sponsam, & quo amicum? Et Paulus: Quis est Paulus, quis Apollo, nisi ministri, per ꝙs credidistis? Ac mox: Omnia uestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue uita, siue mors, siue præsentia, siue futura, omnia, inquam, uestra sunt, Vos autem Christi. Testatur & Christus ipse quantum Pater diligat Ecclesiam, cùm hic ait: Vt cognoscat mundus seu Ecclesia in mundo, quòd tu me misisti, & diligis eos, sicut me diligis. Dicit Patrem diligere Ecclesiam, sicut ipsum diligit. Pater autem ita diligit Filium, ut omnia ipsi in manus dederit. Reliquum igitur est, quòd & omnia det in manus Ecclesiæ suæ, non quòd liceat cuiuis quiduis pro sua libidine facere, sed ꝙ Pater conferat in Ecclesiam omnia beneficia, quæ in filium suum contulit, & seruet eam in omnibus aduersis, quemadmodum filium seruauit. De dilectione autem, qua filius ipse Dei Ecclesiam suam complectitur, ait Apostolus: Christus dilexit Ecclesiam suam, & semetipsum exposuit pro ea, ut illam sanctificaret mundatam lauacro aquæ per uerbum, ut adhiberet eam sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam eiusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis. Agnoscamus igit magnitudinem huius dilectionis, qua Deus Pater & Filius, unumquemuis uerè credentem in Christum (hic enim est membrum Ecclesiæ Christi) complectuntur, ac non confirmemus tantū animos nostros in tentationibus, ut sciamus nos in omnibus aduersis Deo curæ esse & seruari, uerumetiam actiones uitæ nostræ ita instituamus, ut nihil indignum tanta Dei dilectione designemus, sed professionem nostram pijs moribus ornemus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Ecclesiæ quantæ curæ sit Christo filio.

HOMILIA LIII.

PERVENIMVS, diuina clementia, ad epilogum eius precationis, quam Christus pro Apostolis, & uniuersa sua Ecclesia coram patre suo effudit, & quam hactenus interpretatione nostra utcunꝙ perstrinximus. Repetit aūt Christus breuiter & summatim, quod in Epilogo fieri solet, omnia ea, quæ in precatione pluribus cōmemorauit. Pater, inquiens, quos dedisti mihi, uolo, ut ubi sum ego, & illi sint mecum, & uideant gloriam meā, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante cōditum mundum. Hic enim est status precationis Christi, ut pater reuelet ac illustret gloriam suā, ac fortunet

miniſterium Apoſtolorum, quo Eccleſia uerè agnoſcat Patrem, & credat in filium, & cõſequatur æternam fœlicitatem. Precatur igitur in hoc epilogo planè eadem, ut ſciamus ea quæ antè dicta ſunt, non temerè aut oſcitanter effuſa, ſed ſeriis & ardentiſsimis uotis commemorata eſſe. Ac primùm omnium, quod dicit: Volo, perſpicuè ſignificat ſe in hac precatione non aliud animo ſentire, aliud uerbis eloqui. Sic eñ homines ſolent aliquoties pro ſe inuicem, honoris tantũ gratia, & diſſentiente à uerbis animo, intercedere. Chriſtus aũt quod uerbis dicit, hoc etiam ſeriò cogitat, quod ore loquitur, hoc etiam uerè in animo ſuo uult, & q̃d uult neceſſe habet reipſa fieri & impleri. Longè eñ aliam rationem habet uoluntas filij Dei, quàm filiorum hoĩm. Hi enim, quod uolunt, & cum animo ſuo ſtatuunt, rarò admodum efficere poſſunt. Ille aũt, quod uult, etiam efficit. De ipſo ſcriptum eſt: Omnia, quæcunq; uoluit, fecit in cœlo & in terra. Initio uoluit hunc mũdum creare, & creauit. Dixit, & facta ſunt: mãdauit, & creata ſunt. Poſtea, cùm hominem aſſumpſiſſet, uoluit ægros ſanare, & ſanauit. Voluit leproſos mundare, & mũdauit. Voluit mortuos ſuſcitare, & ſuſcitauit. Denicq; uoluntati eius nihil poteſt obſiſtere. Quare cùm hoc loco dicit VOLO, ſentiamus uerba precationis Chriſti non eſſe ſonum ſine mente, nec mentem ſine uiribus, ſed eſſe in eis ſummam efficacitatem, ut ſit ſenſus: Hæc eſt uoluntas, hoc eſt propoſitum, hoc eſt inſtitutum precationis meę, q̃d tam firmum, & tam efficax eſt, ut citius cœlum & terra ruerent, q̃ ut non iuxta animi ſententiam compleretur. Quæ ergo, obſecro, illa eſt uoluntas? quod illud eſt inſtitutum? Hoc uidelicet ſeriò uolo, ut ubi ego ſum, illic ſint & hi, quos dediſti mihi. Quæramus igitur nunc, quos pater Chriſto filio ſuo dederit, ut etiam cognoſcamus, qui ſint ſemper cum Chriſto. Sed non eſt hîc opus longis ambagibus. Paulò antè eñ dixit: Non pro Apoſtolis tm̃ rogo, ſed & pro ĩjs, qui crediturí ſunt per ſermonem eorum in me. Hîc manifeſtè docet, quòd pater dederit ipſi, primùm Apoſtolos, deinde eos, qui per Euangelion Apoſtolorum credunt in ipſum. In conſideratione enim de eorum catalogo, qui Chriſto diuinitùs dati ſunt, non eſt reſpiciendum in externam humanę ſanctitatis ſpeciem. Neq; enim ſacrificuli, neque Monachi, neque alĩ hypocritæ, idcirco dati ſunt Chriſto, quòd ſint illuſtres ſanctis, ut apparent, operibus. Nec reſpiciendum eſt in hominum multitudinem & potentiam. Neque enim idcirco uulgus hominum, quia multi ſunt, neque Monarchæ, & Principes, quia potentes ſunt, ad Chriſtum, & hæreditatem cœleſtem pertinent, Sed reſpiciendum eſt in Euangelion Chriſti, quod eſt prædicatum ab Apoſtolis. Qui hoc per fidem acceperit, ſiue pauci, ſiue multi, ſiue potentes, ſiue imbecilles, ſiue humana ſanctitate illuſtres, ſiue obſcuri, hi dati ſunt Chriſto filio Dei, à Patre ſuo, & ad hos ſolos pertinet cœleſtis hæreditas. Quid ergo uult Chriſtus, q̃d cõtingat his, quos dedit ipſi pater? Volo, inquit, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum. Sciamus igitur, ubi ſit Chriſtus. Sed quid multis opus eſt? Primũ Chriſtus eſt in ſumma patris ſui dilectione & fauore, quia dicit pater de ipſo: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacitum eſt. Deinde, Chriſtus eſt in uita, quia reſurrexit

Voluntas filij Dei efficax.

Chriſtus ubi ſit.

surrexit à mortuis, nunquam amplius moriturus. Præterea Christus est in cœlo, seu regno cœlesti, quia ascendit in cœlum. Postremo Christus sedet ad dextram patris sui, ac habet eandem cum patre omnipotẽtiam & maiestatem. Quare, cùm dicit se uelle, ut quos dedit ipsi pater, sint, ubi ipse est, manifestè significat se uelle, ut sint secũ in fauore Dei patris sui, in uita, in cœlo, & ad dextram patris, in omni fœlicitate & maiestate. Vnde & Paulus ad Ephesios scribens: Cùm essemus, inquit, mortui per delicta, cõuiuificauit nos Deus unà cum Christo, simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes. Et iterũ: Dedit eum caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus illius, complementum eius, qui omnia in omnibus adimplet. Si Ecclesia est corpus Christi, corpus autem ibi est, ubi caput eius est, certè ubi Christus est, ibi Ecclesia sit necesse est. Et hoc etiam sibi uult, quod Christus hoc loco addit: Vt uideant gloriam meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum. Pater enim sic dilexit filium suum ab æterno, ut contulerit in eum omnem diuinam suam gloriam & maiestatem. Constituit eum, inquit Apostolus, hæredem omnium, per quem etiam secula condidit, & qui est splendor gloriæ, & expressa imago substantiæ illius. Cùm igitur Christus tam cœlestem, támque diuinam habeat gloriam, non uult ea solus frui, sed uult eam impertiri, & communicare cum omnibus ijs, qui per conciones Apostolicas credunt in ipsum. Vt uideant, inquit, gloriam meam. Hoc autem uidere, non est tale uidere, quale est, si pauper quispiam in hoc seculo aspiciat magnificas diuitis ædes, & opulentiæ eius splendorem, cùm ipse interim esuriat & algeat, sed est eo quòd uides, uerè frui. Nunc, inquit Paulus, cognosco ex parte, tunc autem cognoscam, quemadmodum & cognitus sum. Et Ioannes: Scimus, inquit, quoniam si apparuerit, similes ei erimus, quoniam VIDEBIMVS eum, sicuti EST. Si similes erimus Christo filio Dei, ex eo, quòd uidebimus eum sicut est, certè non simpliciter aspiciemus eum, quemadmodum homo hominem in hac terra aspicere solet, sed fruemur etiã omnibus bonis eius, & percipiemus ex hac cœlesti uisione omnem beatitudinem & fœlicitatem. A seculo, inquit Esaias, non audierunt, neq; auribus perceperunt: Oculus non uidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. Sed si uoluerimus in futuro seculo ibi esse, ubi Christus est, & bonis eius frui, necesse est, ut & in hoc seculo ibi simus, ubi ipse fuit. Non loquor iam de terreno loco, sed de uirtutibus & aduersis, in quibus Christus in hoc seculo fuit. Cùm enim ageret adhuc uitam in his terris, fuit quidem in omni genere uirtutum, in iustitia, in sobrietate, in obedientia, in humilitate, in caritate, in patientia, in orationibus: Sed interim fuit etiam in paupertate, in miseria, in contumelijs, in persecutione, in captiuitate, in cruce & in morte. Quare si uoluerimus in regno cœlesti ibi esse, ubi CHRISTVS est, necesse habebimus in his terrenis regnis ibi quoq; esse, ubi Christus fuit, uidelicet, ut & bona opera, quæ Deus præcepit, studiosè faciamus, & mala, quæ immittuntur, patienter feramus: Si quis mihi, inquit, ministrat, me sequatur: Et ubi ego sum, illic & minister meus erit. Ac rursus: Non est ser-

Christi gloriam uidere.

nus maior domino suo: Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Et alibi: Simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Ac iterum: Si commortui sumus, & conuiuemus: Si sufferimus, & conregnabimus. Sectemur igitur Christum, & simus cum Christo in hoc præsenti seculo, ut & in futuro seculo simus cum ipso in perpetua beatitudine & fœlicitate. Amâbo autem uos dilectissimi, ut quod Christus hoc loco cõcionatur, non prætereamus surda aure, nec iudicemus esse inanes fabulas, sed cõseruemus loco preciosissimi thesauri. Sunt enim plurimi hoies tam uarij & inconstantes, ut quouis doctrinæ uento circumferantur, & cũ semper discant, nunquam tamen perueniant ad scientiam ueritatis. Audiunt conciones Euangelij multis annis, sed tam oscitanter, ut cùm fit mortis mentio, trahant ex alto pectore suspiria, & dicant: Iucundum esset, fateor, mori, si quis modò cognosceret, quale ipsi hospitium in altero seculo paratum esset. En, hi tot annis uersati sunt in schola Christianorũ, & nondum didicerunt huius professionis prima elementa, seu ut uocant, Alphabetum. Symbolum em̃ Apostolorũ, quod est Christianismi Alphabetum, eò tm̃ tendit, ut tradat, quod hospitium in altero seculo paratum sit credentibus in Christum, adeoq; planè hoc ipsum urget, quod Christus modo in precatione sua cõmemorauit: Volo, ut ubi ego sum, illi, quos dedisti mihi, mecum sint. Hoc spectat, hoc uult uniuersa doctrina Euangelij, ut nos certiores reddat, q; si in Christum filiũ Dei credimus, adoptemur & ipsi in filios Dei, & fiamus cohæredes Christi, in cœlesti regno: hoc est, ut ibi perpetuò simus, ubi est Christus filius Dei, in gloria patris sui. Quid ergo amplius de hospitio alterius seculi dubitas? At uerò, inquis, peccata mea magna, & multa sunt, quæ injiciunt mihi dubitationem de futuri seculi hospitio. Etsi enim non nego, quin sanctis certò parata sint iucunda & fœlicia hospitia in cœlo, ego tamen in me non uideo, nisi peccata, quæ ostendunt mihi potius hospitium in inferno, quàm in cœlo. Rectè tu quidẽ, quisquis ista objicis, q; agnoscas tua peccata. Hæc autem agnitio eò tendere debet, non ut in iudicio peccatorum maneas, sed ut ad cognoscendum officiũ Christi inuiteris. Christus enim propter hanc causam uenit in hunc mundum, non ut homines propter peccata damnet, sed ut peccata expiet, & hoies seruet. Non ueni, inquit, ut iudicem mundum, sed ut seruem mundum. Et iterum: Non opus habent ij, qui ualidi sunt, medico, sed qui malè habent: Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et Paulus: Certus, inquit, sermo, & omni acceptione dignus, q; CHRISTVS IESVS uenit in hunc mundum, ut peccatores saluos faceret. Quare, cùm te inuenis in catalogo peccatorum, inuenis etiam te in eorum catalogo, propter quos Christus uenit in mundum, & expiauit peccata: ac tantum abest, ut propter peccata incertum fiat cœleste in altero seculo hospitium, ut potius, ubi exuberat peccatum, ibi magis exuberet per Iesum Christum, fide acceptum, cœlestis hospitij certitudo. Porrò, quia Christus precatus est, primũ pro sui glorificatione, ut nomine suo illustrato, uerus Deus agnoscatur: deinde pro Apostolis, postea pro omnibus, qui credunt in ipsum, prædicatione Apostolorum, tempus

Hospitium alterius seculi.

nunc

nunc uideretur,utChriſtus precaretur,non pro una tantum &altera hominum congregatione,ſed pro uniuerſo humano genere,& pro oĩbus hoĩbus,qui ſunt aut erunt in hoc mundo.Suprà aũt dixit: Non pro mũdo rogo,ſed pro ĩjs,quos dediſti mihi. Addit igit̃ nunc in fine precationis cauſam,cur non oret pro mundo,ſeu pro impĩjs,qui ſunt impœnitẽtes,quæ ſemper maxima pars eſt hoĩm in hoc mundo,ſed oret tm̃ pro ĩjs,qui agnoſcunt Euãgelion Apoſtolicum.Et ait:Pater iuſte,mũdus te non cognouit,ego aũt te cognoui,& ĩj cognouerunt, ꝙ tu me miſeris. Et notum feci eis nomen tuum,& notũ faciam,ut dilectio,qua dilexiſti me,in ipſis ſit,& ego in ipſis. Habes cauſam,cur filius Dei precetur pro ſua Eccleſia,& non pro mundo.Pater,inquit,iuſte.Hìc iuſti titulus non additur hoc loco Patri ocioſè. Dicitur.n. Deus pater,iuſtus,duplici nomine.Altero,ꝙ ipſe in ſe ſit iuſtus,& reddat unicuiq; ſecundum opera ſua.Hæc eſt iuſticia,quam lex de Deo concionatur.Altero,ꝙ reputet eum iuſtum, qui credit in filium ſuum Ieſum Chriſtum. Hanc iuſticiam concionatur de eo Euangelion. Vnde Paulus ad Rom.ſcribens: Deus, inquit,tolerauit præterita delicta,ad oſtẽdendam iuſticiam ſuã,in præſenti tempore,in hoc,ut ipſe ſit iuſtus,& iuſtificans eum,qui eſt ex fide Ieſu.Cùm igit̃ Chriſtus faciat hìc diſcrimen inter mundum contemnentem Euãgelion ſuũ,& interEccleſiam,agnoſcentem Euangelion,oportunè tribuit patri ſuo cognomen iuſti,ut ſignificet patrem iuſtum eſſe ſecundum legem,erga impios & cõtemptores Euãgelĩj ſui,& iuſtum eſſe ſecundum Euãgelion,erga pios & credentes Euangelio. Non rogo,inquiens,pro mundo.Quam ob cauſam? quia mundus non cognoſcit te, neq; uult te cognoſcere.Etſi.n.gloriatur de Deo,tm̃ quia & me & meum Euangelion non cõtemnit tantum,uerumetiã perſequitur, idcirco non cognoſcit Deum.Non poteſt em̃ Deus cognoſci,niſi per filium.Deum nemo uidit unquam, unigenitus filius,qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit. Et: Nemo nouit patrem,niſi filius,& cuicunque uoluerit filius reuelare. Et: Nemo uenit ad Patrem,niſi per me. Quare,cùm impĩj in mundo,contemnant & perſequantur Chriſtum & Euangelion eius, fieri nõ poteſt,ut uerã habeant cognitionem Dei,ideoq; iuſtiſsimo Dei iudicio ſit,ut retribuatur eis ſecundum opera manuũ ipſorum,ut excæcentur,indurentur,&perpetuo exitio pereant.Pĩj aũt cognoſcunt Deũ, quia amplectuntur Euãgelion filĩj Dei, quo Euangelio reuelatur pater, uidelicet, ꝙ Deus ſit propicius propter filium ſuum Ieſum Chriſtum. Notum,inquit, feci eis nomen tuum,& notum faciam. Nam filius Dei prædicauit Apoſtolis ſuis,Deum tam clementem &miſericordem eſſe, ut omnes eos ſeruet perpetuò,qui credunt in ipſum. Sic Deus,inquit, dilexit mundum,ut filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum,non pereat,ſed habeat uitam æternam.Et iterum: Hæc eſt uoluntas eius, qui miſit me, ut omnis qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam,& ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Hæc & id genus alia prædicauit Chriſtus Apoſtolis ſuis, priuſquàm ſubĩjſſet mortem,&reſurrexiſſet à mortuis,quibus concionibus notum fecit eis nomen,clemẽtiam,& miſericordiam Dei.Et addit: Notum faciam eis,

Chriſtus pro mundo cur non oret.

Deus Pater dicitur iuſtus duplici nomine.

Hoc tùm impletum est, cùm Christus misit Apostolis spiritum sanctũ in die Pentecostes, quo nomen & gloria Dei ita reuelata & illustrata est, ut perspicuè cognosceretur, quòd Deus uelit per hunc filium suum Iesum Christum humanum genus seruare. Sic & Christus notum facit nomen & gloriam Dei, per sermonem Apostolorum, omnibus alijs hominibus, qui hunc sermonem fide accipiunt. Etsi autem noticia Dei, quæ initio datur per Euangelion Apostolorum, uidetur adhuc obscura, & imbecillis, tamen si pergamus Euãgelio constanter credere, subinde magis ac magis illustratur, donec tandem cognoscamus Deum in futuro seculo, sicut ab ipso in hoc præsenti seculo cogniti sumus. Sed cur notum fit nobis nomen Dei? Vt dilectio, inquit, qua me diligis, in ipsis sit, & ego in ipsis: hoc est, idcirco reuelo eis nomen tuum, ut manifestum sit, q̃ diligas ipsos, sicut me diligis, & quòd ego in ipsis habitem. Hæc est summa nostra fœlicitas, quòd Pater nos diligat, sicut diligit filium suum, & quòd filius Dei habitet in nobis, ac habeat nobiscum omnia sua bona communia. Quomodo ergo hoc assequemur? Suprà dixit: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Si quis, inquit, diligit me, sermonem meum seruabit. Non circumferamur quouis uento doctrinæ, sed seruemus sermonem Christi, qui est, Euangelion eius, & diligamus Christum, ut uocationi eius obediamus: sic em̃ fiet, ut & pater nos diligat, sicut filiũ diligit, & filius cooptet nos in suos cohæredes. Habes precationem Christi, quam addidit concionibus suis post nouissimam cœnam. Quæ precatio, etsi semel tantum, externis uerbis, coram Apostolis perorata est, non tamen euanuit in tenues auras, sed adhuc sonat in auribus Dei, & conseruat in terris ministerium Euangelij, ac uniuersam Ecclesiam. Christus est, inquit, qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei, qui & intercedit pro nobis. Complectamur igitur hanc precationem memoria, recitemus eam sæpissimè & diligentissimè, & coniungamus cum ea etiam nostras preces, ut ea sustentati uincamus omnia huius seculi mala, & consequamur cœlestia bona, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Nomen Dei cur notum fiat.

CAPVT XVIII.

HOMILIA LIIII.

CVM clarissimus rex & Propheta Dauid, spiritu sancto excitatus, describeret in Psalmo maiestatem Domini nostri Iesu Christi, facit ex ipso æternum nõ regem modò, uerumetiam sacerdotem: Iurauit, inquiẽs, Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Sunt autẽ præcipuè tria officia sacerdotis, Docere populũ, Orare pro populo, & sacrificium offerre pro populo. Ac hactenus quidẽ audiuimus doctrinam Christi, audiuimus & precationem

Sacerdotis tria officia.

tionem eius,quæ ſunt duę partes ſacerdotalis officij. Accedemus igitur nunc,diuina clemẽtia adiuti,ad explicandam tertiam partem, ut cognoſcamus quale ſacrificium hic ſacerdos Deo pro ſalute populi ſui obtulerit.Quod cũ inſtituimus,hiſtoria paſsionis Chriſti diligẽter nobis percurrenda eſt.In hac enim luculenter deſcribitur,q̃ Chriſtus futurorum bonorum Pontifex,oblaturus ſacrificium pro ſalute populi ſui, intrauerit in cœleſte tabernaculum, non per ſanguinem hircorum ac uitulorũ, ſed quẽadmodum Apoſtolus ait,per proprium ſanguinem , ac obtulerit ſeipſum immaculatum Deo,ut purgaret conſcientiã noſtram à mortuarijs operibus,ad ſeruiendum Deo uiuenti. Suſcipiemus igitur hiſtoriam paſsionis Chriſti interpretãdam,ſicut ea ab Euãgeliſta Ioanne deſcripta eſt,ut non tam ſciamus , quibus ritibus Chriſtus ſacrificium ſuũ obtulerit,quàm cognoſcamus,quis ſit uerus huius ſacrificij uſus.Priuſquàm ergo ad hiſtoriam ipſam accedamus,operę precium uidetur, pauca de uſu paſsionis & mortis Chriſti præfari. Etſi enim hiſtoria diligenter audienda,legenda,meditanda & cognoſcenda eſt,tamen non ſentiamus nos noſtro officio ſatisfeciſſe, ſi uerba tãtum hiſtoriæ teneamus,& mente cogitemus, atq̃ etiam crudelitatem & immanitatẽ Iudæ proditoris ac reliquorum hoſtiũ Chriſti execremur: Sed uſus, uſus inquam,& finis paſsionis & mortis Chriſti , quam hiſtoria deſcribit,cognoſcẽdus eſt.Ac alij quidẽ delectantur picturis,alij ſculptilibus, alij pulſibus campanarum,alij aljs id genus ſignis , quibus de paſsione & morte Chriſti admoneantur.Sed hæc ſunt humana inuenta, nec ſunt diuinitùs inſtituta, ut ſint organa ſpũs , ideoq̃ hypocritam magis q̃ pium reddere poſſunt.Inſtituta autem & ordinata ſunt diuinitùs ſcripta Prophetica, & Apoſtolica: inſtitutum eſt publicum docendi Euãgelij miniſterium:inſtituta eſt Cœna dominica.Hæc ſunt uera organa,quibus ſpiritus ſanctus utitur,ad commonefaciendos nos de uſu paſsionis & mortis Chriſti,& ad applicandum nobis fructũ ſacrificij eius. Cùm igitur in hiſtoria paſsionis audimus Chriſtum filium Dei , cohorreſcentem ad conſpectum mortis,luctantem cũ terroribus mortis, ſudantem ſanguinem,captiuũ, percuſſum,flagellatum,irriſum,cruci affixum,mortuum & conſoſſum, ſciamus eum hæc paſſum , non ꝓpter ſua aliqua peccata : Peccatum emi non fecit, nec eſt inuentus dolus in ore eius, ſed ꝓpter peccata humani generis, ꝓpter mea,tua, & illius peccata, ut ea his ſupplicijs coram Deo expiaret,& iram Dei placaret.Cogitemus, nos noſtris peccatis meritos eſſe mortem & infernũ , ſed filium Dei noſtram calamitatem miſeratũ, ſuſcepiſſe horrores mortis & inferni , ut ꝓ noſtris peccatis ſatisfaceret, & nos à perpetuo interitu ſeruaret.Hic eſt uſus, hic eſt finis paſsionis ac mortis Chriſti . Hunc finem adumbrârunt quõdam ſacrificia Leuitica. Etſi enim dicebantur expiare peccata,tamen nõ expiabant ea,niſi uel Leuitica, uel coram humano iudicio : remittebant aũt offerẽtem ad unum illud & uerum ſacrificium,quod filius Dei ſemel in cruce peracturus,& quo uera peccata corã diuino iudicio expiaturus eſſet.Omnis ſacerdos, inquit Apoſtolus,aſsiſtit quotidie ſacra peragens,& eaſdem ſæpius offerens hoſtias,quæ nunquam poſſunt auferre peccata. Hic uerò, (filius

Paßionis & mortis Chriſti uſus & finis.

Dei)una pro peccatis oblata uictima, perpetuo ſedet ad dextram Dei, id quod ſupereſt expectans, donec reddantur inimici ipſius ſcabellum pedum eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuum eos qui ſanctificantur. In Eſaia autem perſpicuè prædicatur, quòd Chriſtus ſuſcepturus ſit paſsionem & mortem, non propter ſua, ſed propter noſtra peccata. Ipſe uulneratus eſt, inquit, propter iniquitates noſtras, attritus eſt ꝓpter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Et mox: Abſciſſus eſt de terra uiuentium: propter ſcelus populi mei percuſsi eum. Et Ioannes Baptiſta de Chriſto concionatur: Ecce, inquiens, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Ac in inſtitutione Cœnæ Dominicæ Chriſtus ipſe palàm docet uſum paſsionis ſuæ: Hoc, inquiens, eſt corpus, quod pro uobis traditur. Et: Hic eſt ſanguis qui pro uobis & pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum. Et Paulus: Mortuus eſt, inquit, propter peccata noſtra. Similiter Ioannes: Ipſe eſt (inquit) propiciatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris aũt tantum, uerumetiam pro totius mũdi. Sed quid facio? Tota ſcriptura Apoſtolica plena eſt horum teſtimoniorum, quibus comprobatur, paſsionem & mortem Chriſti filij Dei hoc ſpectare, ut noſtra peccata coram Deo expientur, & nos cum Deo reconciliemur. In conſideratione aũt huius uſus, admonemur de duabus rebus, quæ nobis ad agendam pœnitentiam, hoc eſt, ad conſequendam uerã & cœleſtem ſalutem maximè omnium neceſſariæ ſunt. Noſtra enim uocatio eſt, noſtra ſalus exigit, ut pœnitentiam agamus. Si pœnitẽtiam, inquit Dñs, egerit gens illa à malo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui ut facerem ei. Et loãnes ac Chriſtus ipſe: Pœnitentiam, inquiunt, agite: Appropinquat em̃ regnum cœlorum. Quare magna cura cognoſcenda ſunt ea, quæ ad agendam pœnitentiam neceſſaria ſunt. Primùm autem, in uera pœnitentia neceſſe habes cognoſcere magnitudinem peccatorum tuorum, & ſeueritatem iræ Dei aduerſus peccata, ut & cohorreſcas, & ad quærendam remiſsionem peccatorũ exciteris, & actionem peccatorum deuites. Nam, quòd tam pauci homines ſeriò cogitent de fugiendis peccatis, & ſectanda iuſticia, hinc adeò accidit, quia exiſtimant iram Dei non eſſe ſeriam aduerſus peccata, nec putant peccata tam grauia eſſe, ut mereãtur æterna ſupplicia. Quicquid ſecuris iſtis hominibus de ira Dei dixeris, ſurdis fabulam narraueris. Semper enim id, quod eſt apud Moſen, in cordibus ſuis dicũt: Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei. Et illud Eſaiæ: Percuſsimus fœdus cum morte, & cũ inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cũ tranſierit, non ueniet ſuper nos. Extant aũt multæ & perſpicuæ ſignificationes ſeueritatis diuinæ iræ aduerſus peccata. Adam peccauit eſu pomi à Deo prohibiti. Hoc uidetur pctm̃ admodũ puerile. Solent em̃ pueri poma ſuffurari, & ĩſs clàm ueſci. Sed magnitudo ſupplicij declarat grauitatem peccati, & ſeueritatem iræ Dei aduerſus peccatum. Deus em̃ eiecit ꝓpter hoc peccatum Adamum, cum omni ſua poſteritate, è Paradiſo, in omnes afflictiones, & in mortem, ac niſi quis ueniam peccati per Chriſtum conſequatur, conĩcit eum etiam in infernum. Quæ poteſt eſſe

Pœnitentia quomodo agenda.

se ira seuerior? In diluuio & in incendio Sodomitico perierunt non solum homines adulti, uerumetiam infantes. Quid autem cõmeruerunt infantes, quòd coniecti sint unà cum parentibus in tam horribile supplicium? Grauitas iræ diuinę est, quæ se hoc supplicio patefacere uoluit, ut intelligeremus tantã esse huius rei aduersus peccata seueritatem, ut uisi tet iniquitatẽ patrum in filijs, in tertia & quarta generatione. Et quanꝯ infantes non peccauerunt externis flagicijs, peccant tamen hæreditario peccato, ut nihil habeant, quod de iudicio Dei conquerantur. Quid plura? Bella, fames, incendia, pestes, uastationes, morbi, publicæ & priuatæ hominum calamitates, manifesta sunt argumẽta, quibus Deus seueritatem iræ suæ aduersus peccata orbi cognoscẽdam proponit. Sed nullum est manifestius iræ Dei erga peccata argumentum, quàm passio & mors Domini nostri Iesu Christi, unigeniti filij Dei. Cùm enim hic susciperet in se peccata humani generis expianda, noluit Deus placari, nisi susciperet supplicia peccati, hoc est, afflictiones ac dolores mortis & inferni.

Passio & mors Christi iræ Dei argumentum.

Quæso te, cogita mihi, quanta hæc sit ira aduersus peccata, propter quæ Deus ne unigenito quidẽ filio suo parcere uoluit? Quomodo Deus potuisset uidere filium tam dilectum, ad conspectum mortis cohorrescere & sudare sanguinem, ac in cruce crudelissimè manibus & pedibus perfodi, nisi esset iudex in peccata longè oĩm seueriſsimus? Filius quispiam principis intercedit apud parentem pro fure, aut latrone: Quòd si princeps non remittit scelerato culpam & pœnam, nisi filius qui intercedit, subeat pœnam, an non palàm significatur, principem maxima & uehementissima ira aduersus scelera accensum esse? Quod idem cùm Deus pater faciat erga unigenitum filium suum, innocentẽ quidem, sed pro peccatoribus intercedentem, grauissima sit ira eius aduersus peccata, necesse est. Quare cum in historia passionis audimus Christum contremiscere ad conspectum mortis, & rapi immaniter ad crucẽ & mortem, agnoscamus non tam magnitudinem nostrorum peccatorũ, propter quæ filius Dei tanta patitur, quàm seriam seueritatem iræ Dei aduersus peccata, qua seueritate Deus ne filio quidem unigenito suo parcere uoluit. Et cùm deliberas tecum de abijciendo Euangelio Christi, de abutendo nomine Dei ad execrationes, de committendo furto, de sectãdo scorto, de inferendo malum proximo tuo, aut de alijs sceleribus designãdis, cogita tecum quale & quantũ facinus instituas. An nescis, Deum tanto odio hoc quod faciendum suscipis, prosequi, ut cùm filius sibi pro eo intercedendum putaret, ne ipsi quidem tantopere amato pepercerit? Vis ne tu iterum filiũ Dei crucifigere, & ludibrio exponere? Nam hi, autore Apostolo, filium Dei iterum crucifigunt, & ludibrio exponunt, qui postꝯ fuerunt illuminati, & gustauerunt cœleste donum, in peccata prolabunt. Meditemur igitur passionem Christi summa diligentia, ut pœnitentiã agamus, magnitudinẽ iræ diuinę aduersus peccata cognoscamus, & peccata fugiamus. Deinde, in agenda uera pœnitẽtia cognoscere debemus non solum magnitudinem peccatorum, & seueritatem iræ Dei, sed etiã magnitudinem clementiæ Dei, & ueritatem ac certitudinem misericordiæ eius, qua peccata ꝓpter Christum remittuntur. Ac uidetur quidem

homini in huius mundi fœlicitate & tranquillitate uerſanti facillimum eſſe, cognoſcere & credere Deũ eſſe propiciũ ac miſericordem, ideoq; multi ſecurè in peccata ruunt, dum cogitant Deum eſſe clementiorem, quàm qui in iſta ſeuerius animaduertat: & quanquã iraſcatur peccatis, tamen facile eum, una aut altera precatiuncula, aut ſaltem aſperſione aquæ benedictæ placari poſſe. Sed profectò nullũ eſt homini difficilius opus, quàm uerè & ex animo credere Deũ eſſe miſericordem & clementem. Quę difficultas tum præcipuè apparet, cùm aduerſis tẽtamur, cùm tyrannidi mortis & horroribus inferni obiicimur. Diuitię ſi affluant, facile uidetur eſſe, credere Deũ eſſe propicium, & dare alimenta. Si corporalis ſanitas uegeta fuerit, haud difficile apparet credere, quòd Deus clementer nos conſeruet. Si peccati iudicium latet: & illuſtris eſt honeſtas uitę, nihil uidetur negocij, credere quòd Deus ex miſericordia remittat peccatũ, & reputet nos iuſtos. In omnium autem rerũ indigentia, in grauiſsimis morbis, in reuelato iudicio peccati, in conſpectu mortis, & in horroribus inferni, credere, quòd Deus ſit propicius, & conſeruet nos clemẽter, ne pereamus, & reputet nos iuſtos, ac tribuat nobis uitã & cœleſtem fœlicitatem, hoc demũ opus, hic labor. Quid enim hoc aliud eſt, quàm uidere in uacua crumena pecuniam, in morbo ſanitatẽ, in dolore uoluptatem, in morte uitã, in inferno cœlum, deniq; in nihilo aliquid? Quod certè non eſt humanæ, ſed diuinæ tantum induſtrię. Quare non eſt oſcitanter ſed ſeriò cogitandũ, ut rectam & ueram fidẽ de miſericordia & clementia Dei cõſequamur. Deus autem teſtatus eſt ualde multis argumentis miſericordiam & clementiam ſuam erga humanum genus. Primùm quidem creatione cœli & terræ, quę in uſum hominis cõdidit. Deinde multis aliis donis, quibus hominẽ ornauit tam corpore quàm animo. Deus inquit Paulus, non ſinit ſeipſum expertẽ teſtimonij, dum beneficia confert, de cœlo dans nobis pluuias ac tempora fructifera, implens cibo ac lætitia (ſeu uino quod lætificat hominem) corda noſtra. Pręterea declarauit clementiam ſuã multis & magnis miraculis, quibus populum ſuum è difficillimis periculis ſæpenumero liberauit. Sed nullum opus eſt, quo Deus magis perſpicue declarauit ſuam clementiã erga humanum genus, quàm quòd paſſus eſt, ut unigenitus filius ſuus ſuſciperet ad expianda peccata hominis crucem & mortẽ. Nam Chriſtus filius Dei, tam dilectus & acceptus eſt Deo patri ſuo, ut tradiderit ei omnia, & effuderit in ipſum omnem ſuam potentiam & maieſtatem. Et tamen maluit ferre ut filius ſudaret ſanguinẽ, laceraretur, & crudeliſsime interficeretur, quàm ut humanum genus periret. Non potuiſſet autem ferre, ut tãta mala unigenito, & ſic dilecto filio acciderent, niſi uera eius & ſeria eſſet miſericordia atq; clementia erga humanum genus. Sic Deus (inquit Chriſtus) dilexit mundũ, ut filium ſuum unigenitum daret, (uidelicet in crucem & mortem) ut omnis qui credit in eum nõ pereat, ſed habeat æternam uitam. Et Paulus: Commendat, inquit, ſuam caritatem erga nos Deus, quòd cũ adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Et Ioannes: In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quòd filiũ ſuũ unigenitũ miſit Deus in mundũ, ut uiuamus per eum. In

Credere Deum miſericordem opus difficillimum

Miſericordię Dei argumenta.

Actor. 14.

Rom. 5.

1. Ioan. 4.

hoc

hoc eſt caritas, non q̃ nos dilexerimus Deum, ſed q̃ ipſe dilexerit nos, & miſit filium ſuum propiciationem pro peccatis noſtris. Quare, cùm ad agendam pœnitentiam neceſſarium ſit credere, quòd Deus ſit propicius, remittat peccata clementer, neceſſarium etiã eſt, ut hiſtoriam paſsionis Chriſti diligentiſsimè cognoſcamus & meditemur, non ut exiſtimemus nos ipſo meditationis opere expiare pc̃tã, ſed ut cognoſcamus immenſam Dei erga nos clementiam, & excitemus atq; confirmemus fidem noſtram, quo de remiſsione peccatorum ꝓpter Chriſtum certi efficiamur. Poſtremò, etſi in hiſtoria paſsionis Chriſti maximè oĩm conſiderandum eſt, q̃ Chriſtus ſuſceperit crucem & mortem, ad expianda peccata noſtra, tamen nec hoc prætereundũ eſt, ut ex ea diſcamus regnũ Chriſti noſtri non eſſe mundanum, & Chriſtum ſuſcepiſſe quidẽ noſtri cauſa tantas afflictiones, non aũt ſuſcepiſſe eas, ut nos nullas in hoc ſeculo haberemus, ſed ut exemplo eius oẽs afflictiones, quæ nobis immittũtur, patienter & obedienter feramus. Chriſtus (inquit Petrus) afflictus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut inſequeremini ueſtigia eius. Et Chriſtus ipſe ait: Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & uos perſequentur. Cùm igitur hiſtoria paſsionis Chriſti utilis ſit ac neceſſaria, ad cõſiderationem maximarum rerum ſalutis noſtræ, agite, amiciſsimi, expergiſcamur, & capeſſamus eam, ut ſuũ ſpiritui ſancto organon exhibeamus, quo dona ſua in nos clementer effundat, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LV.

QVAE in ſuperiori homilia prę̃fati ſumus, etſi pauca ſunt, tm̃ ſi diligenter expendantur, ſpero ea ad cognoſcendum uerũ & legitimum uſum paſsionis & mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti, multum profutura. Accedemus igitur nunc ad percurrendam ipſam paſsionis hiſtoriam, ut nobis perſpecta ſint, quæ pro nobis filius Dei patiẽda ſuſcepit. Hæc cùm dixiſſet Ieſus, egreſſus eſt cũ diſcipulis ſuis trans torrentẽ Cedron, (Hic eſt torrens Kidron, ſicut Hebræi uocant, & hæc eſt uia, qua etiã Dauid in maximis ærumnis profectus eſt in exilium, cũ eiiceretur à filio ſuo è regno, quẽadmodum in ſecundo libro Regum cap. 15. ſcriptum eſt) ubi erat hortus, in quẽ introiuit ipſe & diſcipuli eius. Alij Euangeliſtæ commemorant, q̃ Chriſtus concionatus ſit diſcipulis in itinere de offendiculo, quod paſſuri erant, & de abnegatione Petri. Recenſent præterea q̃ ſuſceperit in horto grauiſsimã pugnam cũ terroribus mortis, ac orauerit tanto animi ardore, ut etiam ſanguinem ſudauerit. Quæ quia aliâs copioſè tractauimus, & libet hoc tempore tantum ea percurrere, quæ Ioannes adnotauit, continebimus nos intra præſcriptos fines, & perſtringemus ea, quæ nobis ab hoc noſtro Euangeliſta Ioanne propoſita ſunt. Sed nõ egrediemur tam cito hunc hortũ, in quẽ Chriſtus cum diſcipulis ſuis intrauit, quin prius unum aut alterũ pomum decerpamus. In hoc enim loco admoneamur & diſcamus, q̃ cùm ingredimur in hortos, non debeamus eos corporalibus tantũ oculis, uerũetiam ſpiritualibus aſpicere. Initio enim, Adam

Horti quid nos admonent.

primus noster parens, peccauit in horto, & coniecit tam se q̃ omnes posteros suos, ꝓpter pcm̃ in extremam internecionem. Quare si quis magnitudinem peccati & calamitatum, quæ ex peccato ueniunt, considerauerit, non mirum, q̃ ad conspectum hortorum cohorrescat, & oculos suos ab eis magna animi mœsticia auertat. Filius aũt Dei sanctificat nũc iterum hortos, quos Adam antè prophanauerat. Suscipit em̃ in horto montis Oliuarum pugnã cum terroribus mortis, & consecrat eum hortum sua oratione, ac irrigat eum sanguineo suo sudore, quæ nobis uitã & salutem pepererunt. Quare etsi in conspectu hortorum admoneri debemus generaliter de clementia Dei, q̃ dat nobis tempora frugifera, & uaria genera pomorum, tamen præcipuè admoneri debemus de peccato Adæ, & de pugna Christi propter pcm̃ in horto suscepta, ut agnoscamus immensam misericordiam Dei, quam nobis in filio suo exhibuit, & excitemur ad gratitudinem. Nouerat aũt & Iudas, qui prodebat eum, locum, q̃ frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cùm accepisset cohortem (quam alĩ putant constitisse quingentis, alĩ septingentis, alĩ nongentis, alĩ mille militibus) & à Pontificibus & Pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis ac facibus & armis. Hic inti-

Romani legiones habent, in quibus singulis sena millia, interdum amplius militare consueuerunt. In una aũt legione decem cohortes esse debent, &c. Vegetius de re militari lib. 2.

tio quædam de Iuda proditore dicenda sunt. Iudas .n. accepta pecunia, non solũ ꝓdidit locum, in quo Iesus frequenter cum discipulis conuenire solebat, uerumetiã factus est dux eius agminis, qui Iesum cõprehenderent. Amabo igit̃ te, unde potuit tanta esse immanitas in Iuda, q̃ non solum susceperit cogitationẽ de prodendo tanto ipsius benefactore, sed etiã prębuerit se ducem eorũ, quos sciebat Iesum implacabili odio prosequi, ac non nisi extremã eius internecionem meditari? Et quõ potuit Deus ad tantã Iudæ immanitatem cõniuere, & eam tolerare, donec reipsa perficeretur? De hac re nõ est alienum ab instituto pauca quędam exponere, ut & nostram ipsorũ naturam rectè cognoscere discamus. Nam immanissimũ quidẽ scelus est, quod Iudas designauit, Sed q̃d Christus ad eos dixit, qui nunciabant ipsi de Galilæis, quorum sanguinẽ Pilatus miscuerat cũ sacrificijs ipsorum: Putatis, q̃ hi Galilęi præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non dico uobis, Imò nisi resipueritis, omnes simul peribitis: idem etiã dicendum est ad eos, qui Iudam ita execrantur, ut existiment eum solum esse peccatorem, omnibus diris deuouendum, se uerò esse longe oĩm innocentissimos: Putatis q̃ Iudas præ cunctis alijs hominibus peccator fuerit, quia talia & fecit, & passus est? Non dico uobis, Sed quæ corrupta & uitiata natura fuit in Iuda, & qui Satan dominatus est in Iudam, eadem planè natura est in omnibus hominibus, & eiusdem Satanæ tyrannidi obnoxium est, propter peccatum, totum humanum genus: quam tyrannidem exerceret quoq̃ Satan in omnibus hominibus, nisi diuinitũs cohiberetur. Postq̃ enim Adam peccauit, & amisit spiritum sanctum, cumulatum est cor eius omni genere scelerũ. Vbi enim discedit spiritus sanctus, ibi succedit spiritus malus & impurus, qui confert in eum, quem occupat, omnẽ impietatem & immanitatem. Nec hoc malum constitit in Adami tantum persona, sed propagatum est in omnẽ eius posteritatem, ut quotquot ex ipso descendunt,

Humanæ naturæ corruptio.

ſcendunt,afferunt ſecum cor omni malicia plenum.Propter unũ homi-
nem, inquit Paulus, pctm̃ introiit in mundum, ac per peccatum mors,
& ſic in oẽs homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Et a-
liâs: Senſus &cogitatio humani cordis,malum ſunt ab adoleſcentia. Ac
rurſus: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me
mater mea. Et iterum: Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile.Dicit &
Chriſtus ipſe:Ex corde exeunt cogitationes malæ,cædes, adulteria, ſtu-
pra,furta,falſa teſtimonia,conuicia.Non exirent autem ex corde,niſi in
corde eſſent.In corde autem ſunt,non noua aliqua inſitione,poſtq; ado
leueris,ſed ueteri natura,quã ab Adamo hæreditate accipimus,& quã
nobiſcum in hunc mundum aſportamus.Quare cùm omnes homines
ſint una maſſa,per peccatum Adæ fermẽtata & corrupta, eſt & in omni
bus homnibus una omnium malorum lerna,ut in receſſu humani cor-
dis lateat non ſolum incredulitas,contẽptus Dei, inuidia,ira,libido, u-
rumetiã proditio, inceſtus,patricidiũ,& omne genus immanitatis.Di-
ces igitur, Si ad hũc modum res ſe habet, quid eſt,q; immanitas non in
omnibus ſeſe æqualiter prodat? quid eſt,quòd non oẽs ſic peccent,ut Iu
das aut Cain,aut Saul? Hìc conſiderandum eſt,q; Deus miſeratus huma
nã calamitatem,ordinauit aduerſus Satanam, agmina angelorũ, qui Sa-
tanæ tyrannidi ita obſiſtant, ut non ſolum tueantur gentes & Imperia,
ne crudelitate Satanæ euertantur, uerumetiam moueat hominum cogi
tationes,ne Satanę immania ſuggerenti obſequantur. In Daniele ange-
lus pugnat cum Principe Perſarum,pro filiis populi Dei, ne oppriman
tur.In Numeris, Angelus Domini linguã Bałaam ita gubernat, ut non
poſſet,niſi benedicere filiis Iſrael. In Geneſi, Abraham dicit ſeruo ſuo,
quòd Dominus miſſurus ſit angelum ſuum coram ipſo, qui efficiat, ut
inueniat filio ſuo uxorem in cognatione ſua. Vides igitur angelos diui-
nitùs ordinatos eſſe,ut & publicam tranquillitatem tueantur, & homi-
num mentes gubernent, ne Satan pro libidine ſua omnia perturbet, &
confundat.Deinde inſtituit Deus inter homines ex una parte,Magiſtra
tus,leges,parentes,& diſciplinas, ex altera parte, miniſterium Euãgelij
Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ac magiſtratibus,& legibus ac diſciplinis
humanis,coercentur quidẽ homines,diuina ordinatione,ne in quæuis
genera immanium ſcelerum ruant,& continentur aliquo modo in offi-
cio,ſed his organis non regenerantur,non fiunt noui homines,nec con
ſtant in grauibus periculis. Non enim eripiuntur è tyrannide Satanæ,
etiamſi magiſtratibus & legibus obediant. Miniſterium aũt Euangelij,
id demùm organon eſt, quo homines pij non ſolũ continentur in offi-
cio,uerũetiam regenerantur per ſpũm ſanctum, & fiunt noui homines,
ut & liberentur à Satanę uinculis,& ſectentur,non iam humana ratione
dictante,ſed ſpiritu ſancto ducẽte,& uires prębente, honeſtas actiones.
Ad hoc enim apparuit,ſicut Ioannes dicit,filius Dei, ut diſſoluat opera
diaboli.Et aliâs: Chriſtus per mortem abolet eum, qui mortis habebat
imperium,hoc eſt,diabolum,& liberos reddit eos, quicunq; metu mor
tis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti.Quare ſoli diuinę clemen
tiæ,& ordinationibus eius acceptum ferendum eſt, q; Satan nõ imple-

Immanitæ cur ſe non in omnibus hominibus æqualiter prodat.

at immanibus ſceleribus uniuerſam terram,& oēs hominū politias. Et tamen res ipſa indicat, ꝙ nonnunquam deſignētur inter homines tam nefaria & truculenta ſcelera, ut honeſti uiri ad mentionem eorꝝ cohorreſcant. Quid igitur eſt,ꝙ Deus ad ea conniueat? quid eſt,quòd tantum Satanæ permittat,ut Iudas prodat Chriſtum filium ſuū, ut Saul interficiat tot innocētes ſacerdotes,ut uaſtet ciuitatem eorum crudeliſsimè,ut Cain occidat fratrem ſuū,ut frater tradat fratrem in mortem,& pater filium,ſicut eſt in Euangelio? Quid poteſt his ſceleribus immanius dici? Et tamen ab hominibus deſignari ſolent. Sed multæ ſunt cauſæ,cur Deus Satanę permittat,ut homines in tantam immanitatem conĳciat. Vna eſt, ut his exemplis admoneat oēs homines ſuæ corruptæ & uitiatæ naturę. Quales enim ſunt ſcelerati illi & immanes nebulones,talis eſt quiuis homo natura ſua. Et quod illi externis ſceleribus deſignāt,hoc in receſsibus cuiuſuis hominis latet, haud dubiè data occaſione erupturum, niſi diuinitùs cohibeatur. Quare agnoſcamus alienis exemplis noſtrū peccatum, ut excitemur ad quærendam remiſsionem & remediū peccati. Deinde,Deus conniuet ad immanitatem ſcelerum, ut admoneat nos de tyrannide Satanæ,ne uidelicet ſecurè ſtertamus,ſed uigilemus aduerſus Satanam,quia circuit ſicut leo rugiens,quærens quem deuoret. Poſtremò conniuet,ut ſcelera ſceleribus puniantur. Paulus ad Romanos ſcribens, dicit, Gentes traditas in cupiditates ignominioſas, propterea ꝙ cùm Deum cognouiſſent, non ut Deum glorificauerint. Docet aūt Paulus,ꝙ immania flagitia ſint impietatis ſupplicia. Itaq; peccatum ſit peccati pœna. Sic & de proditione Iudæ ſentiēdum eſt. Ea enim fuit pœna impietatis eius. Initio enim Iudas audiuit Euangelion Chriſti,& cooptatus eſt in numerum Apoſtolorum. Etſi aūt uiſus eſt Euangelio magnam fidem habere,tamen contempſit in latebris cordis ſui. Deinde cōmiſit etiam furtum, & multa ſurripuit è fiſco, cuius cura ipſi demandata erat. Adhęc,cùm reprehenderetur à Chriſto,quòd inuectus eſſet in mulierem,quæ unguentum effuderat,concepit aduerſus Chriſtum magnā inuidiam. Itaq;, cùm alterum poſt alterum peccatum deſignaret,& his Satanam ad ſe quaſi inuitaret,totus tandem tyrannidi Satanę permiſſus eſt,ut ad horrenda & immania flagitia impelleretur,& dignis ſupplicĳs puniretur. Admoneamur igitur hoc exemplo,ut obſtemus principĳs peccatorꝝ. Vno enim & altero peccato quaſi inuitas ad te Satanā. Hic hoſpes,ſi ſemel & iterꝝ receptus fuerit,non facilè iterꝝ eĳci poteſt,nec contētus eſt iure hoſpitĳ,ſed incipit etiā uſurpare ſibi ius dominationis,& accipit ad ſe ſeptem ſpūs,ut Chriſtus ait,nequiores ſe, imò uenit cū legionibus diabolorꝝ,ut poſtrema hominis fiant peiora primis. Quare maxima oīm opera danda eſt, ut liberati per Chriſtum à Satanę tyrānide,nō recipiamus eum rurſus in hoſpitium, ſed principĳs obſtemus, ut iterū atq; iterū repulſus ac ſuperatus,minus nobis moleſtus eſſe pergat. Sunt & aliæ cauſæ,cur Deus conniuerit ad proditionem Iudæ,& adhuc conniueat ad multa immania ſcelera, ſed nos uoluimus tantū generales cauſas recenſere, quibus nunc contenti,perſequemur & alia, quæ hoc loco cōmemorantur. Iudas enim nō ſolus accedit ad Chriſtum, ſed adducit ſecum

Deus cur Satanæ multa permittat.

Iudæ proditoris impietas.

secum cohortem præsidiariam,& ministros,quos ipsi Pontifices,Pharisæi,& Senatores Hierosolymitani adiunxerant. Hic considera mihi personas & dignitatem eorum, qui mittunt ministros suos ad comprehendendũ Christum. Cohortem mittit Pilatus præses,nomine Romani Imperatoris,Reliquos ministros mittunt summi sacerdotes, religionis antistites, ac Pharisæi sanctitate illustres, atq; etiam Senatores urbis magistratus. Hi erant summi in Politia & religione populi Dei, Et tamen persequuntur Christum. Rem mirandam. Pontifices & Senatores urbis Hierusalem fruebantur beneficijs Christi. Non solũ enim Leuitica sacra,quibus Pontifices præerant, uerumetiam Politia Mosaica instituta erat diuinitùs ad conseruandas promissiones de Christo. Ecce autem, cum iam Christus aduenisset, conferũt illi omne studium suum in hoc,ut opprimatur.Hoc præscriptum nobis est in nostram doctrinam, ut nõ offendamur, uel persecutione, qua præcipui in Ecclesia Christi in Euangelion sęuiunt:uel infœlicitate, qua pij in hoc seculo,propter professionem suam laborant. Euentus stultorum magister est. Itaq; uulgus hominũ iudicat de ueritate Euãgelij Christi ex euentu.Si externus euentus fœlix est,iudicat Euangelion esse uerum. Si infœlix est euentus iudicat esse falsum. Nostrum autem officium est,ut de Christo & Euãgelio eius iudicemus,non secundum externũ in hoc seculo euentũ,sed secundum cœlestia testimonia, quibus ueritas & certitudo eorũ perspicuè cõfirmata sunt.Etsi enim Euangelion Christi nõ semper fœlix est, munda no more,habet tamen suam fœlicitatem etiam in hoc seculo,quod persiciat cursum suum, & constet in orbe terrarum, inuitis, & obsistentibus etiamnũ potentissimis Monarchis. Ac inchoat quidẽ in hoc seculo spiritualem fœlicitatẽ in cordibus piorum per fidẽ, in futuro autem seculo absoluit eam re ipsa,& affert uitã inæternum fœlicem.Quare non offendamur persecutione,qua summi in Ecclesia conantur Euangelion Christi delere: sed potius cõfirmemur in fide, quòd uetus ea sors sit Christi, ut à suo ipsius populo cõprehendatur.& damnetur.Quod cum ita se habeat,pergamus ad ea quæ sequũtur.Iesus itaq; sciens omnia quæ futura erãt super se,processit ac dixit eis:Quẽ quæritis?Responderũt ei: Iesum Nazarenum. Dicit eis Iesus:Ego sum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum cum ipsis. Iesus aliâs in persecutione fugit & abscondit se. Nũc autẽ,etsi optimè cognouit, quæ & quãta manerent ipsum supplicia, De his enim sæpe antea cõcionatus fuerat,& ea paulò antè ob oculos posita ita uiderat,ut & sanguinẽ sudaret,tamen non fugit,sed procedit persecutoribus suis obuiam.Quid sibi uolũt hæ diuersæ actiones Christi?Antè fugit persecutores, ut doceret aduersa declinanda esse, si id per uocationẽ Domini, & sine uiolatione uerbi Dei fieri potest. Nunc autẽ procedit aduersarijs obuiã, ut doceret aduersa suscipienda esse obedienter, si te eò uocauerit uoluntas Dei.Sed quomodo,inquies,cognoscam Dei uoluntatẽ?Cognosces eam ex uerbo eius. Si enim res ita se habet,ut aut tibi peccandum sit contra uerbum Dei,aut aduersa suscipienda,tunc manifestè cognoscitur, quòd uoluntas Dei sit, ut aduersa obedienter suscipias, Deus enim non uult, ut pecces: Non Deus uolens iniquitatem tu

Persecutores Christi qui sint.

Euentus stultorum magister.

Christus præcedit hostibus obuiam.

es. Sed uult, ut in uocatione uerbi eius pergas, etiamsi uita ipsa amittenda sit. Quare, si potes sine peccato aduersa declinare, licebit. Si aũt non potes ea declinare, nisi pecces contra uerbum Dei, tunc in tantum non sunt aduersa declinanda, ut potius aduersarijs obuiã procedendum sit. Itaq; cùm Christus haberet certũ uerbum Dei, q̃ deberet mortem pro peccatis humani generis suscipere, (In hunc em̃ usum missus fuit à Patre in terram,) & cognosceret per spiritum sanctum, quod hoc esset tempus diuinitùs constitutum, quo pateretur mortem, tradit se persecutoribus obedientissimè. Sed de obedientia Christi longè aliud iudicãdum est, quàm de aliorum hominum obedientia. Hi enim, etsi tradunt se aliquoties obedienter ad ferendam crucem, tamen obedeintia eorum est imperfecta, & multa rebellione carnis uitiata. Obedientia autem Christi perfecta est, & sine ullo peccato: Tentatus est, inquit Apostolus, per omnia, iuxta similitudinem, absq; peccato. Quare nostra obedientia nõ expiat peccata, sed sola Christi obedientia hanc habet gloriam, q̃ Deus remittat nobis propter eam, peccata nostra. Sed hìc uide mihi magnum miraculum. Iudas & ministri Pontificum, etsi nouerant Christum de facie, tamen nunc ita cæcantur, ut nihil minus putent, q̃ hunc esse eum, quem quærant. Sic cæcabantur quondam ciues Sodomitæ, ne possent inuenire ostium domus Loth. Sic cęcabantur Syri, ne agnoscerent Helizæum. Sed Loth & Helizæus euadunt hostes suos, Christus non euadit. Quid igitur sibi uult hic diuersus excæcationis hostium euentus? In illis testatur Deus curam suam pro ijs, qui ambulant in uocatione sua, quòd hostes non queant ipsis, ne pilum quidem capitis mouere, nisi diuinitùs cõcessum fuerit. Angelis suis, inquit, mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Et: Angelus Domini immittitur in circuitu timentium eum, & eripit eos. Christus aũt non euadit, partim, ut testetur perfectam suã obediẽtiam, q̃ cùm posset fugere & declinare hostes, non tamen fugiat: partim ut significet, q̃ sicut ipse non idcirco deseritur à Deo, quia traditur in manus aduersariorũ suorum, sed potius conseruatur, & ducitur per captiuitatem & mortem in summam gloriam & fœlicitatem: ita nec nos deseramur à Deo, etiamsi perueniamus in potestatem hostium nostrorum. Siue enim uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Et: Vita mihi Christus est, & mors lucrum. Sed uideamus & aliud miraculum. Priusquàm enim Christus captiuus abducitur, multa hìc miracula eduntur, ut impij persecutores Christi nullam habeant excusationem, & pij certò cognoscant hunc uerum esse Christum. Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Quid magis admiratione dignum? Tot armati homines ad unam unius inermis hominis uoculam concidunt. Sed uides Christum dominari in medio inimicorum suorũ, ac dominari nõ mundanis armis, sed uerbo tantum. Quanta, obsecro, eius est potentia, qui uno uerbo repellit armatos suos hostes, & dejcit eos in terram? Et si hæc uox: Ego sum, sine ulla externa maiestate á Christo in terris iam capiendo prolata, intantum exterruit impios, ut non potuerint amplius consistere, quantum, obsecro, exterrebit impios illa uox, quam Christus in maiestate gloriæ suæ

Ministrorũ Pontificum excæcatio.

de

de cœlo proferet: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Quare discamus timorem Dei, agnoscamus Euangelion Christi, & obediamus uocationi eius, ut non iræ, sed gratiæ uocem audiamus: Venite benedicti patris mei, possidete regnũ paratum uobis ab exordio mundi. Videamus aũt nunc etiam aliud miraculum: Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi uobis, quòd ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt compleretur sermo, quem dixerat: Ex ijs, quos dedisti mihi, non perdidi quenquam. Iesus permittit se persecutoribus, Sed graui autoritate, & quasi comminatione mandat eis, ne lædant aut capiant in præsentia Apostolos suos: Hos, inquit, sinite abire. Et quod mandat, hoc etiam necesse habent impij illi obseruare. Nisi enim positus fuisset eis terminus sæuiendi, non solum cepissent Iesum, uerumetiã grassati essent crudeliter in Apostolos, qui aderant, ac etiam trucidassent eos, præsertim cùm Petrus inferret se euaginato gladio in cohortem armatam. Ecce autem sinunt eos illæsos abire. Memorabile miraculum, quo proponuntur nobis prꝛcipuè duo cõsideranda. Alterum est, ꝙ Deus, cùm cogitat immittere afflictionem, cogitat etiam modum, terminum, & liberationem ex afflictione. Sicut eñ posuit mari suum terminum, ne possit longius, ꝙ diuinitùs constitutum est, euagari: ita etiam terminauit afflictiones quas immittit populo suo, ne possint uel graviores esse, uel diutius perdurare, quàm ipse definierit. De Iobe ad Satanam dicitur: Ecce in manu tua est, uerumtamen animam illius serua. Etsi autem Satan affligebat Iobem grauissimè, tamen non potuit ei uitam auferre, quia terminus à Deo constitutus erat. Quare bene confidamus in aduersis, & perseueremus in officio uocationis nostræ, certa persuasione concepta, ꝙ Deus, qui permittit, ut affligamur, constituerit afflictioni suum terminum, & excogitauerit longè antè, optimam liberandi rationem. Alterum est, ꝙ habeamus hîc exemplum exauditionis & efficaciæ precum Christi, quẽadmodum & Euangelista ipse monet. Suprà enim dixit Christus in precibus suis: Quos dedisti mihi, ego custodio, & nemo ex eis perit, nisi filius ille perditionis. Quod igitur Christus dixit, hoc nũc impletur. Ministri sacrificulorum, etsi maximo odio persequuntur, non Christum tantum, sed etiam Apostolos eius, tamen hoc loco Apostolos ne attingere quidem audent. Orauit eñ Christus patrem suũ, & dixit Apostolos non unà cum ipso capiendos, & occidendos, sed seruandos ad propagandum Euangelion in toto orbe terrarum. Si autem hæc pars precum Christi impleta est, & confirmata magno miraculo, certè implebitur & illa pars, in qua Christus uult, ut omnes sui seruentur à malo, & ubi ipse est, sint & illi secum. Quare, cùm sumus membra Christi per fidem, nõ dubitemus, quin seruemur in omnibus aduersis à malo, & consequamur per ea ueram & æternam salutem, propter Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Afflictionibus positos esse terminos.

HOMILIA LVI.

DE pugna Petri, & prima eius abnegatione hodierno die nobis est dicendum. Petrus enim, cùm oscitanter & securè negligeret cohortationem, qua Christus excitabat ipsum & collegas eius ad preces: Vigilate, inquiens, & orate, ne intretis in tentationem: Spiritus enim promptus est, caro autem infirma, incidit tam nimia animi promptitudine, quàm magna carnis infirmitate in grauissimas tentationes. De his igitur nunc dicamus, ut admoniti alieno exemplo, non stertamus securi in periculis, sed expergiscamur, & cõfugiamus quanta possumus fide & precibus ad Dominum Deum
» seruatorem nostrum. Simon ergo Petrus cùm haberet gladium, eduxit
» eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram.
» Erat autem nomen seruo Malchus. Dicit ergo Iesus Petro: Immitte gla-
» dium tuum in uaginam. An non bibam poculum, quod dedit mihi pa
» ter? Petrus uidetur quidem fortem uirum præstare, & illustre strategema designare, quòd sicut Dauid Goliathem, ita ipse armatam cohortem inuadat, sed reprehenditur à Christo grauissimè. Cur ergo reprehenditur? Num peccat, ꝙ suscipiat defendendum Christum? Et quæ defensio
Prouer. 14. potest esse iustior? An non Salomon ait: Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses? Sed manifestum est, Petrum hoc facto peccasse. Primùm enim Petrus non erat magistra-

Defensionẽ Petri temerariam & inconsideratam esse.

tus ciuilis, nec porrigebant ei uel leges uel magistratus in hoc casu gladium. Quare accipit gladium sine ulla legitima uocatione. Alia est uocatio principum & magistratuũ, alia uocatio hominum priuatorum. Illis mandata est gladij administratio, bonis ad bonũ, malis ad pœnam. Priuatis aũt hoĩbus non licet, nisi per leges & magistratũ, gladio uti. Itaq; Pilati, qui tunc magistratu in Iudæa fungebatur, officium fuisset, innocentem defendere. Cùm igitur Pilatus non solum cessaret, uerumetiam mitteret cohortem ad capiẽdum Christum, non licuit Petro homini priuato, in ministros magistratus gladio grassari. Deinde manifesta erat uoluntas Dei, ꝙ Christus in hoc missus esset, ut susciperet crucẽ & mortem. Et Christus ipse sæpe ac multum exposuit Apostolis hanc Dei uoluntatem, quam etiam scripturę testabantur. Quare, quẽadmodum Petrus antea, cum increparet Christum, ne se traderet Principibus Sacerdotum occidendũ, iure est repulsus & audijt: Abi post me Satana, obsta culo es mihi, quia non sapis ea, quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum, ita & hoc loco rectè reprehenditur, quòd obsistat gladio suo uoluntati Dei, & conetur sententiam sacræ scripturæ, hoc est spiritus sancti mutare. Prȩterea, defensio Petri planè inutilis erat Christo, ac minimè necessaria. Nam si uoluisset uiolenter defendi, potuisset, ut in alio Euãgelista dicitur, rogare patrem suum, qui exhibuisset ei plus quàm duodecim legiones angelorum. Quare defensio Petri temeraria est & inconsiderata. Nam quòd Salomon iubeat eruere eum, qui ad mortem ducitur, loquitur de defensione, quæ fit legitima uocatione, non de ea, quæ fit illegitimè. Petri aũt uocatio erat, confiteri Christum, & testari uoce sua de Christo, nõ gladio pro Christo belligerari. Hoc igitur fuisset officium Petri,

affirmare

affirmare hunc esse uerũ Messiam, & testimoniũ de innocentia eius dicere. Multa aũt ueniunt hic obseruanda, Vnum est, ꝙ admoneamur, ne sinamus nobis speciem boni zeli imponere, sed cognoscamus, utrũmne zelus noster sit secundum scientiam. Non.n. ideo bonus est zelus, quia speciem boni habet. Et fieri potest, ut nõ erretur quidem affectu, sed erretur delectu. Bonus erat affectus Petri, ꝙ cuperet Christum defendere. Quis hunc affectum damnaret? sed malus erat delectus modi defendendi: Volebat em̃ Christum gladio defendere, quod nõ erat legitimæ eius uocationis. Bonus uidebatur zelus eorum Iudæorũ, qui cupiebant legem diuinam defensam. Sed is zelus non erat secundum scientiam, ꝙ conabantur legem defendere interfectione Christi & Apostolorũ eius. Bonus uidebatur affectus Israelitarum, quòd instituerẽt multa sacra ad gloriam Dei. Quis enim non conferret operam suã ad gloriam Dei illustrãdam? Sed malus erat delectus, quòd instituerent sacra extra ordinarium templum, in lucis, montibus & uallibus, contra quàm uerbo Dñi constitutum erat. Quare in suscipiendis actionibus siue illis Ecclesiasticis, siue politicis, siue œconomicis, non simus contenti Specie boni, sed inquiramus ueram earum iusticiam, ex uerbo Dñi, ne reprehendenda, aut etiam punienda, potius ꝙ laudanda & honoranda designemus. Deinde admonemur etiam de illo Pauli: ne faciamus mala, ut eueniant bona. Bonum erat Christum innocentem defendere, sed malum erat, ꝙ Petrus suscipiebat hanc defensionem illegitimè. Bonum est quòd pater familiâs laboret, ut sustentet egestatem familiæ suæ, sed malum est, ꝙ hoc conetur furtis, imposturis, perfidia, & alijs id genus sceleribus. Nũquid aũt bonum ꝓpositum excusat mala opera? Nihil certè minus. Caueamus igitur, ne ad consequenda aut efficienda bona, faciamus mala, Sed ut propositum uerè consequamur, bonis semper studeamus. Considerandum est & hoc, quòd hoc loco proponatur nobis in Christo exẽplum boni patrisfamiliâs. Peccat enim Petrus, qui erat de familia Christi. Peccat & Malchus, qui erat à familia Christi alienus. Cùm igitur Christus susciperet peccata corrigenda, in quo incipit correctionem? Num in alieno? Sic quidem solent præposteri patresfamiliâs, qui neglectis erratis suæ ipsorum familiæ, aliena delicta emendare student: ac in suæ quidẽ familiæ uitijs cæci sunt, in uitijs aũt alienæ familiæ oculatissimi. Alij sunt mores Christi, qui Malchum, à familia sua alienum, relinquit suo iudici, ipse autem suscipit Petrum familiarem suum emendandum, & reprehendit eum propter temeritatem grauissimè, ut doceat & assuefaciat patresfamiliâs, quò præcipuas suas curas & cogitationes in hanc rem conferant, ut uitia suæ ipsorum familiæ pro sua uocatione corrigãt, alienos aũt homines stare aut cadere dño suo sinant. Obseruemus & illud, quòd cùm Christus reprehendit Petrum, qui Malcho aurem absciderat, significet, se iusticiã tam seueriter tueri, ut ne impijs quidem, & pessima quæcꝙ meritis aliquid mali illegitimè & sine uocatione à nobis inferri uelit. Malchus enim, qui egressus erat ad capiendum Christum, meritus erat sua impietate & crudelitate, ut mutilaretur non solum una aure, sed etiam toto capite, Christus autem, quia uidebat eum

Zelus quando sit bonus.

Non sunt facienda mala ut eueniant bona.

Patrisfamiliâs boni exemplum.

Iniustis malis non illegitimè inferenda esse.

à Petro illegitimè offensum, cõtentus non est, Petrũ increpuisse, sed benefacit quoq; Malcho, & restituit ei aurem. Quo exẽplo monet nos, ut tanta seueritate iusticiam colamus, ut ne iniustis quidẽ mala illegitimè inferamus. Ne uincaris, inqt Apostolus, à malo, sed uince bono malũ. Et sicut Salomon ait: Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne ei similis fias: ita nõ rependas malum malo, ne & ipse malus efficiaris. Sed
»» pergamus ad ea quæ sequunt. Cohors igitur & tribunus ac ministri Iu-
»» dæorꝝ comprehenderunt Iesum, & ligauerunt eum. Quid hoc spectaculo horribilius? Verus Messias, unigenitus filius Dei, seruator humani generis, capitur, ligatur, & captiuus per ora hoĩm, ut longè oĩm sceleratissimus traducitur, idq; à perditissimis nebulonibus, atq; adeò à posteris eorꝝ Patriarcharum, qui toto animi desiderio aduentũ eius expectarunt, & oẽm salutis suę fiduciam in eo collocarũt. Quid igitur ad hęc dicemus? Certè hoc illud est, quod maximo est offendiculo tam amicis q̃ inimicis Christi. Hactenus enim gloriatus est Iesus, se esse uerum Messiam, se esse unigenitum filium Dei, ac Deum Patrem stare à parte ipsius, & defendere ipsum: Ego, inquit, & Pater, unum sumus. Et: Relinquetis me solum, Et tamen non sum solus, quia Pater mecum est. Testabantur & miracula Deum fauere Iesu. Non potuisset enim tanta miracula edere, nisi Deus à parte eius stetisset. Ecce autem nunc impunè capitur & ligatur à sceleratissimis hominibus. Ex una igitur parte amici ita offenduntur, ut existiment conciones eius mendacissimas esse nugas, & ipsum à Deo prorsus desertum, Itaq; deserunt & ipsi eum, ac fugiunt. Ex altera autem parte inimici ita offenduntur, ut non solũ contemnant doctrinam & honestatem uitæ eius, uerumetiam applaudant suæ ipsorum impietati, & faueant suis sceleribus, quæ uident tam fœliciter promouere. Hæc est perpetua hominum huius seculi sententia, quòd ubi uident esse externam fœlicitatem, ibi putent esse iusticiã, ac Deum fauere. Vbi autem uident infœlicitatem, ibi existiment esse iniusticiã, & Deum alieno esse animo. Sic amici Iob sentiunt Iobem esse iniustum, q̃ affligatur. Et Apostoli iudicant in eo homine, aut saltem in parentibus eius esse iniquitatem, in quo uident esse cæcitatem. Quis, inquiunt, peccauit, hic an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Et Melitenses, cùm uiderent uiperam inuasisse manum Pauli, sentiunt eum esse sceleratum, quia uident eum esse infortunatũ: Omnino, inquiũt, homicida est homo hic, quem seruatum è mari, ultio non sinit uiuere. Ac paulò post, cùm uident nihil mali ei accidere, dicebant mutata mente eum esse Deum. Itaq; hoc est iudicium humani ingenij, q̃ sentiant, ibi Deum fauore suo adesse, ubi est fœlicitas, ibi uerò Deum longè abesse, ubi est infœlicitas. Sed hic est impijssimus error. In futuro quidem seculo, in quo omnia erunt perpetuò rectè ordinata, Deus ibi uerè adest fauore suo, ubi summa est fœlicitas, & ibi longè abest, ubi summa est infœlicitas. In hoc autem seculo, magna est rerum confusio. Solet enim aliquoties fieri, ut & Deus ei negocio, quod est in hoc seculo fœlix, uerè faueat, si, quod agitur, iustum, pium ac rectũ fuerit. Sed non est perpetua in hoc mundo regula, quòd Deus ibi adsit fauore suo, & approbet, quod agitur, ubi est externa fœli-

Humani ingenij iudiciũ de fœlicitate & infœlicitate.

citas

citas. Satan enim princeps est huius mundi, ideoq; confert omne studium suū in hanc rem, ut in principatu suo inuertat, quoquomodo possit, ordinationē Dei, & efficiat, ut ea, quibus Deus fauet, & quæ approbat, sint infœlicia, ea autem, quæ Deus odit, & damnat, sint fœlicia: &, ut pij affligantur, impij aūt producant in bono dies suos. Sed Deus ipse sua habet consilia, suas causas, cur Satanæ in hac rerū confusione conniueat, & immittat etiam ipse pijs afflictiones, impijs aūt gaudia & uoluptates in hoc mundo. Quæ res cùm aliâs copiosè tractata sit, nō erit nunc longius persequenda. Nos ad ea nunc indicanda properamus, quæ ad præsens institutum proximè attinent. Non enim dubiū est, quin Deus Pater de cœlo prospiciens, uiderit unigenitum & dilectissimum filium suū à sceleratissimis hominibus capi & ligari. Quomodo igitur potuit hoc patienter ferre, & non potius perdidit fulminibus & grandine tam scelestos homines? De hac re diximus in præfatione passionis. Filius enim Dei susceptit in se expiāda peccata humani generis. Pater igitur passus est, ut filius non tantū caperetur & ligaretur, sed etiam crucifigeretur: Primū, ut declararet summam suā seueritatem & iram aduersus peccata. Si eī Deus ne filium quidem, quamuis dilectissimū & innocentissimum, uoluit à peccatorum supplicijs immunem esse, quis non iudicaret Deum uerè ac seriò peccatis irasci? Deinde, ut testificaretur immensam suā misericordiam & clementiam erga humanum genus. Si enim Deus maluit filium suum uidere in captiuitate, in uinculis, in ludibrijs, in cruce & in morte, cū humanum genus in æterna damnatione, quanta, obsecro, charitate, quanta misericordia humanum genus complectitur? Hæc sunt, quæ Deum à proijciendis fulminibus continuerunt. Quare agamus ei gratias, agnoscamus nos esse peccatis nostris autores captiuitatis & uinculorum Christi, agnoscamus iram Dei aduersus peccata, ut ea fugiamus, agnoscamus & clementiam eius, ut remissionem peccatorum per Christum consecuti, rectà in uocatione eius ambulemus. Abduxerunt autem eum ad Annam primùm. Erat enim socer Caiaphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiaphas is, qui consilium dederat Iudæis, quòd expediret unum hominem mori pro populo. Hoc sic intelligendum est, quòd Christus ex horto primum omnium ad Annam ductus sit. Deinde statim missus sit ab Anna ad Caiaphā anni illius Pontificem. Nam coram Anna nihil tractatum est, quod quidem literis sit mandatum. Itaq; ductus est ad Annam, tantum ostentandi & quasi triumphandi gratia, ut quò magis eum per ora Principum traducerent, eò maiorem uoluptatem ex captiuitate eius caperent. Testantur autem ueterum monumenta, quòd & hic Annas aliquando functus sit Pontificatu, & habuerit postea filium Pontificem, nomine Eleazarum, Sed & generum Caiapham, quemadmodum hoc loco Ioannes scribit. Itaq; cùm Annæ familia tam illustris fuerit Pontificia dignitate, mirandum non est, quòd Annas singularem uoluptatem ceperit ex captiuitate Christi, quem intelligebat abrogationem Leuitici Pontificatus meditari. De Caiapha autem & consilio eius suprà capite undecimo copiosè diximus. Quare accedemus nunc ad ea consideranda, quæ in aula Caiaphæ

Pater cur passus sit filium capi, ligari, & crucifigi.

Ioseph. li. 18. Antiquit.

»acta sunt. Ac initiò de Petro. Sequebatur enim Iesum Simon Petrus, &
»alius discipulus. Discipulus aũt ille notus erat Pontifici. Et introiuit cũ
»Iesu in atrium Pontificis. Petrus aũt stabat ad ostium foris. Exiuit ergo
»discipulus ille alter, qui erat notus Pontifici, & dixit ostiariæ, & introdu
»xit Petrum. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Num & tu ex discipulis
»es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant aũt serui & ministri, qui
»prunas cõgesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat aũt cum eis
»& Petrus stans, calefaciens se. Qui discipulus introducit Petrum in aulã

Petrus introducitur in aulam principis sacerdotum.

Caiaphæ Pontificis, existimant fuisse Ioannem hunc, qui Euãgelion cõscripsit. Primùm igitur Petrus putat se magno beneficio affectum, cp in aulam principis introducatur. Sed euentus rei probat eum ad suã ipsius infamiam introductum esse. Imago hæc est euentus rerum non in aulis tantum Principum, uerumetiam in quouis illustri uitæ genere. Sunt enim, qui hoc solum agunt, ut uel ipsi in aulas Principum recipiantur, & magnas dignitates consequantur, uel liberos suos ad hæc illustria uitæ genera admoueant. Ac putant se fœlices, si facti fuerint uoti compotes. Sed tu ne erres. Vides hoc loco, quòd ducere in aulam, sit ducere ad abnegandum Christum. Et in Euangelio, ducere ad diuitias, est ducere & conijcere in spinas. Apud Paulum uerò est ducere in tentationem, in laqueum, in cupiditates multas, stultas ac noxias, quæ demergunt homines in exitium & interitum. Quare hoc nostrum studium sit, non ut nos aut liberi nostri consequamur illustria uitæ genera, sed ut consequamur ueram agnitionem Christi, & operam demus in eo uitæ genere siue illustri, siue obscuro, ad quod legitimè uocati sumus, ueræ pietati. Magnus quæstus est, inquit Paulus, pietas, cum animo sua sorte contento. Deinde Petrus, qui antè receperat se cum Christo commoriturum, & gladio in armatam cohortem incurrerat, tam imbecillis & meticulosus redditur, ut ne coram ancilla quidem audeat Christum confiteri, sed abneget eum, & quasi nihil mali designasset, securus accedit ad prunas, ad quas & se unà cum ministris Pontificum calefacit. In hoc Petri facto natura peccati manifestè nobis ob oculos ponitur. Petrus enim etsi horrendum peccatum designat abnegatione sua, tamen initiò non afficitur fœditate eius, sed immiscet se in turbam ministrorum securus. Hæc est natura peccati. Cùm designatur, quiescit, & dormitat, perinde ac si nullam prorsus afferret infœlicitatem, nec esset Deus, qui ipsum iudicaret. Postquàm autem Petrus audiuit cantum galli, de quo Christus dixerat, tanta animi perturbatione concutitur propter peccatum, ut miseriam suam obortis lacrymis defleat. Hoc est ingenium peccati, quòd postquàm iudicium eius reuelatum fuerit, conijcit peccatorem in flammas inferni. Sic initiò quiescebat in Adamo, cum perpetraretur. Postq̃ autem Adam audiuit uocem Domini, & agnouit magnitudinem peccati, non habet amplius quò se uertat. Sic & Cainum sinebat esse securum etiam cùm iam fratrem occidisset. Dicebat enim Cain, magna animi securitate: Nunquid ego sum custos fratris mei? Sed postquàm reuelatur iudicium peccati, nec mente nec pedibus consistere potest. Sic Saul securè pergebat in exercenda sua tyrannide, sed patefacta ira

Petri abnegatio.

Peccati natura.

Domini

Dñi, sic animo suo perturbatur, ut sibiipsi manum inferat, & mortem cõ scisca t. Sic & Iudas cùm proderet Christum, tergit os suũ dicens secum: Non operor malum. Postcp aũt peccatum quasi è somno euigilat, tãtus horror inuadit eum, ut ad laqueum festinet. Etsi aũt Petrus & alij pij resipuerunt & cõuerterunt se nõ ad gladios, nõ ad laqueos, post reuelationem peccati, sed ad Dñm, tñ peccatum etiã in ipsis prodidit ingeniũ suum, cp initiò quiescat, postea uerò excitatum furiosè insaniat, & æternos inferni ignes minitetur. Quare summa cura cauendum est, ne si peccauerimus, securam uitã agamus, & iudicium Dei contemnamus, sed inuesti gemus maxima oĩm sollicitudine remedium aduersus pctm, ut furorẽ eius declinemus. Non possumus aũt usquam alibi remedium aduersus peccatum inuenire, prætercp in uera pœnitentia, in qua, postcp peccatũ agnouimus, proponitur nobis Christus filius Dei, peccati expiator, qui fide acceptus, affert secum non solũ absolutionem à peccatis, uerũetiam Spũm sanctum, qui peccati reliquias expurgat & mortificat, ut præbeamus membra nostra serua iusticiæ, & sanctificemur ad accipiendam cœlestem hæreditatem, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LVII.

PEtrus secutus est Iesum captiuum in atrium Caiaphæ Pontificis, sed statim in foribus ab ancilla ostiaria non admodum durè appellatus, negat se esse discipulum Iesu. Sequamur & nos narrationem harum rerũ gestarum, nõ ut discamus abnegationem, sed potius confirmationem fidei nostræ. Pontifex ergo in terrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina ipsius. Hìc mihi primùm oĩm uide exemplum præposteri ludicis. Caiaphas (nam is, hoc loco, nomine Pontificis intelligitur) non solum antè damnauerat Iesum, & iudicauerat eum tollendum de terra, uerumetiam effecerat, ut Iesus, missa cohorte ac ministris, caperetur: nunc primùm aũt inquirit de crimine, quid Iesus mali designauerit, aut docuerit. An nõ hoc perinde est, ac si quis iudex hominem suspendio dignum pronunciet, postcp autem is tres aut quatuor dies pependisset, tum primùm iudex inquirat, num is qui pendet, furtum, aut aliud scelus ultimo supplicio dignum fecerit? Quis tam peruersam iudicij rationem non improbaret? Sed Pontifex hac sua interrogatione de discipulis & doctrina Iesu, etiam aliò spectat. Sic enim interrogat, ut significet, se sentire, cp Iesus occultè doceat impietatem, & meditetur seditionem, & clàm congreget ad se discipulos, ut cùm satis uirium collegerit, incipiat publicè uirus suũ euomere, & tam religionem quàm politeian turbare. Cùm enim impia doctrina sit mendax, fugit lucem, nec patitur se legitimè iudicari. Itacp inter Ethnicos alij non ferebant, ut doctrina religionis eorum literis mandaretur: alij etsi literis mandata erat, tamen non patiebantur, ut uulgaretur: alij non initiabant sacris suis quenquam, nisi antè confiteretur, quod in omni uita sua sceleratissimum fecisset, uidelicet, ut initiatos obnoxios haberent, ne impietatem ipsorum in publicum efferrent. Nouit enim Satan, quòd facies sua fœdior ac turpior sit, quàm quæ reuelata, & in luce con-

Iudicis præposteri exẽplum.

ſpecta non deſpiciatur. Quare in hoc ſtudium incumbit, ut honeſta ſpecie occultetur. Vnde & Caiaphas interrogando Ieſum de diſcipulis & doctrina, ſignificare uult, doctrinã eius eſſe clandeſtinam, & fugere lucem, ideoq; referẽdam eſſe inter impias doctrinas Ethnicorum aut hæreticorũ & ſeditioſorum. Sed Chriſtus grauiſsimè negat ſe quicq; clàm
„ docuiſſe. Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo. Ego ſem-
„ per docui in Synagoga, & in templo, in quo oẽs Iudæi conueniunt, & in
„ occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audi
„ erunt, quid locutus ſim ipſis: Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego. Obſerua, q; diligenter aſſerat Chriſtus doctrinam ſuam publicam eſſe. Ego (inquiens) locutus ſum PALAM. Et locutus ſum MVNDO, non paucis quibuſdam hominibus, ſed omnibus in mũdo hominibus, ſiue Iudæis, ſiue Ethnicis, quotquot meas conciones audire uoluerunt. Et docui in SYNAGOGA, qui locus publicè deputatus eſt ad docendum. Docui etiam in TEMPLO, quo omnes Iudæi conuenire ſolent. Ac breuiter, in occulto nihil ſum concionatus. Etſi enim aliquoties priuatim collocutus ſum cum paucis meis diſcipulis, tamen adeò non pudet meæ doctrinæ, ut ſeueriter mandauerim meis diſcipulis, ut quod dixi in tenebris, dicant ipſi in luce, & quod in aurem audierunt, prædicent ipſi in tectis. Quare nemo poteſt me uerè arguere clandeſtinæ doctrinæ. Multũ aũt prodeſt, ut conſideremus, doctrinam Ieſu Chriſti eſſe publicè uulgatam, ne uidelicet referatur in ordinem Ethnicorum myſteriorum. Ac primùm Chriſtus ipſe quẽadmodum hoc loco fatetur, docuit Euangelion ſuũ publicè in Synagogis & in templo. Deinde iuſsit Apoſtolos ſuos Euangelion docere publicè inter oẽs gentes. Ite (inquiens) prædicate Euangelion omni creaturæ. Præterea, contulit in Apoſtolos donum linguarum, ut Euangelion omnibus linguis adnuucietur. Nec ulla eſt doctrina, quæ pluribus linguis uulgata eſt, q; Euangelion Chriſti. Accedit & hoc, quòd cùm doctrina Euangelij propoſita fuerit omnibus gentibus, uenit etiam in omnium gentium iudicium: & quanquam maxima pars Iudæorum & gentium perſequebantur eam, & ſeueriſsimè de ea iudicabant, tamen eluctata eſt, & conſtitit inter tam uaria & moroſiſsima hominum iudicia, & aduerſa firmiſsimè. Nam ſi hæc doctrina mendax eſſet, tunc aut odiſſet lucem, aut in lucem producta euanuiſſet. Nunc autem perſecutione magis illuſtrata eſt, quàm obſcurata. Quare dubium non eſt, quin & hoc argumento conſtet eam eſſe certiſsimam ac uerè diuinam ueritatem. Sed hoc fortaſsis mirandum uidetur, quòd Chriſtus de doctrina interrogatus, prouocet ad teſtes: Quid me (inquiens) interrogas? Interroga eos, qui me audierunt. Et tamen non ignoret, quanta ſit non tantum impiorum Iudæorum, uerumetiam ſuorum diſcipulorum uarietas & inconſtantia. Alij enim inter diſcipulos erant defectores, alij negatores, alij etiam proditores. In reliqua turba, alij erãt calumniatores, ſicut poſtea teſtes manifeſtè falſi, & dicta Chriſti deprauantes producuntur: alij muſsitatores, qui præ metu non audebant ueritatem confiteri. Quid plura? Omnis homo mendax. Quid igitur ſibi uult Chriſtus, quòd hoc loco ad teſtimonia hominum prouocet? Chriſtus

Chriſti doctrina eſt publica doctrina.

Chriſtus cur ad teſtes prouocet.

haq

hac prouocatione non uult significare, se cõfidere humano testimonio: nec hoc agit, ut doctrinam suam subñciat hominum autoritati, Sed arguit Pontificem præposteri iudicij, & admonet eum sui officij. Iudicis enim est, ut manifestũ crimen obñciat reo, & si negauerit, testibus probet. Nunc aũt Caiaphas nec crimen aliquod manifestè obñcit Christo, nec producit testes. Quare meretur reprehẽsionem, & iure admonetur de suo officio. Nam quod ad partes litigantes attinet, etsi utendum est testimonñs hominum, & secundũ ea, si legitima fuerint, in politicis controuersñs, iudicandum, tamen ut nec causæ bonitate, nec iudicis æquitate: ita nec testium dictis sic confidendum est, ut certissimam tibi uictoriam pollicearis. Fieri enim potest, ut uel iudex non sit satis attentus, aut non satis intelligat causam, uel testes aliter rem, aut metu, aut imprudentia, aut malicia, aut alio affectu narrent, quàm gesta fuerit. Soli Deo fidẽ dendum est, cuius solius beneficio, uictoria in iudicñs, ut etiam in bellis, contingit. Itaque si in causa iusta uictoriam reportaueris, agnoscenda est diuina clementia, & agendæ sunt Deo gratiæ. Nisi enim antè parata tibi fuisset uictoria in cœlo, non potuisses eam in terris consequi. Si uerò iusta & bona causa cecideris, non grassandum est uirulentis conuicñs in homines, uel Iudicem, uel testes, sed æquo animo ferenda est manus Domini, qui suas habet rationes, cur conniueat, ut non solum in iudicñs succumbamus, sed etiam multis alñs calamitatibus affligamur. Qualescunq; autem habeat rationes, certè si in Christum credimus, omnia aduersa, quæcunq; nobis immittuntur, bona Dei uoluntate immittuntur, & sunt nobis adiumento in bonum. Sed pergamus in nostro proposito. Hæc cùm dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens: Siccine respondes Pontifici? Magna est impudentia & insignis crudelitas huius serui. Primùm enim percutit palàm, hominem innocentem: deinde percutit eum iniussus. Postremò percutit uinctum. Miserat enim, ut Euangelista mox scribit, Annas Iesum uinctum ad Caiapham. Itaq; seruus percutit eum sicut stabat, uinctum, quam crudelitatem etiam impñssimi detestari solent. Militaris quidem mos est, semel & iterum percutere eum, quem apprehenderis, ut capias. Percutere autem eum, quem iam ceperis, & uinxeris, & qui non conatur uincula uiolenter excutere, hoc demùm etiam ab ipso militiæ iure alienum putatur. Sed quod Christus caput nostrum sua persona hîc passus est, hoc idem patitur adhuc in mẽbris, & in ministris suis. Sunt enim, qui ut captent beneuolentiam Principum & Episcoporum, quos uident magno odio uerum Euangelion Christi persequi, congerunt uirulenta quæq; conuicia & maledicta in ministros Euangelij, sic satis miseros, & alioqui etiam omnium iniuriæ expositos. Quæ conuicia inferunt honestis animis longè acerbiorem dolorem, quàm externæ alapæ. Sed æquo animo feramus. Hæ enim conuiciorum alapæ, pertingunt usq; ad Christum Dominum nostrum, & sunt in ipso sanctificatæ, ut non solum non queant nos lædere, uerumetiam necessie habeant nobis illustrem coram Deo gloriam afferre. Sed audiamus Christum ipsum crudeli seruo respondentem. Dixit ei Iesus: Si male locutus sum,

Captum & uinctum percutere.

Conuiciorũ alapæ.

,, teſtificare de malo: ſin bene, cur me cędis? Et miſerat eum Annas uinctũ
,, ad Caiapham Pontificem. Quid ergo ad hæc dicemus? Num Chriſtus impatienter fert alapam, ꝙ ſeruum tam ſeueriter compellet? Et cur percuſſus in unam maxillam, non obuertit alteram? De hac re, etſi periculoſe in uaria hominum turba docetur, propterea ꝙ homines natura ſint impatientes illatæ iniurię, & ſolent quoquo modo poſſunt, carnalis ſuæ uindictæ prętextum, ac illicitarum ſuarũ litium excuſationem quærere, tamen pia doctrina non eſt propter impiorum hoĩm abuſum omittenda. Quare quod Chriſtus aliâs docuit: Ne reſiſtatis malo, ſed quiſquis impegerit alapam in dextram tuã maxillam, obuerte illi & alteram, & ei qui te uelit in ius trahere, ac tunicam tuã tollere, permitte illi & pallium, non habet hanc ſententiam, quòd Chriſtus iubeat ſuos in quauis illata iniuria truncos & ſtipites eſſe, ac ne reſpondere quidem, aut conqueri de iniuria uelit, Sed prohibet, ne malum rependas malo, néue iniuriam iniuria compenſes, ac exigit, ut potius nouã & maiorem iniuriam ęquo animo feras, quàm ut priorem tibi illatam illegitimè uindices: Si quis impegerit, inquiens, alapam in dextram tuam maxillam, tãtum abſit, ut hoc malum altero malo ulciſcaris, ut potius ſuſtineas iterum percuti, ꝙ malum malo rependas. Et ei qui uelit tibi tunicam tuam tollere, tantum abſit, ut malum inferas, ut potius permittas etiã pallium auferri, quàm peccatum peccato uindices. Exigamus igitur nunc factum Chriſti ad hãc regulam. Percuſſus enim, quid mali retulit? Potuiſſet percuſſorem conuicijs proſcindere, potuiſſet efficere, ut manus eius areſceret, potuiſſet fulmen in eum torquere. Sed mauult non alteram tantũ maxillam, uerumetiam totum corpus percutiendum & crucifigendum offerre, ꝙ ſeipſum priuata uindicta ulciſci, & aliquid contra uocationem ſuam agendum ſuſcipere. Quid ergo facit? Id nimirum, quod licet. Ductus eſt ad iudicem, & ſtat ibi coram iudice uinctus. Percuſſus igitur, & iniuria affectus prouocat ad ius, & petit iudicis defenſionem: Si male (inquiens) locutus ſum, teſtificare de malo, Sin bene, cur me cædis? Sto nunc in iudicio, in quo licet reo ea quæ neceſſaria ſuæ cauſæ uidentur, exponere. Quare ſi male ea expoſui, oſtende, proba. Si autem bene, non ſum percutiendus, ſed defendendus. Licet autem legitima defenſione uti. Cùm magiſtratus ordinatus ſit diuinitùs bonis in bonum, cur boni iniuria affecti opem eius non implorarent, aut legum beneficijs non uterentur? Certè qui ijs legitimè utuntur, non rependunt malum malo, ſed potius uincunt malum bono. Sectemur igitur hoc exemplum Chriſti, & iniuria affecti omnem mali retaliationem, & priuatam uindictam ita fugiamus, ut parati ſimus maiorem iniuriam ferre, quàm priorem peccato aduerſus Deum uindicare. Quod cùm ita ſe habet, acceda-

Malo non reſiſtendum.

,, mus nunc ad commemorandas reliquas Petri negationes. Stabat aũt
,, Simon Petrus, & calefaciebat ſe. Dixerunt ergo ei: Num & tu ex diſcipu
,, lis eius es? Negauit ille, & dixit: Non ſum. Dicit ei unus ex ſeruis Pon-
,, tificis, cognatus eius, cuius abſciderat Petrus auriculam: Nonne ego te
,, uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & ſtatim gallus
,, cecinit. Deſcribunt & alij Euangeliſtæ caſum Petri diligenter & copioſè.

pioſè. Id aũt non faciunt humano cõſilio. Non enim delectantur carnaliter diuulgatione tam horrendi caſus collegæ ſui, ſed quod faciunt, diuino faciũt conſilio, uidelicet, ut uulgent exẽplum, quod Deus uoluit uniuerſæ Eccleſiæ notũ peruulgatumq; eſſe. Primũ enim in Petro proponitur cognoſcẽda humana infirmitas, in grauibus tẽtationibus. Petrus enim erat uir, natura fortis & magni acriſq; animi, id quod declarãt priores illæ reſpõſiones eius, in interrogationibus Chriſti, & incurſio eius in armatam cohortem. Adhæc, poſtq; agnouit Euangelion Chriſti, acceſsit fortitudo Spũs ſancti. Caro, inquit Chriſtus, & ſanguis, non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui eſt in cœlis. Quod aũt Pater reuelat, Spũ ſancto reuelat. Itaq; Petrus munitus erat duplici fortitudine, naturali uidelicet, & ſpirituali. Sed conſidera mihi q; ſit imbecillis, in tentatione ſibiipſi relictus. Non poteſt eum naturalis animi fortitudo ita iuuare, ut coram ancilla conſtet, & confiteatur Chriſtum. Spiritus aũt ſanctus quieſcit interim, imò etiam expellitur, ut manifeſtum fiat, quales ſint naturę uires in tentationibus. Quid ergo in periculis & tentationibus faciendum? Non confidamus noſtris uiribus, ſed agnoſcamus noſtram imbecillitatem, & faciamus, quod Chriſtus monuit: Vigilate, inquiens, & orate, ne intretis in tentationes. Spiritus enim promptus eſt, caro aũt infirma. Vult Chriſtus, ut in periculis non ſtertamus ſecuri, ſed ut expergiſcamur, & noſtram uocationẽ capeſſamus. Vult, ut in periculis non ſimus inflati fiducia noſtrarum uirtum, ſed petamus uires cœleſtes, ſine quibus nulla humana potentia conſtare poteſt. Nihil enim infirmius eſt carne ſibi relicta. Omnis caro, inquit Propheta, fœnũ, & omnis gloria eius, quaſi flos agri. Quare, petenda eſt firmitas & conſtantia è cœlo. Deinde, proponitur uniuerſæ Eccleſiæ in Petro, exemplum pœnitentiæ. Etenim Petrus ſic munitus erat diuino ſpiritu, ut Satan non potuiſſet eum tam horribiliter deiicere, niſi hoc ipſi diuinitùs conceſſum fuiſſet. Sic enim Chriſtus ſignificat, cùm ait ad Petrum: Simon, Simon, Satan expetiuit uos, ut cribraret ſicut triticum. Non expetiuiſſet autem Satan incurſionem in Petrum, & expugnationem, ſed ipſe in eum ſine ulla mora & expetitione graſſatus eſſet, niſi uidiſſet ipſum ſic diuinitùs munitum, ut non patuiſſet ei locus inuadendi eum, ne dum expugnandi. Sic Satan non potuit ſæuire in Iobem, niſi antè poteſtate à Deo accepta. Sic non potuiſſet Dauidem, regem & Prophetam Spiritu ſancto optimè munitum, in horrenda illa ſcelera adulterij & homicidij impellere, niſi Deus conniuiſſet. Deus autem non conniuiſſet ad tantam Satanę tyrannidem, nec conceſsiſſet ei, ut ſic in ſanctos graſſaretur, niſi uoluiſſet his ſanctorum caſibus magnum beneficiũ in uniuerſam ſuã Eccleſiam conferre. Ac antè quidem commemorauimus unum beneficij genus, uidelicet, quòd conniuerit ad lapſus ſanctorum, ut in imbecillitatibus eorum agnoſcamus & noſtram ipſorum imbecillitatem. Alterum autem beneficij genus eſt, ut in ſanctorum pœnitentia, habeamus exemplum pœnitentiæ, & ad uerã pœnitentiam excitemur. Nam quod ad Petrum attinet, deſignauit hac abnegatione ſcelus longè omnium maximum. Non enim ſimpliciter negauit Chriſtum, ſed iurauit etiam & execra-

Petri caſus horrendus cur nobis propoſitus ſit.

Petri pœnitentia Eccleſiæ proponitur.

Abnegatio Petri scelus omnium maximum.

tus est seipsum, si nosset eum. Itaq; abiecit à se Christum sciens & prudens, ac amisit Spũm sanctum, tradiditq; se ipse captiuum Satanę. Quid hoc scelere maius aut dici aut cogitari potest? Non inuenies in toto orbe terrarum hominem, qui horribilius Deum abnegauerit, q̃ Petrus Christum filium Dei abnegauit. Et tñ, cùm reuerteretur ad Christum, & ageret pœnitentiam, nõ solum consecutus est peccati ueniam, uerum etiam restitutus est suo ministerio, & ornatus amplissimis donis Spũs sancti. Etsi enim Petrus abiecit Christum, Christus tamen nõ abiecit Petrum. Ego rogaui, inquit, pro te, ne deficiat fides tua. hoc est: tu quidem deficies à me, ego aũt non deficiam à te. Oro enim Deum Patrem meũ, ut pateat tibi iterum receptus ad uerã fidem. Sed quam ob causam Christus non abiecit Petrum, sed orauit potius pro eo ut resipiscere? Num hoc factum est Petri tantum nomine? Nihil certè minus: sed factum est propter uniuersam Ecclesiam, ut haberet in Petro exemplum pœnitentiæ. Sic enim addit Christus: Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos: hoc est, Tuum exemplum confirmet Ecclesiam, ut sciat, quòd etiãsi quispiam grauissimè peccauerit, tamen si conuertitur & resipiscit, pateat ei peccati uenia. Sic & Iob euomuit horrendas blasphemias aduersus Deum, & tamen, cùm ageret pœnitentiã, consecutus est ueniam. Sic & Dauid peccauit grauissimè, sed conuersus, & pœnitentiam agens receptus est in gratiam. Quid dicam de Paulo? Etsi enim initio non agnouit Christum, tñ erat in populo Dei, & habebat zelum Dei. Peccauit autem tam horribiliter, ut compulerit homines blasphemare, & tradiderit pios propter confessionem Christi trucidandos, nihilominus tñ, cùm conuerteretur & ageret pœnitentiam, recepit eum Deus in gratiã. Dicit enim Hieremias: Vulgo dicitur, Si dimiserit uir uxorem suam, & recedens ab eo duxerit uirum alterum, nunquid reuertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta & cõtaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: Tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Et iterum: Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitẽtiam super malo, quod cogitaui ut facerem ei. Et Dauid hortatur suo exemplo, ut conuertamur ad Deum, & resipiscamus: Exquisiui, inquiens, Dominũ, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus eripuit me. Accedite ad eum, & illuminabimini, & facies uestræ non confundentur. Ecce iste pauper clamauit, & Dñs exaudiuit eum, & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. Idem & Paulus docet: Certus, inquiens, sermo, & dignus, quẽ modis omnibus amplectamur, quòd Iesus Christus uenit in mundũ, ut peccatores saluos faceret, quorum primus sum ego. Verùm ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnem clementiam ad exprimendum exemplar his, qui crediturí essent in ipso in uitam æternam. Vides, Deum conniuisse ad horribiles casus præcipuorum in Ecclesia heroum, & postea conuersos recepisse in gratiam, ut his exemplis omnes homines ad conuersionem excitarentur, & pœnitentiam agerent, ac uerã uitam consequerentur: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed magis ut conuertatur

Exempla sanctorum, qui horribiliter lapsi, & postea cõuersi in gratiam recepti sunt.

&

& uiuat. Obseruabile est & commemoratione dignum, quod Ecclesiastici scriptores de sancto Martino testantur. Hic enim ut nomine uocabatur Episcopus, ita etiam uerè fungebatur officio Episcopi. Nam cùm eos, qui lapsi quidem essent in grauissima crimina, pœnitentiam autem agerent, ac peterent peccatorum ueniam, per Iesum Christum seruatorem nostrum, pronunciaret publica absolutione liberos coram Deo à peccatis, Satan seueriter reprehendit ipsum, non oportere (inquiens) eos à peccatis absoluere, qui sceleribus suis baptismum cõmaculassent, ac amisissent. Necp enim fieri posse, ut sic grauissimè lapsis ulla præstetur à Domino clementia. Hic ergo Martinus, ut erat uir magno spiritu præditus, aduersus Satanam exclamauit: Si tuipse, inquiens, execrande spiritus, ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum, uel hoc tempore, cùm dies iudicij in propinquo est, pœniteret, ac Iesum Christum etiam pro te passum crederes, ego confisus in Domino, pollicerer tibi clementiam Christi. Vnde autem Martinus hanc fiduciam hausit? Non certè ex humanis coniecturis, aut constitutionibus, sed ex ipso Euangelio Christi, adeoq; ex ipsis Petri & Pauli exemplis. Vidit Petrum grauissimè lapsum, Vidit & Paulum crudelissimè persecutum esse Ecclesiam Christi, & tamen uidit ambos, postquàm conuersi fuerunt ad Dominum, consecutos ueniam, & receptos in gratiam. Etsi eñ aut damnasti, aut crucifixisti, aut abiecisti, seu abnegatione, seu alijs peccatis Christum, Christus tamen te non abiecit, si modò reuertaris. Reuertere tantum, & Christus paratus est te recipere. Nam cp Christus aliâs dicit: Peccatum in Spiritum sanctum non remitti, nec in præsenti nec in futuro seculo, non hoc uult, quòd sit aliquod peccatum, pro quo ipse non satisfecerit, & cuius ueniam consequi non possit is, qui agit pœnitentiam, & uerè credit in Christum. Ipse, inquit Ioannes, est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et Paulus: Idem Dominus, inquit, omnium diues est in OMNES inuocantes se. QVISQVIS enim inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quare Christus nequaquam docet aliquod esse peccatum, quod non remittatur, etiamsi quis cõuertatur, & agat ueram pœnitentiam, Sed tãtum confert inter sese genera peccatorum, ut ostendat alia esse leuiora, quæ uidelicet habent quandam excusationem, alia autem esse grauiora, quæ nullam prorsus habent nec coram Deo nec coram hominibus excusationem, & quorum iniquitas aut impietas manifestior ac magis perspicua est, quàm quæ possit negari, aut ullo colore defendi. Interim autem tanta non est, ut non condonetur à Deo, si conuersus egeris ueram pœnitentiam, quemadmodum aliâs copiosè exposuimus. Quare nihil nos iam amplius remoretur, quin statim expergiscamur ad agendam pœnitentiam omnium delictorum nostrorum, ut remissionem eorum accipiamus, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula,

AMEN.

Martini Epi scopi fiducia

De peccato in Spiritum sanctum.

HOMILIA LVIII:

ETSI in hiſtoria paſsionis Chriſti commemorari ſolet poſt negationem Petri, quid de Chriſto in Concilio Pontificum, quid item de Iuda, poſtq̃ uidit Chriſtum à Concilio condẽnatum, actum ſit, tamen quia ſuſcepimus nunc tantum Euangeliſtam Ioannem interpretandum, perſequamur, omiſsis alijs, ea quæ Ioannes poſt negationem Petri deſcribit. Ducunt ergo Ieſum (inquit) à
" Caipha in prætorium. Erat aũt mane, & ipſi non introierunt in prætori
" um, ne contaminarentur, ſed ut ederent Paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad
" eos foras, & dixit: Quam accuſationem affertis aduerſus hominẽ hunc?
Pilati nomen inter Chriſtianos, tam ex ipſa paſsionis Chriſti hiſtoria, q̃ è Symbolo religionis noſtræ bene nobile eſt. Fuit aũt Pilatus religio
Pilatus quis. ne Ethnicus, officio & dignitate prę̃ſes Iudææ, qui à Romano Cæſare, ad gubernandam Iudæam ordinatus erat. Ac fuit multis & magnis uirtutibus ornatus. Sed quia non habuit uerã Dei cognitionem, & caruit ſumma omnium uirtute, quæ eſt fides in Chriſtum, non fuit Deo propter politicas ſuas uirtutes acceptus. De qua re poſtea. Euãgeliſtę aũt deſcripſerunt magna diligentia, ea quæ de Chriſto coram Pilato acta ſunt, id quod non eſt ſine ſingulari Spũs ſancti conſilio factum. Vidit enim Spiritus ſanctus futurum, quas calumnias congeſturi eſſent in Ieſum Chriſtum, tam Iudæi q̃ Ethnici, ut eum inuiſum & odioſum redderẽt. Nam ueteres Iudæi tradunt Ieſum quendam, qui fuit tempore Hircani filij Simonis Maccabęi, horrenda ſcelera deſignaſſe. Ea iuniores referunt in Ieſum Dñm noſtrum Chriſtum. Iulianus aũt Imperator, iuſsit odio Chriſtianæ religionis, libellum quendam, cui titulus erat, Acta Pilati, & in q̃
Acta Pilati. maxima ſcelera de Chriſto conficta continebantur, uulgari, ac etiam pueris in ſchola diſcendum proponi. Hæc præuidens futura Spiritus ſanctus, excitauit Euangeliſtas, ut quæ coram Pilato de Chriſto acta ſunt, diligentiſsimè literis mandarent, quò non ſolum tempus ipſum uitæ & conuerſationis Ieſu Chriſti in hoc mundo, nomine Pilati notaretur, & uanitas Iudæorum, transferentium ſcelera Hircani ſui Ieſu, in noſtrum Ieſum Chriſtum, perſpicua fieret, ſed etiam impudentiſsima Ethnicorum mendacia manifeſtis teſtimonijs refutarentur. Quare amplectamur hæc Euangeliſtarum ſcripta magna obſeruantia, ut aduerſus uirulentas impiorum calumnias probè muniti ſimus. Porrò, Iudæi, qui adduxerunt Ieſum à Concilio ad Pilatum, non introeunt in prætorium, uidelicet ne immundi redderentur contagione domus Ethnici, ſed ut puri & mundi ueſcerentur agno Paſchali. Vide mihi, quæſo te, prępoſteram Iudęorum iuſticiam. Non introeunt in domum Ethnici, ne fiant immundi: Interim aũt non metuunt ſibi ab immundicia, etiãſi odio, inuidia, conuicijs, contumelijs, & homicidio graſſentur in hominem innocentem. Talis eſt etiam iuſticia hypocritarum Papiſtarum, &
Hypocritarũ iuſticia. Monachorum. Hi metuunt, ne contaminentur eſu carnis in feria ſexta, aut geſtatione uulgaris ueſtitus, aut intermiſsione horarum beatæ Mariæ uirginis. Quòd autem ardeant magno odio aduerſus proximum, quòd elatiſsimo ſint animo, quòd furentur, prædentur, ſcortentur,

uirgines

uirgines uitient, adulteria designent, & multa alia horrenda scelera faciant, hic nullus aut paruus admodum metus est contaminationis. Quæ est ista uanissima hypocrisis, aut potius insania? At dicunt: An nõ melius est, uel saltem parum boni facere, q̃ꝫ omnino nihil? An nõ utilius est, si quis omnino sectari uoluerit aut rapinas, aut scorta, ut abstineat aliquot diebus ab esu carnium, q̃ꝫ ut nec à carnibus, nec à rapinis & scortis abstineat? Non iam sermo nobis est de eo bono opere, quod ex mandato Dñi facere debemus: Tale enim opus faciẽdum, quiuis quouis tempore suscipere debet, Sed loquimur de eo bono opere, quod per se indifferens est, collocatur aũt humanis constitutionibus in bonorũ operum genere, qualia innumera sunt in religione Papistica & Monastica. De tali bonorum operum genere, sentiendum est, q̃ multò utilius sit ea prorsus intermittere, q̃ꝫ unà cum sceleribus facere. Primùm enim, opus quod ad colendum Deum, non ex uerbo Dñi, sed ex humanis mãdatis & constitutionibus suscipitur, non meretur nomen boni operis, aut diuini cultus, sed reiicitur à Deo. Dicit enim Christus ex Esaia: Frustra me colunt, docẽtes doctrinas p̃cepta hominum. Et in Esaia capite primo, damnãtur etiam sacrificia, & ieiunia, & celebrationes dierum festorum, quæ ab impœnitentibus peragebantur. Ne offeratis, inquit, ultra sacrificium frustra: Incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festiuitates alias nõ feram. Et additur causa: Quia manus uestræ sanguine plenæ sunt. Et tñ hæc instituta erant diuina lege: quantò magis abominatio sunt coram Deo ea opera, quæ humana tantũ constitutione Deo pro cultu ab impœnitentibus, & scelera sua p̃fractè sectantibus obtruduntur. Deinde tale genus bonor̃ operum pugnat cũ diuina lege, hoc ipso, q̃ huius officium sit, hoiem in agnitionem p̃cti ducere, & reuelare ei magnitudinem iniquitatis: illa aũt sunt opercula iniquitatis, & fiunt ad occultanda & tegenda p̃cta. Quæ aũt posset esse eius operis utilitas, quod cum officio diuinæ legis pugnat? Præterea, hoc genus bonor̃ operum, q̃d ex humanis mandatis instituitur, solet ferè non tantũ ad occultãda coram hominibus, sed etiam ad expianda corã Deo peccata suscipi. Hæc est impia idolatria, & pugnat cũ Christo ipso ac uero eius officio. Solum enim opus Christi, solum sacrificium Christi expiat peccata nostra corã Deo. Cùm igitur expiatio peccator̃ transfertur in opus humano mandato institutũ, peccat̃ in maiestatẽ Christi. Quod cùm sit horribile scelus, fieri non potest, ut aliqua sit utilitas eius operis, q̃d tam cum officio diuin̄e legis, q̃ꝫ cum officio Christi & Euangeli eius pugnat. Sed reuertamur ad Pilatum, qui etsi Ethnicus & alienus fuit à uero & uiuo Deo, tñ maiores habuit uirtutes, quàm hi crudeles Iudæi, qui se populum Dei iactabant. Cùm enim Iudæi nollent introire in p̃torium, Pilatus exiuit ad eos foras. Hęc est magna uirtus moderationis. Potuisset Pilatus suo iure uti, & cogere Iud̄eos, ut ad se in prætorium introirent. Sed quia uidet gẽtem esse peruicacissimam & obstinatissimã, & intelligit summum ius summam sæpe esse iniuriam, ideò mauult suo iuri cedere, & ad Iudæos, quasi ipsorum subditus, exire, quàm autoritatem suam in re non admodum necessaria tueri. Obseruabilis uir

De indifferẽtibus operibus bonis, si ad cultũ Dei instituãtur, quid sit sentiendum.

Pilati moderatio.

tus tam magiſtratui q̃ priuatis hominibus. Vulgo dicunt: Qui neſcit diſsimulare, neſcit imperare, imò neſcit etiã ſeruire, adeoq̃ uitam inter hoïes ducere. Quid.n. humana uita aliud eſt, q̃ error & confuſio? Quare, qui in hac confuſione oïa in ſuum ordinem uiolenter redigere conatur, fieri nõ poteſt, quin maiorem excitet rerũ perturbationem. Si Roboam filius Salomonis non tutatus eſſet duriter ius ſuũ, conſeruaſſet totũ regnum paternũ. Nunc, cùm maluit pertinax eſſe, q̃ mitis, quãtum, obſecro, damnũ dedit & ſibi & regno? Si Ahab rex Iſrael, remiſiſſet ius ſuum, q̃d uidebatur ſibi de Ramoth Gilead habere, non obieciſſet ſe & exercitum ſuũ extremis periculis. Demittamus igitur nos ad aliorũ infirmitates, & portemus inuicẽ alĩ aliorum onera, ut tam publicam q̃ priuatam tranquillitatem conſeruemus. Sequitur in Pilato etiã alia uirtus. Quam, inquit, accuſationem affertis aduerſus hoïem hunc? Non uult ſentẽtiam pronunciare, aut reum condemnare, niſi antè cognita perſpecta q̃ cauſa. Hoc.n. officium exigunt à ludice oẽs leges, tam naturales, q̃ politicæ. Sed Iudæi tam ſcelerati ſunt, ut ad iuuandum hac in parte officium boni ludicis, operam ſuã conferre prorſus recuſent. Reſponderũt enim, & dixerunt ei: Si non eſſet hic nocens, haudquaq̃ tibi tradidiſſemus eum. Vide iniquiſsimam horum nebulonum arrogantiam. Damnauerant antea Ieſum in ſuo Concilio, ut ipſis quidem uidebatur, legitimè, auditis etiam teſtibus. Nunc aũt, cùm ciuilis magiſtratus exigit ab ipſis pro ſuo officio rationem huius iudicĩ aut condemnationis, tam ſuperbè, tamq̃ arroganter reſpondẽt ei, ut palàm ſignificent ſe exigere, ut magiſtratus non ſolum deſerat ſuũ officium, & cauſa nondũ perſpecta, reum condemnet, uerumetiam agnoſcat ſententiam ipſorum nondum ne auditam quidẽ pro oraculo Spũs ſancti, quaſi ipſi errare aut labi non queant. Quid hac poſtulatione impudẽtius? Sed quẽadmodum Romani Pontifices gloriantur ſe ſucceſſores & hęredes Leuitici Pontificatus, ita etiam hęredes ſunt impudẽtiæ Leuiticorũ Pontificum. Cùm.n. in cõtrouerſĩs religionis prouocatur ad legitimam pĩ Concilĩ cognitionẽ, poſtulant Romani Pontifices, ut non ſolum ipſi cum ſuo corpore habeantur pro iudicibus, uerũetiam ut priuſq̃ ſententiam dixerint, promittamus nos eam pro oracuło Spũs ſancti accepturos, & obligemus nos obedienter agnituros, quicquid ipſi in Concilio decreuerint ac ſtatuerint. Dicunt em̃, Concilium errare non poſſe. Et putant Concilium Eccleſiaſticum tale quid eſſe, quale eſt in Romano regno Iudicium, quod uocant, Cameræ. Sicut enim nulli conceditur, ut ab huius Iudicĩ ſententia ad aliud appellet, q̃ ſit ſummum & extremũ in Romano imperio Iudicium, ita ſentiunt non licere ſententiam Concilĩ detrectare, q̃ in Eccleſia nõ ſit alia maior Concilio autoritas. Sed ut poſtulatio Pontificum eſt impudẽtiſsima, ita etiã rationes eorum ſunt uaniſsimæ. Nam q̃d de Concilĩs dicunt, ea nõ poſſe errare, perſpicuũ eſt mẽdacium. Vide mihi hoc Concilium, in q̃ Pontifices & ſacerdotes capto iam Chriſto conueniunt. In hoc.n. damnant Chriſtum ipſum. An non hic eſt error impiſsimus? Hoc, inquis, Iudaicum fuit Conciliũ, non Chriſtianũ, legitimè, ut illi loquuntur, in Spũ ſancto congregatum. Sed hi Pontifices nõ

minus

Ius noſtrum interdum remittendum eſt.

Conciliorũ autoritas.

Concilia poſſunt errare.

minus ſummum locum in Eccleſia populi Dei tenebant, quàm nunc tenere uidentur Romani Pontifices. Et iactabant etiã diuinas promiſsiones, ac mandata. Ad Abrahamum dicit Deus: Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuũ poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno, ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. In Deuteronomio autẽ de ſentẽtia Pontificum dicitur: Qui ſuperbiuerit, nolẽs obedire ſacerdotis imperio, qui eo tẽpore miniſtrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malũ de Iſrael. An nõ his promiſsionibus & mandatis autoritas Leuiticorũ Pontificũ, grauiſsimè munita uidetur? Et tamen in Concilio ſuo impiſſimè errãt. Sed quid? Certè multi & magni errores extant, etiam eorũ Conciliorũ, quæ in Chriſtianiſmo celebrata ſunt, de quibus nunc non eſt dicẽdi locus. Nam quod de Iudicio Cameræ obiicitur, magnum eſt diſcrimen inter Iudicia politica & Eccleſiaſtica. Nam in Politicis Iudiciis agitur de rebus & opibus terrenis, in quibus uera noſtra ſalus ſita nõ eſt. Quare etſi hæ iniqua iudicũ ſententia auferuntur, nõ tamẽ aufertur nobis ſalus cœleſtis: Ideoq; extremæ ſentẽtiæ ſummorũ Iudiciorũ in Politicis regnis, quamuis iniquæ, tolerandæ ſunt propter publicam tranquillitatem ęquo animo. In Iudiciis aũt Eccleſiaſticis tractatur de uerbo Dñi, & de rebus ad perpetuam noſtram ſalutẽ neceſſariis. In his, ſi quid impiè decernitur, & agno ſcitur, damnum eſt irrecuperabile, & affert perpetuũ exitium. Accedit & hoc quòd in religione neceſſe habeat unuſquiſq; priuatus eſſe, in uariis doctrinis, quæ circumferuntur, iudex, ut uerã doctrinã certò cognoſcat, eamq; etiam coram Satana defendat, quo in tentationibus mortis ac inferni cõſtare poſsit. Dicit enim Chriſtus ipſe: Cauete à Pſeudoprophetis. Cognoſcendi igitur ſunt Pſeudoprophetæ, ut caueantur. Nõ cognoſcũtur autẽ, niſi cognito ante uerbo Dei, quod nobis ſacra ſcriptura proponit. Et Paulus ait: Si nos aut angelus e cœlo prædicauerit uobis Euangelion præter id, quod prędicauimus uobis, anathema ſit. Quare, etſi omnes aſſeſſores Cõcilij eſſent, Baſilij, Chryſoſtomi, Hieronymi, Auguſtini, Hilarij, & id genus alij, tamẽ nullus pius poſſet bona cõſciẽtia ſe ſentẽtiæ Cõcilij ita ſubiicere, ut ſimpliciter ſe recepturũ promitteret, quicquid ibi decretum aut conſtitutũ eſſet: ſed cũ probãdi ſint ſpiritus, num ſint ex Deo, & ſpiritus Prophetarũ, ut Paulus ait, ſint ſubiecti Prophetis, ideo etiã Cõcilij ſentẽtia ſubiecta eſſe debet piorũ iudicio, et probãda, an ſit ex Deo. Sed hæc fortaſsis παέργα ſunt. Redeamus igitur ad inſtitutũ. Pilatus reiicit arrogantiã & contumatiam Pontificum. Et dicit eis: Accipite eum uos, & ſecundum legẽ ueſtram iudicate eũ. Prudenter ſanè Pilatus, quòd nõ tradit ſe captiuũ iudicio Pontificũ, ſed potius irridet uanum ipſorum tumorem: ac multò magis prudẽtior eſt Pilatus his Principibus, qui ſine ulla exceptione ſubiiciunt ſe Pontificũ & ſacrificulorum libidini, accepturi & crediturí, quicquid illi in Cõcilijs ſuis accipiendum & credendũ pronunciauerint. Dixerũt ergo ei Iudęi: Nobis nõ licet interficere quenquã, ut ſermo Ieſu impleretur, quẽ dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus. Hæc uox et confeſsio Iudęorum, non eſt oſcitanter cõſideranda, quemadmodũ Ioannes ipſe monet. Pri-

Conciliũ ſententia ſubijcienda priori iudicio.

mum enim hac publica uoce reiſciunt Iudæi à ſe Chriſtum, & tradunt eum Ethnico iudici interficiendum. De hoc enim Chriſtus antè concionatus fuerat. Ecce, inquiens, conſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum & flagellandũ, & crucifigendum. Cùm igitur Iudæi clamãt nunc publicè, quòd nõ liceat ipſis quenquam interficere, ſed quòd tradant Ieſum morte in concilio condemnatum, Pilato interficiendum, impletur ſermo Ieſu, quo ſignificauit, ſe gẽtibus tradendum, & crucifigendũ. Deinde hæc confeſsio Iudæorũ, quòd non liceat ipſis quenquã interficere, publicũ teſtimonium eſt, hoc ipſum tempus eſſe, quo Chriſtus aduenerit. Patriarcha enim Iacob dixit: Nõ auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat Silo, hoc eſt, Meſsias ſaluator. Nunc autẽ Iudæi cõfitentur publicè coram Pilato, quòd ſceptrũ ſupremę dominationis ablatũ ſit ab ipſis: & quanquã in rebus minoribus, & in religione permittebantur ſuis uti legibus, tamen ſuprema poteſtas ſeu ſuperioritas penes Romanos prę ſides erat. Quare confitentur ſua ipſorũ uoce, Meſsiã ſeu Chriſtum aduenisſe. Et quia eo tempore non alius erat, quàm Ieſus Nazarenus filius Marię uirginis, qui & miraculis & doctrina illuſtris eſſet, & in quem omnia, quę de Meſsia à Prophetis dicta erant, competerent, ideo manifeſtum eſt, nõ eſſe alium uerum Meſsiã, præter hunc Ieſum Nazarenum, nec nobis aliud nomen datum eſſe, in quo oporteat nos ſaluos fieri, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

Iudæi confitentur Chriſtum aduenisſe.

HOMILIA LIX.

AVdiuimus contentionem, quæ orta eſt inter Pontifices & Pilatum, de accuſando Chriſto. Illi enim poſtulant, ut Pilatus contẽtus eſſet ipſorum iudicio, & condemnaret Ieſum, cauſa nondum cognita. Pilatus autem reiſcit impudentiam eorum, & urget, ut exponant crimen, quo Ieſum damnauerant. Quare, cùm Ieſus antea accuſatus ſit hæreſeos & blaſphemię in Concilio Pontificum, nunc accuſatur coram ciuili magiſtratu ſeditionis, & affectati regni. Dicunt enim: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac uetantem tributa dare Cæſari, & dicentẽ ſe Chriſtum regem eſſe. Habes igitur duo longè omnium maxima crimina, quæ in Ieſum Chriſtum congeruntur, uidelicet, blaſphemiam, & ſeditionẽ, quorum alterum Deo, alterum ciuili magiſtratui ſuam maieſtatem detrahere conatur. Solenne autem eſt, quòd hic mundus accuſet Chriſtum & piam doctrinam blaſphemię & ſeditionis. Quæſo igitur te, dicito nobis, cur ſumma hæc crimina conferri ſolent in Chriſtum innocentiſsimum, & doctrinã ſanctiſsimam? Num hic mundus frontem ita perfricuit, ut hoc faciat ſine ulla ueritatis aut honeſtatis ſpecie? Nihil certè minus. Non enim uult uideri aut uanus, aut impudẽs, aut mẽdax. Primùm ergo, pia doctrina damnat falſa & impia ſacra, ſed quæ hic mundus iudicat eſſe pꝛiſsima & Deo acceptiſsima. Deinde docet quidem ciuili magiſtratui diligentiſsimè obediendum eſſe, ſed interim docet etiam maiorem & potentiorem eſſe magiſtratum Dei cœli, quàm principis huius terræ, ideoq; ſi princeps

Chriſtus accuſatur ſeditionis & affectati regni.

princeps terræ iubeat aduersus principem cœli peccare, docet plus obediendum esse Deo, quàm hominibus. Ac monet quidem Cęsari dandũ esse, quæ sunt Cæsaris, sed addit, Deo etiã dandũ esse, quæ sunt Dei. Ex his arripiunt impij, quæ suo instituto apta uidentur, & uociferantur doctrinam Christi abolere sacra, & abrogare legitimum magistratũ. Sed si rem probè expenderis, quid potest dici impudentius? Nulla enim doctrina est, quæ & uerè pia sacra rectius tradat, & ciuilẽ magistratum maiori honore afficiat, quàm doctrina Christi. Quod cùm disputatio, quã Christus cum Pilato de regno suo habet, aliquo modo exponat, accedemus ad eam percurrendã. Nam cùm Christus accusatus esset, quòd prędicaret se esse Regem Iudæorum, suscipit Pilatus hanc rẽ diligentius cognoscendam. Introiuit ergo iterũ in prætorium, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es ille rex Iudęorũ? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? hoc est, Si tu ipse hoc fingis, iam tibi respõsum est. Non enim licet Iudici crimina in reum fingere. Si autem alij commorarũt tibi, quòd Iudæis promissus sit Christus rex per Prophetas, & quòd ego sim is rex, tui fuisset officij diligenter ea in Prophetis cognoscere, & inter se conferre, num quæ de Christo rege prędicta sunt, in me cõpetant. Respõdit Pilatus: Nunquid ego Iudęus sum? Gẽs tua et Põtifices tradiderunt te mihi: quid feci sti? hoc est, putas ne me curare, quę uestri Prophetæ de Christo rege somniauerint? Quid ad me Iudaicæ illæ nugæ? De te & tuo capite agitur. Traditus es mihi à tuo populo, & Põtificibus, ut reus maximi alicuius sceleris. De hoc agitur: respondę, quid mali cõmiseris. Respondit Iesus: Regnũ meum nõ est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnũ meum, ministri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nũc autẽ regnũ meum nõ est hinc. Sicut paulò pòst, cùm Pilatus arrogaret sibi potestatem uitæ & necis in Christum, grauissimè respõdet ei Christus: Nõ haberes potestatẽ aduersum me ullã, nisi tibi datum esset è supernis: ita & hoc loco, cùm Pilatus significat Iudęos tantas habuisse uires, ut potuerint Christum capere, & ipsi eũ tradere, non cõmittit Christus, ut id non refutet. Captus enim est Christus et morti traditus, nõ hominũ potestate, sed Dei Patris sui uoluntate. Nec Iudæi, nec Pilatus, unà cum omnibus uiribus Romani imperij potuissent uel unum pilum capitis Christi mouere, nisi Deo Patri sic uisum fuisset, & nisi uoluisset Christi sui regnũ nõ esse mundanũ, sed cœleste. Si Regnũ meum, inquit, esset ex hoc mundo, ministri mei utiq; decertarẽt, ne traderer Iudæis. Nunc autẽ regnũ meũ nõ est hinc. Hoc unum est dictum è prędpuis sentẽtijs totius sacrę scripturę, ideoq; summa obseruãtia considerandum. Principio enim Christus docet hic nõ unũ tãtum mundũ, nõ unã tãtum uitã esse, sed duos esse mundos, & duas uitas. Alius enim mundus est externus, & uisibilis, qui incepit esse, cùm antè nõ fuisset, & transibit, ac mutabitur. In hoc mundo sunt Cœlũ & terra, plantæ & animãtia, & reliqua, quæ in primo cap. Geneseos describuntur. Alius mundus est spiritualis, cœlestis, & perpetuus, in q̃ sunt Deus Pater, Filius & Spũs sanctus, Angeli, Dęmones, Aeterna iusticia, & fœlicitas, ac ęterna impietatis dãnatio. Necesse aũt habẽt omnes hoies ex illo corporali mũ

Christi disputatio cum Pilato de regno suo.

Duplex mũdus & duplex uita.

do,in hunc ſpiritualem, per mortem & reſurrectionẽ migrare. Veniet hora,inquit Chriſtus,in qua oẽs, qui in monumẽtis ſunt, audient uocẽ filij Dei,& ꝓdibunt,qui bona fecerunt, in reſurrectionẽ uitæ, qui uerò mala egerunt, in reſurrectionem cõdemnationis. Quare faceſſant hinc Epicurei,& ſcelerati hoïes,qui contemnentes oïa, quæ de alio mundo è teſtimonijs Propheticis & Apoſtolicis dicunt, collocant oẽm ſpem ſuã in hoc preſenti mũdo,& tùm ſe uerã fœlicitatem cõſecutos putant, cum uoluptate huius corporalis mundi fruunt. Deinde Chriſtus exponit,cuius mundi ſit regnum ſuũ. Exponit aũt hoc,collatione cõditionis regnorum huius & alterius mundi. Alia.n.eſt conditio regni huius corporalis mundi,alia eſt regni cœleſtis mundi. Nam conditio regni huius corporalis mundi eſt, ꝙ miniſtri regis decertent pro ſuo rege, ne ab hoſtibus capiatur & occidatur. Chriſtus aũt capitur à ſuis hoſtibus & occiditur. Quare perſpicuũ eſt,regnum eius nõ eſſe huius corporalis mundi. Ex hac conditione etiam aliæ conſiderandæ ſunt. Nam ſubditi regni huius corporalis mundi, conferũt in regem ſuũ externa tributa, cenſus,& uectigalia. In Chriſtum aũt nihil tale confertur, imò ne tantillum quidẽ rerũ ꝓpriarum in terra ei relinquitur,ubi caput ſuũ reclinet. Regnũ igiť eius nõ eſt ex hoc mundo. Sed non ſolũ conditiones ſubditorum, uerũ etiam Regum oſtẽdunt diſcrimen regni huius mundi, & regni Chriſti. In regno .n. huius mũdi, rex cogit armis corporalibus ſubditos ſuos ad obediẽtiam. Chriſtus aũt nõ utitur armis corporalibus, ſed prædicat Euãgelion ſuũ,& uocat ad obediẽtiam populum ſpontaneum. Rex huius mũdi fert leges politicas: Chriſtus aũt non fert ullas politicas leges. Rex huius ſeculi defendit externis armis ſubditos ſuos ab incurſu hoſtiũ,& ſummis uiribus cõtẽdit,ne ſubditi ſui alteri dño aut regi ſubijciantur. Chriſtus aũt non defendit ſuos corporalibus armis, ſed ſinit eos diripi, nec curat cui dño aut regi in hoc mundo ſubijciantur. Rex huius ſeculi honorat fideles ſuos ſeruos magiſtratibus,& ditat eos opibus huius mũdi. Chriſtus aũt non honorat ſuos miniſtros magiſtratibus, ſed ſubijcit eos ſeruitutibus, nec ditat eos corporalibus opibus, ſed obijcit ipſos paupertati,cuius rei exẽpla habes in fideliſsimis eius miniſtris, Petro & Paulo. Quare manifeſtum eſt, ꝙ regnũ Chriſti non ſit ex hoc mũdo. Ex q̃ ergo mundo eſt? Ex altero illo ſpirituali & cœleſti mundo. Id aũt perſpicuũ redditur ex bñficijs,ſeu,ut uocant, feudis regni ſui. Chriſtus eñ confert in ſubditos ſuos,qui ſunt credentes in ipſum,uerã iuſticiã, quia expiat peccata eorũ, & donat eis ſuã ipſius iuſticiam, ut etſi habẽt adhuc pc̃tũ, tñ id condonetur,& imputetur eis uera & perfecta ipſius iuſticia. Hęc aũt iuſticia non eſt corporale & terrenũ bonum, aut feudum, ſed eſt ſpirituale & cœleſte. Chriſtus dat ſubditis ſuis Spũm ſanctum, q̃ & corda cœleſti gaudio perfundũtur,& caro mortificatur, ut ſeruiat iuſticiæ. Spũs ſanctus aũt eſt cœleſte donum,& nõ terrenum. Chriſtus cõſeruat ſubditos ſuos in morte,ut etiamſi cõputreſcant & in puluerẽ ſoluantur, ac diſpergantur,tñ non pereant,ſed uiuant in ipſo,& reſuſcitentur ad ęternã beatitudinem. Conſeruari aũt in morte, & perpetuò beatam uitã in cœlo ducere,nõ ſunt terrena, ſed cœleſtia & diuina dona. Perſpicuũ igitur

Regni Chriſti & Mundi diſcrimen.

Chriſti regnum eſſe ſpirituale tradantur beneficia regni eius.

igitur est, ꝙ regnum Christi nō sit ex hoc corporali, sed ex cœlesti mun
do. Hæc de regno Christi diligētissimè conseruāda sunt, ut ex his assue
fiamus æquo animo ferre incōmoda & aduersa huius mundi. Nam cū
in Christum credimus, efficimur mēbra & consortes Christi per fidem.
Quare, quēadmodum Christus cū capitur & crucifigitur, nō sic pertur
batur, ut grassetur uirulentia aduersus Deum, ꝙ Deus non iuuet ipsum
externo auxilio, sed solatur se ex cōditionibus regni sui. Si regnū, inqui
ens, meum esset ex hoc mūdo, certè ministri mei decertarent pro me, ne
traderer Iudęis: ita & nos, qui sumus mēbra Christi, si affligimur in hoc
mundo, nec uidemus ullam malorū aut leuationē aut liberationē, non
frangamur animo, ꝙ nulla pateat nobis in hoc seculo euasio, sed reuoce
mus in animū proprietates regni Christi seruatoris nostri. Si. n. regnū
Christi regis nostri esset ex hoc mundo, Christus teneri nō posset, quin
mitteret ministros suos, qui sine mora nos afflictionibus huius seculi li
berarent. Sed regnū eius nō est ex hoc mundo. Non cōsequimur sanita
tem corporis, sed cōsequimur in Christo uerā iusticiam, quæ est sanitas
totius hoīs. Non accipimus multas terrenas opes, sed accipimus Spūm
sanctū, qui implet corda nostra cœlestibus opibus. Non euadimus pe
ricula corporalis mortis, sed resurgemus à morte ad uitā perpetuò fœli
cem. Bono igit animo simus, ꝙ in Christo & ꝓpter Christum certò co
gnoscamus, nos in aduersis huius seculi haudquaꝙ perire, etiamsi peri
re uideamur. Sed quid hîc faciamus? Si regnū Christi non est ex hoc mū
do, & bona regni eius non sunt corporalia & terrena, qua fronte inuoca
bimus Deum Patrem ꝓpter Christum, ut ea bona in nos conferat? An
fortassis nō licet Deum precari, ut det nobis sanitatem corporis, & alia
corporalia bona, ꝙ regnum Christi non sit ex hoc mundo, nec ex bonis
huius mundi? Certè licet. Bona. n. corporalia sunt benedictio Dei, cur i
gitur nō essent à Deo petenda? Et Christus ipse iussit nos petere panem
quotidianum, q̄d nomen latissimè patet, ad oīa uidelicet, quæ ad hanc
corporalē uitā necessaria sunt. Sed quia hæc bona nō pertinent propriè
ad regnū Christi, nisi per occasionem, & ut organa huius corporalis ui
tæ, in qua Christus discēdus & cognoscēdus est, idcirco in petitione bo
norū corporaliū, prę̄ferenda sunt bona regni Christi, ut hac conditione
petamus corporalia bona, si uidelicet non fuerint impedimēto, sed adiu
mēto ad consequēda & cōseruanda bona regni Christi, ac si eò ualeant,
ut sanctificetur nomē Dei, adueniat regnū Dei, & fiat uoluntas eius, quē
admodum in cœlo, sic etiā in terra. Vera. n. salus nostra non pendet ex
bonis huius terræ, sed ex bonis regni Christi. Quare hæc in aliorū peti
tione semper prę̄ferenda erunt. Ac de his quidē hactenus. Reuertamur
aūt ad textum. Dixit itaꝙ ei Pilatus: Ergo rex es tu? Si regnum habes, ne
cesse est te regem esse. Cùm aūt non sis rex ex hoc mundo, quid ergo ne
gocij habes in hoc mundo? cur non abis in tuum mundum, in quo tu te
regnum habere profiteris? Respondit Iesus: Tu dicis, quòd rex sum e
go. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimoniū fe
rā ueritati. Omnis, qui est ex ueritate, audit uocem meam. Exponit quid
negocij habeat in hoc mundo: Sum quidem rex, Veni aūt in hunc mun

Bona corpo ralia an pe tenda sint à Deo.

Christi officium in mundo.

dum, nõ ut regio more dominer, & alios huius terræ reges è regnis suis eijciam, sed ut testimonium ferã ueritati, hoc est, ut doceã uerã religionem, qua hoïes uerũ Deum cognoscant, & cœlestia bona consequãtur. Quare hi, qui amant uerã religionem, & cupiunt uerũ Deum rectè cognoscere atq; colere, meam doctrinã agnoscunt, & fiunt mei subditi. Qua obedientia & subiectione tm̃ abest, ut abducam homines ab obedientia regibus & magistratibus suis præstanda, ut quò diligentius meã doctrinam sectantur, eò fideliores & obedientiores erunt principibus & regibus suis. Habes igitur, quod sit officium Christi in hoc mundo. Non uenit, ut in hoc mundo sit Imperator, sed ut sit doctor. Non uenit, ut instituat Magistratus politicos, sed ut instituat ministeria docendæ ueræ religionis. Manifestum igitur est, quãtum peccet Romanus Pontifex, qui etiã gloriatur se Vicariũ Christi, & successorẽ Petri, tm̃ deserit ea officia, quibus & Christus & Petrus in hoc mundo defuncti sunt, & arrogat sibi ea, uidelicet, summa imperia in toto orbe terrarũ, quæ Christus ipse fugit, & Apostolis usurpare uetuit. Sed quõ excepit Pilatus hanc expositionem? Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas? Hęc non est seria, sed ironica & ridicula interrogatio. Pilatus.n. ridet Christum, q̃ docendæ religionis gratia obijciat se extremis periculis. Quid? tú ne nihil aliud negocij in terris habes, q̃ ut testimonium feras ueritati? ut doceas uerã religionem? Certè uirorum oïm stultissimus es, qui te ob hanc rem uanissimã tanto periculo exponas. Amabo enim te, quid est ueritas? putás ne aliquam esse uerã religionem? Ecce em̃ tibi, quanta dissidia, & q̃ diuersæ, imo etiam sibi inuicem aduersæ sint de religione opiniones. Alij enim sentiunt unum tm̃ esse Deum, alij plures, alij prorsus nullũ. Quid igitur subirem tãta pericula, ppter rem adeò incertam? Sine prius homines de religione inter se cõueniant, interim aũt sectare eam religionem, quam uides esse tutam. Sic.n. multò rectius tuæ saluti consules, q̃ si peruicaciter pro tuis dogmatis, cum uulgari hoïm religione pugnaueris. Hęc est sententia prudentum huius mundi, & Epicureorũ, qui maiorem habẽt rationem eorum, quę tuta sunt in hoc seculo, quàm quæ sunt recta ac uera. Sentiunt enim, quòd quæ de Deo ac rebus diuinis dicuntur, sint incertissima, & indigna, propter quæ publica tranquillitas turbetur, & te periculis exponas. Sed faceßat ista Epicureorum impietas. Nobis religio nec est ridicula, nec incerta. Habemus Prophetica & Apostolica scripta, quæ sunt cœlestibus testimonijs approbata, & magnis ac multis miraculis cõfirmata. Hęc scripta docẽt unum esse uerũ & uiuum Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, & emissorẽ Spiritus sancti, qui dedit filium suũ Iesum Christum, propiciationem pro peccatis nostris, & mittit Spiritum sanctum suũ, ut sanctificet & consoletur nos, quò credentes in Christum reputemur iusti, & seruemur in morte ad æternam beatitudinem. Hæc est uerissima & certissima religio, extra quam nulla est salus, & per quam omnis salus credentibus contingit. Agnoscamus igitur hunc uerũ & uiuum DEVM, & colamus eum non solum fide cordis, uerum etiam confessione oris, & obedientia præceptorum eius. In quo cultu, etiãsi tantis periculis obijciamur, ut & uita corporalis nobis auferatur,

,,

Epicureis religio est ridicula & incerta.

Certitudo & ueritas religionis Christianæ.

auferat, tñ Deus noster tam diues et liberalis est, ut credẽtibus et inuocã tibus ipsum in ueritate cõpẽsaturus sit, quicquid istiusmodi dãni nobis acciderit, cœlestibus ac æternis bñficijs, ꝑpter Iesum Christũ Dñm nostrũ, qui est unà cũ Patre & Spũ sancto Deus bñdictus in secula, Amen.

HOMILIA LX.

PIlatus de uera quidem religione nec præclarè sentit, nec sollicitus est, sed habet quandam speciem ciuilium uirtutum. Quare cùm audisset expositionem Christi de regno & de officio suo, cogitat eum magis miseratione quàm supplicio dignum, & quærit consilia quibus possit uel sententiam de Christo ferendam à se abijcere, uel Christum à furore Iudæorum liberare. Ac antè quidem miserat eum ad Herodem (quemadmodum alij Euangelistæ tradunt) si forte Herodes suscipiat causam eius cognoscendam. Nunc autem, quia Herodes reiecit uicissim iudicium de Iesu ad Pilatum, & remisit eum, inquirit Pilatus aliud consilium, quo eum, quem cognouerat innocentem, seruaret, ac opponit eum sceleratissimo homini Barrabbæ latroni, si fortè hac occasione, etiam ex Iudæorum sententia, Iesum liberaret. Sic enim dicit Euangelista de Pilato: Cùm hoc dixisset, « iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cau- « sam. Est autem consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in Pascha. « Vultis ne ergo dimittam uobis illum regem Iudæorum? Clamauerunt « rursum omnes, dicẽtes: Non hunc, sed Barrabbam. Erat aũt Barrabbas « latro. De Barrabba alij Euãgelistę copiosius scribunt. Fuit enim Barrab- « bas uir seditione & latrocinio insignis, qui & paulò antè coniectus fue- *Barabbas.*
rat in carcerẽ propter seditionẽ quandã, in ciuitate factã, & propter homicidium. Itaqꝫ non habebatur in tota urbe Hierusalẽ uir Barrabba sceleratior, & extremo supplicio dignior. Pilatus igitur cõfert hunc cum Iesu, ut ex his duobus unũ eligãt, quẽ iuxta ueterẽ consuetudinem seu priuilegium, quo uidebantur festum diem Paschæ honorare, liberũ dimittat, nihil minus fore cogitans, quàm ut publicũ latronẽ liberum postularent. Sed uide mihi rem immanem. Populus à Pontificibus excitatus, petit latronẽ, ablatorẽ uitæ, liberũ: autorẽ uerò & datorẽ uitæ, ad supplicium. Dicamus igitur primùm de hac consuetudine seu priuilegio, quo unus è captiuis in festo Paschæ liber dimittebatur. Pręsides enim Romani uenabãtur sibi hac cõcessione beneuolẽtiam populare. Iudęi autẽ sentiebant se hac consuetudine præstare Deo eximium cultũ, & reddere festũ suũ diẽ uenerabiliorẽ. Non enim cõtenti erant his ritibus & ceremonijs, quibus Pascha diuinitus cõmendatũ erat, sed addebãt etiã hũc cultũ, ut in gloriã Dei, sicut ipsi iactabant, dimitterẽt captiuũ liberũ, quemadmodũ ipsi liberi ex Aegypto profecti fuerãt. Expendamus ergo, qualis hic cultus fuerit. Primùm enim, fuit cultus planè inutilis, quia excogitatus erat ab hominibus, & institutus non uerbo Dei, sed humana prudẽtia. De his enim cultibus dicit Christus ex Esaia: Frustra me colũt docentes doctrinas, mãdata hominũ. Deinde erat cultus contra legẽ Dei. Hic.n. cultus remittebat homicidę aut latroni supplicium, cùm diuina lex tanta seueritate supplicium eius exigat, ut iubeat eũ etiã ab altari auellere. *Iudæorum consuetudo in captiuo dimittendo.*

Si quis, inquiens, per industriam, occiderit proximũ suum, & per insidias, ab altari meo uelles eum, ut occidatur. Ac fieri quidem potest, ut lex ipsa homicidam, propter aliquot circumstantias, à supplicio liberet, quemadmodum manifestũ est de eo, qui elapsa securi in secando ligno, amicum occiderit: tũc autẽ uelle sceleratum, ad gloriã Dei, liberum dimittere, cùm lex Dei pœnas ab eo seueriſsimè exigit, hoc certè non est Deũ glorificare, aut Deum colere, sed est Deum contumelia afficere, & cõtemnere. Præterea, hic cultus Dei, quẽ Iudæi ad gloriam Dei in festo Paschę excogitauerant, cedit tandẽ in summã ignominiã filij Dei. Nam occasione huius cultus confertur filius Dei cum sceleratiſsimo latrone: & quia hic illi, fauore populi præfertur, nihil potuisset filio Dei ignominiosius accidere. En hæc est sors eorum cultuum & sacrorũ, quæ humana prudentia sine uerbo Dei excogitat. Talis cultus in Christianiſmo est, institutio Imaginũ in Ecclesia. Etsi enim imagines habere per se indifferens est, tamẽ hic cultus excogitatus est absq; autoritate uerbi Dei, ac cessit tandem in tam manifestam idolatriam, ut imagines non solùm habeantur pro monumentis rerũ gestarũ, uerumetiã colãtur & adorentur. Talis cultus est & Inuocatio mortuorum. Initio enim publica tantum fiebat mentio sanctorũ in Christo dormientium, ut Ecclesia exemplis eorũ ad pietatẽ excitaretur. Postea nonnulli eo dilapsi sunt, ut nondum quidẽ inuocarẽt Sãctos mortuos, uotis tamẽ testificarentur, unam esse Ecclesię, tam eorũ qui adhuc in his terris uitã agunt, quàm illorum, qui in Christo obdormierunt, cõmunionem, donec ad extremum mortui, tanquam dij auxiliares & tutelares inuocẽtur. Hæc est abominanda idolatria. Cùm igitur cultus humana prudentia instituti autores esse soleant maximæ impietatis, summo studio cauendum est, ne eos uel instituamus, uel institutos sectemur, sed ea opera ex fide facere studeamus, quæ Deus facienda instituit, & præcepit. Deinde, considerandũ est hoc loco, quę sit utilitas priuilegiorum, seu prerogatiuarũ, quas nõnulli magna diligentia & impensa præter generalem legem sibi parãt. Hæ initio uidentur esse dispensatio tantum legis, sed ad extremũ fiunt legis abolitio. Vide mihi hanc prerogatiuã, quam habebant Iudei in festo Paschę, apud Romanos prędes. Cùm institueretur, uidebatur esse humanitas, quæ interdũ seueritati legũ addẽda est, sed cùm prędipuus eius usus esse deberet, in liberãdo Christo, fit summa crudelitas. Dãnatur enim innocẽtiſsimus, & liberatur nocentiſsimus. Itaq; factũ est, ut nõ solùm lex in Iudaiſmo abrogaretur, uerumetiam uniuersa regio uastaretur. Quare si cui cõtigit prærogatiua, nõ abutatur ea, ne seipsum in extrema pericula conijciat: aut si prerogatiua antè concessa tollitur, non doleat, non ægro animo ferat, quippe quòd magis ei licentię occasio, quàm libertatis possessio ablata sit. Postremò obserua hic, quomodo hic mũdus sua beneficia distribuat. Iudei habẽt potestatẽ bñfaciẽdi & liberãdi alterũ ex duobus captiuis, Barrabba & Christo. In quẽ ergo cõferunt suũ beneficiũ? quẽ uinculis liberant? Christus benefecerat hoibus, Barabbas malefecerat. Christus uiuificauerat homines, Barrabbas mortificauerat. Et tñ cũ homines uicissim beneficia cõferre deberent, conferunt ea magis in malefactorem,

Imaginum cultus.

Inuocatio mortuorum.

Priuilegiorum utilitas.

Mundus beneficia sua quomodo distribuat.

lefactorem,& peſsima quæq; meritum, quàm in benefactorem,& optimè meritum. Sic ſolet mundus. Hæc uulgaris eſt conſuetudo,ut equi aratores neceſſe habeant ueſci paleis, & ſtramine, militares aũt & proculcatores ſegetum, ueſcantur auena & tritico. Quid igitur faciamus? Num quia homines ſunt tam iniqui diſtributores ſuorum beneficiorum,non benefaciamus eis? Abſit: Benefaciendum eſt etiam inimicis. In hoc autem officio, non reſpiciamus in remuneratores homines, ſed in remuneratorem Deum. Homines facilè obliuiſcũtur beneficiorum, quæ in ipſos contuleris, & rependere ſolent mala pro bonis: Deus autem non obliuiſcitur benefacti,quod etſi non eſt perfectè bonum, tamẽ ſi ex fide in Chriſtum profectum fuerit,compenſat Deus propter Chriſtum filium ſuum liberaliſsimè. Sed ignominia, quæ hoc loco Chriſto infertur,diligentius expendenda eſt. Præfertur ei latro longè omnium ſceleratiſsimus: ac prorſus hîc impletur, quod Eſaias de Chriſto dixit: Nouiſsimus uirorum. Tanta autem ignominia & abiectio affert homini honeſta mente prædito acerbiorem dolorem,quàm mors ipſa. Vnde & Petrus exprobrat maximè omnium hanc contumeliam ciuibus Hieroſolymitanis, Actorum capite tertio: Vos ſanctum & iuſtum negaſtis,& poſtulaſtis,ut uirum homicidam donaret uobis, autorem uerò uitæ interfeciſtis. Quid ergo eſt, quòd Deus conniuit,ut hæc contumelia,& hic dolor unigenito filio ſuo accideret? Non conniuiſſet,niſi cognouiſſet hæc ad illuſtrandam gloriam Chriſti, & ad parandam ſalutem humano generi ualdè conducere. Suſcepit enim Chriſtus expianda ſcelera hominum. Deiicitur ergo infra latronem,ut non ſolum horribile ſcelus latrocinij, uerumetiam ſi quæ ſunt latrocinio grauiora expiaret. Adhæc Chriſtus extolliendus erat in omnem ſublimitatem, & in ſummam maieſtatem,ut dominaretur angelis & hominibus, adeoq; omni creaturæ. Humiliatur igitur prius infra latronem, hoc eſt, extremum & abiectiſsimum hominem, ut quò profundius deiiceretur, eò altius extolleretur. Nec hoc in perſona Chriſti, propter ipſum tantum Chriſtum,ſed propter uniuerſam Eccleſiam geſtum eſt,ut cognoſceremus humiliationem eſſe rectam & compendiariam uiam ad glorificationem. Dominus,inquit,in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Et iterum: Iuxta eſt Dominus his qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Quare cùm afficimur ignominia,non meditemur uindictam,nec inſaniamus maledictis,ſed curemus,ut ſimus & maneamus in Chriſto,conſideremus exemplum Chriſti,cogitemus ignominiam eſſe his,qui ſunt in Chriſto,uiam ad gloriam,ut cùm ei pro noſtra parte & conditione ſimiles ſimus in ignominia, certò futurum ſperemus, ut & participes fiamus gloriæ eius, quam perpetuam habet unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

CAPVT XIX.

HOMILIA LXI.

Pilati diligentia pro liberãdo Christo.

VIdimus hactenus in Pilato diligentiam honesto uiro dignam, qua studuit Iesum è manibus furiosorum Iudæorum liberare & seruare. Audiuit eum priuatim, & cùm nihil dignum morte in ipso cognosceret, dedit ei publicum innocentiæ testimonium. Misit eum ad Herodem, sperans fore, ut is aliquid consilij excogitaret, quo Iesum seruaret. Deinde, cùm Iesus remissus esset, contulit eum Pilatus cum sceleratissimo latrone, si fortè uel hac occasione eriperetur. Atq; hactenus quidem uisus est Pilatus officium boni uiri facere. Nunc aũt, etsi adhuc studet Iesum ab impiorũ manibus liberare, tñ incipit à iusto recedere.

„ Tradit enim innocẽtem flagris cędendum. Nam sequitur: Tunc ergo
„ apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit. Expendamus autem initiò cõsilium Pilati. Iubet enim Iesum flagellare, non odio quodam, sed ut uel aliquo supplicio exaturet inuidiam Iudæorum, & liberet Iesum à morte: sentiens, tolerabilius esse, leue aliquod, quàm extremum supplicium ferre. Nihil ergo uidetur Pilatus peccasse? Certè peccauit plurimum. Scit Iesum esse innocentem, Et tulit ipse innocentiæ eius testimonium. Quare flagellat eum contra conscientiam suam. Sed id bono, inquis, consilio fecit. Nulla excusatio. Non sunt facienda mala, inquit Paulus, ut eueniant bona. Bonum est, ut alas familiam tuam, Malum aũt est, ut des operam imposturis. Hoc malum non est faciendum, ut illud bonũ eueniat. Bonum est, ut tuearis uitam tuam, Malum autem est, ut Christum abneges. Hoc malum non est faciendum, ut illud bonum eueniat. Sic bonum est, ut eruas eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses, malum autem est, ut innocentem quasi nocentem damnes, & flagellis laceres: Hoc malum non est faciendum, ut illud bonum eueniat. Etsi autem consilium Pilati in flagellando Iesu uidetur esse prudens, tñ euentus docet stultissimum fuisse. Tantum em̃ abest, ut hoc supplicio compescat furorem Iudæorum, ut potius accendat eum. Cùm em̃ produceret Iesum flagellatum, quantò miserabilior apparebat Iesus, tanto magis uociferabantur Iudæi: Tolle, crucifige eũ, quemadmodum postea sequitur. Deinde considerandum est, q̃ Christus susceperit hęc flagella, nec ignarus, nec inuitus, aut coactus. Cognouit longè antè, se flagellandum. Ecce, inquit, ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus & illudetur, & contumelijs afficietur & conspuetur, & postquàm FLAGELLAVERINT occident eum. Potuisset etiam flagella à se in flagellatores excutere. Quo ergo consilio suscepit ea & sciens & uolens? Primum suscepit ea, ut Patris uoluntati obediret, ac peccata nostra expiaret. Flagella enim debentur peccatoribus. Cùm igitur Christus constituisset se in locum peccatorum, suscepit etiam supplicium peccatoribus debitum, ut iram Dei Patris placaret. Deinde suscepit flagella, ut sanctificaret ea in omnibus ñs,

Mala non facienda ut eueniat bonum.

Christus flagella cur susceperit.

quiin

qui in ipsum credunt. Christus enim fuit longè omnium innocentissimus. Quare cùm flagella incíderent in ipsum, non potuerunt amplius manere, quod in se erant, uidelicet maledictio, sed necesse habuerunt talia fieri, qualis erat Christus, nimirum benedictio. Sanctificauit autem ea, non in hunc usum, ut nos nostra sponte ad expianda peccata nostra coram Deo flagellemus, qua impia opinione hi, quos uocârunt flagelliferos, se ipsi flagris lacerârunt, sed ut cæsi flagellis aut uirgis, agnoscamus eam afflictionem non esse nostram internecionem, sed potius sanctam crucem, qua ad uera & cœlestia gaudia perueniamus, si aut in Christo per fidem constiterimus, aut ad Christum reuersi fuerimus. Porrò, sicut in hoc mundo fieri solet, ut qui damnum fecerit, ludíbrium quoq; ferat, ita & Christo accidit, ut dolori eius addatur etiam ludibrium. Sic enim ait Euangelista: Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, & ueste purpurea circumdederunt eum ac dicebant: Aue rex Iudæorũ: Et dabant ei alapas. Nec ista acciderunt Christo ignoranti. Priusq; enim caperetur, uidit se sic illudendum & conspuendum. Quid igitur non cauit sibi? Primùm uoluit uoluntati Patris satisfacere, & peccata nostra expiare. Ingens enim animi dolor est, à sceleratissimis hominibus sic illudi, conspui & cædi. Debetur autem hoc supplicium peccatoribus. Quare, cùm Christus uoluerit esse uictima pro peccatis, uoluit & hanc mactationis partem obedienter suscipere. Deinde docuit hoc spectaculo, qualem speciem habiturum sit regnum suum in his terris. Christus enim uerus ac summus est rex, & habet ęternum regnũ, sed ecce sedet hic inter spinas, sputa, ludibria & alapas, ut magis uideatur abiectissimus morio, quàm rex quispiam. Quod personæ eius accidit, hoc postq; ipse nunc sedet ad dextram Patris, accidit in his terris Ecclesiæ eius, in qua regnat. Nam Ecclesia gloriatur propter Christum, q; Deus stet à sua parte, & q; sit hæres cœlestis ac perpetui regni, sed necesse habet in hoc mundo sedere inter spinas, sputa, ludibria & alapas, quas tam hi, qui uideri uolunt amici, quàm inimici ei inferunt. Turca pungit Ecclesiam Christi spinis, & conspuit eam, cùm reportata ex Christianis uictoria insultat eis, & quęrit, ubi sit Christus ipsorum, cur ipsos non iuuet? Iudæus configit Ecclesiam spinis, & dat ei alapas, cùm in conciliabulis & precibus suis congerit in Ecclesiam Christi, quicquid usquam in sacris literis de hostibus Dei & de impijs Gentibus extat. Pontifices Romani & assectæ eorum coronant Ecclesiam spinis & conspuunt eam, cùm iactant se quærere gloriam Christi & salutem Ecclesiæ, interim autem persequuntur uerum Euangelion Christi, & occidunt pios, qui sunt uera Ecclesiæ membra. Sed quid? Num impij perpetuò sic pergent Christum & Ecclesiam eius spinis coronare, sputis sordidare, & alapis cædere? Nihil minus? Notum est illud Psalmi: Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, ut sit patiens in diebus malis, donec fodiatur peccatori fouea. Peccator uidetur quidem nunc in suo instituto fœlix, & nihil minus cogitat, quàm foueam, seu sepulchrum, & internecionem. Sed commorare paulisper, dum sepulchrum eius effodiatur, & uidebis repen-

Ecclesia sedet in mundo inter spinas, sputa, ludibria &c.

tinum eius interitum. Ipse quidem somniat sibi regios thronos, & sum-
mos honores, sed foditur ei fouea, in quam, cùm satis longa, lata, & pro-
funda effossa fuerit, subitò, ꝓcipietur, ut æterna ignominia pereat. Et ite-
rum dicit Psal. Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros
Libani: Et transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus
locus eius. Quare feramus insultum & ludibria impiorum æquo ani-
mo, & custodiamus innocentiam, ut si unà cum Christo spinis corona-
mur, unà cum ipso æterni regni honore fruamur. Sed agite, aspicia-
mus nunc Christum, sic ut erat flagellatus, coronatus & consputus, ad
» Iudæos productum. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce ad-
» duco uobis eum foras, ut cognoscatis, quòd nullam in eo causam inue-
» nio. Exiuit ergo Iesus foras gestans spineam coronam, & purpureum
» pallium, & dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo uidissent eum Pontifices
» & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. En, hic est euen-
tus humanæ prudentiæ, quæ suscipit malum faciendum, ut bonum eue
Humanæ prudentiæ euentus. niat. Sperauit Pilatus se flagellatione innocentis sedaturum & mitiga-
turum iram ac furorem Iudæorum, sed magis accendit & inflammat
eum. Postquàm enim Iudæi uident Christum sic miserè tractatum,
non iam hoc agunt, ut moderato sermone eum ad supplicium postu-
lent, sed insanis clamoribus & uociferationibus ad crucem flagitent. Ca
ueamus igitur, ne spe boni aut consequendi aut efficiendi, malum facia-
mus, sed persequamur bonum, quamuis periculosum, certa fiducia con
Impietas in-durata sem-per fit peior cepta, quòd bonum etsi in præsentia uidetur infœlix, tamen erit uel tan
dem fœlicissimum. Hìc autem uide mihi, impietatem induratam sem-
per in peius proficere. Cùm enim Iudæi accusassent antea Christum, ꝙ
commisisset crimen læsæ maiestatis Cæsareæ, propterea ꝙ dixerit se re
gem, nunc accusant eum grauius, uidelicet, quòd commiserit etiam cri-
men lęsæ maiestatis DIVINAE. Nam postꝙ Pilatus dixisset eis, Ac-
» cipite eum uos, & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo causam. Re-
» sponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem no-
» stram debet mori, quia filium Dei se fecit. Hæc est noua accusatio, quam
accipiunt ex professione & concione Iesu. Sicut enim Iesus professus
est, se esse uerum Messiam, ita etiam professus est, se esse uerum & natu-
ralem filium Dei. Apud Matthæum dicit Petrus: Tu es Christus ille
filius Dei uiuentis. Hanc confessionem approbat Iesus. Apud Ioannem
dicit ipse: Nónne scriptum est in lege uestra: Ego dixi dij estis. Si il-
los dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptu-
ra de eo, quem pater sanctificauit, & misit in mundum. Non enim, cùm
uocat se filium Dei, intelligit se esse filium uulgari, sed singulari mo-
do. Non est filius Dei, sicut homines pij, qui sunt adoptiui filij Dei,
sed est naturalis Dei filius ab æterno. Quare Iudæi rectè quidem in-
tellexerunt professionem & concionem Christi, sed non rectè intelli-
gunt prophetica scripta de Messia, & Iesum malè accusant. Prophe-
tæ enim haud obscurè testantur Messiam esse uerum filium Dei, adeó-
que uerum Dominum Deum Zebaoth, quemadmodum aliâs osten-
dimus. Et sic de Messia crediderunt etiam pij Patriarchæ per spi-
ritum

ritum ſanctum. Scribæ autem & Phariſæi iamdudum amiſerant rectam intelligentiam Prophetarum, & ueram ſententiam de Meſsia. Dicebant quidem Meſsiam uenturum, ſed ſomniabant eum tm̃ fore Dauidis filium, & regnum eius mundanum. Quare ſicut impiè errant in ſententia de Meſsiæ perſona & regno, ita Ieſum, qui manifeſtis argumentis probabat ſe eſſe uerum Meſsiam, iniquè accuſant blaſphemiæ in Deum. Sed hîc conſidera mihi ſummam impiorum hominum iniquitatem, qui alios accuſare ſolent eorum criminum, quibus ipſi maximè omnium obnoxij ſunt. Ieſus Chriſtus tribuebat ſibi uerbis diuinam maieſtatem, idq; ueriſsimè, ac rectiſsimè. Iudæi autem tribuebant ſibijpſis diuinam maieſtatem factis, idq; falſiſsimè, & iniquiſsimè, & tamen Ieſum accuſabant blaſphemiæ, ſe uerò ipſos, ueros Dei cultores iudicabant. Sentiunt enim, ſe conſequi remiſsionem peccatorum & iuſticiam meritis ſuorum operum, quæ eſt ſententia omnium hypocritarum. Hoc autem eſt ſibijpſi tribuere diuinam maieſtatem. Quanta igitur eſt impietas, quanta blaſphemia Iudæorum? Et hac impietate ac blaſphemia plenus eſt totus orbis terrarum. Quî ergo fieri poſſet, ut Dominus perpetuò tantam blaſphemiam ferret, ac non ad iudicium feſtinaret? Sed reuertemur ad Pilatum. Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Fuit igitur Pilatus timens Dei? Ethnicus fuit & Idolatra, quod genus hominum ſentiebat deos aere tectos uagari inter homines, & aliquoties etiam uiſibili ſpecie apparere. Hæ etſi ſunt Ethnicæ fabulæ, tamen uidentur ortæ à ueritate. Patriarchæ, ex quibus Ethnici ſuam quoq; originem duxerunt, concionati ſunt familijs ſuis, quòd Deus omnia reſpiciat, omnia intueatur & curet, & quòd filius Dei deſcenſurus ſit de cœlo, & aſſumpta hominis forma, humanum genus redempturus. Poſteri autem, cùm amiſſa pia maiorum doctrina ſua ſequerentur ſomnia, affinxerunt multos eſſe deos, ac ambulare eos tectos caligine inter homines. Metuit ergo Pilatus, ne fortaſsis Ieſus, de quo miranda hactenus audierat, talis eſſet deus, qualis gentilitas finxit, & cùm iam flagellaſſet eum, metuit, ne in Deum quendam iniurius fuerit. Sed hîc eſt præpoſterus metus, quaſi uerò non iniurius ſis in Deum ipſum, cùm hominem, etiam tuo iudicio innocentem, affligis. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad Ieſum: Vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Quid enim reſponderet ad ea, quæ antè nota erant? & Pilatus paulò antè audierat eum Galilæum ac Nazarenum eſſe. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quòd poteſtatem habeam crucifigendi te, & poteſtatem habeam abſoluendi te? Impia uox, ſiue eam ad officium magiſtratus, ſiue ad perſonam Chriſti accommodes. Nam ſi de officio loquendum eſt, magiſtratus etſi habet poteſtatem puniendi ſontes iuxta leges, non tamen habet poteſtatem puniendi inſontes, niſi legitimam poteſtatem mutet in libidinem, uiolentiam & tyrãnidem. Sic aũt poteſtatem habere, quid præclari eſt? Talem poteſtatem etiam latro habet. Num igitur habet quod glorietur? Rectè ex ueteribus quiſpiam tyrãno, ob profeſsionẽ nominis Chriſti mortem minitanti, reſpondiſſe fertur: Quid magni te facturum

Pilati metus.

Magiſtratus poteſtas certis limitibus circũſcripta.

putas, quod etiam ſcorpiones & cantharides facere poſſunt? Quare ea demùm recta & uera eſt poteſtas, quę legitimè ad uindictam malorum, & defenſionem bonorum, non quæ ad opprimendos bonos, & tuendos malos exercetur. Sed Pilatus præcipuè reſpicit in perſonam Chriſti, in quam putat ſe pro ſuo arbitrio poteſtatem habere. Reſpondit igitur Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſus me ullam, niſi tibi datum eſſet è ſupernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Sicut Chriſtus antè coram Iudæis teſtatus eſt, ſe non eſſe ipſorum poteſtate captum: Quotidie, inquiens, fui in templo, & non extendiſtis manus in me, ſed hæc eſt hora illa ueſtra, & poteſtas tenebrarum, ita & hoc loco negat coram Pilato ſe humana potentia aut antè captum, aut nunc crucifigendum. Primùm enim nulla creatura eſt uel in cœlo, uel in terra, ſiue homo, ſiue angelus, ſiue diabolus, qui poſsit Ieſu Chriſto uel pilum capitis contra uoluntatem ſuam mouere, quia Chriſtus eſt unigenitus filius Dei, per quem omnia ſunt creata, & cui omnia ſunt ſubiecta. Ipſe autem nulli ſubiectus eſt, præterq́, quòd ipſe homine aſſumpto, ſubiecit ſe Deo patri ſuo cœleſti. Quare Pilatus non habet ex ſuis uiribus poteſtatem crucifigendi eum. Deinde, ſi uel homo uel diabolus habet aliquam in Ieſum poteſtatem, certè ea poteſtas non eſt humano aut diabolico arbitrio ſuſcepta, ſed à Deo Patre cœleſti in filium ſuum conceſſa. Si autem pater concedit alteri aliquam in filium ſuum poteſtatem, certè non concedit eam, ut filius pereat, ſed ut glorificetur, & capiat maximum ex ea re uſum. Dicit enim pater de Ieſu: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacitum eſt. Quomodo autem pater tantopere filium diligens, concederet, ut contingeret ei aliquid, quòd non afferret maximam utilitatem? Quare Ieſus hanc Dei patris ſui uoluntatem agnoſcens tradidit ſe ei obſequentiſsimum, etiam uſq́ ad mortem crucis. Quod aũt de perſona Chriſti dictum eſt, hoc idem intelligendum erit de omnibus pĩs in Chriſtum credentibus. Deus enim tanta cura amplectitur pios propter Chriſtum filium ſuum, ut etiam ipſos adoptet in filios, & eximat eos è poteſtate omnium creaturarum. Immittitur, inquit, angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Ac mox: Cuſtodit omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur. Et Paulus: Perſuaſum habeo, q́ neq́ mors, neq́ uita, neq́ angeli, neq́ principatus, neq́ poteſtates, neque inſtantia, neq́ futura, neque altitudo, neque profunditas, neque ulla creatura alia poterit nos ſeparare ab ea dilectione, qua Deus nos propter Ieſum Chriſtum Dn̄m noſtrum complectitur. Si autem pĩ ſubñciantur poteſtati alicuius creaturæ, hoc certè à Deo eſt. Non enim haberet creatura ullam poteſtatem in pios, niſi ei datum eſſet è ſupernis. Si autem uenit poteſtas in pios à Deo, non uenit ab irato, ſed propicio Deo, quia placatus eſt eis Deus per filium ſuum. Si autem Deus eſt propicius & fauet tibi, quid in aduerſis ita trepidas? quid poteſtatem aduerſariam ita metuis? quid in eos qui poteſtatem in te acceperunt, ita impotenter graſſaris? In Deum reſpice, Deus eſt, qui dedit aduerſus te poteſtatem. Et quod facit, optimo ac tibi utiliſsimo conſilio facit, quia

Pĩ Deo cũ ra ſunt.

fauet

fauet tibi propter Christum, in quem credis. Quare de fœlici euentu dubitandum non est. Hæc in singulis afflictionibus cogitanda, hæc meditanda, hæc exercenda sunt. Sic Dauid de ijs conuicijs, quibus grassabatur in ipsum Simei, cogitabat. Cùm enim Dauid fugeret seditiosum filium suum Absolomum, & occurreret ei Simei, ac diceret: Egredere, egredere uir sanguinum, & uir Belial, Serui autem Dauidis susciperent hunc maledicum Simei trucidandum, respondit Dauid: Dimittite eum, ut maledicat. Dominus enim præcepit ei, ut malediceret Dauid. An non Dauid manifestè his uerbis significat, se de cõuicijs Simei ita cogitare, quòd Simei non posset tam uirulenter in ipsum inuehi, nisi hoc ei concessum esset à Domino? Nunc autem quia Dominus concesit, daturus sit benedictionem pro hac maledictione. Sic eñ sequitur: Dimittite eum, ut maledicat iuxta præceptum Domini, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna. Consideremus igitur in aduersis bonam Dei uoluntatem, ut ea æquo animo obedienter feramus. Sed quid illud est, quod Christus hic addit: Propterea qui me tibi tradidit, maius peccatum habet? Videtur autem hic aliquid subintelligendum esse, uidelicet tale quiddam: Sed quia tu Pilate non intelligis ista diuina mysteria de Christo, de filio Dei, sicut Iudas proditor, & Iudæi accusatores intelligunt, aut saltem intelligere deberent, idcirco, qui me tibi tradidit, maius peccatum habet. Obseruandum igitur nobis est ex hoc loco, quòd etsi omnia peccata sunt abominanda, tamen alterum altero coram Deo grauius est. Maius, inquit, peccatum habet. Si autem alterum peccatum altero maius & grauius est, certè erit etiam supplicium alterum altero grauius. Tyro, inquit, & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij, quàm uobis. Et iterum: Seruus qui cognouit uoluntatem Domini, & non se præparauit, nec fecit secundum uoluntatem eius, plagis uapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Præstabit igitur, inquies, esse imperitum Ethnicum, quàm peritum & malum Christianum? Ego uerò aliquid amplius dico: Præstat esse porcum, quàm malum Christianum: imò præstaret non esse natum. Sicut & Christus de Iuda dixit: Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Tanto exitio est, uoluntatem Dei scire, & tamen non obsequi. Non abutamur igitur uocatione nostra, sed cognoscamus Euangelion Christi diligenter, ex quo discamus uoluntatem Dei, ut amplectamur Christum fide, & inuocemus nomen Domini ex fide, ac studeamus bonis moribus fidem nostram testificari, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

In afflictionibus uoluntas Dei consideranda.

Peccatum alius alio grauius est.

HOMILIA LXII.

ETSI Pilatus hactenus constanter pugnauit cum pertinacia Iudæorum, & excogitauit uarias rationes, quibus Iesum Christum à furiosorum impetu & ferocia liberaret, tamen animus eius non munitus uera pietate, labefactatur tandem improbitate Iudæorum, ut suscipiat Christum, quem tamen

antea innocentem pronunciauerat, morte condemnandum. Sic enim
»Euangelista scribere pergit: Ex eo quærebat Pilatus absoluere eum.
»Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc absolueris, non es ami-
»cus Cæsaris. Quicunque se regem facit, contradicit Cæsari. Pila-
»tus autem, cùm audisset hunc sermonem, producit foras Iesum, seditq;
»pro tribunali, in loco, qui dicitur Lithostrotos, hebraicè autem Gab-
»batha. Priusq; pergamus ad exponendam sententiam Pilati aduersus
Christum, considerandа uenit uirtus eius, quam ad liberationem Chri
sti exercere cœpit. Reprehensus enim erat haud obscurè à Christo,
& accusatus peccati: Qui me tibi tradidit, inquit Christus, maius pec-
catum habet. Ergo habes & tu peccatum. Et tamen tantum abest, ut
Pilatus hanc reprehensionem impotenti animo ferat, & contumelio-
sus sit in Christum, ut potius excitetur ad quærendas alias occasiones,
quibus Christum ab insania Iudæorum uindicet. Etsi autem hæc uir-
tus non est firma in impio Ethnico, tamen meretur suam laudem, &
commendationem. Alius quispiam magistratus à captiuo suo repre-
hensus, uix temperasset sibi à pugnis. Pilatus autem tam generoso ani-
mo fert reprehensionem à captiuo, ut etiam benefacere ei cupiat. Ad
hanc uirtutem uocat nos Salomon: Qui diligit, inquiens, disciplinam,
diligit scientiam. Qui autem odit increpationes, insipiens est. Et ite-
rum: Stultus irridet disciplinam patris sui. Qui uerò custodit increpa-
tiones, astutior fiet. Non potest autem hæc uirtus in nobis uerè syn-
cera & constans esse, nisi uerè agnoscamus peccatum, & naturalem no-
stram insipientiam ex peccato propagatam. Quare meditemur in le-
ge Domini, ut agnoscentes ex ea peccatum & stulticiam nostram,
æquo animo feramus sapientum seu piorum increpationes. Sed uide
mihi arietem, quo concutitur & deiicitur animus Pilati. Si hunc, inqui-
unt, absolueris, non es amicus Cæsaris. Quicunque se regem facit, con-
tradicit Cæsari. Hæc obiectio magnam habet speciem, quæ impru-
dentis animum plurimum commouere potest. Non enim dubium e-
rat, quin Iesus dixerat se esse Christum, seu Regem. Pilatus autem cum
militibus in hunc usum à Romano Cæsare in Iudæa ordinati erant,
ut prouiderent, ne quis sibi regiam maiestatem aduersus Cæsarem
in ea terra usurparet. Quare Iudæi hac obiectione nonnihil dicere
uidentur. Sed profectò non sunt nisi prætextus inuidiæ, & præstigiæ
uerborum. Non sic fauent Cæsari, ut cupiant maiestatem eius in Iu-
dæa saluam, sed sic inuident Iesu Christo, ut cupiant eum, quoquo mo-
do possunt, perdere. Et Christus sæpe antea, non tam Pilato, quàm Iu-
dæis significauerat, se non esse mundanum, sed cœlestem regem, qui ma
gis approbet, quàm abroget Romani & aliorum principum in hac ter-
ra maiestatem. Talibus præstigijs incitauerunt principes Regem Ze-
Hiere. 38. dekian aduersus Hieremiam. Rogamus inquiunt, ut occidatur ho-
mo iste. De industria enim dissoluit manus uirorum bellantium, qui
Daniel. 6. remanserunt in ciuitate hac, siquidem homo iste non quærit pacem
populo huic, sed malum. Talibus etiam præstigijs incitauerunt Sa-
trapæ Persarum regem Darium aduersus Danielem: Daniel, inqui-
unt,

unt, non curauit de lege tua, & de edicto, quod constituisti. Talibus præstigijs inflammârunt sacrificuli Ethnicorum suos principes & Monarchas aduersus Christianos. Non dissimilibus præstigijs accendunt etiam hoc tempore Pontifices animos principum aduersus piam doctrinam Euangelij, prætexentes inuidiæ suæ, ruinam tam Romani Imperij, quàm omnis Ecclesiasticæ disciplinæ. Hæc nobis cognoscenda proponuntur, non tam ut admoneamur de ueteri ingenio Satanæ, qui est mendax & pater mendacis, quâm ut excitemur ad inuocationem nominis Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, quo ad deprehendendas præstigias Satanæ & organorum eius, donemur spiritu sancto, & effugiamus dolos ac laqueos omnium piæ doctrinæ aduersariorum. Sed agite, uideamus Christum filium Dei, flagellatum, conspurcatum, & spinis coronatum ex prætorio prodire, & ad tribunal Pilati statui, ut qui uenerat ad seruandos homines in morte, ab hominibus morte condemnetur. Produxit, inquit, foras Iesum, sedítq; pro tribunali in loco, quem uocârunt λιθόστρωτον, quod nobis significat lapidibus constratum. Hebraicè autem גבתא Gabbatha, quod significat altitudinem, seu locum excelsum. In hunc igitur locum ascendit Pilatus, & sedit pro tribunali. Quid facturus? Damnaturus filium Dei morte. Hoc nihil noui est, sed in hoc seculo usitatum, quòd filius Dei damnetur in locis excelsis, hoc est, in regnis huius seculi, & à potestatibus sublimioribus. An non statim ab initio multiplicati populi Dei in Aegypto, rex Pharao dicit: Quis est DOMINVS, ut audiam eum, & dimittam Israel? Nescio Dominum, & Israel non dimittam. An non Ahab rex Israelis ueros Prophetas, qui de filio Dei uenturo uaticinabantur, ita persecutus est, ut alij quidem interficerentur, alij in spelæis occultarentur? An non Rex Babylonius abijcit pios adolescentes in ignem, quòd filium Dei, non statuam filij hominis adorarent? Quid dicam de Antiocho? Quid de alijs impijs regibus & regnis? Longum etiam esset commemorare eos reges & principes, & illa regna ac imperia, quæ postquàm Euangelion Christi uulgatum est in orbe terrarum, sæuierunt in Ecclesiam filij Dei, ut nihil manifestius sit, quàm filium Dei solere in Gabbatha, hoc est, in excelsis locis, seu à sublimioribus potestatibus & magistratibus damnari. De qua re idcirco Ecclesia Christi admonenda est, non ut contemnat sublimiores potestates: Quæ sunt potestates, inquit Paulus, à Deo ordinatæ sunt, sed ne offendatur, cùm potentes huius seculi damnant & persequuntur piam doctrinam Euangelij filij Dei, & ut sciat conseruationem & defensionem suam collocatam esse, non in Principibus huius seculi, nec in filijs hominum, in quibus non est salus, sed in solo Domino Deo nostro, per unigenitum filium suum Iesum Christum, qui dixit: Non relinquam uos orphanos. Et: Vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Sed pergamus in historia: Erat autem parasceue Paschæ, hora fermè sexta, hoc est, post tertiam, ut Marcus scribit, sed ante sextam. Et dicit Iudæis: Ecce rex uester. Etsi Pilatus iam instituerat ob-

Filius Dei in locis excelsis damnatur.

Iudæorum & Pilati de Iesu Christo altercatio.

sequi furori Iudæorum, tamen facit adhuc periculum ostensione tam miserabilis spectaculi, quod Christus consputus & flagellatus de se prę bebat, si fortè animi eorum mitigarentur. Nam quod Pilatus dicit, hanc sententiam habet. En hominem longè omnium miserrimum & abiectissimum. Itaq; non possum satis mirari, & uestram insaniam, qui in animum uestrum inducere potestis, fieri unquam posse, ut hic uester rex fiat: & huius stulticiam, qui sperare audeat, se à quoquam pro rege agnosci posse. Tam enim miser est, & abiectus, ut mihi etiam odio & inuidia honestorum hominum indignus uideatur. Quare habenda uobis est uel saltem uestræ honestatis & dignitatis ratio, ut eum liberum dimittatis. Sed Iudæi hac uoce magis efferantur, quàm cicurantur. Clamant enim: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Iterum admonet eos insaniæ suæ. Si uerè hic est rex uester, quis est ille uester tam impotens furor, quòd quem tueri deberetis, eum ad tam atrox & crudele supplicium postuletis? & quo merito eius? Si falsò se regem uestrum prædicauit, quid tam immani odio aduersus hominem nunc planè protritum & conculcatum grassamini? Et quæ est noua illa uestra religio, ut qui antea ultrò semper uobis regem quæsiuistis, ita ut necesse habuerim uos armis compescere, nunc eum, qui se regem uestrum profitetur, tam pertinaciter reiiciatis? Responderunt Pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Hæc Iudæorum & Pilati altercatio de Iesu Christo non est oscitanter prætereunda. Nam proponitur hoc loco Iesus Christus longè omnium contemptissimus, ac planè talis, qualem eum describit Esaias capite 53. Non est ei, inquit, species, neque decor. Vidimus eum, sed nulla erat forma, quæ efficeret, ut desideraremus eum. Despectus & nouissimus uirorum, plenus doloribus & infirmitatibus: adeò contemptus, ut auerterentur uultus ab eo, ideóque non reputauimus eum. An hoc non est, pro nouissimo uirorum, spectandus obtrudi, cùm tam contemptim dicitur: Ecce rex uester? Et: Regem uestrum crucifigam? An non hoc est auertere uultus ab eo, de quo clamatur: Tolle, tolle, crucifige eum? Sed benè habet, Christus suscepit hanc humiliationem non suo aliquo merito, sed ut nostra peccata coram Deo patre suo expiaret, & quem nunc uidemus tam contemptim proiectum, eum uidebimus paulò post exaltatum ad tantam maiestatem, ut subiiciantur ei omnia cœlestia, terrestria & inferna. Porrò, qualis hoc loco Christus apparet in oculis hominum, talis etiam solet uera Ecclesia Christi esse in oculis huius mundi. Velut excrementa mundi, inquit Paulus, facti sumus, omnium reiectamentum ad hunc usq; diem. Quid ergo? Num abiiciamus animum, quia abiicit nos mundus, & auertit uultum suum à nobis? Quin potius erigamus animum, & gratulemur nobis, quòd digni habeamur conformes fieri imaginis filij Dei in his terris, ut etiam conformes fiamus imaginis eius in regno cœlesti. Sed reuertamur ad Iudæos, & Pontifices eorum. Non enim existimandum est, quòd his uocibus: Tolle, tolle, crucifige eum. Et: Non habemus regem, nisi

Christus omnium cõtemptissimus.

Cæsa-

Cæsarem, confíciant sese in simplex malum, sed quia sunt Pontifices, penes quos erat summa autoritas Iudæorum, repellunt & reíciunt à se, non suo tantum ipsorum, uerumetiam totius gentis suæ nomine uerum Messiam, ideóque sunt autores internecionis tam suæ ipsorum, quàm omnis posteritatis eorum. Hi sunt ædificatores illi, de quibus concionatur Psalmus centesimus decimusseptimus, qui cùm reprobent lapidem angularem, efficiunt, ut totum ædificium eorum corruat. Cùm enim abíciunt & negant hic coram Pilato uerum regem, Christum, seu Messiam suum, abíciuntur uicissim & ipsi, ne sint amplius populus Messiæ, sed pateant direptioni non solum regum & Monarcharum huius seculi, uerumetiam omnium diabolorum. Hoc illud est, quod Moses de ipsis dixit: Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui: Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia prouocauerunt eum filíj sui & filiæ. Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum. Hæc causa illa est, propter quam tam pauci Iudæi, etiam his temporibus, quibus Euangelion de Christo perspicuè reuelatum est, Christum agnoscunt. Nam adhuc efficax in eis est uociferatio maiorum suorum, qua reiecerunt coram Pilato uerum regem & Christum suum, ac subiecerunt se alienis regibus, quorum tyrannide postea sunt & deleti, & in totum orbem dispersi, ut etiam his temporibus circumeant & famem patiantur ut canes. Sed quod Pilatus antea parturíit, iam uel tandem parit. Dicit enim Euangelista: Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur. Hæc est uirtutum Pilati catastrophe. Hactenus uisus est innocentem fortiter tueri, & multa eum humanitate complecti. Nunc autem damnat, & tradit eum, quem ipse pronunciauerat innocentem, crucifigendum, hoc est, probrosissima morte occidendum. Sic sunt uirtutes Ethnicorum, ac eorum, qui non sunt uera spiritus sancti uirtute præditi. Non constant in humanis tentationibus, & constarent in iudicio diuino? Quid, quòd nec piorum uirtutes possunt diuino iudicio opponi, quantò minus uirtutes impiorum? Etsi autem fieri non potuit, quin conscientia Pilati reclamauerit, in hac innocentis condemnatione, propterea, quòd Gentes, quæ legem non habent, natura faciant, ut Paulus ait, quæ legis sunt, hoc est, habeant scelerum accusationem in conscientia sua, tamen prudentia carnis finxit sibi excusationem, aut etiam iustificationem: Condemno innocentem, sed quia habetur ab omnibus extremo odio, fortasis non est tam innocens, quàm mihi uidetur. Condemno innocentem, sed nisi hoc fecero, confício non me tantum, uerumetiam uniuersam gentem Iudaicam, & tot millia innocentum, in extrema pericula. Video enim oriri tumultum ac seditionem, in qua possent multi innocentes crudeliter trucidari. Melius igitur est, ut unus innocens, quàm ut multi innocentes pereant. Condemno innocentem, sed coactus importunitate Iudæorum. Condemno innocentem, sed in eorum gratiam, qui in se & posteros suos culpam facti, si quid hac in re peccetur, transferant. Et quis posset omnes impiæ prudentiæ excusationes ac

Iudei reiecti.

Pilati sententia aduersus Christum.

iuſtificationes enumerare? Sed uno & altero Pauli uerbo hæc omnia retunduntur: Non ſunt facienda mala, ut eueniant bona. Et: Digni ſunt morte, non ſolum qui talia faciunt, uerumetiam qui aſſentiuntur iis, qui faciunt. Vide autem mihi ſummam rerum iniquitatem. Iudex uiuorum & mortuorum, iudicatur ab hominibus impijs. Autor uitæ, condemnatur morte. Quid poteſt iniquius cogitari? Quomodo terra & cœlum poſſunt tantam iniquitatem ferre? Sed terra iamdudum aſſueta eſt ſubijci uanitati, & ferre impiorum crudelitatem ac immanitatem aduerſus filium Dei & cohæredes eius, idq; minimè uolens, ſed ingemiſcens, & parturiens, donec ueniat tandem tempus liberationis. Deus autem è cœlo conniuet ad tantam iniquitatem, non quòd approbet eam, ſed ut abſoluatur redemptio humani generis. Iam ne Chriſtus quidem ipſe ad tam iniquam iudicis ſententiam remurmurat, quia tradidit, ut Petrus ait, uindictam ei, qui iudicat iuſtè, & uoluit peccata noſtra perferre in corpore ſuo ſuper lignum, quo peccatis mortui, iuſticiæ uiueremus. Acceperunt autem Ieſum, & abduxe
„ runt, atque is baiulans crucem ſuam, exiuit in eum locum, qui dicitur
„ Caluaria, hebraicè autem גלגלתא golgoltha, (quod ſignificat cra-
„ nium capitis) ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc &
„ hinc, medium autem Ieſum. Alij Euangeliſtæ ſatis copioſè deſcribunt, quid in abductione Chriſti ad Caluariam dictum & geſtum ſit. Nos, quia hæc in Luca expoſuimus, perſtringemus nunc ea tantum, quæ Ioannes commemorat. Dicit ergo Ieſum abductum baiulaſſe ſuam crucem, quæ tamen poſtea impoſita eſt Simoni Cyrenæo, ut Lucas dicit. Non autem dubito, quin, cùm Ioannes ſcribat,

Iſaac typum gerit Chriſti. Chriſtum initiò baiulaſſe ſuam crucem, reſpexerit in eam hiſtoriam, quæ de immolatione Iſaac ſcripta eſt, & ſignificare uoluerit nunc uerè in Chriſto impleri, quod tunc in Iſaac fuit adumbratum. Abraham enim abducens filium ſuum Iſaac ad ſacrificium, impoſuit ei ligna holocauſti. Nunc autem uerus incedit Iſaac, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, ligno crucis ſuæ onuſtus, ut ipſe fiat in eo holocauſtum pro peccatis humani generis. Ac hæc quidem ligni moles, per ſe non fuit leue onus: nos autem non debemus hoc lignum iuxta externam tantum grauitatem conſiderare, ſed multò magis iuxta eam grauitatem, quam habuit ex peccatis. Fuerunt enim coram Deo in hoc lignum impoſita omnia hominum peccata, quorum tanta eſt grauitas, ut totum humanum genus ad infernum uſque deprimant. Suſcepit igitur filius Dei ſuper ſe hanc molem, ut redderet eam ſua geſtatione leuiorem, ut quicunque in ipſum credit, non opprimeretur, ſed ſeruaretur. Sunt qui nugantur, non Ieſum, ſed Simonem Cyrenenſem crucifixum eſſe. Sed etſi Simon Cyrenenſis aliquandiu crucem portauit, tamen non geſtauit peccata hominum, & ſatis luculenta ſunt teſtimonia Euangeliſtarum, ac omnium Apoſtolorum, ac reliquorum ſpectatorum, quòd non Simon pro Ieſu, ſed Ieſus pro ſalute totius humani generis cruci affixus ſit. Sunt qui tradiderunt, Adamum primum parentem noſtrum, ſepultum fuiſſe in eo loco, qui uocatus ſit

Gene. 22.

Adamus ſepultus in golgoltha.

Golgol-

Golgoltha, ideoq; diuinitùs sit ordinatum, ut Iesus ad redimendum & excitandum Adamum, in eo loco sit crucifixus. Sed apparet eos, qui primi hoc finxerunt, uoluisse hac fabula significare, Iesum Christum conscrasse cruce sua sepulchrum Adami, ut etsi Adam mortuus est & sepultus, ac traxit secum in mortem & sepulchrum uniuersum humanum genus, tamen postq; Christus crucifixus est, consecutus sit Adam, & oēs pij Patriarchæ, denicq; quotquot Euangelio de Christo crediderunt, uera uitam, & perpetuam salutem propter Christum. Paulus Apostolus ad Corinthios scribens: Non iudicaui, inquit, me inter uos quicq; scire præter Iesum Christum, & hunc crucifixum. Hic ergo, cùm uidemus & scimus Christum in Golgoltha crucifixum, considerandum nobis est, quid tamen uideamus, & quid sciamus. Christus enim in cruce pendens, non sic aspiciendus est, quemadmodum humana ratio de aliena cruce & morte iudicat, stultum uidelicet esse sperare alterius morte salutem, sed quemadmodum Christus ipse & Apostoli eius docent. Apud Ioannem cap. 3. dicit Christus: Sicut exaltauit Moses serpentem in deserto, ita oportet exaltari filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat æternam uitam. Videmus autem nunc filium hominis, hoc est, Iesum Christum in cruce exaltatum. *Christus in cruce exaltatus omnia ad se trahit.* Quid ergo uidemus? Num inutile pondus terræ? sic quidem uisum est impijs Iudæis. Nos autem uidemus talem à Deo nobis propositum, ut omnis qui credit in eum, non pereat morte, sed consequatur propter ipsum perpetuam uitam. Hoc certè est uidere, non hominem pereuntem, sed Deum seruatorem. Deinde dicit Christus aliâs: Ego si exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum. Rem admirandam. Alij cruce exaltati, abigunt à se omnia, quippe qui sint abominabiliores, quàm quos iucundo uultu, & serena fronte aspicias. Christus autem cruce exaltatus omnia ad se trahit. Affert enim cruce sua salutem non solum Iudæis, sed etiam Gentibus, hoc est, uniuerso humano generi. *Ioannis 12.* Vnde & Paulus ait: Ipse est pax nostra, qui ex utrisq; unum fecit, diruens interstitium maceriæ, & abolens carne sua inimicitiam, uidelicet legem, decretis constitutam, ut ex duobus conderet in semetipso unum nouum hominem, & faceret pacem, ac reconciliaret Deo ambos in uno corpore, per CRVCEM: hoc est omnia, uidelicet, tam Iudæos, quàm Gentes, ad se trahere. *Ephes. 2.* Aspiciamus igitur Iesum in cruce exaltatum, non ut subducentem brachia sua in sinum suum, sed ut expandentem brachia ad utrunq; genus hominum, Iudæos & Gentes, ac offerentem beneficia sua uniuerso humano generi. O nos fœlices, quibus filius Dei beneficia sua tam liberaliter offert. O nos miserrimos, si cœlestia beneficia offerentem, impietate & ingratitudine nostra reijciamus. Præterea, Lex dicit, & repetit Paulus ad Galatas scribens: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Videmus autem nunc Iesum Christum, unigenitum & æternum filium Dei pendere in ligno. Quid igitur uidemus? Num hominem maledictum? Sic quidem uerba legis eum nobis obtrudunt, & sic impij Iudæi sentiebant, Sed cùm ipse sit semen illud Abrahæ, in quo omnes gentes benedicantur, uide- *Intuentes Christum crucifixum, quid cogitare debeant.*

mus redẽptorem noſtri à maledicto. Sic enim Paulus docet: Chriſtus, inquiẽs, redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Deinde, cùm aſpicimus Ieſum Chriſtum in ligno crucis pendere, intuendum erit, non in illud tantum, quod corporales oculi uident, ſed q̃d ſpiritualibus oculis intuendum propoſitum eſt. Cùm enim Chriſtus affigeretur ligno à crucifixoribus ſuis, non eſt ipſe interea ociatus, ſed affixit ſecum chirographum noſtrũ, quo fatemur noſtra peccata, & obligamus nos ad æternam damnationem. Affixit autem illud ſecum, ut ſanguine ſuo deleret, & obligationem noſtram ſolueret. Donauit, inquit Paulus, nobis omnia peccata, & deleuit chirographum, quod erat aduerſum nos, & quod decretis excitatum, contrarium nobis erat, hoc, inquam, chirographum, ſuſtulit è medio, & affixit cruci, uidelicet ut ſanguine ſuo deleret ac aboleret. Poſtquàm enim decreta legis reuelant nobis peccata noſtra, tunc conſcientia ipſa noſtra, uelut chirographum, teſtificatur contra nos, quòd ſimus peccatores, quòd ſimus obnoxij̃ perpetuæ damnationi, propter peccata. Hoc illud chirographum eſt, quod Chriſtus ſecum in crucem detulit, & obliterauit. Quare intuendo Chriſtum crucifixum, intueamur in hanc Chirographi noſtri lituram, ut cognoſcamus nos uerè à peccato & poteſtate Satanæ redemptos, & gratias agamus redemptori filio Dei, non uerbis tantum, uerumetiam totius uitæ noſtræ obedientia. Poſtremò, nec̃ hoc fruſtrà ab Euangeliſta recitatur, quòd Ieſus crucifixus ſit medius inter duos latrones. Crucifixerunt, inquiẽs, cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Ieſum. Quid autem hoc ſibi uelit, Marcus clarè exponit, cùm ait: Crucifigunt cum eo duos latrones, unum à dextris, & alium à ſiniſ is eius. Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Cum iniquis reputatus eſt. Eſt autem innocenti grauiſsimus animi dolor in ſceleratorum catalogo præcipuus recenſeri ac reputari. Sed uoluit filius Dei etiam hunc dolorem ſuſcipere, partim ut declararet ſummam ſuã obedientiam erga Patrem ſuum, qui ſic antea decreuerat, & per Eſaiam ſignificauerat, quòd reputandus eſſet cum ſceleratis, partim ut doceret, in quem uſum crucifigeretur. Nam quales ſunt hi duo latrones, in quorum medio pendet Chriſtus, tale eſt uniuerſum humanum genus. Omnes enim peccauerunt. Non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſq̃ ad unum. Etſi em̃ non omnes contaminati ſunt externis latrocinij̃s coram hominibus, tamen coram Deo omnes ſunt rei uiolatæ legis, & obnoxij̃ non tm̃ externis ſupplicij̃s in hoc mundo, ſed etiam perpetuæ damnationi in inferno. Pendet igitur filius Dei medius inter hos latrones, ut ſignificaret, ſe crucifigi, non propter iuſtos, quales in terra non inuenit, ſed propter peccatores, quales ſunt omnes homines. Sed hìc uide mihi longè diuerſum euentum in his latronibus. Eadem eſt cauſa eorum, ſed non eſt idem euentus. Alius enim reſipiſcit, agnito Chriſto, in cruce, & conſequitur iuſticiam, ac remittitur ad Paradiſum: Alius autem cumulat in cruce ſcelera ſceleribus, & remittitur ad infernum. Hæc eſt imago uniuerſi humani generis, in quo alij̃ quidem agnoſcunt Chriſtum, & conſequuntur ſalutem per fidem propter Chriſtum: alij̃ autem contemnunt

Filius Dei cum iniquis reputatur.

temnunt Christum,& pergunt in peccatis manere,& ad perpetuã interne cionem ire. Quod cùm ita se habeat, fugiamus cœtũ contemptorum Christi,coniungamus aũt nos cum ijs,qui agnoscunt Christum,ut cum ipsis in paradisum ingrediamur, per Iesum Christum Dñm nostrum, qui est unà cum Patre & Spũ sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXIII.

QVæ postq̃ filius Dei affixus est cruci,dicta & facta sunt, cõmittendum haudquaq̃ est, ut oscitanter p̃tereamus. Ac alij quidẽ Euãgelistæ alia cõmemorant:nos,ut cœpimus,commorabimur intra fines nostri Euãgelistę,nisi si qñ euidenti aliqua ex causa excurrendũ nobis uideatur. Dicit ergo Ioãnes.Scripsit aũt & titulũ Pilatus,& posuit super crucem. Erat aũt scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorũ. Hunc ergo titulũ multi Iudæorũ legerũt,quia prope ciuitatẽ erat locus,ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptũ Hebraicè,& Grękè,& Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorũ: Noli scribere rex Iudęorũ,sed q̃ ille dixerit,Rex sum Iudęorũ. Rñdit Pilatus:Quod scripsi,scripsi. Ioãnes diligẽter,quæ de Titulo cruci imposito, acta sunt, describit,ut significet hũc titulũ obseruabilẽ esse. Vocat aũt eũ Marcus inscriptionẽ causæ seu condẽnationis,uidelicet q̃ cõtineret causam,cur Iesus sit condẽnatus & crucifixus. Ac multi quidẽ abutunt uerbis huius tituli ad superstitionẽ,& ad cõiurationes,quẽadmodum & initio huius Euãgelistæ:In principio erat uerbũ,&c. Sed fugiẽda est nobis hæc impietas,& utẽdum est uerbis sacrę scripturę ad eruditionẽ uerę pietatis. Primũ em̃,hic titulus est insigne testimoniũ doctrinę & innocẽtiæ Christi. Ductus.n.est Christus ad duo tribunalia, coram quibus seueriss imè inquisitũ est de rebus gestis eius. Alterũ est,Conciliũ pontificũ,q̃d in populo Dei habebatur pro summo,ut uocãt, Cõsistorio,& cuius Sentẽtia iudicaba ̃ non humana,sed cœlestis & diuina. Alterũ est tribunal Pilati, cuius sentẽtia habeba ̃ pro sentẽtia Romani Imperatoris,summi uidelicet in terris magistratus. Et tñ cũ Iesus Christus statueretur ante hęc tribunalia,& inquireretur de oĩbus actis eius exactiss imè,nihil aliud compertũ est, q̃q̃ q̃ prædicauerit se esse regem Iudæorũ,hoc est,Messiam illum,quẽ Prophetę uẽturum promiserũt. Tantum aũt abest, ut Iesus dessignauerit hac prędicatione scelus cruce dignum,ut potius summã exhibuerit mandato Dei obedientiam. In hoc.n.missus erat in terras,& hoc mandatũ acceperat à Deo Patre suo, ut prædicaret se constitutũ regem super Zion montẽ sanctũ eius, quẽadmodum Psalmus loquit̃. Quare non tm̃ Apostoli, uerũetiam Pontifices & Pilatus,dicunt hoc titulo publicũ testimoniũ,quæ fuerit summa prędicationis Iesu Christi in his terris,ut cognoscamus, q̃ cùm reliqua omnia,quæ à Prophetis de Messia prędicta sunt,in hunc Iesum conueniunt,nõ sit alius præter hunc Messias,aut expiator peccatorũ,& seruator expectandus & agnoscendus. Vide aũt hic mihi industriam Dei,in illustranda gloria filij sui. Pendebat filius Dei in summa coram hominibus ignominia,& cõtumelia, quam etiam Pontifices studebant hac causæ inscriptione augere & in toto orbe terrarum diuulgare. Sed Deus administrat rem tam artificioss ẽ,ut hac

Titulus crucci impositus testatur doctrinam & innocentiam Christi.

Dei industria in illustranda filij sui gloria.

occasione gloriā filij sui amplificetur & dilatetur. Quod in capite gestū est, hoc etiā in membris eius fiat, necesse est. Notaris ignominia ꝓpter Christum: Etsi aūt fieri uix pōt, quin, coram hoībus turpificatus doleas, tm̄ nō ita doleas, ut abijcias aīm, & deseras tuā uocationem, sed benè confidas. Deus.n. qui permisit, ut sordidareris, idē etiam efficiet, ut illustreris. Cuius uoluntatis certissimū pignus tibi dedit Iesum Christū, filium suū, ut cū tu sis uerū mēbrum eius, fruaris quoq; bnficijs, quæ Pater in ipsum liberalissimè contulit. Hoc tm̄ nobis cauendum est, ne affligamur, quemadmodum Petrus ait, ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut ἀλλοτριοεπίσκοπος. Et tm̄ si tale quid nostra uel incuria, uel imbecillitate accide rit, ne sic quidem aīm despondeamus. Patet adhuc receptus ad pœnitētiam. Christus.n. pro pctōribus mortuus est. Quare, si uel in medijs supplicijs, quæ ꝓpter facinora nobis immittuntur, cōuertimur ad Christū filiū Dei per fidem, tm̄ abest ut pereamus, ut etiā angeli de salute nostra gaudiū concipiant. Sed nec hoc sine cœlesti cōsilio factum est, ꝙ titulus scriptus sit Hebraicè, Grecè & Latinè, quæ ijs tēporibus fuerunt præcipuæ in toto orbe terrarū linguæ. Pilatus aliud quidem cogitauit, sed Deus, qui ut cor regis in manu sua habet, ita & Pilati manum tenuit ac in talem descriptionē direxit, ut iam tùm in summa Christi ignominia, significaretur gloriā maiestatis eius diuulgādam in oēs huius terræ linguas & nationes. De qua re idcirco admonemur, ut sciamus, ꝙ etsi Deus conniuet ad crucē filij sui, non tm̄ abijcit curam glorię eius, sed tunc maximè oīm de illustranda & dilatanda maiestate eius sollicitus est, cùm uidet eū extrema ignominia notari. Sed quid? num sic de filio tm̄ sollicitus est? Rectè: siquidem hoc nō de persona tm̄ eius, uerumetiā de toto corpore eius intelligas. Deus.n. nō ita seruat filium suū, ut sibi soli eum retineat, sed donat eum oībus ijs, qui in ipsum credunt. Donat aūt eum, nec nudum, nec spoliatum, sed ornatum oībus bonis suis, ut ꝓpter ipsum non tm̄ faueat credentibus in eum, sed adoptet etiam eos in filios & hæredes omnium cœlestium bonorum suorum. Non igitur sentias in ærumnis tuis, quòd Deus nullam habeat tui rationem: sed cogites, tuam salutem tunc maximè Deo curæ esse, cùm tibi internecioni proximus esse uideris. Ac de titulo quidem hactenus. Nunc quid de uestimentis eius actū sit, uideamus. Milites ergo, cùm crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem. Et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, à summo contexta per totum. Dixerunt ergo inter se: Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicēs: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hęc fecerunt. Spoliatur Iesus non tantum omni honore suo, sed etiam omnibus uestimētis suis, ut non tam fama sordidatus, ꝙ corpore nudus oculis hominum obtrudatur. Non est aūt dubitandum, quin hæc uestimētorum partitio inter milites, homines tam prophanos, & sortitio de tunica, attulerint animo Christi maximum dolorem. Etsi .n. uestimenta non fuerint admodum precioſa, quantiuis tamen precij fuerint, certè grauiter affligitur honestus animus, cùm reculas suas ab alienis, & indignis corā diripi uiderit.

Christus uestimētis suis ꝓspoliatur.

Sed

Sed benè adhuc habet. Christus hoc spectaculo non ita affligitur, quin suã q̃q; cõsolationem inde capiat. Primùm. n. nõ ignorauit hunc animi sui dolorẽ Deo Patri suo ita placere, ut suscipiat eũ unà cũ alijs partibus passionis suæ, pro expiatione peccatorũ humani generis. Deinde uidit hoc factũ esse publicum testimoniũ impletæ in se ꝓphetiæ, quæ de passione Messię extabat. In Psalmo em̃ 21. dicit Messias, se non tm̃ cruci affigẽdum, cùm ait: Foderũt manus meas & pedes meos, sed etiã uestimẽta sua dispertienda, & sortẽ de tunica sua mittẽdam. Postremò intellexit etiã, q; cùm ea, quę in isto Psalmo de passione ipsius dicunt impleantur, fieri nõ possit, quin & ea, quę mox de glorificatione sua sequunt, implẽda sint. Sciamus igit Deum in filio suo testificari, q; non sinat nos tẽtari, quẽadmodum Paulus ait, supra id q̃d possumus, sed faciat unà cũ tentatione euentum, ut queamus sufferre. Admonemur & hoc spectaculo, ut nudi nudũ Christum sectemur. Etsi. n. Christus hoc nõ exigit, ut pij abij cíant temerè sine certa Dei uocatiõe facultates suas, exigit tn̄ eam animi obedientiã & prõptitudinem, ut quacunq; data occasione, malimus oẽs facultates nostras alienis diripiendas relinquere, q; doctrinã Euangelij eius abnegare, aut alioqui contra pręcepta eius peccare. Nam qui sic ex aĩo affectus est, is uerè nudus, in maximis etiã diuitijs, nudum Christum sequitur. Quid ergo fiet ei? Num, qui sic nudus, sequitur Christum nudum, necesse habebit perpetuò nudus esse? Nihil certè minus. Aspice mihi Christum. Pendet hîc nudus, etiã uestibus suis spoliatus, Sed paulò post tam glorioſis uestibus induitur, ut Psalmus exclamet: Speciosus forma prę filijs hoĩm. Quam fortunã non sibi soli retinet, sed habet eam cõmunem cum oĩbus membris, cum oĩbus credẽtibus in ipsum. Amen dico uobis (inquit) quòd omnis qui reliquerit domos, aut fratres, aut agros ꝓpter nomen meũ, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sortietur hęreditatem. Sed sinamus militibus suas sortes, & aduertamus aures nostras ad colloquium, q̃d Iesus de cruce cum Maria matre sua, & Ioanne hoc Euangelista nostro habuit. Sic. n. sequitur. Stabant aũt iuxta crucẽ Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria uxor Cleophæ, & Maria Magdalene. Cùm uidisset ergo Iesus matrem, ac discipulũ adstantem, quẽ diligebat, dicit matri sui: Mulier ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eã discipulus in sua. Stupenda res, q; mulierculæ, ac pręsertim Maria mater Christi, potuerint tã horrendi supplicij spectatrices esse. An non metuerunt, ne in tanto Iudæorũ furore etiam ipsæ cõprehendantur, & ad supplicium rapiantur? Sed fortis, ut mors, dilectio, & dura, sicut infernus, æmulatio. Nec ingratus est Christus erga tantũ dilectionis ardorẽ. Cùm. n. mulierculæ illæ, quæ ipsum à Galilæa secutæ fuerunt, & nunc ad crucẽ eius maximo animi mœrore adstant, pręcipuæ sint, quę dilectionem suã erga ipsum, in summis eius ærumnis, publicè testificẽtur, cõpensat ipse uicissim hunc affectũ, & reuelat eis, primis, suã à mortuis resurrectionem, ut quæ primæ oĩm conceperũt ex cruce & morte eius maximũ dolorem, acciperent etiã primę oĩm maximum ex resurrectione eius gaudiũ. Sic solet filius Dei officia officijs cõpensare. Si tu unum ei officium ex fide & charitate pręstiteris,

Nudi nudum Christum sequamur.

tam liberalis est remunerator, ut teneri nõ possit, quin pro uno, decem officia rependat. Sed admirabitur quispiam, quid causæ sit, ꝙ Christus maluerit alteri tutelam matris suę cõmendare, ꝙ eam sibi ipsi tutandam seruare? An non dicit postea: Ego uobiscum sum oĩbus diebus, usq; ad consummationem seculi? Si pollicetur se ope sua adfuturum discipulis, quomodo non adesset etiam matri? Non est igit sentiẽdum, ꝙ Christus hac cõmendatione, qua tradidit matrem Ioanni tuendam, abiĩciat curã matris suæ: sed significare uoluit, se exigere, ut cùm ipse ingrediatur nũc regnum spirituale & cœleste, simus in hac terra cooperarij sui in tuẽdis uiduis & pupillis. Nam quẽadmodum ipse quidem regit, gubernat, seruat & dilatat in his terris Ecclesiam solo Spiritu sancto suo, & tamen cooptat sibi cooperarios, ut Paulus ait, Apostolos & ministros Ecclesiæ, quorum ministerio opus suũ perficit: ita solus ipse autor est, quo defenduntur uiduæ & pupilli, nihilominus tamen exigit, ut cognati, amici, magistratus, & proximi quicq; sint in his tuendis, ministri & cooperarij sui. Voluit Christus hac cõmendatione etiam illud significare, ꝙ Christianismus non constet abiectione naturalis affectus, quem σοργὴν uocant, q̃d hypocritæ sentiunt, sed constet potius expurgatione, & conseruatione eius. Dictum quidẽ est: Qui amauerit patrem aut matrem, aut filium, aut filiam, supra me, non est me dignus. Non est aũt dictum, hos omnino non esse amandos. Quin potius, qui naturalem erga parentes aut liberos suos affectum exuit, & abiĩcit, infideli deterior est. Quare insigne pietatis exemplum est, ꝙ Christus in cruce, in extremis uitæ suæ periculis, publicè significet, pudicitiam & honestatem matris summæ sibi curæ esse. Et tñ maluit in hac commendatione uocare eam mulierem, quàm matrem, non tam hoc noĩe, ne matris uocabulo maiori ipsam tristicia afficeret, quàm ut significaret, ꝙ etsi Maria est corporalis mater eius, in hoc tamen opere sacrificij, quod iam pro peccatis totius humani generis peragebat, nullam haberet præ alijs apud ipsum prerogatiuam, sed tantum acciperet, quantum crederet, & fieret ei, sicut alijs, iuxta fidem suam, non iuxta carnis prærogatiuam. Nam & aliâs durius eam alloquitur: Quid est, ꝙ quærebatis me? Et: Quid mihi & tibi est mulier? Et: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Omnino enim cauere uoluit, ne ex matre sua deam mediatricem, & reconciliatricem faceremus: hoc est, ne officium, quod soli filio Dei competit, in matrem eius transferremus. Sentiamus igitur Mariam uirginem, matrem Dñi nostri Iesu Christi, esse mulierem præ reliquis omnibus mulieribus, siue Patriarcharum, siue Monarchaꝝ benedicta m, non aũt esse ut reconciliatricem, & iræ diuinę placatricem inuocandam, quippe ꝙ officium reconciliationis & placationis ad solum filium eius pertineat. Sed res ipsa exigit, ut non solum colloquium Christi cum Maria, uerumetiam miserabilem clamorem Christi in cruce audiamus. Quanquam enim noster Euangelista nullam faciat de hoc clamore mentionem, propterea quòd antea satis copiosè ab alijs Euangelistis descriptus fuerat, tamen quia uersamur nunc in explicanda Passionis Christi historia, & hic clamor præcipua est significatio & testimonium extremi cruciatus Christi, non est cõ

Christum matrem cur alteri commendarit.

Christianismus non pugnat cum σοργῇ physica.

De Maria matre Iesu quid sentiendum.

mittendum

mittendum,ut silentio eum prętereamus.Cùm.n.Christus antè conspu tus,flagellatus,& nunc cruci affixus,uideret se nõ solum ab oĩbus deser tum,irrisum,adeoq; conuicijs nõ tam à Pontificibus & uulgo,q̃ à latro ne prosciſſum,uerũetiam solem retrahere lumen suũ,& tribus cõtinuis horis horribiles fieri tenebras,ac nullam omnino nec in terra nec in cœ lo opem sentiret,erumpit tandẽ in hanc exclamationem:O Deus meus Deus meus,quid me dereliquisti? Non mirandũ esset,si simplex quispi am homo, uel media tm̃ parte tantorũ dolorũ grauatus,sic exclamaret, & se à Deo derelictũ conquereretur. Sed hoc demũ ualdè mirãdum est, q̃ Iesus Christus,omnipotentis Dei oĩpotens filius,permittat sibi sic cla mare & conqueri. Alius quidẽ aliter excusat. Nos uerò rem paucis,ut se se habet,exponemus. Christus .n. non sic intelligit clamorem suum, q̃ sentiat se prorsus,& omni modo à Deo desertum. Quõ enim sic intelli geret,cũ in cruce & morte maximè oĩm à Deo uerè sit seruatus? Quõ sen tiret se omnino à Deo Patre abiectum,cùm mox commendet in manus eius spũm suum? Sed sentit se eo modo desertum,q̃ Patriarchę,Prophe tæ,& alij pij sępe ac multum diuinitùs sunt adiuti. Cuius rei non possu mus meliorem testem & interpretem habere, q̃ eum ipsum Psalmum, è quo hic clamor sumptus est. Postq̃ enim filius Dei in Psalmo 21. excla masset: Deus meus,Deus meus,quare me dereliquisti? addit: In te sper rauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerũt, & salui facti sunt. In te sperauerunt,& non sunt confusi. Ego aũt sum uer mis,& nõ homo,opprobrium hoĩm,& abiectio plebis. His uerbis haud obscurè significat filius Dei,se loqui de externa & corporali liberatione, quæ solet pijs in hac mundana uita mirabiliter diuinitùs contingere. Ia cob Patriarcha uehementer metuit sibi ab irato fratre suo: Clamauit ad Deũ,qui muniuit eum castris angelorũ,& liberatus est. Moses uenit cũ Israelitis suis ad mare rubrũ,& cùm à fronte altitudine maris,à lateribus altitudine montiũ prohiberetur,ne posset insequentẽ hostem effugere, clamauit ad Deũ,ac liberatus est mirabiliter. Dauid circundatus fuit ab exercitu Saulis in modũ coronę,ut nõ posset euadere: Sperauit in Deo, & clamauit ad Deum,ac liberatus est. Elias capiẽdus iam erat à quinqua genario & comitibus eius: Clamauit ad Deũ,& descẽdit ignis de cœlo, q̃ & quinquagenariũ,& oẽs comites eius deuorauit. Elizęus cinctus fuit exercitu Syrorũ,qui ad capiendum eum emissi erant: Clamauit ad Deũ, & nõ solum liberatus est ipse,uerũetiam duxit hostes, quasi captiuos, in mediũ Samariæ. Quid plura? Sacræ literæ plenæ sunt his exemplis,qui bus probatur Patriarchas & posteros eorũ clamasse in periculis ad Deũ, & seruatos esse admirando modo. Ego uerò (inquit filius Dei) sum uer mis,& nõ homo. Ego clamo quidem,sed reputor tanq̃ uermis. Non est Deus, q̃ me ita exaudiat, ut me ex his periculis admirabiliter, uel misso angelo,uel misso igni in hostes meos, liberet. Necesse habeo à Deo & hoĩbus desertus,pendere hic & mori. Vides igitur clamorem filij Dei in cruce non esse uel fictum uel falsum,sed uerissimum. Etsi enim nunq̃ sic est à Deo desertus, ut non præstò ei adfuerit cœlesti suo præsidio,& seruauerit eum sempiterna salute,tm̃ hoc tẽpore sic fuit ab ipso desertus

Christi clamor in cruce.

Christus quo modo desertus à Deo in cruce.

in cruce,ut non eripuerit eum de cruce,uisibili &externo miraculo,quẽ admodum antè sæpenumero Patriarchas &posteros eorũ è præsentibus periculis eripuerat,& in hac corporali uita diutius seruauerat.Potuisset quidem Christus,diuina sua potentia efficere,ut illæsus de cruce descenderet,id quod impij postulabant: Sed maluit obedire Patri suo usq; ad mortem crucis, q̃p maiestatem potentiæ suæ pro impiorũ libidine ostentare, ut & pctã nostra morte sua expiaret,& nobis salutem, etiam in media cruce & morte nostra impetraret. Quanq; enim Deus solet pios in hac corporali uita sæpenumero clemẽter & admirabiliter seruare, tñ nec esse habent uel tandem mortem obire.Quid igit dicemus? Num,quia tunc non liberantur corporaliter,dicemus eos uel non speraſſe in Deũ, & nõ clamasse ad eum,uel ipsos à Deo desertos esse? Nihil certè minus. Deseruntur quidem tunc à Deo, ut non seruentur externa liberatione, quẽadmodum antea sæpè seruati sunt,sed non deseruntur uera & cœlesti liberatione. Vide mihi Christum filium Dei.Qui nunc clamat:Deus meus,ut quid me deseruisti? paulò post è mortuis tanta gloria resurgit, ut manifestum sit,eum,hoc rempore,quo sic clamauit, tanta Dei potentia munitum fuisse,ut & crucem & mortem,& Satanam & infernum expugnauerit. Talis est conditio oĩm eorũ, qui sunt membra Christi per fidem. Nunc enim seruantur admirabiliter in hac corporali uita, nunc deseruntur,ne sic seruentur: sed non deseruntur,ut pereant. Tunc enim maximè oĩm in Christo seruantur, cùm uidentur sibi omni externo auxilio & liberatione destituti. Quare comprehensi in extremis periculis, non abijciamus animum, etiamsi non seruemur externis miraculis: sed consideremus clamorem istum Christi filij Dei in cruce, & cogitemus, q̃p quemadmodum nos præsenti sensu in ipso includimur, & existimamus nos diuino auxilio destitutos, ita includamur etiam & comprehendamur in cœlesti illa salute,qua filius Dei à Patre suo seruatus est,qua & nos uerè seruabimur per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spũ sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXIIII.

HAbemus,inquit Apostolus,Pontificẽ,nõ qui nõ posset affici sensu infirmitatũ nostrarum,sed tentatum per oĩa,iuxta simĩlitudinem,absq; peccato. Cũm.n.Põtifex noster tradidisset se sacrificandũ pro pctis nostris, non susceptit tm̃ spirituales, sed etiã corporales afflictiones,& affixus cruci, non tã uirulẽta impiorũ conuicia,in animo,q̃p extremam sitim in corpore pertulit. Debuit eñ, ut idem Apostolus ait,per oĩa fratribus similis reddi,ut misericors esset & fidelis Pontifex,in his, quæ apud Deum forent agenda, & posset his qui tentantur succurrere.Quare accedamus nunc ad explicandam sitim filij Dei,quæ adhuc ei deerat,ut oĩa passionis & cruciatus genera absol-
» ueret.Postea(inquit)sciens Iesus,q̃p oĩa iam consummata essent,ut con-
» summaretur scriptura,dicit,Sitio. Vas igit erat positum aceto plenum.
» Illi uerò impleuerunt spongiam aceto,& hysopo,& imposĩtam admoue-
» runt ori eius.Non dubiũ est, quin filius Dei uehementer sitierit animo
Christi sitis in cruce. suo salutẽ humani generis.Hæc sitis excitauit eum, ut è cœlo descende-

ret,

ret, ac se cruci affigi pateretur. Sed hoc loco fit sermo de corporali siti. Nec mirum est, cp ærũnis, doloribus animi, cruciatibus, & effusione sanguinis sic exhaustus, maximã sitim contraxerit. Hoc demũ mirũ est, cp filius Dei, Dñs cœli & terrę, creator maris & fontiũ, in eam uenerit necessitatem, ut grauitatẽ sitis suę publicè sit cõquestus. Sed bñ habet. In hanc necessitatẽ coniecit eum, nõ aliqua sua ipsius impotẽtia, sed immensa caritas, qua Ecclesiam suã cõplexus est, & qua uolũtati Dei Patris sui obedire uoluit. Inter pctĩ emñ supplicia, etiã sitis molestia numeratur. Seruies, inqt, inimico tuo, quem emittet tibi Dñs, in fame, SITI, nuditate, & omni penuria. Cùm igit filius Dei suscepisset pctã Ecclesię suę expianda, per supplicia, debuit & sic inimicis suis subĵci, ut maxima siti premeretur, quò perfecta fieret pcr̃ expiatio. Deinde uidit hanc esse uoluntatem Dei patris sui, ut non tam siti cruciaretur, cp de ea publicè cõquereretur, quò periculũ faceret, num hic mundus, uel aliquo saltem misericordiæ affectu erga ipsum, in extrema miseria, tãgeretur, & uel uilissima officia in eum conferret. Quid ergo factũ est? Tantũ abfuit, ut mundus aliquã calamitatis eius rationẽ habuerit, ut potius eam, quoquo modo potuit, auxerit. Non postulauit filius Dei ad sedãdam sitim suã aliquod preciosum uinũ, sed tñ poculum aquę frigidę. Quid facilius, quid uilius potuisset homini tã misero dari? Et tñ ne hoc quidem potuit ab ingrato mundo impetrare. Non. n. potant eum uel uino uel aqua, sed aceto, quò in tãtis ærũnis plus doloris haberet. O crudelitatem, ô immanitatem plus cp ferinã, quæ & tanti reputata est, ut filius Dei de ea cõquestus sit, priusq; hoiem assumpsisset. In Psalmo enim 68. sic ait: Dederunt in escam meã fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Si in humido ligno hæc faciunt, quid facient in arido? Si Dñm tam immaniter tractant, quid facient seruis? Cùm igitur hic mundus tanta immanitate in filium Dei sæuierit, ut in summa eius siti potauerit eum aceto, nõ expectet Ecclesia eius ab hoc mundo nec meliora, nec humaniora. Quem tu, inquit filius Dei in eodẽ Psalmo, percussisti, persecuti sunt, & super dolorem uulnerum meorũ addiderunt. Quod ergo homines filio Dei palãm facere cœperunt, hoc nunc in Ecclesia eius prosequi pergunt. Vident eam deiectam, & insultant pedibus. Vident eam contemptam, & cumulant conuicia cõuicijs. Vident eam ab hostibus uictam, & accusant ipsam seditionis & impietatis. Si quis pius paupertate premitur, habetur socors & ignauus. Si uitã agit in exilio, habetur ueluti pestis, ne contagione eius alĵ inficiantur. Hoc certè uerè est in siti sua aceto potari. Quid igitur faciamus? aut quò nos uertamus? Non alienum fortasis à nostris ærumnis esset, si & nos exẽplo Eliæ, peteremus animæ nostræ, ut moreremur, & ut diceremus: Sufficit nobis Domine, Tolle animas nostras, Necq; enim meliores sumus, cp patres nostri. Sed siquidẽ Domino uisum est, ut diutius in hoc ingrato mũdo uitam agamus, officĵ nostri erit, ut pergamus nostrę uocationi seruire, salutem Ecclesiæ quoquo modo possumus iuuare, ingratitudinem mundi & acetum eius, quo nos potat, excelso animo ferre, cõsolantes nos, & acquiescentes in filio Dei Domino nostro Iesu Christo, & expectantes operis nostri remunerationẽ, non ab immundo hoc mũ

Eccl-siam mundus potat aceto.

do,cuius præmia minora ſunt,quàm quæ poſsint nobis ſatisfacere: ſed à Deo Patre Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui reddet nobis mercedem tantò copioſius, quantò indignius ab hoc ſcelerato mundo tractamur.

29 Sed reuertamur ad propoſitum. Cùm ergo accepiſſet Ieſus acetum, di-
30 xit: Conſummatum eſt. Hoc eſt,poſtq̃ iam in ſiti mea potatus ſum aceto,omnia quæ Pater de meis afflictionibus ſtatuit,& quæ Prophetæ de mea Paſsione & Cruce deſcripſerunt,conſummata, perfecta & impleta ſunt: nec quicq̃ aliud reliquum eſt,q̃ ut tradam ſpiritum. Hęc uox conſideratu digniſsima eſt,quæ cùm perſpicuè ſignificet,nunc eſſe conſummatam coram Deo oĩm peccatorum noſtrorum expiationem,non grauabimur uaticinia Prophetarum de Paſsione Chriſti cõmemorare, & cum rebus ipſis in Chriſto geſtis conferre, ſimul ut cognoſcamus hunc Ieſum eſſe uerum illum Chriſtum,qui per Prophetas ſit promiſſus,nec alium nobis Chriſtum & Saluatorem expectandum: ſimul ut ſciamus hoſtes non poſſe nec Chriſto nec Eccleſiæ eius uel plura uel maiora aduerſa inferre,quàm quæ diuinitùs ſunt definita & conceſſa.

Vaticinia de Paſsione Chriſti.

1. Pontifices ineunt conſilium,ut Chriſtum morti traderent. Pſal.2. Aſtiterunt Reges terræ & Principes conuenerunt in unum, aduerſus Dominum,& aduerſus Chriſtum eius. Et Pſal. 40. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei,aduerſum me cogitabant mala.

2. Venditur Pontificibus triginta argenteis. Zach. 11. Appenderunt mercedem meam,triginta argenteos.

3. Proditur à ſuo ipſius diſcipulo. Pſal. 40. Homo pacis meæ,in quo ſperaui,qui edebat panes meos,magnificauit ſuper me ſupplantationẽ.

4. Deſeritur ab omnibus ſuis diſcipulis. Zach. 13. Percute paſtorem,& diſpergentur oues gregis.

5. Capitur, illuditur, percutitur, conſpuitur & flagellatur. Eſaiæ 50. Corpus meum dedi percutientibus,& genas meas uellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.

6. Congregatur aduerſus eum omnis populi cœtus, & petitur ad mortem. Pſal.21. Circundederunt me uituli multi, tauri pingues obſederunt me. Aperuerunt ſuper me os ſuum,ſicut leo rapiens & rugiens. Ac mox: Circundederunt me canes multi,conſilium malignantium obſedit me. Et Pſal. 68. Multiplicati ſunt ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Et iterum: Aduerſum me loquebantur qui ſedebant in porta,& in me pſallebant,qui bibebant uinum.

7. Crucifigitur. Pſal. 21. Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia oſſa mea.

8. Crucifigit inter duos latrones. Eſaiæ 53. Cũ ſceleratis reputatus eſt.

9. Pendet in cruce adeò deſertus,& contẽptus,ut uideatur à Deo abiectus,& ſit oĩbus hoĩbus abominabilis. Pſal.21. Oẽs uidẽtes me deriſerũt me, locuti ſunt labĩs & mouerũt caput. Sperauit in Deo,eripiat eũ,&c. Pſal.68. Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filĩs matris meæ. Eſaiæ 53. Deſpectus & nouiſsimus uirorũ, plenus doloribus & infirmitatibus, Adeò contemptus,ut auerterentur uultus ab eo,&c.

10. Milites partiuntur ueſtimẽta eius,& ſortiuntur de tunica. Pſal.21.

Diuiſerunt

Diuiserunt sibi uestimenta mea, & super uestem meã miserunt sortem.

21. Potatur in siti sua aceto. Psal. 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.

22. Tradidit spũm, & mortuus est. Esaiæ 53. Tradidit in mortem aiam suam. Dan. 9. Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, &c.

Habes ea, quæ de passione Christi definita erant, consummata & impleta esse. Postq̃.n. accepisset acetum, dixit ipse publicè: Consummatũ est. Et inclinato capite tradidit spũm. Potuisset adhuc diutius uitã in cruce agere. Etsi.n. plurimum erat uiribus suis ex tot ærumnis & doloribus fractus, tñ nondum ita defecerat, ut necesse habuerit præ imbecillitate aiam efflare. Voluit aũt tempus extremę defectionis preuenire, & spũm ante id tradere, primùm, q̃ iam omnia, quẽadmodum dixerat, consummata & impleta essent. Quid igitur opus erat diutius uiuere? Deinde, ut significaret, se suscipere mortem, non coactum humana crudelitate, sed spõtanea sua uoluntate. Ego pono, inquit aliâs, animam meã, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatẽ habeo rursus sumendi eam. Quid ergo nũc faciamus? Num aspiciamus mortem Christi, sicut alicuius sancti hoĩs uel Patriarchæ, uel Prophetę? Nihil minus. Meminerimus hãc esse mortem non filij tm̃ hominis, sed etiã filij Dei. Et suscepit eam filius Dei, ut Testamentum suũ, quod cum populo suo condiderat, confirmaret. Ex Epistola enim, quæ ad Hebræos scribitur, notum est, q̃ ubi est Testamentum, ibi mors intercedat necesse sit testatoris. Nam Testamẽtum in mortuis ratum est, quandoquidem nondum ualet, cùm uiuit testator. Testamentum aũt, quod filius Dei condidit cum populo suo, ut ab initio orbis suo quodam modo uulgatũ fuit, ita Propheta Hieremias literis perspicuè mãdauit: Ecce (inquiens) dies uenient, dicit Dñs, & consummabo super domum Israel & super domum Iuda fœdus, seu Testamentũ nouum. Non secundum Testamẽtum, quod feci patribus illorũ. Et paulò post: Propiciabor iniquitati eorũ, & peccati eorũ non recordabor amplius. En hoc est Testamẽtum, hæc sunt bona, quæ filius Dei legat populo in nouo suo Testamento: Propiciabor (inquit) iniquitati eorum, & peccati eorũ non recordabor amplius. Cũm igit̃ filius Dei, qui est huius Testamẽti testator, susceperit nunc mortẽ, & tradiderit spũm suũ, dubium nõ est, quin hoc Testamẽtum sit firmum ac ratum, ut nihil certius iam sit, quàm q̃ Deus sit placatus, & pctã populi ita sint expiata, ut Deus nunq̃ eorũ amplius meminisse uelit. Non RECORDABOR, inquit, amplius. Vnde & Petrus ait: Christus semel pro pctis mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos adduceret Deo. Non est aũt sentiendum, q̃ quẽadmodum paucis uerbis dicitur, Christum pro peccatis nostris mortuum, ita pauca nobis præstiterit, & pauca his uerbis comprehendantur. Postq̃ enim mors Christi filij Dei, pctm̃ ita expiauit, ut Deus sit placatus, & nõ uelit amplius pctī meminisse, primũ quidem mors Christi destruxit & aboleuit mortem ipsam, quæ erat stipendium peccati, ut deinceps non possit his, qui habent remissionem peccati in Christo, nocere. Quod cùm Propheta Esaias in morte Christi futurum uideret,

Mors Christi confirmatio testamenti.

Hiere. 31.

Mors Christi abolitio mortis.

Esaiæ 25. exclamat: Præcipitabit in monte isto faciem uinculi colligati super oẽs populos,& telam,quã sortitus est,super oẽs nationes. Precipitabit mortem in sempiternum,uel,ut aliâs legitur: Absorbebit mortem in uictoriã. Et Oseas: Ero mors tua,ô Mors,ero morsus tuus inferne. Et Paulus: Gratia Dei(inquit)palàm facta est, per apparitionem seruatoris nostri Iesu Christi,qui MORTEM quidem ABOLEVIT, uitam aũt in lucẽ produxit,& immortalitatem per Euãgelion. Quis aũt satis dignè posset hoc mortis Christi beneficium explicare,ꝙ per hanc mortem,etiam nostra mors sit sublata? Quotquot igitur in Christum credunt,tm̃ abest, ut moriantur, etiamsi uideantur mori, ut potius per mortem in ueram & æternam uitam ingrediantur. Non apparet hoc in oculis hominum, sed quid humanis oculis,in cœlestium rerum consideratione magis cæcum? Videbatur & filius Dei ita mori,ut periret, sed tertius dies manifestè declarabat,eum morte intantum non perñsse,ut potius per eam in trauerit in maiestatem regni cœlestis. Sic & Deus eos,qui obdormierũt per Iesum, ut Paulus loquitur, adducet cum illo. Deinde mors Christi destruxit & aboleuit tyrannidem Satanæ, quam in hominem ꝓpter peccatum exercebat. Abolito enim peccato,abolitum sit peccati supplicium necesse est. Filius Dei,inquit Epistola ad Hebræos,particeps factus est carnis & sanguinis,ut per mortem aboleret eum,qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum, & liberos redderet eos, quicunꝙ metu mortis,per oẽm uitam,obnoxñ erant seruituti. Cùm igitur filius Dei expiato morte sua peccato,destruxerit ac aboleuerit nobis mortem & mortis Imperatorem, agite, amicissimi, expergiscamur fiducia mortis Christi aduersus oẽm Satanæ insultum,concipiamus ex morte Christi excelsum animum aduersus omnia mortis terriculamenta, declaremus nos obedientia nostra erga filium Dei tantũ benefactorem gratos, & cùm in morte Christi mortui simus peccatis, non excitemus iterum in nobis peccata,sed uiuamus iusticiæ, ut illæsi mortem & tyrannidem Satanæ euadamus, per Iesum Christum Dominum nostrum,qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Mors Christi abolitio tyrannidis Satanæ.

Ose. 13. 2. Timoth. 1.

HOMILIA LXV.

VIdimus filium Dei crucifixum,& mortuum. Videamus eum nunc de cruce sublatum,&in sepulchrum cõditum. Sic enim docuerunt nos maiores nostri articulos Religionis nostræ in Symbolo Apostolico recitare: Crucifixus, Mortuus & Sepultus. Ac profecto, si de huius symboli articulis rectam intelligentiam,& firmã fidem haberemus,dubium non est,quin nõ solum aduersus oẽs Ethnicas,Epicureicas,Thalmudicas,Alcoranicas, addo etiã Põtificias & Monasticas opiniones,uerũetiam aduersus oẽs Satanæ insultus satis muniti essemus. Sed pergamus in nostro proposito. Iudęi ergo quoniam Parasceue erat,ut non remanerent in cruce corpora Sabbato. (Erat.n.magnus dies ille sabbati)rogauerũt Pilatum, ut frangerent̃ crura eorꝝ,ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidẽ fregerunt crura,& alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum aũt cùm uenissent, ut uiderunt eum iam mortuũ,non fregerunt eius crura;sed unus militũ

lancea

lancea latus eius fodit,& continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui uidit te-
stimonium perhibuit,& uerũ est testimoniũ eius. Et ille scit, ꝙ uera di-
cit,ut & uos credatis. Facta sunt.n.hæc ut scriptura impleretur: Os non
cõminuetis ex eo. Et rursus alia scriptura dicit: Videbunt in quẽ pupu-
gerunt. Quod Iudæis cõsuetum erat,hoc etiã nunc de seipsis testificant.
Sequunt iusticiam legis: sed eum, q̃ est finis & perfectio legis,crucifixe-
runt & occiderunt. Extat.n.lex Deut.21. ꝙ qui appensus fuerit in patibu
lo,nõ permaneat cadauer eius in ligno,sed eadẽ die sepeliatur. Hanc le-
gem student Iudei seruare. Imminebat etiã altero die tale festum, q̃d du
plici noie magnum & insigne habebatur. Altero, ꝙ esset Sabbatum,di-
uinitùs uidelicet institutũ. Altero, ꝙ eo anno caderet festum Paschę,iu-
xta maiorũ traditionẽ,in illum diem. Quare etiãsi nulla lex extaret de de
ponendis cadaueribus è cruce, uidebatur tñ Iudæis tã celebris dies hac
depositione honorãdus esse. Sed ô iusticiã, ô sanctitatem. Qui Sabbatũ
instituerat, q̃ sabbatis,ex Propheticis ꝓmissionibus docebatur, qui ma
iores illorũ sanguine agni Paschalis in Aegypto seruauerat, q̃ eos in no
cte festi Paschę è seruitute Aegyptiaca liberauerat,& qui per agnum Pa
schalem adumbrabatur,hic ab ipsis crudelissimè interficitur. Sed igno-
rauerunt(inquis)eum hunc reuera esse, alioqui Dñm glorię nunq̃ cru
cifixissent. Ignorauerunt. Non nego,sed ignorauerunt sua ipsorũ culpa.
Christus Euãgelion suũ palàm docuit. Et doctrinam suã manifestis mi-
raculis,antea nunq̃ nec uisis nec auditis,cõfirmauit. Et competebant in
hunc Iesum oĩa,quæ Prophetę de progenie Christi,de tẽpore aduentus
eius,de loco natiuitatis eius, deq̃ alĩs circumstantĩs eius, uaticinati e-
rant. Quòd si tã sitientes fuissent ueræ iusticiæ,& uerę cognitionis Chri
sti,q̃ sitientes fuerunt humanę glorię,pecunię,uoluptatis, & carnalis li
bertatis,fieri nõ potuisset,quin eum,quis,aut qualis esset cognouissent.
Fingamus aũt, ꝙ siue ingenĩ stupore,siue alia causa, non potuissent co-
gnitione sua assequi,hunc Iesum esse uerũ Christum,potuissent tñ ex te
stimonio Pilati,& ex multis alĩs rebus cognoscere,eum saltem esse uirũ
innocẽtem,& tam crudeli morte indignum. Quis igiẽ obseruationẽ hu
ius legis,de deponẽdis cadaueribus è cruce,& ueneratione diei festi, in
tam sceleratis,& crudelibus hoĩbus,pro iusticia reputaret? Sed talis est
iusticia oĩm Ethnicorũ,Mahumetistarũ, Hypocritarum & Monachorũ,
qui sectantur quidẽ externa opera iusticię,ignorant aũt,aut contẽnunt,
aut non rectè agnoscunt Iesum Christum, qui solus est uera nostra iusti
cia per fidem. Considera enim mihi cum animo tuo, num tuipse habe-
res aliquam rationem eius beneficĩ,quod in te uicinus quispiam ita col
locaret,ut externum quidem opus beneficĩ utcunq̃ prẽstaret, in corde
aũt non solum persequeretur te extremo odio, ueruetiam cuperet om-
nem salutem tuam extinctam? Ac talis est iusticia omnium impiorum,
seu eorũ,qui nõ sunt uerè in Christo filio Dei renati. Dicũt in corde suo:
Non est Deus. Nihil quidem minus dicere uideri uolunt. Sed alius est
uisus Dei,alius uisus hominum. Nam cùm impĩ,seu non renati in Chri
sto,sint mancipia Satanæ,& Satã cupiat iam inde ab initio sui casus,oẽm
gloriam filĩ Dei deletam & extinctam,fieri non potest, ut non & man-

Iusticia eorum,qui in Christo non sunt renati, qualis.

cipia eius idẽ sentiant,&toto animi desiderio cupiant.Quæ sentẽtia,etsi nõ semper sese prodit,(Recondit.n.sese in latebris animi)tñ cũ data fuerit occasio,per tẽtationes,per afflictiões,per periculoꝝ difficultates,ibi tum ingeniũ impioꝝ teneri nequit,quin oẽs cogitationes suas,quas dũ res adhuc prosperę essent,in recessibus animi sui occultauerat,palàm reuelet,& horribiles quasq; blasphemias,iuxta dictata Satanę,in cuius potestate est, in filium euomat.Qui aũt filium Dei odio habet,quõ Deum Patrem eius diligeret? Qui aũt non diligit Deum,quã faceret iusticiam, quæ ei placeret? quem prȩstaret cultũ,qui ei gratus esset? Quare,etsi impij,siue illi Ethnici,ludęi &Mahumetistæ,siue isti hypocritæ inter Christianos,uidẽtur iusticiã facere,tñ quia sunt sine Christo, propter quem solum reputamur corã Deo iusti per fidem, iusticia eoꝝ nõ est tanti momenti,ut ꝓpter eam Deus sit ipsis propicius,&donet eis fœlicitatẽ cœlestis regni.Sed redeamus ad Iudęos,qui rogauerũt Pilatũ, ut exuuię crucifixoꝝ tollerẽtur de cruce.Hi.n.significant hac sua petitione, q; crucifixi,ac prȩcipuè Iesus,quẽ inter latrones iudicabant sceleratissimũ,essent corã Deo tã maledicti,ut si diutius uno die in ligno penderẽt, terra ipsa cõtaminaretur.Sic.n.lex dicit:Maledictus oĩs qui pẽdet in ligno.Et nequaq; contaminabis terram tuã,quã Dñs Deus tuus dederit tibi in possessionẽ.Sed benè habet.Christus,inqt Paulus,redemit nos à maledictione legis,dũ pro nobis factus est maledictio.Quare tñ abest,ut execrãdi illi Iudęi abalienẽt nos hac sua opinione, à Iesu Christo Dño nostro, ut potius admoneant nos,q; habeamus in ipso oẽm cœlestem bñdictionem.Cęterùm,ne hi,qui crucifixi erant, morarentur protractione uitæ suæ depositionẽ de cruce,decernitur,ut crura eoꝝ frangantur. Itaq; frãguntur quidẽ duoꝝ latronũ crura, cùm aũt uidissent Iesum iam efflasse aĩam,perfodiunt tñ latus eius lancea.Nihil hìc temerè agitur. Etsi.n. Iudęi nihil tale cogitant,tñ implẽt duo uaticinia,quæ in scriptura Prophetica de Christo extabant.Primùm.n.crura non fragũtur Christo,ut scriptura impleretnr,(inqt Euangelista)Os non cõminuetis ex eo.Hoc scriptum est Exo.12.& Num.9.de agno Paschali. Cùm aũt agnus Paschalis fuerit umbra Christi,manifestum est,q; hoc dictum: Os non cõminuetis ex eo,præcipuè in Christum respiciat,significans fore, ut etiamsi decernatur Christo crura frangenda,tamen fieri non possit,ut hoc humanum decretum aduersus Christum promoueat, & uel unũ ex minimis ossibus eius cõteratur.Quod aũt in Christo, capite, semel corporaliter impletum est,hoc semper in mẽbris eius, ἀλληγορικῶς impletur. Sic enim dicit Psalmus:Custodit Dominus omnia ossa eorum,unum ex his non cõteretur.Nam si loquendum est de uniuersa Ecclesia Christi,ne unum quidem uerum membrum eius,ita conteri potest,ut pereat. Ego do(inquit)eis uitã æternam,nec rapiet eas quisq; de manu mea.Et:Quos dedisti mihi ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius ille perditionis. Si autem loquendum est de unoquouis pio priuatim, etsi factum est,& adhuc fieri solet,quòd multorum piorum ossa non solum contundantur,uerũetiam igni ad cineres redigantur, & in mare dispergantur, tamen ne sic quidem pereunt, sed ita conseruantur à Domino, ut restituantur

Christi crura non frangũtur.

tuantur eis, suo tempore, magna maiestate, & durent perpetuis seculis. Quare non exterreamur impiorũ furore, sed bñ confidamus, q̃ certissimi simus in Christo filio Dei, impios ne in ossa quidem nostra pro ipsorum libidine grassari posse. Deinde, etsi Christo nullum crus, nullũ os frangitur, tñ latus eius perfoditur lancea. Hęc temeritas uidetur, si militem perfossorem respicias: Sed si oculos sustuleris in cœlum, diuinũ est consilium. Nam hoc in Christo futurũ, prędixit olim Zacharias, capite duodecimo. Aspicient ad me (inquit filius Dei) quem confixerunt. Ex hoc sentiunt nonnulli, q̃ quẽadmodum Christus post resurrectionem suã ostenderit Thomæ uestigia clauorũ in manibus, & lanceæ in latere, ita ostẽsurus ea sit in nouissimo die, ut impij crucifixores clarè uideant, se non abiectũ homuncionem, sed Dñm maiestatis confodisse, & coram uniuerso mundo pudefiant. Sed hoc utcunq̃ sese habeat, certè illud propheticum dictũ hoc pręcipuè uult, q̃ Christus, uel tandem reuelaturus sit maiestatem suam, ut qui eum crucifixerunt, pupugerunt, confoderunt, & persecuti sunt, reipsa, ingenti suo dolore, luctu & planctu comperiant, se in uerum filium Dei, adeoq̃ in Deum ipsum sæuijsse. Sunt em̃ duo pręcipui dies, quibus filius Dei reuelat suam maiestatem. Vnus est dies Pentecostes, quo impletum est illud, quod in Zacharia præcedit, cùm filius Dei dicit: Effundam super domum Dauid & super habitatores Hierusalem, spũm gratiæ & precum. Alter est dies Nouissimus, q̃ implebitur hoc, quod in Propheta sequitur, & hìc citatur: Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum, quasi super unigenitum. Etsi enim hoc, etiam in die Pentecostes aliqua ex parte cœptum est impleri, dum impij Iudæi necesse habuerunt coràm uidere insignia miracula, quæ in nomine Christi ædebantur, & quibus maiestas Christi patefiebat, ac doluerunt ex animo, tñ perfectè implebitur eo die, quo Christus uenturus est in maiestate sua ad iudicandos uiuos & mortuos. Quare, qui eo die dolere & plangere noluerit, is hoc tempore doleat, & plangat pctã sua, & agnoscat filiũ Dei, ut accepta per ipsum remissione peccatorum, expectet alacri animo aduentũ eius, & fruatur in eo fœlicitate cœlestis regni. Sed hìc mihi, in confossione lateris Christi, uide stupẽdum miraculum. Postq̃ enim unus militum fodit lancea latus Christi, continuò (inquit Euangelista) exiuit sanguis & aqua. Nec est, q̃ dubitemus de huius rei gestæ ueritate. Ipse enim Euãgelista Ioannes αὐτόπτης fuit, & prẽsens eius rei spectator. Ille (inquit) scit, quòd uera dicit, ut & uos credatis. Cuius enim rei gratia mentiretur? An non prẽstò affuerunt multi alij spectatores, à quibus posset, si mendacium scriberet, uanitatis coargui? Cui igitur credimus, narranti Christum ex mortuis resurrexisse, ei etiam meritò credimus commemoranti ex latere mortui emanasse uelut è fonte, sanguinem & aquam. Non est aũt ociosum miraculum & spectaculum. Sanguis enim uitę sedes dicitur. Aqua autem potamur & refocillamur. Cùm igitur ex confosso Christi latere fluit sanguis & aqua, significatur, mortem Christi afferre nobis uitã & recreationem. Ex aliorũ mortuorũ exuuijs non fluit sanguis, sed potius sanies, ex Christo aũt mortuo, fluit sanguis & aqua, hoc est, uita & salus. In præsentia

Christi latus Perfoditur lancea.

Pfingstag/ Jüngstag.

Sanguis & aqua quid significent.

quidem etsi iudicatur hoc in Christi corpore præter rerũ naturam fieri, non tñ eò refertur, ut significet hanc mortem esse nostram uitam: sed cõmorare hic, dum tertius illuxerit dies. Tunc enim manifestum erit, quòd non solum hic Christus, qui uerè mortuus est, uerè uiuat, sed etiã sit nobis ueræ & æternæ uitæ ac salutis autor. Quẽadmdum em̃ per Adam omnes ex ipso nati moriuntur, ita & per Christum omnes ex ipso renati uiuificabuntur. Quare, si te mortis horrores inuaserint, confer te huc ad hunc fontem sanguinis & aquæ, è quo si per fidem biberis, nunquam sities inæternũ. Sed tempus nunc est, ut quem in cruce pro nobis mortuũ uidimus, reuerenter sepeliamus. Posthæc (inquit Euangelista) rogauit Pilatum Ioseph Arimathiensis, qui erat discipulus Iesu, sed occultus, propter metum Iudæorũ, ut tolleret corpus Iesu. Idq; permisit Pilatus. Venit aũt & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primũ, ferens mixturam myrrhæ & aloes ad libras fermè centũ. Acceperũt ergo corpus Iesu, & obuinxerunt illud linteis cũ aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat aũt in eo loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouũ, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorũ, quòd in propinquo esset monumentũ, posuerunt Iesum. Nec hic existimes aliquid temerè fieri. Etsi em̃ Ioseph, Nicodemus, & Pilatus, qui ut alius Euangelista scribit, diligenter inquirit, nũ Iesus sit mortuus, aliud fortasis cogitant, tñ omnia diuinitùs sic administrantur, ut certa extent testimonia Iesum Christum uerè mortuũ esse, & deinceps uerè à mortuis resurrexisse. Nisi enim hæc certissimis testimonijs confirmata essent, in dubio & ancipiti penderet uniuersa salus nostra. Sed benè habet, Christus uerè mortuus est, & sepultus, Verè quoq; à mortuis resurrexit. Ac de Resurrectione quidem eius postea. Nunc de sepultura eius. Non enim sentiamus de sepultura Christi, quasi alicuius de uulgo hominũ, aut etiam Regum, aut Patriarcharũ & Prophetarum. Hi enim in sepulchra sua sic positi sunt, ut quantũ in ipsis erat, pereundum omnibus eis fuisset. Sepultura aũt Christi longè aliter se habet. Primùm enim, quemadmodũ Christus pertulit peccata nostra, sicut Petrus ait, in corpore suo super lignũ crucis, ita etiam pertulit ea in sepulchrum suũ, quò ibi sic conderentur, ut inæternum nunquam in conspectu Dei Patris sui comparerent. Quæ est igitur illa nostra impudentia, & temeritas, quòd ea indies refodere, & iterum in lucem proferre studeamus? Hoc certè non est simpliciter peccare, sed sepulchrum Christi uiolare, hoc est, sacrilegiũ committere. Deinde, Christus sepultura sua dedicauit & consecrauit omniũ credentium in ipsum sepulchra, ut non sint amplius domus perditionis, sed sancta Dormitoria, è quibus ad fœlicitatem æternæ uitæ, & cœlestis regni excitabũtur. Quare, etsi sepulchra uidentur magnam habere in conspectu hominũ fœditatem, tamen ad spectacula eorũ non ita cohorrescamus, ut existimemus ea non esse nisi terram mortis caligine opertam, ut Iob loquitur, Sed summam demus operam, ut Iesum Christum filium Dei accipiamus unà nobiscum in sepulchrum, per fidem. Sic enim fiet, ut non tantũ in sepulchro iucundè quiescamus, uerũetiam ex eo, audita uoce archangeli,

Christi sepultura.

Sepulcrorũ consecratio.

changeli, & tuba Dei, resurgamus, & ducamus uitam perpetuò fœlicem, cum Iesu Christo Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

CAPVT XX.

HOMILIA LXVI.

SI electus ille seruus Dei, Moses, recitaturus miracula, quæ Deus in populo suo Israelitico ediderat, & uaticinaturus, quæ huic populo extremis temporibns euentura essent, excitat ad attentionem, non unum aliquem hominum cœtum, sed cœlum & terram: Audite (inquiens) cœli, quæ loquar, audiat terra uerba oris mei: multò æquius uniuersa rerum creatura, si fieri queat, ad audiendum excitanda esset, in cõmemoratione Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi. Etsi enim multa, & insignia miracula in his terris diuinitùs edita sunt, Resurrectione tamen Iesu Christi filij Dei à mortuis, nullnm unquam nec maius, nec illustrius, nec utilius miraculum iam inde ab initio orbis terrarum factum est. Quare, posthabitis omnibus rebus, dedamus nos toto animo cognitioni huius miraculi, ut & gloriam Dei perspiciamus, & saluti nostrę consulamus. Sed ut historiam, quam Euangelista noster Ioannes de tanto miraculo conscripsit, utiliter audiamus, & ut sciamus, quàm necessarium sit, Resurrectionem Iesu Christi certissimis ac euidentissimis testimonijs probatam & confirmatam esse, exponemus primùm omnium paucis, quantum in hac Christi resurrectione situm sit. Initio enim non est sentiendum, quòd Iesus Christus ita à mortuis resurrexerit, quemadmodum hi, qui uel à Prophetis, uel à Christo ipso ante passionem suam excitati sunt. Hi enim resurrexerunt iterum morituri. Christus autem excitatus à mortuis non amplius moritur, ut Paulus ait, mors illi non amplius dominatur. Deinde non resurrexit sibi tãtum, sed uniuersæ suæ Ecclesiæ. Christus. n. Ecclesiæ suæ caput est. Ecclesia aũt est corpus, ac membra Christi. Si caput resurrexit, necesse habent & corpus ac membra eius resurrectionis participes fieri. Si Deus, inqt Paulus, pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quî fieri potest, ut non & cũ eodem nobis omnia donet? Donat, inquit, nobis omnia, quæ sunt filij eius. Donat igitur nobis etiam Resurrectionem eius. Et iterũ: Cùm essemus, inquit, mortui per delicta, conuiuificauit nos unà cum Christo, (per gratiam estis seruati) simulq; cum eo resuscitauit, & simul cum eo sedere fecit inter cœlestes, in Christo Iesu. Recensemus igitur quædã beneficia Resurrectionis Christi, ut & intelligamus quõ Resurrectio ad nos pertineat. Ac unum quidem beneficiũ est, quòd Resurrectio Christi sit iustificatio nostra corã Deo Patre cœlesti. Traditus fuit (inquit Paulus) propter pcta nostra, & excitatus est propter iustificationẽ nostri. Postquàm enim Christus resurrexit à mortuis, non suscepit corporalem & externam uitam inter homines agendam, quemadmodũ antea egerat,

Resurrectionis Christi beneficia.

sed consedit ad dextram Dei, & intercedit pro Ecclesia sua, ac impetrat etiam, ut Deus Pater reputet, ppter ipsum uniuersam Ecclesiam suã iustam & sanctam. Itaq; resurrectio Christi est iustificatio nostra coram Deo. Aliud beneficiũ est, q̃ Christus resurrectione sua sedit ad dextrã Patris, ut mittat Spũm sanctum in corda nostra, quo regeneremur, adoptemur in filios ac hęredes Dei, inuocemus Deum ut Patrem, & mortificemur carne, ut in nouitate uitæ ambulemus. Aliud beneficium est, q̃ cùm Christus resurrectione sua sedit ad dextram Patris, conseruat & tuetur Ecclesiam suã in omnibus malis, ac in morte quoq; ipsa. Accedit postremò & hoc beneficium, q̃ Christus suscitat nos potentia resurrectionis suæ, in nouissimo die, ut quotquot in ipsum credimus, unà cum ipso uiuamus & regnemus perpetuò. Si credimus, inquit Paulus, q̃ Iesus mortuus est, & resurrexit, sic & Deus eos, qui obdormierunt per Iesum, adducet cum illo. Et iterũ: Quemadmodum per Adam oẽs moriũtur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur: unusquisq; aũt in proprio ordine, primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius. Vides quanta beneficia contingant nobis per Resurrectionem Christi. Sed hæc oĩa essent uanissima somnia, si Christus non resurrexisset à mortuis. Et ut perspicuè Paulus dicit: Si Christus non resurrexerit, inanis esset prędicatio nostra, adhuc essemus in peccatis, & perijssent, qui obdormierunt in Christo. Et si in hac uita spem in Christo tantum fixam habemus, maximè miserabiles oĩm hominum sumus. Quare summa necessitas urget, ut Resurrectio Christi manifestissimis ac certissimis testimonijs confirmetur. Hac enim confirmata, confirmabitur etiam ueritas & certitudo omnis salutis nostræ. Considerandum igitur est, q̃ præcipuum Resurrectionis Christi testimonium sunt uaticinia, quæ Prophetæ Spiritu sancto afflati de ea prædixerunt. Christus enim non ita à mortuis ex improuiso resurrexit, quòd antea de ea resurrectione nihil in Ecclesia Dei constiterit, sed Prophetę adnunciarunt eam perspicuè: Concionati sunt Christum moriturum, & tamen perpetuò regnaturum. Hæc certè manifesta est significatio de Resurrectione eius. Dauid ait: Prouidebam Dñm coram me semper, quoniam à dextris est mihi, ne cõmouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meã in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi feciſti uias uitæ, replebis me iucunditate cum facie tua. Nam hunc Psalmum concionari de Resurrectione Christi clarè testantur Petrus & Paulus. Audiamus & Michęam: Ascẽdet, inquit, ante eos pandens iter, seu Perruptor, ac perrumpent ipsi quoque, & ingredientur ac egredientur per portam. Rex eorum præibit eis, & Dominus erit dux eorum. Hæc concio Michęæ, non solum docet Christum perrupturum per crucem & mortem ad cœlestem uitam, hoc est, resurrecturum à mortuis, uerumetiam effecturum sua resurrectione, ut quotquot in ipsum credunt, unà cum ipso perrupturi sint per omnia genera malorum, ad uera & perpetua bona. Nec ipsam tantum Resurrectionem Christi docuerunt Prophetę, sed etiam tempus, tertium uidelicet

Resurrectionis Christi testimonia.

Actorum 2.
Actorum 13.
Mich. 2.

cet diem,quo Christus sit resurrecturus,significârunt. In Osea enim dicunt pñ: Venite reuertamur ad Dñm,quia ipse apprehendit nos, & sanabit,percussit & curabit nos. Viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos,& uiuemus in cõspectu eius: hoc est,Resurrectio Christi,quæ fiet tertia die, erit etiam nostra uiuificatio, suscitatio, & redemptio. Nam ꝙ Ionas tertio die è uentre ceti liberatus adumbrauerit Resurrectionem Christi tertia die à morte fiendam, Christus ipse testificatur. Cùm igitur hæc Prophetarum testimonia conferuntur cũ his, quibus postea Christum uerè à mortuis resurrexisse probatur, maximum certè pondus confirmationis habent. Deinde concionatus est & Christus clarè de sua resurrectione, priusꝙ morti traditus est: Soluite, inquit,templum hoc,& in tribus diebus reædificabo illud. Et iterum: Filius hominis tradetur Gentibus, & postꝙ flagellauerint occident eum, ac die tertia resurget.Et rursus: Scriptum est, Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis. Postquàm aũt surrexero, præcedam uos in Galilæam. Atꝙ hæc & id genus alia,dicta sunt anteꝙ Christus à mortuis resurgeret,imò antequam moreretur,ut manifestum sit,Resurrectionem eius Spiritui sancto haudquaquam fuisse ignotam. Postꝙ uerò iam à mortuis resurrexit, non ita sese ex oculis hominum proripuit, ut sibi soli nota esset resurrectio, sed reuelauit eam quasi gradibus quibusdam,& selegit sibi quadraginta dies, in quibus non solum proposuit se discipulis suis,plusꝙ quingentis,conspiciendum & contrectandũ, uerumetiam collocutus est cũ ipsis familiarissimè, & docuit eos de regno Dei,de uera & æterna uita,clarissimè.Nec ipse solum resurgere uoluit, sed excitauit etiam secum multos pios Patriarchas, qui egressi è monumentis,ut Matthæus ait,post resurrectionem eius uenerunt in sanctam ciuitatem,& apparuerunt multis,profectò minimè muti, sed colloquentes de uera pioꝝ iustícia,& perpetua eorum in Christo fœlicitate.Quæ omnia huc respiciunt, ut non tantum resurrectio Christi certissimis testimonijs confirmaretur, uerumetiam æterna piorum uita & beatitudo probaretur. Audiamus igitur huius tanti miraculi reuelationem, & confirmationem. Initio autem proponitur & ostenditur sepulcrum uacuum.Primo die,inquit Ioannes,Sabbati(seu hebdomadæ,qui est is dies,quo Iesus à mortuis surrexerat) Maria Magdalene uenit manè, cũ adhuc tenebræ essent,ad monumentũ, uidetꝙ lapidem sublatum à monumento.Quis autem lapidem reuoluerit, Matthæus exposuit: Terræmotus,inquiẽs,factus est magnus.Angelus enim Dñi descendit de cœlo,&accedens deuoluit lapidem ab ostio,sedebatꝙ super eum.Cùm ergo Maria Magdalena uideret lapidem deuolutum, existimauit Iesum esse è monumento sublatum. Et currit & uenit ad Simonem Petrum,& ad alterum illum discipulum,quem amabat Iesus, & dicit eis: Sustulerunt Dñm è monumento,& nescimus ubi posuerint eum. Alij Euangelistæ scribunt alias quoꝙ mulieres egressas,ut ungerent Iesum. Sed ex hoc Ioãnis loco apparet Mariam Magdalenam,relictis post se alijs,primam omnium & solam,cùm adhuc tenebræ essent,ad monumentũ uenisse,alias autem orto iam sole secutas.Obsecro igitur te,quid est,quòd

Resurrectio Christi cur primum mulieribus reuelata.

Christus maluerit initio resurrectionem suam mulierculis, quàm uiris patefacere? ac inter mulierculas, primæ omnium Magdalenæ? cur non potius matri suæ? Hoc certè haudquaq; temerè factum esse credamus. Primùm enim uoluit Christus, ut mulieres primæ cognoscerent, quid de sepulcro ageretur, ne quid siniſtræ suspitionis oriretur de amoto lapide, & sublato corpore Christi. Mulierculæ enim imbecilliores erant, q; ut potuerint tantam molem amouere, præsertim militibus sepulcrũ custodientibus. Deinde manifestum est, quòd mors primùm omnium orta est per mulierem Euam. Voluit igitur Christus, ut & uita primùm per mulieres adnunciaretur. Præterea muliebre genus contemptum est & abiectũ coram humana prudentia. In lege Mosi, si quis maritus odio haberet uxorem suam, licebat ei leui admodum de causa libellum repudij dare, & à se abijcere. Quidam è sapientibus huius seculi, de mulierũ genere ita ait: Si deũm aliquis mulierem formauit, is sciat se maximum esse opificem malorum, & hominibus maleuolum. Et alius: Vbi mulieres, ibi omnia sunt mala. Honorat igitur Christus muliebre genus prima resurrectionis suæ reuelatione, ut perspicuum fiat, q; etsi mulieres uidentur coram hominibus abiectæ, Deus tamen maximam habeat earum rationem, ut & ipsæ sint cohæredes, quemadmodũ Petrus ait, gratiæ uitæ. Huc accedit, q; & hoc genus sit infirmum, & imbecille, ac aduersis facilimè & grauissimè perturbari soleat, ut appareat mulieres, quæ cum Christo è Galilæa profectæ fuerant, uehementissimo animi dolore propter ignominiam & cruciatus eius, maximè oĩm perculsas esse. Voluit ergo Christus his primùm resurrectionem suam notam fieri, & consolari eas, ut testaretur, q; quò quis afflictior est, hoc sibi magis sit curæ. Quòd aũt primò reuelat sese, quantum quidem scriptura tradit, non Mariæ matri suæ, sed Mariæ Magdalenę, hoc idcirco factum apparet, ne uideretur respicere corporalem prærogatiuam, aut consanguinitatem, ac ne iudicaretur esse personarum acceptor, sed ut significet se propter peccatores uenisse, & à mortuis resurrexisse. Hęc enim illa Magdalena est, de qua Iesus septem dæmonia ejecerat. Quare apparet ei primùm oĩm, ut significet se resurrectione sua uerum esse dæmoniorum uictorem, & à Satana liberatorem. Sed Magdalena nondum intelligit mysterium resurrectionis, ideoq; adnunciat Petro & Ioanni corpus Christi esse sublatum. Exĩt ergo Petrus, & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentũ. Currebant aũt duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentũ. Et cùm se inclinasset, uidit posita linteamina, non tñ introiuit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & uidet linteamina posita, & sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positũ, sed separatim inuolutum in unũ locum. Tunc ergo introiuit & ille alius discipulus, qui uenerat prior ad monumentũ, uiditq; & credidit, (uidelicet quod Magdalena dixerat, corpus Christi esse è monumento sublatum) Nondum eñ nouerant scripturam, q; oportuisset eum à mortuis resurgere. In Petro & Ioanne habes quod admireris & imiteris: habes etiam quod reprehendas, & deuites. Petrus, etsi negauerat Christũ,

Euripides.

Menander.

Christus primum sese reuelat Mariæ Magdalenæ.

non

non tñ fugit Christum desperatione. In aula Pontificis negauit Christum,& exijt ex Ecclesia. Postq̃ autem exijt ex aula Pontificis,iterum intrauit in Ecclesiam. Non enim deserit collegas suos, sed statim coniungit se iterum cum eis,ac prẽsertim cum Ioãne, qui ipsum antea in aulam Pontificis introduxerat. Itaq̃ nec Christus se ipsi subducit,sed reuelat se ei primo omnium inter uiros,quemadmodum Lucas & Paulus testantur. Hoc exemplo admonemur,ut etsi peccauimus, nõ tamen fugiamus Ecclesiam Dei,sed properemus ad peccati deplorationem,ut in Ecclesia remissionem eius propter Christum consequamur. Si Petrus post negationem deseruisset cœtum collegarum suorum, & coniunxisset se cũ Pharisæis ac Scribis, putás ne q̃ Christus tam familiariter ei apparuisset? Nunc autem,quia ex aula Pontificis reuertitur ad discipulorũ Christi Ecclesiam, fit etiam particeps beneficiorum, quæ Christus in Ecclesiam suã confert. Non enim ulla est uera salus,extra Christi Ecclesiam, cuius membra sunt, non hi, qui titulotenus tm̃ iactant se esse Christianos,aut Ecclesiæ Christi uel seruos uel amicos, sed qui credunt, solum Iesum Christum esse expiatorem peccatorum nostrorũ, & reconciliatorem inter nos & Deum Patrem. Quare prima nostra cura sit,ut peccatis obruti, reuertamur sine ulla mora per resipiscentiam & fidem ad Ecclesiam Christi. In Ioanne aũt habes exemplum caritatis,quòd præse, qui & cum Christo in cruce pendenti manserat, & cui Christus matrem suã commendauerat,non contemnit Petrum negatorem Christi, sed complectitur eum humanissimè, & currit cum ipso ad monumentum, ut quid de corpore Christi actum sit,unà cognoscant. Hoc illud est,quod postea Paulus monuit: Fratres, inquiens,etiãsi prẽoccupatus fuerit homo in aliquo delicto,uos,qui spirituales estis, instaurate huiusmodi spiritu mansuetudinis,considerans temetipsum,ne & tu tenteris. Sed in utroq̃, Petro uidelicet & Ioanne,reprehendẽdum est,quòd cùm multa sint argumenta, quæ potuissent ipsos de resurrectione Christi admonere,de ea tamen ne tantillum quidem cogitant. Audiuerant toties Christum ipsum de sua resurrectione concionari, & nunc uidebant lapidem monumenti reuolutum, uidebant etiam linteamina & sudaria ibi posita,resurrectionis indices. Quis em̃ ablaturus corpus Christi, tantillum sibi occ̃ sumpsisset,præsertim inter armatos custodes, ut soluisset à corpore eius linteamina & sudarium? Et tm̃ adhuc somniant esse sublatum. Sed addit Ioannes ipse causam: Nondum,inquiens,nouerant scripturam,quòd oportuisset eum à mortuis resurgere. Magna sacræ scripturę commendatio,magna etiam humanæ rationis contemptio. Nam humana ratio,etsi multa habet argumenta diuinarum rerum, tamen in his prorsus cæca est,nisi illustretur luce sacræ scripturæ. Multa sunt argumenta in hac rerum natura, quæ perspicuè testantur, Deum esse, attamen humana ratio,præsertim aduersis tentata,Deum esse negat. Multa sunt,quæ significant, esse æternam uitam, sed & hoc negat ratio, si sensu mortis concutiatur. Sic etiam hoc loco multa sunt, quæ indicant Christum resurrexisse, sed discipuli tam cæci sunt, ut ea non uideant, quia iudicant iuxta humanam rationem. Hec enim,etsi sua habet dona,

Peccatis obruti quid facere debeãt.

Rationis humanæ cæcitas.

quibus diuinitùs prædita est, tamen quia uiciata est peccato originis, tũ demùm nonnihil ualet, si fuerit sacræ scripturæ, quæ est organon Spũs sancti, discipula, non magistra: si ancilla, non hera, si serua, non domina. Sola enim sacra scriptura, ea est, quæ nobis res diuinas, & salutis nostræ uiam ita exponit, ut si angelus de cœlo aliud nobis adnunciaret, pro anathemate habendum esset. Quare hanc tanto studio amplectamur, quantæ curæ nobis esse debet uera Dei & nostræ salutis cognitio, per Iesum Christum Dominum nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXVII.

VIdimus heri sepulcrum Christi uacuum, sepulcralibus tantum fascijs constratum: uideamus hodie Angelis impletum, ac reuelata & uiua Christi præsentia ornatum. Discipuli enim, Petrus & Ioannes, postq; inuenerunt sepulcrum uacuũ, abierunt rursus ad semetipsos, hoc est, ad hospitia sua: Maria aũt stabat ad monumentũ foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se in monumentũ, & uidet duos angelos amictos albis, sedentes unũ ad caput, & alterũ ad pedes illic, ubi posuerant corpus Iesu. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: Sustulerũt Dñm meũ, nec scio ubi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, cõuersa est retrorsum, & uidit Iesum stantem, nec sciebat q; Iesus esset. Conuersam aũt puto retrorsum, haudquaq; temerè, sed motam repentina adoratione angelorum. Non enim dubito, quin postq; duo angeli manifestè apparentes, uiderint Iesum, cui datum erat, ut in nomine eius omne genu se flectat cœlestium, ac terrestrium & infernorũ, etiam ipsum manifestè sese reuelantem, statim in genua sua prociderint, & adoratione sua testati sint, se agnoscere eum Dominum suum. Quo spectaculo Magdalena excitata, respicit retrorsum. Et tamen nondum agnoscit Iesum. Dicit ei Iesus: Mulier quid ploras? Quem quæris? Illa existimans q; hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu asportasti eum, dicito mihi, ubi posueris eum, & ego eum tollam. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa (& iam ex uoce eum agnoscens) dicit ei: Rabboni, quod dicitur Magister. Cùm autem eum ita complecteretur, quasi non amplius dimissura, dicit ei Iesus: Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad Patrem meũ: hoc est, Noli me tam arctè complecti, noli metuere, ne tibi effugiam. Nondũ enim sic me ad dextram Patris abscondi, ut non sim amplius conspiciendus: sed selegi mihi quadraginta dies, priusquàm ascendam in cœlum, & subducam me humanis oculis, quibus diebus sæpe ac multum me uobis conspiciendum, & contrectandum exhibebo, ut testificer me uerè à mortuis resurrexisse, & exponam quæ sit uera regni mei maiestas. Noli igitur me sic complecti: Sed uade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem uestrum, & Deum meum, & Deum uestrum. Hæc est prima omnium concio, quam Christus post resurrectionem suam habuit. Quare obseruanda & consideranda est magna cura & diligentia. Facit autem Christus ex Maria Magdalena Apostolam Apostolorum. Iubet enim eam nunciare Apostolis & discipulis, quos fra-

Concio Christi prima post resurrectionem.

tres

tres uocat, se ascendere ad Patrem. Quibus uerbis cõmonefacit eos primum Psalmi uicesimi secundi, in quo Christus uocat discipulos suos, Fratres: Narrabo, inquiens, nomen tuũ fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Deinde cõmonefacit eos Psalmi quadragesimi septimi, & sexagesimi septimi, in quibus Spũs sanctus de ascensu Christi concionatur: Ascendit, inquiens, Deus in iubilo, & Dñs in uoce tubæ. Et itere: Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hoĩbus. Iubet ergo Christus hoc nuncio discipulos suos bono animo esse, q ipse nunc, postq̃ resurrexerit à mortuis, in eo sit, ut perficiat omnia, quæ in his Psalmis, ac in tota scriptura de ipso & regno eius continentur. Nunciat eis se creaturum ipsos Reges & Principes terræ. Sic enim Psalmus ait: Dominus dat uerbum, & exercitum magnum Euangelistarum: Reges exercituum firmo fœdere confœderantur, & pulcritudo domus diuidit spolia. Ac mox: Ibi dominatur inter eos Ben Iamin paruulus, principes Iuda, cum cœtu suo, principes Zabulon, principes Neptalim. Hic per Reges & Principes intelligendi sunt Apostoli. Vnde & in illo altero Psalmo dicunt: Subĩciet populos nobis, & plebes pedibus nostris. Cùm ergo dicit, se ascendere ad Patrem suum, & Patrem ipsorum, & ad Deum suum ac Deum ipsorum, significat se implere omnia, quæ scripta sunt, ut ipsi sint fratres & cohæredes sui, quòd habeant eundem Patrem, & eundem Deum, sibi quidem natura, ipsis autem adoptione Patrem & Deum. Ac breuiter docet his uerbis, quid per Resurrectionem suam efficiat. Nam Christus resurrectione sua intrauit in regnum Patris sui, & impetrauit, ut omnes Apostoli eius, & quotquot per Euangelion eorum credunt in ipsum, adoptentur in filios & hæredes Dei, ac fiant fratres & cohæredes sui, capiantq̃ cum ipso eandem hæreditatem in cœlesti regno. Hæc paucis quidem uerbis dicuntur, ac sæpè & multum in publicis concionibus repeti solent: sed profectò nihil maius, nihil excellentius, nihil quod latius pateat, dici potest. Cogita enim mihi, si Principis aut Regis cuiusdam terreni filius impetraret à patre suo, ut hominem miserrimum, captiuum, & morti destinatum, non solum liberum dimitteret, uerumetiam adoptaret in filium suum, ut fieret naturalis sui filĩ frater & cohæres, quantum, obsecro, & miser homo exhilararetur, & quantũ huic ab alĩs omnibus applauderetur? Quo ore prædicant Gentium historiæ, quòd nõnulli ex obscuro uitæ genere, ex figulis, ex armentarĩs, ex hortulanis creati sunt Reges & Imperatores? Sed hanc omnem terrenam fortunam longissimo interuallo superat istud beneficium, quòd Christus unigenitus & æternus filius Dei, assumat sibi in fratres & cohæredes suos, homines abiectos, & Deus ipse agnoscat eos filios. Primùm enim, homo etsi adoptatur ab homine quamuis diuite & potente, non tamen fit hac adoptione iustus. Si quis autem adoptatur in filium à Deo, is reputatur propter Christum, in quem credit, ita iustus, ut possit coram seueriss imo iudicio Dei constare. Deinde, qui adoptatur ab homine diuite ac potente, nõ donatur Spiritu sancto, sed potius concipit spiritum fastus, quo arrogat sibi licentiam faciendi quiduis. Qui aũt adoptatur propter Christum à Deo, do-

Resurrectionis Christi beneficium.

Adoptatorũ à Deo propter Christũ felicitas.

netur Spiritu ſancto, quo ſe tam Deo q̃ hominibus in obediẽtiam ſubiicit. Adhæc nullus hominum poteſt alteri ſua adoptione conferre tutã defenſionem in aduerſis. Deus aũt, cùm ſuſcipit hominem adoptione ſua in filium, ſuſcipit etiam eum in tantam curam, ut defendat & tueatur ipſum in omnibus aduerſis. Præterea, ſolus is, qui à Deo in filium adoptatur, poteſt eum, ut patrem, uerè & ex animo inuocare: Accepiſtis, inquit Paulus, ſpiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Etſi enim alij, qui non ſunt adoptati, ſolent & ipſi Deũ aliquoties ut Patrem appellare, tamen hic eſt ſonus ſine mente, q̃ Chriſtum unigenitum filium Dei, propter quem ſolum fit uera adoptio, aut contemnunt, aut perſequuntur. Deinde, quem adoptat homo, ſiue ille Princeps, ſiue monarcha fuerit, eum non reddit tutum à morte. Quem aũt adoptat Deus propter Chriſtum, is tanta prærogatiua donatur, ut mors ei nunquam amplius dominetur. Mors enim eorũ, qui ſunt in filios Dei adoptati, non eſt mors, ſed ſomnus, ſed quies, ſed uia ad ueram uitam. Qui credit in me, inquit Chriſtus, etiamſi mortuus fuerit, uiuet. Et omnis qui uiuit & credit in me, non morietur inæternum. Sed quid multis opus eſt? Qui adoptatur ab homine, adhuc obnoxius eſt propter peccatum, æternæ damnationi. Qui aũt adoptatur à Deo, hæres eſt propter Chriſtum æternæ fœlicitatis, & dominabitur perpetuò unà cum Chriſto in cœleſti regno. Quid hac adoptione fœlicius? Quid his bonis maius? Et hæc ſunt, quæ Chriſtus in nos omnes credentes in ipſum Reſurrectione ſua confert. Quare neceſſarium eſt, ut pro tanto Reſurrectionis Chriſti beneficio, quas poſſumus maximas gratias Dño Deo Patri noſtro referamus. Hæ autem referendæ ſunt non uerbis tantũ, & publicis laudibus, ſed etiam operibus, & priuatis quibuſq̃ officijs, ac præſertim caritate proximi noſtri. Cùm enim Deus accenſus eſt ſua in humanũ genus caritate, ut conceſſerit filio, quò aſſumeret ſibi homines in fratres & cohæredes ſuos, exigit etiam, ut homines fraternam inter ſe caritatem habeant. In hoc, inquit Chriſtus, cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei ſitis, ſi caritatem habueritis inter uos mutuam. Cito, inquiunt, aſſueſcas, quod diu facere uelis. In cœlo aũt uita tranſigenda eſt ſumma in perpetuũ caritate. Nec q̃.n. illic ullum erit aut odium aut diſſidiũ. Quare ſi ad cœleſtem uitã aſpiramus, neceſſe eſt, ut in hac terreſtri uita exerceamus nos in caritate. Deus, inquit Ioannes, caritas eſt. Quomodo aũt ſperabit ſe apud Deũ in cœleſti regno perpetuò cõmorari poſſe, qui in hac terra non niſi inuidiæ, odio, rixis, & contentionibus obnoxius eſt? Et quis pollicebitur ſibi cum Chriſto & Chriſtum agnoſcentibus accepturũ eandem in cœlo hæreditatem, cui in terra cum nullo hominum conuenit, ſed qui quaſi bellum cũ omnibus hominibus gerit? Quare quemadmodũ Chriſtus iam à diſcipulis ſuis diſceſſurus, cohortatur eos grauiſsimè, non uerbis tantũ, ſed etiam lauatione pedum, ad mutuam caritatem, ita & cùm iam primũ à mortuis reſurrexiſſet, ſtatim, nomine fratrum, & unius Patris ac Dei, admonet uniuerſam ſuam Eccleſiam, ut ſeſe mutua dilectione complectantur, & officijs caritatis ſe inuicem iuuent. Sed redeamus ad Magdalenam. Venit (inquit Euangeliſta) Maria Magdalena

Caritatis ratio cur potiſsimùm inter Chriſtianos ſit habenda.

Madgalena adnuncians discipulis, ꝙ uidisset Dominum, & ea dixisset sibi. Mirandum uidetur, quòd Christus uoluerit tantam rem, qua non est alia maior, per mulierculam apud Apostolos peragere. An defuerũt ei Angeli? An non ipse potuit primum omnium sese Apostolis reuelare? Sed suprà ostendimus causas, cur placuerit Christo Resurrectionẽ suam initio reuelare mulierculis. Nunc hoc adiũciendũ est, ꝙ Christus etiam hoc consilio uidetur mulierem in primam Resurrectionis suæ nũciam elegisse, ut & hac parte doceret regnum suum non esse de hoc mũdo. Nam hic mundus solet instituta sua glorioſissimè inchoare, ac ostentare, sed desinit tandem fœdissimè. Quantus est apparatus uel bellorũ, uel nuptiarum, uel aliarum pomparum, inter Principes huius seculi? Sed quàm turpis, ꝙ infœlix solet esse euentus eius? Christus autem Resurrectionem suam, rem longè omnium maximam, per mulierem reuelare incipit, & tamen peragit & confirmat eam glorioſissimè, ut significet regnum suum non esse mundanum, & cohortetur nos suo exemplo, ut geramus nos in omnibus negociis nostris submisse & humiliter, quò per humilitatem ad sublimitatem extollamur, in Christo Iesu Domino nostro, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Resurrectio Christi cur primum mulierculis nota facta sit.

HOMILIA LXVIII.

CVm Malachias de Christo filio Dei uaticinaretur, tribuit ei cognomen Solis. Orietur (inquiens) uobis timentibus nomen meum Sol iusticiæ. Quod cognomen congruenter ei tribuitur, cùm ꝓpter multas alias causas, tum etiam propter modũ, quo resurrectionem suã patefecit. Sicut. n. Sol oriturus, & diem orbi allaturus, non statim se totũ conspiciendum proponit, sed initio prẽmittit lucem quandam obscuram, quæ pollicẽtur magis diem, ꝙ exhibeat: deinde paulatim proũcit clariorem splẽdorem, donec emersus ex inferiori hemisphęrio, ac superatis montium cacuminibus aperto cœlo uehitur, & omnia illustrat: ita & Christus Resurrectione sua clarissimũ diem mundo allaturus, non continuò ipse discipulis apparet, sed ostendit uacuũ sepulchrum, quasi crepusculum: deinde præmittit Angelos, resurrectionis nuncios, donec seipse uiuum, conspiciendum & contrectandum proponit, & mentes discipulorum suorum illuminat. Ac antè quidem recẽsuimus apparitionem, quæ facta est Mariæ Magdalenæ. Commemorant autem Euangelistæ, quòd Christus apparuerit etiam alĩs mulierculis, deinde Petro, postea duobus, qui ad Emaus proficiscebantur, quas tamen apparitiones Ioannes noster omittit, quòd ab alĩs Euangelistis sufficienter indicatæ sint, ipse uerò suscipit commemorandam eam apparitionem, quæ eodem Resurrectionis die, ad uesperam, coram pluribus discipulis, facta est. Cùm uespera esset (inquiens) die illo, qui erat unus sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, uenit IESVS, stetitq́ in medio, & dicit eis: Pax uobis. Et cùm hæc dixisset, ostendit eis manus ac latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli, uiso Domino. Dixit ergo eis iterum: PAX uobis: Sicut misit me Pater

Christus cur uocetur Sol.

» ita & ego mitto uos. Hæc cùm dixisset, flauit in eos, & dicit eis: Accipite
» Spũm sanctum. Quorumcunq; remiseritis pcta, remittuntur eis. Quo-
» rumcunq; retinueritis, retenta sunt. Memorabile est, quod in hac appa-
ritione peragitur. Christus. n. nihil ferè eorũ omittit, quæ testificari pos-
sunt, ipsum uerè à mortuis resurrexisse & uiuere. Non apparet, ut euani
dum spectrum, sed consistit uisibilis in medio discipulorum. Colloquit
coràm cum discipulis, ostendit eis manus & latus, & pedes, ut ipsum ex
notis crucifixionum cognoscerent: exhibet se, quemadmodum alius E-
uangelista ait, contrectandum, ut reipsa sentirent, eum uerã habere car-
nem & ossa: petit etiam edulium, & in cõspectu eorũ comedit: ac postea
afflauit eos forti spiritu: quæ omnia sunt certissima uitę argumẽta. Nul
la igitur reliqua est dubitatio, quin uerè à mortuis resurrexerit, & uiuat.
Sed magnæ curæ nobis esse debet colloquium, quod Christus in hac
apparitione cum discipulis fecit. Primùm enim oĩm, PAX VOBIS,
inquit. Potuisset eis exprobrare defectionem & fugam, sed horum om-
nium obliuiscitur, ac nunciat tantum læta. Optat pacem, Qua uoce testa
tur ipsos ab omnibus peccatis absolutos, cum Deo Patre pacificatos, &
in gratiam receptos. Et ut sciant hanc uocem non esse pro uulgari cõsue
tudine in ore ipsius natam, sed ueram ac seriam esse, bis eandem repetit.
Benè igitur confidant, & alacri animo suscipiant, quod sit mandaturus.
Reuelat enim Christus sese discipulis, non ut cum ipsis ad fallendũ tem
pus nugetur, sed ut res longè omnium maximas conficiat. Sicut me, in-
quiens, misit Pater, ita & ego mitto uos. Hac uoce decernit eos legatos,
Legatis dan tur duplices literæ. (Vnde & Apostoli uocantur, quod legatos significat) in uniuersum or-
bem terrę. Quam rem, ut rectius intelligamus, conferemus huc morem
ciuilium legationum. In his enim solent legato duplices literę dari. Alte
ræ fidei (quas uocãt literas Credentiæ) sigillo legantis firmatæ, quibus
significat is, qui amandat legatũ, tam firmiter credendũ esse legato suo,
quàm si ipse rem coràm ageret. Alteræ mandati, quas literas uocant, In-
structionẽ, qua continentur mandata, quæ legatus nomine legantis per
sequi & efficere debet. Hunc morem seruat etiam Christus pro suo mo
do, in hac, quam ipse instituit, Apostolorum suorum legatione. Emissu
rus enim post resurrectionem Apostolos seu legatos suos, initio dat eis
literas Credentiæ, has uidelicet: Sicut misit me Pater, ita ego uos mitto.
Quæ aũt sit sentẽtia huius dicti, ex ijs intelligi potest, quæ Christus aliàs
ad Apostolos dixit: Qui uos audit, me audit. Et iterum: Qui uos reci-
pit, me recipit. Et qui me recipit, recipit eum, qui misit me. Hoc igitur
uult Christus: Pater misit me de cœlo in terram, ut adnunciem meum
Euangelion. Et qui meo Euangelio credit, is credit Deo Patri, cuius ego
sum legatus in terris. Dixit enim de me apud Mosen: Ponam uerba mea
in ore eius, loquetur q; ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem uer
ba eius, quæ loquetur nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.
Cùm aũt ego post meam resurrectionem & ascensionem in cœlum, non
sim amplius corporali modo in his terris commoraturus, emitto uos
Apostolos meo nomine in uniuersum orbem terrę, & uolo, ut homines
non aliter uerba uestra accipiant, q; si ego coram ea exponerem. Atq;

hæc

hęc quidem eſt ſententia literaræ Credentię. Quemadmodum aũt ciuiles literę roborantur ciuilibus ſigillis, ita ſpirituales illę literę confirmatæ ſunt ſpiritualibus ſigillis, cœleſtibus uidelicet miraculis. Signa, inqt, eos qui crediderint hæc ſubſequentur: Per nomen meum dęmonia eiicient, linguis loquent nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid letale biberint, non nocebit eis: Super ęgrotos manus imponent, & benè habebũt. Hęc & id genus alia miracula, quæ Apoſtoli ediderunt in nomine Chriſti, ſunt ſigilla, quibus literę Apoſtolatus ſeu legationis roboratę fuerunt. Legatione, inquit Paulus, fungimur nomine Chriſti. Quare ſentiendũ eſt, Apoſtolos ita nobis commẽdatos eſſe, ut qui ipſos audit, Chriſtum filium Dei, adeoqꝫ Deum ipſum Patrem cœleſtẽ audiat. Sed quod præcipuum eſt, audiamus nunc mandatũ, ſeu inſtructionem, ut uocãt, quæ Apoſtolis data eſt. Flauit (inquit Euangeliſta) in eos, & dicit eis: Accipite Spũm ſanctum. Quorumcunqꝫ remiſeritis pctã, remittunt eis. Quorumcunqꝫ retinueritis, retenta erunt. Hęc eſt inſtructio, hoc eſt mandatum, quod Chriſtus dat Apoſtolis ſuis. Non alloquitur autem eos ſimpliciter, ſed afflat eos forti oris ſui ſpiritu. Quod idcirco facit, primùm, ut ſignificet ſe uerè uiuere, quemadmodũ antea diximus: deinde, ut doceat, ſe uerũ eſſe Deum, qꝫ det ſua uirtute dona Spũs ſancti. Hoc em̃ oris ſpiritu contulit cœleſtia ſpiritus dona in corda diſcipulorum ſuorum. Non contulit quidẽ in eos hoc tempore illã admiranda ſpiritus dona, quæ effuſa ſunt in ipſos in die Pentecoſtes, ſed eximit eis incredulitatẽ, & dat fortiorem fidem: eximit eis metum, & dat ſpem certam: diſpellit tenebras ab oculis mentis eorum, & illuſtrat eos clariori luce intelligentiæ. Hęc & id genus alia ſunt dona Spũs ſancti, quæ Chriſtus flatu ſuo in Apoſtolos conferre uoluit. Quid ergo mãdatur eis, quod in hac ſua legatione conficiant? Obſeruanda & ponderanda ſunt uerba Chriſti. Non dicit: Accipite cohortes militum & ruſticorum, & inuadite regna huius mundi. Non dicit: Accipite Moſen, & inſtituite inter gentes Moſaicam politian. Non dicit: Accipite oleum, & ungite ſacrificulos Miſſarios, ſed ait: Accipite Spũm ſanctum, Accipite dona & officium Spũs ſancti. In quem uſum? Num ad dominandum terrena maieſtate? Nequaquam: ſed ad remittenda & retinenda pctã, hoc eſt, ad prædicãdum Euangelion, ut quotquot Euangelio credunt, conſequantur remiſſionem peccatorũ: Quotquot autem non credunt, ĩis retineantur peccata. Nam quod hic dicit: Quorumcunqꝫ remiſeritis peccata, remittunt eis, & quorumcunqꝫ retinueritis, retenta erũt, eandem prorſus ſententiam habet, cum eo, quod apud Marcũ dicit: Prædicate Euangelion uniuerſæ creaturæ. Qui crediderit (Euangelio) & baptiſatus fuerit, ſaluus erit. Qui uerò non crediderit, condemnabitur. Et apud Lucam: Sic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prędicari nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Remittere enim & retinere peccata Apoſtolico miniſterio, non eſt pro ſuo arbitrio ex peccato, iuſticiam, & ex iuſticia peccatum facere, nec eſt propria autoritate cõdonare peccata cuiuis, etiam non credenti, & retinere peccata, etiam credenti: ſed eſt prędicare Euangelion de Chriſto, qui ſo

Apoſtolis quod mandatum à Chriſto datum.

Remittere & retinere peccata &c. quid ſit.

lus est expiator peccatorꝝ,& propter quem solum Deus pc̃tã condonat, ut ei,qui credit in Christum,pc̃tã remittantur,ei aũt,qui non credit,peccata retineantur. Obserua igit̃ mihi, primùm, cp Christus non instituit Apostolos suos in externos Monarchas huius seculi,sed commendauit ipsis officium,& dignitatem longè excellentiorem. Monarchis huius mundi concessæ sunt terrenę diuitiæ,& data est in manus eorum potestas uitæ & necis corporalis,ut quos uolunt,possunt aut occidere, aut liberos dimittere. Apostolis aũt commendatus est thesaurus cœlestis,& reposita sunt in ministerium eorum, cœlum & infernus. Monarchę distribuunt feuda,quæ ita uocant,mundana,quæ neminẽ possunt in morte & iudicio Dei seruare. Apostolis autem commendatum est,ut distribuant remissionem peccatorum: Qua una re comprehẽduntur omnia nobis perpetuò salutaria. Nec quicq̃ aliud est, quod posset nobis ueram̃ salutem afferre. Finge Christum Apostolis dedisse crumenam semper pecunia plenam,quam pecuniam oĩbus ad ipsos accedentibus distribuant. Quid hoc nobis profuisset? Potuissent quidem homines pecunia fieri locupletiores,non autem iustiores,& coram Deo fœliciores. Pecunia enim non liberat à morte & iudicio Dei. Finge Christum dedisse Apostolis uascula uino plena,ut unicuicq̃,quantum uoluerit uini, in cantharum suũ infundant. Num homines fuissent hoc beneficio facti beatiores? Certè uinum non facit hoĩes pios & beatos,sed potius ebrios & insanos. Sed ita demùm consuluit Christus ueræ nostræ saluti, cp commẽdauerit Apostolis, ut suo noĩe distribuant remissionem peccatorum. Hoc enim illud est,quod nos uerè beat. Vbi enim remissa sunt peccata, ibi Deus est placatus, & adoptat eum, qui habet peccatorum remissionem,in filium & hæredem suũ, ac efficit,ut nulla afflictio, imò ne mors quidem ipsa noceat,sed seruat in media morte, & largitur æternam beatitudinem. Vnde in Psalmo dicitur: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates,& quorum tecta sunt peccata: Beatus uir,cui non imputat Dñs peccatum, nec est in spiritu eius dolus. Vbi aũt peccata non sunt remissa,ibi Deus irascitur,non prosunt diuitię,non liberant regna, sed perpetuò est pereundum. Quare,cùm Christus cõmendauerit Apostolis officium remittendi & retinendi peccata, sentiamus in ministerio eorum collocata esse oĩm hominum perpetuam uitam & mortem, salutem & damnationem,cœlum & infernũ, ut quotquot accipiunt ex prędicatione Euangelij eorꝝ remissionem peccatorum per fidem,habeant cœlum: Quotquot aũt abominantur Euãgelion de peccatorum remissione,habeant infernum. Deinde considerandum est,de quibus peccatis loquatur Christus, cùm ait: Quorũ remiseritis aut retinueritis peccata. Non enim loquitur de ijs peccatis,quæ Pontifices & hypocritæ,pro suo arbitrio fingunt,qualia sunt,In feria sexta carnibus uesci,Non ieiunare usq̃ ad horam undecimam,& multa alia: Sed loquitur de ijs peccatis, quæ uerè coram Deo peccata sunt,& quæ lex Dei pro peccatis iudicat. Non enim est legatus Pontificum,& hypocritarum, sed est legatus Dei Patris sui. Quare intelligit ea peccata,quæ Deus peccata esse pronunciat. Præterea cognoscendum est, quo modo Apostoli remittant aut retineanę

ristus de ibus peccatis loquatur.

neant pctã. Nam Pontifices arrogant etiam sibi potestatem remittendi & retinendi peccata, quòd glorientur se esse Apostolorum successores, sed usurpant alium modũ remittendi & retinendi peccata, quàm Christus cõmendauit. Remissuri enim peccata, emittunt legatum quendam, qui instituat in templis rubeas cruces, & sacrificulos, confessionum auditores, ac cistas, in quas reponat pecunia pro peccatis numerata. Christus aũt amandauit Apostolos suos, ut adnuncient Euãgelion suum, & consecrent eos, qui Euãgelion fide agnoscunt, baptismo, & confirment fidem eorũ Cœna dominica. Hic est uerus & cœlestis modus remittendi pctã, prædicatio uidelicet Euãgelij Christi: Ite (inquit) in uniuersum mundum, & PRAEDICATE Euangelion omni creaturæ. Et: Oportebat prædicari nomine eius pœnitẽtiam & remissionem peccatorum. Quare qui non prędicant Euãgelion Christi, non habent ullam potestatem pctã aut remittendi aut retinendi. Deinde, nec hoc negligẽter cogitandum est, quo merito debeant Apostoli peccata remittere. Pontifices remittunt peccata merito pecunię. Monachi remittunt pctã merito humanę iusticię. Eremitæ remittunt peccata merito ieiuniorũ, aut chameuniarum. Christus aũt iubet Apostolos peccata remittere, tm̃ suo ipsius nomine, seu merito. Euangelion enim Christi hoc est, ꝙ solus Christus expiauerit peccata, & ꝙ Pater condonet peccata credentibus, tantũ propter Christum filium suum. Ecce (inquit Ioannes) agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Cùm igitur Christus iubet Euangelion suum prędicari, iubet etiam peccata remittere gratis, tantum propter suum ipsius meritum. Iam & hoc considera mihi, quibus hominibus remittenda aut retinenda sint peccata. Nam Remissio peccatorũ omnibus quidem hoĩbus, sine ullo discrimine, siue Iudęis, siue gentibus, siue honestis, siue inhonestis offerenda est. Prædicate (inquit) Euangelion OMNI creaturæ: hoc est, non Iudæis tantum, sed etiam gentibus. Et: Oportet prædicari nomine meo remissionem peccatorũ in OMNES gentes. Inter auditores aũt Euangelij duplex est hominum ordo. Alij credunt Euangelio, alij sunt increduli. Ac illi quidem accipiunt oblatam peccatorum remissionem per fidem, & fruuntur ea: hi autem contẽnunt & reijciunt eam per incredulitatem, ideoq́ retinentur eis peccata. Qui enim crediderit (inquit Christus) & baptisatus fuerit, saluus erit: Qui uerò nõ crediderit, condemnabitur. Postremò cognoscendum etiam erit, in quem usum institutum sit ministerium remittendi peccata. Ac usus quidẽ huius ministerij latius patet, quàm ut paucis uerbis exponi possit. Nos, quia aliâs de hoc usu plura diximus, tantũ quædam nunc attingemus. Institutum enim est hoc ministerium, ut accepta peccatorũ remissione, per fidem, reputemur coram Deo iusti, adoptemur in filios Dei, uincamus mortem, & cõsequamur æternam salutem, quemadmodum paulò antè ostendimus. Deinde institutũ est, non ut liceat nobis deinceps impunè peccare, sed potius ut pctã fugiamus, & iusticiæ opera faciamus. Qui mortui sumus peccato (inqt Paulus) quomodo posthac uiuemus in eodem? Et iterum: Apparuit gratia Dei, salutaris omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate, & mundanis concupiscentijs,

Remittendi peccata modus uerus.

Remißio peccatorum quibus offerenda.

Miniſterij remittendi peccata uſus

sobriè & iustè & piè uiuamus in præsenti seculo. Quare non abutamur remissione peccatorũ ad licentiam, sed utamur ea ad obedientiam, ut testemur bonis operibus, nos remissionem peccatorũ per fidem uerè accepisse. Sed quid? Num solis Apostolis mandatum est ministerium Remittendi & Retinendi pctã? Hi soli quidem tunc, cùm alijs quibusdam pręstò adfuerunt, cùm Christus hæc uerba diceret, hoc aũt ministerium non est alligatum ad personas eorũ, sed pertinet ad uniuersam Ecclesiã. Si Ecclesiam, inquit Christus aliâs, non audierit, sit tibi uelut Ethnicus & publicanus. Amen dico uobis, Quęcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo. Et: Quęcunq; solueritis super terram, erunt soluta in cœlo. In precatione quoq; sua dicit Christus: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorũ in me. Et ad Thomam: Quia uidisti, credidisti: Beati qui non uident & credunt. Etsi aũt unusquisq; pius remittit alteri priuatim sua pctã, cùm exponit ei Euangelion de Iesu Christo, & hortatur eum, ut benè confidat: imò etiam pia muliercula, cùm fortè accesserit ad uisitandum ægrotũ, remittit ægroto pctã, cùm admonet eum, ut oẽm spem suam collocet in Christo Iesu, qui solus sit peccatorũ expiator, & seruator noster: his mulierculæ uerbis, si uir ægrotus fide ea excipit, excipit etiam peccatorũ remissionem: in publico tamen Ecclesiæ cœtu suum ordinem instituit Spiritus sanctus, ne quid indecenter & inhonestè fiat. Itaq; mulieri in Ecclesia non licet loqui, ac ne uiro quidem, non uocato, sed sui sunt Ecclesię ministri, quibus publica Euangelij, hoc est, remittendi & retinendi peccata functio demandata est. In Actis Apostolicis dicit Paulus ad presbyteros Ecclesiæ Ephesinę: Attendite uobis & cuncto gregi, in quo uos Spiritus sanctus posuit superattendentes, ad regendum Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Et ad Corinthios: Omnia ex Deo, qui reconciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministerium Reconciliationis. Et ad Ephesios ait: Dedit alios Apostolos, alios Prophetas, alios Euangelistas, alios pastores ac doctores ad instaurationem sanctorũ, in opus administrationis, in ædificationem corporis Christi. Ex his, & alijs id genus testimonijs scripturæ uides ministerium remittendi & retinendi peccata, quod est ministerium prędicandi Euangelij, ad uniuersam quidem Ecclesiam pertinere, sed ita ordinatum esse, ut Ecclesia ædificetur, non perturbetur. Quare siue priuatim, siue publicè audiuerimus Euangelion Christi, sentiamus nobis remissionem peccatorum uerè offerri, quam & accipimus, si Euangelion fide agnoscimus. Sunt aũt, qui impudenter uociferari solent: Quid? Sacrificuli, (Sic enim etiam ueros Ecclesiæ ministros, uocant sacrificulos) remitterent mihi peccata? An nõ ipsi impuri sunt, & indigent peccatorũ remissione? An non peccatorum remissio, donum est solius Dei? Ego sum, ego sum ipse, inquit Dominus, qui deleo iniquitates tuas propter me. Quomodo ergo sacrificuli audent sibi hanc potestatem arrogare? Sed audi tu uicissim, quòd hæc rectè quidem dicantur aduersus Pontificios sacrificulos, qui non concionantur syncerum Euangelion Christi. Longè autem aliud sentiendum est de ministerio eorum, qui doctrinam uerè Apostolicam & Euangeli-

cam

Ministerium remittendi peccata pertinet ad Ecclesiam.

Ministri Euangelij quomodo remittant peccata

eam Eccleſiæ proponunt. Hi enim remittunt peccata, non quidem ſua ipſorum autoritate, ſed autoritate, mandato & uocatione Dei Patris & Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui iuſsit eos hoc miniſterio ſuo nomine fungi. Autoritas & poteſtas remittendi peccata ſolius Dei eſt. Miniſterium autem huius poteſtatis eſt Apoſtolorum, & omnium eorum, qui Euangelion Chriſti purè & ſyncerìter adnunciant. An non & uita corporalis, donum eſt ſolius Dei? Et tamen Deus hoc ſuum donum largitur per parentes. Eſt & pax mundana ſolius Dei donum, ſed quam Deus dare ſolet per magiſtratum. Sunt & fructus terræ ſolius Dei creatura, ſed hi dantur nobis diuinitùs, opera & labore agricolarum. I nunc, & contemne parentes, opprime magiſtratum, & abìjce agricolas, ut à Deo ipſo ſolo, ſicut tu uanè gloriaris, dona ſua accipias. Sic eſt & remiſſio peccatorum ſolius Dei donum, ſed quod nobis Deus offert ac exhibet per miniſtros ſuos, qui Euangelion ſyncerìter adnunciant. Amemus igitur miniſterium Euangelij, & benefaciamus ei, ut fructum eius capiamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

HOMILIA LXIX.

ALij Euangeliſtæ commemorant alia Reſurrectionis Chriſti teſtimonia. Nos uerò Ioannem noſtrum perſequemur, & ſuſcipiemus nunc præcurrendam eam apparitionem Chriſti, quæ in præſentia Thomæ facta eſt. Sic enim ſequitur: Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, nõ erat cum eis quando uenit Ieſus. Dixerunt ergo alij diſcipuli: Vidimus Dñm. Ille autem dixit eis: Niſi uidero in manibus eius ueſtigium clauorum, & mittam digitum meum in ueſtigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, nõ credam. Priuſquàm recitemus alia, quæ de Thoma ſequuntur, conſiderandum eſt, quanta ſit Thomæ incredulitas, ut magnitudinem clemẽtiæ Chriſti Thomam ſumma beneuolentia complectentis agnoſcamus. Sæpe enim Chriſtus ipſe de reſurrectione ſua concionatus fuerat, ut nihil dicam de Prophetarũ oraculis, quibus ſignificatum erat, Chriſtum à mortuis reſurrecturum, quæ oracula debuiſſent certè Thomæ tot annos in ſchola ludæorũ uerſato nota fuiſſe. Adhæc, collegæ eius, qui teſtificabantur ſe uidiſſe Chriſtum à mortuis excitatum, erant homines honeſti, quos ſciebat eſſe amantiſsimos ueritatis, at tamen ne ſic quidẽ credit Chriſtum, quem uiderat in cruce expiraſſe, & ſepultum, uiuere. Etſi aũt magna eſt incredulitas eius, non tñ eſt obſtinata & deplorata. Non enim fit hoſtis & perſecutor Chriſti ac diſcipulorum eius, ſed manet ipſe quoq; diſcipulus, & doceri cupit. Non credo, inquit, quod dicitis: Credam aũt, ſi ipſe uidero & tetigero. Quare, etſi meruerat propter incredulitatem abìjci, tñ tanta eſt clementia Chriſti, ut quia uidet ipſum adhuc docilem, agnoſcat & tractet eum humaniſsimè. Hoc exemplum clementiæ Chriſti eò obſeruandũ eſt, ut in imbecillitate fidei, non deſpondeamus animum. Poſtquàm enim Satan nõ poteſt nos à ſpe æternæ uitæ, obiectu magnitudinis peccatorũ noſtrorum deìjcere, quòd reìjciamus peccata per fidem in Chriſtum expiatorẽ no-

Thomæ incredulitas.

Thomas infirmus Docilis.

Chriſti clementia erga Thomam.

ſtrum,ſolet calumniari fidem noſtram,ut nobis Chriſtum auferat. Gloriaris, inquit, de Chriſto tuo, ſed quomodo Chriſtus ad te pertineret, cùm tuipſe ſentias fidem tuã eſſe ualdè exiguam, ac uix ſcintillam fidei habeas? His obiectionibus aut tentationibus reſpondendũ eſt, nos qui dem agnoſcere fidei noſtræ imbecillitatem,ſed tamen Chriſtus non eſt ꝓpterea imbecillis,nec abiicit nos. Mater nõ deſtituit ope ſua filiolum, quem uidet morbo laborare, ſed eo maiori cura filiũ proſequitur,quò grauiori morbo detinetur. Et Chriſtus eſſet inclementior humana matre? Calamum quaſſatũ,inquit Propheta de Chriſto,non conteret, & linum fumigans non extinguet. Quare bene etiã in fidei imbecillitate cõfidamus,& oremus,ut nobis fides augeatur. Sed audiamus nunc,cꝫ clementer Chriſtus Thomæ ſeſe adiungat. Et poſt octo dies iterum erant diſcipuli eius intus,& Thomas cum eis, uenit Ieſus,clauſis ianuis, & ſtetit in medio,& dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc,& uide manus meas,& admoue manum tuam,& immitte in latus meum,& noli eſſe incredulus,ſed credens. Hoc eſt inſigne teſtimonium,quòd Chriſtus uerè à mortuis reſurrexerit. Chriſtus.n.apparens diſcipulis unà congregatis,non præteruolat oculos eorꝝ,ut ſpectrũ, ſed conſiſtit in medio eorꝝ,idcꝫ non mutus,ſed colloquens,ſalutans,docẽs, increpans,& conſolans. Nec tantum uiſendum ſe,uerumetiam tangendum & palpandum prębuit: Infer,inquiens,digitum tuum, & admoue manum tuam. Nam Chriſtus ob hanc cauſam ueſtigia clauorꝝ diſpenſatione quadam reſumpſerat, non quòd talia ueſtigia ſemper inhæreant corpori glorificato,ſed ut hoc ſigno ueritatem corporis & Reſurrectionis ſuæ probaret. Hoc reſurrectionis teſtimonium tanti momẽti uiſum eſt,ut etiam aliâs Ioannes alleget in Epiſtola ſua: Quod audiuimus, inquit,quod uidimus oculis noſtris,quod perſpeximus, & manus noſtrę contrectauerunt de ſermone uitę. Sed quoties ꝓponitur nobis teſtimonium reſurrectionis Chriſti, toties ſentiamns nobis proponi teſtimonium noſtræ ſalutis,quam in Chriſto habemus,admoneamur etiam toties de nouitate uitæ,in qua ambulare debemus. Reſurrectio enim Chriſti noſtra eſt iuſticia,uita & ſalus. Excitatus eſt,inquit,propter iuſtificationem noſtri. Et: Si credimus,cꝫ Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit,ſic & Deus eos qui obdormierunt per Ieſum,adducet cum illo. Quare neceſſè habemus,ut declaremus nos erga tantum benefactorem gratos,& quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Sed audiamus nunc Thomam. Reſpondit Thomas & dixit ei: Dñs meus & Deus meus. Hæc eſt uerè Apoſtolica cõfeſsio & doctrina de perſona Ieſu Chriſti. Paulus de Chriſto ait: Declaratus fuit filius Dei potenter,ſecundum Spũm ſanctum,ex eo quòd reſurrexit à mortuis. Quare,cùm Thomas certò ac uerè cognoſceret,Chriſtum à mortuis reſurrexiſſe,agnoſcit iam ipſum non tm̃ eſſe hoiem, ſed etiam uerum Dñm ac Deũ noſtrum. Vnde & Petrus in die Pentecoſtes ait: Certò ſciat tota domus Iſrael, quòd Dñm & Chriſtum fecerit Deus hunc Ieſum,quem uos crucifixiſtis,hoc eſt,quia Deus ſuſcitauit Ieſum,& effudit in nomine eius dona Spũs ſancti,declarauit publi

Reſurrectionis Chriſti teſtimonia, teſtimonia ſunt noſtræ ſalutis.

Confeſsio & doctrina Thomæ de Chriſto.

cẽ

cè,quòd sit uerus ille Christus, per Prophetas promissus,& uerus Dñs ille Deus,quem Adonai uel Iehoua uocamus.Non igitur agnoscamus, non adoremus alium Deum, præter Dñm nostrum Iesum Christum. Sunt quidem aliæ duæ personę in diuinitate, Pater & Spūs sanctus, sed quia non est nisi unus Deus, & Christus filius Dei uerus ab æterno est Deus,nō credamus,non colamus alium Deum,pręter hunc Christum, iusticiam, sanctificationem & redemptionem nostram. Vnde & cùm interrogantur Catechumeni,quis sit uerus Deus noster, & quod sit nomen eius,rectè respondent,nomē eius esse,Iesus Christus. Nam & ipse approbat hanc Thomæ confessionem. Thoma,inquiens,quia uidisti me,credidisti.Beati,qui non uiderunt,& crediderunt. Paucissima uerba,sed obseruatione dignissima.His enim cōfirmatur ministerium Euangelij de Christo, quod & per Apostolos, & post Apostolos per Ecclesiæ ministros in orbe terrarū uulgatur. Necessaria fuit hęc confirmatio.Sunt enim,qui cogitant hos tantum cepisse fructum Christi,quibus cum Christus conuersatus est corporali pręsentia, & quos sanauit ac cibauit, & quibus misit Spiritum sanctum. Sunt alij, qui non putant sibi satisfactum,quòd audiant hoc tempore doctrinam ab Apostolis, nomine & mandato Christi traditam,sed affirmant, ita tum demùm se libenter credituros, si aut ipsi coràm uidissent miracula illa Christi, quæ de eo prędicantur, & accepissent etiam Spiritum sanctum admirabiliter, aut si his temporibus similia miracula ederētur. Sed Christus paucissimis uerbis reijcit & damnat omnem illorum seu curiositatem,seu incredulitatem,& excusationem.Rectè tu quidem Thoma, inquiens,& beatus es,quòd credas meo Euangelio,cū coràm ueritatem eius reipsa comperias.Non solum aūt tu,aut alij,qui ista uestris oculis uidetis & creditis,beati estis,uerūetiam non minus beati erunt hi,qui credunt Euangelio meo,siue hoc tempore uitam agunt, siue post multos annos in hanc uitam uenturi sunt,etiamsi nihil horum miraculorū uideant.Non enim libet mihi quouis tempore uisibiliter inter homines cōuersari, & externa miracula edere.Non libet semper me uisibilem ostendere,sicut facio nunc quadraginta diebus,post meam resurrectionem. Non libet singulis diebus Pentecosten celebrare, & Spiritum sanctū uisibiliter mittere. Hęc omnia conficio & pręsto suo tempore, in hoc mūdo, & inter meos discipulos ac Apostolos, quibus & hęc omnia comperta & perspecta facio:his mando prædicandum Euangelion meū, & testimonium ferendū de his rebus omnibus. Quare si quis Apostolis talia prędicantibus, aut sermoni eorū ad posteros bona fide propagato nō credit, is ne mihi quidem,sępè ac multum me reuelanti,crederet. Si autem Apostolis aut sermoni eorum credit, non minus accipit beatitudinis, quàm si coràm inter ipsos accepisset Spūm sanctum uisibiliter. Huc referendum est & illud,quod Christus in precatione sua dicit: Non pro eis tantum rogo, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem eorū in me.Et apud Lucam:Si Mosen & Prophetas non audiunt,nec̄ si quis ex mortuis resurrexerit,credent. Abijciamus igitur incredulam hanc excusationem & curiositatem, & suscipiamus Apostolicam doctrinam, quæ nobis iam

Verus Dñs noster Iesus Christus.

Ministerij Euangelici confirmatio.

Apostolicæ doctrinæ uerus usus.

inde ab initio reuelati Christi per manus optima fide tradita est, ut ex ea Christum, uerũ seruatorem nostrum agnoscamus. Nam hunc esse uerum usum Apostolicę doctrinę, quæ & uoce & scriptis uulgata est in orbem terræ, Ioannes ipse perspicuè indicat, cùm ad finẽ huius capitis addit: Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum ,, suorꝝ, quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt, ut cre- ,, datis, ꝙ Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis ,, per nomen eius. Videtur ex hac appendice, Ioãnem cogitasse scriptum Euangelĩ sui narratione eius apparitionis, quæ pręcesserit, concludere & absoluere. Et tñ uisum est postea etiam id quod mox sequitur, addere. Nos igitur hanc appendicem diligentissimè considerabimus. Ostendit enim nobis uerum usum Apostolicæ scripturæ, in qua continentur doctrina & miracula Dñi nostri Iesu Christi. Nam quemadmodum Petrus de prophetica scriptura ait: Spiritus Christi testabatur in Prophetis uenturas in Christum afflictiones, priusꝙ acciderent, & quæ essent consecuturę, glorias: quibus & illud reuelatum, quòd haud sibĩpsis, sed nobis hæc ministrârunt, quæ nunc adnunciata sunt uobis: Ita & Ioannes hoc loco significat Apostolicam scripturam, non propter Apostolos ipsos, sed propter nos literis mandatam esse. Hæc, inquiens, scripta sunt. In quem usum? Vt credatis, quòd Iesus est Christus ille filius Dei. Hoc spectat, hoc uult, eò tendit, ad eum exitum properat scriptura Apostolica de doctrina & miraculis Christi, ut credamus Iesum, quem uocârunt Nazarenum, natum ex Maria uirgine, esse Christum filium Dei.

Christo Iesu tribuuntur duo summa.

Duo autem summa & in toto mundo augustissima tribuuntur Iesu Nazareno. Alterum, quod ad naturam eius attinet, uidelicet, quòd sit filius Dei: qua natura nihil potest sublimius dici. Non enim sentiendum est, quòd Iesus sit filius Dei adoptione, sicut pĩ homines, sed quòd sit filius Dei natura, & ab æterno, quemadmodum aliâs copiosè & perspicuè demonstratũ est. Hoc aũt est esse uerũ ac æternum Deum. Quid enim ex natura & substantia Dei aliud quàm Deus nasceretur? sicut & quod ex natura & substantia hominis nascitur, uerus homo sit, necesse est. Agnoscamus igitur Iesum, naturalem filiũ Dei, hoc est, uerũ ab ęterno Deum. Alterũ tribuitur Iesu, quod ad officium eius attinet, uidelicet quòd sit Messias seu Christus. Prophetæ emꝫ uaticinati sunt uenturũ Christum, & liberaturꝫ populum suum ab omnibus malis. Apostolica igitur scriptura de doctrina & miraculis Iesu testatur, hunc Iesum esse uerũ illum Christum, de quo Prophetę sunt locuti. Sed quid utilitatis affert nobis hæc fides, cùm credimus quòd Iesus est Christus filius Dei? Additur: Vt credentes uitã habeatis per nomen eius. Hæc est fidei in Iesum Christum utilitas, uidelicet, quòd hac fide consequamur propter ipsum, uitam. Hoc dictum Ioannis comprehẽdit pauciſsimis uniuersa beneficia Christi. Nomine enim uitæ non intelligenda sunt corporalia quędam bona in hoc mũdo, quæ etsi sunt diuina beneficia, tamen non beant hominem, & Christus non uenit ꝓpter ipsa in hunc mundum, sed intelligenda sunt uera, cœlestia & perpetua bona, uidelicet, Remissio peccatorum, Reconciliatio cũ Deo, iusticia, liberatio in morte, ęterna uita & fœlicitas.

Fidei in Iesum Christũ utilitas.

licitas. Hæc ſunt bona, quæ nobis fide in Ieſum Chriſtum contingunt. Contingunt autem nobis, non merito aliquo humanæ iuſticiæ, ſed PER nomen EIVS, inquit, hoc eſt, propter ipſum Chriſtum, non propter noſtram iuſticiam, ſicut & Paulus ait: Iuſtificantur gratis per illius gratiam, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus reconciliatorem, per fidem, interueniente ipſius ſanguine. Habes hanc eſſe utilitatem Apoſtolicæ ſcripturæ, quòd teſtificetur de Ieſu Chriſto, & de ſalute, quam in ipſo per fidem habemus. Reliquum igitur eſt, ut amplectamur hanc ſcripturam obuĩs, quod aiunt, ulnis, & meditemur in ea diu noctuq́, non ut ſciamus tantum aliquot ſententiolas & miracula ex ea commemorare, ſed ut Chriſtum uera fide ex ipſa cognoſcamus, & ſpiritu Chriſti renouati, uitam homini pio dignam ducamus, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui eſt unà cum Patre & Spiritu ſancto Deus benedictus in ſecula, Amen.

CAPVT XXI.

HOMILIA LXX.

ETSI Ioannes ſuperiori capite, ſiue ſumma ſenectute confectus, (dicitur enim Euangelion ſuum ſcribendum ſuſcepiſſe, natus centum annos) ſiue alia cauſa permotus, finem ſcribendæ hiſtoriæ Euangelĩ facere uiſus eſt, tamen quia certitudo reſurrectionis Chriſti debet in Eccleſia firmiſsimis argumentis comprobata extare, addit adhuc unã apparitionem, qua Chriſtus multis etiam miraculis teſtificatus eſt, ſe non ſolum uerè à mortuis reſurrexiſſe, ſed etiam regnare, & omnibus rebus dominari. Hæc autem apparitio, non in Iudæa, ſed in Galilæa facta eſt: nec eſt illa nobilis, quam Chriſtus ante mortem ſuam, & poſtea angeli promiſerunt: Præcedet, inquientes, uos in Galilæam. Ibi eum uidebitis, ſicut dixit uobis: Sed ea eſt, quæ contigit ad mare Tiberiadis, coram ſeptem tantum diſcipulis, cùm illa altera facta ſit in monte coram diſcipulis pluſquàm quingentis. Non minus tamen & hæc, quæ in præſentia deſcribitur, obſeruabilis eſt. Audiamus igitur de ea narrationem Euangeliſtæ noſtri. Poſtea manifeſtauit ſe iterum Ieſus ad mare Tiberiadis. Manifeſtauit autem ſic: Erant ſimul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilęæ, & filĩ Zebedæi, aliĩq́ ex diſcipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piſcatum. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Exierunt & aſcenderunt in nauim ſtatim, & illa nocte nihil ceperunt. Mane autem iam facto, ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerunt diſcipuli quòd Ieſus eſſet. Dicit eis Ieſus: Pueri, num quid obſonĩ habetis? Reſponderunt ei: Non. At ille dicit eis: Mittite in dextram nauigĩ partem rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piſcium. Hic nobis gradus aliquandiu ſiſtendus eſt, ut conſideremus quis ſit euentus pĩ laboris aut officĩ, quod initio infœlix eſſe uidetur. Habes enim hic, q́ diſcipuli etſi hone-

Laboris aut officij pij euentus.

ſtum & pium laborem ſuſcipiunt, tamen tota nocte fruſtra & infœlici-ter laborent. Non mirum quidem eſt, ſi impietas & ſcelera ſint infœlicia: Non mirum eſt, ſi furi aut latroni parum proſperè conſilia ſua ſucceſſerint, quia diuinitùs ita ordinatum eſt, ut maledicta ſint opera impiorum & ſceleratorum: hoc autem & mirum, & magno offendiculo eſt, ſi quis, cùm rectè & piè facit, infœlix fuerit. Quod cùm homines fieri uident, ſollicitantur exiſtimare, quòd res humanæ non ſint Deo curæ: hoc eſt in corde ſuo dicere: Non eſt Deus. Ideoq; ruunt in contemptum Dei, & ſuſcipiunt inhoneſta quæque facienda, modò ſint coram hominibus tuta, & uideantur fœlicia. De hac re dicamus quædam, ut diſcamus in uocatione Dei conſtanter perſeuerare, etiamſi labor infœlix fuerit, & multa aduerſa accidant. Primùm enim ſi cui pio, in uocatione Dei ambulanti, & recta facienti contingit incommodum, non eſt ſentiendum, quòd hoc incommodum contingat, Deo neſciente, nolente, ac ceſſante, ſed optimè ſciente, uolēte, ac etiam operante & gubernante. Deus non eſt quidem autor peccati, ſed ſine uoluntate & operatione eius nihil cuiquam aduerſi accidere poteſt. In paſsione Chriſti, Deus non creauit impietatem, crudelitatem & immanitatem uoluntatis Iudæ, Pontificum, & aliorum Iudæorum. Hæc enim è Satana eſt, cui ſe hi captiuos tradiderant, & è cuius proprijs peccatum ortum eſt. Et tamen quæcunq; aduerſa & immania acciderunt Chriſto, ea acciderunt ipſi uolente & immittente Deo Patre ſuo. Nam quòd Deus operetur & gubernet, non proſpera tantum, ſed etiam aduerſa nobis, teſtatur primus fidei noſtræ articulus, quo fatemur nos credere in Deum Patrem, Creatorem cœli & terræ. Hoc enim non ſic intelligitur, quòd Deus initiò iſta creauerit, nunc autem ſinat ea pro ſua libidine ferri, ipſo ſpectante tantum ea ocioſè, ſed quòd ſemper ea, quæ creauit, conſeruet, adminiſtret, regat & gubernet. Huc enim reſpicit, quod in Eſaia dicit: Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum. Et in Hieremia: Cœlum & terram ego impleo. Et iterum in Eſaia: Ego Dominus, & non eſt alius, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum, ſeu pœnam, & afflictionem. Ac in Hieremia: Quis eſt iſte, qui dixit ut fieret Domino non iubente, Ex ore altiſsimi non egredientur nec bona nec mala? Et apud Matthæum: Nonne duo paſſerculi minuto aſſe ueneunt? & unus ex illis non cadet in terram ſine Patre ueſtro. Veſtri etiam capilli capitis oēs numerati ſunt. Et Paulus ad Romanos ſcribens: Ex illo, inquit, & per illum, & in illum ſunt OMNIA. Ac Deus adeò oia in omnibus operatur, ut homo ne linguam quidem, imò nec cogitationem cordis ſui in manu ſua habeat. Hominis, inquit Salomon, eſt præparare cor, Dñi aūt gubernare linguam: hoc eſt, homo multa quidem in corde ſuo inſtituit, ſed id intātum non eſt in ſua poteſtate, ut Dñs etiam linguam gubernet, nec homo poſsit aliter loqui, quàm Deus dirigat. Id quod manifeſtè teſtatur exemplum Bileam, qui cogitabat maledicti onem Iſraelis, ſed Deus flectebat linguā ad benedictionem. Et iterum: Cor hominis cogitat uiam ſuam, & Dñs dirigit greſſus eius: hoc eſt, homo uidetur quidem ſuis deliberationibus aliquid agere, ſed Domi-

Aduerſa Deo ſciente & uolente accidunt.

nus

nus omnia gubernat. Et in Psalmo: Intellexisti cogitationes meas de lõgè, siue incedam, siue cubem, es circum me, & uides omnes uias meas. Idem ostendunt etiã confessiones sanctorum. Iob ait: Deus dedit, Deus abstulit. Hìc ingenuè fatetur, aduersa accidisse sibi, non ignorante, nec ociante, sed optimè sciente & operante Deo. Dauid de maledico Simei ait: Dimittite eũ, ut maledicat: Dñs enim præcepit ei, ut malediceret Dauid. Non præcepit quidem Deus Simei manifesto mandato, ut maledicentia inuehatur in Dauidem, Deus enim nõ est Deus uolens iniquitatem, Sed cùm Dauid ait: Dñm præcepisse ei, respicit in generalem actionem Dei, qua non mutatur, sed mouetur impij hominis uoluntas: ac significat, se nequaquam sine uoluntate Dei maledicentia tam uirulenta affligi. Dicit & Christus ad Pilatum: Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi desuper data esset. Itaq; quisquis affligitur aduersis, non nisi uoluntate & administratione seu gubernatione Dei affligitur. Quod cùm ita se habeat, cognoscendum est deinceps, qua Dei uoluntate affligamur, propiciá ne, an irata? uolenté ne perditionẽ an salutem? Ad confirmandum enim animũ in aduersis non satis est ut cognoscamus, quòd affligamur Dei uoluntate, sed necessarium est, ut sciamus qualis sit illa Dei uoluntas, & quid Deus sibi uelit afflictione nostri, interitúm ne an conseruationem. Non est aũt nunc nobis sermo de impijs à Deo abiectis, qui siue bonis siue malis in hoc seculo afficiuntur, descripti sunt in interitum, sed loquimur de populo Dei. Hi siue propter peccata, siue in uocatione Dei rectè & piè ambulantes affligantur, non affliguntur ut pereant, sed ut seruentur. Ac siquidem Deus punit peccata eorum, uult ut resipiscant, & consequãtur salutem: Viuo ego, dicit Dñs, nolo mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Si autem affligit eos infœlici rerum successu, dum ueram pietatem sectantur, non hoc agit, ut perdat eos, sed ut hac infœlicitate præparet eis maiora & diuturniora bona. Ad punctum, in modico, inquit, dereliqui te, & in magnis miserationibus congregabo te. Et iterum: A seculo non audierunt, neq; auribus perceperunt. Oculus non uidit, Deus, absq; te, quæ præparasti EXPECTANTIBVS TE. Et in Psalmo: Expecta Dñm, & custodi uiam eius, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram. Nam, quemadmodum uitis putatur, nõ ut pereat, sed ut copiosiorem fructum ferat, ita pij sunt in hoc mundo infœlices, non ut maneant perpetuò infœlices, sed ut maiorem & illustriorem fœlicitatem accipiant. Et sicut granum iectum & seminatum in agro non interit, sed fœnerat in terra, & producit fructum, aut trigecuplum, aut sexagecuplum, aut centuplum: ita si quid terrenæ fœlicitatis pio in uocatione Dei ambulanti, ademptum fuerit, & proiectum obedientia fidei ac patientia in manum Domini, fieri non potest, quin in grande fœnus excrescat. Hoc docent etiam exempla piorum. Ioseph innocens conijcitur in carcerem, tanq; adulter. Itaque adimitur ei, non libertas tantum, sed etiam quicquid homini in hac mortali uita iucundum est. Cùm autem Ioseph proijceret hoc incommodum fide & obedientia sua in manum Domini, excrescit interea in principatum Aegypti. Iob amittit omnia sua bona, sed reponit ea in manũ Do-

Afflictionũ ratio.

mini: Dñs, inquiens, dedit, Dñs abstulit. Quare paulopòst recipit ea duplicia. Huc etiam facit exemplum discipulorum, qui piscatum abierant, & qui nos in hoc dicendi argumentũ deduxerunt. Hi laborant tota nocte infœliciter, nec quicquam piscium capiunt: Sed cùm expectant Dominum, parat eis interim maiorem uim piscium, quàm sperare potuerint. Sic enim se habet uolũtas Dei in aduersis & damnis piorum. Non uult, ut aduersis seu damnis opprimantur, sed ut maiora prospera & lucra consequantur. Quare primùm omnium curæ nobis sit, ut simus populus Dei, ut agnoscamus Christum fide, & simus membra eius per fidem. Deinde curæ nobis sit, ut in uocatione Dei ambulemus. Quòd si inter hæc, accidunt nobis aduersa, certissimam concipiamus fiduciam, ea nobis adiumento esse in bonum. Sed hac in parte rectè intelligendũ est, quod de lucro & fœlicitate piorum dicitur. Regnum enim piorum non est de hoc mundo. Fieri quidem potest, ut pñ externam etiam fœlicitatem in hoc seculo per aduersa consequantur, sed hęc nec potest esse diuturna, nec compensat grauitatem infœlicitatis. Oculi nostri attollendi sunt in cœlum, è quo nobis omnis fœlicitas expectãda est. Nostrum politeuma, inquit Paulus, in cœlis est, ex quo & seruatorẽ expectamus Dñm Iesum Christũ. Et aliâs dicit Christus ipse: Gaudete & exultate, quia merces uestra copiosa est in cœlis. Non ait, in terris: In his enim afflictionem habebitis, Sed in cœlis. Quare perduremus in rebus asperis & tristibus obedienter, & cogitemus afflictiones præsentis temporis nõ esse pares ad gloriam, quæ erga nos reuelabitur. Sed accedemus nunc ad aliud miraculum, quod in hac apparitione editum est. Nam cùm discipuli tota nocte frustra laborassent, sed ad uerbum Christi tantam piscium multitudinem cepissent, ut præ ea non possent iam rete trahere,

Piorum fœlicitas & lucrum.

» Dicit discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon
» ergo Petrus, cùm audisset, quòd Dñs esset, tunica succinxit se (erat enim
» nudus) & misit se in mare. Alñ autem discipuli nauigio uenerunt: non
» enim longè aberant à terra, sed circiter cubitis ducentis, trahentes rete
» piscium. Habes miraculũ obseruatione dignissimum. Petrus ad cognitionem præsentiæ Christi, impatiens moræ, demittit se ex naui in mare, & ambulat super aquas maris, tanquam super aridam, donec ad Christum in littore perueniat. Sic & antè, apud Matth. cap. 14. fecerat. Cognoscamus igitur huius miraculi usum. Vt enim non est propter solum Petrum editum, ita nec est propter unum aut alterum hominem literis mandatum. Ac initio, non est editum, ut commendet Petrum à merito suæ ipsius iusticię & sanctitatis, ac proponat eum inuocandum, & meritis eius confidendum. Nam in Actis Apostolicis, cùm Petrus accepto iam Spũ sancto sanauerat eũ, qui ex utero matris claudus fuerat, & aspiceretur, concursu hoĩm facto, ueluti Deus quispiam, ingenuè fatetur, hoc miraculũ nec sua nec collegę Ioannis uirtute editum: Quid miramini, inquiens, super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate effecerimus, ut hic ambularet? Deinde nõ est editum, ut immittamus nos temerè, sine uocatione Dei, in aquas, & speremus nos, exemplo Petri, super aquas illęsos ambulaturos. Sed si generalẽ huius miraculi

Petrus mari inambulat.

raculi usum cõsiderauerímus, testat hunc Iesum, cuius interna uocatiõe Petrus aquã maris, tanq; terrã calcat, esse uerũ Messiã, nec aliũ esse seruatorẽ. Sic. n. Ioãnes paulò antè dixit, hęc signa scripta esse, ut credamus, q; Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitã habeamus p nomẽ eius. Et Petrus in Actis Apostolicis de claudo sanato ait: Notũ sit uobis & toti plebi Israel, q; per nomẽ Iesu Christi Nazareni, quẽ uos crucifixistis, quẽ Deus suscitauit à mortuis, per hunc iste astat uobis sanus. Et mox: Nec aliud nomen est sub cœlo datũ inter hoĩes, in q̃ oporteat nos saluos fieri. Si aũt loquẽdum est de speciali huius miraculi usu, docet nos, q; sicut Petrus ex fide suscipiens, pfectionem super aquas seruat, ita quicunq; suscipit ex fide pericula adeunda & sufferẽda, liberetur & seruet. Sed hic rectè intelligẽdum est, q̃d sit pericula ex fide suscipere, & quid sit in periculis seruari. Nam pericula ex fide suscipere nõ est se pro suo arbitratu, aut bona, ut uocant, intentione, periculis obĳcere: sed necessariũ est, ut qui ex fide aditurus est pericula, primũ credat, q; Deus sit ipsi, ppicius, ppter Iesum Christũ filiũ suũ: deinde uocetur uel manifesto uerbo Dei, uel certa spũs reuelatione ad suscipiẽda pericula, & credat se in ĳs diuinitùs adiuuari. Exẽpli gratia: Israelitæ adierũt periculũ maris rubri. Hoc periculum suscepit Moses & alĳ pĳ ex fide, quia crediderunt, iuxta pmissiones ad Abrahã dictas, se esse populũ Dei, & Deũ ipsis ppicium, ppter semen Abrahę, q̃d est Christus, ac habuerunt uerbũ Dei, q̃ mãdabatur ipsis, pfectio p mare. Loquere, inq̃t, filĳs Israel, ut pficiscantur. Dauid aggredit Goliathẽ maxĩo suo periculo, sed aggressus est hoc periculũ ex fide, quia credebat in Christũ Abrahę, pmissum, & excitabat per spũm sctm̃, ad opprimendũ Goliathem, aduersariũ Dei & Israelis, ex unctione, qua à Samuele in regẽ Israelis sanctificatus fuit. Tres adolescentes in Daniele malunt, pĳci in fornacem ardentis ignis, q̃ adorare idolum. Suscipiunt aũt hoc periculũ ex fide, quia credunt Deum ipsis ppicium esse, ppter semẽ Abrahę, & filiũ Dauidis, qui est Christus, & habent uerbũ Dei: Non habebis alienos Deos corã me, Quo uerbo iubent potius uitam suã extremis periculis obĳcere, q̃ idolum adorare. Habes quid sit pericula ex fide suscipere, nũc uideamus quid sit liberari & seruari. Nam liberatio intelligẽda est dupliciter, uidelicet, q; fiat aut corporali, aut spũali modo. Etsi aũt Deus in ĳs periculis, ad quę nos uerbo suo uocat, nonnunq; corporaliter iuuat, sicut Israelitas, Dauidem, & tres adolescentes in Babylone iuuit, tm̃ cùm de diuina liberatione loquimur, præcipuè intelligenda est spiritualis & cœlestis liberatio, quę & regni Christi propria est. In Babylone tres adolescentes liberãtur ex fornace ignis corporaliter. In Machabęis aũt septem fratres, & mater eorũ, non liberant corporaliter, sed tm̃ spũaliter, quia seruantur in morte, & consequunt æternã uitam. Et hęc diuersitas non in diuersis tm̃ pĳs, uerũ etiam in uno pio, diuersis temporibus cõtingere solet. Vide mihi Petrum Apostolum. Hic prędicatione Euãgelĳ adit periculũ & conĳcitur ab Herode in carcerẽ, non post multos dies occidendus: sed Deus liberat eũ corporaliter è carcere, quia mittit angelum, qui ipsum mirabiliter è carcere educat. Postremò autem capitur à Nerone & crucifigitur. Hic nõ liberatur corporaliter, sed tm̃ sp

Pericula ex fide suscipere.

Liberatio dupliciter intelligenda.

ritualiter,quia conſeruat in morte,ad ęternam uitã & fœlicitatem. Hæc eſt maxima oĩm liberatio,quam prȩcipuè nobis ob oculos ponere debemus. Etſi.n.in periculis etiam corporalis liberatio petenda & expectanda eſt,tñ ſi ea nõ fuerit diſertè ꝓmiſſa, ſubĳciamus nos diuinæ uolũtati, & certò ſperemus ſpũalem ac cœleſtem liberationẽ,qua ſola uerã beatitudinem cõſequimur.Sed hactenus de miraculoPetri,in aqua maris ſeruati.Perſtringamus & illud q̃d ſequitur miraculum: Vt ergo deſcenderunt in terrã, uiderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitũ & panem. Dicit eis Ieſus:Afferte de piſcibus quos prendidiſtis nunc.Aſcendit Simon Petrus,& traxit rete in terram,plenũ magnis piſcibus,centũ quinquaginta tribus.Et cùm tot eſſent,nõ eſt ſciſſum rete.Dicit eis Ieſus:Venite,prandete.Et nemo diſcipulorũ audebat interrogare eum, Tu quis es? cùm ſcirent,ꝙ Dñs eſſet. Venit itaq; Ieſus & accipit panẽ, & dat eis, & piſcẽ ſimiliter.Habes iterũ miraculum,nõ minus,q̃ illud prius,obſeruabile.Diſcipuli ex nocturno labore defatigati ſunt,& famelici. Cũ igit nec piſces cepiſſent,nec panẽ haberent,quõ explebunt famem ſuã? Ecce aũt in hac deliberatione poſtq̃ Chriſtus ſe prȩſentem exhibuit, non ſolum capiunt magnã piſcium multitudinem, uerũ etiam inueniunt in littore prunas,piſcem & panẽ,nulla humana ope parata,ut ad prandendũ quantũ ſatis eſt,habeant.Hoc miraculum docet nos,ꝙ nulla ſit alimentorũ indigentia ĩjs,qui ſunt ȩcũ Chriſto & inChriſto,& ꝙ Chriſtus ſuppeditet ſuis oĩm rerũ,quas neceſsitas exigit,abũdantiam &copiã.Quod ut rectè intelligatur,cõſiderandum eſt,quid ſit cũ Chriſto & in Chriſto eſſe.Non em̃ uerè in Chriſto eſſe dicitur,qui corporaliter tm̃ ipſum attingit,quẽadmodum ſȩpè turba hoĩm eum attigit,& ſicut etiãCaiaphas cũ ipſo fuit: ſed eſt Chriſtum uera fide cõplecti,& in Chriſti uocatione ambulare.Qui ſic cũ Chriſto & in Chriſto eſt,huic nihil alimentorũ opportuno ſuo tempore deeſſe poteſt. Chriſtus enim donatur cum oĩbus bonis ei,qui uerè in ipſum credit.Chriſti aũt eſt non cœlum tm̃,ſed etiã terra & plenitudo eius. Et: Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius,oues & boues uniuerſas, inſuper & pecora campi. Quibus ergo rebus carere poſſet tam diuite penu donatus? Huc accedunt ꝓmiſsiones de alimentis:Non in ſolo pane(inquit)uiuit homo,ſed in omni uerbo, ſeu uocatione,quæ egreditur à Dño.Et aliâs: Primùm quȩrite regnũ Dei & iuſticiã eius,& hæc oĩa adĳcientur uobis.Et Paulus: Corporalis(inquit)exercitatio paululum habet utilitatis,at pietas ad oĩa utilis eſt,ut quæ promiſsiones habeat uitę prȩſentis ac futuræ.Pietas aũt uera eſt,credere in Chriſtũ,ꝙ ipſe ſolus ſit ꝓpiciator noſter corãDeo,&in uocationeChriſti ambulare.Hȩc ergo pietas habet ſuas ꝓmiſsiones non tm̃ de cœleſtibus,uerũ etiam de corporalibus huius uitę bonis. Deinde,cũ loquimur de rerũ ſeu alimentorũ abundantia,nõ loquimur de tali abundãtia, qualem uel auari uel prodigi,quibus nihil ſatis eſt,intelligunt, ſed qualẽ neceſsitas noſtra exigit,& qualẽ Deus ipſe nobis prodeſſe nouit.Quęſtus magnus eſt,inqt Paulus,pietas cum aĩo ſua ſorte contento. Nihil em̃ intulimus in mundũ,uidelicet nec efferre quicq̃ poſſumus, ſed habẽtes alimenta & quibus tegamur,his cõtenti erimus.In deſerto pauitDeus Iſraelitas

Miraculum de prunis,piſce & pane in littore.

Cum Chriſto et in Chriſto eſſe quid ſit.

Promiſsiones de alimentis.

raelitas manna, q̃d dicebãt esse leuissimũ cibũ, & potauit eos aqua. Potuisset eis in cibum ꝓponere cõquisitissimas epulas, & in potũ suauissimũ uinũ, sed uisum est eos, ꝓ necessitate, pascere mãna, & potare aqua. Elias ꝓpheta Deo acceptissimus, mittit in fame nõ ad cados uini Cretici, sed ad torrentem Carith. Et cũ fugeret Isabellã, ac prę fame sub iunipero tm̃ nõ deficeret, angelus attulit ei, nõ similã, sed panẽ subcinericiũ: & attulit nõ uasculũ uini Cretici, sed uasculũ aquæ, hęc aũt talia fuerunt, ut in fortitudine eorꝝ ambulauerit quadraginta dieb. & quadraginta noctibus. In Daniele pueri corpulẽtiores & uenustiores reddunt cibo leguminũ, & potu aquę, q̃ꝑ alĩ cibo & potu regio. Ea.n. alimenta, quę diuinitùs bñ dicuntur, uerè fiunt sufficiẽtia & suauia, etiãsi alioqui uident pauca & insuauia. Melius est, inqt Psalmus, modicũ iusto, super diuitias pc̃tõrꝝ multas. Et Salomõ: Melius est parꝝ cum timore Dñi, q̃ꝑ thesauri magni & insatiabiles. Ac iterꝝ: Melius est parꝝ cũ iusticia, q̃ꝑ multi fructus cũ iniquitate. Hęc oĩa eò meditanda sunt, ne quis paupertate pressus Deum abneget, & operã imposturis dandã suscipiat, sed discat in manũ Dñi respicere, & eo, q̃d Deus clemẽter largit, cõtentus esse, ac in timore Dñi ex fide ambulare. Hactenus de miraculis, quæ in hac apparitione Christi edita sunt. Nã hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis (unà uidelicet cõgregatis, priuatim.n. sępius eis apparuit) cũ resurrexisset à mortuis. Meminerimus aũt toties nobis ꝓponi certitudinẽ salutis nostrę, quoties ꝓponitur testimoniũ resurrectionis Christi. Si.n. credimus q̃ꝑ Iesus mortuus est & resurrexit, nihil certius est, q̃ꝑ q̃ꝑ Deus eos qui obdormierunt, ut Paulus ait, per Iesum, adducet cum illo, ut rapiamur in nubibus in occursum Dñi in aẽra, & sic semper simus cum Dño Iesu Christo, qui est unà cum Patre & Spũ sancto Deus benedictus in secula, Amen.

HOMILIA LXXI.

NOn est dubiũ, quin Dñs noster Iesus Christus potuisset ueritatẽ & maiestatẽ resurrectionis suæ nõ minus corã uniuerso mundo, q̃ꝑ corã septẽ tm̃, aut undecim, aut pluribus patefacere & illustrare: Sed quia nondũ erat tẽpus nouissimi diei, q̃ corã toto mundo in maiestate sua apparebit, uoluit resurrectionẽ suã testatã relinquere apud hos prę cipuè, q̃ in uulgãdo Euãgelio suo futuri essent ministri. Deus, inqt Petrus, suscitauit Iesum tertio die, & exhibuit eũ, ut manifestus fieret, nõ toti populo, sed testib. prius ad hoc delectis à Deo, nimirꝝ nobis, q̃ comedimus & bibimus unà cum illo, posteaq̃ꝑ resurrexit à mortuis. Et prę cepit nobis, ut prędicaremus populo, ac testificaremur, q̃ ipse sit ille, q̃ cõstitutus est à Deo iudex uiuorꝝ & mortuorꝝ. Quare, cùm Christus ad mare Tiberiadis satis manifestè, ac multis miraculis cõprobasset corã septẽ discipulis, se uerè à mortuis resurrexisse, ac regnare, instituit à prandio colloquiũ cum Petro, in quo non tã Petrũ, q̃ collegas eius docet, quale futurũ sit ministerium ipsorꝝ in Ecclesia, & quid ipsis faciendum ac patiendum sit. Cùm prandissent, inquit Euãgelista, dicit Iesus Simoni Petro: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Dñe, tu scis, q̃ꝑ amem te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei rursus iterꝝ: Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam Dñe, tu scis, quòd

» amem te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertiò: Simon Ioannis amas
» me? Indoluit Petrus q̃ dixisset sibi tertiò, Amas me, dixitq̃ ei: Dñe tu
» oĩa nosti, tu scis q̃ amem te. Dicit ei Iesus: Pasce oues meas. In hoc collo-
quio, Christus unũ quidẽ Petrum priuatim alloqui uidet, non aũt uult unũ Petrũ in pastorẽ Ecclesię suę ordinare, sed uertit sermonẽ ad Petrũ, primũ, ut cùm Petrus grauissimè lapsus esset, certificaretur iterũ etiã coram alĩs discipulis, se uocationi Apostolicę uerè restitutũ esse. Deinde, ut & collegę eius, q̃ & ipsi antea defecerant à Christo, cognoscerẽt, se ministerio suo, Petri exẽplo, redditos esse. Si.n. Petrus, tantus Christi abnegator, restituit Apostolico muneri, dubiũ nõ est, quin & ipsis pateat ad hoc ministeriũ receptus. Nã q̃d Petro dictũ est, Pasce oues meas, Petrus ipse exponit, q̃ ptineat ad oẽs collegas, nõ solũ eos q̃ tunc p̃sentes erãt,
1. Pet. 5. sed etiã ad illos, q̃ in ministerio prędicãdi Euãgelĩ succesturi essent. Sic emi scribit Petrus. Presbyteros, q̃ inter uos sunt, obsecro, qui sum & ipse presbyter, ac testis afflictionũ Christi, atq̃ idẽ consors glorię, quæ reuelabitur, PASCITE, quantũ in uobis est, gregẽ Christi, curã illius agentes nõ coactè, sed uolẽtes. Pascite, inq̃t, gregem Christi: Non alloquitur nominatim Romanos presbyteros seu Episcopos, quãuis & hos intelligi uelit, sed presbyteros Ponti, Galatię, Cappadocię, Asię, Bithynię, adeoq̃ uniuersę Ecclesię. Nec usurpat sibi dñationem in ipsos, sed cohortat eos ad capessendũ ministeriũ ipsis cõmune. Similiter & Paulus presbyteris Ecclesiæ Ephesinę dicit: Attendite uobis, & cuncto gregi, in q̃ uos spũs sanctus posuit Episcopos ad regendũ Ecclesiã Dei, quã acquisiuit sanguine suo. Et iterũ: Cùm ascẽdisset in altum, captiuã duxit captiuitatẽ, & dedit dona hoĩbus, alios quidẽ Apostolos, alios uerò Prophetas, alios Euangelistas, alios PASTORES ac doctores. Vides non Petrum tantum, sed omnes eos qui piè docent Euangelion Christi in Ecclesia, datos & ordinatos esse in Ecclesiæ Pastores. Quod cùm ita se habet, considerandum est, quòd Christus uocet Ecclesiam suam Agnos & Oues, nõ hircos aut lupos. Agnus enim dicitur inter mille oues uocem suæ matris agnoscere. Sic & Ecclesia Christi, non debet inter tam uarias huius mundi doctrinas, aliam agnoscere, q̃ doctrinam Euangelĩ Christi Domini sui. Ouis animal planè inerme est, pendet autem tota è cura pastoris. Sic & Ecclesia non habet alium tutorem & defensorem, pręter Iesum Christum Dñm suũ. Sed de hac re aliâs copiosè dictum est. Quid ergo amplius dicemus? Num quia Christus ter commendat Petro curam pascẽdi oues suas, deseruit ipse gregem suũ, & reliquit eum in libera Petri potestate? Nihil minus. Christus non deseruit suũ gregem, sed retinet ipse sibi perpetuò officiũ summi ac solius ueri Pastoris. Suscitabo super ea, inquit Ezechiel, pastorem unum, qui pascat ea seruum meum Dauid, ipse pascet ea, & ipse erit eis in pastorẽ. Hic pastor est Iesus Christus, qui & ipse ait: Ego sum pastor ille bonus: Bonus pastor aĩam suam dat pro ouibus. Et Petrus: Conuersi estis nũc ad pastorẽ, & curatorẽ aĩarum uestrarũ. Ac iterũ: Cùm apparuerit ille pastorũ princeps reportabitis immarcesibilem gloriæ coronã. Quare Christus nõ deseruit gregem suũ, cùm dicat: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus, usq̃ ad cõsummationem seculi, sed manet ipse perpetuus pastor. Interim aũt cooptat sibi

Ecclesia Agni & Oues.

Petrꝛ,& alios nõ Apoſtolos tm̃, uerꝛetiam oẽs pios Euãgeliſ̃ cõcionatores,in cooperarios &paſtores,nõ quia ipſe in officio ſuo ceſſet,ſed ut habeat,quorꝛ miniſterio officiũ ſuũ exerceat,&gregẽ ſuũ paſcat.Ego,inqt Paulus,plãtaui,Apollo rigauit,ſedDeus dedit incrementũ.Etmox:Dei ſumus cooperarij̃,Dei agricolatio,Dei ędificatio eſtis,iuxta gratiã Dei, quę data eſt mihi.De his paſtorib.dicitDn̄s per Hieremiã:Introducam uos inZion,& dabo uobis paſtores iuxta cor meũ,&paſcent uos ſciẽtia & doctrina.Hìc habes nõ ſolũ de paſtoribus,uerꝛetiã de paſcuis.Paſcua em̃ Eccleſiaſtici gregis, non ſunt,ut iſti fingunt,traditiones humanæ de diſcrimine ciborꝛ,de ordinibus monaſticis,de indulgẽtij̃s,de ſolennitatib.Miſſarꝛ,de ſtatis ieiunij̃s & p̃cibus,decꝰ alij̃s id genus cõmentis,de quibusChriſtus exEſaia dicit:Fruſtrà me colunt,docẽtes doctrinas prę cepta hoim:Sed uera paſcua ſunt,Euãgelion Dn̄i noſtri Ieſu Chriſti,q̃d ꝓmittit gratuitã remiſsionẽ pc̃tõrꝛ,ꝓpter ſolũChriſtum per fidẽ,& donat ſpũm ſc̃tm̃ ad obediẽdum uocationi Chriſti. Hæc ſunt paſcua, quæ conſeruant gregẽ in ętterna uita. Prędicate,inquit,Euãgelion omni creaturę:Qui crediderit(Euangelio)& baptiſatus fuerit,ſaluus erit.Et iterꝛ: Amen amen dico uobis,Si quis ſermonẽ meum ſeruauerit,mortem nõ uidebit inętternum.Sed reuertamur ad paſtores,& uideamus quid ipſis in hoc officio faciendũ & patiendũ ſit, ut gregem Chriſti rectè paſcant. Primùm, neceſſe habent diligere & amare Chriſtum principẽ paſtorꝛ. Chriſtus.n.non cõmendat Petro curã agnorum & ouium ſuarũ,niſi Petrus prius profiteaṫ,ſe ex corde ipſum amare.Chriſtũ aũt ex corde amare,eſt in Chriſtum credere, ſolum Chriſtũ ꝓ ſuo ſeruatore & expiatore cœleſtis irę agnoſcere,ſolũ uerbũ Chriſti p̃dicare,& oĩa ad gloriã Chriſti referre.Liberi, ſi uerè ex aĩo amauerint parentes ſuos, hoc unũ agũt, ut parentibus gratificentur,ut parentes honorẽt,ut uerbum eorum omni qua poſſunt diligentia obſeruent.Sic &paſtores ouiumChriſti,nihil prius,nihil poſterius ducãt,q̃ ut toti è uerboChriſti pendeant.Quare q̃ nõ prędicant uerbũ Chriſti,nec quęrunt gloriã eius,nõ amant eum. Et quia nõ amant,nõ ſunt ueri paſtores,ſed quęrunt potius ut mactẽt,q̃ ut paſcant oues.Deinde paſtores ouium Chriſti,nõ debent ſentire ſe uocatos eſſe,ad adminiſtranda mundana imperia,&ad fruendas uoluptates huius ſeculi,ſed ad patiẽda multa & magna in hoc ſeculo aduerſa, & ad ſufferendas uarias afflictiones.Sic.n.pergitChriſtus ad Petrum dicere: Amen,amen dico tibi,cùm eſſes iunior,cingebas te,& ambulabas, quò uolebas.Cùm aũt ſenueris,extendes manus tuas,& alius te cinget,& ducet q̃ non uis.Hoc aũt dixit ſignificãs,qua morte glorificaturus eſſet Deum.Hęc eſt concio de cruce paſtorũEccleſię.Etſi aũt alius alio crucis genere affligitur:non enim oẽs crucifigunt̃,ſicutPetrus:non oẽs gladio decollantur,ſicut Iacobus & Paulus:non omnes lapidantur, ſicut Stephanus, omnes tn̄ ſuas habent calamitates in hoc ſeculo, non illas tantũ cõmunes humani generis, ſed iſtas etiã ſpeciales & perſonales, de quibus Chriſtus dixit:Ecce ego mitto uos ſicut oues in medio luporum. Et iterum:Si me perſecuti ſunt,&uos perſequentur.Audiamus ergo dePetri cruce.Nam quòd Chriſtus concionetur ei hoc loco de mortis ſuæ gene

Paſtorum officium,ut recte paſcant gregem Chriſti.

Amare Chriſtum.

Crux paſtorum Eccleſiæ.

re,Ioannes ipſe ꝓſpicuè exponit,cũ addit,hęc dicta eſſe,ut ſignificet,quã morte Petrus glorificaturus eſſet Deum. Cũ eſſes,inqt,iunior. Hęc locutio ſumpta eſt à moribus puerorũ & iuuenum. Pueri.n.cũ nondũ perętatẽ ſapiũt,nõ coercentur legibus,ſed permittunt ſua puerili libertate frui. Ambulãt,q̃ uolũt. Non cõmittitur eis aliquod certũ negocij genus,ſed cõcedit,ut liberè ſuis puerilibus ludis occupent. Poſtq̃ aũt adoleuerint, & iam ſapere ac ſeneſcere incipiunt,nõ datur eis liberè,quò uolũt,uagari,ſed coercent diſciplina,tradũtur uel literis uel opificijs erudiendi:deinde ſubijciunt legibus reip. neceſſe habẽt obedire magiſtratui, adeoq̃ alieno arbitrio uiuere. Sic & Chriſtus de Petro dicit: Cũ adhuc eſſes iunior,hoc eſt,dũ adhuc nouus es Apoſtolus,ambulas,q̃ libet. Hactenus ſecurus & liber ambulaſti in tuo Apoſtolatu. Nõ es ꝓhibitus à miniſterio tuo,nũcq̃ es ab aduerſarijs coercitus uirgis,nuncq̃ coniectus in carcerẽ,ſed liberè uerſatus es in tua uocatiõe. Ac paulò poſt etiã frueris hac libertate. Etſi.n.cõprehenderis aliq̃ties in carceres,tñ educẽt te angeli,ut liberè fungaris tuo miniſterio,Euades è manibus principis ſacerdotũ & Herodis,ut ambules in officio tuo,q̃ uolueris. Poſtq̃ aũt peruenerís ad terminũ Apoſtolatus tui,& fueris iam ſenex Apoſtolus, ibi tùm extendes manus tuas,hoc eſt,crucifigeris. Qui.n.crucifigũt,neceſſe habẽt manus extendere. Et alius,uidelicet Nero aut ſpiculator eius cinget te,& ducet te, quò nõ uis. Petrus.n.affixus eſt cruci à Nerone, capite in terrã uerſo, & pedibus in ſublime eleuatis. Sed qd̃ nũ Petrus nolens,& inuitus ſubijt crucẽ ꝓ Chriſto? Dicit.n. Ducet te,q̃ nõ uis? Crucifigi quidẽ uoluit ſpũ, ut uocationi Chriſti obediret,ſed noluit carne. Habes idẽ in Chriſto ipſo: Pater mi(inqt)ſi poſsibile eſt,tranſeat à me calix iſte,uerũtamen non ſicut ego uolo,ſed ſicut tu. Vides Chriſtũ nolle & uelle crucẽ. Sed maximũ eſt diſcrimẽ inter Petrum & Chriſtũ. Petrus nõ uult crucẽ carne,hoc eſt,humana natura,q̃ in Petro corrupta eſt pctõ originali,ideoq̃ cp non uult crucẽ,coniunctũ eſt in eo cũ pctõ,q̃d tñ ꝓpter Chriſtũ cõdonatur. Chriſtus aũt nõ uult crucẽ carne,ſed ſine pctõ. Homo.n.natura ſua diuinitùs creata,abhorret à cruce & morte. Hęc aũt natura,in reliquis quidẽ hoĩbus uiciata eſt pctõ: In Chriſto aũt eſt ſine omni uitio & pctõ. Habemus, inqt Apoſtolus, Pontificẽ tentatũ per oĩa iuxta ſimilitudinẽ abſq̃ pctõ. Quare,cùm talem, tamq̃ ſctm̃ habeamus Pontificem Ieſum Chriſtum,accedamus cum fiducia ad thronũ gratię eius,ut etſi caro noſtra in ſufferenda cruce pugnat cũ ſpũ,nos tñ uincamus carnis pctm̃, per Chriſtum,& obſequamur uoluntati Dei. Sed nec illud prętereundum eſt,cp Ioannes crucẽ & mortem Petri,uocet glorificationẽ Dei: Significans(inquit)qua morte glorificaturus eſſet Deũ. Nam cũ Petrus affixus eſt crucí ꝓpter doctrinã Chriſti,teſtatus eſt morte ſua,Euãgelion de Ieſu Chriſto uerũ eſſe,uidelicet,cp hic Ieſus,ſit uerus Chriſtus,ſeu Meſsias, ac uerus filius Dei, propter quẽ ſolum Pater ſit nobis, credentibus in ipſum, propicius. Hæc autem magna eſt gloria Dei patris ac filij eius,cp Pater propter filium tam miſericors ſit,ut etiam extrema & perpetua ſupplicia meritos ſeruet,ac donet eis cœleſtem fœlicitatem, ſi in filium ſuũ crediderint. Admoneamur aũt hoc loco de noſtro officio, ut nos ſic inſtitua-

Acto.5.12.

Mors Petri glorificatio Dei.

mus,

mus,quo oēs nostrę actiones & passiones sint glorificatio Dei. Sicut.n. Deus creauit cœlum & terrā,non ut sint ociosa spectacula,sed ut ex ipsis cognoscat Deus,quēadmodum Paulus docet:ita creauit hoīem in hunc usum,non ut uentri suo seruiat in hac terra,sed ut Deū glorificet. Glorificatur aūt Deus,primū fide,inuocatione noīs eius, & publica prędicatione de bonitate,de clementia,decp alijs uirtutibus eius:deinde obsequio uerbi eius,& bonis operibus,quę ipse uerbo suo mandauit. Qui.n. hæc agit,prędicat ipsis operibus,Deum dignū esse summa ueneratione,& adoratione. Postremò glorificat etiam obediētia & patientia in sufferendis aduersis,& in tolerāda morte diuinitùs imposita. Nā qui hęc obedienter suffert,,pfiteturDeum ea maiestate prędituin esse,ut nemo debeat uoluntati eius resistere,& bellum cū ipso suscipere,sed se totum ipsi subijcere. Hic est usus, in quē positi sumus in hoc seculo. Inuocemus igitur Dñm,ut spiritu suo mētes nostras illustret,& uirtutes largiatur,quò piè & diligenter officio nostro fungamur per Iesum Christū Dñm nostrū, qui est unà cum Patre & Spū sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Deus ab homine quomodo glorificetur &c.

HOMILIA LXXII.

NOndū absoluimus colloquiū Christi cū Petro,q̄ colloquio, etsi Ioānes Euāgelista absoluit suū librum,quē de doctrina et miraculis Christi cōscripsit,Christus tn̄ nō absoluit,nec abijcit curā suā, quā p Ecclesia sua suscepit. Nā instituit etiā hoc colloquium cū Petro,non tā Petri,cp uniuersę Ecclesię gratia. Cùm em̄ antea exposuisset Petro,non solum mortem,uerūetiam genus mortis, q̄ esset ipsum glorificaturus, nūc exponit ei idem de genere mortis paulò clarius. Dicit.n.ei:Sequere me. Hoc intelligendum esse de simili mortis genere,q̄ Christus diem suū obijt,perspicuè significant circūstantiæ huius loci,& testat euētus,ut sit sentētia:Sicut ego crucifixus sum,ita tu crucifigeris. Quid ergo? Nū hęc Petri tm̄ causa cōmemorantur? Nequacp, sed quę Christus cū Petro loquitur,erudiunt uniuersam Ecclesiā,& docent,quanta cura Christus ipsam cōplectatur. Vidit .n. Christus longè antè,quid euenturū esset Petro. Nam q̄d de crucifixiōe Petri dicitur,nō statim eo anno q̄ Christus resurrexit,impletū est,sed triginta septem annis post,ultimo uidelicet Nerōis anno. Nunquid aūt Christus uidet tm̄ crucem Petri,& non uidet liberationem ac salutem eius? Absit. Ideo em̄ Petro de genere mortis eius concionatur, ut significet se de conseruatione eius in morte longè antè deliberasse,& salutē certam constituisse. Nā cùm aliâs Petrus diceret ad Christum:Ecce nos reliquimus omnia,& secuti sumus te. Quid ergo erit nobis? audit. Amen dico uobis,quòd uos qui secuti estis me in regeneratione,cū filius hominis sederit in sede maiestatis suæ,sedebitis & uos super sedes duodecim,iudicātes duodecim tribus Israel. Quod autem de Petro dictum est, hoc intelligendum erit pro suo modo,de uniuersa Ecclesia Christi. Nulla em̄ afflictio nulla aduersitas accidit Ecclesiæ,quam Christus non longè antè prę uiderit. Nō prævidit autem,ut cognoscat tm̄, sed potius ut deliberet & cōstituat de uia ac modo q̄ sit Ecclesiā seruaturus. Nuncp enim cōmitteret, ut Ecclesiæ aduersa accidērēt,nisi ea essent Ecclesiæ utilia,& liberatio certissima

Ecclesiæ afflictiones longè prævisæ.

eſſet cõſtituta. In Pſalmo ait Dauid: In te cõfirmatus ſum ex utero, de uẽtre matris meę, tu es protector meus. Et iterũ: Confitebor tibi, qꝓ mirabiliter formatus ſum, mirabilia opa tua, & aĩa mea cognoſcet nimis. Non eſt occultatũ os meum à te, qñ in occulto formabar, qñ fingebar infrà in terra. Cũ adhuc eſſem informis maſſa, me uidebant oculi tui, & oẽs dies mei, qrũ nullus adhuc aderat, ſcripti erant in libro tuo. Huc ꝓtinet illud ꝙd Chriſtus ait: Nónne duo paſſerculi minuto aſſe ueneũt? & unus ex illis nõ cadet in terrã ſine patre ueſtro. Veſtri etiã pili capitis oẽs numerati ſunt. In Geneſi cap. 15. uidet Deus lõgè antè, quãta mala euẽtura ſint poſteris Abrahæ: Scito (inqens) qꝓ peregrinum futurũ ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubĳcient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis. Non ſolum aũt uidet afflictionẽ, ſed etiã conſtituit liberationẽ. Niſi emꝫ hanc prę̃ſtare uellet, ac poſſet, illam, ut fieret, non permitteret. Verũ tamen, inqt, gentem cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo: & poſthęc egredientur cũ magna ſubſtãtia. Hęc nobis diligẽter cognoſcẽda ſunt, ut cùm inciderint aduerſa, cogitemus ea non accidere inſcio Deo, nec conemur ea impietate aut ſceleribus deuitare: ſed ſiqdem poſſumus ea diuino fauore, & iuſta uia euadere, utamur bñficio Dei grato aĩo. Si aũt nulla patet nobis iuſta euadendi uia, tradamus nos in obſequiũ Dei patiẽter, & expectemus Dñm in ſilentio & ſpe, certa fiducia cõcepta, qꝓ Dñs, qui eſt afflictionis autor, ſit etiã ꝓpicius noſter ſeruator ac liberator. Sed reuer
» temur ad Petrũ. Poſtqꝫ enim audĳt ſe glorificaturũ Chriſtum cruce: Cõ
» uerſus, uidet illũ diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & re
» cubuit in cœna ſuper pectus eius & dixit, Dñe, quis eſt ille qui tradet te?
» Hunc ergo cùm uidiſſet Petrus, dicit Ieſu, Dñe, hic autem quid? Dicit ei
» Ieſus, Si eũ uelim manere, donec ueniã, quid ad te? Tu me ſequere. Etſi Petrus non uidetur maleuolo, ſed prorſus beneuolo erga collegam ſuũ Ioannem aĩo, de genere mortis eius interrogare, tñ curioſitas eius haud immeritò reprehenditur, & audit: Quid tua refert, quo tempore, & quali mortis genere aliũ ex hoc ſeculo euocem. Tu tua curato, & para te ad hoc ſufferendũ ꝙd ego tibi immitto. Sicut aũt ſolet curioſitate uarĳs modis peccari, ita hoc ꝙd ad Petrum dicit, Quid ad te? Tu me ſequere, latiſſimè patet. Alĳ. n. excitati nimia ſua ſapiẽtia, negligunt ſuã uocationem, & curant aliena negocia. Hic ſolet ferè priuatorũ hoĩm morbus eſſe, qui nulla aut minima tenẽtur cura domeſticę ſuę adminiſtrationis, interim autem uſurpant ſermonibus ſuis, in omnibus foris & tonſtrinis, negocia magiſtratus gubernanda. Odioſum hominũ genus, ad quos meritò dicitur: Quid ad te magiſtratus functio? Tu cùm ſis priuatus, & habeas familiam domi curandam, tuas res agito, & ſectator eam uocationem, in qua Deus te collocauit. Vnde & Petrus ipſe hoc Chriſti reſponſo edoctus, ſcribit: Ne quis ueſtrum affligatur, ut ἀλλοτριοεπίσκοπος, ſeu alienarũ rerum curioſus. Alĳ excitati ſuperſtitione, & admiratione alienæ ſanctitatis, deſerunt legitima uitę ſuę genera, & ſequuntur exempla Sanctorũ, ſine uerbo Dei. Hi ſunt Sanctorum Simię. Imitantur opera eorum, cùm tamen longè abſint à fide ipſorũ. Sic multi imitati ſunt ueteres Eremitas, quos audiuerunt pane tãtum, imò ne pane quidem, ſed radicibus tantũ herbarum

Vocatio ſectanda, Curioſitas uerò uitanda.

Curioſitas omnium ordinum.

herbarꝫ uictitasse. Et q̃d nõnulli illorꝫ ex uocatiõe Dei, & terꝫ oĩm penuria, cũ persecutiões fugerẽt, fecerunt, hoc imitant̃ hi nulla Dei uocatiõe, sed tm̃ sua ipsorꝫ superstitione, ut horꝫ operꝫ iusticia expient pc̃tã, & mereant̃ regnũ cœleste. Minoritæ, q̃s ita uocant, notissimũ monachorꝫ genus in Põtificia religione, nõ attingunt nudis digitis pecuniã, idq̃ uolũt uideri facere exemplo Apostolorꝫ, q̃s Christus sine pecunia emisit. Sed q̃d Apostoli fecerunt ex uerbo Christi, & ex prẽsenti necessitate, hoc illi faciunt ex hypocrisi, & impietate, ut uel uideant̃ alĩs sanctiores, uel mereant̃ hoc opere gratiã apud Deum. Moses, Elias & Christus Dñs noster, ieiunarunt totis quadraginta diebus & noctibus, idq̃ fecerũt diuina uocatione, & cõseruatione. Etsi aũt nullus hoĩm potest suis uiribus hoc exemplũ sic ut isti fecerunt, imitari, tm̃ hi, qui sibi uendicant dominationẽ in Ecclesiam, instituerunt ad exẽplum istorꝫ, ieiunium, ut uocãt, quadragesimale, quo hoĩes pc̃tã sua coram Deo expiarent. Hoc aũt nihil aliud est, cq̃ exemplo Christi, contra Christum ieiunare. His ergo ineptis imitatoribus haud iniuria dicitur: Si ego uolui, ut hic aut ille in deserto uitã ageret, aut ut multis diebus absq̃ corporali cibo conseruaretur, quid ad te? Tu me sequere: Tu q̃d ego tibi prẽcipio, facias. Alius. n. aliam habet uocationẽ. Et ut in corpore humano, una est aĩa, una uita, multa aũt mẽbra, quorꝫ unumquodq̃ suũ habet officium, nec congruens est, ut manus arroget sibi officium oculorum, aut oculi arrogent sibi officium manuum. Ita etiam in corpore Ecclesiæ, unus est Christus, una fides, uaria aũt sunt mẽbra, quæ & uaria & distincta habent officia, atq̃ uocationes. Diuisiones donorum sunt, inquit Paulus, sed idẽ spiritus, & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dñs: & diuisiones operationum sunt, sed idem est Deus efficiẽs oĩa in omnibus. Quare in hoc quisq̃ studium incumbat, ut sinat alios suo dono stare, ipse aũt suo dono & ministerio cõtentus uiuat. Alĩ excitati carnali affectu, inuident alienæ fœlicitati, & quia putãt se tantò infœliciores, quantò fœliciores alios uident, oẽm lapidem, q̃d dicitur, mouent, ut q̃quo modo, siue iure, siue iniuria, alienã fœlicitatẽ in se transferant, aut si hoc nõ queant, eam saltẽ in alio impediant. Sic pauper inuidet diuiti suas diuitias: sic alter inuidet alteri suũ honorẽ, potẽtiam, magistratũ, doctrinã, & si qua sunt alia. Vulgatissimum hoc est uitium inter hoĩes, sed singulis dicitur: Si uolo hunc aut illum diuitem, potentem, honoratum, doctũ, quid ad te? Tu me sequere. Tu tuo dono sis contentus. In hoc uel ornando uel exercendo meã sequere uocationem. Quid. n. profuerit tibi tua inuidia? Paulus commemorat inuidiam in eorum scelerum catalogo, in quo recensẽt cædes & homicidia. Nec obscurum est, q̃ inuidia, quę est homicidium coram Deo, impellat hominem etiam in externum homicidium, & in omnia genera malorꝫ. Exemplo sunt Cain, Saul, Iudæi, & multi alĩ. Quid enim? Num speras te posse contra uoluntatem Dei alteri nocere, & donum Dei ab eo auferre? Potes quidem, conniuente Deo, proximũ inuidia tua in aliquod externũ incommodum conĩcere, sed Deus cõpensat illi, si pius est, maiori cõmodo, & tu conĩcis te in extremã internecionem. An non Cain ppetuis terroribus ita obrutus fuit, ut etiam in ĩs perierit? Quid Saul? nonne tandem & uitam & regnum amisit? Iudęi inuidia sua adegerũt Chri-

Sanctorum sanctę ordinationes.

Inuidia.

stū in crucē, sed Christus per crucē intrauit in gloriā Patris sui, illi aūt a-
miserunt tā terrenam q̄ cœlestē salutē. Quòd si officiū nostræ probè cōsi
derauerimus, certè debemus Dño Deo nostro hunc sapiētiæ & iusticiæ
honorē, ut sentiamus eū optimè & rectissimè dona sua hoībus distribue
re. Quare si cui alteri donū Dei contigerit, q̄d nobis negatum est, nō suc
censeamus iudicio Dei, sed tribuamus ei gloriā rectè rerū administratio
nis. Nec̄ p. n. Deus idcirco te odio habet, q̄ confert in aliū maiora dona,
sed potius quia tibi fauet & imbecillitati tuę parcit, minora imponit. An
nō paterfamilias peregrè profecturus, & res suas domesticas aliò tralatu
rus, maiora imponit onera filio robustiori, q̄ filio adhuc penè infanti?
Conquerer̄ ne infans se à parente odio haberi, q̄ nō imponatur ipsi gra
uius onus? Sed certè nihil prorsum habes, q̄d cōqueraris. Ecclesia enim
unum est corpus sub capite Christo, Dño nostro. In corpore aūt, q̄d do
Donorū Dei distributio. num in unū mēbrum cōfertur, hoc cedit in in utilitatē singulorū etiā mē
brorū. Nec̄ p. n. oculus sibi tm̄ uidet, sed uidet tam manibus, q̄ pedibus.
Nec̄ auris sibi tm̄ audit, sed audit toti corpori. Sic & in Ecclesia, q̄d De-
us in unū Ecclesię membrum confert, hoc toti corpori, & membris eius
prodest. Quare non est alienis donis inuidendū, sed potius nobis con-
gratulandum, & Deo gratię agendæ, q̄ Ecclesiam suā tam prudenter ad
ministret, ut etsi alīs alia dona confert, unam tm̄ salutem operetur. Cęte-
rum quod Christus de Ioanne dicit, hoc Ioannes quidē rectè intelligit,
» alī aūt secus intelligunt. Vnde sequitur. Exīt ergo sermo iste inter fra-
» tres, q̄ discipulus ille non moreretur. Et non dixerat ei Iesus: Non mori
» tur. Sed si eum uelim manere, donec ueniā, quid ad te? Ioannes scribitur
uixisse usq̄ ad sexagesimum octauū annū post Passionem Christi. Qua-
Ioannes Euā gelista an sit mortuus. re cùm Christus dixisset: Si eum uolo manere, donec ueniā, & Ioānes cō
seruaretur tot annis inter tam uaria pericula, & sæuas persecutiones, ui-
debatur euentus ipse significare, sermonem Christi intelligendū esse, q̄
Ioānes nunc̄ esset moriturus. Sed Ioānes ipse refutat hunc errorem. Et
tm̄ ne sic quidē potuit effugere humana de morte sua figmenta. Fuerunt
enim, qui uulgârunt ipsum, quamuis sepultū, & terra obrutū, adhuc spi
Fabulae de Ioh spirante C. rare, cuius rei argumento sit, q̄ terra in eo loco, anhelitu eius quasi ebul
liat. Etsi aūt Ioannes in Christo seruatore nostro, uerè & perpetuò uiuit,
sicut & oēs alī pī, ac Deus oīpotens rerum oīm creator, maiora miracu
la edere potest, q̄ hominem multis annis sub terra corporaliter uiuum
conseruare, tm̄ quia Ioannes ipse testatur sermonem Christi nō sic intel-
ligendū esse, & quæ de anhelitu eius iactata sunt, incertis autoribus con
stant, sentiamus eum uerè mortuum esse, conseruari tm̄ in Christo ętер-
na uita. Nostri uerò officī est, ut uerba diuina non oscitanter percurra-
mus, nec de ipsorum sententia, secundum præsentem & externum euen
tum iudicemus, ne ex uita mortem, & ex morte uitam faciamus: sed per-
pendamus eas maxima oīm diligētia, & inuocemus Deū Patrem, per le
sum Christum filiū suū, ut spū sancto suo mentes nostras illustret, ac ue-
rā sententiam nobis aperiat, in qua & ꝑpetuò nos conseruet. Porrò, cū
uisum est Ioāni, se satis testimoniorū de persona Christi, de officio Chri
sti, de doctrina & de miraculis, ac etiā de resurrectione eius à morte, lite

ris

ris mandasse,concludit librum suũ,& addit:Hic est discipulus ille, qui "
testimonium perhibet de his,& scripsit hæc. Et scimus quòd uerum est "
testimonium eius.Sunt autem &alia multa,quæ fecit Iesus,quæ si scribã "
tur per singula,ne ipse,opinor,mundus caperet eos, qui scriberentur li- "
bros.Initio,cùm Ioannes facit mentionem testimonij: Qui testimoniũ, "
inquiens,perhibet de his,significat se suscepisse hęc scribenda non teme
rè,sed ex officio & uocatione.Apostolorum enim officium fuit,testifica
ri de Iesu,ꝙ esset uerus Messias seu Christus.Cùm uenerit(inquitChri
stus)paracletus,quem ego mittam uobis à Patre,spiritus ueritatis qui à
Patre procedit,ille testimonium perhibebit de me. Quin & uos testes
estis,quia ab initio mecũ estis.Et iterũ:Eritis mihi testes, non solum Hie
rosolymis,uerũetiam in uniuersa Iudæa, Samariaꝙ, denicꝙ usꝙ ad ex-
trema terræ. Deinde Ioannes cõmendat testimonij sui Veritatem: Sci- *Testimonij Ioannis ueritas.*
mus,inquiens,ꝙ uerum est testimoniũ eius.Sed unde hoc scimus? Hoc
docet ipse in priori sua epistola cap. 1. Audiuimus, inquit,uidimus ocu
lis nostris,perspeximus,& manus nostræ contrectauerunt. Vnde & Pe
trus ait:Non possumus,quæ uidimus &audiuimus,non loqui.Et iterũ:
Hunc Iesum Deus suscitauit tertio die,& exhibuit eum, ut manifestus fi
eret, non toti populo,sed testibus prius ad hoc delectis, nimirũ nobis,
qui comedimus & bibimus unà cum illo,posteaꝙ resurrexit à mortuis.
Quid, ꝙ Ioãnes non solum accepit unà cum alijs collegis suis spiritum
sanctum in die Pentecostes,uerumetiam edidit multa & magna miracu
la in noĩe Christi,de quibus aliâs diximus? Quare de ueritate testimo-
nij eius,quod perhibuit Iesu Christo,intantũ non est dubitandum, ut si
angelus de cœlo aliud nobis adnunciaret, pro anathemate habendus
esset.Sed usum huius scripti Ioannes suprà recitauit, cùm ait: Hæc scri-
pta sunt,ut credatis,ꝙ Iesus est Christus ille filius Dei,& ut credentes ui
tam habeatis per nomen eius.Postremò excusat breuitatem scripti. Tan
ta est magnitudo & multitudo rerũ gestarum, cõcionum ac miraculorũ
Christi,ut si singula scriberentur, mundus nõ caperet libros,hoc est,ne
cesse foret tam multos libros scribere, ut nulla ferè hominis ætas suffice
ret,quæ posset eos libros legẽdo percurrere.Itaꝙ,ut imbecillitati hoĩm
consuleretur,ex multis,imò innumeris,pauca,quæ adnotarentur, dele-
cta sunt.De infantia enim Christi,pauca admodũ extant, de adolescen-
tia eius pauciora.Sed dubium nõ est,quin diuino consilio factum sit, ꝙ *Quare non omnes res gestæ Christi conscriptæ sint.*
non oẽs res gestę Christi in adolescentia ipsius literis sint mãdatę,ne ui
delicet daretur occasio superstitiosis,ex quibusuis puerilibus Christi a-
ctionibus singularem ordinem monasticũ instituẽdi. Vide mihi,quid
de uno tantum Christi uerbo factum sit. Cùm enim Christus emitteret
Apostolos suos,iussit eos abire sine auro,sine argento. Hoc arripuerũt
hypocritæ,quos uocant Minoritas,& instituerunt,ut qui sunt suæ pro-
fessionis,non cõtrectent pecuniam.Si uno exemplo hypocritæ sic abusi
sunt,quid factũ esset, si omnes pueriles Christi actiones fuissent literis
ad posteros propagatę? De officio autem Christi,quod tricesimo ętatis
suæ anno publicè faciẽdum suscepit,extant quidem satis sufficientia,sed
tñ & ipsa pauca sunt, si referantur ad omniũ rerum gestarum summam.

Neq; enim omnes conciones Christi, neq; omnia miracula eius conscripta sunt. Matthæus dicit: Iesus circuibat totam Galilęam, docens in Synagogis illorum, ac prædicans Euangelion regni, & curans OMNEM morbum, & OMNEM languorem in populo. Et adduxerũt ad illum OMNES male affectos uariis morbis ac torminibus contractos, & dæmoniacos, & lunaticos, & paralyticos, sanauitq; illos. Quantam putas fuisse multitudinem male affectorum, in regione tam lata & spaciosa? Totigitur miracula edita sunt, quot male fuerunt affecti. Et iterum dicit Matthæus: Adduxerunt illi dæmoniacos multos, & eiecit spiritus uerbo, OMNES QVE male habentes sanauit. Et apud Marcũ, necesse habet nauicula secedere, ne turba ipsum premeret. Multos enim sanauerat, ita ut irruerent in eum, quò illum tangerent, quotquot affligebantur. Et Petrus: Iesum Nazarenum unxit Deus spiritu sancto & uirtute, qui obambulauit benefaciendo & sanando OMNES oppressos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Quota autem parshorum miraculorum singulatim literis mandata est? Quàm pauca etiam conscripta sunt de ijs rebus, quæ in nomine Christi gestæ sunt per Apostolos post Pentecosten? Paulus testificatur suo tempore, Euangelion prædicatum esse apud uniuersam creaturam, & fructificare in toto mundo. Obsecro te, quàm insignes putas Apostolos habuisse conciones de Christo? q̃p memorabilia edidisse miracula in nomine Christi? Sed hæc plura fuerunt, quàm quæ scribi potuerint. Quare quæ scripta sunt, magna diligẽtia conseruemus, & agamus Domino Deo Patri per Iesum Christum summas gratias, pro hoc beneficio, quòd uisum sit ipsi, ut Euangelion filij sui non solum uulgaretur inter gentes uoce Apostolorum, sed etiam propagaretur ad posteros scriptis eorum. Nihil enim eorum quæ nobis ad salutem nostram cognitu necessaria sunt, omissum est. Nam in hac Apostolica scriptura, quæ ad posteros propagata est, reuelatur & illustratur Christus filius Dei satis luculenter. Reuelato aũt & illustrato Christo, nihil nobis ad uerã salutem deest, nisi nobis ipsis impietate & incredulitate defuerimus. Nam quod ad Christum attinet, quisquis accipit ipsum per fidem, is accipit remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, adoptionem in filium & hæredem Dei, liberationem à morte, & æternam beatitudinem, idq; nullis prorsum meritis humanæ iusticiæ, sed gratuita tantum misericordia, propter Iesum Christum unicum & solum Seruatorem nostrum, qui est unà cum Patre & Spiritu sancto Deus benedictus in secula, Amen.

Colo. 1:

FINIS.

INDEX

INDEX IN HOMILIAS D. IOANNIS BRENTII SVPER EVANgelion Ioannis.

A

Aaronici & Romani pontificatus collatio 597
Abiecta Deus eligit 271
Abimelech filius Gideonis 209
Abitus Christi ingressus est in maiestatem Patris 750
Abner proditor est Isboset 315
Abram nominatur Abraham 124
ab Abraamo ad Christum anni sunt 2012 496
Abrahami consanguinitas 59
Abrahæ consanguinitas duplex 471
Abrahæ fides 470
Abrahæ filius maximo cum fœnore restituitur 237
Abrahæ nobilitas 461
Abrahæ opera & uirtutes 470
Abrahæ posteritas adulterina Iudæi 469
Abrahæ posteritas uera ibidem
Abraham quàm diu cum Noha uixerit 787
Abraham quomodo uiderit diem Christi 494
Abraham seruatus beneficio Christi ibidem
Abrahæ sinus 307
Abraham uiuit 496
Absolom filius Dauidis 209
Absolom honorem regium sumpsit illegitimè 315
Acta Pilati Ethnicorum liber 454.900
Adam Deo inobediens 458
Adæ & Christi collatio 79
ex Adam nati quales sint 177
Adæ perizoma ex foliis ficus contextum 268
Adami & Euæ perizomata quid significarint 202
Adæ plenitudo 79
Adamo prohibetur esus pomi 673
Adam quomodo corruptus sit 176
Adam typum gerit Christi 79
Adam ubi sepultus sit 922
Adam uetus 176
Adiaphora in cultum Dei instituta 901
Adolere thymiama cultus carnalis 253
Adonias aspirauit ad regiam maiestatẽ illegitimè 315
Adoptio quale beneficium afferat recipientibus Christum 55
Adoptatorũ à Deo in filios propter Christum fœlicitas 945
Adorare Deum spiritu & ueritate 250
Adorare quid sit 244
Adorare scabellum 26
Adulterium 432
Aduentus Christi tempus inter Iudæos uulgatum 256
Aduersarij Christi cur non statim pereant in hoc seculo 486
Aduersariorum Christi descriptio 367
in Aduersis consolatio 832
Aduersa Deo sciente & uolente accidunt 958
in Aduersis fiducia non abijcienda 571
Aduersa piorum corporalia & spiritualia 701
Aduersariorum minæ non metuendæ 604
Aduersarijs suis Christus formidabilis 423
Adulterij lex 434
Aegyptius pseudopropheta 321
Aegritudines corporales quid sint 283
Aegroti, cæci, claudi quid nos admoneant 279
in Aegrotatione quid faciendum 287
Aenon 204
Aeterna uita datur propter non per fidem 229
Aeternitas Dei est eius hodiernus dies. 19
Affectus Dei 775
Afflictionum causæ 501
Afflictio Christi omnium grauissima 832
in Afflictionibus corporalibus quomodo orandũ 863
Afflictiones cur pijs immittantur 632
Afflictiones Ecclesiæ an sint perpetuæ 816
Afflictiones Ecclesiæ cur immittantur 754
ex Afflictionibus externis an petẽda sit liberatio 862
in Afflictionibus Ecclesia seruatur 833
Afflictionum genera 854
Afflictio generalis generis humani 834
in Afflictionibus humanæ sapientiæ iudicium 499
Afflicti in inuocatione perseuerare debent 142
Afflictiones, in quibus Christus petit ut Apostoli seruentur 858
Afflictiones piorum 679
Afflictio piorum peculiaris 834
Afflictiones piorum & impiorum quid differant 815
Afflictionibus positos esse terminos 887
in Afflictionibus quid cogitandum 763
Afflictis quid cogitandum ibidem
Afflictiones patienter ferendæ 682
Afflictiones quomodo sint reformatæ 644
Afflictionum uera ratio 500.802.814.959
Afflictiones sunt falx putatoria 759
Afflictiones sunt nubes 143
in Afflictione unius pij affliguntur omnes 856
in Afflictionibus uoluntas Dei consideranda 917
Afflictionum usus 243
Agnus Dei. 106
Agnus Dei quare dicatur 108
Agni paschalis esus 601
Agni paschalis sacrificium quid significauerit 107
Aharon typus Christi 78
Alapæ conuiciorum 893
Alcorani impietas 194
Alcoranus Turcarum 296
Alexander magnus affectat uideri Deus 68.177
Alexander magnus illachrymauit audiens esse innumerabiles mundos 353
Alogiani negarunt Euangelion Ioannis esse Ioannis filij Zebedæi 14
Aliena insania frui 168
Amare uitam 630
Ambitio non expletur potentia 417
Amicorum Christi prærogatiua 774
Amici Dei quomodo fiamus 773
Amicis & hominibus quatenus fidendum 166
Amicitia ollæ 691
Amicorum sponsi officium 221

Amicus usq; ad aras 166
Amoris Christi consideratio excitat in nobis fidem 667
Amor Dei est ipse Deus 830
Anabaptistæ errones circumforanei 126
Anabaptistæ ex agricolis 652
Anabaptistarum excæcatio ibid.
Anabaptista iusticiarum superstitiosa 653
Anabaptistica mulier 823
Anabaptistarũ rex regiũ honorẽ accepit illegitimè 315
Ananias & Sapphira mendaces puniuntur 479
Andreæ apostoli uocatio 119
Angelorum creatio 34
Angelos Dei descendere & ascendere super Christum quid sit 137
Angelus in Malachia promissus Baptista Ioannes est 93
Angelorum officium 35
Angelicæ salutationis pulsus 135
Angeli Satanæ 474
Angeli sunt spiritus creati 254
Anima etiam post mortem uiuit 207
Animæ humanæ impotentia 178
Animam pro fratribus ponere 616
Animæ uirtutes, ratio & uoluntas 176
Ἀπιστίας commendatio 167
Ἀποθέωσις Romanorum Imperatorum 62
Apostolis an omnia patefacta à spiritu sancto 743
Apostolicarum concionum summa 866
Apostoli cur non sint deserendi à patre 851.853
Apostoli dicuntur lux mundi 48.441
Apostolicæ doctrinæ authoritas & cõfirmatio 684. 813
Apostolicæ doctrinæ epitome 685
Apostoli & discipuli cognoscũt spiritum sanctũ 734
Apostoli & prophetæ amici sponsi sunt 220
Apostolorum & prophetarum ordines diuersi 99
Apostolorum fructus 777
Apostoli in quem usum selecti 870
Apostolis linguæ & miracula cur sint data 732
Apostoli messores 262
Apostolici ministerij incrementum quomodo intelligendum 210
Apostoli omnipotentes 820
Apostoli omniscij ibidem
Apostoli ponunt animas pro Ecclesia 917
Apostolis quæ Christus patefecerit 775
Apostoli qui sint 850
Apostoli quomodo sunt putati palmites 758
Apostoli quomodo lauerint pedes Ecclesiæ 681
Apostolis quod mandatum à Christo datum 949
Apostolorum sanctificatio seu consecratio 864
Apostolicorum scriptorum authoritas 403
Apostolorum successio duplex 471
Apostoli terribiles 425
Apostolorum testimonium 120
Apostolorum testimonium de Christo 794
Apostolorum ueri successores 60
Apostolorum uocatio 136
Apostolorum uox, Christi uox est 544
Apostolorum usus 867
Aqua & sanguis quid significent 937
Aquæ puteali conferuntur omnia terrena 239
Arabum mos in fœderibus feriendis 382
Archimedes 846
Arguere de iudicio 807
Arguere de iusticia ibid.
Arguere de peccato 806
Ariomanitæ 25.26
Arrianorum error 750
Arrianorum error de unitate patris & filij 556
Arrianorum & Iudæorum collatio 290
Arrianorum proles Turcæ sunt 454
Arrij blasphemia 19.22.25.26
Arrius tribuit Christo nomẽ, aufert autem ei naturam diuinitatis 45
Arrogantia discipulorum Christi 831
Ars summa uera dicere 482
Artificium diaboli 288
Artificium filij Dei discendum ibid.
Ascendere in cœlum 185.384
Auari & uentri dediti 408
Auaritia non expletur diuitijs 417
Auaritiæ supplicium fames 214
Audiendi uerbi Dei socordia 639
Audire uocem Dei 517
Autem pro enim, phrasis græca 843
Autoritas maiorum 428
Autoritas maiorum suspicienda, non autem præferenda autoritati diuinæ 338

B

Baalitarum & Eliæ historia 516
Babylonica captiuitas unde Iudæis acciderit 201
Bacchus consecratus in Deum 350
Balneum spirituale 675
Baptismus aquæ 103
Baptismus aquæ, baptismus est spiritus 116
Baptismi Christi species multæ 103
Baptismi efficacia 505
Baptismus ignis 103
Baptismus in Bethabora à multis acceptus 106
Baptismus Ioannis 102
Baptismus Ioannis & Christi 204
Baptismi Ioannis & Christi discrimen 105
Baptismi nomine intelligitur tota doctrina Christiana 175
Baptismus quare lauet nos à peccato 144
Baptismi uerba quid significent 175
Baptismi usus per totam uitam 205
Baptistam à Deo missum fuisse 47
Baptistam antecessit Christus 104
Baptistæ authoritas quomodo confirmata sit 78
Baptistæ cognomen 102
Baptistæ concio de Iesu 77.207
Baptistæ concio periculosa coram hominibus 118
Baptistæ constantia 95.708
Baptista cur neget se esse Eliam 97
Baptista cur neget se esse prophetam 98
Baptista dicitur lucerna ardens 48
Baptista est angelus & Elias 93.97
Baptista est uox clamans in deserto 92

Baptistæ & Christi collatio 47 222
Baptista institutit prædicationem Euangelij & Baptis num 46
Baptistæ officium 48
Baptista quomodo nescierit Iesum 112
Baptista quo signo certior sit factus de uero Messia 114
Baptizandi ritus usitatus apud Iudæos 101
Baptista se Christum esse negat 96
Baptistæ testimonium de Christo 93
Baptistæ unde sit reuelatum Iesum esse Messiam 111
Baptistæ uocatio 113
Baronum priuilegia 467
Basiledini quid docuerint 655
Benedictio frugum propter quid contingat 212
Beneficia Christi 746
Beneficijs Christi fruentes quas habeant proprietates 738
Beneficia Christi post mœrorem Ecclesiæ 819
Beneficium Christi quot & quibus contingat 187
Beneficia corporalia quomodo petenda 747.824
Beneficia corporalia sæpe non credentibus contimtingunt 282
Beneficia Dei duplicia 746
Beneficiorum finis in oratione quis esse debat 482
Beneficia ingressus Christi 623
Beneficia Messiæ 415
Beneficia mundi 745
Beneficia quæ contingant Christum recipientibus 54
Beneficia quæ contingant manentibus in Christo 764
Beneficia quæ per fidem accipiuntur 196.371
Beneficia spiritualia quomodo petenda 824
Beneficia spiritualia tantũ credentibus cõtingunt 282
Bethzeda 279
Blasphemi cur non uiolenter à Christo compescantur 454
Bonorum Christi communio cum credentibus 738
Bona Christi Ecclesiæ bona sunt 869
Bona corporalia an sint petenda 907
Bona corporalia quomodo sint petenda 725
Bonorum corporalium petendorum exempla 725
Bona corporalia putantur summa 350
Bona spiritualia et corporalia 636
Bonitatis & charitatis Dei argumenta manifesta 191
Bonitatis & seueritatis Dei argumenta 249

C

Cæcitas naturalis 522
Cæsaris Maximini lex impia 50
Caiphas impius prophetat 597
Cain desperatus interit 96
Cain quare condemnatus 200
Caiphas præses Synedrij 596
Calamitatum author Deus est 500
Calamitatum causæ 501
Calamitates cur Christus apostolis & Ecclesiæ prædixerit 800
Calamitatũ publicarum causæ in Christianos Ethnici contulerunt 797
Caligulæ immanitas 584
Calumniatorum ingenium 288
Calumniator quàm grauiter peccet 586
Cana Galilææ 139
Cananeæ mulieris exemplum 142
Canaan terra Israelitis in quem finem data 138
Capernaum 152
Capernaitæ uentris causa Christum sequuntur 341
Captum percutere 895
Caritatis Dei erga hominem quanta potentia 191
Caritatis fraternæ natura 122
Caritatis opera multa esse 610
Caritas proximi quatennus se extendat 537
Carnis Christi esus necessarius 376
Carnis Christi esus quid significet 375
Caro pro toto homine accipitur 60
Carnis prudentia in Nathanaele 128
Caro Christi qualis sit cibus 378
Caro quid significet 60.175.385
Caritatis ratio habenda inter Christianos 946
Carnalis sapientia cæca 183
Cataphryges 743
Catholica ecclesia quæ sit 599
Catilina sanguinem humani corporis socijs dedit bi- Cephas quid significet 122 (bendum 382
Ceres adorata ut Dea 350
Cerinthi blasphemia 19
Christi abitus utilitas 803
Christus accipitur fide 188
Christus accusatur seditionis 904
Christum abire quid significet 413
Christus à Deo quomodo fuerit desertus 714
Christi aduentus signum 99
Christi aduentus tempus prædictum 94
Christi aduentus et abitus collatio 804
Christus ad apostolos quomodo redierit 749
Christus æqualis patri cur roget patrem 729
Christus afflictus est ut afflictos adiuuet 72
Christi afflictio omnium grauissima 832
Christus à Ioanne baptizatur 115
Christus ad morbum Lazari conniuet 569
Christus ad nuptias inuitandus 152
Christus an frustra uenerit in hunc mundum 53
Christus an metuerit mortem 231
Christus anteceßit Baptistam 104
Christo à patre omnia tradita sunt 228
Christus auxilium suum pollicetur 701
Christus baptizat spiritu sancto 116
Christi beneficia 85.746
Christi beneficia in Iudam collata 607
Christi beneficium quibus contingat 187.188
Christi bona Ecclesiæ bona sunt 869
Christi bonorum communio cum credentibus 738
Christi comitatus 612
Christi caro qualis sit cibus 378
Christi clamor in cruce 929
Christi clementia 605
Christum cognoscere quanto studio debeamus 134
Christi cognitio uera non est ignaua 127
Christi cognitio necessaria ad ueram Dei cognitionẽ
Christus collatus cum alijs hominibus 285.(17
Christi consolatio de abitu suo 748

Christum crucifixum intuentes quid cogitare debeant 923
Christi crura non franguntur 936
Christi cum Ioanne collatio 216
Christus cur ad testes prouocet 894
Christus cur attollat oculos in cœlum 838
Christi cura erga Ecclesiam 830
Christus cur animi dolorem susceperit 685
in Christo cur manendum 760. 767
Christus cur non orat pro mundo 875
Christus cur petat glorificationem sui 843
Christus cur susceperit humanas infirmitates 231
Christus cur uocetur Sol 947
Christus declaratur Messias & filius Dei 115
Christus Dei filius naturalis 391
Christus Dei uera species 317
Christus dicitur Iehoua 28
Christi dicta quæ sint 713
Christi dilectio 665
Christus discedens quomodo suos deserucrit 857
Christi discessio, summa est infœlicitas 648
Christi diuinitas 21. 24. 25. 28
Christi doctrina 296
Christi doctrina est publica doctrina 894
Christi doctrinam esse ueram 455
Christi doctrina propria sit 399
Christi dominatio in medio inimicorum 455
Christus durus est erga matrem 141
Christum edere, est credere 371
Christus eijciens nondinatores rectè facit 156
Christus ἐπαίνιτον canit 689
Christum esse uerum Deum probant eius facta 719. 717. 721
Christi doctrina quanti semper constiterit 22
Christi & Adæ collatio 79
Christi & aliorum hominum discrimen 404
Christi & Apostolorum prodigiorum discrimen 719
Christi & Baptistæ collatio 47
Christi & Diaboli sermones opponuntur 788
Christi & Ecclesiæ coniugium 217
Christi & Ecclesiæ ratio est, quæ est coniugum 70
Christi & Ioannis collatio 222
Christi & Mosis collatio 83. 194
Christi & piorum oratio una 828
Christi & serpentis ænei collatio 187
Christi exaltatio 187. 644
Christi facta quæ sint 713
Christi feuda 623
Christus filius Dei naturalis 390
Christi filij Dei officium duplex 33. 38
Christus filius Ioseph 118
Christus formidabilis aduersarijs suis 429
Christus formosus & deformis 221
Christi fremitus & indignatio propter tyrannidem mortis 584
Christi fuga 600
Christi genus è supernis 222
Christi gloriæ argumentum 74
Christi gloria quomodo reuelata sit 73
Christi gloria quomodo uulganda in mundo 79
Christi gloriam uidere 873
Christi habitatio in terris 71
Christi hora 410
Christi hospitia 567
Christus hostibus obuiam procedit 885
Christi humanitas à Satana oppugnata 66
Christi humanitas coniuncta cum diuinitate 67
Christi humanitas & diuinitas conferuntur ferro candenti ibid.
Christi humanitas & diuinitas cõiunctæ quibus prosint ibid.
Christi imbecillitas 600 (
Christi incarnatio 65
Christi incarnationis beneficia 67
Christus in cruce exaltatus omnia ad se trahit 923
Christus indicat Petro tempus et numerũ abnegatiõis
Christi ingressus à Prophetis prædictus 622 (698
Christi ingressus beneficia 623
Christi ingressus in urbem Hierusalem ridiculus 622
Christo ingredienti quæ officia præstanda sint 626
Christus initiò imbecillis apparens declarat pòst omnipotentem suam maiestatem 587
Christum in omnibus periculis adesse Ecclesiæ 704
Christus in oratione sua ad patrem quid petat 839
Christus in terra homo natus non est è terra 222
Christus ipsa resurrectio & uita 580
Christus Iudam è catalogo beatorum eximit 683
Christus iudex 661
Christus Iudæis offendiculum, Græcis stultitia est 95
Christus iustus 624
Christi lachrymæ propter Lazarum 585
Christi lux 440
Christus lux hominum 43
Christi maiestas 69. 240. 274
Christi maiestatis testimonia 312
Christi mandatum nouum de dilectione 692
Christi mandata quæ sint 739
in Christo manendum esse 756
Christi mansuetudo 17
Christus matrem cur alteri commendarit 928
Christi miracula 788. 339
Christus mirificè gaudet de salute hominis 770
Christi mors abitus ad patrem 752
Christi confirmatio est testamenti 933
Christus mortis meditatione trepidat 633
Christi mors mortis abolitio 933
Christus morti obiectus quid fecerit 634
Christus mortem quare deprecetur ibid.
Christus mortẽ suam quare Apostolis prædixerit 752
Christus nobilissimus omniũ regum & principũ 466
Christi nomine orandum esse 765
Christi nomine orare 822
Christus non abrogat ciuilia regna 678
Christus non baptisauit aqua 231
Christus non est legislator 446
Christus non est terrenus monarcha 356
Christus non est exemplũ tantum est, sed et salus ipsa 546
in Christo non manentium incommoda 763
Christi obedientia 458
Christi officiũ 908, 881. 701. 680. 453. 436. 257. 192

Christi officium proprium 661
Christi officium aboletur per hypocrisim 91
Christi officiũ est, ut nõ iudicet mundum ciuiliter 659
Christus omnium animantium uita & conseruatio 39
Christus omnium contemptissimus 920
Christi opera 549
Christi opera diuina esse 291
Christus operculum iniquitatis 268
Christi oratio 837
Christi passionis & mortis usus 879
Christi passio & mors diuinæ iræ argumentum ibid.
Christus pastor bonus 531
Christi pax 746.834
Christi persecutores qui sint 885
Christum persequentium exercitus sunt cœtus diabolorum 753
Christus plenus gratia 76
Christi plenitudo cui commissa 80
Christi plenitudo & thesaurus ubi dispensetur 81
Christus Pontifex misericors afficitur sensu infirmitatum nostrarum 585
Christi præcepta 728
Christi præceptum de dilectione 771
Christi præcepta magno studio seruanda 769
Christi præsentia admoneat nos modestiæ 168
Christi præsentia quid prosit Ecclesiæ 737
Christi propria uox quæ sit 553
Christo quæ officia debeantur 609
Christus quàm uariè sumatur 376
Christus quare dicatur agnus Dei 108
Christus qua ratione sit uia 707
Christus quare se absconderit 647
Christus quare se non credat Iudæis 165
Christus quare orauerit 589
Christus quare non baptisauerit aqua 204
Christus quare Satanæ permittat ut in ipsum grassetur 754
Christus quare sit missus in terram 398
Christus quare toleret Iudæ immanitatem 683
in Christo qui non maneant 762
Christus quid sit 738
Christus quis sit, & eius officium 821
Christus quomodo desertus à Deo 929
Christus quomodo dilexerit nos 693.768
Christus quomodo glorificauerit patrem 690.847
Christus quomodo recipiatur 57
Christus quomodo reformet mundum in primo suo aduentu 641
Christus quomodo sit manifestatus 740
in Christo quomodo manendum 759.764
Christus quomodo regnum suum sit accepturus 628
Christus quomodo suscipiatur ut commodis officij eius fruamur 195
Christus quomodo tollat peccatum 109
Christi regnum spirituale 486.812.906
Christus rogat à patre defensionem Ecclesiæ suæ 730
Christum recipientes sunt in tuto 341
Christum recipientes uocantur à Christo fratres 55
Christi res gestæ cur non omnes descriptæ sint 971
Christus resistit conuicijs 345
Christus rex aditu facilis 120
Christus saluator 624
Christo Satanas quomodo semper insidietur 206
Christus satisfecit pro omnibus peccatis 109
Christus secedens non fugit crucem 561
Christus sectanti cupiditates carnis nihil prodest 114
Christi sermo quis sit 488
Christi sermonem seruare 489
Christi sermonem non rectipiens quare damnetur 663
Christus seruatur, ergo & credentes seruantur 411
Christus seruat ministerium Ecclesiæ 340
Christus seruus Dei 26
Christus serui formam sumpsit 355
Christus se subijcit uoluntati Dei 633
Christi sitis in cruce 930
Christus salus nostra 344.372
Christi spiritus regenerat nos nouos homines 181
Christus sponsus Ecclesiæ 216
Christus superat omnes sanctos 83
Christus tentatus ab Israelitis in deserto 30
Christi uasalli 624
Christus ubi sit 872
Christus uera lux ad omnes homines pertinet 46
Christi uerbum quod sit 764
Christi uerborum (sicut ego dilexi uos) uera sententia 694
Christus uerus ab æterno Deus 104.589.650
Christus uerus homo & uerus Deus 379
Christi ueræ lucis non omnes fructum capiunt 50
Christi ueri pastoris beneficia erga oues suas 533
Christus uia salutis 496
Christus uia, ueritas & uita 705
Christi victoria, nostra uictoria est 836
Christus uisus Patriarchis & Prophetis 712
Christus uitæ liber 365
Christus uitis 756
Christus unus est, non duo 67
Christi uocatio 337.453
Christi uoluntas efficax 872
Christus uoluntatem Dei reuelauit 90
Christus uulgatus inter homines ab initio orbis 364
Christi zelus in tuenda Ecclesia 157
Christiani ad quæ studia sint uocati 695.827
Christiani clinici 273
Christianismi doctrina 843
Christianus es 135
Christianorum gaudium 827
Christiani hypocritæ 178
Christianismus non pugnat cum storga Physica 928
Christianorum ordines tres 178
Christiani pij 179
Christiani reiecta doctrina ueritatis susceperunt canones Pontificios 323
Christiani scelerati 178
Christianus uerus quis sit 129
Cibus Christi est, ut faciat uoluntatem patris 260
Circuncisio cultus carnalis est 253
Circuncisionis usus 345
Ciuium nobilitas 462

Claues regni cœlorum quibus commendatæ sint 81
Clmici 273
Cocab quid significet 126
Cochabas Iudæus se prædicat salutẽ populi 126.209. 312
Cœlibatus prohibitus apud Ethnicos 148
in Cœlum ascendere 384
è Cœlo descendere 383
in Cœlum perueniendi uariæ opiniones 706
de Cœna Dominica uariæ & impiæ opiniones 670
Cœnæ Dominicæ efficacia 505
Cœnæ Dominicæ esus 372
Cœna Dominica infantibus data 277
Cœnæ Dominicæ institutio 669
Cœna Dominica sectanti cupiditates carnis nihil prodest 114
Cœnæ Dominicæ usus 376
Cognatorum Christi impietas 394
Cognitio Dei uera 449
Cognitio Christi non est ociosa 127
Cognitione naturali de Deo nemo saluatur 51
Cognosce teipsum 168
Cognitionis ueri Dei utilitas 846
Communitas bonorum in coniugio 218
Communitas inter Christum & suos, reuelatio arcanæ uoluntatis Dei 774
Comiciorum recessus 430
Concilijs an fides adhibenda sit 513
Conciliorum autoritas 867. 902
in Conciliorum obsequia non iurandum est ante cognitionem 685
Concilium Pontificum & Pharisæorum 594
Concilia possunt errare 902
Concilij sententia piorum iudicio subijciatur 903
Concionum Apostolicarum usus 866
Concionum Christi postremarum commendatio 700
Concionatoris Euangelici officium 211
Concionatoris officium rectè secare sermonem ueritatis 175
Condemnationis hominum præcipua causa 199
Confessio oris necessaria ad salutem 655
Coniugium Christi & Ecclesiæ 70.150.217.219
Coniuges docto. es sunt 150
Coniugij definitio monastica 147
Coniugium est mysterium 150
Coniugij f. lem quis uiolet 210
Coniugium fœlix si Christus inuitatur ad nuptias 151
Coniugij institutio 147
Coniugij libertas 149
Coniugij mysterij usus 251
Coniuges œconomi 150
Coniugij osores, Nicolaitæ, Tatiani, Encratitæ, Monachi & sacrificuli 146
Coniugium probatur à Christo ibidem
Coniugium præceptũ ab Ethnicis legislatoribus 148
Coniugij ratio 70
Coniugia seniorum 150
Consecratio Apostolorum 864
Consilij Dei cognitio in differendo auxilio quid prosit 330
Consilium non est aduersus decretum Domini 308
Consolari Ecclesiam Christi officium præcipuum 702
Constantia Baptistæ 95
Contentum esse sorte sua 207
Contubernia malorum fugienda 608
Controuersiæ de Christo uariæ semper fuerunt 421
Contumelia est species homicidij 518
Conuiciorum alapæ 895
Conuicia rependuntur reprehensioni legitimæ 484
Copulatores Christi qui sint 221
Corporalia beneficia sæpe non credentibus cõtingunt 282
Corporalia bona putantur summa 350
Corporis humani impotentia erga mortem 179
Corporis humani resuscitatio 508
Cotem dissecat Neuius Actius 508
Creationis causa 36
Creatio & recreatio officia filij Dei 53
Creatio testatur de resurrectione 508
Creationis usus 35
Credere Deum misericordem, opus difficillimum 886
Credentes Euangelio obsignatores sunt diuinæ ueritatis 225
Credentium fructus 777.760
Credere in Christum cultus Deo gratissimus 252
Credere in Christum est paucissimorũ hominum 369
Credentes cur pauci 650
Credentium in Christum libertas & nobilitas 468
Credentes in Christum maxima opera faciunt 720
Credentium in Christum priuilegia 467
Credentes in Christum quæ bona consequantur 370
Credere in Christum quid sit 57.189.347
Credẽtes in Christũ sunt filioli & fratres Christi 692
Credentes in Christum uiuunt 580
Credentes in Christum uocantur luminaria 48
Credere in Prophetas 27
Credentium maiestas post resurrectionem 57
Credentes omnipotentes sunt 821
Credentes omniscij sunt 820
Credentes patrem & filium hospitio excipiunt 741
Credentes sunt uasalli Christi 624
Cretensis Iudæus pseudopropheta 322
Crucis piorum euentus 545
Cultus Dei carnalis quis sit 251
Cultus Deo gratissimus quis sit 252
Cultus Dei maximus quis sit 225
Cultum Dei nouum cui liceat instituere 101
Cultus Dei spiritualis quis sit 151
Cupiditas hominis insatiabilis 68
Cupiditas impudica 433
Curiositas carnalis de altero seculo 617
Cyri bellum Scythicum 163
Cyrus miserè interit ibidem

D

Damonis & Pythiæ amicitia 697
Daniel cur iubeat regem eleemosynis peccata expiare 615
Datorem hilarem exigit Deus 694
Dauid accepit regnum Israelis diuina uocatione 210
Dauid aggreditur Goliathem 156

Dauid exulantis oratio 747
Dauid mirabiliter seruatur 498
Dauid ponit animam pro Israelitis 616
Dauidi regnum restituitur 236
Dauidis studium præcipuum 134
Dauidis unctio 115
Decalogi usus 243
Decalogus est ipsa lex naturalis 495
Dedicationes templorum 548
Dedicationum uerus usus ibidem
Defensio Petri temeraria & inconsiderata 888
Defensionis diuinæ doctrina 425
Demonstrare quid significet 292
Descendere de cœlo 185
Deus abiecta eligit 171
Dei amici & filij quomodo fiamus 773
Deus amissus quomodo recuperandus 240
Dei amor ipse Deus est 830
Deus, angelus, anima sunt & si non uidentur 182
Deus an possit uideri 710
Dei beneficia duplicia 746
Dei cognitio uera 449
Deus comitatur pios per uerbum 277
Dei cooperator est homo 36
Deus cuius fiducia inuocandus 723
Deus cur conniueat ad crudelitatem impiorum 799
Deus cur Satanæ multa permittat 884
Dei essentia humanæ rationi incomprehensibilis 89
Deus est spiritus 254
Deus humilia non abijcit 153
Dei industria in illustranda gloria filij sui 925
Dei industria, qui facit ut hostes suis impijs conatibus adiuuent eius gloriam 510
Dei formas uarias finxerunt Ethnici 711
Dei liberalitas 236
Deus mundi, Satan est 752
Dei natura inuisibilis 88.91
Deo nihil occultum 243
Dei nomen cur notum fiat 876
Deus non cognoscitur nisi per Christum 17.318.449. 493.409
Deus non est respector personarum 143
Deum nosse quid sit 782
Deo nulla accedit maiestas ex creaturis, sed à Deo ali quid maiestatis ipsis acceßit 20
Deus pater agricola est 756
Deus pater Christi non uulgari modo 290
Deus pater iustus dicitur duplici nomine 875
Dei patris domus 702
ad Deum patrem ire 706
Deo patrisfamilias familia curæ est 334
Deus pater manifestè cum filio locutus est 637
Dei patris operatio sine intermißione 289
Dei patris proprietas 16
Deus pater quæ mandauerit filio suo 663
Deus patriarchis se patefecit 317
Deus quæ aufert, reddit affluenter 236
Deus qua facie uideatur 359
Dei quies die septimo 290
Deum quis ostenderit uidendum 90
Deus quomodo accedendus 91
Deus quomodo cognoscendus 798
Deus quomodo illustrauerit nomen suum 637
Deus quomodo tentetur 119
Deus quomodo trahat 364
Deus quomodo uidendus 712
Dei solius opera 26
Deus solus sanctus 854
Deus solus summum & perfectum bonum 313
Deus solus uerus quomodo pater dicatur 844
Deus surdus uidetur ad preces piorum 329
Deum timere quid sit 620
Deus uarijs modis seruat 274
Dei ueritas 863
Dei ueri cognitu utilitas 846
Dei uera species Christus 317
Deum uidere omnes cupiunt 709
Deum unum esse 16.116
Deus unum tantum habet naturalem filium 64
Dei uocem audire 317
Dei uoluntas & effectus 775
Dei uoluntati nos subijciamus 635
Dei uoluntas quomodo cognoscenda 712
Dei uoluntas reuelata per Christum 90
Dei uoluntas ubi quærenda 686
Diaboli artificium 288
Diaboli & Christi sermones opponuntur 488
Diaboli nulla salus 543
Diaboli hæreditas 478
Diabolus mendax & homicida 473
Diabolus pater Iudæorum ibid.
Diaboli peccatum 475
Diobolus quis sit, & qui eius filij 478
Dicta Christi quæ sint 713
Dies Christi 503
Diei extremi prædicatio ab impijs ridetur 662
Dierum festorum obseruatio in Christianismo 407
Dies quid sit 572
Diffidere magna est sapientia 167
Dij adoptiui homines 379
Dij gentium euanuerunt 121
Dij gentium 843
Diluuio pereuntium peccata 200
Diocletiani edictum blasphemum 68.156
Dilectionis absolutæ exemplum est Christus 771
Dilectio Christi 665
Dilectionis Christi cõsideratio quid nobis prosit 667
Dilectionis Christi magnitudo 666
Dilectionis Christi usus 769
Dilectionis nouum mandatum 692
Dilectionis præceptum 771
Dilectio quare necessaria 779
in Dilectione quomodo manendum 769
Dilectionẽ suã Christus quibus rebus testatus sit 668
Discipuli an maiora fecerint quàm Christus 718
Discipulorum Christi arrogantia 831
Discipulorum Christi error 678
Discipulorum Christi ignorantia 742
Discipulorum Christi imbecillitas et incredulitas 605
Discipulorum Christi modestia 259

Discipulorum Christi nota 696
Discipuli Christi uarie affecti sunt 327
Discipulorum fides ante pericula 831
Discipulorum Ioannis peccatum 205
Discipuli quæ non potuerint intelligere ante missionem spiritus sancti 811
Dissidia excitare seruorum consuetudo 206
Diuinitas amissa quomodo recuperetur 69
Diuinæ bonitatis & charitatis exempla 191
Diuini consilij cognitio quid prosit in differendo auxilio 330
Diuina lex nõ debet cedere humanæ ordinationi 235
Diuinæ misericordiæ argumenta 880
Diuinarum rerum neglectus in uulgo hominum 343
Diuinitatis tres personas esse 16.24.116.743
Diuinæ uoluntatis inquisitio apud Iudæos & Ethnicos 711
Diuinæ uoluntati non obsistendum 338
Diuitiarum congregandarum uera ratio 215
Diuitiæ faciunt homines infœlices 489
Diuitiæ non explent auaritiam 417
Doctores impij non edunt uera miracula 515
Doctores pietatis damnantur ab impijs 483.497
Doctorum peccata leuissima calumniatur mũdus 603
Doctrinæ Apostolicæ autoritas & confirmatio 684. 813
Doctrinæ Apostolicæ epitome 685
Doctrinæ Christi certitudo 224
Doctrinæ Christi credens quantum cultum Deo præstet 225
Doctrinæ Christi genera 386
Doctrina Christi sectanda 223
Doctrinæ Christi ueritas 401
Doctrinæ de defensione diuina usus 426
Doctrina de Messia est gloria Dei 321
Doctrinæ de religione genera uaria 460
Doctrinæ hominum non afferunt salutem 223
Doctrinam Iesu esse ueram 455
Doctrina Iesu propria 469
Doctrina uerbi Dei cognoscenda 400
Doctrinæ ueritas cognoscenda 160
Domitianus uoluit audire, Dominus & Deus noster 68
Domus Dei patris quæ sit 702
ad Domum Patris uia mors est 703
Donorum Dei ablatio est maioris lucri oblatio 804
Donorum Dei distributio 970
Dona quæ conferantur hominibus 719
Donorum spiritualium mensura quæ sit 228
Dono suo quisq; contentus sit 969

E

Ebionis blasphemia 19
Ecclesia agni & oues 968
Ecclesia Catholica quæ sit 599
Ecclesiæ Christi orphanæ tutor 736
Ecclesia Christi uera 866.398.741.744
Ecclesiam consolari officium Christi perpetuum 701
Ecclesia cur uarijs afflictionibus sit subiecta 754
Ecclesia Dei alia uera, alia falsa 367
Ecclesiæ Christi coniugium 217
Ecclesiæ & Christi ratio est, quæ est coniugium 70
Ecclesiæ fœlicitas in hac terra in quo consistat 682
Ecclesiæ fructus 760
Ecclesia in afflictionibus seruatur 833
Ecclesiæ in hac terra sunt admixti mali 757
Ecclesia in hoc mundo orphana 735
Ecclesia in Petra apostolicæ doctrinæ fundata 124
Ecclesia inter spinas, ludibria, &c. 913
Ecclesia in una naui 340
Ecclesiæ ministerium à Christo seruatur ibid.
Ecclesiastici ministerij tres partes 806
Ecclesiastici ministerij usus 525
Ecclesiam mundus potat aceto 930
Ecclesia non constat externa successione 60
Ecclesiæ periclitanti adest Christus 704
Ecclesiæ persecutio 812
Ecclesia pœnitet bona Christi 869
Ecclesiæ propagatio 147
Ecclesia quantæ curæ sit Christo 869.871
Ecclesiæ quid prosit præsentia Christi 737
Ecclesia sedet cum Christo ad dextram Dei patris 70
Ecclesiam semper habet Christus etiam in medio impiorum 54
Ecclesia semper in oculis Christi est 340
Ecclesiæ sors in mundo 815
Ecclesiæ sponsus Christus 216
ad Ecclesiam suam quomodo redierit Christus 736
Ecclesiæ termini 628
Ecclesiæ tutor spiritus ueritatis 730
Ecclesia uinea Dei 756
Ecclesiæ uniuersæ promissus est spiritus sanctus 748
E cœlo descendere 383
Edere carnem Christi 378
Edere Christum pro credere 372
Electionis Christi dignitas 778
Electio Dei ex misericordia, non meritis 64
Electio diuina duplex 776
Electio filiorum Dei fit per Christum filium 65
Electio gratuita 366
Eleemosynis an expientur peccata 615
Eleemosynam conferens in fiscum ex fide adiuuat benedictione publicam 614
Eleemosynæ nomine quæ ueniant 616
Eleemosynas pauperibus publicè colligendas esse 613
Eleemosynam præstandam esse 911
Eleemosyna quid significet 616
Eleuatio poli Hierosolymitana 572
Elias an in cœlum ascenderit 185
Eliæ & Baalitarum historia 516
Elias in Malachia promissus quis sit 93.97
Elias sacerdotes Baal trucidat 156
Elizæus audit consilia regis Syriæ aduersus Israelem 130
Elizæi miracula collata cum miraculis Christi 132
Elizæus sectatus Eliam 125
Elizæus seruatur 498
Elizæus uidet nuncium longè absentem 130
Encænia quæ fuerint 547
Encratitæ hæretici 146

Enoch an in cœlum ascenderit 185
Ephesij post baptisma Ioannis baptizati sunt in nomine Domini Iesu 103
Epicureis religio ridicula & incerta est 908
Equitum nobilitas 462
Error Iudæorum de Messia 94
Error Monachorum 828
Error prudentum huius seculi unum quemq; in sua religione seruari 50
Esaias an uiderit Deum 710
Esus carnis Christi necessarius 376
Esus carnis Christi quid significet 375
Esus pomi 673
Eteoclis dictum, Si uiolandum est ius, imperij gratia uiolandum est 96
E` terra esse quid sit 222
Etesiæ in exortu caniculæ excitantur 566
Etesiæ temperamentum ardoris ibid.
Ethnici diuinis honoribus affecerunt eos qui ipsis attulerunt aliquam corporalem utilitatem 350
Ethnici faciunt ex Deo respectorem personarum 63
Ethnicorum liber, Acta Pilati 454
Ethnici martyrum crematorum puluerem in profluentem sparserunt, ut adimerent eis spem resurrectionis 308
Ethnici publicarum calamitatum caussas in Christianos contulerunt 797
Ethnici varias Dei formas finxerunt 711
Euangelij audiendi occasio non negligenda 646
Euangelion Christi beneficium longè omnium maximum 153
Euangelij Christi fons 418
Euangelion Christi in altero seculo approbatur 619
Euangelion Christi quod sit 664
Euangelion Christi ridetur à securis hominibus 242
Euangelion Christi, sectanti cupiditates carnis nihil prodest 114
Euangelion cœlestis thesaurus 71
Euangelij cognoscendi gratia miracula edita sunt 333
Euangelici concionatoris officium 211
Euangelion de Christo hominibus natura incognitum 90
Euangelion de Christo semper fuit 787
Euangelion de Christo uulgatum inter gentes etiam ante aduentum Christi 51
Euangelij epitome 91.118.187.516.829
Euangelij ignorantia neminem excusat 788
Euangelij Ioannis ex collo suspendendi superstitio 15
Euangelici ministerij institutio 805
Euangelij ministerium necessarium 362
Euangelij miracula 259
Euangelion non abrogat ciuilia regna 678
Euangelij prædicatio ad quos pertineat 175
Euangelij prædicatio, ministeriũ recõciliationis ibid.
Euangelion propria doctrina Christi est 387
Euangelion quid significet 190
Euangelij ueritas qua re constet 211
Euãgelij ueritas trucidatis ministris nõ aboletur ibid.
Euangelion uulgatum in totum orbem terræ 203
ex Euentu externo non est iudicandum, sed ex uerbo Dei 165
Exaltatio Christi quæ sit 456
Exauditionis caussa finalis 727
Excæcatio Papistarum & Anabaptistarum 652
Excæcatio impietatis & contempti uerbi supplicium 651. 653
Excommunicatio 510.796
Externus sensus non percipit renascentiam spiritualem 182

F

Facta Christi quæ sint 713
Falx putatoria uerbum, spiritus sanctus & afflictiones 758
Famem cur Deus immittat 214
Familia alenda est, sed non peccandum est 234
Fastidium uerbi Dei 490
Feriarum tabernaculorum Christiana celebratio 393
Festorum dierum obseruatio in Christianismo 407
Feuda Christi 623
Fides discipulorum Christi ante pericula 831
Fides Dei uerus cultus est 252
Fides est iusticia, qua homines saluantur 197
Fidere hominibus quatenus debeamus 166
Fide imbecilles Christus suscipit 275
Fides in Christum est paucissimorum hominum 369
Fidei in Christum excellentia 198
Fides in Christum quid sit 196.369.658
Fides in Christum sit certa 445
Fides infirma, sed Christus non infirmus est, qui fide accipitur 276
Fide iustificamur, nõ propter, sed per fidem 347.226
Fidei natura 122
Fides non autor, sed organon est salutis 283
Fides non est sine certo uerbo 588
Fides organon quo accipitur Christus 188
Fides præstantissimus cultus Dei 547
Fides, si non lucet confessione, nulla est 655
Fides uera non est ociosa 656
Fides uera paucorum hominum est 548
Fidei ueræ exemplum 278
Fiducia in aduersis non abijcienda 571
Figuræ in papatu obscurant ueritatem 609
Filiorum adoptiuorum & naturalium discrimen 55
Filium à patre genitum quomodo imaginandum 19
Filij Dei adoptiui 55
Filius Dei cum iniquis reputatur 924
Filiorum Dei electio 65
Filius Dei etsi ab æterno, tamen non à seipso est 19
Filiorum Dei gloria magna 58
Filiorum Dei generatio 59
Filij Dei honor 298
Filius Dei in excelsis locis damnatur 919
Filiorum Dei ius plenum confertur in credentes in Christum 54
Filij Dei maiestas summa & excellentissima 20
Filij Dei nascuntur è sola Dei misericordia 65
Filium Dei natura esse Deum 21
Filium Dei nec factum, nec creatum esse 54
Filius Dei omniũ animantium uita & conseruatio 39

Filij Dei potestas iudicare homines 304
Filij Dei proprietas 17
Filij Dei qui sint 598
Filius Dei quomodo glorificauerit patrem 690
Filij Dei quomodo fiamus 773
Filius Dei ubi fuerit ante conditum mundum 20
Filij Dei uocem audire 308
Filiorum duplex ordo 519
Filius & pater quomodo unum sint 19
Filius hominis quis sit 185
Filium honorare quid consequatur 299
Filium honorare quid sit 297
Filius non tantum genitus, sed & unigenitus uocatur 19
Filiatio per Christum contingit 776
Filius quomodo diligatur à patre 768
Filiorum Satanæ numerus 476
Filij tenebrarum 442
Filium uerum & æternum esse Deum ὁμοούσιον cum patre 24.25.28
Floralia 351
Flumen Petri apostoli 418
Flumen Ioannis & Pauli apostolorum 419
Fœdera sancita apud Arabas 382
Fœlicitas Ecclesiæ in hac terra in quo consistat 682
Fœlicitas hominum uera 846
Fœlix successus rerum quomodo paretur 209
Fœlicitatis ueræ consequendæ ratio 324
Fons Euangelij Christi 418
Fontes ex quibus homines cupiunt explere suam sitim 417
Fons legis Mosaicæ ibid.
Fons regni mundani ibid.
Fortuna rerum Christi in hoc seculo 225
Fragmenta colligenda 332
Fructus quem Christus ferre iubet 767
Frugum benedictio propter quid contingat 212
Frumentariorum reprehensio ibid.
Furari quid sit ibid.

G

Gabriel fictitius Mahumetis 262
Gallicinij usus spiritualis 699
Garisim mons 245
Gaudium Christianorum 817
Gaudium Christi propter salutem hominis 700
Gaudium completum quæ res afferat ibid.
Gentes an habeant excusationem 787.788
Generis nobilitas 463
Gentium dij 111.843
Gentium & Iudæorum exæquatio 812
Gentium lux Messias 440
Gentium uocatio 541
Germania omni genere peccatorum sordidata 201
Gestus orantium uarij 838
Gladium cur gestent reges & principes 755.784
Gloriæ Christi causæ duæ 841
Gloria Christi quæ sit 840
Gloria Christi quomodo uulganda in mundo 79
Gloriam Christi uidere 873
Glorificationis Christi modus 691
Gloriæ consequendæ uera ratio 208
Gloria Dei patris 841
Gloria qua Christus petit glorificari 848
Gloriæ species uariæ 847
Gotts freundt, und aller Vuelt feindt 773
Grani mysteria 619
Gratiarum actio est benedictio 331
Gratia per Christum facta quæ sit 85
Gratia pro gratia 82
Gratia quid significet 81
Gratitudo erga Deum quibus rebus declaretur 192
Græcis Christus stultitia est 95

H

Hæreditas Dei quam Christus adijt 95
Hæreditas per Christum nobis parata ibid.
Hæretici student sponsam Christi ad se allicere 220
Hercules relatus inter deos 550
Heroica facta 156
Heroicum factum ciuis Nicomediensis ibid.
Heroicum factum Valentiniani ibid.
Heroes in religione 83
Heroes magni Moses & Baptista 46
Hieremias ponit animam pro populo 617
Hierosolymitanorum pietas 248
Historiæ gentium ciuilem fructum habent 272
Historiæ sanctæ usus ibid.
Hoc age, Numæ Pompilij institutio 434
Hodie coram Deo, est ab æterno 29
Hodiernus dies Dei est æternitas ibid.
Homines ad quod opus uocati sint 261
Hominis conditio 342
Homo cooperarius Dei 36
Hominis cupiditas insatiabilis 68
Homines cur abijciant filium Dei 45
Homines cur non afficiantur erga Euangelion Christi 523
Homo Deus creatus 379
Homo Deus esse affectat 68
Homines dij fiunt 379
Homines dij sunt 558
Hominum duo ordines 733
Hominis & Satanæ lapsus collatio 199
Homicidij species est contumelia 518
Hominum genera uaria 178
Hominum ingenium, cum extolluntur in altum, obliuiscuntur pauperum 105
Hominum ingenium propter unum sceleratum damnare omnes 684
Hominum ignauia in sectandis rebus cœlestibus 342
Hominum ingratitudo 52.389
Homo μικρὸς κόσμος 574
Hominis miseria 133
Homines natura maledici 268
Homines natura sunt filij Satanæ 64
Homo non potest quicquam accipere, nisi fuerit ei datum è cœlo 209
Homo nouus unde nascatur 172
Hominum ordo triplex 60
Hominum opera an sint mala 202
Homo per peccatum factus est ex Deo Satan 68

Homines prægnantes sunt peccato & inferno 273
Homines peregrini sunt in terra 73
Homo qualis sit natura sua 167
Hominibus quatenus fidendum 166
Homo quid faciat ut habeat adiutorem Deum 209
Homo quid sit 738
Homo quomodo fiat Deus 71.69
Homo quomodo fiat spiritus 180.255
Homines quomodo lucem exceperint 45
Homines securi rident Euangelion Christi 242
Homines scelerati non honorant filium 297
Homo spiritualis quis dicatur 180
Homines sunt caro 179
Homines sunt tenebræ 42
Hominum studium uarium quærendi Iesum 602
Hominis uerus finis 147.342
Hominum uita uera 846
Homines uitia in alijs, non dona Dei considerant 270
Honorem alienum suscipere 315
Honor illegitimè acceptus 315
Honorem illegitimè deferentes alicui, primi ab eo deficiunt 315
Honor illegitimè oblatus, fugiendus 316
Honor filij Dei 298
Honorare filium quid sit 297
Honorans filium quid consequatur 299
Honor prædicatorum 271
Hospitium alterius seculi 864
Hospitia Christi 567
Hostes Christi cur non statim pereant in seculo 486
Hostibus obuiam procedit Christus 885
Horæ duodecim quid sint 573
Horti quid nos admoneant 881
Humanæ cæcitatis & impietatis ingenium 95
Humanitas Christi à Satana oppugnata 66
Humanitas Christi coniuncta cum diuinitate 67
Humanæ condemnationis præcipua causa 199
Humani corporis impotentia erga mortem 177
Humani corporis resuscitatio 308
Humana curiositas expectat prophetas à mortuis suscitatos 98
Humanitas & diuinitas Christi conferuntur ferro candenti 96
Humani ingenij insolentia post liberationem è periculis 287
Humani ingenij est facere malum ut eueniat bonum 598
Humani ingenij natura magis respicere uarietatem casuum humanorum, quàm ueritatẽ Euangelij et potentiam Christi 576
Humani ingenij natura metuere extrema mala in uocatione Dei 595
Humani ingenij sordes 408
Humanæ naturæ corruptio 982
Humanas infirmitates Christus cur susceperit 231
Humanæ iusticiæ merita 81
Humanæ mentis impotentia 178
Humanæ ordinationi non debet cedere lex diuina 235
Humana ratio facta est caro & terra 223
Humanæ rationis lux 42
Humanæ salutis restauratio 39
Humani sanguinis potus in feriendis fœderibus 382
Humanæ sapientiæ iudicium de afflictionibus 499
Humanarum traditionum prætextus pontificius 809
Humani testimonij authoritas 314
Humilia Deus non abijcit 153
Humilitas non est suam uocationem deserere 336
Humilitas uera ibid.
Hypocritæ inter Christianos multos colunt Christos 111
Hypocritæ inter Christianos non honorãt filium 297
Hypocritæ in Christianismo faciunt ex Deo respectorem personarum 63
Hypocritarum iusticia 178.900
Hypocritarum nondinatio 158
Hypocritarum opercula 268
Hypocrisis pharisæorum impia adulteram peccatricem iudicantium 437

I

Iacob mentitus est patri Isaac 480
Iacob patriarcha terribilis 424
Iacob quomodo uiderit Deum 710
Iacob scalam uidens 137
Iactatores glorioſi habent malos uicinos 444
Idololatria hominum impiorum quæ sit 203
Iehoua nomen tetragrammaton 28
Iesus Baptistam quomodo secutus sit 77
Iesum Christum sequi quid sit 443
Iesum esse lucem mundi 657
Iesum Nazarenum esse dominum nostrum uerum 457
Iesum Nazarenum esse filium Dei 457
Iesum Nazarenum esse uerum Messiam 75.139.161 316.320.460.457.492.625.649.
Iesum Nazarenum esse Messiam unde Baptistæ reuelatum 111
Iesum pro Messia agnoscere, rarum ibid.
Iesus propheta Mosaicus 226
Iesus qualis Messias 189
Iesum quærendi, studium hominum uarium 602
Iesum quomodo nescierit Baptista 112
Iesus seruator non unius tantum hominis, sed totius mundi 269
Iesus uictima pro peccatis 107
Iesus uocatur faber 112
Ignatius martyr 629
Ignauia hominum in sectandis rebus cœlestibus 342
Ignauia hypocritica damnatur 344
Ignorantia Euangelij neminem excusat 787.788
Ignorantia Iudæorum an habeat excusationem 53
Ignorantia Messiæ omnis cæcitatis causa 170
Imaginum cultus 910
Imbecillitas et incredulitas discipulorum Christi 605
Imbecilles fide Christus suscipit 275
Imbecillitatis fidei remedium 267
Immanitas cur se non æqualiter in omnibus prodat 883
Impatientia quomodo compescenda 283

Imperij gratia ius uiolandum, dictum Iulij Cæsaris 96
Imperitorum hominum ingenium 684
Imperatoris Maximini lex impia 50
Impietas indurata, semper fit peior 914
Impietatis supplicium excæcatio 651
Impij cur non uiolenter à Christo compescantur 454
Impij & pij diuinitùs defenduntur 424
Impiorum ingenium innocentissimos infamia notare 404
Impij mortui sunt etiam uiuentes 303
Impij rident comminationes de extremo iudicio 662
Impij prævalent in iudicio 595
Impij resurgent, sed ad supplicium 229
Impiorum supplicium in extremũ diem reiectum est 662
Impiorum uaria genera 530
Impiorum uoces blasphemæ in afflictione piorum 587
Impostura non sunt fœlices 335
Impostura uitandæ 426
Impudica cupiditas prohibita 433
Impudicæ & pudicæ mulieris discrimen 436
Impunitatis scelerum causa in hoc mundo 486
Incarnationis Christi miraculum 281 beneficia 67
Inconstantia uulgi 165
Incredulitatis causa 355.387
Incredulitas est peccatũ quo homines damnantur 197
Incredulitas festinat 510
Incredulitas Iudæorum argumentum est Iesum esse Messiam 649
Incredulitatis pœna 662
Indi parentes suos mactant 382
Indifferentia opera in cultum Dei instituta 901
Industria Dei, qui facit ut hostes impijs suis conatibus adiuuent gloriam eius 510
Infans ad Baptismum oblatus triplici morte obrutus est 40
Infantibus cœna Dominica data 377
Infantes etsi habent, tamen non intelligunt fidem 378
Infantes non sunt sua natura innocentes 40
Infantium salus 363
Infirmitas corporalis 570
ab Infernis esse quid sit 450
Infirmi fide assumendi 171
Infirmitates humanas quare Christus susceperit 231
Infœlicitas omnium maxima in peccatis uiuere & mori 451
Infœlicitas post inuocationem, est fidei tentatio 142
Ingenium imperitorum propter unum sceleratum damnare omnes 684
Ingratitudo Ecclesiæ erga ministros 607
Ingratitudo hominum 52.155.389
Ingratitudo Iudæ erga Christum 607
Ingratitudo mundi commendat nobis patientiam 790
Ingratitudo mundi erga Christum 785
Ingratitudo non manet impunita 153
Ingratitudo populi erga magistratum 607
Ingratis quomodo nos exhibeamus 687
Ingredi per Christum aut aliunde quid sit 528
Ingressus Iesu in Hierusalem argumentum est eum esse Messiam 625
Inhumanitatis supplicia 613
pro Inimicis an & quomodo orandum 852
Iniustis non illegitimè inferendum est malum 889
Iniquitatis operculum Christus 268
Inimicis quomodo nos exhibeamus 687
Insania aliena frui 169
Intuentes Christum crucifixum quid cogitare debent 923
Inuidia 964
in Inuocatione Dei perseuerandum 142
Inuocare in nomine Christi 723.716
Inuocatio mortuorum 910
Inuocandus quis sit 722
Inuocatio sanctorum 104
Inuocationis uera doctrina 722
Inuocandi uerus modus ibid.
Iustitia coram Deo quomodo conseruetur 651
Ioannes apostoli flumen 419
Ioannes baptizat aqua 116
Ioannis baptistæ concio periculosa coram hominibus 118
Ioannis baptistæ uocatio 113
Ioannes Eleemosynarius episcopus Alexandrinus 617
Ioannis & Christi baptismus an differant 204
Ioannis Euangelistæ ætate accidit excidium Hierosolymitanum 13
Ioannes Euangelista à Domitiano ejcitur in exilium ad Patmon insulam ibid.
Ioannes Euangelista an mortuus sit 970
Ioannes Euangelista aquila est in illa uisione Ezechielis 15
Ioannis Euangelistæ calamitatum collatio ad aliorum calamitates 13
Ioannes Euangelista coniectus in carcerem ibid.
Ioannes Euangelista docuit Euangelion in Asia 13
de Ioanne Euangelista figmentum 147
Ioannes Euangelista filius tonitrui dictus 15
Ioannes Euangelista eiunium instituit cum inciperet scribere Euangelion suum 14
de Ioannis Euangelistæ morte anile commentum 13
Ioannis Euangelistæ mors tranquilla quid doceat 13
Ioannes Euangelista quas miserias uiderit ibid.
Ioannes Euangelista quandiu post Christi ascensum docuerit ibid.
Ioannis Euangelistæ scripta 14
Ioannes ubi, quando & quo consilio Euengelion suum conscripserit ibid.
Ioannes presbyter autor duarum Epistolarum posteriorum Ioannis 14
Ioannes primus baptismi minister 204
Ioannes Theologus autor Apocalypseos 14.
Ioannis testimonium de Christo 313

Ioannes unde dictus sit Baptista 204
Iobi Dominus reddit omnia duplicia 247
Iobis iusticia 501
Ire ad patrem 706
Ira compescenda 236
Isaac typum Christi gerit 922
Israelitæ non possunt audire uocem Dei 226
Israelitarum studia uaria 129
Israelitæ terribiles 425
Iudas à Christo è catalogo beatorum excipitur 683
Iudas an coactus interierit 857
Iudas Galilæus 126.209
Iudas imago impiorum magistratuum, officialiũ, Pontificum 607
Iudas solus immundus 676
Iudæ & aliorum Apostolorum collatio ibidem
Iudæ immanitatem quare tolleret Christus 683
Iudæ peccata & scelera 606
Iudæ proditoris impietas 884
Iudæorum abiectio 549
Iudæorum calumnia de fuga Iesu 602
Iudæis Christus offendiculum est 65
Iudæi confitentur Christum aduenisse 904
Iudæorum consistorium 594
Iudæi cum Samaritanis non habent commercium 234
Iudæi deliberãt de tollendo Iesu nondũ cognita causa 594
Iudæi cur dicantur populus Christi 52
Iudæorum disputatio cum Christo de eiectione nummulariorum è templo 159
Iudæorũ error de carnali generatione filiorũ Dei 60
Iudæorum & gentium exæquatio 812
Iudæorũ & Saracenorũ calumnia de tribus dijs Christianorum 23
Iudæorum fabula de Elia 97
Iudæi faciunt ex Deo respectorem personarum 63
Iudæorum incredulitas 648
Iudæorum insciti & insania 491
Iudæorum legatio ad Baptistam 93
Iudæorum liber Tholdoth Ieschu 454
Iudæos meritò abiectos & excæcatos esse 651
Iudæos non esse filios Dei 472.476
Iudæos no esse ueros Abrahæ posteros 471
Iudæos non esse ueram Ecclesiam 472
Iudæi nostri temporis Rabinos suos scelestißimos homines recipiunt 322
Iudæorum opinio de Messia 94
Iudæorum pater Diabolus 473
Iudæorum peccata 285
Iudæorum principum fides ficticia 656
Iudæi quare non agnouerint Iesum esse Messiam 321
Iudæi quare non crediderint Euangelio 324
Iudæi quare reiecti sint 921
Iudæus quidam affirmat se esse Mosen 126.322
Iudæi qui nunc sunt non honorant filium 297
Iudæi reiecto Christo receperunt alios 321
Iudæi serui & mancipia sunt coram Deo 465
Iudicare quid sit 193.195
Iudicare homines potestas filij Dei 304
Iudicare mundum opus Christi 294
Iudicare secundum aspectum 407
Iudicis officium 166.436
Iudicis peruersi exemplum 893
Iudicij diuini terror 535
Iudicium extremum 300.487.812
Iudicij extremi pictura 49
Iudicij extremi prædicatio ridetur ab impijs 662
Iudicium extremum quibus metuendum 311
Iudicium extremum pronũciabitur iuxta sententiam filij Dei 296
Iudicium humani ingenij de fœlicitate & infœlicitate 890
Iudicium Iudæorum præposterum 594
Iudiciorum publicorum æquitas 487
Iulianus conatus est restituere sacra Mosaica 247
Iulij Cæsaris dictum, Si uiolandum est ius, imperij gratia uiolandum est 96
Iulio Cæsari nihil profuit Monarrchia 97
Iungstag 937
Iusticia carnalis non generat filios Dei 61
Iusticia Christi nostra est 41.43
ad Iusticiam & salutem cõsequendam quæ sint necessaria 246
Iusticia humana & terrena omnia sunt aqua putealis 239
Iusticiæ humanæ merita 81
Iusticia hypocritarum 900
Iusticia non renatorum qualis 935
Iusticia uera quæ sit 95
Iusticia una est qua omnes saluantur 197
Iustificationis exemplum mulier Samaritana 232
Iustificationis initium quod sit 243
Iustus perfectè nullus hominum 346
Iustus quis dicatur 533.875
Ius imperij gratia uiolandum, dictum Eteoclis 96
Ius nostrum interdum remittendum 902

L

Laboris pij euentus 958
Lapsus Satanæ & hominis collatio 199
Lauationum genera 144
Lauare pedes 673.679
Lauationis pedum expositio 671.678
Lauandi ritus usitati apud Iudæos 101
Laudare scriptum turpe 312.444
Lazarus & sorores eius periclitantur propter Iesum 568
Lazari nomen 567
Legatorum discrimen 402
Legatorum literæ duplices 948
Lex Attica 295
Lex de adulterio non committendo quomodo implicatur 434
Lex diuina non debet cedere humanæ ordinationi 235
Lex naturalis 24
Lex Romana 295
Lex uita dicitur 708
Legis abrogatio 812
Legis & Euangelij prædicatio 174
Leges gentium 295

Legis Mosaicæ doctrina 295
Legis Mosaicæ fons 417
Legis naaturalis doctrina 295
Legis officium 84
Leges pontificiæ 295
Legis prædicatio ad quos pertineat 174
Legis studium non generat filios Dei 60
Legis usus 433
Legio una quot cohortes habeat 882
Leuitica & politica Mosi in quem usum instituta 127
Liber Ethnicorum, Acta Pilati, conuicijs plenus 454
Liber Iudæorum Tholdoth Ieschu, plenus uirulentis conuicijs aduersus Christum 454
Liber uitæ Christus 365
Liberalitas Dei 236
Liberatio dupliciter intelligenda 961
Liberatio ex externis afflictionibus an sit petẽda 862
Liberatio uera è miseria quomodo consequenda 401
Liberandi mogos diuersos præscribunt caro & spiritus 727
Liberos cœlo tradere 148
Libertas Christiana quæ sit 460
Liberationis diuinæ exempla 498
Libertas quid significet 460
Libertatis ueræ consequenda ratio 466
Litaniarum ratio 844
Locus mansionis per quem nobis paretur 703
Locus nihil facit ad præstantiam baptismi 106
Lucem homines oderunt 202
Lucis usus 658
Lugere propter mortuos an sit peccatum 583
Lugendi mortuos uera ratio ibid.
Lumen accensum in manu efflaturi animam 443
Lux Christi 440
Lux Euangelij sectanda 202
Lux gentium Messias 440
Lux humanæ rationis ibidem
Lux luxit in promissionibus & uaticinijs 44
Lux Mosi 440
Lux mundi, Apostoli 451
Lux mundi Iesus 647
Lux quæ sit 198
Lux quando lucere cœperit 43
Lux quomodo accendenda in nobis ibid.
Lux quomodo sit excepta ab hominibus 44

M

Magistratus ciuilis officium 163.221.278.357.447.57
Magistratus dij sunt 558
Magistratuum impiorũ, officialium, Pontificũ, &c. imago est Iudas 607
Magistratus potestas certis limitib. circũscripta 915
Mahumetes autor Saracenicæ & Turcicæ religionis 128
Mahumetani ex Ariomanitis orti sunt 25
Mahumetis Gabriel ficticius 162
Mahumetes non habet testimonia suæ doctrinæ 121
Mahumet quo tempore exortus sit 126
Mahumetes negat Christum sponsum Ecclesiæ 220
Maiestatis Christi testimonia 312
Maiorum autoritas 418
Maiorum authoritas suspicienda, non autem præferenda autoritati Dei 238
Maiora facere quàm Christus 718
Malitia completa 198
Malum à quo liberari debemus 861
Malorum contubernia fugienda 608
Mala non sunt facienda ut eueniat bonum 598.889.912
Malo an resistendum 485.556.688.896
Manasses pontifex templi Samaritani 245
Mandata Christi quæ sint 739
Mandatum nouum Christi de dilectione 692
Manere in Christo quid 761
Manendum in Christo 756
Manere in Euangello Iesu quid sit 459
Manentibus in sermone Iesu quæ bona promittantur 459
Manichæi 731
Manifesta omnia in oculis Dei 343
Manna colligentium historia 215
Manna non dedit uescentibus uitam 371
Mansiones in domo patris 702
Mansio per quem paretur 703
Mansuetudo Christi 171
Mariæ caritas 140
Mariæ fides 141
de Maria matre Iesu quid sentiendum 928
Maria uirgo peccatrix 140
Maritus confiderat tantum uitia uxoris 270
Marthæ confessio de Christo Apostolica 581
Marthæ error de fratris resurrectione 579
Marthæ fides de Iesu erronea 578
Martini episcopi fiducia 399
Maxima opera facere 720
Maximini Cæsaris lex impia 50
Medicorum gloria 267
Mendaces Ananias & Sapphira puniuntur 479
Mendacij detestatio 430
Mendacium Iacob 480
Mendacium obstetricum Aegyptiarum ibid.
Mendaciorum omnia plena 477
Mendacium Raab Hierichuntinæ 480
Mendacia sanctorum an sint peccata ibid.
Mendacium Satanæ 475
Mendaciorum supplicium 479
Mendacium uitandum esse 477
Mendax refert imaginem Satanæ 130
Mendicorum iniquitas 282
Mentiri alterius commodi gratia an liceat 479
Mentis humanæ impotentia 178
Mercatura Satanæ 215
Merces quid significet 264
Mereri bonis operibus, & facere bona opera, differunt 310
Merita pugnant cum libera uoluntate Dei 63
Messis in Iudæa 262
Messis spiritualis ibid.
Messis tempus 263
Messiæ beneficia 351.415

Meßiæ cognitio opus ſpiritus ſancti eſt 361
Meßias corporalis quæritur 350
Meßias Dei ſpecies uera 817
Meßiæ deſcripto in Prophetis 133
Meßiæ functio in terris 402
Meßias lux gentium 449
Meßiæ ignorantia omnis cæcitatis cauſa eſt 170
Meßias in quem uſum promiſſus 491
Meßiæ maieſtas 48.390.
Meßiam nemo cognoſcit niſi diuinitus edoctus 361
Meßias non eſt terrenus monarcha 335
Meßiæ officium 257.402.680
Meßias propheta eſt per Moſen promißus 98
Meßias quid ſignificet 122
Meßias quomodo inueniatur ibid.
Meßias quos homines agnoſcat 358
Meßias ſacræ ſcripturæ ſcopus 318
Meßias theſaurus omnium cœleſtium bonorum 122
Meßias uerus filius Dei 360
Meßiam uerum eſſe Ieſum Nazarenum 75.106.139. 161.316.320.416.457.491.492.625.649.
Meßias uerus ſit finis ſtudiorum noſtrorum 127
Meſſores Apoſtoli 262
μετεμψύχωσις 172
Metreta quid 144
Miracula Apoſtolorum 132
Miraculum Chriſti editum in Cana Galilææ 144
Miracula Chriſti 330.788
Miraculorum Chriſti certitudo 506.676
Miraculum de prunis, piſce & pane in littorre 962
Miraculi de Lazari reſuſcitatione utilitas 591
Miraculi de Lazari reſuſcitatione allegoria 592
Miracula Euangelij 259
Miracula ficticia impiorum 508
Miraculoſa hiſtoria de quinq; panibus 327
Miracula hoc tempore an ſint neceſſaria 516
Miraculis illuſtres Chriſtus & Moſes 509
Miraculum incarnationis Chriſti 281
Miraculorum Moſis & magorum Aegyptiorum diſcrimen 132.716
Miracula Prophetarum 74.293
Miracula reuelant gloriam Chriſti 146
Miracula ſunt loco campanarum 284
Miracula teſtimonia ſunt, Ieſum eſſe Meßiam 316
Miraculum thermarum Hieroſolymitanarum 280
Miracula uera num edantur ab impijs doctoribus 507.515
Miracula uera quæ ſint 509
Miraculorum uſus & uera ratio 131.165.170.278. 333.523.560.591.620.715
Miniſterij Apoſtolici incrementum 210
Miniſterium Eccleſiæ à Chriſto ſeruatur 340
Miniſtrorum Eccleſiæ genera 532
Miniſterij Eccleſiæ tres partes 806
Miniſterij Euangelici confirmatio 955
Miniſterij Euangelici inſtitutio 805
Miniſterium Euangelij neceſſariam 362
Miniſtri Euangelij quomodo remittant peccata 952
Miniſterij remittendi peccata uſus 951
Miniſterij ſalutis organa ſæpe fiunt organa internecionis 114
Miniſtri Euangelici officium rectè ſecare ſermonem ueritatis 175
Miniſtri latrones 532
Miniſtri mercenarij & fures ibid.
Miniſtri paſtores boni ibid.
Miniſtrorum Pontificiorum execratio 886
Miſeriæ humanæ magnitudo 191
Miſericordiæ Dei argumenta 880
Miſſa non applicatur fructus ſacrificij Chriſti 865
Miſſæ pontificiæ abrogatio 107
Miſſa pro defunctis 717
Miſſæ ſacrificium Satanicum inuentum 247
Mollicies 433
Monachorum errores 828
Monachi & ſacrificuli doctores adulterij 220
Monachis & ſacrificulis quid in religione deſit 194
Monaſtica & eremitica ſuperſtitio 128
Monaſtici et Phariſaici ordines 100
Monaſticorum ordinum abrogatio 108
Monaſticæ regulæ 255
Monaſtica religio pugnat cum teſtimonio Apoſtolorum 121
Morbi corporales quid ſint 283
Morbi ex quibus cauſis accidant hominibus 286
in Morbo quid faciendum 287
Mortis aſpectus, aſpectus baſiliſci 633
Mors Chriſti abitus eſt ad patrem 751
Mortis Chriſti ratio 544.640.642.877
Mors Chriſti diuinæ iræ argumentum 879
Mors Chriſti noſtra uita 373
Mors corporalis uicta 300
Mors duplex ibid.
Mortis euentus 545
Mortis expugnandæ ratio 86
Mors in Chriſto ſomnus 575
Mortis natura 633
Mors quid ſit 575
Mors quomodo ſit reformata 644
Mortis remedia philoſophica 633
Mors repentina mendacij ſupplicium 479
Mors ſanctorum quam habeat utilitatem 373
Mortem ſuam quare Chriſtus Apoſtolis prædixerit 751
Mors ſub poteſtate Chriſti 575
Mortis timor in Chriſto 232
Mors tranſitus ex hoc mundo 666
Mors uia ad domum Patris 703
Mortis uocabulum quæ comprehendat 39
Mortuorum reſurrectio certißima 805
Mortuos ſuſcitare, opus Chriſti 293
Mortuorum ſuſcitationis tria genera 502
Moſaicæ legis fons 417
Moſaica ordinatio de iuuandis pauperibus 612
Moſaicæ politiæ inſtitutio 514
Moſaica ſacra Iulianus reſtituere conatus eſt 247
Moſi beneficia 351
Moſes cupit uidere faciem Dei 710
Moſes ducatum Iſraelis uocatione cœleſti accepit 209
Moſes & Baptiſta inſtituerũt noua in populo Dei 40

Mosi & Christi collatio 91.194.325
Moses formidabilis 425
Mosi lux 440
Moses non uerè uidit Deum 88
Moses occidit Aegyptium 156
Mosi officia 84.193
Mosi politica & leuitica in quem usum instituta sint 127
Mosi scripta in Meßiam respiciunt ibid.
Moses ubi de Christo scripserit 324
Multitudinis defectio scandalosa 388
Multitudinis ingenium 536
Mulier anabaptistico spiritu afflata 823
Mulierum officium 420
Mulieres prægnantes 818
Mulier prægnans & parturiens, typus resurrectionis Christi 817
Mulier pudica 438
Mulieris pudicæ & impudicæ discrimen ibid.
Mulier Samaritana exemplum iustificationis 232
Mundanæ seruitutis et seruitutis peccati collatio 464
Mundicies uera 677
Mundum arguere opus spiritus sancti 805
Mundus beneficia sua quomodo distribuat 910
pro Mundo cur non oret Christus 875
Mundus duplex 905
Mundos esse innumerabiles, Anaxagoræ opinio 353
de Mundo esse quid sit 450
Mundi ingratitudo 153.785
Mundi ingratitudo commendat nobis patientiam 790
Mundum iudicare opus Christi 294
Mundi lux 657
Mundi nomine quid intelligatur 835.52
Mundus non accipit Spiritum consolatorem 733
Mundum non fuisse ab æterno 33
Mundi odium erga Ecclesiam 780
Mundi ocium Deus non ignorat 789
Mundi pax 745
Mundus peccata doctorũ leuißima calumniatur 603
Mundus persequitur Ecclesiam propter nomen Christi 781
Mundi principes duo, homo & Satan 37
Mundi principes & Deus & Satan 752
Mundus potat Ecclesiam aceto 938
Mundi prudentia est facere malum ut eueniat bonum 598
Mundus quando secum conueniat 779
Mundus quid sit ibid.
Mundus quomodo reformatus sit à Christo in primo suo aduentu 642

N

Naaman Syrus iußus se septies lauare in Iordane 673
Nathanael an fuerit cooptatus in numerum apostolorum 135
Nathanaelis ingenuitas & candor 129
Nathanael sub ficu uidetur 130
Nathanaelis studium præcipuum 129
Nathanael uerus Israelita 127
Natiuitatis nouæ necessitas 175
Natiuitas spiritualis 172
ad Natiuitatem spiritualia quæ sint necessaria ibid.
Naturæ humanæ corruptio 882
Nazarethanorũ ciuium crudelitas in Christum 269
Nebucadnezar affectat esse Deus 68
Neglectus diuinarum rerum in uulgo hominum 343
Neglectus uerbi Dei 408
Nescit homo utrum amore an odio dignus sit 776
Neuius Actius augur 508
Nicodemi descriptio 169
Nicodemi error de Meßia 170
Nicodemi imbecillitas 169
Nicodemi inscitia 172
Nicodemi quæstio 170
Nicomediensis ciuis factum heroicum 156
Nicolaitæ qui fuerint 146
Nihil fieri ex nihilo, quando uerum sit 34
Nobilitas Abrahæ 461
Nobilitas ciuium & equitum 462
Nobilitas generis 463
Nobilitas ignauiæ & scelerum patrocinium 466
Nobilium priuilegia 467
Nobilitatis ueræ consequendæ ratio 468
Nomine Christi petitio fiat 765
Nomen Dei 858
Nomen Dei cur notum fiat 876
Nomen Dei quomodo illustratum sit 637
in Nomine Dei seruari 855
Nondinatores & numularij eijciuntur è templo 154
Nondinatio hypocritarum 158
Nota discipulorum Christi 696
Nouus homo unde nascatur 172
Nouos homines quid regeneret 182
Nox Christi 503
Nudi nudum Christum sequamur 927
Numæ Pompilij hoc age 134
Nuptiæ fœlices sunt ubi Christus inuitatus est 152

O

Obedientia Christi 458
Obsignare quid sit 225
Obstetrices Aegyptiæ mentiuntur Pharaoni 480
Occasio Euangelij audiendi non negligenda 646
Oculis corporeis non percipitur renascentia spiritualis 182
Oculis magis habenda fides quàm auribus 112
Odium impiorum aduersus Deum et filium eius unde 783
Odium mundi Deus non ignorat 789
Odisse uitam 692
Offendiculum paucitatis credentium 648
Officialium impiorum imago est Iudas 607
Officij pij euentus 958
Officium quod Christo & Ecclesiæ præstatur, abiectißimum coram Deo, excellentißimum est 104
Ollæ amicitiæ 692
Omnipotentis nomen 207
Opes alienæ non rapiendæ 209
Opes conseruare aut derelinquere legitimè 230
Opes quæ è cœlo dentur 212

Opera Abrahæ 470
Opera bona an sint facienda 81
Opera bona cur uocentur fructus æternæ uitæ 761
Opera bona indifferentia in cultum Dei instituta 901
Operibus bonis mereri, & facere bona opera, differunt 310
Opera bona non abrogantur, sed merita bonorum operum 229
Opera caritatis multa esse 610
Opera cur requirantur, cùm fide iustificemur 452
Opus difficillimum credere Deum misericordem 880
Operum diuinorum genera 292
Opus eleemosynæ an expiet peccata 614
Opera hominum an omnia mala sint 202
Operum humanorum discrimen 761
Opera humana non sunt perfectè bona 85
Operum legis utilitas 345
Opera maxima facere 720
Operatio patris sine intermissione 189
Opera sequentia iustificationem ad retinendam salutem necessaria sunt 58
Opera seruitutis mutuæ fructus sunt beatitudinis 682
Opera spiritualia quæ sint 181.225
Opinio Iudæorum de Messia 94
Opiniones uariæ & impiæ de humanitate 66
Ordinationi humanæ non debet cedere lex diuina 235
Ordinum monasticorum abrogatio 108
Ordinatio Mosaicæ legis de iuuãdis pauperibus 612
Organa quibus illustratum est nomen Dei 637.640
Oratio an omnia impetret 765.822
Oratio Christi 837
Oratio Christi & piorum una 828
Orationis Christi finis & usus 858.863
Oratio Christi pro conseruatione ministerij 849
Oratio Christi pro omnibus credentibus 866
Oratio Christi quos homines excludat 851
Oratio Dauidis pro restitutione in regnum 747
Oratio ex fide 329
Oratio fiat nomine Christi 723.726.765.821
Orantium gestus uarij 838
Orare pro inimicis 852
Oratio qualis esse debeat in afflictionibus corporalibus 865
in Oratione quæ petenda 823
in Oratione quis debeat esse finis beneficiorum 842
Oratio quomodo & quando exaudiatur 765
Oratio trium in camino Babylonico 747
Orandi uerus modus 722
in Oratione uoluntati diuinæ nos subijciamus 636
Orantium uox manifesta 838
Ore aliud loqui, aliud corde celare, Satanica malicia 130
Oris confessio ad salutem necessaria 655
Osseni quid docuerint ibidem.
Ostium ad ueram fœlicitatem quod sit 530
Ostium Christus est 527
Ostia in ouile Dei uaria conficta ante Abrahamum 529
Ostia noua & ficticia post aduentum Christi 530
Ostia uaria apud gentes 529
Ostia uaria in populo Israelitico ibid.
Ouium Christi prærogatiuæ 549
Oues Christi quomodo fiamus 526.553
Ouium & populi Dei proprietates 524
Oues in aduersis conseruari in Christo 550
Oues non audiunt uocem alienorum 524
Oues pastori Christo curæ sunt 539
Oues sequuntur pastorem 526
de Ouili Dei uariæ opiniones 540
Ouile est populus Dei 523
Ouile unum & pastor unus 542

P

Palmitum in Christo duo genera 757
Palma uictoriæ insigne 626
Pambus eremita 343
Panes multiplicandi uera ratio 332
Papistarum excæcatio 652
Papisticæ figuræ obscurant ueritatem 609
Papa obtrudit pedes suos adorandos & exosculandos 68
Parabola de ouibus & pastore 523
Parentes suos mactant Indi 382
Paralytici miseria 281
Paralytici uirtutes 282
Pars maior plerunq; uincit meliorem 595
Paschalis agni cæremonia 601
Passio Christi iræ diuinæ argumentum est 879
Passionis Christi uaticinia 932
Passionis & mortis Christi fructus 598
Passionis Christi usus 877
Pastoris boni conditiones 532
Pastoris boni cognomen communicabile 536
Pastoris boni exemplum ouibus imitandum 534
Patrum autoritas 867
Pater cur passus sit filium capi & crucifigi 891
Pater & filius duæ personæ 447
Patrum & nostra religio eadem 495
Pater & filius hospitio excipiũtur à credentibus 741
Patris & filij unitas seu una essentia 292.539
Pater filium glorificat 492
ad Patrem ire 706
Pater quomodo dicatur solus uerus Deus 844
Pater quomodo diligat filium 768
Pater quomodo glorificatus sit à filio 690.847
Pater quomodo glorificauerit filium 691
Patris testimonia de filio 448.492
Patris uox cœlestis de filio quam afferat utilitatem 640
Patris uox testatur de Iesu 316
Patrem uerum & æternum esse Deum 24
Patriarcharum delitiæ 127
Patriarchæ & Prophetæ non uerè uiderunt Deum 89
Patriarchæ & Prophetæ uiderũt Christum fide 712
Patriarchis se Deus patefecit 317
Patriarcharum usus 345
Patriarchæ quomodo sint seruati 643
Patriarchæ & Prophetæ seminatores 262
Patriarcharum sacrificia quid docuerint 127
Patrisfamiliàs officium 278.357

Paucitatis credentium causa 650
Paucitas credentium multos offendit 648
Pauli apostoli flumen 419
Pauperes curandi 613. 610
Paupertas non est pudori 141
Paupertas onus graue 240
Pauperum, oppressionis supplicium, fames 214
Pax Christi 746. 834
Pax mundi 745
Peccati actio manet in carne in hac uita 109
Peccati agnitio impellit ad fugam 439
Peccatum aliud alio grauius 917
Peccata an expientur eleemosynis 615
Peccatum cur toleret Deus 37
Peccatores Deus recipit in ouile 543
Peccatores & honesti quomodo sint æquales 437
Peccatum facit homines miseros & pauperes 240
Peccatum fratrum Ioseph 38
Peccatum in spiritum sanctum 899
Peccatum Iudæ, occasio est nostræ salutis 38
Peccati natura 892
Pecuniam non attingere hypocrisis est 233
Pecunia non est Deus 240
Peccatis obruti quid faciant 943
Peccata omnia tollit Christus 109
Peccatum quare fugiendum 37
Peccata quomodo sint reformata 644
Peccata quomodo tollat Christus 109
Peccatorum remissio & iusticia coram Deo quomodo conseruetur 615
Peccati Satanæ & hominis collatio 199
Peccati seruitus 464
Peccatum summum & completum 198
Peccatores sunt omnes homines 515
Peccatum supplicio expiatur 249
Peccato temporario redditur supplicium æternum 288
in Peccatis uiuere & mori maxima omnium infœlicitas 451
Peccatum unde sit 36. 474
Peccatum unum est quo homines damnantur 197
Peccato utitur Deus ad benefaciendum 38
Peccatum uulgare, metuere ne, si agnoscatur Euangelion, Romani ueniant 596
Pedes lauare 606. 673
Pedum lauatio 671
Pedes quomodo inuicem lauentur 675
Pelagius de triplici lege 495
Perdere uitam 631
Peregrini in terra sumus 344
Pericula ex fide suscipere 961
Pericula fugienda, sed non ab officio declinandũ 397. 119
Perizoma Adæ ex foliis ficus contextum 268
Persecutores Christi qui sint 885
Persecutores Ecclesiæ 812
Persecutio toleranda quidẽ, sed non est prætermittendum officium 755. 784
Persequentes Christum, cœtus sunt diabolorum 753
de Persona Christi 811
Personæ respectus apud Deum non est 146
Petendæ res quæ sint 813
in Petitione remissionis peccatorum non dubitandum 724
Petri abnegatio 692
Petri abnegati scelus omnium maximum 898
Petri apostoli flumen 418
Petri casus horrendus cur nobis propositus 897
Petrus Christi officium recusat pertinaciter 672
Petrus copulator Christi 321
Petrus cur ita uocatus à Christo 124
Petri dubitatio 376
Petrus mari inambulat 960
Petri pertinacia reprehenditur 672
Petri pœnitentia Ecclesiæ proponitur 877
Petri seu saxi nominis impositio quid doceat 125
Petri zelus & peccatum 698
Pfingstag 937
Pharisæorum cogitationes de baptismo 230
Pharisæorum consilium contra Christum 432
Philippe, Homo es 135
Philippi Macedonis moderatio ibid.
Philippi uocatio 125
Philosophi & sapientes inter ethnicos 61
Piorum aduersa corporalia & spiritualia 701
Pij aliqua ex parte caro sunt 379
Pij ante aduentum Christi quomodo sint seruati 643
Pij curæ sunt Deo 568. 916
Piorum doctorum fortuna 483. 497
Piorum dolor, dolor est prægnantis mulieris 818
Piorum & Christi oratio una 823
Pij & impij diuinitùs defenduntur 424
Piorum & impiorum fortuna 395
Piorum exempla subeuntium pericula uitæ pro alijs 537
Piorum fœlicitas & lucrum 960
Pij hominis officium sequi uocationem Dei 209
Pij hospites sunt in hoc mundo 396
Piorum maiestas post resurrectionem 57
Pij mundum quomodo arguant 396
Pij quare afflictionibus sint obnoxij 632. 679
Piorum quilibet habet suum diei opus 573
Pij quomodo conseruentur in morte 412
Piorum registrum sanguine Christi obductum 302
Pij semper & ante mortem seruantur 411
Pijs tria præstanda sunt 709
Pilati Acta ethnicorum liber 454. 900
Pilati moderatio 901
Pilatus quis 900
Pilati sententia aduersus Christum 921
Pinehas interficit publicum scortatorem 156
Pœnitentia quomodo agenda 878
Politica & Leuitica Mosi in quem usum instituta sint 127
Politiæ Mosaicæ institutio 514
Polygamia 147
Pomi esus 673
Pontificatus Aaronici & Romani collatio 597
Pontificibus liceat noua sacra instituere 824
Pontificij canones 305

Pontificum consilium de tollendo regno Christi 620
Pontificiorum doctrina impia 211
Pontificij errores 744
Pontificiorum error de apostolis 743
Pontificum gloriatio 428
Pontificum gloriatio uana, quòd sint successores apostolorum 471
Pontificum imporum imago Iudas est 607
Pontificij an sint Ecclesia 60.744
Pontifices obtrudunt suos pedes exosculandos 68
Pontificius prætextus humanarum traditionum 809
Pontifices Romani an sint serui Christi 682
Pontificis Romani arrogantia 681
Pontificum Romanorum antoritas ementita 220
Pontificis Romani bellum aduersus Ecclesiam anno 1465 801
Pontifices Romani doctores sunt adulterij 220
Pontificum Romanorum gloriatio falsa quòd sint uicarij Christi ibid.
Pontificum uerba an sint prophetiæ 597
Populus Dei fictitius 469
Populus Dei ouile 523
Populus Dei uerus 469
Populum docere Sacerdotis officium 876
Portæ duodecim regni cœlorum 530
Potentia non explet ambitionem 417
Potentum studium non generat Dei filios 62
Potestas apostolis data qualis sit 124
Potestas condendi sacra cui concessa 102
Potestas filij Dei iudicare homines 304
Præcepta Christi 728
Præceptum Christi de dilectione 771
Præcepta Dei seruantium tentationes & cogitationes 729
in Præceptis diuinis quid considerandum 673
Prædestinationis Dei causa 367
Prædestinatio Dei in Christo reuelata 365
Prædestinatio Dei quatenus à nobis cogitanda 553
Prædestinati qui sint 851.868
Prædicationis & sacramentorum usus 113
Prædicatio Euangelij ministerium reconciliationis 175
Prædicatorum honor 271
Prædicatio uerbi Dei externa 868
Prærogatiua carnis in regno cœlesti nulla est 143
Præsentia Christi admoneat nos modestiæ 168
Præsentes pauperes iuuandi 610
Preces ex fide 329
Principes an debeant defendere suos subditos contra hostes piæ doctrinæ 755.784
Princeps Christianus quomodo debeat lauare pedes subditorum 681
Princeps mundi Satan 752
Principum officium 755.784
Priuati homines non debent temerè usurpare publica officia 160
Priuati hominis officium 287
Priuati homines quomodo debeant inuicem lauare pedes 681
Priuilegiorum utilitas 516
Probatica unde dicatur 279
Promissiones de alimentis 962
Promissionum diuinarum facilis est obliuio 587
Promissiones diuinæ ridiculæ sunt humanæ rationi 237
Pronubi Christi qui sint 221
Prophetica dicta de Christo 786
Prophetarum & apostolorum ordine diuersi 99
Prophetæ & apostoli amici sponsi sunt 220
Prophetarum & Christi uisionum discrimen 368
Propheta in patria honorem non habet 271
Prophetarum miracula 74.293
Prophetarum præcipuum studium explicare & commendare Messiam uenturum 127
Prophetæ quomodo sint seruati 643
Prophetæ sacrificarunt sæpe in locis alijs quàm lex permittebat 101
Propheticorum scriptorum autoritas 403
Prophetæ seminatores fuerunt 262
Prophetarum usus 345.867
Prouidentia necessaria est 578
Prudentia carnis in Nathanaele 128
Prudentiæ humanæ euentus 914
Prudentia mundi est facere malum ut eueniat bonum 598
Pudicæ & impudicæ mulieris discrimen 438
Pudor hominum peruersus 140
Pudica mulier 438
Pythiæ & Damonis amicitia 697

Q

Quies diei septimi 290
Quod non tollit Christus, tollit fiscus 414

R

Raab Hierichuntina mentitur 480
Ratio & uoluntas uirtutes animæ 176
Ratio et sensus externi ad salutem nihil ualent 181
Rationis humanæ cæcitas 943
Ratio humana Dei essentiam non potuit peruidere 89
Ratio humana facta est caro & terra 223
Rationis humanæ lux 42.440.
Rationis humanæ iudicium de fœlicitate & infœlicitate 890
Regenerationis necessitas 175
Regeneratio non est exposita oculis corporalibus 182
Regeneratio quomodo fiat 173
Regenerationis spiritualis effectus 180
Reges dicti sunt Messiæ 122
Reges & principes cur gestent gladium 755.784
Regum maiestas 267
Reges mundani aditu difficiles 120
Regius fidei ueræ exemplum est 278
Regia maiestas diuina ordinatio est 336
Regia maiestas inter homines non est uera maiestas 20
Regij peccata 173
Regnum Christi 812
Regni Christi aula 104

Regni Christi & mundi discrimen 906
Regnum Christi non de hoc mundo 486.906
Regna ciuilia non abrogantur ab Euangelio 678
Registrum piorum obductum sanguine Christi 301
Regulæ monasticæ 295
Religionum authores collati ad Christum 128
Religio certa esse debet 120
Religionis Christianæ certitudo & ueritas 908
Religionis doctrina in quo collocanda 428
Religiones tres his temporibus 844
Religio monastica pugnat cũ testimonio apostolorũ
Religiones nouæ quæ sint 129.(121
Religionum omnium falsarum abrogatio 108
Religio omnium uetustißima 514
Religio patrum & nostra, una 495
Religio quæuis an saluet 91
Religio Patriarcharum, prophetarum, apostolorum & martyrum quæ sit 129
Religionem suorum maiorum quis dicatur sectari 129
Religiones uariæ 460
Religionis ueram doctrinam per Christum restituendam testimonia 258
Religio uera quæ sit 234.845
Religio una, nostra & patriarcharum 264
Religio uetus conseruanda 513
Remißionis peccatorum consequendæ uera ratio 247.452
Remittere & retinere peccata 949
Remißio peccatorum & iusticia coram Deo quomodo conseruentur 615
Remittendi peccata modus uerus 951
Remißionem peccatorum petens, non dubitet 724
Remißio peccatorum quibus offerenda 951
Renouationis spiritualis modus 173
Reprehensioni legitimæ homines rependunt conuicia 483
Res corporales quomodo petendæ à Deo 725
Res petendæ 722.823
Resurrectionis Christi beneficia 939.945
Resurrectio Christi cur primùm mulieribus reuelata sit 942
Resurrectio Christi explicatio est scripturæ 164
Resurrectionis Christi testimonia 162.939
Resurrectio Christi docet mœrorem Ecclesiæ esse conuertendum in gaudium 816
Resurrectionis Christi typus mulier prægnans & parturiens 817
Resurrectio è monumentis 306
Resurrectio impiorum erit, sed ad supplicium 229
Resurrectio mortuorum 56.305
Resurrectio uitæ & condemnationis 41
Romana captiuitas unde Iudæis acciderit 201
Romanorum imperatorum ἀποθέωσις 62
Romanorum legiones 882
Rusticorum duces illegitimè gladium acceperunt 315

S

Sabbati obseruatio 285.405
Sabbatum quare institutum 406
Sabbati uiolatio superstitiosa 405
Sabbati utilitas 345
Sacerdotis tria officia 876
Sacrificij Christi applicatio 864
Sacrificiorum legis abrogatio 207.118
Sacrificia mortis Christi adumbratio 608
Sacrificia patriarcharum quid docuerint 127
Sacrificiorum utilitas 345
Sacrorum Hierosolymitanorum pietas 248
Sacra Iudæorum non fuerunt ueritas 707
Sacrorum ratio 824
Sacra scriptura cognoscenda 318
Sacramentorum efficacia 909
Sacramentariorum error refutatur 670
Sacramentorum & prædicationis usus 113
Sacramenta non sunt salus, sed salutis organa ibid.
Sacramenta, sectanti uoluptates carnis, nihil prosunt 114
Sacramenta unde habent efficaciam 186
Salim 204
Salomon omnia terrena iudicat uanitatem 239
Ad salutem consequendam quæ necessaria sint 246
Salutis humanæ restauratio 39
Salus in Christo certißima 690
Salutis ministeria sæpe fiunt organa internecionis 114
Salus nulla extra Christum 50
Salus quam confert Christus 661
Salutis uia Christus 490
Samaritanorum ingenium 266
Samaritana mulier exemplum iustificationis 232
Samaritani nostri seculi 234
Samaritanorum religio ex Iudæorum & gentiũ ritibus collecta ibidem
Samaritanorum sacrorum impietas 248
Samaritani templi institutio 245
Samaritani templi pontifex Manasses ibid.
Samuel ungit Saulem & Dauidem 115
Sanaballathus à Dario constituitur satrapa gentis Samaritanæ 245
Sancti an inuocandi 104
Sanctorum cultus 351.619
Sanctus est solus Deus 854
Sanctorum exempla non temerè imitanda 480
Sanctorum exempla, qui horribiliter lapsi, & postea conuersi, in gratiam recepti sunt 898
Sanctorum exempla subeuntium pericula uitæ pro alijs 537
Sancti habent peccatum 85
Sanctorum mendacia an sint peccata 480
Sanctorum mors quam habeat utilitatem 373
Sancti pleni gratia 76
Sanctorum simiæ & imitatores inepti 969
Sanctorum uerus usus 48
Sanctificare 63
Sanctificatio Apostolorum 864
Sanctificatio quomodo fiat 602.864
Sanguis & aqua quid significent 937
Sanguines quid significent 159
Sanhedrim Iudæorum 594
Sapientia carnalis cæca 183

Sarraceni quid de Iesu sentiant 111
Satanæ angeli 474
Satanæ bellum aduersus Christum 206
Satan comparatur api, quæ aculeum amisit 753
Satanæ cur permittatur ut in Christum grassetur 754
Satan cur uocetur deus & princeps mundi 752
Satanæ Deus cur multa permittat 884
Satan dissensionum pater 207
Satanæ & hominis lapsus collatio 199
Satanæ filiorum numerus 476
Satanæ homicidium 475
Satanam in Christum grassaturum esse, prædictum à spiritu sancto 18
Satan intrat in Iudam 688
Satanæ mendacium 475
Satanæ mercatura 215
Satanæ peccatum 475
Satanæ præstigiæ & impostura 717
Satanæ proscriptio 644
Satan qualis spiritus 792
Satan quomodo adiurandus & expellendus 792
Satan quomodo eiectus & uictus sit 643
Satan se in angelum lucis transfigurat 202
Satanæ sempiterna damnatio 474
Satanæ studium 794
Satanæ tentatio de imbecillitate fidei 276
Satan odit lucem 202
Satan omnes alias religiones, solum Euangelion Christi ferre non potest 18
Satanas quomodo Christo insidiatus sit 206
Satanæ sæuicia contra Christum 17
Satanæ turpitudo 37
Saulis & Dauidis unctio 115
Saul iubetur expectare Samuelem 673
Scala in cœlum Christus, non uariæ 138
Scalæ Iacob interpretatio 137
Scenopegia 392
Scortatio uitanda 149. 432
Scripturæ abusus 319
Scripturæ finis & scopus 164. 318. 319. 362. 365
Scripturæ sacræ incumbendum 423
Scytharum mores 382
Seculum alterum Euangelion Christi approbat 619
Seculi alterius hospitium 874
Securi homines rident Euangelion Christi 242
Sedere à dextris Dei 25. 291
Sensus externus non percipit renascentiam spiritualem 182
Sermonis Christi genera uaria 758
Sermo Christi quis sit 664
Sermonem Christi seruare 489
Serpentis ænei explicatio 186
Sepeliendi uarij ritus 306
Sepulchrorum consecratio 938
Sepultura honesta esse debet 306
Sequi Christum quid sit 443
Seruandi uerbum quid significet 861
Seruare uitam 630
Serui formam sumpsit Christus 355
Seruorum mores excitare dissidia 206
Seruitutis mutuæ opera fructus sunt beatitudinis 682
Seruorum officium 681
Seruitus peccati 464
Serui quid prosint Ecclesiæ 420
Seruitus uera, & serui ueri 464. 465
Seueritas Dei erga mendacia 479
Seueritatis & bonitatis Dei argumenta 249
Sichar 232
Sichemitæ primi deficiunt ab Abimelech 315
Signum Aduentus Christi 99
Simonides interrogatur quid sit Deus 711
Simon dicitur Petrus 124
Sinus Abrahæ 307
Socordia uulgi in audiendo uerbo Dei 639
Somnus quid sit 574
Sorte sua quisq; contentus sit 207
Spiritus quid significet 385. 179
Spiritus Christi regenerat nos nouos homines 181
Spiritus Dei unde detur 184
Spiritus probandi an sint ex Deo 126
Spiritus sunt etsi non uidentur 182
Spiritualia beneficia nulli sine fide contingunt 282
Spiritualis homo quis dicatur 180. 181
Spiritualis homo quomodo fiat 180. 255
Spiritualis natiuitas 172. 173
Spiritualia opera 181. 255
Spiritualis renascentia non est expositu oculis corporalibus 182
Spiritum non dari ad mensuram 227
Spiritus sanctus an fuerit ante glorificationem Christi 411
Spiritus sanctus an omnia patefecerit Apostolis 743
Spiritus sancti beneficia 731. 173
Spiritus sanctus eiusdem cum patre et filio naturæ, essentiæ & maiestatis 32
Spiritus sanctus & eius organon semper est in Ecclesia 732
Spiritus sanctus est paracletus 794
Spiritu sancto indigentibus quid faciendum sit 733
Spiritus sanctus interpres uerborũ Christi 743. 814
Spiritus sanctus in specie columbæ 115
Spiritus sancti officium 744. 745. 791. 805. 809
Spiritus sancti organon 745
Spiritus sancti proprietas 17
Spiritus sanctus quomodo accipiendus 733
Spiritus sanctus spiritus ueritatis 793. 810
Spiritus sancti tractus 645
Spiritus sanctus uniuersæ Ecclesiæ Christi promissus 743
Spiritus tumultuosi 509
Spiritus sanctus ubi & quando discipulis datus sit 731
Spiritus ueritatis tutor Ecclesiæ 730
Sponsam accipiens propter pecuniam, ducit pecuniã 217
Sponsi Christi bona 218
Sponsus Ecclesiæ Christus 216
Sponsæ Ecclesiæ indigentia 218
Studium Christianorum 695. 827

Studium Dauidis præcipuum 134
Studium hominũ ſummũ in perficienda impietate 512
Studium noſtrum præcipuũ quod eſſe debeat 128.134
Studiũ ſapientũ & potentũ nõ generat filios Dei 62
Studium uirtutũ moraliũ non generat filios Dei 61
Studia uaria hominum 127
Studium uarium hominum quærendi Ieſum 602
Stultitia quomodo ſectanda 184
Stulti ſapientum præceptores 518
Succeßio Apoſtolorum duplex 471
Succeſſus rerum fœlix quomodo paretur 209
de Supernis eſſe quid ſit 450
Suſcitare mortuos opus Chriſti 393
Suſcitationis mortuorum tria genera 302
Sycophantarum ingenium 288
Synodus Iudæorum 594
Synedrij ſenatores 594

T

Tabernaculorum feſti Chriſtiana celebratio 393
Tarquinius Priſcus 508
Tatiani hæretici 146
Teipſum cognoſce 168
Temeritas ſuſcipiendorum periculorum fugienda ibidem.
Templorum dedicationes 548
Templi Hieroſolymitani uſus 155
Templum Domini ſectanti, impietatem nihil prodeſt 114
Tempus aduentus Chriſti in hunc mundum 94
Tempus aduentus Chriſti inter Iudæos uulgatum 256
Temporis ante diem Pentecoſtes cum tempore poſt aduentum Chriſti collatio 816
Tempus meßis 263
Temporis partes 265
Tenebrarum filij qui ſint 442
Tenebræ mortis & inferni extra Chriſtum 50
Tenebræ 43.199.441
Tentatio Satanæ de imbecillitate fidei 276
Tentationes ſeruantium præcepta Dei 729
Terra Canaan Iſraelitis in quem finem data 138
Teſtamenti Chriſti bona 669
Teſtamenti noui ſcriptura eſt apocalypſis & commentarius ueteris Teſtamenti 27
Teſtimonium Ieſu accipere 225
Teſtimonia patris de Meßia Ieſu conuenientia 492
Teſtium fide dignorum officium 120
Thalmud Iudæorum 128.220.296
Theodas ſeu Theudas 126.209
Thermarum Hieroſolymitanarum miraculum 280
Tholdoth Ieſchu, liber blaſphemus Iudæorum 454
Thomæ incredulitas 577.276
Thom, id eſt, gemellus 576
Thymiama adolere cultus eſt carnalis 253
Tiberius uoluit ut Chriſtus referretur inter deos 62
Timere Deum 620
Timor mortis in Chriſto 232
Titulus cruci impoſitus teſtatur doctrinam & innocentiam Chriſti 925
Tollere è mundo 860
Tractus ſpiritus ſancti 645
Traditionib. humanis nõ debet cedere lex diuina 235
Traditionum humanarum prætextus pontificius 809
Tria pijs præſtanda 709
Tribunalis diuini terror 535
Trinitatis reuelatio & myſterium 115.743.791
Trium in camino Babylonico oratio 747
Turcarum Alcoranus 296
Turcæ Arrianorum proles 454
Turcæ faciunt ex Deo reſpectorem perſonarum 63
Turcæ non honorant filium 297
Turca quid de Ieſu ſentiat 111
Typi in Papatu obſcurant ueritatem 609

V

Vaſalli Chriſti 624
Valentiniani factum heroicum 156
Veneficæ mulieres 213
Venire ad Ieſum quid ſit 320
Ventri dediti, & auari 408
Ventus eſt etſi non uidetur 182
Verbi Dei audiendi occaſio non negligenda 646
Verbum Chriſti quod ſit 764
Verbi Dei comitatus 277
Verbi Dei contempti ſupplicium excæcatio 653
Verbi Dei doctrina cognoſcenda 400
Verbi Dei externa prædicatio 868
Verbum Dei eſt falx putatoria 758
Verbi Dei potentia & efficacia 35
Verbum de quo Ioannes loquitur, res uera, æterna, filius Dei unigenitus 16.18
Verbum nec factum, nec creatum eſſe 34
Verbi Dei faſtidium & neglectus 408.490.639
Verbum non factum, nec creatum ante alias creaturas, contra Arrianos 39
Verbum non cœpit tunc quando aſſumpſit hominẽ ex Maria uirgine contra Cerinthum & Ebionem 19
Verbum omnium animantium uita & conſeruatio 39
Verbum quid ſit 19
Verbi ſeu mandati Dei & hominis collatio 35
Vera dicere ſumma ars 482
Veritatem confitetur Baptiſta 96
Veritas confitenda 97
Veritatis cognoſcendæ regula 929
Veritas Dei 863
Veritas doctrinæ cognoſcenda 161
Veritas per Chriſtum facta, quæ ſit 86
Via ad domum Patris mors 703
Via ad regnum Dei perſcrutanda 711
Via ad Deum, regnum Dei et ſalutem, uera 174.496 707
de Via in cœlum opiniones uariæ 706
Victoria Chriſti noſtra eſt uictoria 836
Victoriæ inſigne palma 626
Videre Deum 709
Videre quid ſit 520
Vindicta priuata 427
Vinea Dei, Eccleſia 756
Virtutum uariæ ſpecies 348
Vir quid ſignificet 60
Viſionum Prophetarum & Chriſti diſcrimen 568
Vita æterna 812

Vita æterna non datur propter, sed per fidem 229
Vitam amare seu seruare 630
Vita duplex 905
Vitam esse in Christo 40.41
Vita hominum uera 846
Vitæ liber Christus 365
Vitam odisse & perdere 631
Vita pro iusticia 303
Vita uera quæ sit 737
Vnum esse necessarium 639
Vocatio Christi, & eius dignitas 453.778
Vocatio debet ex Deo esse 209
in Vocatione Dei ambulantes seruantur 159
Vocationi diuinæ obediendum 504
Vocationem Dei sectans, non tentat Deum 118
Vocationum diuersitas 406
sine Vocatione nihil instituendum 209
Vocem Dei audire 317
Vocem filij Dei audire 308
Voluntas Dei 775
Volũtatis diuinæ inquisitio apud Iudæos et gentes 711
Voluntas Dei quomodo cognoscenda, & ubi quærenda 686.712
Voluntas Dei reuelata per Christum 90
Voluntati diuinæ subijciamus nos 635
Voluntas filij Dei efficax 872
Vox clamans in deserto Baptista est 93.99
Vox cœlestis patris de filio quam afferat utilitatem 640
Vox patris testatur de Iesu 316
Vulgi inconstantia 165
Vulgi socordia & negligẽtia in audiendo uerbo Dei 408.490.639
Vxor considerat tantum uitia mariti 270

Z

Zelus Christi in eijciendis numularijs 156
Zelus Christi in tuenda Ecclesia sua 175
Zelus Christi quomodo imitandus 158
Zelus quando sit bonus 889
Zelus Petri 698
Zelus non secundum scientiam 290
Zodomitarum peccata & interitus 200. 613

INDICIS FINIS.

Laus Deo.

ORDO CHARTARVM.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz && a b c d e f g h i k l m n o p q r s t u x y z aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn oo. Omnes sunt terniones, præter mm nn oo duerniones.

De sancto Martino Episcopo vide fol: 899.